LOCUS VICESIMUS PRIMUS

DE SACRA COENA.

X. 1.

I.

Connexio cum loco praecedente.

Tractatum de baptismo, priore N. T. sacramento, ordine indivulso et immediato sequitur articulus de sacra coena, sacramento N. T. altero. Ut enim illud est sacramentum initiationis, ita hoc est sacramentum confirmationis; unde in primitiva ecclesia usitatum fuit catechumenis adultis, post sacri baptismi sacramentum, mox eucharistiam participandam dare. Justinus apol. 2. pro Christ. p. 73: *Quicunque persuasi fuerint et crediderint, vera esse, quae a nobis traduntur et dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes et petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una et jejunantibus et orantibus; deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur; nam in nomine rerum cunctarum Parentis et Domini Dei et servatoris nostri Jesu Christi et Spiritus sancti in aqua tum lavantur.* Et p. 76: *Post hujusmodi lavationem, credentem jam et nobis adscitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces et supplicationes. A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praeest, offertur panis et poculum aquae et vini* etc. Ambrosius lib. de iis qui initiant. myst. postquam de baptismi sacramento egerat c. 8. in princ. subjungit: *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria dicens: et introibo ad altare Dei et ad Deum, qui laetificat juventutem meam. Depositis enim inveterati erroris exuviis renovata in aquilae juventutem, coeleste illud festinat adire convivium.* Theodoretus quaest. 27. in Exod.: *Quemadmodum Hebraei, ubi mare rubrum transierunt, cibo peregrino et aqua inopinata fruebantur; ita nos post salutarem baptismum participes sumus divinorum mysteriorum.* Chemnicius part. 2. exam. cap. de asserv. sacrae coenae p. 166: *Usitatum fuit in tota antiquitate, quando adulti* X. 2. *baptizabantur, quod statim a baptismo ducebantur ad synaxin, ut mysteriis eucharistiae communicarent.*

Discrimen baptismi et sacrae coenae.

2. Quamvis autem causa efficiente principali, genere proximo, materia et forma generica, causa finali itidem generica haec duo sacramenta conveniant, differunt tamen: *1. Causa efficiente immediata.* Baptismus mediante Johannis ministerio divinitus institutus est; sacra vero coena immediate ab ipso Christo instituta est. *2. Causa administra instrumentali.* Sacram coenam Christus non solum instituit, sed etiam ipse primus in persona propria administravit; baptismum vero non nisi per Johannem et apostolos. Quo pertinet, quod in casu necessitatis baptismus a privato administrari possit; sacra autem coena non nisi ab ecclesiae ministris. *3. Materia proxima.* Materia exterior sive externum elementum ac res terrena baptismi est aqua; coenae vero panis et vinum. Res coelestis baptismi est Spiritus sanctus, sive tota sacrosancta Trinitas; sacrae vero coenae, corpus et sanguis Christi. *4. Forma specifica.* In baptismo aqua adspergimur, vel aquae immergimur in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti. In sacra coena verum corpus Christi mediante benedicto pane manducamus et verum ejus sanguinem mediante benedicto vino bibimus. *5. Causa finali proxima et specifica.* Per baptismum regeneramur ac renovamur, per sacramentum coenae alimur ac nutrimur ad vitam aeternam. In baptismo, praesertim infantum, per Spiritum sanctum fides accenditur; in usu sacrae coenae augetur, confirmatur et obsignatur. Per baptismum Christo inserimur, in quo spirituale incrementum salutari coenae usu accipimus. Per baptismum in foedus divinum recipimur; per usum sacrae coenae vel in eodem conservamur, vel ex eo per peccata contra conscientiam prolapsi ad idem vera poenitentia revertimur. *6. Objectis.* Baptismus non solum adultis in vera religione institutis, sed etiam infantibus in ecclesia natis; sacra autem coena non nisi adultis, et quidem solis illis, qui baptizati sunt seque ipsos probare possunt, competit. Quo etiam pertinet, quod Christus baptizatus quidem, non autem sacra coena usus fuerit. *7. Adjunctis.* Iteratio convenit sacrae

Digitized by Google

coenae, non autem baptismo; aliae etiam ceremoniae in administratione baptismi, aliae vero in administratione sacrae coenae usurpantur.

CAPUT I.

DE APPELLATIONIBUS SACRAE COENAE.

Appellationes sacrae coenae.

3. Ordiemur explicationem hujus sacramenti a nomine, siquidem auctore Festo nomen dicitur *quasi novimen*, quod in ipsius rei notitiam perducat et ὀνόματα Graecis sunt ὡς τῶν ὄντων νοήματα. Appellationes occurrunt vel in sacris literis, vel in scriptoribus ecclesiasticis veteribus, quos patres reverentiae ergo dicimus. Illas vocare possumus divinas et sacras, has ecclesiasticas.

1. Ex Scripturis in quibus dicitur 1. Coena Dominica.

1. In sacris literis hoc sacramentum appellatur *1. Coena Dominica*, δεῖπνον κυριακόν, 1. Cor. 11. v. 20. *Convenientibus vobis in unum jam non est coenam Dominicam manducare.* **Maldonatus in comm. Joh. 13, v. 2: *Eucharistiam nemo apostolorum aut evangelistarum coenam vocat.* Et postea: *Eucharistia nunquam nisi a novis haereticis coena vocata est.*** Jesuitae Dillingenses appellationem coenae Dominicae *ad profanas vocum novitates* referunt in asser. in 1. Tim. ac statuunt, *apostolum loqui de vulgaribus epulis, quas Christiani in primitiva ecclesia apostolica caritatis contestandae ergo in conventibus publicis simul instituebant*, Actor. 2, v. 46. Sed circumstantiae textus, praesertim vero connexio v. 23. cum praecedentibus ostendunt contrarium, videlicet non
X. 3. solum de vulgaribus illis epulis in publico acceptis, sed etiam de sanctissimo mysterio eucharistico apostolum loqui, cujus abusus, qui in ecclesiam Corinthiacam irrepserant, repetit et Christi institutione taxat. Unde veteres interpretes unanimi consensu de eucharistia hunc locum accipiunt. Vide Augustinum epist. 118. ad Jan. Ambrosium, Hieronymum, Theodoretum, Bedam, Oecumenium, Anselmum, Lyranum, Thomam, Gloss. ordin. Hugonem, cardin. Dionysium Carthusium in illum locum. Ac coenae appellatio ex prima ecclesia ad nostram usque continua consuetudine propagata est. Ignatius epist. 7. δοχὴν ἐπιτελεῖν, *convivium* scilicet Domini *celebrare.* Tertullianus lib. 2. ad uxor. c. 4: *Quis ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine suspicione dimittet?* Pammelius explicat: *Missa Christianorum* in Apoc. cap. 9: *Coena nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη, quod dilectio penes Graecos est.* Cypriano tribuitur sermo *de coena Domini.* Augustinus de verbis Dom. serm. 33: *O qui ad coenam Domini venitis, nolite diligere mundum.* Hesychius lib. 7. in Levit. c. 24: *Quemadmodum apostolis Dominus, sic et ipsi nobis divinae coenae communionem tradiderunt* etc. Plura testimonia in scriptis veterum passim occurrunt. *Coena* autem vocatur ab apostolo, quia divinum hoc epulum nocte ea, qua traditus Christus est, post coenam vulgarem et agni paschalis esum ab ipso fuit institutum. Appellationis hujus ratio. *Dominica* coena vocatur, primo quia a Christo Domino nostro instituta est. Secundo, quia verum corpus et verus sanguis Domini nostri Jesu Christi in ea distribuitur, quo ipso a reliquis coenis vulgaribus longissimo intervallo distinguitur. Tertio, quia in memoriam mortis Dominicae celebratur, 1. Cor. 11. v. 26. Quarto, quia diebus ut plurimum Dominicis in ecclesia apostolica celebrari consuevit, Actor. 20, v. 7.

2. Mensa et calix Domini.

2. Mensa et calix Domini, τράπεζη καὶ ποτήριον Κυρίου. 1. Cor. 10. v. 21: *Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* Ratio appellationis est eadem cum praecedente, quia scilicet in hac sacratissima coena corpore et sanguine Christi cibamur ac potamur, ac proinde ipsius Christi in hoc coelesti convivio hospites sumus. Ex qua appellatione apparet, Christianos tempore apostolorum non altaribus proprie sic dictis, sed mensis in administratione sacrae coenae fuisse usos.

3. Communicatio corporis et sanguinis Christi.

3. Communicatio corporis et sanguinis Christi, κοινωνία τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. 1. Cor. 10, v. 16: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Ubi tamen potius definitio rei quam nominis proposita dici posset. Ex hoc fonte profluxit appellatio communicationis, quae adhuc hodie usitata est. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 228: *Divinorum sacramentorum administratio idcirco communicatio appellata est, quia nobis conjunctionem cum Deo conciliat nosque regni ipsius consortes ac participes reddit.* **Dionysius Areopagita initio lib. 3. de eccles. hierarch.: τὸ κοινὸν καὶ ταῖς ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἀνατέθειται καὶ ἐνιαίως ἀνηγόρευται κοινωνία τε καὶ σύναξις, *id quod commune est omnibus hierarchicis ceremoniis, huic distincte a reliquis assignatur et peculiariter appellatur communio et congregatio.* Rationem statim subjicit: *Vix enim potest quisquam consecrari consecratione hierarchica, nisi divina eucharistia, accedens ad summam omnium sigillatim celebratorum, ejus, qui initiatus sit, congregationem ad unitatem consecret et consecrantium signorum dono divinitus instituto perficiat ejus communionem cum Deo.* Pachymerius: ταύτην καὶ κοινωνίαν λέγει διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων, *hanc etiam communionem vocat, quia omnes digni participes fiunt sacramentorum.***

X. 4. 4. Novum testamentum.

4. Tribuitur etiam sacrae coenae appellatio novi testamenti, Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 25: *Hic calix est novum testamentum in meo sanguine.* Testamentum definit Modestinus l. 1. ff. Qui testam. facere possunt, quod sit *voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Cum quo consentit definitio Ulpiani in fragmentis tit. 20: *Testamentum est mentis nostrae justa contestatio in id solenniter facta, ut post*

Digitized by Google

mortem nostram valeat. ** Embdenses im Bericht p. 92. dubitant, *an sacra coena sit testamentum.* Beza in colloq. Mompelg. p. 38. plane negat. Sed diserte sic vocatur a Christo et adsunt omnia testamenti requisita: 1. Testator est Christus. 2. Heredes a Christo denominati sunt omnes credentes. 3. Legata sunt remissio peccatorum. 4. Sigilla panis et vinum, corpus et sanguis ipsius. 5. Testes sunt duodecim apostoli. 6. Notarius est Matthaeus. Requisita testamenti Cotmann. in comp. inst. Justin. tit. 10. haec enumerat: 1. Testator. 2. Heredes. 3. Bona. 4. Testes. 5. Sigilla. Durandus Mimatensis lib. 4. c. 42: *Christus post coenam corpus et sanguinem suum dedit apostolis, ut hoc sacramentum velut ultimum testatoris mandatum arctius memoriae commendaretur.* Thomas part. 3. q. 73. art. 5: *Institutum hoc sacramentum docet, quia ea, quae ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriae commendantur, praesertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad quae magis afficimur, profundius animo imprimuntur.* **

Appellationis hujus ratio.

Sacramentum igitur eucharisticum vocatur testamentum, quia Christus illud paulo ante mortem instituit et pretiosissima dona heredibus suis Christianis in eo legavit. Causa efficiens testamenti est *voluntas testatoris*, Wesenbeccius in paratit. ff. qui test. facere poss. num. 8. ita quoque in hoc sacratissimo mysterio testator est Christus Jesus, qui voluntatem suam paulo ante mortem verbis claris et perspicuis exposuit. *Heredis institutio* testamenti caput est, l. 1. ff. de haer. instit. ita quoque Christus discipulis suis et omnibus credentibus velut heredibus suis in hoc testamento legavit pretiosissima bona, remissionem scilicet peccatorum, gratiam Dei, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam. In testamento perfecto praeter heredis institutionem inspicitur *testium adhibitio.* Treutl. disputat. volum. 2. disp. 10. th. 4. lit. C. ita quoque Christus in hac testamenti factione adhibuit testes duodecim apostolos, quin et *sigilla* appendit, videlicet corpus et sanguinem suum cum pane et vino benedictis tanquam visibilibus signis sacramentaliter unita.

Dubia circa hanc appellationem.

1. Quomodo sacra coena dicatur et novum testamentum et N. T. sacramentum.

5. Circa hanc appellationem quaeritur: *1. Quomodo sacra coena dicatur et novum testamentum et Novi Testamenti sacramentum?* Respondemus: fit illud diverso respectu, quem D. Hunnius in tractat. de coena q. 5. his verbis exponit: Quatenus N. T. dicitur novum pactum seu foedus novum, quod antiquato veteri in regno Christi succedere debuit, hoc significatu sacra coena est N. T. pars, seu novi foederis signaculum, quo Christus universa pacti novi beneficia applicat, obsignat et confirmat, non est autem integrum illud pactum, quod plures in se partes continet. Quatenus vero testamenti nomine venit dispositio, qua moriturus aliquis sub testificatione ultimae voluntatis certa quaedam bona suis legat heredibus, recte ac vere dicitur coena Dominica testamentum Filii Dei.

2. Quomodo corpus et sanguis Christi possint statui sigilla hujus testamenti, cum Christus sit testator. X. 5.

2. Quomodo corpus et sanguis Christi possint statui sigilla hujus testamenti, cum Christus sit testator? Respondemus: id vero absurdum non est, cum Christus sit testator ratione personae, quatenus est θεάνθρωπος, siquidem institutio sacramentorum pertinet ad officium Christi, quod competit ei secundum utramque naturam; corpus autem et sanguis Christi, sigilla hujus testamenti, sunt alterius naturae, videlicet humanae, partes. Simile quid observatur in sacerdotio Christi, ipse enim est sacerdos qui offert sacrificium; ipse ara; ipse victima', quae offertur; ipse is, cui offertur; diversis scilicet ac distinctis respectibus. Christus est sacerdos, a quo sumus reconciliati; Deus, cum quo sumus reconciliati. *Ipse est, qui omnia consecrat et expiat, cum sit ipse donum, ipse pontifex, ipse altare, ipse propitiatorium, ipse qui offert, ipse qui pro mundo offertur, cum ipse sit ignis, ipse holocaustum, ipse lignum vitae, ipse agnus, ipse gladius spiritualis, ipse pastor, ipse immolatio, ipse qui immolatur et ipse qui hostiam accipit.* Cyrillus Hierosolymitanus orat. de Simeon.

c. An corpus et sanguis Christi rectius dicantur legata, quam sigilla.

3. Annon corpus et sanguis Christi rectius dicantur legata quam sigilla in hoc testamento? Respondemus: cum manducationem corporis sui mediante benedicto pane et bibitionem sanguinis sui mediante benedicto vino hoc fine in sacra coena Christus instituerit, ut pretiosissimo isthoc pignore vere credentibus obsignetur et confirmetur promissio de gratuita peccatorum remissione atque aliis beneficiis immediate eidem conjunctis, ideo corpus et sanguis Christi rectius ad sigilla quam ad legata hujus testamenti referuntur. Accedit, quod manducatio corporis Christi et bibitio sanguinis Christi sacramentalis non solum vere credentibus, sed etiam impoenitentibus et indignis, quibus tamen Christus non instituit coenam, est communis; remissio autem peccatorum solis credentibus confertur et usu sacramentali corporis et sanguinis Christi obsignatur. Ergo corpus et sanguis Christi proprie loquendo sunt sigilla, non autem legata hujus testamenti. Neque tamen repugnamus, quo minus corpus et sanguis Christi ratione substantiae, quatenus scilicet Christus mediantibus externis symbolis ea distribuere promisit, dicantur legata; sigilla vero ratione officii et finis, quatenus fide sumpta et hausta gratiam Dei, remissionem peccatorum et promissionem salutis obsignant, modo sacramentali manducationi et bibitioni corporis et sanguinis Christi omnibus ad coenam accedentibus communi id non opponatur.

d. Quomodo corpus et sanguis Christi dicantur sigilla hujus testamenti, cum non incurrant in sensus.

4. Quomodo corpus et sanguis Christi possint statui sigilla hujus testamenti, cum sint invisibilia, nec in sensus externos incurrant? Respondemus: invisibilia sunt per se et immediate, videntur autem κατ' ἄλλο et mediate, quatenus scilicet symbolis externis sacramentaliter sunt unita, ut ex verbis Christi veracis et omnipotentis fides Christiana intelligit. Quae fide ex verbo intelligimus, longe certiora sunt, quam quae oculis et sensibus externis percipimus, cum verbum Dei nunquam fallat, nostri autem sensus saepius fallantur. Chrysostomus hom. 83. in Matth. p. 703: ὁ λόγος αὐτοῦ ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν εὐεξαπά-

Digitized by Google

τητος· οὗτος οὐδέποτε διέπεσεν, αὐτὴ δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται, ἐπεὶ ἂν ὁ λόγος φησί· τοῦτο ἔστι τὸ σῶμα μου καὶ πιθώμεθα καὶ πιστεύωμεν καὶ νοητοῖς ανα-
e. Quare sacrae coenae potius quam baptismati tribuatur appellatio testamenti. βλέπωμεν ὀφθαλμοῖς etc. *5. Quare sacrae coenae potius quam baptismati tribuatur testamenti appellatio?* Respondemus: Dicimur quidem *in mortem Christi baptizari*, Rom. 6, v. 3. et cum ipso per baptismum *in mortem sepeliri*, v. 4. interim tamen non baptismo, sed sacrae coenae appellatio testamenti tribuitur, quia instante mortis agone a Christo instituta est et quidem in memoriam mortis testatoris, 1. Cor. 11, v. 26. et quia promissio novi foederis sanguinis Christi distributione et bibitione in ea confirmatur, applicatur et obsignatur, quemadmodum vetus testamentum sive foedus sanguine juvencorum, quo populus adspergebatur, confirmatum fuit. Exod. 24, v. 1: *Tulit Moyses sanguinem* (juvencorum) *et sparsit super populum et dixit: En sanguis foederis, quod pepigit Jehovah vobiscum.*

6. Tandem sacra coena juxta quorundam sen-
5. Fractio panis. tentiam 5. dicitur *fractio panis* κλάσις τοῦ ἄρτου. Actor. 2, v. 42: *Erant perseverantes in doctrina*
X. 6. *apostolorum et communicatione et fractione panis et precibus.* Actor. 20, v. 7: *Una sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem.* Appellatio est synecdochica, quia ex ritu fractionis, per quem panis eucharisticus ad distributionem praeparatur, tota sacramentalis actio intelligitur. Pontificii communionem sub una specie, Calviniani necessitatem fractionis in ipso sacrae coenae usu ex his locis deducere conantur, utrisque quid respondendum sit, suo loco apparebit. Sed quia evidenter et apodictice demonstrari nequit, oportere in illis locis per fractionem panis intelligi administrationem coenae, ideo quidam de vulgaribus epulis phrasin accipiunt, quo sensu usurpatur Luc. 24, v. 35. Actor. 27, v. 35. atque alibi passim, qua de re inferius plura.

2. Ex scriptoribus ecclesiasticis. 1. Graecis, a quibus dicitur 1. Εὐχαριστία. 7. 2. In scriptoribus ecclesiasticis Graecis hae occurrunt appellationes: 1. εὐχαριστία, *gratiarum actio.* Justinus apolog. 2. pro Christ. p. 76: ὁ προεστὼς λαβὼν (ἄρτον καὶ ποτήριον) αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου ἀναπέμπει καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται, *gratiarum actionem pro eo, quod non donis hisce suis dignatus sit, prolixe exsequitur.* Et postea: καὶ ἡ τροφὴ αὐτὴ καλεῖται παρ᾽ ἡμῖν εὐχαριστία. Irenaeus lib. 4, c. 34. p. 263: *Panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est, sed* εὐχαριστία, *ex duabus rebus constans terrena*
Appellationis hujus ratio. *et coelesti.* Dicitur autem sacra coena eucharistia, quia in ejus administratione et usu solennes Christo agendae sunt gratiae pro opere redemtionis, 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc* etc. *mortem Domini annutniabitis.* Quemadmodum ipse Christus non solum hoc sacramentum instituit εὐχαριστήσας, Matth. 26, v. 27. Marc. 14, v. 23. unde appellatio eucharistiae deducta, sed etiam post illius institutionem et administrationem hymnum cum discipulis cecinit et Patri coelesti gratias egit, Matth. 26, v. 27. Gelasius in annot. lib. 4. Iren. c. 32: *Quia in conventibus publicis Christianorum potissimum celebrabatur Dei gratia, qua Filium suum nobis donavit, nec illi pepercit, ut per ipsum nos sibi reconciliaret, eoque nomine gratiae agerentur, idque fieret solennius, cum sacramentum corporis et sanguinis administrabatur, ideo actio illa a Graecis* εὐχαριστία, hoc est *bona gratia seu gratiarum actio, aut bonae Dei gratiae celebratio vocata est.* Lombardus lib. 4. sentent. dist. 8. lit. A: *Eucharistia est bona gratia, quia in hoc sacramento non solum est augmentum virtutis et gratiae, sed ille totus sumitur, qui est fons et origo totius gratiae.* Quo pertinet, quod Clemens Alexandrinus lib. 2. paedag. c. 2. in princ. vocat χάραν gratiam. *Amborum,* inquit, *temperatura, potus scilicet et verbi, dicitur eucharistia, quae et laudatur et bona est gratia.* 2. Σύναξις, quia in publicis ecclesiae con- 2. Σύναξις.
ventibus ordinarie hoc sacramentum administratur, cum inter alios fines sit etiam nervus publicorum congressuum et unitatis Christianae vinculum, Dionysius in hierar. eccles. c. 3. Epiphanius contra haeres. p. 466. in Graec. σύναξιν et συνάξεως μυστήριον vocant. Appellatio deducta est ex 1. Cor. 11, v. 20: *Convenientibus vobis in unum* συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτό, *jam non est manducare Dominicam coenam.* 3. Ἀγάπη, *dilectio.* Christia- 3. Ἀγ...
nus populus olim ad mensam Domini accedens, praesertim locupletiores, panem et vinum aliaque ἐδέσματα ad mensam Domini secum afferebant, ex quibus pars a sacerdote consecrata, populo in eucharistia distribuebatur, reliquum vero ministris ecclesiae et pauperibus alendis ac reficiendis cedebat. Munera illa vocabantur ἀγάπαι, quia erant caritatis X. 7.
Christianae exercitium et indicium. Sed et in quibusdam locis cum administratione coenae publica convivia ab opulentioribus institui consueverunt, ut apparet ex 1. Cor. 11, v. 21. ac talia convivia itidem τῶν ἀγαπῶν titulo fuerunt insignita, ut videre est ex epist. Judae v. 12. οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, *hi sunt in agapis vestris maculae.* Irenaeus lib. 4, c. 32. Tertullianus in apol. c. 39. Cum vero haec convivandi ratio progressu temporis in luxum degeneraret, improbata est ab August. epist. 64. quin et canonibus conciliorum prohibita. concil. Laodic. c. 28. et concil. Carthag. III. can. 50. Ab hac munerum oblatione et conviviorum publicorum celebratione συνεκδοχικῶς sacra coena dicta fuit ἀγάπη, cum ipsa quoque sit symbolum mutuae inter Christianos caritatis. 2. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 4. Λειτουργία et ἱερουργία *actio sacra,* quia 4. Λ...ουρ...
ministerii ecclesiastici publici pars est non postrema. 5. Θυσία, *sacrificium* et cum adjectione θυσία ἀναί- 5. Θ...
μακτος *sacrificium incruentum.* Item προσφορά, X. 8
προσκομιδή, oblatio, tum propter munerum illam ob- προσφορά.
lationem administrationi sacrae coenae praegressam, tum propter preces, gratiarum actionem, confessio-

Digitized by Google

nem et alia spiritualia sacrificia eidem conjuncta, tum denique propter commemorationem unici illis propitiatorii beneficii in ara crucis a Christo oblati, qua de re alibi plura dicuntur, ubi fulcri illius robur, quod ex appellationibus λειτουργίας et θυσίας sacrificio missatico substernitur, consideratur.

6. *Μυστήριον* et cum adjectione *φρικτόν*, *φρικῶδες*, *φρικωδέστατον μυστήριον*, *tremendum mysterium*. Justinus apol. 2. pro Christ. Chrysostomus hom. 38. in Matth. hom. 23. in 1. Cor. hom. 5. ad Coloss. etc. ** Andr. quoque Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem refutationem dissolutionis nodi sui Gordii appellat p. 48: *Mysterii nomine coena Domini non potest appellari. Nam nihil in ea, quod omnes si semel moneantur, non intelligant, inest.* ** Beza quidem part. 2. resp. ad Hoffm. f. 184. *modum ejus facilem, planum et naturali etiam intelligentiae nostrae perspicuum esse* dictitat, qua ratione mysterii appellatio sacrae coenae non adeo conveniret, sed procedit hoc ex falsa hypothesi de analogia *σχετικῇ* et significativa tantum inter panem eucharisticum et corpus Christi. Nos contra pios veteres secuti statuimus, mysterii appellationem tum omnibus sacramentis, tum imprimis sacrae coenae rectissime tribui, cum mystica illa corporis et sanguinis Christi in coena participatio supra captum et conspectum rationis humanae posita sit. Quo pertinet, quod quidam ex veteribus hujus sacramenti doctrinam vocant *μυσταγωγίαν*, institutionem sacram etc. Genebrardus in liturg. apost. c. 3. quatuor nominibus a Dionysio Areop. hoc mysterium insignitum scribit, quae sunt *ἱερουργία*, *μύησις*, *κοινωνία*, *σύναξις*.

8. Scriptores Latini Graecas hasce appellationes passim repetunt, dum sacram coenam vocant eucharistiam, agapen, synaxin, mysterium, sacrificium etc. Vocant et *sacramentum altaris*, quia in altaribus lapideis, quae mensis in primitiva ecclesia usitatis tempore Constantini successerunt, fuit administrata, quam appellationem una cum mensis illis lapideis, pro jure Christianae libertatis, sine ulla superstitione in ecclesiis nostris retinemus. Utuntur insuper nomine missae. Ambrosius lib. 5. epist. 33. Leo epist. ad Diosc. Cassianus lib. 2. de modo psalm. c. 13. etc. de cujus vocabuli etymologia et origine diversae sunt sententiae, quas recenset D. Meisnerus amicus noster honorandus part. 2. sobr. philos. sect. 1. c. 1. q. 16. Quidam volunt esse nomen Hebraicum,
X. 9. quidam vero Latinum. Eorum qui Hebraicam hujus vocabuli originem quaerunt, 1. quidam deducunt ab עָשָׂה facere, interdum etiam sacrificare, unde מַעֲשֶׂה opus seu sacrificium; 2. quidam derivant a מִזְבֵּחַ altare; 3. quidam a מַס tributum, unde מִסַּת oblatio voluntaria, Deut. 16, v. 10. **Baron. annal. eccles. a. C. 34. num. 59: *Nomen missae ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur Deut. 16. spontanea oblatio, Hebraice ac Chaldaice dicitur missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terrae, qua et vescebantur in templo cum recordatione praeteritae servitutis et ab eadem liberationis, quae quidem omnia cum optime conveniant praedicto a Christo instituto sacrificio, eo potius majores nostri usi sunt nomine, quam cujusvis alterius sacrificii.* (Nomen ergo missae potius ad eucharisticum quam propitiatorium alludit sacrificium).** Monet tamen Sanctes Pagninus vocem missam ibi non significare *oblationem*, sed *sufficientiam*, hoc est prout ferunt cujusque facultates, id quod confirmant verba sequentia. 4. Allusiva etymologia est, quod quidam deducunt a נָשָׂא portare, ut sit missa quasi מַשָּׂא onus, nullum enim gravius unquam ecclesiae onus fuit impositum ad X. 10.
obruendam fidem et fructum mortis Christi sepeliendum, quam missarum nundinatio. Sed etiam non est probabile, nomen missae esse Hebraicum, 1. quia eo tempore, quo nomen missae in usum venit, rara fuit etiam inter doctos Hebraeae linguae cognitio, ut ex scriptis illorum temporum facile deprehenditur. 2. Quia Origenes, Hieronymus et alii Hebraeae linguae periti missae nomine in scriptis suis non utuntur. 3. Si vox illa Hebraica fuisset apostolis in usu, utique retinuissent eam et Graeci et Syri, quemadmodum retinuerunt alias v. g. alleluja, amen, Zebaoth etc. at vero apud Graecos nulla fit mentio missae, sed pro ea dicunt *λειτουργίαν*. Syri itidem non habent missam, sed pro ea dicunt קדישׁ sanctum. 4. Adde quod etymologiae illae sint durae et inconvenientes. Interim tamen haudquaquam improbamus D. Lutheri sententiam, quod angelus Dan. 11, v. 38. nomine מָעֻזִּים, quo idolum Antichristi notat, ad missam papisticam, quae est robur et anima regni Antichristiani alludat, qua de re alibi plura.

9. Qui missae nomen Latinum esse censent, iterum in diversas abeunt sententias: 1. quidam dici volunt missam, *quod oblatio et preces ad Deum mittantur et vicissim angelus a Deo mittatur, qui sacrificio assistat et illud ad Deum deferat.* Hugo lib. 2. de sacram. p. 8. c. ult. Thomas part. 3. q. 83. art. 4: *Missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem; vel nominatur missa, quia Christus est hostia nobis missa a Deo, unde et in fine missae diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens: Ite, missa est! scil. hostia ad Deum per angelum, ut sit Deo accepta.* Alcuinus lib. de div. offic. tit. de celebrat. missae: *Missa dicitur quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus fidelis de suis meritis non praesumens preces et oblationes, quas Deo omnipotenti afferre desiderat, per ministerium et orationem sacerdotis ad Deum transmittat.* Angelus de Clavisio in summa angelica de casibus conscientiae in voce missa eandem etymologiam probat. *Missa* (inquit) *secundum Hugonem de S. Victore, dicitur quasi transmissa, eo quod populus per ministerium sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum et homines, preces, vota et oblationes transmittat Deo.* Sed hae etymologiae sunt tantum allusivae et nituntur illa hypothesi, quod sacra coena sit sacrificium proprie

Digitized by Google

sic dictum. 2. Quidam missa numero multitudinis a mittendis et conferendis in medium muneribus, quae in usum eucharistiae et sustentationem pauperum ac ministrorum ecclesiae cedebant, dicta esse putant; ea enim non solum a praesentibus offerebantur, sed etiam ab illis, qui aberant, mittebantur in illa vasa, quae a diaconis portabantur. Ut igitur tota illa actio *ἀγάπη* Graecis, ita Latinis missa *συνεκδοχικῶς* dicta fuit. Sed cum missae nomen non
X. 11. in genere neutro, sed feminino a veteribus usurpetur, ideo probabilius est, quod 3. quidam statuunt, missam a dimissione esse dictam. Veteres enim *remissam* dixerunt pro remissione, ut patet ex Irenaei versione Latina lib. 4. c. 45. Cypriani serm. de
X. 12. bono patientiae et lib. 3. epist. 14. etc. ergo etiam missa pro remissione usurpata recte judicatur. D. Rhenanus in epist. ad Hottmeisterum (quam recitat Flacius in refut. invect. Bruni p. 155.) illud probat ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo et aliis veteribus ac docet, duplicem olim dimissionem in eucharistiae celebratione fuisse usitatam, primum catechumenorum ante celebrationem, deinde omnium fidelium sive totius populi post celebrationem. Adducit etiam locum Isidori lib. 6.
X. 13. etym. c. 19: *Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur clamante Levita: Si quis catechumenus remansit, foras exeat! et inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Neque vero catechumeni solum, sed etiam poenitentes, desertores ac energumeni ante administrationem coenae discedere jubebantur per diaconum alta voce clamantem: *Exeunto catechumeni, exeunto poenitentes* etc. quorum cum facta esset emissio sive dimissio, tum demum ad eucharistiae celebrationem accedebatur, qua finita iterum clamabat diaconus: *Ite, missa est!* quod Alcuinus sic explicat: *jam dimissio est congregationis, abire omnibus licet.* Huc pertinet locus Polydori Virgilii lib. 5. de rer. inventor. c. 12. ubi disputat, vocabulum missae ex ethnicorum ceremoniis ortum ducere, quia sacerdotes ethnici finitis sacris clamabant: *τοῖς λαοῖς ἄφεσις populis missio*, quod probat ex Apulejo lib. 11. de asino aureo et addit: *Idem igitur mos a nostris etiam servatur, ut peractis sacris per diaconum pronuntietur, ite, missa est, quod idem est ac i licet, hoc est ire licet.* Quod de duplici missa seu missione diximus, confirmat etiam Durandus in rat. div. offic. lib. 4. c. 1: *Missa* (inquit) *catechumenorum est ab introitu usque post offertorium, quae missa ab emittendo dicitur, quoniam quando sacerdos incipit consecrare eucharistiam, catechumeni foris de ecclesia mittuntur. Missa fidelium est ab offertorio usque ad post communionem et dicitur missa illa a dimittendo, quia ea expleta ad propria quisque fidelium dimittitur.* 4. Allusiones judicandae sunt, quod quidam missam Christianam et legitimam (id est sacrae coenae juxta Christi institutionem celebrationem, quo sensu apologia Augustanae confesssionis nomine utitur) putant dictam a remissione peccatorum, quae annuntiatur credentibus communicantibus; missam vero papisticam a divinae institutionis omissione atque a nundinatione sacrificulorum et populi multitudine, qualis esse solet in nundinis, quas Germanice vocant Messen.

10. Atque hae sunt potiores sacrae coenae appellationes, quas Graeci et Latini scriptores ecclesiastici eidem tribuunt, quo referendae etiam periphrases et encomia, quibus hoc mysterium exornant. Perip ses e enco sacra coeni
Ignatius epist. Ephes. quae est 11. vocat *φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον, medicamentum purgans vitam et omnia pellens mala.* Epist. 14. vocat *panem Dei.* Epist. 15. *panem coelestem.* Dionysius ecclesiast. hierarch. c. 3. *τελετὴν τελετῶν perfectionem perfectionum.* Can. Nicenus *ἐφόδιον.* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 14. *βλάπης παντοδαποῦς ἀμυντήριον καὶ ῥύπου παντὸς καθαρτήριον, omnis noxae amuletum maçulaeque universae purgatorium.* **Sacra enim coena est redemtionis monumentum et redemti munimentum.** Ibidem ex Justino vocat *μετάληψιν*, quia *per hoc filii deitatem assumamus.* D. Chemnicius part. 2. locorum cap. de justificat. p. 699. recitat orationem Basilii ante coenae sumptionem dicendam ex horologio ecclesiastico: *Da ut non accipiam ad judicium, sed εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου καὶ εἰς εὐπρόσδεκτον ἀπολογίαν τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματός σου*, ac Damasceni: *Dignare ut accipiam εἰς ἀῤῥαβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας.* Chrysostomus in 1. Cor.: *αὕτη ἡ τράπεζα τῆς ψυχῆς ἡμῶν τὰ νεῦρα, τῆς διανοίας ὁ συνδεσμὸς, τῆς παῤῥησίας ἡ ὑπόθεσις, ἡ ἐλπὶς, ἡ σωτηρία, τὸ φῶς, ἡ ζωή.* Nicephorus lib. 1. hist. eccles. c. 30. vocat *ἄρτον ζωτικόν*, panem vivificum, sive vitalem, ut interpres vertit. Costerus lib. 1. instit. Christ c. 6. ex Bernhardo et aliis veteribus recitat haec: *Eucharistia medicina est aegrotis, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem servat; fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior; hic dimittuntur quotidiana peccata, expelluntur potestates Satanae, dantur vires ad ipsum etiam martyrium subeundum, minuitur in minimis peccatis sensus, in gravioribus* X. 1
autem tollitur omnino consensus, denique afferuntur omnia bona, quia homo communicans in id transit, quod sumit.

CAPUT II.

DE VATICINIIS AC TYPIS SACRAE COENAE.

Vati V. T sacri coen
11. Porro cum sacra coena sit alterum N. T. sacramentum, ex eo intelligitur, quod divinitus sit in-

Digitized by Google

stituta, siquidem soli Deo institutio sacramentorum competit, ut in tract. de sacramentis §. 26. ostendimus. Cum vero Deus *non faciat verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos, prophetas*, Amos 3, v. 7. Ideo ut de sacramento baptistico, ita quoque eucharistico dictis et typis V. T. prophetavit. Dicta potiora haec sunt: **Psalm. 22, v. 27: *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum.* Hunc locum de eucharistia explicat Eusebius Caesariens. lib. 10. demonstr. evangel.
Psalm. 23, v. 1. c. 8.** Psalm. 23, v. 1: *Dominus est pastor meus, et nihil mihi deerit, in pascuis herbosis cubare me facit;* v. 2: *ad aquas refectionis ducit me;* v. 5: *parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Christus *bonus ille pastor*, Joh. 10, v. 12. non solum verbo evangelii, sed etiam cibo sacramentali nos pascit ad vitam aeternam. Ambrosius lib. 5. de sacram. c. 3. tom. 4. p. 441: *Audi dicentem sanctum David, et ille in Spiritu haec mysteria praevidebat et laetabatur et nihil sibi deesse dicebat. Quare? quia qui accepit corpus Christi, non esuriet in aeternum. Quoties audisti vigesimum secundum psalmum et non intellexisti? vide quemadmodum aptus sit coelestibus sacramentis. Dominus pascit me* etc. *Virga imperium, baculus passio est, hoc est aeterna deitas Christi, sed etiam passio corporalis; illa creavit, haec redemit.* **Locum hunc itidem de eucharistia intelligunt Cyprianus epist. 63. ad Caecilium, Ambrosius lib. de Helia et jejunio c. 1. Theodoretus in comm. illius psalmi, Paschasius in lib. de corp. et sang. Domini c. 10. Chrysostomus in eund.
Psalm. 111, v. 1. loc.** Psalm. 111, v. 1: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio justorum et congregatione.* (Quoties *manducamus hunc panem et ex hoc calice bibimus, mortem Domini annuntiare*, hoc est in publico ecclesiae conventu gratias agere, ipsi *debemus*, 1. Cor. 11, v. 26.); v. 2: *magna opera Domini, investigata in omne beneplacitum eorum;* v. 3: *laus et magnificentia opus ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi.* (Sacra coena itidem est talis institutio et ordinatio Dei, in qua bonitatem suam nobis gustandam praebet); v. 4: *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus.* (Sacra coena hoc fine a Christo instituta est, ut esset memoriale summi operis redemtionis. *Hoc facite in mei commemorationem* dicit ipse Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 24.); v. 5: *escam dedit timentibus se* (qui divinam et vivificam escam in sacra coena nobis propositam salutariter vult participare, eum oportet in vero timore Domini accedere), *memor erit in seculum testamenti sui.* (Per baptismum quidem recipimur in foedus Dei, sed cum per peccata saepius ex eo excidamus, ideo Christus instituit sacram coenam, in qua de remissione peccatorum certi reddimur et in foedus illud gratiae vera poenitentia et fide recipimur. Hujus loci est observatio illa, quod Burgensis et alii referunt, in ecclesia Israëlitica hunc et aliquot sequentes psalmos ad esum agni paschalis, qui fuit figura eucharistiae, decantari fuisse solitos, id quod vocarunt Alleluja magnum.) Prov. 9, v. 1: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem* (Christus est *Dei sapientia*, 1. Cor. 1, v. 24. *domus* Prov. 9, v. 1.
Christi est ecclesia. 1. Tim. 3, v. 15. septem co- X. 15.
lumnae sunt beneficia Christi, quibus haec domus Dei velut basi suae innititur, utpote nativitas, circumcisio, sancta vita, passio, mors, resurrectio et adscensio, Apoc. 5, v. 5.); v. 2: *mactavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam* (Christus agnus Dei in ara crucis propter nos mactatus, in sacra coena hanc mensam nobis paravit, in qua corpore et sanguine suo mediante benedicto pane nos reficit); v. 3: *misit ancillas suas, ut vocarent ad altas arces civitatis;* v. 4: *si quis est insipiens, veniat ad me;* v. 5: *et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis;* v. 6: *relinquite insipientiam et vivetis.* (Agit quidem in genere hic locus de salutaribus evangelii beneficiis, interim non injuria ad sacram coenam accommodatur, quae est epitome atque nucleus consolationis evangelicae. **Inde et Cyprianus epist. 3. et Augustinus lib. 17. de civ. Dei c. 20. ad eucharistiam accommodant**). Esa. 25, Esa 25, v. 6.
v. 6: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, convivium pinguium medullatorum, vindemiae defecatae* (loquitur propheta de spirituali illa coena, in qua evangelicae consolationis suavitate, animae contritae reficiuntur. Luc. 14, v. 17. quia vero sacra coena est sigillum promissioni evangelicae additum, ideo ad illam quoque hoc vaticinium propheticum accommodari potest). **Esa. 65, v. 14: *Ecce servientes mihi comedent, vos autem esurietis; ecce servientes mihi bibent, vos autem sitietis.* Hunc locum de eucharistiae sacramento acceperunt Cyrillus Alexandrinus in comm. Ambrosius lib. de paradiso c. 9. lib. de Helia et jejunio c. 10. Hieronymus in Esa. Hos. 14, v. 6: *Roborabuntur frumento.* Cyrillus Alexandrinus in Hoseam. Zach. 9, v. 17: *Quid bonum ejus est et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* Hieronymus et Lyranus in comment. Paschasius de corp. et sang. Dom. c. 21.**

12. Typi V. T. enumerari possunt complures, inter quos eminet figura *agni paschalis et mannae.* Gen. 2, v. 9: *Posuit Deus lignum vitae in medio paradisi;* v. 11: *et fluvius egrediebatur ex Eden ad irrigandum paradisum* (beneficio fructuum hujus arboris potuissent primi parentes in vegeto aetatis flore et concreata immortalitate conservari; quia vero per peccatum una cum omnibus posteris in mortem temporalem et aeternam inciderunt, unde via ad paradisum et arborem vitae ipsis occlusa, Gen. 3, v. 24. ideo Deus ex immensa misericordia in paradiso ecclesiae aliam vitae arborem plantavit. Christus enim est benedictum illud *lignum vitae, cujus folia faciunt ad sanitatem gentium*, Apoc. 22, v. 2. in sacra coena suo corpore et sanguine nos pascit ad vitam aeternam, Joh. 6, v. 53. 54. 55.). Typi V. T. ad sacram coenam spectantes. Arbor vitae.

Digitized by Google

Panis et vinum Melchisedeci.

Gen. 14, v. 18: *Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Et ipse erat sacerdos Dei altissimi;* v. 19: *et benedixit Abrahae.* (Veteres unanimi consensu ad sacram coenam hoc referunt. Melchisedech fuit typus Christi sacerdotis aeterni, docente epist. ad Hebr. c. 7. et seqq. ut ergo Melchisedech Abrahamum, ipsiusque exercitum pane et vino refecit eidemque benedixit; sic Christus in sacra coena spiritualem nostram esuriem et sitim communicatione corporis et sanguinis sui, mediante benedicto pane et vino nobis oblati, tollit ac verae beatitudinis participes nos efficit. Cyprianus serm. de coena non longe ab initio: *Significata olim a Melchisedech prodeunt sacramenta et filiis Abrahae facientibus opera ejus summus sacerdos panem profert et vinum. Hoc est*, inquit, *corpus meum.* Vide etiam Damascenum lib. 4. c. 14.)

Agnus paschalis.

Exod. 12. sacramentum *agni paschalis* describitur, quod fuit eucharistiae figura. (Quemadmodum Israëlitae carnes agni pa-
X. 16. schalis manducabant et sanguine ejus postes et liminaria domus illinebant, v. 4. 7. ita Christus est *pascha nostrum pro nobis immolatus*, 1. Cor. 5, v. 7. cujus verum corpus in coena manducamus et sanguinem ejus bibimus. Quemadmodum sacramentum agni paschalis fuit memoriale liberationis ex Aegypto, v. 27. sic in usu sacrae coenae mortem Domini annuntiare, id est pro opere redemtionis ipsi grati esse debemus. 1. Cor. 11, v. 26. Quemadmodum solis circumcisis ad esum agni paschalis patebat aditus, v. 48. ita solis baptizatis eucharistia danda. Quemadmodum Israëlitae comedebant agnum paschalem cum azymis et herbis amaris, v. 8. ita quoque in vera poenitentia, quae est *sal* veteris nostri Adami, Marc. 9, v. 49. *et in azymis sinceritatis ac veritatis* veteri fermento expurgato, ad sacrae coenae convivium accedendum, 1. Cor. 5, v. 7. et 8. Cyprianus serm. de coen. Domini statim in princ.: *Non oportet esse fermentarios N. T. ministros, puras sincerasque mentes, sanctum quaeris convivium, in veru crucis boni odoris assatio, omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem et induret solidetque mentis affectus, nec in ecclesiae sanctae sacrificio ulla sit macula, sed pura simplicitas et innocentia vitae, in una ecclesiae catholicae domo a fidelibus de Aegypto egredientibus, transito mari rubro lotis Christi sanguine affectibus offeratur.*)

Manna et aqua deserti.

Exod. 16, v. 15. *manna* coelitus depluit ad cibum et aqua mirabiliter profluit ad potum Israëlitarum in deserto. (Id Christus Joh. 6, v. 49. et seqq. ac Paulus 1. Cor. 10, v. 3. 4. ad sacramentum eucharisticum haud obscure accommodant. **Andr. Radeccius Photinianus in notis ad librum Smiglecii, quem refutationem vanae dissolutionis nodi sui Gordii appellat, p. 17: *Ineptissime manna cum coena Domini confertur. Manna enim beneficium Dei erat terrenum. At coenam Domini beneficium esse magnus error est. Est enim beneficii commemoratio. Mannae autem respondet hodie non coena Domini, sed vel ipsa mors Christi vel Spiritus illius, haec enim ita pascunt animas nostras, ut olim corpora Israëlitarum pascebat manna.* Sed fuit omnino manna s. euchar. typus.** Quemadmodum enim Israëlitae pane coelitus depluto et aqua ex petra mirabiliter producta in deserto sustentabantur, ne fame et siti perirent; sic in sacra coena *pane illo, qui de coelo descendit*, hoc est Christi corpore, cibamur et sanguine, qui ex latere ipsius profluxit, potamur, ne in deserto hujus mundi aeterna fame pereamus. Cyrillus lib. 4. in Joh. c. 16: *Mannae alimentum non aeternam vitam, sed breve famis remedium afferebat, non erat ergo cibus vivus, hoc est panis de coelo; sanctum vero corpus Christi ad immortalitatem et vitam aeternam nutriens cibus est.* Quemadmodum mannae datio et aquae ex petra eruptio erat testimonium divinae gratiae: ita quoque Christus in institutione sacrae coenae; gratiam suam testatam nobis reddere voluit. Quemadmodum manna saporis erat suavissimi, Exod. 16, v. 31. sic spiritualis manducatio et bibitio corporis et sanguinis Christi est suavissimus animae nostrae cibus. Quemadmodum omnes Israëlitae *eundem cibum spiritualem manducabant et omnes eundem potum spiritualem bibebant*, 1. Cor. 10, v. 3. sic omnes Christiani ad hoc coeleste epulum accedentes sacramentalem manducationem corporis et bibitionem sanguinis Christi habent communem. Quemadmodum manna vermibus scatebat et computrescebat illis, qui contra mandatum Dei illud in crastinum diem reservabant, Exod. 16, v. 20. sic corpus Christi in se ac per se est quidem immortale, incorruptibile, imo vivificus cibus, interim tamen qui indigne illud manducant, *judicium sibi ipsis manducant*, 1. Cor. 11. v. 29. Quemadmodum Israëlitae in terram promissionis producti non amplius colligebant manna, Jos. 5. quin et die sabbati non colligebant manna in deserto, Exod. 16, v. 23. ita quoque quando in promissam coelestis regni hereditatem introducti erimus ac *sabbatum ex sabbato celebrabimus*, Esa. 66, v. 23. non amplius per verbum et sacramenta nobiscum aget, *sed videbimus eum a facie ad faciem*, 1. Cor. 13, v. 12. Lombardus lib. 4. sent. dist. 8. lit. A: *Eucharistiae figura praecessit, quando manna pluit Deus patribus in deserto, qui quotidiano coeli pascebantur alimento, unde* X. 17.
panem angelorum manducavit homo, sed tunc qui panem illum manducaverunt, mortui sunt; iste vero panis vivus, qui de coelo descendit, vitam mundo tribuit. Manna illud de coelo, hoc super coelum. Illud scatebat vermibus in diem alterum reservatum, hoc ab omni corruptione alienum. Quicunque religiose gustaverit, corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis post transitum maris rubri, ubi submersis Aegyptiis liberati sunt Hebraei; ita hoc coeleste manna non nisi renatis praestari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit; haec esca coelestis fideles hujus seculi per desertum transeuntes in coelum subvehit.)

Sanguis foederis.

Exod. 24, v. 6: *Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis victimarum et misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare;* v. 7: *assumensque volumen foederis legit audiente*

Digitized by Google

populo, qui dixerunt: omnia quae locutus est Dominus, faciemus et erimus obedientes; v. 8: *ille vero sumtum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Jehovah vobiscum super cunctis sermonibus his.* (Quemadmodum Israëlitae per adspersionem sanguinis sacrificiorum in foedus Dei recipiebantur; ita quoque Christus communicatione sanguinis sui novum foedus in usu sacrae coenae nobis confirmat atque obsignat. Vide Rupert. lib. 3. de trinit. et ejus operibus c. 43.) Exod. 25, v. 30. proponitur statutum de *panibus facierum* sive *propositionis*, qui in mensa tabernaculi quotidie coram Domino proponebantur. (Hi panes sunt figura eucharistiae, in qua panis vitae Christus non videndus, sed comedendus nobis proponitur, ut *gustemus*, *quam suavis sit Dominus*, Psalm. 34, v. 9. Unde Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 123. Christi corpus in altari vocat *τὸν ἄρτον τῆς προθέσεως*. In V. T. solis sacerdotibus licitum erat panes illos manducare, Matth. 12, v. 4. Marc. 2, v. 26. sed in N. T. Christus nos *fecit reges et sacerdotes coram Deo*, Apoc. 1, v. 6. ut omnibus ad hoc epulum coeleste pateat aditus. Quemadmodum Abimelech sacerdos servis Davidis tum demum panes illos sacros dabat, cum intelligeret, ipsos esse sanctos, 1. Sam. 21, v. 5. ita quoque profani et impii non sunt ad sacram coenam admittendi, sed sancta sanctis reservanda. Vide Damascenum lib. 4. c. 14. Rupertum lib. 4. de Trin. et ejus operibus c. 6. etc.) Levit. 8, v. 31. tale praeceptum filiis Aaron dabatur per Moysen: *Coquite carnes ante fores tabernaculi et ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in procanistro.* (Id Hesychius lib. 20. in Levit. c. 8. ad sacram coenam accommodat, in qua mediante pane benedicto carnem Christi manducamus.) 2. Sam. 6, v. 19. de Davide commemoratur, quod completis sacrificiis *partitus sit universae multitudini Israël, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam et assaturam carnis unam et unam lagenam vini.* (Christus coelestis David rex et propheta noster completo in ara crucis sacrificio ecclesiae suae non solum panem et vinum, sed et mediantibus illis corpus et sanguinem suum distribuit.) 2. Sam. 9, v. 13. magni beneficii loco commemoratur, quod Mephiboseth Saulis filius de mensa regis Davidis quotidie vescebatur. (At longe majoris beneficii loco habendum, quod coelestis David Christus Jesus suae mensae nos adhibens corpore et sanguine suo nos pascit.) 1. Reg. 19, v. 6. Angelus Domini prophetae Eliae in desertum affert *panem subcinericium et vas aquae.* v. 8. *in cujus cibi fortitudine ambulat usque ad montem Dei Horeb.* (Christus angelus novi foederis in sacra coena corpore et sanguine suo nos pascit, ut in hujus cibi fortitudine per desertum mundi ad coelestem Hierosolymam, cujus typus fuit mons iste, pervenire possimus.) 2. Reg. 2, v. 13. Elias curru igneo in coelum subvectus Elisaeo discipulo suo pallium relinquit. (Humana Christi natura vocatur ipsius *pallium*, Gen. 49, v. 11. siquidem *beatus auctor seculi servile corpus induit;* inde Chrysostomus hom. 2. ad pop. Antioch.: *Quemadmodum Elias, cum corpore adscenderet in coelum, melotem dimisit Elisaeo discipulo; ita Christus, cum adscenderet, carnem suam nobis dimisit.*) Esth. 1, v. 3. commemoratur de rege Ahasvero, quod *grande convivium instituerit, primum quidem principibus, praefectis et servis suis, postea vero toti populo.* (Sic Christus rex gloriae instituit sacrum hoc convivium ac coeleste epulum, ad quod primum quidem discipulos suos, postea vero omnes Christianos vocavit.) Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 14. refert huc figuram *carbonis igniti*, Esa. 6, v. 6. Quemadmodum carbo non est simplex, sed igni unitus, sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus corpori, in quo divinitas. Quemadmodum etiam carbone isto labia vatis purgata sunt, ita corpore Christi etiam animae nostrae purgantur et mundantur.

Convivium Ahasveri.

Carbo ignitus Esa. 6.

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI SIVE AUCTORE HUJUS SACRAMENTI.

Auctor sacrae coenae Christus Jesus.

13. Ceterum quod vaticiniis et typis in V. T. fuit praenuntiatum, id in N. T. fuit impletum, cum Dominus noster Jesus Christus anno mundi 4004. anno post institutionem agni paschalis 1550. anno aetatis 34. currente, die 3. Aprilis circa horam 7. vespertinam, velut Paulus loquitur, *nocte ea, qua traditus est*, Hierosolymis in privatis civis cujusdam aedibus, post agni paschalis esum, sacram coenam ejusdem *ἀντίτυπον* instituit ac primus discipulis suis administravit, ut ex verbis institutionis, a tribus evangelistis et apostolo Paulo uniformiter descriptis, manifeste apparet. Matth. 26, v. 26: *Coenantibus autem illis accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis ac dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum;* v. 27: *et accipiens calicem gratias egit ac dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes;* v. 28: *hoc est enim sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Marc. 14, v. 22: *Et manducantibus illis accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit eis ac ait: Accipite, comedite; hoc est corpus meum;* v. 23: *et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex eo omnes;* v. 24: *et ait illis: hoc est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur.* Luc. 22, v. 19: *Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit illis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem;* v. 20: *similiter et calicem, postquam coenavit dicens: Hic est calix N. T. in meo sanguine, qui pro vobis funditur.* 1. Cor. 11, v. 23: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in ea nocte, qua tradebatur, accepit panem,* v. 24: *et gratias agens fregit et dixit: Accipite,*

Digitized by Google

comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur; hoc facite in meam commemorationem; v. 25: *similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix est N. T. in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.*

Qui est 1. θεάνθρωπος. 2. N. T. mediator. 3. Ejusdem cum Patre et Spiritu sancto essentiae. X. 19. 4. Fidelis testis. 5. Sapiens et omniscius.

14. Constat autem omnibus vere piis, quod hic sacrae coenae auctor sit: 1. θεάνθρωπος, verus Deus ac verus homo, in unitate personae. Col. 2, v. 9: *In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* 2. Mediator N. T. summus sacerdos, rex salvator et redemtor noster. Hebr. 8, v. 1: *Talem habemus pontificem, qui consedit in dextra throni magnitudinis in coelis.* 3. Ejusdem cum Patre et Spiritu sancto ut essentiae, ita et potentiae. 1. Cor. 1, v. 24: *Christus est Dei virtus;* cui secundum humanam naturam *data est omnis potestas in coelo et in terra,* Matth. 28, v. 18. 4. *Fidelis testis,* Apoc. 1, v. 5. imo ipsa *veritas,* Joh. 14, v. 6. 5. Sapiens et omniscius, imo ipsa *sapientia* 1. Cor. 1, v. 30. Cum ergo Christus, qui sacram hanc coenam instituit, sit verus Deus, aequum est, ut divinam hujus sacramenti institutionem miremur, non rimemur; veneremur, non scrutemur. Cum sit noster mediator, salvator, redemtor, rex et sacerdos, aequum est, ut testamentariam ipsius dispositionem summo loco habeamus, nihil quidquam ei vel addentes vel detrahentes Gal. 3, v. 15. Cum sit ejusdem cum Patre et Spiritu sancto potentiae et essentiae, aequum est, ut certo statuamus, quidquid ordinavit, instituit et promisit, id praestare ipsum posse, siquidem *cumulate potest facere ultra omnia, quae petimus aut cogitamus,* Eph. 3, v. 20. neque quidquam est ei *difficile,* Gen. 18, v. 14. Zach. 8, v. 6. nedum *impossibile,* Luc. 1, v. 37. Cum sit fidelis et verax testis, aequum est, ut verbis ejus fidem habeamus, *captivantes intellectum nostrum in obsequium illius,* 2. Cor. 10, v. 5. Cum sit omniscius et omnisapiens, aequum est, ut statuamus, ipsum scire rationem ac modum, quo possit suas promissiones implere, nec convenit, ut *sapientia a filiis suis justificetur,* Matth. 11, v. 19. Cumprimis vero obversentur oculis et animis nostris illa duo pronuntiata, quorum alterum est ipsius Christi, alterum vero apostoli Pauli, quotiescunque de hoc mysterio cogitamus aut loquimur. Joh. 12, v. 48: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit vos in novissimo die.* 1. Tim. 6, v. 3: *Si quis aliter docet ἑιεροδιδασκαλεῖ, et non quiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi et ei, quae secundum pietatem est, doctrinae;* v. 4: *inflatus est, nihil sciens.*

Idem adhuc hodie in administratione coenae praesens est.

15. Neque solum primae institutionis tempore sacram coenam discipulis suis Christus administravit, sed adhuc hodie secundum utramque naturam praesens est, quoties juxta ipsius institutionem et ordinationem sacra coena in ecclesia administratur, atque ipsemet corpus et sanguinem suum communicantibus distribuit. Chrysostomus homil. 7. de pass: *Ipse Christus praesto est, et qui illam ornavit mensam, hanc quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita panem et vinum, corpus et sanguinem Christi facit, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur et Dei virtute ea, quae proponuntur, consecrantur, interveniente verbo, quo dicit: Hoc est corpus meum.* Quemadmodum enim in nullius hominis potestate fuit, sacramentalem corporis et sanguinis Christi manducationem in coena instituere; ita quoque in nullius hominis potestate est, corpus et sanguinem Christi in coena distribuere, sed Christus est, qui manducationem corporis et bibitionem sanguinis sui non solum primitus instituit, sed etiam corpus suum manducandum ac sanguinem bibendum convivis hujus coelestis convivii exhibuit atque adhuc hodie exhibet. Chrysostomus homil. de prod. Judae: *Sicut illa vox: crescite et multiplicamini* etc. *semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita et vox illa: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque in hodiernum diem sacramento praestat firmitatem.* Nequaquam igitur statuendum, quod minister virtute propria hic agat atque externa symbola in corpus et sanguinem Christi transmutet, vel quod verbis illis: *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus,* magica quaedam vis insit, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertantur; sed insolidum hoc institutioni, voluntati et potentiae Christi tribuendum, quod in sacra coena mediante benedicto pane corpus Christi et mediante benedicto vino sanguinem ipsius accipimus. Is enim est, qui per ministrum in hoc mysterio agit et quod ipsemet olim instituit, ordinavit ac promisit, re ipsa adhuc hodie praestat; interim tamen necessarium est in administratione sacrae coenae verba primaevae institutionis repeti et externa elementa ad usum sacramentalem iisdem destinari et sanctificari ob causas in quaestione de consecratione exponendas.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SEU DISPENSATORE HUJUS SACRAMENTI.

16. Quamvis vero ipsi Christo tribuenda sit corporis et sanguinis sui in sacra coena distributio, eam tamen non amplius immediate, ut in primae coenae administratione, sed mediate per ministros ecclesiae exsequitur, per quorum ministerium vi promissionis suae est efficax, et quando illi panem benedictum et vinum benedictum distribuunt, tunc ipsemet simul in, cum et sub benedicto pane et vino corpus et sanguinem suum communicantibus distribuit. Vicissim quia Christi et ministri actio separari nec potest nec debet, ac quia cum benedicto pane corpus Christi, cum benedicto vino sanguis Christi in vero et legitimo usu sacramentaliter unita sunt; ideo immote statuendum, quod minister ecclesiae non solum

Digitized by Google

panem et vinum, sed etiam corpus et sanguinem Christi in coena distribuat, id quod Calvini sectatoribus opponendum, qui corporis et sanguinis Dominici distributionem ita tribuunt Christo, ut ministri actionem ab ea penitus separent. Joh. Jacob. Grynaeus in soliloq. de coena: *Panis et vinum nobis foris porriguntur, veruntamen intus quoque tuo, o Domine Jesu, pro nobis tradito corpore tuoque sanguine atque toto merito tuo ac beneficiis alimur et sustinemur. Sacramenta foris percipimus, ut intus Spiritus sancti gratia repleamur.* Haec quidem de spirituali participatione corporis et sanguinis Christi recte dicuntur, interim tamen sacramentali manducationi et bibitioni non sunt opponenda, qua de re inferius plura. ** Polanus partit. theol. p. 283: *Panis confertur a ministro, corpus Christi ab ipso Christo.* Atque si Christus per ecclesiae ministros exhibet communicantibus rem terrenam, non potest non per eosdem mediante terrena exhibere rem coelestem. Sed verum prius est secundum Calvinum. Ergo et posterius. Connexio probatur ex verbis institutionis, in quibus Christus dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, non vero accipite solum panem, ego dabo vobis ore fidei corpus manducandum. Sic ergo inferimus. Quidquid a communicantibus accipitur, manducatur et bibitur, id prius a ministro ecclesiae porrigitur. Atqui non solum panis, sed etiam corpus Christi a communicantibus accipitur etc. Ergo. Argumentamur porro: Quae opinio distrahit ea, quae Deus vult arctissime conjuncta, illa improbanda. Calviniana opinio id facit, distrahit enim non solum causam efficientem principalem et instrumentalem, sed etiam panem et corpus, vinum et sanguinem Christi. Ergo. Quod Christus in coena jubet manducare et bibere, id e manu ministri accipitur. Atqui Christus suum corpus jubet manducare et sanguinem suum bibere. Ergo. Si ministri in coenae administratione tantum panem et vinum exhiberent, non possent dici oeconomi mysteriorum divinorum 1. Cor. 4, v. 1. Quo vero modo panis eucharisticus et corpus Christi, vinum eucharisticum et sanguis Christi veraci et omnipotente verbo Christi sunt unita; eo etiam modo simul distribuuntur et accipiuntur. Jam vero panis eucharisticus et corpus Christi etc. sic sunt unita, ut panis non sit solus, nec corpus Christi solum, sed sacramentaliter invicem unita. Ergo etiam eo modo distribuuntur. Quidquid pertinet ad essentiam coenae, illud in administratione coenae a ministris distribuitur. Atqui corpus et sanguis Christi, utpote res coelestis pertinent ad essentiam coenae. Ergo. Qui Christi loco coenam administrant, illi distribuunt id quod Christus in administratione primae coenae distribuit. Sed Christus non distribuit nudum panem nec nudum vinum. Ergo.**

17. ** Negant hoc, qui in Socini castris militant. Joh. Volkelius in dissolut. nodi Gordii a Martin. nexi Smigl. pag. 10: *Ne hoc quidem ex divinis literis discere possumus, omnino necesse esse, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens reliquis coenam Domini dispenset.* Andr. Radeccius Photinianus in notis ad libellum Smiglecii, quem vocat refutationem vanae dissolutionis nodi sui Gordii edit. Rac. 1614. p. 19: *Paulus eis, apud quos nullus vel apostolus vel apostoli vicarius, nullus denique doctor ordinarius erat, praecipit, ut coenam Domini celebrent, unde apparet, posse solos fideles absque ullo ministro verbi divini, si ita accidat eos sine illo esse, coenam Domini celebrare et nullum ejus administratorem peculiarem requiri.* Ipse Socinus epist. 2. ad Matth. Radeccium p. 126: *Nihil est, cur suspicari possimus, coenam Dominicam a quolibet Christi nomen profitentium coetu celebrari non posse. Neque enim parabilissima haec et simplicissima ceremonia apostolis, ut apostolis, a Christo praescripta fuit, sed simpliciter ut ipsius discipulis seu mavis Christianis, id quod et Pauli verba 1. Cor. 11. manifestum faciunt et satis ostendunt ipsa Christi verba a Paulo uberius exposita, quibus ipsius ceremoniae finis continetur, qui est commemoratio Dominicae mortis et annuntiatio: donec Christus veniat etc. Jam et Christi mortem commemorare atque annuntiare et pro ea gratias publice agere ad omnes Christianos peraeque pertinere, nemo est quin fateri cogatur. Nec vero est in hoc ritu alicujus divinae rei ulla datio seu ministratio et propterea nullus certus homo requiritur, qui quasi Christi vicem gerens panem et vinum ceteris distribuat aut porrigat.*** Quod administratio sacrae coenae ministris ecclesiae proprie competat, patet ex X. 21.
sequentibus fundamentis: 1. quia conjuncta sunt praedicatio evangelii et administratio sacramentorum, quae sunt externa sigilla et testimonia promissionis evangelicae; 2. quia ministri ecclesiae sunt οἰκονόμοι μυστηρίων τοῦ θεοῦ 1. Cor. 4, v. 1. Tit. 1, v. 7. inter quae mysteria eminet sacramentum coenae Dominicae; 3. quia baptismi administratio ordinarie competit ecclesiae ministris, quibus dictum: *Docete omnes gentes et baptizate*, Matth. 28, v. 19. Ergo etiam eucharistiae dispensatio. Vide tract. de sacram. in genere §. 28. et 29. et tract. de bapt. §. 39. ubi ostendimus, ne quidem in casu necessitatis privato sacrae coenae administrationem committendam, cum hac in parte discrimen sit inter baptismum, qui est sacramentum initiationis, et sacram coenam, quae est sacramentum confirmationis. De baptismi necessitate Christus testatur Johann. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non introibit regnum Dei.* Ubicunque igitur aqua haberi potest, baptismus etiam a privato administrari potest ac debet; sed sacrae coenae usus non est in pari necessitatis gradu constitutus, ideoque quando non est copia ordinarii ecclesiae ministri, tunc locum habet illud Augustini: *Crede et manducasti.* Joh. Corvinus prof. quondam Erfordianus in methodo doctr. de coen. ed. Erf. anno 1578. p. 9. affirmat, licere laico in casu necessitatis coenam Domini administrare: 1. cum Christus X. 22.
non solis discipulis potestatem remittendi et retinendi peccata dederit, sed omnibus piis, et commune mandatum sit, ut fratribus petentibus annuntiemus evangelium; 2. cum laicis in casu necessitatis ba- X. 23.

ptizare liceat. Sed ostendimus suo loco, discrimen esse hac in parte inter sacramentum initiationis et confirmationis.

X. 24. An minister ecclesiae sibi eucharistiam dispensare possit.

18. Quaeritur hoc loco: An minister ecclesiae sibi ipsi eucharistiam dispensare possit? Negat D. Pelargus in schola fidei art. 10. A. C. hisce usus fundamentis: 1. cum requiratur ad sacram coenam utraque persona, exhibens et sumens, rectius quibus et institutioni Christi convenientius fecisse videbitur, si ab altero potius quam a se ipso sacramentum accipiat. 2. Si est analogia sacramentorum baptismi et coenae, ac Christus non baptizavit se ipsum, sed usus est ministerio Baptistae, a quo et discipuli Christi putantur baptizati, quid prohibet in sacra coena etiam ab aliis petere, ut nobis offerant ac praebeant salutarem cibum et potum? 3. Cum nemo se ipsum absolvere possit, nec enim dictum, ubi tibi remiseris peccata, sed quibuscunque remiseritis, Matth. 16, v. 19. Joh. 20, v. 23. cur non etiam absolutio a ministro fideli petenda, obtinente totius ecclesiae consuetudine, ita et sacra coena? 4. Ob consensum in religione veraque fide declarandum necessaria videtur alterius parochi aut ministri praesentia, ut sumens certae ecclesiae membrum hoc τῆς ἀγάπης καὶ φιλαδελφίας mutuae symbolo a balio sibi communicato se esse profiteatur et fidei suae verae testem in ecclesiae symmistam quempiam adhibeat vicinum. 5. Ob reverentiam ministerio debitam, ut, cum Christus sacrum hunc ordinem ipse instituerit, sumens quispiam a sacerdotibus, lubens etiam se colere et venerari ministros alios contestetur. 6. Ob pleniorem fidei confirmationem. Fieri namque potest, ut fluctues et dubites et alterius voce erigendus et confirmandus sis interdum de vita et moribus, tum maxime ubi emendatio et vitae novitas promittenda, commonefaciendus, ideoque et Paulus adire Ananiam, Act. 9, v. 6. et Cornelius ad Petrum mittere jubetur, Actor. 10, v. 5. 7. Nec in veteri apostolica ecclesia legimus usitatum fuisse, ut in sacra liturgia sibi ipsi quis offerret panem et vinum. Ac propterea D. Lutherus in art. Schmalc. part. 2. art. 2. et in coll. f. 165. statuit, quod se ipsum communicare sit persuasio humana destituta verbo Dei, incerta et non necessaria. Recte autem ibidem addit Pelargus, excipiendum esse casum necessitatis. Quodsi ergo pastor aliquis paganus propter loci intercapedinem vicinum suum accersere vel adire nequeat, se ipsum probans prius et examinans atque a Deo veniam peccatorum precatus, sumat corpus et sanguinem Filii Dei, non tanquam ex sua, sed Christi exhibentis manu. Lutheri locum quod attinet, is proprie oppositus est missis privatis Pontificiis, in quibus solus sacerdos sacrificans communicat, et ex illa communione fructum aliquem ad populums pectantem redire statuitur. ** Frantzius disp. in August. conf. de missa th. 89: *Nihil obstat, quominus ecclesiae minister sibi ipsi dare possit sacramentum coenae, primo enim fungitur vice Christi, quando recitat verba coenae et consecrat externa symbola in usum sacrae coenae; mox post consecrationem symbolorum se gerit vice auditoris.* **

X. 25.

CAPUT V.

DE EXTERNIS SYMBOLIS SIVE RE TERRENA IN HOC SACRAMENTO.

Externa hujus sacramenti symbola sunt panis et vinum.

19. Ut autem in reliquis sacramentis omnibus, ita quoque in hoc sanctissimo mysterio per externa symbola sive res terrenas res coelestes Christus nobis communicare voluit. Externa illa symbola sunt panis et vinum, ut apparet 1. ex descriptione evangelistarum, qui unanimi consensu testantur, Christum accepisse panem, eundem fregisse ac discipulis dedisse, Matth. 26, v. 26. Marc. 14, v. 22. Luc. 22, v. 19. In descriptione partis posterioris mentionem faciunt calicis, τοῦ ποτηρίου, Matth. 26, v. 27. Marc. 14, v. 23. Luc. 22, v. 20. fuisse autem in calice vinum, testes sunt, quando referunt Christi verba ad discipulos post sacrae coenae administrationem, vel ut ex Luca quidam colligunt, immediate ante institutionem coenae prolata: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, usque in diem, quo illud bibam novum in regno Patris mei.* 2. Ex repetitione apostoli Pauli, qui in tertio coelo edoctus, 2. Cor. 12, v. 2. iisdem omnino verbis Christi institutionem recensens panem et vinum a Christo adhibita esse testatur, 1. Cor. 11, v. 23. 24. 25. 3. Ex collatione aliorum Scripturae locorum, in quibus de sacra coena agitur, nec tamen alterius cujusdam elementi externi quam panis et vini mentio fit, 1. Cor. 10, v. 16. 17. 1. Cor. 11, v. 26. 27. 28. etc.

Qu. 1: Quare Christus hisce et non aliis elementis uti voluerit

20. Quaeritur hoc loco: 1. Quare Christus hisce et non aliis elementis externis uti voluerit? Respondemus: simplicitas Christiana verissime et rectissime respondet, quia Deo sic placuit. *Sensum Domini quis cognovit? viae ejus sunt impervestigabiles et opera ejus mirabilia nimis*, Psalm. 139, v. 17. Esa. 40, v. 13. Rom. 11, v. 33. 34. Interim non absurde dicitur, panem et vinum adhibita fuisse: 1. propter typos V. T. superius enumeratos; 2. propter arctissimam communionem Christi, cujus sigillum et testimonium in sacra coena institutum. Christo nihil magis unitum neque propinquius quidquam est quam ipsius caro et sanguis, quippe quae ipsi personaliter sunt unita. Vicissim nobis nihil propinquius, neque quidquam magis unitum quam cibus et potus, quippe quem intro assumimus quique substantiae corporis nostri agglutinatur. Jam vero inter cibos eminet panis, *qui confortat cor hominis*, et inter potum eminet vinum, quod *laetificat cor hominis*, Psalm. 104, v. 15. Quare cum Christus arctissimam sui communionem in hoc mysterio instituere et obsignare voluerit, ideo placuit ei hic modus, ut mediante bene-

Digitized by Google

dicto pane et vino corpus et sanguinem suum nobis daret, quae est ratio Tauleri serm. de coena. Consideranda est hoc loco emphasis dictorum Joh. 6, v. 51: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Joh. 15, v. 5: *Ego vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in ipso, fructus multos feret.* Gal. 2, v. 20: *Christus in me vivit.* Ephes. 3, v. 17: *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.* 3. Propter convenientiam horum externorum elemen-
I. 26. torum cum rebus coelestibus, quae mediantibus illis in sacra coena distribuuntur. Quamvis enim non propter significationem, sed communicationem corporis et sanguinis Christi panis et vinum in sacra coena usurpentur teste apostolo 1. Cor. 10, v. 16. non tamen contemnendae sunt concinnae analogiae, modo totum sacramentale officium istorum symbolorum non judicetur in significando consistere. Ut panis paratur ex granis triticeis, ita Christi corpus est granum illud frumenti, quod mortuum copiosum attulit fructum, Joh. 12, v. 24. Ut panis in clibano fervore ignis coquitur et ad cibum paratur, ita Christus in ara crucis fervore caritatis veluti assatus est, Exod. 12, v. 9. Ut panis nutrit et confortat cor hominis, sic Christi corpus pascit nos ad vitam aeternam, Joh. 6, v. 50. 51. Cyprianus serm. de coena p. 451: *Sicut panis communis, quem quotidie edimus, est cibus corporis; ita panis iste supersubstantialis est vita animae et sanitas mentis.* Ut panis nullam quotidiano usu affert nauseam aut satietatem, sic corpus Christi famelicis cordibus sine omni nausea cibus est suavissimus. Ut vinum est succus nobilissimus ex rore coeli et pinguedine terrae natus, Gen. 27, v. 28. sic Christus est vitis vera, Joh. 15, v. 1. ex cujus latere promanavit sanguis, quem ex poculo eucharistico bibimus. Ut vinum sitim tollit et cor hominis laetificat, Psalm. 104, v. 15. sic Christi sanguis aeternam sitim tollit et animas reficit, Joh. 6, v. 55. Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. f. 29: *Ut vita aeterna spiritualiter et invisibiliter mundo in praesenti collocata corporaliter et visibiliter in futuro conferenda signaretur, data est caro Christi sub specie panis ad comedendum, datus est sanguis Christi sub vini forma hominibus ad bibendum, ut sicut pane et vino ad vitam mortalem principaliter homines utuntur, sic ad vitam immortalem, quod est ipse Christus, corpore Christi et sanguine hic spiritualiter, postmodum vero tam spiritualiter quam corporaliter in aeternum pascantur.* 4. Propter commonefactionem, quam praebent haec symbola externa ad mysticum convivium accedentibus. Quemadmodum ex granis multis unus panis, et ex multis uvis unus potus paratur; sic in sacra coena in unum corpus cibamur ac potamur, ut velut membra unius corporis dilectioni et concordiae studeamus, 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1. Cor. 12, v. 13: *Omnes in unum Spiritum potati sumus.* Quemadmodum panis et vinum illis, qui jam satiati sunt, parum prosunt; sic coelestis cibus et potus illis, qui sine spirituali fame et siti accedunt, parum proficit. Apoc. 21, v. 6: *Sitienti dabo aquam vitae gratis.* c. 22, v. 17: *Qui sitit, veniat.* 5. Propter umbrarum, figurarum et signorum exclusionem. Si enim Christo animus fuisset corpus et sanguinem suum non exhibere, sed saltem adumbrare, non ipsum corpus et sanguinem suum, sed ejus solummodo figuram et signum instituere; utique agnum paschalem non abrogasset, nec ejus loco panem et vinum in hoc N. T. sacramento adhibuisset, siquidem agni paschalis mactatio, ac sanguinis ejus effusio, ut et carnis ejus manducatio et sanguinis in postibus et super liminari domus adspersio multis modis clariorem et evidentiorem cum passione Christi et ejus spirituali fruitione analogiam significativam habent quam panis et vinum.

Qu. 2: An elementa illa externa mutare liceat.

21. Quaeritur 2: An elementa illa externa sive res terrenas mutare atque aliud quippiam analogum in eorum locum substituere liceat? Negamus: 1. quia descriptio et repetitio institutionis tantummodo panem et vinum, nequaquam vero aliud quoddam elementum exprimunt, ideo ab hoc divinae institutionis tramite discedere Christi fidelibus non est integrum. Joh. 8, v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* 2. Quia Christus in prima institutione nullis aliis symbolis externis quam pane et vino usus est, ab hoc Christi exemplo neutiquam temere abeundum. 3. In sacramento baptismi loco aquae non permittitur alterius cujusdam liquoris usus. Ergo nec in hoc sacramento symbola externa analogo quodam permutanda sunt. 4. In omnibus Scripturae dictis, quae de sacra coena agunt, panis et vini, non alterius cujusdam elementi fit mentio.
5. Promissio Christi de sacramentali manducatione X. 27.
corporis et bibitione sanguinis sui ad panis et vini eucharistici usum restricta est. Quisquis igitur aliis symbolis externis in sacrae coenae administratione utitur, non agit ex fide, cujus perpetuum correlatum est verbum promissionis. 6. Panis et vinum sunt materia seu res terrena hujus sacramenti. Ergo ad essentialia ejus pertinent. Jam vero in essentialibus sacramenti nulla mutatio humano arbitrio permittitur.

Antithesis errantium classes complectens.

22. Detestandi igitur sunt: 1. Gnostici, de quibus Epiphanius haer. 26. p. 43. horrenda commemorat, quod scilicet *semine humano et sanguine menstruo in suis sacris usi fuerint* dicentes de illo: τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, de hoc: τοῦτό ἐστι τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. 2. Cataphryges, de quibus Augustinus de haeres. ad Quodvultdeum haeres. 26: *Cataphryges, quorum auctores fuerunt Montanus tanquam paracletus et duae prophetissae ipsius Prisca et Maxilla* etc. *sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur miscentes eum farinae panemque inde facientes, qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno sacerdote.* **Vide etiam hic Eusebium lib. 7. c. 15. Nicephorum lib. 4. c. 22.** Errant 3. Ebionitae, apud Epiphan. haeres. 30. Ta-

Digitized by Google

tiani, apud eundem haeres. 40. Aquarii, apud August. haeres. 64. qui praetextu sobrietatis, solam aquam in calice offerebant, contra quos disputat
X. 28. Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Caecilium. **Severiani similiter vinum in usu coenae damnarunt, eo quod *fabulosa quadam vanitate*, ut ait Augustinus lib. de haeres. dicerent, *de Satana et terra vitem germinasse*.** 4. Pepuziani, qui caseum cum pane in eucharistiae administratione conjunxerunt, unde Ἀρτοτυρῖται dicti sunt. Augustinus de haeres. haer. 28: *Artotyritae sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit, offerunt enim panem et caseum dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terrae et ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.* Vide Philastrium p. 58. edit. Basil. **Scaliger exerc. 358. sect. 1: *In insula Vendemao non solum utuntur sagu ad panem, sed etiam ex eadem arbore conficiunt oleum. Est sagu arbor, quae pani dedit nomen. Ligni frustum purgant a quibusdam quasi spinis, tundunt atque in pollinem redigunt, hoc panem ad usum nautarum parant commeatum.* Cardanus lib. 1. de rer. variet. c. 4. f. 18. *ex piscibus in Islandia panem parari* memorat. Testatur etiam experientia, ex fabis et milio panem confici. Num vero hic panis est justa eucharistiae materia?** 5. c. Didicimus dist. 2. de consecr. ex. VI. syn. refertur, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis conjunxerint uvas et sic simul utraque populo dispensaverint. c. cum omne crimen. dist. ead. commemoratur, quosdam lac pro vino dedicasse; alios intinctam eucharistiam populo pro comple-
X. 29. mento communionis porrexisse; quosdam expressum vinum in sacramento Dominici calicis obtulisse; alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservasse et in tempore sacrificii partem ejus aqua lavisse sicque obtulisse. 6. Alexander I. episcopus Romanus constituit, vinum aquae permiscendum esse. c. in sacramentorum dist. ead.: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur, quia utrumque ex latere ejus in passione profluxisse legitur.* Hujus mixturae necessitatem Pontificii adhuc hodie defendunt, qua de re paulo post uberius tractabitur. 7. Volateranus lib. 7. geogr. scribit, Innocentium VIII. Norvegis usum alterius liquoris in coena pro vino permisisse, cum vinum in locis illis non proveniat, nec diu conservari possit. **At de Norvegis et de Islandis certo constat, quod perpetuam vini copiam in urbibus habeant, annuatim illuc abundanter transvectam.** 8. Theodor. Beza epist. 2. ad Tilium: *Ubi panis vel vini nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num coena Domini nulla celebrabitur? imo rite celebrabitur, si quod panis vel vini vicem, vel ex usu communi vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Haec enim mens fuit Christi, cum panem et vinum ad haec mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repraesentaret. Itaque a Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane et vino substituat, quae etsi non parem, similem tamen alimoniae analogiam habent.* **Sequitur vero Beza consilium Calvini, sic enim scribit epist. 25: *Rogatus Calvinus a fratribus, qui tum in America erant, ubi nullus est vini usus, liceretne uti in coena Domini vel aqua simplici, qua plerumque illic utuntur vel alio illic non inusitato potionis genere, respondit, fuisse Christi in hoc instituendo sacramento consilium, ut spiritualis alimoniae, id est sui ipsius κοινωνίαν nobis sub communis cibi ac potus symbolis repraesentaret, ac proinde si non fuisset tum in Judaea communis vini usus, procul dubio alia vulgari potione usum fuisse, quod ex ipsius scopo et consilio liqueat. Itaque nihil a Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemtu nec temeritate, sed ipsa necessitate adacti pro vino aliud in illis regionibus usitatae potionis genus usurparent. Hoc Domini Calvini responsum noster coetus adeo comprobavit, ut eos superstitiose facere censuerit, qui a vini symbolo usque adeo penderent, ut alteram coenae partem omittere mallent quam analogum aliud symbolum ita cogente necessitate usurpare.*** Anton. Sadeel volum. oper. theol. f. 429. perdifficile esse putat, hoc consilium a Beza propositum evertere. **Alstedius in theol. polem. part. 5. q. 8. p. 603: *Si ecclesia Deo ibi sit colligenda, ubi vinum haberi non possit ullo modo, usitatus potus alius nobilior ex fine servatoris substituendus et coetus monendus, ne offendatur.***

CAPUT VI. X. 30.

AN PANIS EUCHARISTICUS AZYMUS VEL FERMENTATUS ESSE DEBEAT.

23. Quaeritur 3: An azymo, an vero pane fermentato in eucharistia utendum sit? Respondemus: extra dubitationis aleam ponimus, Christum in prima sacrae coenae institutione et administratione panem ἄζυμον adhibuisse, quia celebravit eam in diebus τῶν ἀζύμων post esum agni paschalis, Matth. 26, v. 18. quo tempore non alius panis quam azymus apud Judaeos in usu erat, Exod. 12, v. 8. Levit 23, v. 6. Utimur igitur in coenae administratione pane azymo: 1. Propter exemplum Christi ἀξιομίμητον. 2. Propter commonefactiones utiles, quas usus panis azymi praestat, quod scil. corpus Christi, cujus communicatio est panis eucharisticus, nullo peccati fermento sit pollutum, Esa. 53, v. 9. 1. Petr. 2, v. 22. in cujus rei typum praecepit Dominus, ut omnis oblatio fieret absque fermento, Levit. 2, v. 11. quo denotatum fuit, sacrificium illud propitiatorium, quod Christus in ara crucis obtulit, fore purum et immaculatum. Admonet etiam panis azymi usus, quod accessuri ad coenam Dominicam *vetus fermentum nequitiae*

Qu. 3: Num azymo, an fermentato pane in eucharistia utendum sit.

Digitized by Google

et malitiae expurgare inque azymis veritatis et sinceritatis epulari debeamus, 1. Cor. 5, v. 7. 8. Innocentius lib. 4. myst. c. 4: *Ut nihil corruptum sive corrumpens, sed totum sincerum atque sincerans in hoc esse sacramento monstretur, non fermentatum, sed azymum panem consecramus.* 3. Propter typum agni paschalis, qui cum azymo pane comedi fuit solitus, Exod. 12, v. 8. Jam vero in coena ὄντως nobis proponitur agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, agni paschalis ἀντίτυπον. 4. Propter consuetudinem ecclesiae, a qua temere non est recedendum. **Graeci urgent nomen *ἄρτος ab evangelistis et Paulo in 1. Cor. 10, v. 16. usurpatum, illud enim cum ab αἴρω, attollo, dictum sit, ad fermentum respectum habere* existimant. Respondemus: est hoc nomen commune, quod omnes panum aut placentarum ideas complectitur, ut vel unus Athenaeus luculenter probat. Luc. 24, v. 30. ἄρτος manifestissime est panis azymus, nullus enim tunc panis alius fuit in usu Judaeis.** Injuriam igitur nobis facit Bellarminus, qui libr. 4. de euchar. cap. 7. §. 3. cum Zwinglianis nos conjungens fermentatum panem ad sacramentum eucharistiae aptiorem a nobis censeri scribit. Libere tamen pane azymo utimur, cum in se ac per se, extra casum scandali, sit ἀδιάφορον azymo vel fermentato pane uti: 1. Cum fermentum non ipsam panis essentiam, sed qualitates solummodo mutet, ideoque panis essentiae nihil decedit, sive azymus sit sive fermentatus. 2. Cum de usu panis azymi nullum exstet expressum mandatum. 3. Cum tam fermentatus quam azymus panis usum illum praestare possit, propter quem in sacra coena adhibetur, videlicet ut sit communicatio corporis Christi, 1. Cor. 10, v. 16. 4. Cum verisimile sit, apostolos vulgari fermentato pane in administratione sacrae coenae fuisse usos, Act. 2, v. 42. c. 20, v. 7. **Act. 20. *post dies azymos Lucas et Paulus* navigant a Philippis et in quinque diebus veniunt Troadem ac Troade manent dies septem tuncque intra illos septem dies Troade conveniunt *ad frangendum panem*, vel, ut Syriaca versio habet, *ad frangendam eucharistiam*, ubi sine dubio usi fuerunt panibus fermentatis.** 5. Cum fermentatus panis itidem possit utilem commonefactionem praestare, videlicet quod corpus Christi spiritualiter nos transmutet, sicut fermentum totam massam alterat. Ex quibus colligimus: 1. fuisse inutilem et otiosam, imo perniciosam ἀρτομαχίαν illam inter Graecas et Latinas ecclesias olim tanta contentione agitatam, ut Latini Graecos nominarent Fermentarios, et Graeci Latinos vocarent Azymitas, ut ex Algero monacho Corbejensi refert histor. Mag. cent. 11, c. 5. de haeres. Graecae ecclesiae jam inde a tempore apostolorum panis azymi usum observarunt, ac quamvis Michaël episcopus Constantinopolitanus usum panis azymi anno Christi 1054. abrogaret; tamen cum Humbertus monachus Lothringus Roma a pontifice Constantinopolim hoc fine ablegatus, Nicetam monachum Constantinopolitanum abrogationis istius propugnatorem vinceret, usus panis azymi in ecclesia fuit retentus, ut ex Ruperto Tuicensi lib. 3. de div. offic. c. 22. et Petro Cluniacensi lib. 5. epist. 16. refert hist. Magd. cent. 11, c. 9. Latinae ecclesiae aliquamdiu fermentato pane fuerunt usae usque ad Alexandrum I. qui instituit, ut oblatio fieret ex azymo, non ex fermentato, ut antea I. 84. consueverat. Plat. in vita Alex. 1. Polydor. Virg. lib. 5, c. 10. Bergomens. in Chron. lib. 8, f. 184. Recte igitur respondit episcopus quidam Graecus in concilio Florentino anno 1439. celebrato: *De pane sive azymus sive fermentatus sit, Graeci non curant, dummodo ex tritico constet.* tom. 4. concil. fol. 464. **Vetus ecclesia Romana consuetudinem suam utendi azymo sic defendit, ut Graecos contrarium morem observantes non damnarit, sicut legitur in concil. Florentino et saepe repetit Gennadius. Innocentius III. lib. 4. mysteriorum missae c. 33: *Adhuc multi sacrificant de fermentato, quibus tanquam vere catholicis ecclesia Romana communicat.* Barlaamus episcopus Gyracensis sive Hieracensis in epistola ad Graecos: *Quoniam apostoli eadem nobis tradentes mysteria non distinguunt, sive fermentatum sive azymum, eo quod gerit imaginem puritatis et sinceritatis, utraque ego quidem similiter adoro et colo. Latinos vero in tantum prudentiores aestimo, quod illi quidem minime hostiam defermentatam vituperant, sed similiter venerantur, horum autem multi non timent in sancta blasphemare.*** 2. Pro necessario panis vulgaris fermentati usu frustra quosdam Calvinianos depugnare, quibus praeter fundamenta superius adducta opponimus, quod Beza epist. 12. ad quosdam Anglicanae ecclesiae fratres pag. 100. scribit: *Panis azymus ne sit an fermentatus, non magnopere putamus laborandum.* Idem statuunt Musculus in loc. com. fol. 348. Baumlerus contra Syn. fol. 299. quo referendum illud Bullingeri decad. 5. serm. 9. fol. 132: *Odiosa excitata est contentio super materia coenae Dominicae, contendentibus his pane azymo, aliis vero fermentato esse utendum. Atqui apud veteres quondam de his nullae movebantur rixae. Nam ecclesiae pro libertate sua utebantur utroque. Videtur quidem Dominus in prima illa coena usus esse pane azymo in mensa ex veteri more celebrandi paschatis relicto, unde non paucae ecclesiae infermentato pane usae sunt; quae tamen fermentato pane utentes, non damnabant haereseos.* **Casaubonus exercit. 16. c. 12. contra Bellarminum (qui lib. 4. de euch. c. 7. Calvinianos accusaverat, quod in usu eucharistiae omnes utantur fermentato) notat, *quod ecclesia Genevensis doctrinae Calvini tenacissima etiamnum in azymis eucharistiam celebret. Nam cum initio reformationis alia consuetudo esset introducta, anno 1540. reditum fuisse ad morem antiquum.*** 3. Graecos hodie pro necessitate panis fermentati in usu eucharistiae minus recte pugnare. Sic cum Jeremias patriarcha Constantinopolitanus in resp. ad confess. Augustan. c. 10. asserit, *Christum consecrasse panem fermentatum, nec posse in azymo hoc sacramentum confici, quod azymus non sit verus*

Digitized by Google

panis quodque azyma ad figuras Judaismi pertineant. ** Moscovitae in administratione coenae pane utuntur fermentato; dicit enim metropolita eorum Johannes in epist. ad episcopum Romanum: *Christus tali pane utebatur, nam tum non stabat* (quod necessarium erat in agno paschali comedendo, ubi azymi panis usus erat), *sed accumbebat cum duodecim ad mensam. Itaque certum est, ait, eum pane fermentato fuisse usum.* In opere de variis rerum Moscov. auctoribus p. 23.** 4. Pontificios panem
X. 35. azymum cum opinione necessitatis non debere ecclesiae obtrudere. Cum enim necessitas panis azymi nec ex Scripturis, nec ex praxi primitivae ecclesiae evinci possit, sed sit res adiaphora et indifferens, ut superius ostendimus, ideo pugnat cum libertate Christiana, in re per se et sua natura libera conscientias opinione necessitatis praegravare. Bellarminus lib. 4. de euch. c. 7: *Ex instituto Christi in eucharistia azymo utimur*, etc. Tolletus lib. 2. de inst. sacerd. c. 25. §. 5. p. 158: *Panis azymus debet esse in ecclesia Latina, in Graeca vero cum fermento, adeo ut peccet Latinus mortaliter non consecrans in azymo.*

CAPUT VII.

DE PLACENTULIS ORBICULARIBUS, QUAS HOSTIAS VOCANT.

Qu. 4: An liceat uti panibus rotundis minoribus. X. 36.

24. Quaeritur 4: An liceat uti panibus illis rotundis minoribus, quorum usus in nostris ecclesiis? Respondemus: considerat. commonef. c. 4. num. 78. pag. 488. vocat *crustulum farraceum, quod e coena ejiciendum veniat, cum velut spuma inutilis sit ad nutriendum.* Scholast. Pseudo-Witteb. in disput. contra D. Schachtium vocant *hostias nummularias*, easque negant usurpari posse. Alii vocant *lentorem viscosum, nebulas et spumam panis* etc. **Vocant quoque easdem Siegelplätzlein, Schaumbrod, Kleisterleim, vide Berlinische Zeitung, Diij Fiij Nebelküchlein, erdichtete Eisenküchlein, Witzküchlein, Meßpfäffische Hostien, dünne unschmackhafte Plätzlein, zähe ablebhafte Blättlein, Meßküchlein, brodlose Pfaffenküchlein, Papierküchlein. Vide Anatom. Marpurg.** Atqui 1. verum naturalem panem ex farina et aqua coctum in eucharistia adhiberi, vi institutionis divinae necessarium est; an vero panis sit major vel minor, triticeus vel siligineus, rotundus vel oblongus etc. nihil refert, cum externa accidentia rei essentiam non mutent. Panis noster essentialem panis naturam habet, cum sit ex aqua et farina triticea pistus, de forma accidentali et externa non sumus solliciti. 2. Nullum adest divinum mandatum de quantitate vel qualitate panis eucharistici. 3. Quemadmodum baptismi efficaciae vel integritati nihil decedit, sive aqua ad eam adhibita sit fluvialis, sive fontana, sive marina; itemque sive sit calida, sive frigida; ita quoque sacrae coenae respectu perinde est, sive panis sit major, vel minor; oblongus, vel rotundus; itemque sive vinum sit rubrum, sive candidum. 4. Panis eucharisticus non usurpatur ad corporis nutritionem praestandam vel alitionem animae significandam, sed propter corporis Christi eidem sacramentaliter uniti communicationem, 1. Cor. 10, v. 16. quo pertinet canon Nicenus: *Non multum sumimus sed parum, quia non ad satietatem, sed propter sanctificationem haec sumimus.* 5. Panes illi rotundi ante usum sacrae coenae fracti ac praeparati ad distributionem satis apti et idonei sunt. Ergo usum illorum panum temere rejicere ac contendere, quod necessarium sit, ut usualis panis major in ipsa sacrae coenae actione frangatur, libertatem Christianam non mediocriter impugnat. 6. Si placentulae illae orbiculares non essent verus panis, tot saeculis ecclesia in usu coenae non habuisset verum panem. ** Quidam enim originem horum panum minorum referunt ad tempora Alexandri I. circa annum Christi 119. quidam ad annum Christi 607. et quidem ad tempora Phocae imperatoris. Epiphanius, qui vixit circa annum Christi 380. vocat panem στρογγυλοειδῆ. Gregorius lib. 4. dial. c. 55. a forma vocat *coronas oblationum.* Imo ejusmodi usitatae sunt Basiliae, item Bernae Helvet. referente D. Hubero in seiner Antwort aus der fünf Eidgenössischen Theologen Gegenbericht p. 139. 163. 164 uti etiam in Anglia referente Zanchio lib. 1. epist p. 233. Conf. Affelman. in *μελέτη* theolog. de *μελετημέρῳ* apostoli dicto 1. Cor. 10, v. 16. th. 12.** Epiphanius in ancorato f. 492. mentionem facit panum στρογγυλοειδῶν suo tempore usitatorum. ** Probamus vero, hostias esse revera panem: *1. A definitione.* Cui competit definitio panis, illud est verum panis. Placentulis illis orbicularibus competit definitio panis, sunt enim ex farina et aqua subactis virtute ignis pistae. Definitur panis, quod sit alimentum ex farina et aqua sic in se commixtis et ab igne percoctis constans, ut crassiore humore per calorem externum absumto ad unam masticabilem et nutritiam consistentiam redigatur, ut e Plinio lib 18. vel secundum alios 15. c. 15. nat. hist. et alii colligitur. *2. A causis externis.* Quidquid ex frumenti granis debito modo a panificis calore intermedio fit et ipsum comestum actu nutrit, id vere est panis. Placentae illae orbiculares, quae in coena adhibentur, ex frumenti granis debito modo a panificis calore intermedio fiunt et comestae actu nutriunt. Ergo. De priore membro testatur experientia de posteriore, an scilicet nutriant, nec ipsa defutura est. Si esurienti in magno numero ejusmod placentae dentur, deprehendetur, illas famem sedar ac proinde etiam nutrire; et sic quod multae conjunctim faciunt, id et singulae seorsim facient quamvis non tam sensibiliter, quia vis multarum e hic fortior est singularum dispersa. *3. A causis internis.* Quidquid constat partibus panis essentialibus et sic materia et forma panis, id est verum panis, quia positis partibus essentialibus totum ponitur. At placentae illae orbiculares constant partibus essentialibus et sic materia et forma. De ma

teria dubium nullum, quia adest frumentum contusum et aqua. Forma panis est massae debito modo mixtae et subactae certa consistentia, κρᾶσις et veluti quaedam proportio.** Ex his facile judicari

X. 37. Argumenta contraria. potest de objectis adversariorum. *1. Christus communi eodemque majori pane usus in administratione coenae.* Respondemus: exemplum Christi probat, licitum esse pane communi eodemque majori in sacra coena uti, nequaquam vero necessitatem aliquam importat, cum de qualitate et quantitate panis non adsit expressum mandatum. Christus pane azymo in prima coena usus est, ut in prioribus ostendimus. Adversarii contra hoc exemplum Christi agunt panis communis et fermentati necessitatem propugnantes. *2. Placentulae illae non sunt verus panis.* Respondemus: imo vero essentia, definitio, partes et proprietates essentiales panis eisdem conveniunt, quia partes panis sunt farina et aqua sic inter se commixtae, ut crassiore humore per calorem externum absumto consistant atque masticari et in corporis nutritionem cedere queant, ut docet Plin. lib. 15. nat. hist. c. 15. Atqui haec omnia placentulis illis conveniunt. *3. Non habent vim nutriendi.* Respondemus: imo vero habent, quod vero actu forte non nutriunt, ideo fit, quia in parva quantitate assumuntur. Monemus autem denuo, panis eucharistici finem non esse corporis nutritionem vel quandam spiritualis alimoniae repraesentationem, sed ut sit medium atque ὄχημα per quod corpus Christi nobis manducandum exhibeatur. *4. Hostiae illae scandalum praebent, doctrinam evangelii obscurant, superstitiones stabiliunt et conjunctam habent cultus et necessitatis opinionem.* Respondemus: haec facilius dicuntur quam probantur. Quod adversariis usum illarum placentularum abrogantibus nos opponimus, id non fit ideo, quod usum earum absolute et simpliciter necessarium statueremus, sed quia praeter ullam urgentem causam cum scandalo ecclesiae rem ex se et sua natura adiaphoram eliminantes Christianam libertatem captivant. *5. Ex papatu ortum ducunt.* Respondemus: quo primum tempore in ecclesiae usurpari coeperint, non satis liquido constat. In papatu ad missaticum sacrificium adhibentur, in nostris vero ecclesiis distributioni corporis Dominici inserviunt, qui fines sunt longe dispares. **Quidam Calvinianus in Silesia cupit probare, placentulas nostras orbiculares non esse verum panem, quia *accedit aliquid butyri vel alterius pinguedinis, qua instrumenta, quibus placentae illae conficiuntur, superficietenus illinuntur.* Respondemus: 1. etiam in aliis panibus quandoque accedit butyrum vel quaevis grata pinguedo, inprimis suilla, ita ut quandoque ut pars constituens panem adhibeatur, quandoque coctionem, quoad extra tantum promoveat. Inde sic concludimus: Quidquid ad essentiam rei constituendam potest concurrere, eandem non mutat. At butyrum et alia pinguia possunt ad essentiam panis concurrere, ut probat experientia. Ergo. 2. Nullum extraneum et accessorium mutat rei essentiam. Zabarella de nat. coeli c. 5. f. 191. at butyrum et pinguedo, quae in conficiendis placentulis nostratibus ad melius promovendam confectionem et amovendam adustionem quandoque adhibentur, sunt extranea et accessoria, unde nec horum in illis ullum nec tactu nec gustu nec visu etiam deprehenditur vestigium. Ergo illa non mutant rei essentiam. 3. Falsum est, panem tantum ex frumento et aqua constare, multa enim alia possunt accedere, quae pani vel essentiam cum ceteris conferunt causis, vel suavem tamen saporem concedunt, vel alias etiam qualitates largiuntur, quo fine etiam sal et fermentum adhibentur, non raro etiam semina anisi, cumini etc. massae induntur vel cum ea commiscentur. *6. Non coquuntur in clibano.* Respondemus: 1. subjectum non mutat ipsam rei essentiam; 2. locus in quo fit panis, non tantum est furnus vel clibanus, sed etiam in aliis locis potest ille confici. Jos. Quercetanus diaetet. polyhist. c. 5. p. 189. panes partim in clibano, partim in aqua, partim inter prunas etiam fieri docet. Ac panes non tantum furnaceos, sed et focarios et veruarios dari constat ex comparatione Hippocratis, quae habetur lib. 2. de diaet. num. 7. f. 46. et Taubmanni in Aulul. Plauti act. 2. scen. 9. fol. 166. v. Artoptam. *Triplex panis erat*, inquit, *ex coquendi ratione, furnaceus, testuaceus et artoptitius.* Consensum adversariorum pete ex Bucero in censura lib. Angl. p. 459. edit. Bas. scriptorum Buceri Anglicanorum, Zanchio in epist. ad Ottonem a Grünrad. Quando placentulae illae orbiculares in eucharistia coeperint usurpari, praecise et liquido satis definiri non potest fatentibus, Tileno part. 2. synt. p. 753. et Nauin assert. p. 21. Hospin. lib. 4. hist. c. 6. fol. 370. Martin. tract. 5. c. 6. p. 228. ad quaestionem, *an hostia possit dici panis*, respondetur: panis dici potest, quia e farina vi ignis est cocta.**

CAPUT VIII. X. 38. 39.

DE CRAMATE EUCHARISTICO.

25. Quaeritur 5: An vino eucharistico aquam miscere necessarium sit? Respondemus: in regionibus orientalibus ubi fortia vina sunt, usitatum fuit non merum, sed vinum aqua temperatum bibere, unde Dn. Chemnicius part. 2. exam. c. de aqua miscenda in calice p. 308. verisimile judicat, Christum vinum non merum, sed temperatum bibisse. Et quia in primitiva ecclesia post communionem convivia, quae ἀγάπας appellabant, magna sobrietate de pane et vino, quae ad mensam Domini oblata fuerant, celebrabantur, non merum, sed mixtum vinum obtulerunt, ne gentes calumniarentur, Christianos celebrare coenam Dominicam crapulae aut ebrietatis gratia. Inde Justinus apolog. 2. pro Christianis p. 76. in descriptione rituum eucharistiae meminit vini aqua misti: ἔπειτα προσφέρεται τῷ

Qu. 5: An vino eucharistico aquam miscere necessarium sit.

Digitized by Google

προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. Irenaeus lib. 1. c. 9. itidem meminit ποτηρίων οἴνῳ κεκραμένων in descriptione eucharistiae a Marco Gnostico administratae (recensente Graeca verba Epiphanio lib. 1. tom. 3. haeres. 34.) et lib. 5. c. 2: *Quando mistus calix et panis fractus percipit verbum Dei, fit eucharistia.* ** *In ecclesiis Moscoviticis presbyteri calici eucharistico paululum aquae tepidae admiscent, quia dicunt: ex latere Domini sanguis profluxit et aqua, quam calidam fuisse credere fas est.* In opere de variis rerum Muscov. auctoribus p. 136.** Ergo non simpliciter damnamus ut pugnantes contra Christi in-
X. 40. stitutionem, qui vinum aqua temperatum in administratione eucharistiae usurpant, nec judicamus eucharistiae integritati vel efficaciae quidquam decedere, si vinum aqua sit mixtum, quod ab οἰνοκαπήλοις saepius fieri constat. Si ergo Pontificii mixtionem illam ut consuetudinem adiaphoram, quae verbo Dei nec mandata, nec prohibita sit, sed rationem habeat vero non dissimilem, servarent et proponerent, nulla ut de re indifferente esset controversia. Quaestio autem est: an haec mixtio aquae cum vino 1. in ipsa coenae Dominicae administratione necessaria sit; 2. et quidem hoc fine, ut unio fidelium cum Christo non solum repraesentetur, sed etiam 3. efficiatur? Pontificii affirmant; sic enim Alexander I. c. in sacramentorum dist. 2. de consecrat.: *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur.* Julius c. cum omne. dist. ead.: *Calix Dominicus juxta canonum praecepta vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi, ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur et jungitur, quae copulatio aquae et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero sit aqua sola, plebs incipit esse sine Christo.* Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8: *Monet s. synodus, praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse*
X. 41. *credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in apocalypsi Johannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.* Bellarminus lib. 4. de sacr. euchar. c. 10. §. porro: *Ecclesia catholica semper credidit, ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti.* Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 6. qu. 2. p. 920: *Licet in concilio illud tantum dicatur, quod est certissimum, scilicet hac de re esse praeceptum ecclesiasticum, probabilissimum tamen est, esse item ejusdem rei praeceptum Christi et traditionem apostolicam* (vocat probabilissimum, novit enim reliquos Pontificios hic non agnoscere aliquod praeceptum Christi). Azorius in instit. moral. lib. 10. c. 30. §. altera quaestio: *Si roges, an sit aqua vino miscenda ex praecepto Christi, aut ecclesiae institutione, quidam nostrum opinantur primum, sed alii probabilius secundum.* Confer Thom. part. 3. qu. 74. art. 6.

26. Nos in negativam concedimus hisce usi argumentis: 1. In sacrae coenae administratione nihil quidquam ut necessarium obtrudendum est, cujus necessitas ex verbis institutionis evinci non possit. Jam vero ex verbis institutionis non potest probari mixtionis illius necessitas. Ergo etc. Bellarminus assumtum non potest omnino negare, sic enim scribit l. d. §. Ceterum: *An vinum aqua mistum in calice fuerit ante consecrationem, ex Scriptura expresse non habetur.* Nullae circumstantiae institutionis (inquit Chemnicius d. l.) speciem aliquam praebent, quod in ipsa actione coenae Dominicae Christus tunc, cum calicem benedicendum acciperet, aquam in ipso calice vino miscuerit. Ineptum enim est, quod ex hospitis hydria quidam illud probare voluerunt, cum ex pelvi, unde Christus pedes discipulorum lavit, propior fuisset probatio. Vinum igitur sive genimen vitis est de substantia Dominici calicis, quod ad externum elementum attinet; an vero debeat esse vel merum vel mixtum, rubrum vel album, non est de necessitate. ** Lutherus in lib. de formul. missae tom. 2. Lat. f. 557. ann. 1523: *Nondum constitui mecum, miscendane sit aqua vino, quanquam huc inclino, ut merum potius vinum paretur absque aquae mixtura, quod significatio me male habeat, quam Esa. 1. ponit. Vinum tuum, inquit, mixtum est aqua. Merum vinum enim pulchre figurat puritatem doctrinae evangelicae. Deinde quod pro nobis non est fusus nisi solus sanguis Christi impermixtus nostro, cujus ibi memoriam facimus. Ut non stet illorum somnium, qui dicunt, ibi figurari unionem nostri cum Christo, hujus unionis memoriam hic non facimus. Nec sumus uniti ante ejus fusionem, alioqui simul noster quoque sanguis cum sanguine Christi pro nobis fusus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem superstitiosam. Christus haec non magnopere curabit, nec res digna est contentione. Pugnavit satis hanc pugnam stultam Romana et Graeca ecclesia, ut et alias multas.* Eadem repetit tom. 3. Jen. Germ. f. 334.** 2. Mixtio aquae potius aliquid addit institutioni, quia evangelistae solius merique vini mentionem faciunt, Matth. 26, v. 29. Marc. 14, v. 25. Luc. 22, v. 18: *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, quo illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Chrysostomus homil. 83. in Matth.: *Ex germine, ait, vitis quae certe vinum non aquam producit.* Bellarminus excipit, *verba illa non pertinere ad calicem eucharisticum, sed ad calicem, qui datus fuit post agni paschalis manducationem, idque ex Luca expresse colligi,* de quo etiam latius tract. lib. 1. deeuchar. c. 11. circa finem. Respondemus: Demus verba haec institutionem eucharistiae a

Argumenta pro parte quaestionem negante.

Digitized by Google

Christo prolata, ut Lucas observator ordinis manifeste indicat; interim tamen ex verbis illis institutionem coenae immediate praecedentibus aperte colligitur, genimen vitis in calice illo fuisse, quem Christus postea accipit, eidem benedixit ac discipulis dedit dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic calix est novum testamentum in meo sanguine.* Si ex evangelio et Paulo expresse non habetur, nisi ca-
I a. licem sanguinis apostolis propinatum' et vini nulla mentio fit, cum de calice eucharistico agitur (ut hoc loco Bellarminus scribit) consequens fuerit, essentialem aliquam coenae partem in descriptione evangelistarum omissam esse. Cornelius Jansenius comm. in conc. evang. c. 131. p. 906: *Vinum fuisse in calice, quem suis Dominus in coena porrexit, ostendit Cyprianus ad Caecilium scribens ex eo, quod evangelistae subjiciunt dictum a Domino: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Fuit ergo genimen vitis in calice, quem Dominus accepit et suis dedit. Vinum autem fuisse mixtum aqua, non probat apertis aliquibus evangelii verbis, ut nec illis probari potest, sed intelligendum relinquit ex eo, quod certum est in calice fuisse vinum, eo quod vinum in illis calidis regionibus non solitum fuerit bibi nisi mistum aqua.* Haec Jansenius, vinum in calice ex verbis Christi probari posse asserens, mixtionem autem aquae ex verbis evangelii probari posse negans. 3. Mixtio illa nititur sola traditione et consuetudine. Jam vero consuetudo libera et traditio incerta non possunt neecessarium quendam fidei articulum constituere. Bellarminus l. d. §. Ceterum: *Quid fuerit in calice ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mixtum, an sicera, an aqua sola, ex sola Scriptura expresse non habetur, sed necessario recurrendum est ad traditionem eorum, qui ab apostolis et eorum discipulis haec mysteria acceperunt. Traditio autem habet, fuisse vinum mixtum aqua, ergo ita credendum est, aut nihil certi de materia calicis habemus.* Platina in vita Alexand. I. Polyd. Virg. lib. 5. c. 10. concil. Triburiense can. 19. ab Alexandro I. praeceptum de aqua vino affundenda promanasse statuunt. Et consuetudinem hanc non fuisse universalem, apparet ex Durando lib. 4. c. 42. ubi dicit, *in Graeca ecclesia universaliter hoc non fieri.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 11. lit. H: *Graecorum ecclesia non apponere aquam dicitur.* Armeni in concilio Florentino primum aquam vino temperare jussi sunt. Cornelius Jansenius l. d.: *Lutherus post Graecos docuit, solum vinum in calice apponendum.* 4. Mixtio illa non respondet typo Melchisedeci, qui panem et vinum, non autem vinum aqua mixtum Abrahae et ejus militibus obtulit. 5. Qualis sit mixtionis necessitas, adhuc apud ipsos Pontificios incertum est. Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 10. §. porro: *Utrum sine aqua sacramentum consistere possit, non est certum; communis tamen opinio in partem affirmativam propendet.* Atqui Julius pontifex expresse dicit, c. cum omne. dist. 2. de consecr.: *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur;* ubi non solum necessitate praecepti, sed etiam necessitate sacramenti hanc mixtionem statuit necessariam. Contra vero Lombardus lib. 4. sent. dist. 11. lit. H: *Si quis non intendens introducere haeresin oblivione vel ignorantia aquam praetermiserit, non videtur irritum esse sacramentum, sed ille graviter est corripiendus.* Et Jansenius l. d. p. 907: *Sicut ex eo, quod evangelistae absolute dicunt, Christum accepisse panem, creditur, quemvis panem proprie dictum posse esse materiam consecrandi corporis Dominici, nec esse absolute necessarium azymum panem, quamvis ex apostolica traditione, conformi facto Christi, veterique figurae et conveniente mysteriis significandis, in tali pane consecratio facienda est; ita ex eo, quod vini tantum mentionem faciunt evangelistae, creditur quodvis vinum proprie dictum, quod scilicet est vinum vitis, posse esse materiam consecrandi sanguinis Domini, nec esse absolute necessariam mistionem aquae cum vino, quamvis ob traditionem apostolicam, conformem facto Christi, veteribusque figuris et convenientem significandis mysteriis, illa temere non sine gravi peccato possit praetermitti.* Toletus lib. 2. de instruct. sacerd. c. 25. §. Rursus: *Consecratio valida est cum solo vino.* 6. Mixtio haec labyrinthum disputationum parit. Innocentius III. c. cum Marthae. §. Quaesivisti. extr. de celebr. miss. et Thomas part. 3. qu. 74. art. 8. recensent quaestionem, in qua doctores ita perplexos fuisse tradunt, ut ex ejus ambagibus vix potuerint sese extricare, nimirum: *an aqua, quam presbyter missam celebrans infundit et calici vinoque immiscet, in sanguinem cum vino transsubstantietur nec ne?* Sunt autem tres opiniones. Quidam
statuunt, *quod sicut vinum convertitur in sangui-* X. 43.
nem, qui fluxit de latere Domini, ita et aqua convertatur in aquam, quae cum sanguine fluxit ex eodem latere. Alii tenent, *quod aqua vino mixta transiens in vinum simul cum vino transsubstantietur in sanguinem Christi.* Alii rursum, *eo quod physici asseverent, aquam non transire in vinum, sed eam jam vino mixtam posse per artificium separari a vino, putant aquam nec in sanguinem transire nec in alteram aquam, sed per se manere vino converso in sanguinem et circumfusam prioris vini accidentibus consistere.*

Argumenta pro necessitate mixtionis. 1. Exemplum Christi.

27. Bellarminus pro necessitate mixtionis haec producit argumenta: *1. Christus vinum aqua mixtum consecravit. Ergo et nos ita facere debemus.* Respondemus: 1. ex historia evangelica non potest certo et infallibiliter ostendi, quod Christus vino aqua mixto usus fuerit, vel quod in ipsa eucharistiae administratione aquam vino infuderit. 2. Bellarminus regerit, *non posse ex eadem ostendi, quod vino fuerit usus, ad traditionem igitur recurrendum esse, quae vinum illud aqua fuisse mixtum docet.* Respondemus: imo vero ex verbis illis Christi: *Non bibam amodo de genimine vitis* etc. satis evidenter constat, genimen vitis in poculo eucharistico fuisse, ut ex cohaerentia textus atque aliis fundamentis

Digitized by Google

paulo superius ostendimus. 3. Demus ex hypothesi, Christum consecrasse vinum aqua mixtum, illud tamen utpote pro more regionis factum, esset indifferens. Quemadmodum enim panis est de substantia coenae Dominicae; an vero panis esse debeat triticeus an siligineus, an fermentatus, an azymus etc. liberum est et non de necessitate sacramenti; ita quoque vinum est de substantia coenae Dominicae, an vero vinum sit rubrum vel album, merum, an mixtum, ad substantiam et integritatem eucharistiae nihil quidquam interest. 4. Regerit Bellarminus: *Si pro more regionis vino aqua temperato Christus fuisset usus, patres variorum locorum nunquam tanto consensu et absolute dixissent, vino aquam in calice miscendam esse.* Respondemus: rationem illam mistionis non excogitavimus ipsi, sed ponitur disertis verbis a Lyrano in 1. Cor. cap. 11. ubi sic scribit: *Probabile est* (nota: non certum), *quod Dominus aquam apposuerit. In terra enim illa propter vini fortitudinem consuetum est semper bibere vinum cum aqua.* Patres quod attinet, quidam factum Christi referunt, nullam vero necessitatis legem ex eo deducunt; quidam consuetudinem ecclesiae recensent, jam vero ecclesiae consuetudo Christianae libertati non praejudicat; qui necessitatem mixtionis ex facto Christi propugnant, ad traditionem confugiunt, jam vero incertae traditiones (quales sunt omnes, quae extra Scripturam proponuntur) non possunt necessarium fidei articulum constituere, ut de liturgiae Jacobi, Clementinarum constitutionum et epistolarum decretalium certitudine nihil dicamus. 5. Utimur autem hoc argumento: Si Christus vinum aqua miscuit, factum id vel propter sacramentum, vel propter morem regionis. Si prius, sequitur, mixtionem ad sacramenti integritatem pertinere, illa enim est necessaria cujusque sacramenti materia, quam Christus ad eam ordinavit. Consequens negat Bellarminus §. porro, sic scribens: *Utrum sine aqua sacramentum consistere possit, non est adeo certum, communis tamen opinio in partem affirmativam propendet.* Idem statuit Lyranus loco proxime citato: *Si non animo introducendi haeresin, sed oblivione praetermittatur aqua, non minus conficitur, nec Graeci aquam addunt.* Relinquitur igitur posterius, videlicet pro more regionis mixtionem illam, si qua praecessit, a Christo factam. 6. Id declarari potest ritu fractionis. Constat ex historia evangelica, panem eucharisticum a Christo esse fractum. Haec fractio aut propter distributionem usurpata fuit pro more regionis, aut propter repraesentationem passionis. Sed posterius locum non habet, ut suo loco demonstrabitur; relinquitur igitur prius et per consequens ut ritus fractionis, ita quoque mixtura ἀδιάφορος est et indifferens, cum utraque actio pro more regionis suscepta fuerit. 7. Adde quod Platina, Polydorus et alii originem hujus mixtionis ad decretum Alexandri I. non autem ad Christi factum referant.

28. *2. Patres alias hujus mixtionis causas reddunt, non autem illam, quod in oriente sint vina fortia.* Respondemus: non damnamus pios veteres, qui olim suo quodam consilio et sine superstitione vinum aqua temperatum in calice coenae Dominicae usurparunt, vel quod Christum ita fecisse persuasi erant, ut Cyprianus lib. 2. epist. 3. vel quod olim coenam Domini peragentes quidam largius biberent, adeo ut nonnulli in agapis inebriarentur, ut colligitur ex 1. Cor. 11, v. 21. ideoque ut vinum per se forte minus noceret, aquam vino miscuerunt; vel quia ex petra sitientibus Israëlitis aqua exundavit, quae petra Christi typum gessit, Num. 20, v. 10. 1. Cor. 10, v. 4. Eusebius Emissenus serm. 5. de pascha; vel quod aqua et sanguis ex latere Domini effluxerit, Joh. 19, v. 34. Ambrosius lib. 5. de sacram. c. 1. vel ad denotandam unionem Christi cum ecclesia, quasi aquae populos significent, Cyprianus l. d. vel ad significandam duarum naturarum in Christo unionem, Nicephorus lib. 18. c. 53. vel quia corporalis potus maxime conveniens naturae humanae est vinum aqua mixtum, Clemens Alexandrinus lib. 2. paedag. c. 2. Propter has causas pii veteres cramate loco meri in eucharistiae celebratione usi sunt; quos uti non damnamus, ita cum libere illud fecerint, et vero mixtio talis ecclesiae hodie a Pontificiis obtrudatur tanquam absolute et simpliciter necessaria, et quidem hoc fine, ut populus Christo adunetur, quando vinum aquae miscetur; ideo nostrae ecclesiae exemplo et facto ostenderunt, Christianam libertatem in iis, quae non sunt juris ac praecepti divini, non debere jugo servitutis subjectam esse, cum praesertim erroneae opiniones huic observationi affinguntur.

29. Porro nullam ex enumeratis causis adhibiti olim crамatis cogentem esse ostendit earum examen. *1. Christus usus est vino aqua temperato.* Respondemus: Thomas part. 3. qu. 74. art. 6. fatetur, *probabiliter tantum credi, quod Dominus sacramentum instituerit in vino aqua permixto.* Adde quod non omnia, quae Christus in administratione primae coenae fecisse legitur, absolute et simpliciter in eucharistiae celebratione necessaria sint. *2. In agapis nonnulli inebriabantur.* Respondemus: agapae illae non amplius sunt in usu, haec ergo ratio hodie cessat. *3. Ex petra Israëlitis profluxit aqua.* Respondemus: argumentum typicum non concludit de ipsa substantia in antitypo, alioqui quia agnus paschalis fuit typus sacrae coenae, etiam carnes agni in ea adhiberi deberent. Urgemus typum Melchisedeci, qui solum vinum obtulit, jam vero ex hypothesi Pontificiorum Christus illud ipsum obtulit, quod Melchisedech, cum fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *4. Ex latere Christi profluxit sanguis et aqua.* Respondemus: non in cruce, sed in prima coena modus administrationis expositus est. Scriptura hunc typum nuspiam ad eucharistiae negotium applicat. Ergo non potest certum et immotum ex eo deduci argumentum.

Digitized by Google

Plerique patres non seorsim ad sacram coenam, sed ad utrumque N. T. sacramentum, ad baptismum et coenam, hunc typum referunt. Adde quod mixtio illa non conveniat huic typo, quia ex latere Christi non fluxit aqua et vinum, sed mera aqua; nec fluxus aquae et sanguinis fuit mixtus, sed contiguus et distinctus; pari ratione aqua, non vinum esset symbolum coenae; sequeretur insuper, in calice non merum Christi sanguinem et vini accidentia, sed etiam aquam esse, id quod cum hypothesi transsubstantiationis pugnat. Suarez in Thom. part. 3. qu. 51. art. 31. disp. 41. §. 2: *Dicendum sine dubio est, in passione Christi sanguinem et aquam exivisse impermixta et loco separata, tum quia hoc significant verba Johannis, fluxit sanguis et aqua, tum etiam quia non alias potuisset aqua a sanguine discerni.* Si dicatur, aquam vel in vinum, vel in Christi sanguinem converti, principium petitur. Nec procedit argutia Bellarmini: *Chrysostomus et alii patres docent, id bibi in calice, quod effluxit ex Christi latere. Ergo etiam est aqua in calice.* Dicitur enim id a patribus respectu habito non ad aquam, sed ad sanguinem Christi, alias consequens foret, non aquam illam, quam sacerdos infundit, sed quae ex Christi latere profluit, bibi; vel dicendum foret,
I. 45. sicut vinum convertitur in Christi sanguinem, ita aquam a sacerdote appositam converti in aquam, quae ex Christi latere profluxit, unde vero nova illa transsubstantiatio probabitur? Bellarminus regerit, *in calicis permixtione repraesentari id totum, quod e latere fluxerit;* at ubi a Christo instituta illa repraesentatio? non repraesentationem, sed bibitionem et communicationem sanguinis sui in sacra coena instituit. *5. Significatur hac mixtione unio Christi cum ecclesia, aqua enim populos, vinum Christum significat.* Respondemus: fundamentum unionis Christi cum ecclesia non quaerendum est in mixtione illa aquae et vini, sed in manducatione benedicti panis, qui est communicatio corporis Christi et in bibitione benedicti vini, quod est communicatio sanguinis Christi docente apostolo 1. Cor. 10, v. 16. qui ex eo porro infert v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus;* et 1. Cor. 12, v. 13: *Omnes in unum Spiritum potati sumus.* Recte igitur scribit Chemnicius d. l.: *Vide praeposteram istorum hominum religionem* etc. *de mixtione calicis ideo dicunt se pugnare, ut unio fidelis populi cum capite Christo repraesentetur. Nova haec religio est, quod de unione populi cum Christo sint solliciti; sed quomodo? Christus usum integri sacramenti ideo instituit, ut haec accepta et hausta faciant, ut nos in Christo et Christus in nobis sit. De calice Paulus dicit: omnes in unum Spiritum potati sumus; et Christus inquit, hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quare igitur usum integri sacramenti non concedunt populo? quare calicem novi testamenti cujus mediator Christus est, fideli populo denegant? quare prohibent, ne in unum Spiritum potentur, si de unione fideli populi cum Christo sunt solliciti?* Et postea: *Si allegoria illa urgeatur, quia aquae multae sunt, populi, multiplus sumendum esset de aqua quam de vino. Unum enim est caput, membra vero multa, et parum aquae valde parum de populo adunaret Christo. 6. Significatur unio duarum naturarum in Christo.* Respondemus: distinguendum est inter unionem personalem et sacramentalem. In sacra coena spectatur unio sacramentalis corporis et sanguinis Christi cum externis symbolis, nequaquam vero unio personalis, hoc est sacra coena non instituta est hoc fine, ut repraesentet unionem personalem divinae et humanae naturae in Christo, sed ut corpus et sanguis Christi mediantibus externis symbolis, quibus sacramentaliter unita sunt, nobis communicarentur. Pii veteres, ut Gelasius, Theodoretus et alii, conferunt unionem sacramentalem et personalem, sed modo diverso ab hac repraesentativa aquae et vini mixtione. *7. Potus maxime conveniens humanae naturae est vinum aqua temperatum.* Respondemus: in locis septentrionalibus frigidioribus potus magis conveniens est vinum merum; concedi ergo potest mixtionis illius utilitas respectu calidiorum regionum, in quibus nascuntur vina fortia. Sed consequens, videlicet universalis necessitas mixtionis, ex illo minus recte infertur. Adde quod non propter corporis, sed animae salutem vinum eucharisticum adhibeatur, ut interim nihil dicamus de eo, quod testibus medicis vina quaedam per mixtionem aquae redduntur insalubria.

30. Dixerat Chemnicius ex Luthero: *Si allegoriis liberet ludere, mixtionem aquae cum vino de adulteratione coenae Dominicae exponi posse, cum notum sit, quid Esaias intelligat, cum inquit: vinum tuum mixtum est aqua.* Bellarminus respondet, *in Scripturis unam et eandem rem alio atque alio modo consideratam, nunc bonam, nunc malam habere significationem, et proinde etiam mixtionem aquae cum vino diverso respectu laudari et vituperari.* Atqui non opus erat operosa isthac responsione, cum Chemnicius hanc similitudinem non proferat ut argumentum aliquod nostram sententiam probans, sed ut instantiam, qua Pontificiorum argumenta a significationibus hujus mixturae deducta invalida esse probet; cum enim mixtionis hujus significatio possit esse mala, ideo bonas illas significationes concinne excogitatas necessitatem mixtionis haudquaquam probare docet. Dixerat Chemnicius, *mixtionem aquae esse rem indifferentem.* Bellarminus regerit, *posteaquam expresse imperatum, vel a Deo immediate, vel per concilia et ecclesiam, ut id fiat, non* I. 46.
amplius esse rem indifferentem, sed necessariam. Atqui probandum erat, mixtionem illam immediate a Deo imperatam. Decreta conciliorum et statuta ecclesiae non possunt articulum aliquem fidei contra verbum Dei erigere, aut ritum per se ἀδιάφορον et indifferentem in se et simpliciter necessarium facere, alias decreta conciliorum et consuetudo ecclesiae parem cum verbo Dei obtinerent auctoritatem. Dixerat Chemnicius, *non esse tribuendum mixtioni*

Digitized by Google

aquae cum vino id, quod erat tribuendum communioni, videlicet unire fideles cum Christo. Bellarminus regerit, *id intelligendum esse, non quod per mistionem illam aquae cum vino re ipsa fiat unio populi cum Christo, sed tantum quoad significationem.* Respondemus: cur ergo Julius pontifex c. cum omne crimen. dist. 2. sic loquitur? *quando in calice aqua vino miscetur, tunc populum Christo aduniri et credentium plebem ei, in quem credit, copulari et jungi;* item *si solum vinum offeratur et consecretur, sanguinem Christi esse sine nobis* etc. Haec certe non de nuda significatione, sed de ipsa efficientia diserte loquuntur; adde quod sacramenta id efficiant, quod significant, cum non tantum sint significativa signa, sed etiam effectiva, ut recte alibi disputat Bellarminus.

CAPUT IX.

DE COMMUNIONE SUB UNA SPECIE.

Qu. 6: An vinum benedictum distribuendum sit omnibus communicantibus.

31. Quaeritur 6: An vinum benedictum distribuendum sit omnibus, qui in sacra coena de benedicto pane participant? Sententia nostrarum ecclesiarum haec est, legitimam coenae Dominicae administrationem non consistere in sola manducatione benedicti panis, nec in sola bibitione benedicti vini, sed utrumque ad sacramenti integritatem requiri, tum benedicti panis manducationem, tum benedicti vini bibitionem, ideoque non esse talem separationem faciendam, qua quibusdam tantum benedictus panis et benedictum vinum simul, quibusdam vero tantum benedictus panis sine poculo benedicto detur, id quod sequentibus confirmatum damus argumentis, quorum prima classis ex Scripturis s. altera ex testimonio primitivae ecclesiae; tertia ex ipsorum adversariorum confessione deprometur. Inter argumenta ex Scripturis petita familiam ducit 1. Christi institutio. Quod Christus verus Deus et homo in sacrae coenae institutione conjunxit, id nulli hominum separare licet, Matth. 19, v. 6. Jam vero Christus sacram coenam eo modo instituit, ut non solum in ea benedictus panis et mediante eo corpus ipsius manducetur, sed etiam benedictum vinum et mediante eo sanguis ipsius bibatur, Matth. 26, v. 26. 28. Marc. 14, v. 22. 23. 24. Luc. 22, v. 19. 20. sicque manducationem benedicti panis et bibitionem benedicti calicis conjunxit. Ergo nulli hominum haec separare licet. Circa quam institutionem Christi probe notandum: 1. quod in manducatione sacramentali connectuntur panis et corpus Christi, non autem panis et sanguis Christi; in bibitione sacramentali connectuntur vinum et sanguis, non autem vinum et corpus Christi, unde apostolus 1. Cor. 10, v. 16. *panem* vocat *κοινωνίαν corporis, calicem* vocat *κοινωνίαν sanguinis.* Quisquis igitur sanguinis Christi sacramentalem *κοινωνίαν* desiderat, illum vi institutionis hujus non solum panem benedictum manducare, sed et ex benedicto calice oportet bibere. 2. Quod Lucas in descriptione partis alterius addat vocem *ὡσαύτως similiter*, manifeste ostendens, quod Christus pari modo jusserit benedictum vinum bibere, quomodo jusserat benedictum panem manducare. **Argumentamur igitur: Quaecunque requiruntur ad actus alicujus continentiam, non possunt ab ea separari; etiam humanis legibus applaudentibus lib. 21. et 28. C. de testament. l. heredes §. fin. ff. qui test. fac. possunt. Bibere Christi sanguinem requiritur ad sacrae coenae continentiam. Ergo. Neque enim Christus dixit disjunctive: *edite aut bibite*, sed conjunxit actum bibendi cum actu manducandi per particulum *καὶ* et adverbium *ὡσαύτως*.** 3. Quod Matthaeus in descriptione partis alterius addat particulam universalem: *bibite ex hoc omnes*, quo ipso mandato Christus occurrere voluit disputationibus de concomitantia et libero calicis usu, quasi nullo praecepto divino ad participationem sacri calicis accessuri ad coenam Dominicam astringamur. 4. Quod Christus sacrae coenae institutionem verbis hisce *προστακτικοῖς* concludit: *Hoc facite*, quibus in utraque parte revocat nos ad suam voluntatem, dispositionem ac ordinationem in verbis institutionis expressam, ut in vera fidei obedientia non solum benedictum panem manducemus, sed etiam benedictum vinum bibamus, cum sit *unus magister et doctor noster*, Matth. 23, v. 8. voce coelitus delata audiendus nobis commendatus, Matth. 3, v. 17. cumque proprium sit ovium Christi vocem hujus pastoris sui audire, Joh. 10, v. 27. **Ambrosius in 1. Cor. 11: *Indignus est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter sumit, quam datum est ab auctore.* Claudius de Sainctes repetit. 10. de euchar. c. 1: *Concedamus adversariis, quod postulant, de mysteriis et sacramentis ex eorum institutione optime decerni ac definiri.***

Affirmatur. 1. Christi institutio id requirit.

32. Hoc argumentum cum jugulum causae petat, ideo varias comminiscuntur exceptiones. Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 24. resp. ad locum secundum excipit, *haec verba dici solis apostolis, qui tum ad mensam cum Christo sedebant, nec posse referri ad omnes omnino homines, aut ad omnes Christianos, aut ad omnes fideles adultos.* Respondemus 1. Rosinus in vita Joh. Friderici elect. Saxon. refert, quod pientissimus ille elector in comitiis Augustanis anno 1530. in colloquium cum Pontificiis nonnullis de coena Domini venerit, utrum altera tantum pars, an utraque laicis esset exhibenda? Pontificii pro defensione suae opinionis, qua unam solum partem laicis porrigendam, utramque vero solis sacerdotibus institutam esse statuunt, multa afferebant atque inter alia etiam verba ista institutionis, *bibite ex hoc omnes*, in suam trahere volebant sententiam contendentes, vocem *omnes* notare sacerdotes, non laicos; respondebat illustrissimus princeps, siquidem vera sit sententia, necesse est, ut

Ex... Bel... mi... hae dic... apo...

et alibi et in ista etiam Christi sententia: *mundi estis, sed non omnes*, per vocem *omnes* soli sacrificuli intelligantur, et inde sequi, eosdem impuros et omnis generis vitiis pollutos esse. De alio quodam principe constat, quod locum Hebr. 13, v. 4. praeposteris illis disputatoribus objecerit: *Honorabile conjugium in omnibus et torus immaculatus*, ubi particulam universalem ad solos laicos restringunt, hic vero in verbis coenae ad solos sacerdotes. 2. Sed missis hisce instantiis ad rem ipsam respondemus. Solis apostolis esse dictum: *Bibite ex hoc omnes*, dupliciter intelligi potest, vel id quod dicitur, ad solos apostolos pertinere, vel apostolos tunc praesentes moneri, ut faciant id, quod ipsis cum reliquis fidelibus ad sacram coenam accedentibus est commune. Bellarminus priore modo intelligit, *solis apostolis id esse dictum*, sed hac ratione nulla manet reliqua sacrae coenae institutio, nullum de ejusdem usu mandatum. Dicimus ergo, apostolos in prima illa coena vicem gessisse omnium eorum, quibus coena instituta est, ideo mandatum Christi necessario accipiendum esse de omnibus illis, qui ex Christi mandato benedictum panem in sacra coena manducant. Ut ergo mandatum Christi, *pasce oves meas*, soli Petro quidem datur, id interim tamen ad omnes apostolos et ecclesiae ministros (juxta nostram sententiam, ex Bellarmini autem hypothesi ad omnes Petri in cathedra Romana successores) pertinet; ita solis apostolis in sacra coena dicitur, *bibite ex hoc omnes*, interim tamen ad omnes fideles coelestis hujus convivii futuros hospites revera per-
I. 48. tinet. Sic ergo habet nostrum argumentum: „Quoscunque Christus in sacra coena jubet edere benedictum panem, eos ipsos omnes pariter, nemine excepto, jubet etiam benedictum vinum bibere. Atqui Christus jubet edere apostolos, qui tum temporis omnes hujus coelestis convivii hospites futuros repraesentabant. Ergo apostolos et per apostolos omnes hujus coelestis convivii hospites futuros jubet etiam bibere.“ 3. Concidunt igitur argumenta illa omnia, quibus Bellarminus ex circumstantiis textus probare conatur, solis apostolis a Christo esse dictum: *Bibite ex hoc omnes.* Demus enim ex hypothesi, solos apostolos cum Christo sacrum hoc convivium celebrasse (quamvis forte non improbabile sit, patremfamilias et quosdam domesticos in illis aedibus, in quibus Christus primum sacram coenam celebravit, eidem admotos fuisse); demus, solis apostolis tunc praesentibus et sacram coenam participantibus dictum esse, *bibite ex hoc omnes;* interim manet hoc, quod apostoli vicem gesserint totius ecclesiae, cum institutio sacrae coenae non solos apostolos, sed totam ecclesiam spectet, neque enim aliam coenam apostolis, aliam reliquis fidelibus Christus instituit, sed haec ipsa institutio ad omnia ecclesiae membra pertinet, quae juxta regulam apostolicam probare se possunt. Sic ergo argumentamur: Quam late patet institutio sacrae coenae, tam late etiam patet mandatum Christi, *bibite ex hoc omnes*, jam vero institutio sacrae coenae tam late patet, ut non ad solos apostolos, sed ad totam ecclesiam, hoc est ad omnes fideles, qui probare se possunt, pertineat. Ergo etiam mandatum Christi in hac institutione, *bibite ex hoc omnes*, ad totam ecclesiam pertinet. 4. Id ipsum evidentissime colligitur ex Paulo 1. Cor. 11, v. 23. 24. etc. ubi abusus, qui in Corinthiaca ecclesia circa administrationem sacrae coenae irrepserant, ea ratione corrigit, ut ad primam institutionem Corinthios revocet et ex ea judicium de legitima sacrae coenae administratione fieri velit. Unde sic concludimus: Ad quod norma et regula quaedam divino Spiritu applicatur, ad illud omnino pertinet, alias vitiosa esset applicatio. Atqui institutio sacrae coenae tanquam norma et regula ad sacram coenam in Corinthiaca ecclesia celebratam divino Spiritu ab apostolo applicatur. Ergo ad eandem etiam pertinet, et per consequens ad omnes, quae in omnibus ecclesiis administrantur, cum omnium sit eadem ratio. 5. Idem apostolus ad totam Corinthiacam ecclesiam scribens, integram Christi institutionem repetit 1. Cor. 11, v. 23. sicque re ipsa ostendit, hanc Christi institutionem etiam ad laicos spectare. Quoscunque apostolus ad Christi institutionem revocat, ad eos omnino Christi institutio pertinet. Jam vero apostolus totam ecclesiam Corinthiacam ad Christi institutionem revocat; neque enim solis presbyteris scribit, *sed ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco*, 1. Cor. 1, v. 2. Ergo Christi institutio ad totam ecclesiam Corinthiacam, imo ex consequenti ad omnes ecclesias pertinet. 6. Si obvertere velint, *apostolos in prima institutione designasse solos sacerdotes*, urgemus hoc argumentum: Illos designabant apostoli in prima coena, quorum officium et munus repraesentabant. Atqui non sacerdotum quatenus talium, sed accedentium ad sacram coenam officium et munus repraesentabant. Ergo non sacerdotes, sed in genere omnes ad sacram coenam accedentes designabant. Assumtum probatur, quia sacerdotum quatenus talium (ex hypothesi papistica) officium et munus est sacrificare; sacerdotum (ministrorum ecclesiae secundum phrasin evangelicam) quatenus talium officium ac munus est, benedictum panem et benedictum vinum distribuere, quas partes tunc Christus administrabat, non autem apostoli. Si apostoli repraesentassent sacerdotes, consequens fuerit, etiam clericos non conficientes debere ex calice bibere. Consequens non concedunt Pontificii. Sic ergo concludimus: Quomodo apostoli participarunt sacram coenam, quando non fuerunt conficientes; eodem etiam modo laici sacram coenam participare debent. Ratio est: quia inter sacerdotes non conficientes et laicos respectu communionis (ex hypothesi etiam Pontificiorum) nullum est discrimen, cum utrisque unam solummodo speciem exhibeant et exhibendam censeant. Jam vero apostoli in I. 49.
prima coena, quando non fuerunt conficientes, eo modo hoc sacramentum participarunt, ut non solum

Digitized by Google

benedictum panem ederent, sed etiam ex benedicto calice biberent, ut constat ex verbis Marc. c. 14, v. 23: *Biberunt ex eo omnes.* Ergo etiam laici eodem modo sacram coenam participare debent, ut non solum benedictum panem edant, sed etiam ex benedicto calice bibant. Si dicere velint, hanc apostolorum bibitionem esse ἀδιάφορον et liberam, obstant illis verba Christi, *hoc facite*, quae Johannes a Lovanio et ex illo Bellarminus ad actionem manducandi et bibendi referunt; obstat etiam paritas praecepti in verbis *manducate et bibite.* 7. Si apostoli in prima coena solos sacerdotes designarunt, ita ut, quae ad ipsos dicta, non pertineant ad reliquos fideles, consequens fuerit, institutionem coenae ad solos sacerdotes pertinere, laicos autem non habere institutionem nec mandatum de sacra coena participandi, qua ratione non solum benedictus calix, sed tota sacra coena ipsis eripietur. Si obvertere velint, *in diversorio Emauntico sacram coenam pro laicis institutam esse*, urgemus, ut substantialia coenae in descriptione illius convivii nobis ostendant, quod nunquam poterunt; ut nihil dicamus de eo, quod omnium fere consensu duo illi comites fuerint ex numero septuaginta discipulorum Christi, ideoque sacerdotes potius quam laicos repraesentasse ex hypothesi pontificia essent dicendi. Et quae haec protervia est negare, eucharistiae usum etiam laicis in verbis institutionis praeceptum esse et ex locis peregrinis laicorum communionem accersere? Christus ibi non de munere quodam apostolis proprio, sed de sacramento toti ecclesiae communi egit quaeque ibi apostolis locutus est, ea non ut apostolis, sed ut Christianis locutus est, ut ex declaratione apostolica 1. Cor. 11, v. 23. et seqq. sole clarius constat. Stapletonus in prompt. fer. 3. hebd. sanctae §. ad prius: *Evangelistae modum foedus et N. T. ineundi et perficiendi describunt, Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Marcus addit, et biberunt ex eo omnes. Jam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte apostolorum novum testamentum cum Deo, sicut adspersione sanguinis in populum, quam Moyses fecit, dicens: Hic est sanguis testamenti quod pepigit vobiscum Deus. Propterea in Matthaeo cum dixit Christus: bibite ex hoc omnes, subjunxit ut causam bibendi: hic est sanguis meus novi testamenti, id est ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte vestra novum testamentum; eritis populus Dei hac tessera foederali accepta* etc. Ex his Stapletoni verbis sic inferimus: Aut populus Dei in N. T. populo V. T. in jure communionis sacramentalis postponendus, aut concedendum erit, populum Dei, ut olim externa foederis tessera, sanguinis adspersione, ita nunc quoque calicis communione participare. Prius Stapletonus dicere nequit, quia confert invicem populum V. et N. T. Cassander in Consult. art. 22: *discipulos Christi in prima coena fidelium communicantium personam repraesentasse* agnoscit. 8. Dn. Lutherus l. de capt. Babyl. c. de euch. monet, non sine mysterio Christum dixisse, *bibite ex hoc omnes*, cum non dixerit prius, manducate ex hoc omnes, nimirum praevidit futuros, qui dicerent, panem omnibus dandum, calicem non item. Bellarminus confugit ad traditionem, ex qua probare conatur, Christum etiam dixisse: *Manducate ex hoc omnes.* Sed novit, quae de traditionibus extra Scripturam nostra sit sententia, aliter igitur excipit, videlicet *panem non integrum, sed in particulas fractum, calicem vero unum et eundem apostolis esse datum, ideo ergo Christum dixisse, bibite ex hoc omnes, ut intelligeret primus, non totum sibi exhauriendum, sed tantum relinquendum, quae omnibus sufficeret.* Respondemus: hoc gratis dicitur, num enim adeo vinosos judicabimus apostolos, ut peculiari mandato cavendum fuerit, ne unus calicem exhauriret, qui duodecim personis sufficere potuit? Christus jam ante de calice post esum agni paschalis distributo dixerat, Luc. 22, v. 17: *Accipite et dividite inter vos*, idem in calice eucharistico faciendum esse intelligere poterant. Quidquid sit, ex verbis Christi evidenter colligitur, omnibus illis ex calice benedicto bibendum esse, qui de pane benedicto in sacra coena participant, id quod instituto nostro sufficit. 9. Est et hoc Lutheri argumentum. Iisdem dictum est manducate, quibus dictum bibite. Vel igitur totum sa- X. 50.
cramentum dandum est solis presbyteris, vel simul etiam laicis. Si laicis etiam, ergo omnibus dictum est: manducate et bibite. Si solis presbyteris, ergo non licet laicis dare ullam partem sacramenti, nec eis dictum erit manducate, non enim temere dandum est, cui Christus prima institutione non dedit. Excipit Bellarminus, *etsi Christus non dederit panem laicis, tamen a nobis posse dari, cum nuspiam sit prohibitum.* Respondemus: firmae et immotae sunt hae consequentiae. Si solis apostolis et sub illorum persona solis sacerdotibus dictum est: *bibite*, solis etiam apostolis et in illorum persona solis sacerdotibus dictum erit: *manducate*, quia per vocem ὡσαύτως haec duo indivulso nexu conjunguntur. Item si apostoli solos sacerdotes repraesentarunt, ergo illis solis dictum manducate et per consequens illis solis, non autem laicis sacra coena erit instituta. Nec impedit, quod Christus nuspiam prohibuerit laicis panem benedictum dare, quaeramus enim ex Pontificiis, quis licentiam eam ipsis concesserit, ut laicis solum dent benedictum panem et non etiam benedictum vinum, cum Christus utrumque in institutione conjunxerit? cur sejungunt ac separant ea, quae Christus conjunxit? si ideo dant laicis benedictum panem, quia Christus nuspiam id prohibuit, debebant etiam benedictum vinum illis dare, quia Christus itidem nuspiam id prohibuit. Ubi par ratio, ibi idem omnino jus. In administratione ac dispensatione sacramentorum nihil quidquam suscipiendum, de quo non habetur expressa voluntas instituentis. Quodsi non constat, coenam etiam pro laicis esse institutam, utique non erit eis danda. Bellarminus addit, *Christum alibi jussisse sacramentum laicis dare, quando dixit: Hoc facite.* Sed haec responsio tollit priorem, quod Christus non

Digitized by Google

dederit laicis sacramentum, sed tantum non prohibuerit dari. Si propter verba *hoc facite* laicis danda praecipitur coena, utraque species eis erit tradenda, quia ad utramque partem, videlicet tam manducationem quam bibitionem, haec verba referuntur, ut ex descriptione evangelistarum est manifestissimum. 10. Confirmat hoc tertia Lutheri ratio. Christus dixit, *hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effunditur.* Hic clarissime vides, sanguinem dandum esse omnibus, pro quorum peccatis fusus est. Quis autem audeat dicere, pro laicis non esse fusum? ergo omnibus datur et omnibus dicitur *bibite.* Excipit Bellarminus, *si sanguis Domini omnibus dandus esset, pro quibus esset fusus, dandus omnino esset omnibus hominibus, etiam Turcis, Judaeis, ethnicis et quibuscunque impiis, cum pro illis etiam fusus sit.* Respondemus: argumentum Lutheri hoc est: Pro quibus sanguis Christi effusus est, illis in sacra coena non est denegandus. Atqui non pro solis sacerdotibus, sed etiam pro laicis effusus est. Ergo in sacra coena illis non est denegandus. Ex quo apparet, propositionem hujus argumenti non esse simpliciter et absolute universalem, sed loqui de omnibus coelestis hujus convivii hospitibus, quod nemini eorum sanguis Christi denegandus sit, cum pro omnium peccatis in ara crucis sit effusus. Confirmatur hoc ex fine institutionis. Ideo enim Christus illud ipsum corpus, quod in mortem pro nobis tradidit manducandum, et illum ipsum sanguinem, quem pro peccatis nostris effudit, bibendum in sacra coena offert, ut hoc pretiosissimo pignore de beneficiis, traditione corporis et effusione sanguinis nobis partis, confirmemur. Turcae, Judaei, gentiles et impii, quamdiu sunt ac manent tales, non sunt hujus convivii hospites, nec si tales se esse profiteantur, ad hoc coeleste epulum admittendi sunt; quia sacramenta sunt bona ecclesiae propria, neque objiciendae sunt margaritae porcis, Matth. 7, v. 6. alia vero ratio est fidelium laicorum, qui in vera poenitentia et fide ad hoc coeleste convivium accedunt, et juxta Christi institutionem coenam sibi dispensari petunt, in quibus locum habet illud aureolum Cypriani serm. 1. de lapsis: *Non denegandus populo Christiano Domini sui sanguis, pro cujus confessione sanguinem effundere suum jubetur.* Cogitent piae mentes, quantae sit arrogantiae et audaciae, quod sacrificuli papistici non majus quoddam jus fidelibus laicis ad participandum Christi in coena sanguinem concedant, quam competit Judaeis, Turcis, gentilibus et impiis. 11. Philippus Melanthon
I. 51. ex 1. Cor. 11. probat, praeceptum Domini etiam ad laicos spectare, siquidem toti ecclesiae Corinthiorum apostolus verba coenae praescribit. Excipit Bellarminus, *ecclesiam Corinthiorum utraque specie usam fuisse, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostenderit ac tradiderit, licitam esse communionem sub utraque specie; sed nec Paulum citasse illud mandatum, bibite ex hoc omnes, nec ullo verbo docuisse, esse necessariam omnibus communionem sub utraque specie.* Respondemus: de tota hac re inferius late disputabitur, an scilicet necessitas utriusque speciei ex loco apostolico evinci queat, hoc loco monemus, ne sic quidem Pontificios apostolicae traditioni satisfacere, cum minime liberam sub utraque specie communionem laicis relinquant, sed poculum benedictum iisdem plane denegent, ut ex concilii Constantiensis sess. 13. Tridentini sess. 21. canon. 21. Gregorio de Valent. tractat. de missa p. 65. suo loco plenius docebitur. Quod ergo fatente Bellarmino ex Christi institutione olim erat liberum, id per tyrannidem papae hodie non amplius liberum est, sed contrarium factum est necessarium. Certe apostolus in controversiis de coena apud Corinthios excitatis ad Christi institutionem eos revocat, ostendit igitur, omnium de coena controversiarum decisionem, ex verbis institutionis petendam; ostendit, ad laicos etiam pertinere institutionem coenae et per consequens ad laicos communicantes etiam pertinere, quod a Christo dictum est, *accipite, bibite.* Mandatum Christi *bibite ex hoc omnes,* aut pertinet ad solos sacerdotes, aut ad omnes omnino communicantes. Si prius, consequens fuerit, nefas esse, ullum hominem bibere, qui non sit ecclesiae minister, sive, ut Pontificii loquuntur, sacerdos. Falsum ergo erit, quod hoc loco Bellarminus asserit, communionem laicorum sub utraque specie fuisse olim licitam. Si posterius, consequens fuerit, bibitionem benedicti poculi sine transgressione divini praecepti non posse ab ullo communicantium omitti. Eligat ex his alterutrum. 12. Dn. Chemnicius urget hoc argumentum: jubet Christus, ut apostoli faciant hoc, quod ipse fecit. Atqui ipse tria fecit, accepit, benedixit et distribuit omnibus communicantibus utramque speciem. Idem ergo apostolos et fideles successores facere convenit. Priora duo edite, bibite, synodus Tridentina vult ad laicos etiam pertinere; ergo et tertium illud ad laicos pertinet. Bellarminus excipit, *Chemnicium falso hoc tribuere concilio Tridentino.* Atqui si concilium concedit, etiam laicis dictum esse bibite, dispositio concilii erit contra institutionem et praeceptum Christi. Vicissim, si concilium statuit, non esse necessarium calicis usum in communione laicorum, utique re ipsa statuit, praeceptum de bibendo non pertinere ad laicos. 13. Hamelmannus in lib. de utraque specie profert hoc argumentum: Si solis apostolis dictum esset, bibite ex hoc omnes, ergo soli episcopi, non omnes in genere sacerdotes communicare deberent sub utraque specie. Illi enim soli sunt apostolorum successores ex hypothesi Pontificiorum. Bellarminus excipit, *etiam sacerdotes succedere apostolis, quatenus ad illos pertinet praeceptum conficiendae eucharistiae, quod datum fuit apostolis per illa verba: hoc facite in mei commemorationem.* Respondemus: absurda illa expositio, quod apostoli et ipsorum successores per haec verba constituti sint missifices et sacrificuli, suo loco refutabitur. Vera illorum verborum sententia haec est, quod totam sacrae coenae actionem recipiant, tam δόσιν scilicet quam λῆψιν, hoc sensu, quod apostoli et eorum suc-

Digitized by Google

cessores debeant panem et vinum accipere, benedicere et communicantibus distribuere; quodque communicantes utramque speciem accipere debeant. Haec verborum sententia ne ab ipso quidem Bellarmino improbari potuit. Sic enim scribit sub finem hujus 25. c.: *Videtur sententia Johannis a Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam ad omnia referri, id est ad id, quod fecit Christus, et id, quod egerunt apostoli, ut sensus sit, id quod nunc agimus, ego, dum consecro et porrigo, et vos, dum accipitis et comeditis, frequentate deinceps usque ad mundi consummationem. Profert enim praedictus auctor veteres patres, qui illa verba modo referunt ad Christi actionem, ut Cyprianus epist. 3. lib. 2. Damascenus lib. 4. de fide c. 14. modo ad actionem discipulorum, ut Ba-*
X. 52. *silius lib. reg. moral. regul. 21. et Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joh. c. 58. Paulum autem idem auctor docet referre potissimum ad actionem discipulorum, id quod ex instituto et proposito Pauli manifestum fieri potest.* et lib. 4. de euch. c. 16: *Lucas illud, hoc facite, retulit ad actionem benedicendi et distribuendi, quas expresserat, et simul etiam ad actionem manducandi.* Postea: *Dicat aliquis: videtur Paulus 1. Cor. 11. restringere illud facite ad actionem manducandi et bibendi, ait enim, hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem, ac si dicat, quotiescunque biberitis, bibite in memoriam passionis meae. Respondeo autem: non restringit apostolus, sed exemplum ponit in una actione, quod facere potuisset de aliis duabus, quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucae magis universalibus.* Haec omnia Bellarminus, ex quibus hoc modo argumentamur: quibus dictum est, *bibite*, iis etiam dictum est, *hoc facite.* Sed sub persona apostolorum non solis sacerdotibus, sed omnibus Christianis dictum est, *bibite*, ut superius demonstratum fuit. Ergo omnibus Christianis dictum, *hoc facite.* Si verba, *hoc facite*, tantum de consecratione, non autem de usu coenae accipiuntur, nullum erit mandatum de usu coenae, quod absurdum. Connexio probatur: usus sacrae coenae mandatus est aut verbo *edite* tantum, aut verbo *bibite* tantum, aut verbis *hoc facite*, id est utroque conjunctim. Atqui non tantum verbo *edite*, (repugnat enim institutio, repugnat exemplum apostolorum in prima coena, repugnat praxis ecclesiae primitivae, repugnat vocabulum ὡσαύτως apud Lucam, repugnat paritatis ratio inter utrumque verbum edite et bibite) neque tantum verbo *bibite* (quod iisdem rationibus confirmatur). Ergo usus sacrae coenae mandatus est verbis *hoc facite*, id est utroque conjunctim *edite*, *bibite*, ex quo immediate sequitur, illos, qui sacra coena uti volunt, juxta Christi institutionem non solum edere, sed etiam bibere oportere. 14. Est et hoc Hamelmanni argumentum: Christus dicit Marc. 13, v. 37: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ergo illud *bibite ex hoc omnes*, apostolis dictum, omnibus dictum censendum est. Bellarminus excipit, *in specie de vigilantia omnibus praecepta verbum Christi intelligendum, alioqui si omnia, quae dicta sunt apostolis, ad omnes pertinerent, oporteret omnes ire in mundum universum* etc. Respondemus: quae apostolis dicta, in triplici sunt differentia: quaedam sunt mandata personalia, quae ad solos apostolos pertinent, utpote Matth. 10, v. 5: *In viam gentium ne abieritis;* v. 9: *nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris*, v. 10: *non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* etc. quaedam sub persona apostolorum omnibus ecclesiae ministris ipsorum successoribus dicta sunt, utpote Matth. 28, v. 19: *Praedicate evangelium, baptizate.* Luc. 24, v. 47: *Praedicate poenitentiam et remissionem peccatorum* etc. quaedam vero sub persona apostolorum omnibus fidelibus dicta sunt, utpote Matth. 5, v. 16: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra.* Marc. 13, v. 37: *Quod vobis dico, omnibus dico: vigilate.* Mandatum autem illud in sacra coena, *bibite ex hoc omnes* in persona apostolorum ad omnes Christianos dictum esse, superios demonstratum fuit ex eo, quia institutio sacrae coenae totam ecclesiam spectat et ex aliis fundamentis compluribus Theodoretus in 1. Cor. 11: *Mensa Dominica omnibus ex aequo est proposita.* Non ergo ad primam, nec ad secundam, sed ad tertiam dictorum Christi classem pertinet. 15. Dn. Chemnicii etiam haec est observatio, Christus ὡσαύτως *similiter* jubet calicem distribuere, sicut ipse fecerat, ostendit igitur, eandem esse rationem panis et vini. Ut ergo Christus utramque speciem apostolis distribuit, ita successores apostolorum non tantum debent consecrare et sumere, sed etiam omnibus sacra coena utentibus utramque speciem dare. Bellarminus excipit: *Mirabilis est providentia in sacris literis, nam ut non haberent haeretici justam excusationem, sustulit eis omnem tergiversandi rationem. Nam Lucas illud hoc facite, posuit post datum sacramentum sub specie panis, post datum autem calicem non repetivit, ut intelligamus, jussisse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribueretur sacramentum, sub specie autem vini non item.* Respondemus: imo vero X. 53.
mirabilis est Bellarmini in pervertendis Scripturis impudentia et intelligendis coecitas. 1. Cor. 11, v. 25. ipsi calici mandatum, *hoc facite*, diserte subjungitur. Sic enim habent verba: *Similiter et calicem postquam coenavit dicens: Hic calix novi testamenti est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis.* Si ergo panis distribuendus est omnibus propterea, quia Christus referente Luca post datum sacramentum sub specie panis dixit, *hoc facite;* utique etiam calix omnibus distribuendus erit, propterea quia Christus referente Paulo post datum calicem repetivit, *hoc facite.* Nec valet Pistorii argutia, qui secutus Bellarminum in hoc c. §. jam vero illud, ex προσδιορισμῷ *quotiescunque biberitis*, colligit, *Christianos non semper calicem, sicut panem usurpaturos, sed tantum quotiescunque biberent, debere eos id facere in Christi commemo-*

Digitized by Google

rationem. Idem enim προσδιορισμὸς additur manducationi v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis.* Adde quod apostolis dictum sit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis*, illis ergo liberum fuisset bibere vel non bibere ex benedicto calice; quod absurdum. Ut interim nihil dicatur de eo, quod Pistorius sibi contradicens verba *hoc facite* alibi exponat per sacrificate et ad apostolos tantum referat, ac quod Bellarminus ea generaliter exponat de omnibus actionibus apostolorum ac notanter scribat, apostolum non restringere haec verba ad actionem manducandi et bibendi, sed exemplum ponere in una actione, quod etiam facere potuisset de aliis duabus (benedicendi ac distribuendi). Ergo ex hypothesi Pistoriana consequens foret, non semper benedictionem ac distributionem in sacra coena requiri, cum de illis etiam actionibus verba Christi, *hoc facite*, fatente Bellarmino sint intelligenda. Magis adhuc frivola est Bellarmini argutia, *quod verbum ὡσαύτως acceptionem, non autem distributionem calicis notet, cum Christus non fregerit calicem (sicut panem) nec diviserit ipse discumbentibus, sed dederit integrum, ut unus alteri porrigeret;* at hac ratione δόσις cum modo δόσεως confunditur. Sufficit nobis, Christum similiter, ὡσαύτως, dedisse calicem, sicut panem dederat, licet modus δόσεως utrobique variet. Perstat ergo immotum argumentum: Christus jussit hoc facere in coenae administratione, quod fecit ipse. Atqui ipse non solum benedictum panem, sed etiam benedictum calicem distribuit. Ergo nobis etiam hoc faciendum est. Particula ὡσαύτως bibitionem cum manducatione tanquam alteram hujus sacramenti partem connectit, postea utrique subjungitur, *hoc facite.* Quodcunque ergo est pars sacramenti, illud ministri ecclesiae distribuere et communicantes suscipere tenentur vi praecepti, *hoc facite.* Jam vero bibitio vini eucharistici est pars sacramenti, quia per particulam ὡσαύτως manducationi annectitur. Ergo vinum eucharisticum ministri ecclesiae distribuere et communicantes suscipere tenentur. Nugatorium plane est, quod Bellarminus addit: *Paulus cum 1. Cor. 11. habeat eandem particulam similiter, non tamen habet dedit, sed solum accepit. Ergo illud similiter non potest referri ad verbum dedit.* Atqui hac ratione ex subordinatis fiunt pugnantia, Christus *similiter* accepit calicem, ut panem acceperat; *similiter* dedit calicem, ut panem dederat; ideo in descriptione posterioris partis apud Lucam ex priore parte repetenda sunt verba λαβὼν ἔδωκεν, quod qui negatum it, is negat, solem in meridie lucere. Atque haec sunt Bellarmini effugia, quibus impetum Achillis nostri (ita enim appellat hoc argumentum ex verbis institutionis deductum) sustinere atque ab eo se tutum praestare conatur. Solis apostolis dictum putat, *bibite ex hoc omnes*, ideo de communicatione laicorum sub utraque specie ex verbis illis nihil concludi posse, perinde ut theologi Pontificii ad hanc rem delecti in scripto German. de usu unius speciei in sacra coena jussu episcop. et principum Romano-Catholicorum Monach. ann. 1565. edito f. 205. 206. scribunt: *Officium missae tantum a Christo institutum, de communione vero laicorum nullam institutionem a Christo factam.* Item f. 200: *Quod attinet communionem laicorum, de ea Christum in coena nihil instituisse, nec ordinasse, qua ratione laicis sacra coena sit administranda* etc.

33. Cap. 27. Bellarminus alia ratione infringere conatur argumentum ab institutione Christi petitum. Cum enim formasset hoc enthymema: Christus instituit coenam sub duplici specie. Ergo sub duplici sumenda est, alioqui non erit coena, sed pars coenae; tale subjungit responsum: *Si proprie et secundum evangelium loqui velimus, coena Domini non constat nisi ex una specie. Nam Luc. 22. sic legimus: Coenantibus illis accepit Jesus panem, et postmodum multis interjectis similiter et calicem, postquam coenavit. Et 1. Cor. 11: Similiter et calicem, postquam coenavit. Itaque in coena non dedit nisi eucharistiam sub specie panis, quae proprie respondet coenae Judaicae et agno paschali, post coenam autem dedit calicem. Unde etiam Cyprianus serm. 5. de lapsis dicit, calicem offerri debere praesentibus post expleta solennia, hoc est finita jam missa.* Respondemus: nihil poterat absurdius a Bellarmino dici. 1. Enim contradicit sibi ipsi, siquidem c. 22. hujus lib. §. utraque concedit *duo illa signa, videlicet speciem panis et speciem vini, esse partes integrales hujus sacramenti.* c. 23. resp. ad 4. arg. diserte scribit, *sacramentum sub duplici specie institutum;* quomodo igitur eucharistia non nisi ex una specie constabit? 2. Contradicit concilio Constantiensi, cujus haec sunt verba sess. 13: *Licet Christus instituerit et dederit sacramentum post coenam sub utraque specie discipulis, hoc tamen non obstante* etc. Idem repetit concil. Trident. sess. 21. c. 1. et 3. 3. Contradicit manifestissimae veritati. Testantur enim evangelistae, Christum non solum corpus suum in sacra coena mediante benedicto pane manducandum instituisse et discipulis tradidisse; sed etiam sanguinem suum mediante benedicto vino bibendum et instituisse et tradidisse. Atque haec duo, manducatio scilicet et bibitio, per particulam ὡσαύτως ita connectuntur, ut unius ejusdemque sacramenti partes integrales. 4. Inde apostolus 1. Cor. 10. et 11. manducationem et bibitionem perpetuo conjungit. 5. Quod Christus multis interjectis calicem eucharisticum discipulis dederit, aperte falsum est; quia inter distributionem benedicti panis et distributionem benedicti calicis nihil quicquam, ne ab uno quidem evangelista, medio loco interjicitur, sed tota sacrae coenae sub utraque specie institutio et administratio, velut unus et continuus actus describitur. Sic enim habet descriptio institutionis apud Matth. c. 26, v. 26: *Coenantibus illis accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite, comedite, hoc est corpus*

X. 54. Alia Bellarmini exceptio, coenam Domini non constare nisi una duntaxat specie.

Digitized by Google

meum; v. 27: *et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes;* v. 28: *hoc enim est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Eodem modo Marcus institutionem describit, nisi quod addit, apostolos *ex calice bibisse omnes*, c. 14, v. 23. 6. Quod Lucas et Paulus addunt, Christum μετὰ τὸ δειπνῆσαι calicem distribuisse, nequaquam probat, eucharistiam non nisi ex una specie constare ac Christum multis interjectis calicem non ut sacramenti alteram partem, sed ut ἐπείσαγμα quoddam discipulis distribuisse, id enim reliquorum evangelistarum descriptioni evidenter repugnaret; sed respectum habent ad agnum paschalem, post cujus esum atque usum hoc sacratissimum mysterium illius ἀντίτυπον a Christo fuerit institutum. 7. Est ergo ambiguitas in vocabulo δειπνῆσαι. Bellarminus illud de δείπνῳ κυριακῷ videtur intelligere, quasi integra sacra coena fuerit absoluta, cum Christus calicem eucharisticum discipulis exhiberet. Evangelistae vero hoc intelligunt de agni paschalis esu et vulgari coena, post cujus usum sacra coena a Christo fuit instituta et administrata. 8. Opponimus igitur Bellarmino hanc ἀπόδειξιν: calix, quem Christus discipulis μετὰ τὸ δειπνῆσαι dedit, aut fuit vulgaris aut sacramentalis. Prius dici nequit, quia Christus de hoc calice pronuntiat, quod sit novum testamentum in suo sanguine. Ergo fuit calix sacramentalis sive mysticus. Si fuit calix sacramentalis, aut novum ac peculiare, aut una cum benedicto pane unum atque idem sacramentum constituit. Prius dici nequit, alias apostoli duo distincta sacramenta perce-
X. 55. pissent; manet igitur posterius, quod calix eucharisticus una cum benedicto pane sacramentum unum constituat, id est, quod unius ejusdemque sacramenti duae sint integrales partes, manducatio scilicet benedicti panis et bibitio benedicti calicis. 9. Quod Bellarminus addit, *etiamsi coena Domini utraque specie constaret, tamen quia qualibet species continet rem utriusque speciei, ideo tam esse integram coenam ex una specie, quam ex duabus*, id ex hypothesi concomitantiae petitum, de qua suus erit disserendi locus. Arguit haec additio, fulgorem veritatis clausos Bellarmini oculos penetrasse, ut agnoverit, Christum sub utraque specie sacram coenam instituisse.

Gregorii de Valentia et Becani exceptio: Distinguendum esse inter institutionem et praeceptum.

34. Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 6. q. 8. punct. 5. et ex eo Martin. Becanus disput. de communione sub utraque specie c. 1. agnoscere videntur, nimis audacter negari, quod institutio sacrae coenae etiam ad laicos pertineat et utramque speciem complectatur, aliud ergo excogitant effugium, distinguendum enim censent *inter institutionem et praeceptum, communionem sub utraque specie a Christo quidem institutam, non tamen praeceptam. Multa a Deo instituta sunt*, scribit Becanus, *quae tamen omnibus praecepta non sunt, ut matrimonium, ordo ecclesiasticus, praedicatio evangelii, officium baptizandi et plura alia. Non enim tenentur omnes ex praecepto divino inire matrimonium, suscipere ordines ecclesiasticos, praedicare evangelium, baptizare catechumenos. Unde sicut haec consequentia non valet: matrimonium est a Deo institutum, ergo omnibus praeceptum est; ita similiter haec non valet: communio sub utraque specie a Christo instituta est, ergo omnibus praecepta.* Respondemus: 1. Bellarminus hanc distinctionem inter institutionem et praeceptum non concederet, sed ad ἔνστασιν de matrimonio et ordine ecclesiastico lib. 4. de euch. c. 25. §. Sed etiamsi ex August. lib. 3. de doctr. Christ. c. 17. aliter responderet, *multa scilicet in Scripturis praecepta dari universae ecclesiae, quae sint implenda per aliquos, non autem per singulos, quale illud crescite et multiplicamini, quod generi humano dicitur, sic tamen, ut satis sit, si per aliquos species humana propagetur et non cogantur omnes liberis procreandis operam dare.* 2. Nos simplicius respondemus, distinguendum esse inter institutionem status et inter institutionem ritus. Institutio status est ordinatio alicujus officii vel vitae generis; sic Deus instituit ordinem ecclestiasticum, politicum et oeconomicum, et hi status Deum auctorem habent. Institutio ritus est ordinatio alicujus certae rei ab hominibus observandae ac faciendae; sic Deus instituit baptismum et vult hunc ritum in ecclesia observari. Quamvis ergo institutio status simpliciter et absolute loquendo sine relatione ad personas non sit universaliter obligatoria, tamen institutio ritus et alicujus faciendi semper est obligatoria. Rationem petimus ex fine, ideo enim Deus instituit ritum aliquem, ut ad eum observandum homines obliget, ergo finis institutionis non est nuda γνῶσις, sed πρᾶξις. Unde tale nascitur argumentum: Quidquid hoc fine proponitur, ut fiat, illud ad faciendum obligat et per consequens est praeceptum. Institutio divina hoc fine proponitur, ut fiat. Ergo ad faciendum obligat et per consequens est praeceptum. Voluntas Dei est regula et norma actionum humanarum. Unde sic colligimus: Quidquid proponit voluntatem Dei de aliquo faciendo, per illud ad obedientiam obligamur. Institutio ritus proponit voluntatem Dei de aliquo faciendo. Ergo per institutionem ritus ad obedientam obligamur; et per consequens est praeceptum, quia praeceptum nihil aliud est quam obligatio ad obediendum in re praescripta. 3. Id ipsum probamus a minori ad majus. Constitutiones magistratus sunt praecepta obligatoria, quibus subditi tenentur obstricti. Ergo multo magis divina institutio est obligatoria. Connexio est evidens. *Deo enim magis obedire oportet quam hominibus*, Actor. 5, v. 29. Nec de antecedente dubitare potest, qui ferendarum legum potestatem magistratui competere agnoscit. 4. Deducimus adversarios ad absurdum. Instituta pontificis Romani
ex hypothesi illorum obligant etiam in conscientia, X. 56.
ita enim disputat Bellarminus lib. 4. de pontific. Rom. c. 16. *quod papa habeat potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, quae conscientias obligent*, imo c. Nulli. et c. Violatores. 25. q. 1. as-

Digitized by Google

seritur, quod papae leges et decreta violare sit blasphemia in Spiritum sanctum et peccatum irremissibile. Qua igitur veritatis specie, qua fronte statuitur, non omnem institutionem divinam esse obligatoriam, nec esse praeceptum? an non hac ratione instituta pontificis supra divinas institutiones evehuntur? 5. Nimirum qualis est distinctio Stapletoni in antid. ad c. 7. Rom. et Bellarmini lib. 5. de amiss. grat. et statu peccati c. 10. quod *lex divina quaedam prohibeat per modum obligationis, quaedam vero per modum doctrinae;* talis etiam est haec Gregor. de Valentia et Becani inter institutionem ac praeceptum distinctio, utraque scilicet nugatoria. Quemadmodum enim omne illud, quod lex prohibet, non solum per modum doctrinae, sed etiam per modum obligationis prohibet, ut ostendimus in tract. de peccat. actual. §. 43. ita etiam omnis institutio facti sive ritus (de ea enim hic loquimur) est praeceptum obligans homines ad illud, quod Deus instituit et ordinavit. 6. Relinquitur ergo firmum fixum, quod omnis institutio ritus sit praeceptum ac proinde obligatoria. Quod vero dictum fuit, institutionem officii simpliciter et absolute loquendo non esse obligatoriam, id hoc modo intelligendum. Institutio status sive officii, si absolute et simpliciter consideretur, non obligat indiscrete omnes omnino homines, proinde hoc modo considerata non est obligatoria. Sed si respectus habeatur ad illos, quibus status est institutus, tunc invenitur quaedam obligatio. Sic matrimonium sua natura liberum est, illi vero, qui continere nequeunt, vi divinae institutionis ad illud obligantur. 1. Cor. 7, v. 2: *Propter fornicationem habeat unus quisque uxorem suam.* Ministerium est officium sua natura liberum, qui vero donis sufficientibus instructi sunt et legitime ad illud vocantur, illi Deo hac in parte obedire tenentur. 7. Porro quod institutio sacrae coenae non sit institutio status et officii, sed ritus et facti, id evidenter apparet ex re ipsa, siquidem institutio sacrae coenae continet testamentariam Christi dispositionem de manducando suo corpore mediante benedicto pane et bibendo suo sanguine mediante benedicto vino; in qua sanctissima ordinatione Christus expressis et conceptis verbis declarat, non solum quid nobis offerat, sed etiam quid a nobis fieri velit. *Accipite, edite; hoc facite,* inquit. Non ergo simplicem utriusque speciei institutionem, sed et disertum Christi mandatum ei adjunctum habemus, ut absurdum plane sit, si quis institutionem a praecepto in hoc negotio velit separare. Quidquid enim Christus instituit hoc fine, ut fiat, et quidquid faciendum praecipit, illud omnino est praeceptum et a nobis faciendum. Jam vero utramque speciem Christus instituit hoc fine, ut accipiatur, et eam accipiendam praecepit. Ergo omnino praeceptum est utramque speciem accipere. Vi ergo hujus divinae institutionis omnes, quibus sacra coena instituta est, et ad quos haec institutio pertinet, tenentur non solum manducare, sed et bibere. Jam vero non solis apostolis, nec solis clericis, sed omnibus Christianis, qui juxta regulam apostolicam probare se possunt, sacra coena est instituta ad omnes haec institutio pertinet, ut superius demonstravimus. Ergo non soli apostoli, nec soli clerici, sed omnes omnino Christiani, qui probare se possunt, tenentur non solum manducare, sed etiam bibere. Haec enim vis est divinae institutionis, ut non partem aliquam, sed totam observare teneantur, quibus illa praescripta est. Jam vero duae sunt institutionis partes, manducatio benedicti panis et bibitio benedicti vini. Ergo non alicujus partis observatione, videlicet manducatione, sed totius observatione, videlicet et manducatione et bibitione, institutioni divinae satisfieri debet. 8. Si Becanus excipiat, *communionem sub utraque specie non ad essentialia, sed ad accidentalia,* seu ut ipse loquitur, *circumstantialia coenae pertinere,* repetimus et urgemus nostrum argumentum: Quidquid est pars divinae institutionis, ad illud vi ejusdem institutionis obligamur. Jam vero ex calice benedicto vinum et mediante illo sanguinem Christi bibere est pars divinae institutionis. Ergo ad bibitionem ex calice obligamur. Assumtum ex verbis institutionis evidens est. Christus enim non solum manducationem corporis sui mediante pane, sed etiam bibitionem sanguinis sui mediante vino instituit; cum dixisset, *accipite, edite, hoc est corpus meum,* ὡσαύτως de calice dixit: *bibite ex hoc omnes, hic calix est novum testamentum in meo sanguine.* Elementum sive symbolum externum in sacramentis non est accidentaria quaedam circumstantia, sed pars essentialis, pertinet enim ad materiam sacramenti. Jam vero calix eucharisticus est symbolum externum sive elementum in sacramento coenae. Ergo non est accidentaria quaedam circumstantia, sed pars essentialis. Quidquid autem sacramento est essentiale, ad illius usurpationem vi institutionis divinae omnes sacramento utentes obligantur. Calix eucharisticus est sacramento coenae essentialis. Ergo ad calicis eucharistici usurpationem vi institutionis divinae omnes utentes obligantur. Verba coenae manifeste ostendunt, distincte exprimi symbola externa gemina, panem et vinum, ac rem coelestem corpus et sanguinem Domini; distincte etiam utramque actionem sacramentalem, manducandi et bibendi, exprimi, quae omnia per particulam ὡσαύτως ita connectuntur, ut manifestum sit, ad unius sacramenti essentiam ea ut partes essentiales pertinere. Vide D. Balduinum in notis ad disp. Becani de communione sub utraque specie, et D. Meisnerum p. 2. sobr. phil. s. 2. c. 3. qu. 4. X. 57.

35. Alterum argumentum nobis suppeditat exemplum Christi, quamvis enim uno eodemque tempore, quin etiam uno eodemque actu Christus sacram coenam instituerit et primitus administrarit, tamen discrimen quoddam formale constitui potest inter institutionem et primaevam illam administrationem. Institutio totam ecclesiam spectat; administratio vero solos apostolos tunc praesentes. Institutio adhuc hodie durat et efficax est; administratio fuit actus 2. Quia Christus utramque speciem distribuit.

Digitized by Google

transitorius. Vi institutionis Christus adhuc praesens est in sacra coena et corpus et sanguinem suum in ea dispensat, sed non amplius immediate in propria persona eam administrat. Inde concil. Constant. sess. 13. haec duo distinguit, quod Christus venerabile sacramentum sub utraque specie et instituerit et administrarit. Sic igitur argumentamur: Quomodo Christus administravit primam coenam, eo etiam modo adhuc hodie in ecclesia est administranda. Atqui Christus eo modo administravit primam coenam, ut non solum benedictum panem manducandum, sed etiam benedictum vinum bibendum apostolis distribuerit. Ergo etiam eo modo adhuc in ecclesia coena est administranda. Circa propositionem majorem notanda est distinctio inter essentialia et accidentalia; de illis propositio major intelligenda est, non autem de hisce. Jam vero distributio benedicti calicis non pertinet ad accidentalia sive circumstantias externas, sed ad essentialia. Non est ergo quod Bellarminus et Becanus nobis obvertant, ex hoc argumento sequi, quod vesperi sit communicandum, post lotionem pedum, in aedibus privatis, more discumbentium etc. haec enim omnia non sunt essentiales partes, sed circumstantiae tantummodo primaevae administrationis. Quod autem distributio benedicti calicis sit pars essentialis, patet ex eo: 1. quia calix, sive, quod idem est, vinum in calice, est symbolum hujus sacramenti externum; 2. quia bibitio est peculiaris actus sacramentalis a manducatione distinctus, eidem tamen per particulam ὡσαύτως connexus; 3. quia quaecunque probant, manducationem esse partem essentialem sacrae coenae, ea omnia etiam probant, bibitionem esse partem essentialem: 1. idem Christus utrumque dixit *edite*, *bibite;* 2. ad eosdem; 3. in modo imperativo; 4. in numero plurali; 5. utrique subjungitur praeceptum, *hoc facite;* 6. utrumque exprimit actionem sacramentalem; 7. nec ulla potest ostendi diversitatis ratio. Ergo ut manducatio est pars essentialis, ita quoque bibitio. Confirmatur argumentum ex manifesto praecepto primaevae administrationi addito, *hoc facite.* Tiletanus in refut. confess. Antverp. c. de coena disputat, *verba Christi bibite*, *hoc facite*, *adhortative accipi posse;* sed Christus sacramenta sua non in-
x. 58. stituit, ut liberum reliquerit nobis homuncionibus eis utendi vel non utendi. Si verba isthaec *bibite*, *hoc facite* sunt tantum adhortatoria, consequens fuerit, verbum *manducate* itidem esse tantum adhortativum, sicque usus coenae erit arbitrarius. Item verbum *baptizate* itidem erit adhortativum. Recte igitur Tiletano hoc obvertit Flacius in respons. ad hanc refutationem, quod Albertus Magnus in tractat. de officio missae et Reinerus agnoscant, *Christum praecepisse de calice bibere*, quodque Theodoricus Maleotus anno 1567. Lavonii Brabanticum libellum de missa ediderit, in quo diserte scribit, *illis verbis*, *bibite*, *hoc facite*, *praeceptum contineri.* **Corn. Jansenius c. 131. conc. evang. p. 903: *Mandavit Christus*, *ut poculum similiter omnibus porrigeretur.*** Tiletano audacior est Becanus, qui disputat c. 10. disput. de comm. *evangelistarum narrationem esse tantum historicam commemorationem*, *quid Christus egerit cum apostolis*, *non autem quid porro alios facere velit.* Quando autem quaeritur de praecepto coenae, respondet, *de utraque specie nusquam datum a Christo praeceptum; de eucharistia abstrahendo ab una vel utraque specie datum esse Joh. 6*, *v. 53. nisi. manducaveritis* etc. Atqui 1. evangelistae non solum administrationem, sed etiam institutionem sacrae coenae describunt. Christus enim non solum cum apostolis ibi egit coenam illis administrans, sed peculiare N. T. sacramentum instituit ad totam ecclesiam pertinens et ad finem usque mundi duraturum. 2. Verba Christi *hoc facite*, quocunque modo exponantur, sive ad aliud, quod Dominus egit, hoc est consecrationem et distributionem, sive ad id, quod egerunt discipuli, hoc est manducationem et bibitionem; sive ad utrumque simul, quod est verissimum, referantur, manifeste ostendunt, non tantum historicam transitorii actus commemorationem ab evangelistis describi, sed institutionem sacratissimi sacramenti postmodum etiam in ecclesia repetendi, 1. Cor. 11, v. 25: *Hoc facite*, *quotiescunque biberitis.* 3. Si nullum mandatum de eucharistia in his verbis habetur, consequens est, nullum prorsus sacramentum ea nocte, qua traditus est, a Christo fuisse institutum. 4. Sacramenta sunt bona communia totius ecclesiae, preinde non aliud sacramentum Christus dedit apostolis, aliud vero reliquis fidelibus instituit, sed ut apostolos in sacra coena jussit manducare et bibere, ita quoque reliquos fideles in usu sacrae coenae hoc vult facere, agit enim non de munere quodam apostolis peculiari et proprio, sed de sacramento toti ecclesiae communi. 5. Verbum illud, *edite*, *bibite*, dictum est apostolis, aut ut erant apostoli, aut ut sacerdotes, aut ut fideles, hoc est Christiani. Si statuitur primum, consequens erit, neminem debere sacram coenam participare, nisi qui sit apostolus. Si statuitur secundum, consequens erit, solis sacerdotibus institutam esse sacram coenam. Utrumque consequens repugnat textui Paulino 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc* etc. Relinquitur igitur, apostolis hoc esse dictum, ut erant fideles, id est Christiani, ac proinde institutionem etiam pertinere ad laicos. 6. In concione Christi Joh. 6. non potest quaeri mandatum de eucharistia, quia ibi agitur non de manducatione sacramentali, sed spirituali, ut suo loco plenius demonstrabitur. Adde, quod ibidem distincte fiat mentio carnis et sanguinis, manducationis et bibitionis, sic enim habent verba, *nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem*, *non habebitis vitam in vobis.* Si ergo eucharistia ibidem mandata, utique species utraque mandata erit. Si prius membrum continet praeceptum, cur non et posterius? Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 25. regerit: *1. Vim hujus praecepti in re*, *quae sumitur*, *non in modo sumendi*

Digitized by Google

consistere; 2. in Scripturis saepenumero conjunctionem et *accipi pro disjunctiva;* aut *3. multa esse in Scripturis praecepta, quae dantur universae ecclesiae, sed implenda sunt per aliquos, non per singulos.* Respondemus: nequaquam directe ex c. 6. Johannis pro communione sub utraque specie concludimus, cum in eo non de sacramentali, sed spi-
I. 59. rituali corporis et sanguinis Christi communione agatur, sed κατ' ἄνθρωπον ex hypothesi Pontificiorum hoc argumentum urgemus. Si enim nullum aliud de eucharistia mandatum exstat, quam quod in c. 6. Joh. v. 53. proponitur, utique species utraque mandata erit, cum distincte manducationis et bibitionis fiat mentio. Quod igitur Bellarminus respondet, non rem, sed modum rei ibidem praecipi, item conjunctionem *et* pro disjunctiva *aut* accipiendam, id tum demum habet locum, si haec concio Christi de spiritualis carnis et sanguinis participatione accipiatur, ut revera accipienda est, nequaquam vero si de sacramentali intelligatur, ut Bellarminus eam intelligit. Constat enim ex verbis institutionis, non solum rem, id est manducationem carnis et bibitionem sanguinis, sed etiam modum rei, id est manducationem carnis sub specie panis et bibitionem sanguinis sub specie vini, a Christo in eucharistia praescriptam, nec separatim, sed conjunctim manducationem et bibitionem institutam esse. Quod denique additur, multa in Scripturis praecepta ecclesiae universae dari, quae non sint implenda per singulos, sed per aliquos ex omnibus, id nec in spirituali, nec in sacramentali carnis et sanguinis Christi participatione locum habet, prior enim absolute ab omnibus Christianis, posterior a fidelibus adultis, qui probare se possunt citra casum privationis, necessario requiritur.

Quia [illegible] utraque speciei [illegible] refert.

36. Tertium ex Scripturis argumentum suppeditat repetitio institutionis apostolica 1. Cor. 11, v. 20: *Convenientibus vobis in unum jam non est Dominicam coenam manducare;* v. 21: *unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum* etc.; v. 23: *ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem;* v. 24: *et gratias agens fregit et dixit: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur; hoc facite in meam commemorationem;* v. 25: *similiter et calicem postquam coenavit dicens: hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem;* v. 26: *quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* v. 27: *itaque qui manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;* v. 28: *probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat;* v. 29: *qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat* etc. Circa hunc locum notandum, 1. quod apostolus ad totam ecclesiam Corinthiacam scribat 1. Cor. 1, v. 2. sicque re ipsa ostendat, hanc Christi institutionem etiam ad laicos spectare. 2. Quod abusus, qui in Corinthiaca ecclesia circa administrationem coenae irrepserant, ea ratione corrigat, ut ad primam institutionem Corinthios revocet atque ex ea judicium de legitima sacrae coenae administratione fieri velit. 3. Quod manducationem et bibitionem velut duas distinctas essentiales partes unius mysterii per particulam ὡσαύτως conjungat. Quomodo autem ex his tribus membris necessitas communionis sub utraque specie probetur, demonstratum est superius. 4. Quod manducationem et bibitionem in sacra coena appellet παράδοσιν, traditionem, unde sic concludimus: Traditio apostolica omnes obligat. Atqui usus utriusque speciei in sacra coena est traditio apostolica. Ergo omnes obligat. 5. Quod in doctrinis et consectariis ex verbis institutionis Dominicae deductis manducationem et bibitionem perpetuo conjungat, ut patet ex versu 26. 27. 28. 29. ex quo evidenter apparet, ipsum verba coenae sic intellexisse, quod manducatio et bibitio in sacra coena nec possint, nec debeant separari. 6. Quod circumstantiae textus evidenter ostendant, non posse ad solos sacerdotes referri, quae de usu utriusque speciei apostolus scribit. Quos enim a calice daemoniorum prohibet, illos vult calicem Domini bibere, 1. Cor. 10, v. 21. Jam vero omnes Christianos a calice daemoniorum arcet. Ergo etiam omnes vult calicem Domini bibere. Quos mortem Domini in usu sacrae coenae annuntiare jubet, illos etiam vult calicem Domini bibere, 1. Cor. 11, v. 26. Jam vero omnes
Christianos in usu sacrae coenae mortem Domini X. 60.
annuntiare jubet. Ergo etiam vult omnes calicem Domini bibere. Quoscunque vult se ipsos probare, eos vult de calice eucharistico bibere, v. 28. Jam vero omnes Christianos ad sacram coenam accedentes vult se ipsos probare. Ergo etiam omnes ad sacram coenam accedentes vult de calice bibere. Probet se ipsum *homo,* inquit, non sacerdos, non clericus, sed quilibet Christianus. 7. Quod ex verbis coenae colligat, panem eucharisticum esse communicationem corporis, calicem eucharisticum communicationem sanguinis Christi, 1. Cor. 10, v. 16. unde sic concludimus: Quidquid evertit unionem sacramentalem, illud utpote repugnans verbis institutionis non est approbandum. Communio laicorum sub una specie evertit unionem sacramentalem, quae est panis cum corpore et vini cum sanguine mystica et distincta conjunctio. Pontificiis vero est unio panis cum corpore et sanguine simul. Ergo communio laicorum sub una specie, utpote repugnans verbis institutionis non est approbanda. Apostolus distincte asserit, panem eucharisticum esse communicationem corporis et vinum eucharisticum esse communicationem sanguinis Christi. Pontificii contra asserunt, panem eucharisticum esse communicationem sacramentalem et corporis et sanguinis Christi.

Exceptiones Bellarmini. 1. Aliam esse rationem

37. Excipit Bellarminus, *1. ecclesiam Corinthiorum utraque specie usam, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostendit et tradidit licitam esse communionem sub utraque specie.* *Sed nec*

ecclesiae Corinthiacae. *Paulum citasse illud mandatum, bibite ex hoc omnes, nec ullo verbo docuisse, esse necessariam omnibus communionem sub utraque specie.* Respondemus: 1. non unum, sed aliquot argumenta, quibus necessitas communionis sub utraque specie ex verbis apostoli demonstretur, modo exposuimus. 2. Si licita est communio sub utraque specie, utique perperam agunt Romanenses, quod eam non amplius liberam relinquunt, sed contrariam, id est communionem laicorum sub una necessariam statuunt. Agnoscant vel tandem papae tyrannidem, per quam non amplius liberum est, quod per Christi institutionem liberum erat. Gregorius de Valent. tract. de missa p. 95. negat, laicis dari posse calicem juxta Christi institutionem *propter contrariam ecclesiae dispositionem.* **Matthias Mayle Jesuita in disput. de una specie laicis danda in Acad. Dillingana ann. 1608. instituta thes. 48: *Ex quo textu sacrae paginae demonstrant novatores, Paulum non fuisse hac in re reprehensibilem, quod laicis calicem in ecclesia Corinthiaca dederit. Fuit (inquiunt) apostolus raptus ad tertium coelum. At Petrus non minus fuit apostolus cum ipso Domino multo tempore conversatus eo magistro ac doctore usus, et nihilominus Neoevangelici perpetuo inculcant illud Gal. 2, v. 11: Cum venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*** De tota hac re plura dicentur inferius. 3. An vero aeque liberum est vel servare institutionem Christi, vel ab ea recedere? Si in una parte substantiali ab institutione Christi recedere licitum ac integrum est, idem licebit in reliquis, cum omnium essentialium sit eadem ratio. 4. Quod in ecclesia Corinthiaca usitatum, et institutioni Christi conforme fuit, idem merito in nostris ecclesiis observatur propter consanguinitatem doctrinae et rituum, quae apostolicis, et nostris ecclesiis intercedere debet. 5. Unde demonstrari potest, apostolum aliunde potius quam ex Christi exemplo (et institutione) communionem sub utraque specie Corinthiis tradidisse? certe contextus evidenter ostendit, quod ad primam institutionem eos revocet, abusus ex ea corrigat et velut normam et regulam omnium controversiarum, quae de coena excitatae erant, eandem ipsis praescribat. 6. Paulum non citasse illud mandatum Christi, *bibite ex hoc omnes*, manifeste falsum est, repetit enim totam et integram institutionem, cujus pars continetur in illo mandato, *bibite*, ideo addit, *hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.*

X. 61. 2. Apostolum praescribere modum salutaris communionis. 38. *2. Apostolum non jubere, ut fideles edant panem vel calicem absolute bibant, sed modum praescribere, quo uti debeant, si edere et bibere velint utiliter.* Respondemus: 1. Imo vero apostolus non solum praescribit modum, quo utiliter in sacra coena edere et bibere possimus, sed vi Dominicae institutionis ab omnibus ad sacram coenam accessuris, ut edant et bibant, requirit, id quod paulo ante comprobatum dedimus. 2. Usus ergo calicis ab utili communione, id est a salutari coenae usu non est separandus. Quod enim Dominica institutio et apostolica repetitio diserte requirunt, illud non est in libertate humana positum. 3. Si apostolus his verbis non jubet, ut fideles edant panem vel calicem bibant absolute, sed saltem praescribit modum, quo uti debeant, si edere et bibere velint utiliter, consequens erit, licitam esse communionem sub una specie vini. Ratio consequentiae est manifesta, quia eodem modo de manducatione et bibitione loquitur. Si ergo necessitas bibitionis in usu sacrae coenae non potest ex verbis apostolicis demonstrari, utique nec manducationis necessitas ex iisdem probari potest. Ut ergo liberum est per apostolum in coena manducare et non bibere, ita quoque liberum erit per eundem bibere et non manducare. Si salutariter manducare possumus in sacra coena nos ipsos probando et mortem Domini annuntiando, si vel maxime non accedat bibitio, pari ratione salutariter bibere possumus in sacra coena nos ipsos probando et in Christi commemorationem bibendo, si vel maxime non accedat manducatio. At hoc consequens, quod scilicet licita sit communicatio sub specie vini, non probatur omnibus Pontificiis. (Bellarminus tamen existimat, laicis posse tolli panem, si detur calix.) Ergo nec antecedens statuere debent.

3. D... gue... inte... diti... et ... cep... nen... 39. *3. Paulum solummodo tradidisse communionem sub utraque specie, non autem praecepisse, cum in nullo auctore tradere sit praecipere.* Respondemus: 1. apostolus tradidit Corinthiis illud, quod a Domino acceperat, 1. Cor. 11, v. 23. Est ergo traditio divina, a qua Christianis vel latum unguem discedere non est integrum. Gerson de vita spirituali animae lect. 2. coroll. 7. tom. 3. num. 61: *Non est in potestate papae aut concilii, aut ecclesiae, immutare traditiones datas ab evangelistis et a Paulo, sicut quidam delirant.* 2. Et quae haec est audacia, quod Bellarminus secutus auctoritatem concilii Tridentini traditiones extra Scripturam pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo suscipiendas esse statuit, interim de hac divina certissimae veritatis traditione, quae in Scripturis expresse continetur, tam leviter sentiat? 3. *At*, inquit Bellarminus, *verba apostoli 1. Corinth. 15. tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est, non possunt sic exponi, praecepi vobis, quod Christus mortuus est. Ergo nec haec traditio apostolica praeceptum continet.* Respondemus: distinguendum inter traditionem doctrinae et ritus sacramentalis. Traditio de Christi morte pertinet ad traditionem doctrinae sive alicujus articuli fidei; sed traditio de institutione sacrae coenae pertinet ad traditionem ritus; prioris generis traditiones requirunt fidem, posterioris generis traditiones observationem requirunt, ideoque revera praeceptum continent. 4. *At*, inquit Bellarminus, *traditur ab apostolo historia de institutione sacramenti, non autem praeceptum de utraque specie sumenda.* Respondemus: illa ipsa historica repetitio institutionis ostendit, Christum ea forma ac modo coenam instituisse, ut vi illius institutionis ad coe-

Digitized by Google

nae integritatem et manducatio et bibitio requiratur. Ergo plus est, quando Paulus dicit, *tradidi*, quam si diceret praecepi, ut recte colligit Chemnicius; siquidem hoc ostendit communionem sub utraque specie non ab instituto quodam apostolico, sed ipsius Christi mandato procedere. Adde quod apostolus, ut aliquoties monuimus, *scribat toti ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi in omni loco*, 1. Cor. 1, v. 2. ostendit igitur, ad totam ecclesiam institutionem Christi pertinere ac proinde omnes eo modo coenam participare debere, quomodo Christus eam
I. 62 administraviit et apostoli participarunt. 5. Regerit Bellarminus, *falsum esse, quod epistola ad Corinthios scripta sit ad omnes fideles, ita ut omnia, quae ibi habentur, ad omnes pertineant. Num enim* (inquit) *ad omnes pertinet: auditur fornicatio inter vos, qualis nec inter gentes? Et alius dicit: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae? Porro illud in inscriptione, cum omnibus qui invocant nomen Domini, non significat, scribi epistolam ad omnes, sed significat, scribi ad Corinthios, quibus apostolus precatur gratiam et pacem cum omnibus, qui invocant nomen Domini. Nec tamen negamus, quin epistola illa aliquo modo ad omnes pertineat, doctrina enim, quae ibi traditur, omnibus communis est, sed non ideo omnia, quae ibi dicuntur, ad omnes pertinent, ac si ad omnes scripta esset.* Respondemus: traditio de institutione coenae non ad solos Corinthios, multo minus ad solos sacerdotes inter Corinthios, sed ad totam ecclesiam pertinet, id quod instituto nostro sufficit. Frivola igitur est exceptio, cum non pertineat ad omnes Corinthios, quod in eadem epistola dicitur: *Auditur inter vos fornicatio.* Item, *alius dicit, ego sum Pauli, ego Apollo* etc. Ergo nec institutionis verba ad omnes pertinere. Ratio siquidem diversitatis est manifestissima. Apostolus non in genere omnes Corinthios scortationis arguit, *sed inter eos* scortationem audiri dicit ac quibusdam tantum illa partium studia et dissensiones tribuit, quae enuntiationes particularitatem manifeste prae se ferunt; contra vero totus contextus cap. 11. ostendit, ad laicos etiam, nequaquam vero ad solos sacerdotes pertinere, quae de institutione et legitima administratione sacrae coenae ibidem traduntur. Si sacerdotes Corinthii fuissent similes plerisque Pontificiis sacerdotibus, forte non adeo absurde ad illos referri posset apostolicum illud, *auditur inter vos fornicatio* etc. Si fuissent similes Pontificiis monachis, videri possent auctores illarum dissensionum, *ego sum Augustini, ego Benedicti, ego Bernhardi.* Quid quod Bellarminus sub finem hujus cap. verba Christi, *hoc facite*, docet a Paulo potissimum referri ad actionem discipulorum, quod ex instituto apostoli probat, *qui hoc loco emendat errorem Corinthiorum. Corinthii autem non errabant in consecratione, sed in sumtione, quia non debita reverentia sumebant.* Haec si vera sunt, ut sunt verissima, cur disputat, non pertinere ad laicos inter Corinthios, quae de institutione et legitima administratione coenae ab apostolo hoc loco traduntur? Atque hae sunt Bellarmini exceptiones contra argumentum ex repetitione institutionis apostolica 1. Cor. 11. depromptum. Alii scriptores Pontificii utuntur hac exceptione, quod Paulus ibidem dicat: *Quicunque manducaverit panem hunc aut biberit calicem hunc indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, ostendens, partem unam coenae ab altera separari posse. Respondemus: 1. haec argutia scopo et textui apostolico manifeste repugnat, siquidem apostolus primam Christi institutionem recitans manducationem et bibitionem perpetuo conjungit. 2. Posset eodem modo inferri: Paulus utitur particula disjunctiva *aut.* Ergo laicis solus calix sufficit, qua ratione sacrificuli pro libitu modo panem solum, modo solum calicem laicis exhibere possent. **At Smiglecius in refut. dissolutionis nodi sui Gordii c. 16. agnoscit, *solum calicis usum non efficere sacram coenam. Verbis enim Christi, quotiescunque bibetis, indicari dicit, usum calicis non perpetuo futurum in ecclesia, cum panis usus constans et perpetuus esset futurus.*** 3. Particula ergo *aut* non separandi, sed distinguendi tantum vim habet. Quamvis enim manducatio et bibitio sint essentiales et inseparabiles sacrae coenae partes, interim cum manducatio a bibitione distincta sit, ideo apostolus particula illa distinctiva uti voluit. Matth. 5, v. 17. dicit Christus: *Non veni solvere legem aut prophetas*, ex eo autem nemo colligere debet, legem a prophetis vel prophetas a lege separandos. Invertimus igitur argumentum: Apostolus manducationem a bibitione per particulam *aut* distinguit, ergo figmentum concomitantiae, per quam statuitur Christi sanguis mediante benedicti panis manducatione accipi, manifeste rejicit. **Syrus interpres simpliciter pro *vel* habet *et.* Particula *aut* apud juris consultos non semper disjungit lib. 53. de U. S. et l. pen. C. eod. Forster. in tract. de pactis cap. 8. p. 24. Sic l. Si quis 38. §. qui abortionis. 5. vers. *quod si eo mulier aut homo*, ubi per particulam *aut* mulier et homo separantur, nec tamen mulier homo esse negatur. Particula ἤ teste Suida triplicem vim habet; 1. διαζευκτικὴν in rebus oppositis et pugnantibus; 2. ὑποδιαζευκτικὴν in disparatis et diversis; 3. διασαφητικὴν in comparationibus aut aliis. Sic 1. Cor. 7, v. 13: *Reconcilietur aut maneat innupta.* Vide Budaeum in comment. de ling. Graeca p. 1171. Tarnov. lib. 3. de matr. c. 9.**

40. Argumentum 4: Nulla pars testamenti morte testatoris Christi confirmata sine sacrilegio abrogari potest. Galat. 3, v. 15: *Hominis testamentum confirmatum nemo spernit aut superordinat, ἐπιδιατάσσεται.* Atqui usurpatio calicis est testamenti morte Christi confirmati certa et definita pars. Ergo sine sacrilegio abrogari nequit. Assumtum constat ex verbis institutionis. Christus enim eodem tempore, iisdem verbis, ac pari omnino ra- I. 63.

4. Quia testamenti integritas communionem sub utraque specie postulat.

Digitized by Google

tione usurpationem panis et calicis eucharistici instituit. Excipit Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 27. *hereditatem nobis relictam non esse panem nec vinum, sed corpus et sanguinem Domini, quae duo dantur tam sub una quam sub duplici specie, hoc ergo solum interest, quod qui bibunt ex calice, accipiunt hereditatem in duabus tabulis, qui non bibunt, accipiunt in una tabula.* Respondemus: haec exceptio petit principium, quia ex hypothesi concomitantiae deducitur, nec satisfacit nostro argumento, quod sic ostendimus: Quicunque discedit a voluntate testatoris et tabulas testamenti corrumpit, ille non fit particeps legatorum in hoc testamento. At mutilatio calicis in sacra coena discedit a voluntate testatoris in verbis institutionis expressa et corrumpit testamenti tabulas. Ergo obstat, quominus quis fiat particeps legatorum in hoc testamento. Ad majoris declarationem facit l. Papinianus. 8. §. 14. meminisse. ff. de inofficioso testamento, l. quaesitum. 40. de acquir. hered. ubi is, qui *testamentum inofficiosum improbe dixit et non obtinuit, id quod in testamento accepit, perdit; neque enim debet fructum ex eo consequi, quod nisus est impugnare* c. ex eo. 38. de R. J. in 6. Pertinet etiam huc, quod *testamentum, quia individuum est, pro parte agnosci et pro parte repudiari non possit.* lib. 7. jus nostrum ff. de reg. juris lib. 20. quidam. C. de jure de lib. Hotom. cons. 9. num. 7. quodque *testamenti formae nihil detrahi nec addi possit*, secundum Tiraq. de utroque retr. part. 1. §. 1. Gl. 27. num. 11. et part. 2. §. 4. Gl. 6. num. 31.

5. Quia communio sub una specie adimit fidelibus consolationem ex usu sacrae coenae petendam.

41. Quintum argumentum. Quidquid adimit fidelibus firmam consolationem, quam petere debent ex usu sacramenti eucharistici, merito est improbandum. Mutilatio illa coenae adimit fidelibus laicis consolationem, quam petere possunt ac debent ex verbis Christi calici adjunctis: *Bibite ex hoc omnes, hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*, quibus verbis Filius Dei ostendit, fieri exhibitionem sanguinis sui in communione calicis, et hac exhibitione fieri obsignationem bonorum novi testamenti, unde D. Lutherus pulcherrima gradatione utitur: Mandatum Christi in sacra coena complectitur calicem; calix continet vinum; vinum exhibet Christi sanguinem; sanguis Christi complectitur novum testamentum, quia est novi testamenti sanguis; novum testamentum continet remissionem peccatorum; remissio peccatorum conjuncta est cum gratia Dei. Hanc summam consolationem mutilatio calicis adimit fidelibus. Ergo merito est improbanda. Eo respicit D. Chemnicius, quando scribit, *dulcissimam consolationem sumi ex calice, qua necesse sit privari eos, qui sub una tantum specie communicant.* Excipit Bellarminus, *non dubium esse, quin in potu vini optimi valde dulciter palatum et gula oblectentur, sed Catholicos non quaerere in sacramentis istam corporalem palatii et gulae consolationem.* Respondemus: calumniosa haec est detorsio, Bellarmini ingenio indigna. Nec Chemnicius nec quisquam X. 64. nostrum de corporali gulae consolatione in bibitione vini eucharistici cogitat, sed loquimur de communione sacramentali sanguinis Christi, quae fit mediante vino benedicto in sacra coena. Ejusmodi fere calumnia est, qua delecti ad hanc rem theologi Pontificii in lib. de com. sub una specie Monachii anno 1565. edito scribunt: *Germanos jamdum apud ceteras nationes ut bibendi avidos male audire, merito igitur a contentione de usu calicis in sacra coena desistere debere.* Scurriles istae in re sacratissima facetiae animum profanum arguunt. Aliam igitur solutionem Bellarminus quaerit respondens, *Christi sanguinem totum in specie panis contineri et ideo non privari laicos consolatione spiritus, quae ex Domini sanguine percipitur*, de qua concomitantiae hypothesi suus erit dicendi locus.

Argumenta pro communione sub utraque specie secundaria.

42. Atque haec sunt praecipua sententiae nostrae argumenta ex Scripturis deducta, reliqua quae Bellarminus adducit eademque infringere conatur, sunt secundaria. Videamus tamen quid praestet. 1. Hebraei omnes in deserto biberunt aquam de petra, 1. Cor. 10, v. 4. Ergo in deserto hujus vitae omnes debent bibere sanguinem Domini. Illa enim in figura contigerunt illis. Bellarminus excipit, *non bibisse illos aquam de petra simul cum cibo spirituali, sed diverso loco et tempore, quare tam cibus ille quam potus signum fuit eucharistiae sub una specie sumendae.* Respondemus: novimus ipsi, theologiam symbolicam sive allegoricam non esse argumentativam, ut Scholastici loquuntur, id est non praebere firma et efficacia argumenta. Quia vero adversarii communionem sub una specie ex figuris V. T. probare nituntur, merito illis obvertimus, quod Paulus utrasque figuras cibi et potus conjungat, quando ad eucharistiam eas applicat, et sic suo exemplo ostendat, non divisim, sed conjunctim V. T. figuras sumendas esse. Breviter, non ex figuris de institutione Christi, sed ex institutione de figuris judicandum, qua de re in responsione ad argumenta adversariorum plura erunt dicenda.

1. Bibitio aquae ex petra profluentis.

2. Mors Christi non significatur integre per unam speciem.

2. Finis hujus sacramenti est, ut commemoremus mortem Christi. Sed non significatur mors Christi integre per unam speciem. Ergo debent utramque sumere qui volunt Christi mortem per hoc sacramentum commemorare. Bellarminus excipit, *Christi mortem dupliciter in hoc sacramento commemorari, uno modo per repraesentationem et significationem, altero modo per memoriam et narrationem. Priore modo commemorationem mortis Domini fieri non manducando et bibendo, sed consecrando et offerendo Deo eucharistiam, ad quam repraesentationem requiratur utraque species; posteriore modo commemorationem fieri posse manducando et bibendo, interim non requiri, ut species utraque sumatur, cum per consecrationem et oblationem corpus repraesentetur ut mortuum.* Respondemus: haec procedunt ex falsa hypothesi, quod sacra coena sit sacrificium propitiatorium vere et proprie sic dictum. Mortis Dominicae annuntiatio, quam apostolus requirit, con-

sistit in fideli *ἀναμνήσει* et gratiarum actione pro summo illo beneficio, quod Christus corpus suum in mortem pro nobis tradiderit et sanguinem suum pro peccatis nostris in ara crucis effuderit. Haec commemoratio, ut sit plena et perfecta, requirit, ut omnes, qui sacra coena utuntur, non solum panem benedictum edant, sed et calicem eucharisticum bibant, ut de traditione corporis et effusione sanguinis admoneantur inque fide confirmentur.

3. Si potest tolli pars eucharistiae, ergo et baptismi.

3. Si potest tolli laicis pars eucharistiae, ergo et pars baptismi vel poenitentiae. Excipit Bellarminus, *si agatur de partibus essentialibus, nulla pars sacramenti ullius tolli potest; non est autem pars essentialis species vini, sed tantum materialis et integralis eucharistiae. Si agatur de integralibus, plane tolli potest pars aliqua, etiam in aliis sacramentis. Nam baptismus olim fiebat per immersionem, nunc plerumque per adspersionem, et certe multo minus abluit adspersio quam immersio, imo trina immersione aliquando utebantur fideles, aliquando una duntaxat.* X. 65. Respondemus: materia et forma sunt partes essentiales testibus omnibus logicis. Ad materiam sacrae coenae pertinet res terrena et coelestis. Res terrenae in sacra coena sunt symbola externa panis et vinum; res coelestes, corpus et sanguis Christi. Forma sacrae coenae consistit in actione, quae complectitur externorum symbolorum benedictionem, benedictorum distributionem, distributorum acceptionem, hoc est manducationem et bibitionem. Haec ergo omnia sacrae coenae sunt essentialia. Proinde magna differentia est inter bibitionem calicis benedicti in sacra coena et inter immersionem in baptismo. Bibitio benedicti calicis est ipsa *λῆψις*, sed immersio pertinet ad modum *λήψεως*. Jam vero *λῆψις* in sacramentis est pars essentialis, modus autem *λήψεως* non est essentialis pars, sed pertinet ad externas circumstantias. Sic in sacra coena vi institutionis divinae necessarium est benedictum panem manducare et benedictum vinum bibere, liberum vero est, an benedictus panis in manus detur communicantibus, ut ipsimet illum ori admoveant, an vero a ministro ecclesiae ori ipsorum inseratur; idem judicium est de calice eucharistico. In sacramento baptismi vi institutionis divinae necessarium est aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti affundi, liberum vero est, an id adspersione vel immersione fiat. Invertimus igitur Bellarmini responsionem: *λῆψις* in baptismo est pars essentialis, ergo etiam in sacra coena. Jam vero *λῆψις* in sacra coena et manducationem et bibitionem complectitur. Ergo utraque actio est pars essentialis et necessaria. Demus vero, bibitionem esse partem integralem eucharistiae, consequens erit, sublata bibitione partem quandam integralem abesse, ac proinde eucharistiae suam integritatem non amplius constare.

4. Si potest tolli calix, ergo et panis.

4. Si potest tolli calix, ergo et panis, et ita poterunt laici privari penitus sacramento. Bellarminus excipit, *potest tolli panis, si detur calix, utrumque autem simul tolli nequit, quia tenemur sacramentum eucharistiae percipere.* Respondemus: quare vero tenemur sacramentum eucharistiae percipere? annon propter institutionem Christi et propter expressum mandatum institutioni additum *hoc facite?* Jam vero institutio Christi tam manducationem quam bibitionem requirit et mandatum *hoc facite*, totam actionem sacramentalem respicit, quam negare in manducatione et bibitione simul consistere est negare solem in meridie lucere. Quod Bellarminus addit, *posse* tolli laicis *panem*, *si calix detur*, in eo veritati et aliis Pontificiis et sibi ipsi repugnat. In hoc enim ipso cap. in resp. ad secund. rat. statuit, *coenam constare non nisi ex una specie panis.* Id si verum est, diversa erit ratio inter manducationem panis et bibitionem vini in sacra coena; illa erit eo modo necessaria omnibus communicantibus, ut tolli omnino nequeat, haec vero non item. Vide autem hominum audaciam. Si pontifici Romano, Deo suo terrestri, placuerit tollere laicis panem et concedere tantum calicem, parati sunt etiam hanc mutationem propugnare. Sed quid fiet de institutione Christi? nimirum *mutato sensu ecclesiae, mutatur etiam sensus Scripturae*, ut Cusanus de hoc ipso negotio tractans, aperte scribit.

5. Quibus datur remissio peccatorum, illis signum remissionis non debet negari.

5. Datur laicis remissio peccatorum. Ergo non potest eis negari signum illius remissionis, signum autem calix est. Excipit Bellarminus: *Argumentum contrario modo valeret Datur signum remissionis. Ergo remissio negari non potest, quia alioqui signum esset falsum. At remissio cur non potest sine signo dari? praeterea signum remissionis proprie non est calix, sed baptismus et absolutio, calix enim signum est pretii, quo peccata remissa sunt, et Spiritus, quo animae nostrae reficiuntur.* Respondemus: argumentum nostrum integrum sic habet: Quodcunque ad confirmandam fidem de remissione peccatorum institutum est, illud laicis fidelibus denegari non debet. Jam vero bibitio sanguinis Christi in sacra coena mediante benedicto vino ad confirmandam fidem de remissione peccatorum instituta est. Ergo bibitio sanguinis Christi in sacra coena non debet laicis fidelibus denegari. Bellarminus negat, calicem esse signum remissionis peccatorum et tamen addit, esse signum pretii, quo X. 66. peccata remissa sunt. At hoc est oppositum in adjecto. Si enim calix est signum (signum non solum significans, sed et exhibens, seu ut apostolus loquitur *κοινωνία*, ita enim vocabulum *signi* hoc loco accipiendum est, nisi velimus nudum signum statuere) si, inquam, calix est signum pretii, quo remissa sunt peccata, utique bibitio calicis confirmat nos in fide gratuitae remissionis propter Christum, qui in ara crucis sanguinem suum pro peccatis nostris effudit. Nec valet argumentum: Baptismus et absolutio sunt signum remissionis, ergo non calix eucharisticus; imo vero hic est generalis omnium sacramentorum finis, quod sint sigilla gratiae et remissionis peccatorum, ut suo loco ostendimus. Ergo non baptismo tantum et absolutioni, sed etiam eucharistiae hic finis competit.

6. Quibus datur sanguis

6. Datur laicis sanguis Domini. Ergo negari non debet sym-

Digitized by Google

Christi, illis symbolum sanguinis non est, denegandum.

bolum illius sanguinis. Bellarminus excipit, *si habent ipsum sanguinem, cur tantopere litigant pro signo? certe qui pecunias per schedulam missas jam accepit, non multum laborat de schedula.* Respondemus: compendiaria haec est via integrum sacramentum tollendi laicis. Si enim per *fidem habent Christum in cordibus habitantem*, Ephes. 3, v. 17. cur tantopere litigant pro signis sive symbolis externis? Confunditur ergo bibitio sanguinis Christi spiritualis et sacramentalis. Spiritualis bibitio etiam extra mysterium coenae locum habet, sacramentalis autem non habet locum nisi mediante vini benedicti bibitione. Si Bellarminus obvertat, manducando benedictum panem laicos etiam sacramentaliter bibere Christi sanguinem, principium manifeste petit et repugnat aphorismo apostolico: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi. Calix, cui benedicimus, est κοινωνία sanguinis Christi.* Simile de schedula inverti potest. Quemadmodum pecunia per schedulam obligationis promissa non nisi per ipsam schedulam accipitur; ita de sacramentali acceptione sanguinis Christi non possemus esse certi, nisi bibamus vinum eucharisticum, quo mediante sanguinis sui sacramentalem participationem Christus promisit. Quod Bellarminus addit, ideo negari symbolum, quia tutius datur res illa pretiosissima sub uno quam sub duobus symbolis, de eo paulo post videbimus.

Testimonia patrum pro adstruenda communicatione sub utraque specie. Ignatii.

43. Progredimur ad alteram et quidem secundariam classem argumentorum ex patrum testimoniis petitam. Ignatius epist. ad Philadel. 6. tom. 1. orthodoxogr. pag. 33: *Obsecro vos, ut una fide, una praedicatione, una eucharistia utamini, una enim est caro Domini nostri Jesu Christi et unus est ipsius sanguis, qui pro nobis effusus est et unus calix, qui pro omnibus nobis distributus; unus panis, qui pro omnibus fractus est; unum altare omni ecclesiae.* (Bellarminus lib. 4. de euch. c. 26. excipit, *1. in Latinis codicibus legi, quod unus calix sit totius ecclesiae, non autem quod unus calix omnibus distributus.* Respondemus: hoc est deserto fonte consectari rivulos. Verba Ignatii sunt manifesta in Graeco: *εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη.* Etsi laici removentur ab usu benedicti vini, quomodo unus totius ecclesiae calix? Excipit vero Bellarminus *2. Ignatium vim facere in unitate calicis, non in universalitate bibentium hoc sensu, cum aliqui sumunt sub specie vini, unus calix omnibus illis distribuitur, non multi.* Respondemus: imo vero ut omnibus unum panem frangi, ita quoque unum calicem omnibus distribui asserit, jam vero prius membrum non solum unitatem panis, sed etiam universalitatem manducantium exprimit. Ergo et posterius non solum de unitate calicis, sed etiam de universalitate bibentium est accipiendum. *3.* excipit *Nihil aliud ex eo elici posse, quam fuisse usum illo tempore, cum pauci essent Christiani, ut omnibus daretur potus calicis.* Respondemus: sufficit nobis, quod patres institutionem Christi hoc modo intellexerint, populo Christiano non solum panem benedictum, sed etiam benedictum calicem in eucharistia esse dandum, quodque in flore illo ecclesiae utraque species usitata fuerit. (Quod enim Latomus adversus Bucerum scribit, *cum ecclesia adhuc rudis esset, ritum a Christo traditum religiose tenuisse, donec docta a patribus intellexerint, utramque speciem solis sacerdotibus convenire, laicos autem solo pane contentos esse posse*, referente Osiandro in analysi Valentiniana p. 28. illud merito a cordatis Christianis exploditur.) X. 67.

Dionysii Areopagitae.

Dionysius, quem Areopagitam esse volunt, lib. eccles. hierarch. c. 3: *Pane, qui opertus erat et integer, aperto et in multas partes fracto et unico calice diviso inter omnes, quod unum est, signis multiplicat.*

Clementi Romani.

(Pontifex) Clemens lib. 8. constit. c. 61: *Postquam oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine Dominicum corpus et pretiosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore.*

Justini.

Justinus apol. 2. pro Christian. circa finem p. 76: *Ubi praesidens* (ὁ προεστώς) *preces et gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest omnis, fausta approbatione exclamat dicens: Amen. Praesidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, et populus universus approbatione laeta eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum et aquam et ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur eucharistia.* Postea subjungit p. 77: *Nam apostoli in commentariis a se scriptis, quae evangelia nuncupantur, ita tradiderunt praecepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem, hoc est corpus meum; et poculo similiter accepto et gratiis actis dixisse: Hoc est sanguis meus, ac solis ipsis ea tradidisse.* Et paulo post: *Distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiae actae sunt, cuique praesenti ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται.* (Bellarminus excipit, *verba illa Justini, ubi commemoratur Christi praeceptum, non pertinere ad communionem, sed ad consecrationem.* Responsio: imo vero ad totam actionem sacramentalem a Christo praescriptam pertinent, ut contextus evidenter ostendit. Describit enim totum ritum in primitiva ecclesia usitatum, qui non solum consecrationem, sed etiam communionem requirit.) Idem in dial. cum Tryphone exponens locum Esaiae: *dabitur: illi panis et ejus aquae erunt fideles. In hoc* (inquit) *vaticinio de pane agitur, quem Christus nobis tradidit in commemorationem corporationis suae propter credentes in eum, quorum causa patibilis est factus; et de poculo, quod in recordationem sanguinis sui tradidit gratias agentibus; quae verba ut et textus propheticus non nisi de fideli populo exponi possunt.*

Irenaei.

Irenaeus panis et calicis usum in descriptione eucharistiae conjungit ubique lib. 4, c. 34: *Quomodo dicunt, carnem in corruptionem venire et non percipere vitam, quae a corpore Domini et sanguine alitur?* lib. 5, c. 4. *Vani omnimodo, qui resur-*

Digitized by Google

rectionem carnis spernunt, secundum haec enim nec Dominus suo sanguine redemit, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus
Tertulliani. *est* etc. Tertullianus lib. 2. ad uxorem p. 616. loquens de muliere fideli nupta marito infideli: *De cujus manu desiderabit* (panem sacramentalem)? *de cujus poculo participabit* (vinum sacramentale)? lib. de resurr. p. 52: *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* (Bellarminus repetit communem solutionem, sanguinem vere sumere, qui sub una specie communicant, et notat, *Tertullianum dixisse, nos sanguine vesci, non autem bibere sanguinem, vescimur autem sanguine, cum eum sumimus per modum cibi sub una specie panis.* Responsio: sanguine Christianos vesci Tertullianus pronuntiat, non quod sub specie panis sanguinem Christi sacramentaliter nobis distribui statuat, hoc enim concomitantiae somnium ipsi ignotum fuit, qui semper panem et calicem in eucharistia conjungit, sed vocabulum *vescendi* generaliter ponit pro accipere, sumere, participare. Lib. de jejuniis c. 5. active dicit vescere; *ἀκυρο-*
I. 68. *λογίας* et *ἀρχαϊσμοὺς* complures in scriptis Tertul-
Origenis. liani occurrere notissimum est.) Origenes homil. 16. in Num. c. 23. circa finem tom. 1, p. 236: *Dicant nobis, quis est iste populus, qui in usu habet sanguinem bibere? Haec erant, quae et in evangelio audientes ii, qui ex Judaeis Dominum sequebantur, scandalizati sunt et dixerunt: quis potest manducare carnem et bibere sanguinem? sed populus Christianus, populus fidelis audit haec et amplectitur et sequitur eum, qui dicit: nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed etiam cum sermones ejus recipimus.* Et postea: *Tu ergo verus es populus Israël* (alloquitur auditores), *qui scis sanguinem bibere et nosti carnem verbi comedere et sanguinem bibere, et uvae sanguinem illius, quae est ex vera vite.* (Bellarminus excipit, 1. *esse hoc in usu, non in praecepto.* Responsio: Imo vero in usu et in praecepto, quia usus ille nititur Christi institutione, de quo evidens Cypriani dictum paulo post in medium adferemus. 2. *Ad hunc usum satis esse, si aliqui in populo id faciant.* Responsio: Origenes de toto populo Christiano loquitur, non de solis sacerdotibus, quod in usu eis sit sanguinem bibere. Explicat ibidem vaticinium, *Non dormiet, donec comedat praedam et sanguinem vulneratorum bibat*, id vero ad totum populum Christianum et fidelem accommodat, quod Christi sanguinem in sacramento bibat ac doctrinam Christi et apostolorum, in qua est vita, sicut anima in sanguine, fideli corde recipiat.) Idem homil. 5. in divers. tom. 2. p. 441: *Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem Domini, tunc Dominus*
Cypriani. *sub tectum tuum ingreditur.* Cyprianus lib. 1. epist. 2. in princ: *Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad proelium non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus, et cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quod tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicae saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Ubi probe notandum, quod jure communicationis populo Christiano poculum Domini debeatur. (Bellarminus excipit: 1. *Colligi ex hac epistola, quod jus laicorum ad communicandum a sacerdotibus detur et a sacerdotibus tollatur, cum Cyprianus Cornelium episcopum Romanum hortetur, ut lapsis imminente nova persecutione restituatur jus communicandi, si ad poenitentiam redierint.* Ex eo colligit ulterius: *Sicut possunt praelati ob crimina tollere jus communicandi, ita possunt ob alias justas causas disponere et ordinare de modo communicandi sub una specie vel altera.* Responsio: Sacerdotes non solum possunt, sed etiam debent impoenitentes a sacra communione prohibere propter mandatum Christi Matth. 7, v. 6: *Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas projicere porcis.* Sed poenitentibus et fidelibus Christianis nec totum sacramentum, nec partem sacramenti auferre possunt vel debent, siquidem non Domini, sed *dispensatores* sunt *mysteriorum divinorum*, 1. Cor. 4, v. 1. Invertimus igitur argumentum: Sicut non licet sacerdotibus auferre laicis integrum sacramentum, nisi ob crimina; ita quoque non licebit partem sacramenti auferre laicis nisi ob crimina; siquidem cui competit totum et integrum sacramentum, ei etiam partes ejusdem competunt. c. comperimus dist. 2. de consec.: *Divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quae vero crimina populus Christianus commisit, propter quae usus calicis eucharistici ipsi denegatus? 2. *Si tempore Cypriani habuisset laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis. Ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta et lex praeterea in generalibus conciliis promulgata, non habent am-* X. 69.
plius jus illud laici. Responsio: jus illud non habent ex consuetudine, sed ex Christi institutione. Notum est, quid Cyprianus de consuetudine statuat. lib. 2. epist. 3. p. 56: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Lib. de bapt. haeret. ad Jubajanum p. 326: *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut*

Digitized by Google

non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius a Spiritu sancto revelatum. Epist. ad Pompejum non longe a principio p. 333: *Quae est ista obstinatio, quare praesumtio humanam traditionem divinae dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari et irasci Deum, quoties divina praecepta solvit et praeterit humana traditio.* p. 335: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Qui consuetudini tantum derogat, quomodo jus communicationis ex consuetudine, non autem ex Christi institutione potius arcesseret? patebit hoc manifestius ex sequentibus.) Idem lib. 2. epist. 3. in princ. p. 51: *Quamquam sciam, frater carissime, episcopos plurimos, ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione praepositos, evangelicae veritatis ac Dominicae traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus magister et praecepit et gessit, humana et novella institutione decedere; tamen quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi, de hoc ad te litteras facere, ut si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem et originem traditionis Dominicae revertatur.* Pag. 54: *Si et a Domino praecipitur et ab apostolo hoc idem confirmatur et traditur, ut quotiescunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit et Dominus, invenimur non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem quae Dominus fecit, nos quoque faciamus* etc. Pag. 56: *Si nec minima de mandatis Dei licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia ad ipsum Dominicae passionis et nostrae redemtionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare.* (Bellarminus excipit, *Cyprianum non agere hoc loco, an oporteat calicem Domini populo praebere, an non, sed tantum ut, si ministretur ex vino misto, non ex aqua sola constet.* Responsio: bene est, disputat sanctus martyr contra Aquarios, quibus opponit institutionem divinam. Argumentum illud tertium sive medium terminum etiam nos opponimus Pontificiis usum calicis plane denegantibus populo Christiano. Regerit Bellarminus, *illos, qui dant solam aquam, corrumpere sacramentum Christi, quia mutant materiam et populum decipiunt, cui pro sanguine Domini meram aquam tribuunt et pugnant cum Domini praecepto: hoc facite. At praebere populo eucharistiam sub una specie nullum sacrilegium, nullam fraudem, nullius praecepti praevaricationem continet.* Responsio: imo vero qui calicis usum denegant laicis, 1. partem materialem plane tollunt, quod mutatione gravius; 2. poculum ablutionis, hoc est vinum non consecratum, loco calicis eucharistici populo praebent sicque eum deludunt; 3. agunt contra Christi praeceptum: *Bibite, hoc facite*, ut superius demonstratum fuit.) Idem lib. 4. epist. 6. in num. est epist. 56. non longe a princ.: *Gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debent milites Christi considerantes, idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Idem vel quicunque alius auctor serm. de coena p. 451: *Nova est hujus sacramenti doctrina et scholae evangelicae hoc primum magisterium protulerunt et doctore Christo primum haec mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus usum legis antiquae auctoritas districtissime interdicit. Lex quippe usum sanguinis prohibet, evangelium praecipit, ut bibatur* etc. *Bibimus autem de sanguine Christi ipso jubente vitae aeternae cum ipso et per ipsum participes.* (Bellarminus excipit, *Cyprianum non hoc dicere,* I. 70.
quod evangelium praecipiat, ut ab omnibus bibatur, sed tantum ut bibatur; neque ipsum vim facere in bibendo sanguinem, sed tantum in sumendo; eum vero sumi sub specie panis. Responsio: p. 453. subjungitur: *Nec solos sacerdotes ad panes hujus dignitatis Leviticae praerogativa admittit, universa ecclesia ad has epulas invitatur, aequa omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non dimembratur.* Loquitur ergo de communione totius ecclesiae, ad quam etiam laici pertinent, p. 452: *Bibimus de Christi sanguine ipso jubente,* quod probe notandum.) Idem serm. 5. de lapsis p. 226. refert historiam de puella cibis idololatricis adhibita: *Haec*, inquit, *mixta cum sanctis precis nostrae et orationis impatiens nunc ploratu concuti, nunc mentis aestu coepit fluctuabunda jactari velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solennitatibus impletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit et accipientibus ceteris certus locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinae majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus et reluctanti licet de sacramento calicis infudit* etc. Recte ergo Biel lect. 84. in can. lit. R. agnoscit, communionem sub utraque tempore Cypriani in ecclesia fuisse usitatam. *Loquitur ille sanctus* (inquit) *juxta morem suae ecclesiae, in qua ipse praesedit, in qua forte tempore suo particulariter viguit communio sub utraque specie, quam sub nomine calicis et sanguinis expressit, quia sub illa specie fit manifestior repraesentatio effusionis sanguinis Christi, ex cujus memoria animatur homo ad martyrium.* Idem agnoscit Eccius homil. 33. de sumtione eucharistiae. Athanasius apol. 2. cont. Arianos tom. 1. Athanas
p. 569: *Mysticum poculum, quod impium eum reddit, qui id ultro frangit, nusquam nisi apud legitimos ecclesiae praesules invenias. Hic enim unus usus est calicis et praeter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo eumque vos a canone ecclesiastico accepistis, idemque duntaxat penes eos habetur, qui ecclesiis praesunt.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. myst. 4. ad catech.: Cyrilli Hierosolymitan

Cum omni certitudine sanguinem Christi bibamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus et sub specie vini datur sanguis. Idem myst. 5: *Post communionem corporis Christi accede ad calicem illius.*
Basilii. Basilius lib. 1. de bapt. cap. 3: *Si is, qui fratrem propter cibum offendit, a caritate excidit, quidnam dixerit quis de eo, qui otiose et inutiliter audet edere et corpus et bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi?* Idem in moralibus sub finem: *Quid est proprium Christiani? ut mundetur ab omni inquinamento carnis et spiritus* etc. *atque itae dat et bibat corpus et sanguinem Christi.*
Gregorii Nazianzeni. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de pasch.: *Submoto omni pudore ac dubitatione corpus ede ac sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris.* Idem orat. in s. bapt.: *Reverere mysticam mensam, ad quam accessisti, panem quem participasti, poculum cui communicasti* etc.
Ambrosii. Ambrosius lib. de init. myst. c. 9: *Illis aqua fluxit ex petra, tibi sanguis e Christo.* lib. 5. de sacram. c. 3. ad populum de coena loquens: *Manducavi panem meum cum melle meo. Vides, quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit. Bibi vinum meum cum lacte meo. Vide, hujusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescunque enim bibis, remissionem peccatorum accipis et inebriaris in Spiritu.* In 1. Cor. 11: *Testamentum sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est, in cujus typum nos calicem mysticum sanguinis ad fruitionem corporis et animae nostrae percipimus.* Ibidem: *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo et potando carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus novum testamentum in his consecuti, quod est nova lex.* Idem ad Theodos. imper. teste Theodoreto lib. 5. hist. eccl. c. 18. dixit: *Qua audacia poculum sanguinis pretiosi ore tuo participabis?* (Bellarminus excipit: *Haec nihil ad rem*
X. 71. *faciunt, fatemur enim, datam aliquando utramque speciem laicis, sed negamus, id jure divino mandatum.* Respondemus: sufficit nobis, tot seculorum decursu utramque speciem usitatam ac Christi institutionem tam religiose observatam fuisse.)
Hieronymi. Hieronymus in c. 3. Sophon. tom. 6. p. 221: *Sacerdotes, qui eucharistiam conficiunt et sanguinem Domini populo dividunt.* In 1. Cor. 11: *Dominica coena omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, aequaliter tradidit sacramenta.*
Chrysostomi. Chrysostomus hom. 18. in 2. Cor.: *Est autem ubi nihil differt sacerdos ab iis, quibus praeest, veluti cum tremenda mysteria percipienda sunt, aeque enim omnes ad ea admittuntur, non quemadmodum in lege veteri alia sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur.* (Bellarminus excipit, *Chrysostomum vim facere in re, non in speciebus vel modo sumendi.* Responsio: quomodo omnibus unum poculum proponitur, si laicis poculum eucharisticum denegatur? quomodo in mysteriis participandis nulla est inter sacerdotem et eos, quibus praeest, differentia, si sacerdos solus habet potestatem ex calice benedicto bibendi? Gerson inter causas recusati populo calicis hanc ipsam ponit, *ne quis in falsam credulitatem inducatur, quod tanta sit dignitas laicorum circa sumtionem corporis Christi, sicut et sacerdotum*, in tract. de com. laic.) Idem hom. 23. in 1. Cor.: *Quomodo tu comedis corpus Domini, sic illi manna; et quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam ex petra. Qui enim illis illa praebuit, is hanc mensam construxit, et idem illos quoque per mare et te duxit per baptismum, et illis manna et aquam et tibi corpus praebuit et sanguinem.* Homil. de euchar. tom. 5. p. 919: *Reputate salutarem sanguinem quasi e divino et impolluto latere effluere, et ita approximantes labiis puris accipite.*
Gelasii Cyziceni. Gelasius Cyzicenus in actis conc. Nic.: *Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum poculum et panem, sed attollentes mentes fide intelligamus, sitim in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi sine sacrificio (ἀθύτως) a sacerdotibus immolatum et pretiosum ipsius corpus et sanguinem vere sumentes credere, haec esse nostrae resurrectionis symbola* etc.
Augustini. Augustinus lib. 3. qq. in Levit. q. 57: *A sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* (Bellarminus excipit, Augustinum vim facere non in modo bibendi, sed in ipsa sanguinis sumtione. Responsio: bene est, addimus autem, sanguinem Christi sacramentaliter non sumi nisi mediante benedicto vino.) lib. 20. contra Faustum c. 18: *Unde jam Christiani peracti hujus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi.* In dial. ad Oros. q. 65: *Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo universa ecclesia accepto dicit Amen. Nam qualem clamorem faciet universa ecclesia, dum potatur sanguine Christi et dicit Amen. Ipse, si potes, considera.* Serm. fer. 2. pasch. ad Neoph.: *Vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem et contritionem in nomine Christi jam tanquam ad Christi calicem venistis et ibi vos estis in mensa et in calice nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, hoc bibimus, quia simul vivimus.* (Bellarminus excipit, *non sequi negativam non bibimus simul. Ergo non simul vivimus, possumus enim simul vivere comedendo.* Responsio: nititur haec exceptio hypothesi concomitantiae, de quo suo loco.) In lib. sent. prosper. et habetur c. cum frangitur dist. 2. de consecr.: *Dum frangitur hostia, dum calix in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur?*
Gelasii Romani. Gelasius, cujus verba citantur c. comperimus. dist. 2. de consecr.: *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut sacramenta integra perci-* X. 72.

Digitized by Google

piant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius et ejusdem mysterii non potest sine grandi sacrilegio provenire. (Bellarminus duas affert solutiones: *1. quod loquatur Gelasius de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui nullo modo debent unam speciem sine altera sumere.* Responsio: nullo teste probari potest, sacerdotes tum temporis utramque speciem quidem consecrasse, alteram tamen tantummodo sumsisse. Si enim utramque consecrabant, quid fiebat de altera? ubi inventi sunt consecrantes, qui non sumant utramque speciem? Praeterea verba illa *aut ab integris arceantur* evidenter respiciunt sumentes, non autem distribuentes, sic enim in hoc ipso c. 26. resp. ad dicta Cypriani Bellarminus loquitur: *Jus laicorum ad communicandum a sacerdotibus datur et a sacerdotibus tollitur.* Adde quod canon transgressoribus poenam excommunicationis imponit. At clerici peccantes solent ab ordine deponi. Recte ergo Lindanus lib. 4. panopl. evang. c. 56. p. 340. fatetur, *etiam ad laicos hunc canonem pertinere.* Idem statuit Petrus a Soto instit. Dillingae praelecta et impressa. *Donemus illis,* inquit, *fuisse usum utriusque speciei, quod testimonium illud Gelasii papae confirmat.* Idem agnoscit Cassander de comm. sub utraque specie fol. 15: *Quanquam antiquissimae, quas manuscriptas vidi in eundem canonem, glossae eum de conficientibus intelligunt, tamen eum sui adhuc temporis morem fuisse manifeste declarant, ut extra necessitatem laici haud secus atque sacerdotes integra sacramenta perciperent. Ita enim glossa habet ad illud, aut integra, id est integre, sub utraque enim specie Christus integer sumitur, et hoc intelligo de conficiente, nam infirmus vel sanus sine vino in necessitate corpus sumere potest.* Postea Cassander errorem istum glossatorum corrigit: *Qui ad solos conficientes Gratianum vel ejus simulatores et glossatores secuti hunc canonem referebant, ab aliis eruditione praestantibus, qui temporum circumstantias et dictorum causas diligentius observarunt, aperte refelluntur.* Hier. Schurffius jurisconsultus celebris cent. 1. cons. 51. aliquot rationibus contra glossatorem probat, canonem illum de laicis accipiendum esse, 1. quia tunc durabat consuetudo utendi integro sacramento; 2. cum textus dicat arceantur, loquitur de laicis, ut arcerentur per ministros porrigentes; 3. communis est theoria Dd. quod rubricae non sint authenticae, cum non sint factae ab habente potestatem condendae legis; 4. istud rubrum est expresse contra rationem assignatam in nigro, quae dicit, quod divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non possit provenire. Quae ratio non minus in laico dividente quam sacerdote militat. Si ergo una et eadem ratio expressa in dicta constitutione, militat in utroque, ergo idem utrobique jus statuendum juribus vulgatis; 5. dictum rubrum est contra textum Matthaei, Marci, Lucae etc. Aliam solutionem quaerit Bellarminus dicens, *2. Gelasium reprehendere illos duntaxat, qui ex errore Manichaeorum a calice abstinebant, quales erant tum Manichaei, tum Priscillianistae.* Responsio: Haec solutio evertit priorem. Si enim canon loquitur de Manichaeis, ergo non X. 73.
de solis sacerdotibus. Superstitio dicitur, non haeresis, cui hic canon oppositus est. Ergo non de Manichaeis haereticis, sed de superstitiosis Christianis loquitur. Praeterea verba canonis generalia sunt, eum non recipere integrum sacramentum, qui unam tantum speciem sumit, aut sacramenta integra percipienda, aut ab integris abstinendum, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non possit provenire.) Gregorius lib. 4. dial. Gregorii Magni.
c. 58: *Ejus ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam manibus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Homil. de pasch.: *Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* In psal. poenit.: *Pretiosi sanguinis effusione genus humanum redemit et sacrosanctum vivifici sui corporis et sanguinis mysterium membris suis tribuit, cujus participatione corpus suum, quod est ecclesia, pascitur et potatur, abluitur et sanctificatur.* Liber sacramentorum Gregorii: *Dum Dominicum corpus sacerdos dat, dicat: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam aeternam, Amen. Accipiens dicat: Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo. Item sacerdos calice dando dicat: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam aeternam, Amen. Accipiens dicat: Calicem salutarem accipiam* etc. Isidorus lib. 2. de div. offic. Isidori.
c. 15: *Quarta post haec* (oratio) *infertur pro osculo pacis, ut caritate omnes reconciliati invicem digne sacramento corporis et sanguinis Christi consocientur.* Beda in hom. hiem. de sanct. p. 446: *Lavat* Bedae.
nos Christus a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabilis Spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur, sed fidelium ore suam sumitur ad salutem. (Bellarminus excipit, *sanctos illos patres dicere, quod sumatur Christi sanguis ore corporis, nequaquam vero dicere, quod bibi debebat ore corporis aut sub specie vini sumi.* Responsio: recurrit concomitantiae hypothesis, quae Bellarmini in hoc doctrinae capite prora et puppis. Sanguinem Christi in ora fidelium *fundi* dicunt, id quod non potest de manducatione sanguinis sub specie panis intelligi.) Idem in Joh. c. 22: *Si in octavi diei circumcisione baptisma, in mysterium divinae resurrectionis a peccatorum nos morte redemit, intelligis* etc. *fideles quoque de baptisterio ad altare sanctum ingredi ac Dominici corporis et sanguinis victima singulari debere consecrare.* Homil. de muliere forti: *Panem quoque otiosa non comedit, cum sacrificium Dominici corporis percipiens studet imitari actu, quod mysterio celebrat, multum*

Digitized by Google

sollicita, ne indigne panem Domini comedendo et calicem bibendo judicium sibi manducet et bibat. Carolus Magn. lib. 3. de imag. c. 6: *Fit per Spiritum s. per quem remittuntur peccata, sive sanguinem Christi, qui a nobis in sacramento sumitur et pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.* lib. 4.
I. 74. c. 14: *Corporis et sanguinis mysterium quotidie a fidelibus sumitur in sacramento.* Haymo in 1. Cor. 10: *Appellatur et ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo partemque sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se.* Idem in Apoc.: *In ecclesia quotidie fideles comedunt Christi corpus et sanguinem bibunt.* Theophylactus in 1. Cor. 11: *Tremendus calix Domini cunctis pari conditione traditus est.* [Bellarminus excipit, *Theophylactum loqui de eo tempore, quo scripta est epistola ad Corinthios.* Responsio: demus hoc, sed si calix Domini cunctis pari conditione a Christo traditus, cur denegant eum laicis contra Christi institutionem?] Idem in c. 19. Joh.: *Quando accedes ad poculum communionis sanguinis Christi, sic te compara, quasi ex latere ipsius bibiturus.* Paschasius lib. de corp. et sang. Dom. c. 15: *Ideo hic solus est, qui frangit hunc panem et per manus ministrorum distribuit credentibus dicens: Accipite et bibite ex hoc omnes tam ministri, quam et reliqui credentes. Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti.* (Bellarminus primo suspicatur, *locum esse corruptum;* deinde monet, *Paschasium non exponere verba Domini, ut sunt apud Matthaeum, bibite ex hoc omnes, sed ut videntur dici a Christo, dum in ecclesia distribuitur sacramentum;* tandem addit, *verba Paschasii significare, quod bibendus sit Domini sanguis, sed in specie panis, non in specie vini.* At quid tam perspicue dictum est vel dici potest, quod his artificiis non possit eludi? verba Paschasii sunt manifesta, quod non ad ministros solos, sed ad omnes credentes usus calicis pertineat, id quod aetiologia addita manifeste comprobat.) Remigii calici inscripti erant hi versiculi:

> *Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,*
> *Injecto aeternus quem fudit vulnere Christus,*
> *Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.*

Rupertus lib. 2. de div. offic. c. 9: *Panem et vinum sacerdos in ora fidelium distribuit.* Bernhardus serm. de coena Dom.: *Christus pridie quam pateretur, discipulis hujus sacramenti formam praescripsit, efficaciam exhibuit, id est fieri praecepit, formae praescriptio in pane et vino* etc. Serm. 3. in ram. palm. *alimoniam corporis et sanguinis Domini in prima coena Domini exhibitam et deinceps frequentari mandatam* dicit. (Bellarminus excipit,
I. 75. *sub specie panis integram esse alimoniam corporis et sanguinis Domini.* Responsio: apostolus panem benedictum vocat *κοινωνίαν* sanguinis Christi 1. Cor. 10, v. 16. Qui ergo sacramentalem sanguinis Christi communicationem desiderat, eum e calice benedicto juxta Christi institutionem bibere necesse est. Ecclesiae Graecae, Russicae, Syriacae, Armeniae, Abyssinae etc. usum utriusque speciei adhuc hodie retinent, ut testantur liturgiae a Cassandro editae. Jeremias patriarcha Constantinopol. resp. 1. ad theol. Wuertemberg. anno MDLXXVI data *φάτε οὖν, ὅτι μετα λαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, καὶ καλῶς λέγετε, οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίων.* **Ritus, quos Graeci in administratione eucharistiae adhibent, sic describit Budowicius consiliarius Caesareus in circulo lunari ac solari p. 202: *Accepto pane hordeaceo medium panis exscindunt et accepto calice comminutum panem in eum injiciunt super infuso vino et ita post consecrationem et multiplices ceremonias cochleari communicantibus distribuunt. Illud panis, quod remansit, dividitur in frusta parvula et datur loco societatis velut res non consecrata quibusvis Christianis. In ecclesiis Moscoviticis presbyteri sacramentum coenae sub utraque specie populo dant universo.* In opere de variis rerum Moscovitic. auctoribus p. 29. 126. 136. et 257: *Panem divisum in particulas calici addunt easque cochleari communicantibus cum vino exhibent.* p. 29.** Liturgia Armenorum secundum Andream a Lubeszyck: *Communicans dicit: fide man-* I. 76.
duco sanctum, vivificans et salvificans corpus tuum Domine Jesu Christe; calicem bibens: Fide bibo sanctum inpermixtum sanguinem tuum peccata delentem Jesu Christe. Vide plura veterum testimonia apud Mornaeum lib. 1. de missa c. 11. p. 267. et seqq. Cassandrum lib. de commun. sub utraque specie.

44. Restat, ut tertio loco ex ipsis adversariis testimonia colligamus. Ea vero in tres ordines redigi possunt: 1. quaedam enim ex jure canonico; 2. quaedam ex Scholasticis; 3. quaedam ex recentioribus scriptoribus Pontificiis sunt petita. Juri canonico insertum est rescriptum Gelasii c. Comperimus distinct. 2. de consecr. quod paulo superius expendimus. Huc referantur etiam c. cum omne crimen distinct. eadem ex decreto Julii papae: *Audivimus, quosdam schismatica ambitione detentos contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre* etc. *quod quam sit evangelicae et apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Legitur enim in evangelica veritate: accepit Jesus panem et calicem et benedicens dedit discipulis suis* etc. *Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus suum commendavit et sanguinem, seorsim enim panis et seorsim calicis commendatio memoratur.* (Collige: Si repugnat institutioni Christi, panem calici intinctum populo dare, multo magis ei re-

pugnat, populum a communione calicis plane removere. **Si Julius tam stricte distinctum utriusque speciei usum in ecclesia servari voluit, ut ne quidem panem benedictum vino consecrato tingi permiserit, licet per intinctionem utraque species et essentialia sacramenti conjunctive exhiberi videantur; multo magis vetuit, panem benedictum populo dari absque intinctione, cum hoc modo utraque species et essentialia sacramenti ex mente loci Paulini 1. Cor. 10. exhiberi non possint.**) c. quia passus. dist. ead.: *Panis iste indicat unitatem, sic et vinum in multis racemis fuit et modo unum est, vinum est in sua nativitate, calix post pressuram torcularis; et vos* (neophyti seu catechumeni, quia canon desumtus est ex Augustini serm. fer. 2. pasch. ad neoph.) *post illa jejunia, post labores, post humilitatem et contritionem jam tanquam ad Christi calicem venistis et ibi vos estis in mensa et in calice nobiscum estis, simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus.* c. frangitur dist. ead.:
X. 77. *Sanguis de calice in ora fidelium funditur.* c. quid sit sanguis. dist. ead.: *Quid sit sanguis agni, non audiendo, sed bibendo didicistis* etc. *ejus corpus ubique sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis in fidelium ora funditur.* Glossa in c. peracta distinct. ead.: *Corpus et sanguinem ministrant.* In c. qui manducant. dist. ead.: *Qui manducant et bibunt Christum, vitam manducant et bibunt. Illum manducare est refici, illum bibere est vivere, quod in sacramento visibiliter sumitur.* Ibi glossa: *In sacramento, id est in specie panis et vini.* Panormitanus in c. cum Martha de celebrat. miss.: *Communicantibus tantum datur eucharistia, id est hostia sola, quia recipiendo panem recipiunt corpus et sanguinem; sacerdos utitur duobus ad repraesentandam passionem, dicunt tamen doctores et sentiunt, quod non malum esset, si communicans etiam sumeret de sanguine.*

Testimonia ex Scholasticis.

45. Scholastici quamvis concomitantiae Helenam speciose pingunt, agnoscere tamen coguntur, speciem vini ad integritatem sacramenti coenae pertinere. Lombardus lib. 4. sentent. distinct. 11. lit. F: *Quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? Ut ostenderetur, totam humanam naturam assumsisse, ut totam redimeret, valet enim ad tuitionem corporis et animae, quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur.* **Bandinus Lombardo antiquior lib. 4. dist. 11. ad quaestionem: *Cur sub duplici specie sumatur Christus? Sub duplici quoque specie totus Christus sumitur, ut ostendatur, totam humanam naturam Christum assumsisse totamque redemisse. Panis enim ad carnem, vinum refertur ad sanguinem, ut Moyses ait: Caro pro corpore vestro offeratur, sanguis vero pro anima.*** Durandus lib. 4. ration. div. offic. c. 54. num. 13. p. 124: *Solum hostiam recipiens non plenum sacramentaliter recipit sacramentum. Etsi enim in hostia consecrata Christi sanguis sit, non tamen est ibi sacramentaliter, eo quod panis corpus, non sanguinem, et vinum sanguinem significat et non corpus. Quia ergo sub altera tantum specie non est completum sacramentum, quoad sacramentum vel signum debet sacramentum compleri, priusquam presbyter eo utitur.* (Atqui eadem est ratio de laico.) Idem c. 42. ejusdem libri num. 1. p. 104: *In quibusdam locis post sumtionem corporis et sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice et super infunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant, non enim esset decens in sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur. Utrum autem per contactum sanguinis vinum appositum efficiatur sacramentum, dicetur super verbo calix.* Alexander Alensis lib. 4. sent. qu. 53. membr. 1: *Licet illa sumtio, quae est in accipiendo, sub una specie sufficiat, illa tamen, quae est sub duabus, est majoris meriti, tum ratione augmentationis et devotionis, tum ratione dilationis actualis, tum ratione sumtionis et completionis.* qu. 40. membr. 3. art. 2: *Totus Christus non continetur sub utraque specie sacramentaliter, sed caro tantum sub specie panis, sanguis tantum sub specie vini.* Et postea: *Sumtio sub utraque specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est majoris efficaciae et complementi.* qu. 31. membr. 1. art. 2: *Sumto hoc sacramento digne in utraque specie major est effectus unius corporis mystici cum capite quam sumto sub altera.* Albertus Magnus lib. 4. sent. dist. 8. art. 13: *Duplex est in hoc sacramento perfectio, Christi videlicet et ipsius sacramenti, secundum quod venit in usum fidelium;* priore modo dicit, *verum esse, Christum esse sub utraque specie perfectum;* secundo modo *sibi videri falsum, quia non perfecte signetur et causetur usus fidelium et unitas corporis mystici nisi sub duplici signo, ideoque virtute sacramenti utrumque debere haberi.* Thomas part. 3. q. 80. art. 12: *Ex parte ipsius sacramenti convenit, quod utrumque sumatur, scilicet panis et vinum, quia in utroque consistit perfectio sacramenti.* Idem in caten. aur. super cap. 26. Matthaei: *Sicut corporalis refectio fit per cibum et potum; ita sub specie cibi et potus nobis spiritualem refectionem Dominus praeparavit. Conveniens etiam fuit ad signandam Dominicam passionem, ut sub duplici specie hoc sacramentum institueretur. In passione enim sanguinem suum effudit.* In 1. Cor. 11: *Traditur hoc sacramentum sub specie duplici propter tria: primo quidem propter ejus perfectionem, qui cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum et spiritualem potum, nam et corporalis refectio non perficitur sine cibo et potu; secundo propter ejus significationem, est enim memoriale Dominicae passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore, et ideo in hoc sacramento seorsim offertur sanguis a corpore; tertio propter hujus sacramenti effectum salutarem, valet enim ad salutem corporis, et ideo offertur corpus, valet ad salutem animae, et ideo offertur sanguis.* Richardus de Media Villa et Petrus de Tarantasia lib. 4. sent.

X. 78.

Digitized by Google

dist. 11. *suo tempore sub utraque specie coenam distributam* attestantur *in insignioribus paroeciis.* Petrus de Palude lib. 4. sent. dist. 21. q. 2. refert, *in quibusdam monasteriis fuisse consuetum sub utraque specie communicare.* Guilielmus de Montelanduno lib. 4. sent. dist. 11. q. 2. referente Cassandro in liturg. p. 89: *Qui recipit corpus, totam veritatem ejus recipit, licet non totum sacramentum et ideo in multis locis communicatur cum pane et vino, id est cum toto sacramento.* Bonaventura lib. 4. sent. dist. 8. q. 2: *Ex duobus signis unum perfectum resultat sacramentum, cujus integritatis ratio dispositive venit a natura, quia nec panis est per se plene reficiens, nec vinum, sed utrumque, et una plena refectio in natura venit ex utroque, et ita disposita sunt ad unam refectionem signandam, sed completive venit ab institutione divina, quae una institutione haec duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectionem et ideo unum sacramentum ratione naturae et institutionis divinae.* Lyra in 1. Cor. c. 10.: *Eucharistiae sacramentum est quoddam spirituale nutrimentum, et ideo fit sub duplici specie, scilicet potus et vini, quia utrumque requiritur ad rationem nutrimenti perfecti.* Ibidem c. 11. ejusdem epist.: *Sicut Christus convertit panem in corpus suum, ita et vinum in sanguinem, utrumque enim est de perfectione hujus sacramenti, tum quia per utrumque perfecte simul exprimitur passio Christi, cujus est memoriale, tum quia utramque significat perfecte refectionem.* Gabriel Biel lib. 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 3. *olim in quibusdam ecclesiis id fuisse usitatum* refert, *ut laici sub utraque specie communicarent.* Lect. 84. in canon. miss. dicit, *quaestionem de una specie fuisse dubiam usque ad definitionem concilii Constantiensis.*

Con- tien- Ba- ensis Tri- tini ilio- de- ta.

46. Antequam ad recentiorum scriptorum testimonia accedamus, monenda quaedam de Constantiensis, Basileensis et Tridentini concilii decretis in hac quaestione. Concilium Constantiense fatetur, *Christum sub utraque specie venerabile hoc sacramentum instituisse et administrasse, ac in primitiva ecclesia communionem sub utraque specie usitatam fuisse, hoc tamen non obstante* usum utriusque speciei prohibet. Sic enim habent verba sess. 3.: *Licet Christus post coenam instituerit et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini venerabile sacramentum, ac licet in primitiva ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie panis et vini; tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas servavit* etc. Bellarminus frustra conatur effugere, *quod de tempore communicandi tantum, non autem de utraque specie ibi agatur,* quia patres illi ex uno alterum inferre volunt hoc pacto. Christus post coenam eucharistiae sacramentum instituit, quod tamen vetus ecclesia a jejunis celebrandum sanxit. Ergo licet Christus sub utraque specie sacram coenam instituerit et discipulis tradiderit, tamen ecclesia laicos una specie contentos esse jubere potest. Concilium Basileense concessit Bohemis facultatem communicandi sub utraque specie, teste Aenea Sylvio in historia Bohemica c. 52. agnovit igitur, Bohemos justas habere causas petendi, jus calicis postliminio sibi restitui. Bellarminus regerit, *datam esse hanc facultatem cum ea conditione, ut crederent, communionem sub una esse licitam.* Sed hoc est manu altera eripere, quod una fuerat datum. Usus calicis benedicti non fundatur in papae concessione, sed in Christi institutione. Inter postulata regum et principum concilio Tridentino proposita fuit etiam haec petitio, *ut usus Dominici calicis juxta institutionem Christi et morem primitivae ecclesiae, sublata injusta ejus prohibitione, laicis restitueretur.* Sed patres illius concilii petitionem illam ex una sessione in aliam rejecerunt, donec tandem prorsus a synodo ad Romanum pontificem fuerit rejecta. Edita est autem Coloniae anno 1564. consultatio de communione Christiani populi sub utraque specie, in cujus praefatione narratur, Tridentinam synodum per totam aestatem anni 1562. occupatam fuisse disputationibus super petitione concessionis calicis, dum major eruditorum episcoporum eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus iret, ut laicis calicem esse concedendum judicaret, alii vero magna contentione resisterent; ne vero incommodi quippiam tantus dissertationum ardor afferret, eam controversiam Pii IV. pontificis arbitrio dirimendam relictam esse. X. 79.

Testimonia ex scriptoribus Pontificiis recentioribus.

47. In scriptis recentiorum multa occurrunt, quae communioni sub utraque specie favent. D. Rhenanus in Tertull. de coron. militis pag. 41: *Idem nuper reperit in primis Cartusiorum constitutionibus Conradus Pellicanus homo mirae sanctitatis ac eruditionis, ubi prohibetur, ne quidquam pretiosorum vasorum possideant praeter calicem argenteum et fistulam, qua laici Dominicum exsorbeant sanguinem.* Nicolaus Cusanus epist. 2. ad Bohem. concedit, quod *olim sanctissimi viri utriusque speciei sacramentum necessarium esse vi praecepti Christi et verbo et opere adstruxerint.* Roffensis episcopus cont. captiv. Babyl. Luth. c. 3. part. 1. f. 2: *In primitiva ecclesia in utraque forma communicabant.* Cajetanus in p. 3. sum. Aquin.: *Hujusmodi consuetudo non solum perseveravit tempore martyrum (quos Cyprianus Dominico populo praeconfortandos censuit), sed etiam tempore pacis ecclesiae, cum legamus, non solum factas patinas, sed etiam calices ministrales, quare enim ministrales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant.* Cassander in consult. de comm. sub utraque specie: *Neque satis mirari possum, Johannem Eccium, virum alioquin insigni memoria praeditum, in apolog. principum catholic. scribere, se non meminisse legere in ecclesia Romana eucharistiam sub utraque specie communicatam laicis, nisi quod argumentum sumi possit ex vita Laurentii. Mirum, si non meminerit calicum ministerialium in ecclesiis urbis Romanae, quorum in libro pontificali subinde fit*

Digitized by Google

mentio, quos ita vocatos fuisse, quod ex iis populo sanguis Dominicus ministraretur, vel ex suo Cajetano potuisset cognoscere. An ignotum illi esse potuit, quod in decretis quoque legitur de Sotero papa, in coena Domini poenitentes ad percipienda corporis et sanguinis Domini sacramenta reconciliari? quid, an non meminerat Gregorii pontificis Romani, ut ejus antecessores taceamus, qui in 4. dialog. scribit, Christi sanguinem non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi. Quem morem sanguinis Dominici porrigendi et antiqua sacramenta Gregorii et libellus ordinis Romani aperte testantur. Et Romani pontifices in solenni officio constanter semper retinuerunt, usque adeo ut Martinus V. etiam post tempora concilii Constantiensis in solenni paschae officio juxta praescriptum ordinis Romani universum populum corpore et sanguine Domini communicasse legatur. Idem: *Satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo solenni praesertim et ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis et vini speciem omnibus hujus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Graecorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent, inductos fuisse exemplo Christi, atque hic mos etiam adhuc per Graeciam et Armeniam obtinet, quare haud temere est, quod optimi quique Catholici et in ecclesiasticorum scriptorum lectione versati summo desiderio potiundi calicis incenduntur,*
X. 80. *ut sacramentum Domini ad consuetudinem veterem multis seculis perpetuatam universalis ecclesiae reducatur.* Oratores Caesarei, Gallici et Bavarici in synodo Tridentina restitutionem calicis petierunt. Orator Bavaricus inter cetera sic loquitur: *Non parum id movet homines, praesertim in hac provincia, quod Paulus III. edita bulla sua concessit Germaniae episcopis potestatem communicandi populum sub utraque specie, quod quidem summi pontificis decretum urgent summi et infimi.* Eo autem respicit orator, quod Paulus III. anno 1548. pridie calend. Septemb. tres in Germaniam legatos miserat, quibus mandatum *de consilio et assensu omnium cardinalium* (sic enim habetur in bulla) dederat, ut petentibus sibi permitti calicem aut usum utriusque speciei non denegarent. Ea bulla exstat impressa Basileae curante Vergerio apud Oporinum. Aloysius Lippomanus Veronae episcopus fuit unus ex tribus illis legatis, qui bullam per Germaniam circumferebant. Dudithius Caesareae majestatis legatus orat. 2. sic loquitur ad patres Tridentinos: *Videtis, quantis discordiis, quantis dissensionibus, quantis odiis res agatur* etc. *Huic vos rei tum demum obviam ire poteritis, si imbecillitatis filiorum vestrorum miserti ad eorum vos infirmitatem dimiseritis et incredibilem illam eorum sitim, qua dies noctesque cruciantur, quam primum restrinxeritis. Quod quidem non ante fiet, quam vos tantopere ab illis expetitum Christi sanguinem hianti ore, siccis faucibus, summo cum desiderio exspectantibus non gravate praebueritis. Ne committatis, patres, ut tot populorum, tot nationum, tot insignium provinciarum, tot nobilissimorum regnorum, quae nunc eodem incendio absumuntur, inanem esse jacturam existimetis* etc. *Ne cogitetis, eos, qui tanto studio, tanta contentione, tam ardenter Christi sanguinem expetunt et efflagitant, tam negligentes, tam impios futuros, ut quod tanto ardore sibi dari postulant et obsecrant, id non omni veneratione sint prosecuturi, non omnem ab eo pro-* X. 81.
fanationem longissime amoturi. Idem orat. 2: *Quoniam Caesarea majestas longo rerum usu edocta animadvertit, nullas alias graviores esse contentiones et querelas, quam eas, quae ob sacri calicis usum interdictum ortae sunt, idcirco, ne officio suo aliqua ex parte defuisse videretur, de hac potissimum permissione ad sacram synodum referri voluit* etc. *Ne quis dubitare possit, quid de hac nostra postulatione sanctissimus dominus noster sentiat, illud vere affirmo, me ex urbe* (Roma) *literas accepisse, quibus nuntiatum fuerit, causam a sanctitate sua non solum honestam et justam, sed usque adeo necessariam judicatam, ut in longius tempus sine maximo Christianae religionis incommodo differri non posse existimarit.* Et paulo ante: *Sunt qui mirentur, cur hoc a sanctissimo domino nostro* (papa) *non postulatum aut non impetratum fuerit. Quibus facile est respondere, prudentissime sanctitatem suam hujus causae cognitionem ad sacrae synodi judicium rejecisse.* Postea patres hanc postulationem vicissim retulerunt ad judicium pontificis; ita elusi fuerunt reges et principes calicis permissionem postulantes. Ferdinandus imperator in literis ad Pium IV. pontificem sic scribit: *Zelo pietatis et honesta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridenti sacrum oecumenicum concilium, ut ageremus et laboraremus pro concessione calicis, non certe temporalis alicujus commodi aucupandi gratia* etc. *sed quia prorsus persuasum habuimus, sicut etiam nunc habemus, hujusmodi concessionem futuram esse utilissimam in genere, plurimum momenti allaturam in specie ad reductionem lapsorum et errantium, nec non ad faciendum jam tandem utile principium restaurandae unitatis et pacis ecclesiae tamdiu frustra expectatae et desideratae. Verum quoniam eo tempore nobis relatum fuerat, non deesse, qui de hac materia et concessione nonnihil dubitarent et varia impedimenta injicerent, facile tulimus, rem aliquamdiu differri, ut possemus interim pro exoneratione conscientiae nostrae de hoc negotio conferre cum nonnullis praecipuis atque potissimum sacri Romani imperii praelatis ac principibus existimantes, quod praehabito eorum consilio rectius ac liberalius possemus deinde omnibus modis instare et elaborare, ut petitioni nostrae satisfieret. Instituta igitur matura ac diligentissima deliberatione de hoc negotio, utrum scilicet expediat, hanc concessionem ulterius exquirere et urgere, nec ne, cum dictis praelatis*

Digitized by Google

atque principibus ecclesiasticis etc. *et dato eis cogitandi spatio, quo et ipsi possent rem cum suis theologis et doctoribus pietate et eruditione praestantibus conferre, prout contulisse non ambigimus, iidem praelati et principes ecclesiastici, cum intellexissent, nos ad hujusmodi petitionem tam necessariam, tum regnis et dominiis nostris, tum universae nationi Germanicae inclinatos esse et statuisse, sanctitatem vestram hoc nomine reverenter interpellare, magnopere collaudato proposito nostro promiserunt, quod et ipsi in hac parte non essent defuturi officio suo* etc. *Plane nobis persuasimus, sanctitatem vestram non permissuram, ut frustra ab ea auxilium petiisse videamur in re tam necessaria et ad salutem Christiani populi pertinente, quae in concilio tam diligenter ventilata et discussa fuit, praesertim cum jam omnibus constet et manifesta sit ingens utilitas, quae ex hujusmodi concessione expectanda est.* Hae orationes duae Andreae Dudithii in concilio Tridentio habitae una cum literis Ferdinandi imperatoris ad Pium IV. de calice permittendo et Alberti Bavariae ducis ad eundem papam de eodem negotio scriptae editae sunt Ofenbachii anno 1610. quae de multis monere possunt. Sleidanus lib. 9. refert, de coena Domini integra (vel ut loquuntur sub utraque specie) sumenda sermonem fuisse regi Galliae cum Clemente VII. *sperare se ab hoc impetrari posse pontifice, ut facto decreto liberum permittat ejus rei usum pro cujusque conscientia. Regem praeterea hoc dicere, patrum memoria distributum fuisse per Galliam quibuslibet integram coenam, non quidem in medio templo, sed in sacellis, hoc illum a nonnullis accepisse grandi aetate, qui istum ritum in*
I. 82. *Gallis fuisse confirmant ante centum et viginti annos, deinde Galliae regibus administrari totam, et cum inter disputandum hoc ipsum rex objecit, illos respondere, vnctos esse reges aeque ac sacerdotes et Scripturam loqui de sacerdotio regali, quod autem regibus liceat, non item esse permittendum aliis.* Petrus a Soto in inst. Dillingae praelect. et impressa: *Etsi verum est, utriusque speciei perceptionem longo tempore fuisse in usu ecclesiae, maxime cum peractis mysteriis populus accederet ad communicandum, non tamen hoc quasi necessarium fuit servatum, cum tunc etiam nonnulli sub una specie sumerent, et ita forte infirmis omnibus traderetur. Quare non est consultum conari, ut probemus, vel in primitiva illa apostolorum ecclesia, vel in antiquioribus aliis tantum fuisse unius speciei usum, quod quidam volunt ostendere ex illo verbo Act. 1. erant perseverantes in communicatione fractione panis, nam id hoc non probat, et Paulus ad Corinth. de cibo et potu mentionem facit. Donemus igitur illis, fuisse usum utriusque speciei, quod testimonium illud Gelasii papae confirmat et aliud Leonis in serm. 4. quadragesimae, ubi Manichaeos dicit speciem vini non sumere, ostendens aperte, id contrarium fuisse consuetudini Catholicorum.* Wilhelm. Lindanus lib. 4. panopl. evan. c. 26: *Quod per occidentem fuerit populo utraque administrata species in proximum fere usque Constantiensis synodi seculum, haud prolixa opus habet demonstratione.* Andr. Friccius lib. 4. de emend. reip. Christ. c. 19: *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet, non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quae convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.* Gerardus Lorich. de missa: *Sunt pseudocatholici, qui reformationem ecclesiae quoquo modo remorari non verentur. Hi ne laicis altera species restituatur, nullis parcunt blasphemiis, dicunt enim Christum solis apostolis dixisse: Bibite ex hoc omnes. Atqui verba canonis habent: Accipite et manducate ex hoc omnes. Hic dicant, oro, num et hoc ad solos dictum sit apostolos? Ergo laicis et a specie panis abstinendum, quod dicere est haeresis et blasphemia pestilens et exsecrabilis; consequitur ergo, utrumque verbum dictum esse ad omnem ecclesiam.* In lib. Interim usus calicis laicis permittitur. Dominus D. Rungius in scripto Germanico de persecutione Romano-Papistica Evangelicorum in Styria, Carinthia etc. pag. 24. allegat mandatum Caroli archiducis Austriae de communione sub utraque specie Matthiae Marcinae pastori Goercensi datum.

48. Communio sub una specie decreta primum in concilio Constantiensi sess. 13. anno 1415. et confirmata in concilio Tridentino sess. 21. et 22. anno 1562. Decretum concilii Constantiensis sic habet: *Generale concilium declarat, decernit et definit, contra hunc errorem* (de communione laicorum sub utraque specie), *quod licet Christus post coenam instituerit et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat, quod hujus modi sacramentum nec conficiatur post coenam, nec sumatur nisi a jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, a jure vel ecclesia concesso vel admisso* etc. *Et similiter, quod in primitiva ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini* X. 83.
veraciter contineri. De hoc concilio pronuntiat Gerson in dialogo apologetico, *quod numerositate convenientium, agendorum arduitate et sui praesertim duratione maximum super cetera fuerit, quoniam per triennium cum sex fere mensibus protensum est.* Concilii Tridentini decreta haec sunt c. 1. *Sancta synodus a Spiritu sancto edocta atque ipsius ecclesiae judicium et consuetudinem secuta declarat et docet, nullo divino praecepto laicos et clericos non conficientes obligari ad eucharistiae sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo*

Communio sub una specie quando sit decreta.

Digitized by Google

pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituit et apostolis tradidit, non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendum adstringantur etc. Cap. 2: *Sancta mater ecclesia agnoscens suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine gravibus et justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, pro lege habendum decrevit, quam reprobare aut sine ipsius ecclesiae auctoritate pro libero mutare non licet.* Can. 1: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi sacramenti eucharistiae sumere debere, anathema sit.* Can. 2: *Si quis dixerit, sanctam ecclesiam catholicam non justis de causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.*

Dissensus eorum, qui communionem sub una specie propugnant. X. 84.

49. Tridentini concilii strenuos propugnatores agunt Jesuitae et alii scriptores Pontificii, ita tamen ut non tueantur consensum toties depraedicatum. 1. Communio sub una specie nititur potissimum Constantiensis et Basiliensis concilii auctoritate. Sic enim scribit Bellarminus lib. 4. de euch. c. 26. resp. ad primum Cypriani dictum: *Si tempore Cypriani habuissent laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis, ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta et lex praeterea in generalibus conciliis promulgata, non habent amplius jus illud laici.* Sed Albertus Piggius in hierarch. dicit, *quod haec concilia in quibusdam contra legem naturae, contra manifestas Scripturas, contra vetustatis auctoritatem et contra Catholicae ecclesiae fidem decreverint.* 2. Bellarminus statuit, in ecclesia apostolica licitam fuisse communionem sub utraque specie. Sic enim scribit cap. 25. resp. ad arg. tert.: *Ecclesia Corinthiorum utebatur utraque specie, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostendit et tradidit, licitam esse communionem sub utraque specie;* quin imo in eodem c. §. Videndum statuit, *mandatum fuisse apostolis, ut e calice biberent.* Sed Vitus Miletus in scripto quodam Germanico causam et culpam abnegationis Petri et fugae discipulorum, qua deseruerunt Dominum, manifeste confert in usum utriusque partis coenae. Vide D. Hunnium tom. 1. operum p. 1243. 3. Bellarminus statuit, *nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una,* c. 23. propos. ultima; sed Alexander Alensis in 4. parte sum. q. 53. membr. 1. Casparus Cassalius l. 2. de coena et calice c. 25. Cassander in consult. de comm. sub utraque statuunt contrarium. 4. Bellarminus aliquot argumentis probare conatur, solis apostolis dictum fuisse, bibite ex hoc omnes c. 25. resp. ad locum secundum; sed Gerardus Lorich. de missa vocat hoc blasphemiam. Locus paulo superius est citatus. 5. Reges et principes in concilio Tridentino concessionem calicis per oratores sive legatos suos et a pontifice per literas flagitarunt; sed Bellarminus c. 24. aliquot incommoda numerat, quae sequerentur ex necessitate utriusque speciei. Mirum vero, prudentissimos istos dynastas incommoda illa non agnoscere. 6. In concilio Tridentino major eruditorum episcoporum eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus ivit, ut laicis calicem esse concedendum judicaret, referente Cassandro in praefat. libri de comm. sub utraque editi Coloniae anno 1564. hoc tamen non obstante editum est decretum de communione sub una. 7. Paulus III. pontifex Romanus per legatos in Germaniam missos de consilio et assensu omnium cardinalium mandatum dedit, ut permittentibus sibi calicem non denegarent. Eadem concessio facta est per librum Interim. Sed cardinalis Hosius in dial. de comm. sub utraque specie referente Chemnicio in exam. concil. Trid. part. 2. tit. de com. sub utraque X. 85.
specie p. 199. scribit, *si laicis calix et sacerdotibus uxores permittantur, papatum universum eversum iri.* 8. Bellarminus c. 21. §. ceterum, et plerique omnes Pontificii agnoscunt, communionem sub una specie in concilio Constantiensi primum decretam, sed Hosius in libro praedicto scribit, fortassis Ephesini concilii auctoritate usum utriusque speciei fuisse abrogatum, acta autem illius concilii non exstare integra, quibus hoc possit clare evincere, sed tantum fragmentum; affert autem non rejiciendas (ut ipse dicit) conjecturas, quibus doceat, Ephesinum concilium hoc statuisse. 9. Bellarminus cap. 24. rat. 4. probare conatur, etiam in veteri ecclesia ante concilium Constantiense communionem sub una specie fuisse usitatam. c. 25. resp. ad secundum postulatum scribit, *in ipso etiam publico coetu in templis sub una specie fuisse communicatum in antiquissima ecclesia.* Sed Petrus a Soto et Cassander statuunt contrarium. Verba eorum exposita sunt superius. Latomus adversus Bucerum in haec prorupit verba: *Cum adhuc rudis esset prima ecclesia, ritum a Christo traditum religiose tenuit, donec docta a patribus intellexit, utramque speciem convenire sacerdotibus, laicos autem solo pane contentos esse posse.* 10. Theologi Gallici cum a rege ipsis objectum fuisset, Galliae regibus eucharistiam administrari totam, responderunt, reges aeque unctos esse ac sacerdotes et Scripturam loqui de sacerdotio regali. At si exterior unctio chrismatis tantum dignitatis confert regibus, ut eucharistiam integram merito accipiant, quanto magis interior unctio Spiritus reliquis fidelibus usum integrae eucharistiae impetrare debet? Quando Petrus 1. epist. c. 2. regalis sacerdotii mentionem facit, non de solis regibus, sed de omnibus fidelibus loquitur, vi ergo hujus argumenti etiam laicis calix esset dandus. 11. Bellarminus c. comperimus. dist. 2. de consecr. intelligit de

Digitized by Google

solis sacerdotibus conficientibus, qui non debent unam speciem sine altera sumere. c. 26. resp. ad 11. Sed in illo canone asseritur, quosdam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstinuisse. Consequens igitur fuerit, sacerdotes illos vel calicem non consecrasse, vel calicem consecratum reposuisse. Prius dici nequit, quia ex hypothesi Pontificiorum non potest, nec debet fieri consecratio sine vino; sic ergo sacerdotes illi ne quidem corporis sacri portionem sumsissent. Posterius repugnat argumento Bellarmini, quo communionem sub specie panis in primitiva ecclesia usitatam fuisse demonstrare conatur; sic enim scribit c. 24. §. ac primum: *Asservari solitum fuisse eucharistiae sacramentum supra probavimus, quod autem solum sub una specie asservarent et proinde sub una specie sumerent, patet, quia aliquando ad longissimum tempus asservabant, non autem posset vinum in parva quantitate tam diu conservari, quin acesceret.* 12. Inter causas ποτηριοκλεψίας Gerson in tractat. de comm. laicorum etiam hasce refert: *Quintum periculum* (inquit) *est in conservatione pro infirmis, cum possit in vase acetum generari, et ita desineret ibi esse sanguis Christi, nec suscipiendum esset, nec noviter consecrandum sine missa. Et fieri posset, quod daretur acetum purum pro sanguine Christi. Addito, quod in aestate bibiones aut muscae generarentur, quantumcunque esset vas clausum, cumque etiam putresceret aut fieret velut abominabile ad bibendum* etc. Atqui si vinum transsubstantiatur in sanguinem Christi, ita ut nihil nisi species et accidentia vini maneant, quomodo periculum erit acoris, putredinis, corruptionis, generationis muscarum etc. quae non nisi praesupposita vini substantia locum habent? 13. Bellar. c. 25. resp. ad arg. secundum statuit, ideo dari laicis eucharistiam, quia Christus non solum non prohibuerit, sed etiam jusserit dari, cum ait: Hoc facite; Becanus autem in disp. de eucharist. c. 10. contrarium statuit. Si quaeritur praeceptum de utraque specie, dedit illis verbis Joh. 6, v. 53: Nisi manducaveritis etc. Bellarminus praeceptum de communicatione laicorum in verbis institutionis haberi concedit, Becanus negat. Eccius dicit, laicos ideo debere contentos esse una specie, quia dentes equi donati non sint inspiciendi. 14. Bellarminus gravissime reprehendit Lutherum et Chemnicium, quod Constantiensi concilio injuriam fecerint tribuentes ei, quod agnoverit, Christum instituisse eucharistiam sub utraque specie, et vocantes clausulam flagitiosam *hoc non obstante*, sic enim scribit c. 26. resp. ad 20: *Lutherus in disputatione contra concilium Constantiense dicit, concilium in haec verba locutum in suo decreto: Licet Christus instituerit, ut omnes communicent sub utraque, tamen hoc non obstante nos volumus, ut omnes communicent sub una. Ex quibus verbis habemus, concilium agnovisse et docuisse veritatem, quod sit de jure divino communio sub utraque, licet idem concilium contrarium statuerit. Sed hoc* (inquit Bellarminus) *est mendacium intolerabile, concilium enim non loquitur de utraque specie cum ait: hoc non obstante, sed tantum de tempore communicandi* etc. *Quamvis autem hoc mendacium jamdudum in Luthero a Catholicis detectum et confutatum fuerit, tamen discipuli ejus semper illud urgent. Idem enim mendacium repetivit Illyricus in apolog. pro confess. Antuerp. c. 14. ubi expresse dicit, consilium agnovisse, Christum instituisse, ut daretur sacramentum in utraque. Chemnicius part. 2. exam. p. 570. temperat nonnihil hoc mendacium, tamen ipse quoque mentitur, illud non obstante referri ad communionem sub utraque specie.* Haec omnia Bellarminus, cujus tragicos clamores non solum ipsa verba concilii Constantiensis compescere poterunt, sed cumprimis illud, quod in concilio Tridentino totidem verbis repetitur, *Christum Dominum in ultima coena venerabile hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituisse et apostolis tradidisse*, sess. 21. c. 1, v. 3. Ubi notandum, quod Latinum vocabulum *tradidit* in Germanica versione decretorum conc. Trid. edita Coloniae apud Maternum Cholinum ann. 1570. redditum sit per *praecepit* pag. 203. Gregorius de Valent. tract. de miss. fol. 95. scribit, *laicis non posse dari calicem juxta Christi institutionem propter contrariam ecclesiae dispositionem.* Agnoscit igitur, dispositionem ecclesiae contrariam esse institutioni Christi. 15. Bellarminus c. 24. rat. 2. ex c. 6. Joh. communionem sub una specie probat, sed Gabr. Biel lect. 84. in can. Cusanus epist. 7. ad Bohem. Cajetanus in part. 3. Thomae q. 80. art. ult. Ruardus Tapperus in explicat. art. 15. Lovan. Hesselius lib. de comm. sub una specie. Corn. Jansenius c. 59. concord. agnoscunt, non de sacramentali, sed spirituali carnis et sanguinis Christi participatione in illo capite tractari. 16. Bellarminus c. 22. propos. 3. c. 23. resp. ad rat. 7. concedit, speciem vini esse materialem et integralem sacramenti partem. Atqui negari nec potest nec debet, partem materialem et integralem sacramenti ad integritatem sacramenti omnino pertinere, quomodo igitur laicis sine specie vini integrum dabitur sacramentum? 17. Concilium Constantiense et Tridentinum disertis verbis dicunt, *Christum sub utraque specie panis et vini venerabile hoc sacramentum instituisse et apostolis tradidisse.* Agnoscit hoc ipsum Bellarminus c. 23. §. Neque ideo, sic scribens: *Quia sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessario ab aliquibus sumenda est.* Sed hisce e diametro adversatur, quando idem Bellarminus pondere argumentorum nostrorum pressus scribit c. 27. resp. ad secundam rationem: *Si proprie et secundum evangelium loqui velimus, coena Domini non constat nisi ex una specie. Nam Luc. 22. sic legimus: Coenantibus illis accepit Jesus panem. Et postmodum multis interjectis: Similiter et calicem postquam coenavit. Et 1. Cor. 11: Similiter et calicem postquam coenavit. Itaque in coena non dedit nisi eucharistiam sub specie panis, quae proprie respondet coenae Judai-*

cae et agno paschali, post coenam autem dedit calicem. Item c. 22. §. Huc accedit, quod nullo modo, ut sacramentum sit, una species pendet ab alia. *Nam Dominus prius sub specie panis sacramentum confecit ac manducandum dedit, et deinde manducatione absoluta sub specie vini sacramentum confecit et bibendum tradidit.* 18. Bellarminus institutionem Christi ad solos apostolos tunc praesentes refert. Becanus distinguit inter institutionem et praeceptum; de utraque specie laicis danda institutionem Christi exstare concedit, praeceptum vero negat. 19. Costerus in enchiridio a Moguntinensi-
x. 87. bus, Trevirensibus et Coloniensibus Jesuitis approbato scribit, omnibus Christianis libere a Christo permissum esse sub una vel sub utraque specie communicare. Sed Bellarminus c. 25. resp. ad primum arg. ex concilio Tridentino probat, excipi clericos conficientes, qui teneantur ad utramque speciem, sive sint laici, sive sacerdotes. Optarim vero ostendi jus divinum, quo teneantur sacerdotes conficientes ad utramque speciem, reliqui vero non teneantur. Si confugere velint ad institutionem Christi, opponimus eis, quod apostoli tunc non fuerint conficientes. ** Costerus in enchir. c. 10: *Diligenter notandum, hanc consuetudinem non tam episcoporum mandato, quam populi usu et facto conniventibus tamen praesulibus irrepsisse, quam abstinentiam episcopi propter quaedam pericula comprobabant.* Sed reliqui Pontificii ex verbo Dei et veteris ecclesiae consuetudine communionem sub una specie probare satagunt. Communionem sub utraque specie quidam faciunt peccatum contra primum praeceptum, ut videre est in libro qui inscribitur *exercitium pietatis in gratiam studiosorum auctoritate Card. Radzivilii* scriptum et editum Colon. ann. 1592. in c. de methodo recte confitendi: *Circa primum praeceptum inquiratur, an fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis* etc. *ut sub utraque specie communicando.* ** 20. Bellarminus judicat, satis se obtinuisse, modo id probet et obtineat, *nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* c. 23. prop. ult. sed cens. Colon. p. 289. utriusque speciei usui omnem omnino fructum spiritualem derogat: *Quicunque sub utraque specie communicant, non solum non fructum aliquem salutis aut gloriam, sed perditionem aeternam ac perpetuam reportant ignominiam.* Haec omnia dextre concilient, si viri sint.

Bellarmini ἐγκλήματα Luthero in hac quaestione intentata.

50. Videamus, quae fulcra Bellarminus communioni sub una substernat, pollicetur enim diligentem hujus quaestionis explicationem, cum nihil saepius nec magis invidiosum Romanae ecclesiae objiciatur, quam quod contra expressum Dei mandatum privaverit populum usu calicis. c. 20. inconstantiae Lutherum accusat in hac quaestione, quod utramque speciem modo liberam, modo necessariam esse scripserit, ac remittit lectorem ad septicipitem Joh. Cochlaei c. 23. et ad tabulam Casparis Querhameri, in qua notentur 36 contradictiones de hoc articulo. Eandem calumniam repetunt Pistorius, Vetterus, Ungersdorffius atque alii Luthero mastiges. Respondemus 1: fides nostra non nititur Lutheri assertione, sed Christi institutione. 2. Lutherus cum Augustino se in eorum numero professus est, qui proficiendo scribunt et scribendo proficiunt, in praefat. tom. 1. scripta sua priora cum commiseratione legi postulat. *Ante omnia* (inquit) *oro pium lectorem et oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, imo cum multa miseratione et sciat, me fuisse aliquando monachum et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae ut paratissimus fuerim, omnes si potuissem occidere, aut occidentibus cooperari et consentire, qui vel una syllaba obedientiam detrectarent* etc. *Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa et magna humillime concesserim papae, quae posterioribus et istis temporibus pro summa blasphemia et abominatione habeo et exsecror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel ut ipsi calumniantur antilogiam tempori et imperitiae meae.* 3. Cumprimis vero in praefat. articulorum Schmalc. tom. 6. Jenensi f. 544. contra illos Antilogistas graviter intonat: Was soll ich sagen? Wie soll ich klagen? Ich bin im Leben, schreibe, predige und lese täglich; noch finden sich solche giftige Leute, die sich unterstehen, meine Schrift und Lehre stracks wider mich zu führen, lassen mich zusehen und zuhören, ob sie wohl wissen, daß ich anders lehre, und wollen ihr Gift mit meiner Arbeit schmücken, und die armen Leute unter meinem Namen verführen. Was will doch immer nach meinem Tode werden? Ja ich sollte Alles billig verantworten, weil ich lebe. Ja wiederum, wie kann ich allein alle Mäuler des Teufels X.
stopfen ꝛc. Tom. 7. Jenens. f. 247: Es sind viel Sprüche in der Schrift, die nach dem Buchstaben wider einander sind, aber wo die Ursachen angezeiget werden, ist Alles recht. Halt auch wohl dafür, daß alle Juristen und Medici solches in ihren Büchern auch überaus viel finden werden. Und was ist alles Wesen der Menschen, denn eitel Antilogiae oder widerwärtiges Ding, bis man die Sachen höret? Darum sind meine Antilogisten trefflich feine, fromme Säue und Esel, die meine Antilogien zusammen klauben, und lassen die Ursachen anstehen, ja verdunkeln sie mit Fleiß, gerade als könnte ich nicht aus ihren Büchern Antilogias fürtragen, da sie auch nicht mit einiger Ursache zu vergleichen sind. Vid. plura de confictis hisce D. Lutheri antilogiis apud D. Zeaemannum theologum Lavinganum in refut. scripti Ungersdorff. part. 2. c. 17. 4. Bellarminus vehementer exagitat, quod Lutherus in formula missae scribit: *Si quod concilium statueret aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, sed in despectum concilii ejusque statuti aut una aut neutra, et minime utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate aut statuto concilii utraque uterentur.* Sed legatur integer contextus tom. 2. Lat. f. 559. tom. 3. Jen. Germ. fol. 338. et senten-

Digitized by Google

tia erit manifesta. *Postquam* (inquit) *evangelium nunc biennio toto apud nos inculcatum est, satis simul indultum et donatum est infirmitati, deinceps agendum est juxta illud Pauli: Qui ignorat, ignoret* etc. *quare simpliciter juxta Christi institutionem utraque species et petatur et ministretur, qui hoc noluerint, sinantur sibi et nihil ministretur ipsis. Nec quemquam id morari debet, quod concilium jactant, in quo id rursum licere sanciatur. Nos Christi jus habemus et concilia nec morari, nec audire volumus in his, quae manifeste sunt evangelii. Quin amplius dicimus, si quo casu concilium propria auctoritate id statueret aut permitteret, tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri* etc. *Miraris et causam quaeris? audi, si tu nosti panem et vinum a Christo institutum, utrumque scil. sumendum esse ab omnibus, ut clarissime testantur evangelia et Paulus, ita ut et ipsi adversarii cogantur id confiteri, nec tamen audes illi credere et fidere, ut ita sumas, audes vero, ut sumas, si homines in concilio illud statuant, nonne tu praefers homines Christo? nonne extollis homines peccati supra Deum, qui dicitur et colitur? nonne plus confidis in hominum verba, quam in Dei verba, imo verbis Dei prorsus diffidis et solis hominum verbis credis? At quanta est ista abominatio et negatio Dei altissimi? quae idololatria tum par esse potest tuae tam religiosae obedientiae erga concilium hominum? nonne potius millies mori? nonne potius unam aut nullam speciem accipere deberes, quam in tali obedientia tam sacrilega et apostasia fidei accipere?* etc. Loquitur ergo Lutherus ex hypothesi adversariorum, si communio sub utraque specie esset res adiaphora, a concilio autem obtruderetur ut simpliciter necessaria, tunc malle se ex libertate Christiana una vel neutra uti, quam talem absolutam potestatem obedientia sua concilio tribuere. Loquitur comparate. Si quis concilii auctoritatem praeferret institutioni Christi, praestaret unam aut nullam speciem accipere, quam in tali obedientia sacrilega et apostasia fidei accipere.

Argumentum primum pro communione sub una ex concomitantia petitum.

51. Cap. 21. Probare instituit concomitantiam sanguinis cum corpore in pane et concomitantiam corporis cum sanguine in calice, hoc est, ut habet ἐπιγραφὴ capitis, *totum Christum esse sub utraque specie*, ut obtineat, sanguinem etiam in pane accipi et proinde non esse necessarium, ut species utraque in eucharistia accipiatur. Responsio: 1. Bellarminus in antecedente probando totus est, cum consequentiam probare deberet. Nemo nostrum negat, Christum, ubicunque adest, totum adesse, siquidem unio personalis duarum naturarum est indissolubilis, sed ex hoc principio communionem sub una specie probari posse negamus. Hesshusio, Hamelmanno et Illyrico tribuit quidem Bellarminus, quod concomitantiam aperte negaverint, sed facit ipsis injuriam, nequaquam enim simpliciter negant, totum Christum
I. 89. esse sub utraque specie, sed sacramentali praesentia sanguinem Christi sub pane esse negant, hoc est, negant mediante pane sacramentaliter bibi Christi sanguinem. 2. Dicimus ergo, confundi in argumento a concomitantia ducto unionem naturalem, personalem et sacramentalem. Quod corpus Christi non est sine sanguine, id pertinet ad unionem naturalem corporis et animae. Quod Christus ubicunque praesens est ut θεάνθρωπος secundum utramque naturam praesens est, id pertinet ad unionem personalem. Quod corpus Christi mediante benedicto pane in sacra coena manducatur et sanguis ejus mediante benedicto vino bibitur, id pertinet ad unionem sacramentalem. Quisquis haec confundit, non docet, sed seducit. 3. Agnoscit hoc ipsum Andr. Fricius scriptor Pontificius libr. 4. de emend. reip. Christ. c. 19: *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet, non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quae convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.* 4. Contra expressum Dei verbum nullae ratiocinationes humanae audiri debent, sed de communione sub utraque specie exstat disertum Christi mandatum: *Edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus; hoc facite in mei commemorationem.* Contra illam Christi institutionem non debet audiri ratiocinatio humana de concomitantia. 5. Si dicas: concomitantia exstat in Dei verbo, proinde non est principium rationis; respondendum: ad argumentum theologicum non solum requiritur veritas principii, sed etiam legitima ejusdem applicatio, ut exemplis quam plurimis demonstrari potest. Verum est principium, quod Christus habeat verum et naturale corpus humanum, sed vitiose ex eo infertur, quod corpus Christi non sit praesens in sacra coena; ideo talis applicatio illius principii ad ratiocinationes humanas seductrices rejicitur, quamvis principium ipsum sit theologicum et immotae veritatis. Id ipsum de concomitantia dicimus. Verum est principium, quod Christi corpus non sit sine sanguine, sed vitiose ex eo infertur, quod communio sub utraque specie non sit necessaria, quia hoc consequens repugnat institutioni Christi, ideo talis applicatio illius principii itidem ad ratiocinationes humanas seductrices merito rejicitur. 6. Si enim liceret eo modo pro nostro arbitrio contra Christi institutionem argumentari, posset totum eucharistiae sacramentum uno impetu everti. *Quotquot baptizati sunt, Christum induerunt*, Gal. 3, v. 27. *et Christus per fidem habitat in cordibus nostris*, Eph. 3, v. 17. illud habitare respicit praesentiam gratiae. Jam vero ubicunque Christus praesens est, totus ut θεάνθρωπος praesens est; hinc juxta medium terminum Bellarmini promte inferri posset, quorsum igitur opus erit eucharistia? Sed modestia et simplicitas Christiana institutionem, ordinationem et voluntatem Christi omnibus humanae rationis argutiis longissime praefert. 7. Si propterea, quia Christus sub utraque specie totus est, judicandum institutioni satisfieri sola benedicti panis manducatione, cur

Digitized by Google

sacerdotes utramque speciem sumunt? Respondent, id requiri propter sacrificium, sed hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. 8. Res ergo eo redit, quod de legitima sacrae coenae administratione et participatione non ex rationis acumine, sed ex auctoris dictamine sit judicandum. Quod enim in coena mediante benedicto pane corpus Christi edatur et mediante benedicto vino ipsius sanguis bibatur, id ex sola Christi institutione dependet ac discitur, unde sic concludimus: Quae est ratio benedictionis sacramentalis, ea etiam est ratio praesentiae sacramentalis. At benedictio sacramentalis efficit, ut panis sit κοινωνία corporis et vinum sanguinis Christi, 1. Cor. 10, v. 16. non contra (distincte enim apostolus loquitur). Ergo etiam sacramentalis praesentiae ea est ratio, ut cum pane corpus manducandum detur, cum vino sanguis Christi bibendus exhibeatur, non contra. Propositionis veritas manifesta est, quia praesentiae sacramentalis fundamentum unicum et causa solitaria est Christi institutio, quam cum nostra benedictione repetimus, juxta Christi institutionem ad usum sacramentalem externa symbola destinamus. Huc respiciunt nostrates, quando distinguunt inter praesentiam et sum-
X. 90. tionem; sanguinem esse in corpore Christi praesentem concedunt, sed sacramentaliter cum pane sumi negant, quia Christus voluit sub pane manducari corpus, sub vino bibi sanguinem. Distinguunt etiam inter causam naturalem et voluntariam: bibitio sanguinis Christi in sacra coena non pendet ex causa naturali, sed voluntaria, testamentaria scilicet Christi dispositione. 9. Quaecunque praesentia corporis et sanguinis non est sacramentalis, ea hoc loco nec potest nec debet attendi. Praesentia, quae oritur ex concomitantia et ex unione personali, non est sacramentalis. Ergo hoc loco non est attendenda. 10. Quod Christus dicit in coena bibi, illud non editur. Atqui dicit, sanguinem suum mediante benedicto poculo bibi. Ergo is non editur, et per consequens, qui non accipiunt benedictum poculum, illi etiam non bibunt sanguinem Christi sacramentaliter. 11. Si sanguis Christi ideo sacramentaliter bibitur sub pane, quia est corpori Christi unitus, sequetur, omne id, quod corpori Christi est unitum, sub pane sacramentaliter manducari ac bibi. Ratio connexionis est manifesta, quia unitorum eadem utrobique ratio. Sicut sanguis Christi corpori est unitus naturaliter, ita quoque anima naturaliter illi est unita et divinitas personaliter. Sequetur ergo, etiam animam ac divinitatem Christi sub pane sacramentaliter manducari ac bibi. 12. Necessario igitur distinguendum, uti diximus, inter praesentiam naturalem, personalem et sacramentalem, id quod ipsi adversarii coguntur agnoscere. Sic enim Bellarminus in hoc ipso capite §. sed antequam. scribit: *Sunt qui existimant, ex verbis coenae Domini, hoc est corpus meum, colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim, voce corporis eo loco significari corpus vivum et proinde corpus cum anima et sanguine. Significari autem corpus vivum probant, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cum ille diceret, tunc autem vivum corpus habebat, non mortum.* Postea addit Bellarminus ἐπίκρισιν: *Haec sententia repugnat concilio Tridentino et mysterio eucharistiae, nec concludit argumentum pro ea adductum. Nam etiamsi Dominus vivus esset, cum dicebat: hoc est corpus meum, et proinde loqueretur de corpore, quod tunc vivum erat; tamen per vocem corpus non significabat nisi corpus, id est partem illam naturae humanae, quae cum anima componit hominem.* Haec Bellarminus, ex quibus sic infero: Si ex verbis coenae propterea non potest probari concomitantia, quia Christus per vocem corpus non significabat nisi corpus; multo minus bibitio sacramentalis sanguinis Christi sub specie panis ex illis colligi potest. Si enim Christus dicens: *accipite, hoc est corpus meum*, non sanguinem vel animam vel divinitatem, sed tantum corpus suum designat, utique mediante benedicto pane non sanguis, non anima, non divinitas, sed tantum corpus Christi sacramentaliter manducatur. Gregorius de Valent. disp. 6. q. 3. de praes. Christi in eucharist. puncto 1: *Corpus Christi est in eucharistia modo sacramentali et per accidens, nempe ratione eucharistiae; in coelo autem est modo naturali et per se. Praesentia enim sacramentalis ejusdem Christi corporis et praesentia naturalis in alio atque alio loco minime inter se opponuntur contradictorie, cum utraque praesentia per affirmationem asseratur.* Haec Valentinianus, ex quibus sic infero: Si ex praesentia naturali inferri posset praesentia sacramentalis, sequeretur, corpus Christi etiam in coelo sacramentaliter esse praesens. 13. Nec valet argumentum: Si corpus Christi editur et non simul accipitur sanguis Christi, ergo corpus exsangue et mortuum editur. *Communis est Christianorum sensus* (scribit hoc loco Bellarminus §. denique), *ut in eucharistia sub specie panis se accipere credant non aliquod cadaver, sed ipsum vivum atque integrum Christum; apud haereticos autem, qui concomitantiam negant, non solum sumitur cadaver ipsorum opinione, sed etiam ipsi eorum ministri, quoties coenam faciunt, toties Christum re ipsa occidunt, vel certe se credunt occidere.* Responsio: somnia rationis non sunt opponenda expresso Dei verbo. Non statuimus separationem sive dissolutionem naturarum, vel sanguinis vel animae a Christi corpore, nec divulsionem λόγου a sua carne introducimus, sed distinctam corporis Christi mediante pane manducationem et sanguinis Christi mediante vino bibitionem sacramenta- X. 91.
lem a Christo institutam esse urgemus, rationem sub obsequium fidei captivamus et in Christi institutione humili obedientia fidei acquiescimus scientes, quod Christus sit *Dei sapientia* 1. Cor. 1, v. 24. 14. Si eo modo in rebus divinis liceret argutari, possemus ex hypothesi adversariorum ita procedere: Panis convertitur aut in corpus vivum, aut in mortuum. Non in mortuum, nam ut scribit Bellarminus hoc loco §. secundum: *Deus non facit, nec facturus*

Digitized by Google

est in aeternum, ut Christi corpus alicubi reperiatur mortuum. Ergo in vivum. Atqui corpus vivum non est sine sanguine. Ergo panis etiam convertitur in sanguinem, quod tamen negant Pontificii, sic enim scribit Bellarminus h. l. §. sed haec sententia: *Quod est sub specie panis vi sacramentalium verborum, non est nisi sanguis.* 15. Ex dictis Durandi, Bonaventurae et aliorum Scholasticorum superius citatis apparet, ne ipsos quidem Scholasticos concedere Bellarminianam argumentationem. Distinguunt enim inter integritatem totius Christi sub utraque specie praesentis et inter integritatem sacramenti, ex illa hanc legitime inferri negant, sed ad integritatem sacramenti utramque speciem requiri adstruunt. De concomitantia vide plura apud D. Lutherum in scripto de utraque specie sacramenti anno 1528. edito, tom. 3. Germ. pag. 574. ubi sic scribit: Hierzu schlägt die concomitantia, das ist die Folge, weil Christus Leib nicht ohne Blut ist, so folget daraus, daß sein Blut nicht ohne Seele ist; daraus folget, daß seine Seele nicht ohne die Gottheit ist; daraus folget, daß seine Gottheit nicht ohne den Vater und Heiligen Geist ist; daraus folget, daß im Sacrament auch unter einer Gestalt die Seele Christi, die Heilige Dreifaltigkeit gegessen und getrunken wird sammt seinem Leibe und Blute; daraus folget, daß ein Meßpfaffe in einer jeglichen Messe die Heilige Dreifaltigkeit zweimal opfert und verkaufet; daraus folget, weil die Gottheit nicht ohne die Creatur ist, so muß Himmel und Erde auch im Sacrament sein; daraus folget, daß der Teufel und die Hölle auch im Sacrament sind; daraus folget, daß, wer das Sacrament auf einerlei Gestalt isset, der frisset den Bischof zu Meißen mit seinem Mandat und Zeddel; daraus folget, daß ein Meißnischer Priester seinen Bischof in einer jeglichen Messe zweimal frisset und säufet; daraus folget, daß der Bischof zu Meißen muß einen größeren Leib haben, denn Himmel und Erde. Und wer will alle Folgen immermehr erzählen? Aber zuletzt folget auch daraus, daß alle solche Folger Esel, Narren, blind, toll, unsinnig, rasend, thöricht und tobend sind, diese Folge ist gewiß 2c.

Totam [illegible] ra- [illegible] veniri.

52. Cap. 22. Bellarminus conatur probare, totam sacramenti rationem in una specie inveniri, ex quo rursus infert, communionem sub una specie esse legitimam. Responsio: 1. Scholastici ipsi non concedunt, ad integritatem sacramenti unam speciem sufficere, ut vidimus superius. 2. Institutio Christi ostendit, non solum panem, sed et vinum ad sacramenti integritatem pertinere, nec manducationem solum, sed etiam bibitionem a communicantibus requiri; contra hanc institutionem Christi nullae rationis argutiae sunt audiendae. 3. Panis et vini usus vel constituunt unum sacramentum, vel duo. Posterius dici nequit. Sic enim Bellarminus in hoc. c. prop. 4. scribit: *Duae species sacramenti cum simul sumuntur, non sunt duo sacramenta, sed unum.* Ergo prius et per consequens usus calicis ad integritatem sacramenti pertinet. 4. Si una species integrum constituit sacramentum, sacerdotes sument geminatum sacramentum, semel sub specie panis et iterum sub specie vini. Bellarminus respondet, *duas species a sacerdotibus sumi non propter sacramenti, sed sacrificii integritatem*, sed haec est petitio principii. Christus non sacrificium, sed sacramentum ac coeleste epulum instituit. Sed demus, coenam esse sacrificium, unde probabitur, propter integritatem sacrificii utramque speciem necessario a sacerdote sumi? Bellarminus affert tres rationes: *Primo quia eucharistia, ut sacrificium, significat Christi passionem, est enim quaedam imitatio sacrificii in cruce peracti, sola autem species non repraesentat exacte Christum ut mortuum, nisi ab altera parte conspiciatur sanguis ut effusus; et similiter sola species vini non repraesentat suffi-* X. 92. *cienter Christum ut immolatum, non enim solus sanguis est victima. Praeterea in sacrificio missae debet esse re ipsa, quod fuit in typo in sacrificio Melchisedech, cum Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. Melchisedech autem obtulit panem et vinum, Gen. 14. Denique sacrificium proprie ordinatur ad remissionem peccatorum, unde dicitur propitiatorium, sine sanguinis autem effusione non fit remissio, Hebr. 9. necesse igitur fuit, ut perspicue repraesentaretur sanguinis effusio.* Responsio: hae rationes (praeterquam quod falsa hypothesi de vero et reali sacrificio a Christo in coena instituto nituntur) id solum probant, speciem vini in sacrificio esse necessariam, nequaquam vero probant, praeter speciem panis etiam vini speciem a sacerdotibus necessario *sumendam* esse. Si confugiant ad mandatum Christi, *bibite*, urgemus hoc, quod datum fuerit apostolis non conficientibus ac proinde laicorum vicem in prima coena repraesentantibus, hic autem quaeritur de mandato, quod utramque speciem a sacerdotibus conficientibus accipiendam esse probet.

53. Quomodo vero probat Bellarminus, unam speciem tam esse integrum sacramentum quam ambas? *In quolibet sacramento* (inquit) *requiritur significatio et causalitas, haec autem reperiuntur in qualibet specie. Siquidem significatio eucharistiae, ut est sacramentum, duplex est: prior internae refectionis, posterior unionis fidelium inter se et cum Christo. Utraque autem significatio in qualibet specie reperitur. Nam in specie panis significatur sufficienter refectio animae, etiamsi non adderetur species vini, et similiter in specie vini, etiamsi non adderetur species panis. Nam etiamsi species panis non significet refectionem spiritualem, nisi per modum cibi, et species vini non significet eandem refectionem, nisi per modum potus; tamen ut aliquid dici possit absolute et vere sacramentum, satis est, si significet refectionem aliquam spiritualem et eandem re vera efficiat. Quocirca duo illa signa, species scilicet panis et species vini, non tam essentiales, quam integrales partes hujus sacramenti esse videntur, ex quo sequitur, ut eucharistia sub una specie sit verum et integrum sacramentum essentialiter, licet etiam pars sacramenti dici pos-*

Digitized by Google

sit, si partes materiales symboli externi considerentur etc. *Quod attinet ad alteram significationem, in specie sola panis et in specie sola vini significatur unio fidelium cum Christo et inter se. Quantum ad causalitatem seu efficientiam, eadem reperitur in qualibet specie hujus sacramenti. Nam tota efficientia nascitur ex Christo, qui sub illis speciebus continetur, Christus autem idem et totus est, tam sub specie panis, quam sub specie vini. Accedit quod quaelibet species habet propriam materiam, propriam formam, et quod est amplius, propria quadam actione et consecratione conficitur, nec ullo modo, ut sacramentum sit, una species pendet ab alia. Nam Dominus prius sub specie panis sacramentum confecit et manducandum dedit, ac deinde manducatione absoluta sub specie vini sacramentum confecit et bibendum tradidit. Id ipsum ex figuris V. T. probatur* etc. Haec Bellarminus. Respondemus: 1. Primarium officium panis et vini in sacra coena non est significare ac repraesentare, sed esse medium, organum et vehiculum, per quod communicantibus exhibeantur res coelestes, corpus scilicet et sanguis Christi. Illa vero κοινωνία juxta manifestam Christi institutionem et apostoli declarationem ita comparata est, ut panis sit κοινωνία corporis, vinum autem sanguis Christi, ac proinde una species ad sacramentalis usus integritatem non sufficit. 2. Num vero plena et perfecta refectio est absque potu? Medici tradunt et experientia attestatur, homines gravius torqueri siti quam fame. Si ergo species panis significat refectionem tantum per modum cibi, ergo non significat perfectam refectionem. Et vicissim, si species vini significat refectionem tantum per modum potus, ergo non significat perfectam refectionem. 3. Essentia ac forma eucharistiae consistit in actione a Christo definita et expressa, sicut et baptismi ac reliquorum sacramentorum forma. Actio illa in eucharistia non est tantum benedicti panis manducatio, sed etiam benedicti
X. 93. vini bibitio. Ergo usus calicis est pars essentialis eucharistiae. 4. Si species vini ex concessione Bellarmini est pars integralis et materialis, utique erit in usu eucharistiae necessaria. Sublata enim parte integrali et materiali res ipsa non amplius manet integra. 5. Si unio fidelium cum Christo et inter se *optime* una solum specie significatur, cur Christus sub utraque eucharistiam instituit? cur primitiva ecclesia utramque speciem usurpavit? 6. Quae de efficientia sacramenti perfecte ab una specie promanante disputantur, fundamento concomitantiae nituntur. De efficacia sacramenti eucharistici judicandum est ex propria institutionis sede, quae ostendit, mediante pane manducari corpus Christi, quod pro nobis in mortem traditum; mediante vino bibi sanguinem Christi in ara crucis pro peccatis nostris effusum. 7. Si nullo modo una species ab alia pendet, ut sit sacramentum, quomodo concilium Constantiense et Tridentinum dicunt, Christum sub utraque specie eucharistiam instituisse? 8. Pars una nunquam est totum, neque una pars absolvit totum. Singulae species sive symbola in coena sunt partes eucharistiae totius, nempe essentiales terrenae. Ergo singulae species sive symbola in sacra coena non sunt ipsum totum, nempe integrum eucharistiae sacramentum. 9. De figuris, quas Bellarminus addit, infra suus erit dicendi locus. **Alii ex Pontificiis urgent, *etiam una specie Dominicam passionem repraesentari, idque docuisse Lucam eo ipso, dum significationem passionis adjunxit primae speciei*, Joh. Gibbonus in thesibus de communione sub una specie Treviris anno 1583. propositis thes. 114. Respondemus: Lucas eapropter non excludit alteram speciem, utpote quam statim subjicit. Lucas significationem passionis annectit primae speciei. Matthaeus alteri, Paulus utrique, ex quo manifestum redditur, utraque specie simul Dominicam passionem significari et non una tantum, alter enim evangelistarum ex altero explicandus est, alioquin ex Marco colligeretur, mortem Christi neutra specie significari, quandoquidem ille non subjungit haec verba: *Hoc facite in mei commemorationem.* Exstant in jure canonico dicta veterum, in quibus non una sed utraque specie passio Domini denotari dicitur, c. cum frangitur dist. 2. de consecr. c. Quia morte dist. ead. Stanisl. Grodicius in post. fer. 2. pasch. conc. 2: *In vitam rediit Lazarus ad solam Christi vocem, Joh. 11. filius viduae et filia archisynagogi tum ad vocem tum ad tactum illic quidem loculi, hic vero manus puellae. Vides tantundem unam, quantum plures ceremonias valere. Ergo in eucharistia tantundem sub una specie, quantum sub utraque sumitur.* Respondemus: 1. a posse ad esse non valet consequentia. Non negamus, quemadmodum Christus vel sola voce vel tactu cum voce conjuncto vel solo nutu vel pluribus modis eundem effectum miraculosum potuit producere, ita etiam eundem potuisse et posse sub una specie seu elemento sacramentali tam sanguinem quam corpus suum exhibere, si voluisset. Noluisse enim illum testamenti sanctio manifestum fecit, in qua diserte dicit: *Hoc facite.* 2. Nihil ergo ad rem pertinet talis analogia, quae a liberis ceremoniis actionis privatae et ad imitationem vel continuationem nunquam trahendae ad sacramentalem actionem traducitur. Hoc erat ostendendum, postquam Dominus sacramenta certis substantialibus requisitis sua institutione expresse circumscripsit, liberum mansisse apud fideles vel etiam libere et pie factum esse ab apostolis aliisque fidelibus, ut unum vel plura omitterentur cum Dei beneplacito et salva integritate sacramenti.**

54. Cap. 23. conatur Bellarminus probare, non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una. Respondemus: 1. Alensis part. 4. quaest. 53. membr. 1. Caspar Cassalius lib. 2. de coena c. 25. Georg. Cassander de comm. sub una specie et ex parte Ruardus Tapperus decanus Lovaniensis ex ipsis Pontificiis hoc negant. 2. Fundamentum eorum omnium, quae Bellarminus hoc loco adducit, est concomitantia, de qua superius. 3. Si non sumitur major utilitas ex communione sub utra- 3. Non sumi majorem utilitatem ex communione sub utraque quam sub una specie.

que specie quam sub una, cur Christus hoc sacramentum instituit sub utraque, ut concilium Constantiense et Tridentinum concedunt? ita nimirum *justificatur sapientia a filiis suis* Luc. 7, v. 35.

I. 94. 4. Non potest sperari fructus ex eucharistiae sacramento, si contra institutionem Christi celebretur. Eam vero utriusque speciei sive symboli externi usum requirere, ostendimus suo loco. Sed videamus, quomodo Bellarminus thesin suam probet. Format quatuor propositiones: *1. Ejus fructus, quem Lutherani omnes in sacramentis quaerunt, non minus percipiunt, qui sub una specie communicant, quam qui sub duabus. Nam fructus, quem Lutherani in sacramentis quaerunt, est excitatio fidei vel confirmatio, dicunt enim sacramenta non aliter prodesse quam significatione suam tanquam visibili verbo repraesentando promissiones Dei. Iste autem fructus melius obtinetur videndo eucharistiam in mensa quam eam manducando, nam dum manducatur, continuo perit significatio, at dum cernitur et attente cogitatur, semper repraesentat et significat promissiones Dei, etiamsi per integrum annum quis eam cernere vellet. Praeterea significatio melius apprehenditur per oculos, quam per gustandi sensum, cum sit illa longe spiritualior et aptior ad intelligentiam juvandam. Nihil ergo fructus perit communicantibus sub una, quia licet unam tantum ore sumant, tamen oculis utramque sumunt.* **Versus Pontificiorum sunt:

Ut careas rebus, lis est modo de speciebus.
Haud Christus species, sed veras instituit res.
Ut cortex species et verus nucleus est res;
Sic panis species et Christi viva caro res.
Tegmina sunt rerum species, non res specierum.
Apparet species, credenti porrigitur res.
Cur igitur speciem captans rem negligis ipsam?
Sit tibi cura rei, non signi vel speciei.
Si frueris rebus, non cures de speciebus.
*Nam pereunt species, sed Christus vera manet res.***

Responsio: nequaquam dicimus, sacramenta non aliter prodesse, quam significatione sua, sed duos principales sacramentorum fines statuimus: primo quod sint salutaria et efficacia media, per quae bona evangelii propria, videlicet gratia Dei, remissio peccatorum, justitia et vita aeterna nobis offerantur et credentibus applicentur; deinde quod sint sigilla, quibus promissiones evangelii ad fidei confirmationem obsignentur. Hic fructus omnino requirit, ut vera fidei obedientia juxta Christi institutionem sacramentis utamur, nihil quidquam addentes, vel dementes, vel mutantes. Quare cum in eucharistia non nisi mediante benedicto vino sacramentalem sanguinis sui bibitionem Christus instituerit ac promiserit, ideo non solum benedictum panem manducare, sed etiam e benedicto calice bibere debemus; cum vinum eucharisticum non solum signum, sed etiam organum sit et κοινωνία sanguinis Christi, ideo non ex usu tantum significandi, sed etiam medio participandi de sacramentalibus symbolis judicare debemus. Lib. 2. de sacram. c. 2. Bellarminus sententiam nostram sic exponit, quod sentiamus, non sacramenta, sed fidem, quatenus a sacramentis excitatur, justificare. Atqui fidem non opponimus sacramentis, sed conjungimus tanquam subordinata. Et verbum et sacramenta sunt manus Dei offerens, fides ex parte nostra est manus apprehendens. Sacramenta fidem excitant, non solum exterioribus sensibus repraesentando, sed fidem vere conferendo, augendo et confirmando, ut suo loco ostendimus. 2. Secunda Bellarmini propositio haec est: *Ex qualibet specie percipitur tantum ejus fructus, quem Catholici in sacramento quaerunt, quantum necessarium est ad salutem. Fructus ille est gratia Dei animae infusa; sed quaelibet species confert gratiam, cum sit verum sacramentum, et quilibet gradus gratiae sufficit ad implenda mandata, imo etiam ad pellenda omnia peccata.* Respondemus: Principales sacrae coenae fines sunt obsignatio promissionis de remissione peccatorum et fidei confirmatio. Promissio de remissione peccatorum notanter addita est calici eucharistico: *Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ut igitur illa promissio nobis applicetur, non abrogandus est calicis usus. Et quae potest esse fidei confirmatio, si propter ratiocinationes humanas a Christi institutione discedimus? Ut Christo inseramur et vitae spiritualis ex ipso participes reddamur,
requiritur, ut vera fidei obedientia panem, qui est I. 95.
κοινωνία corporis Christi, manducemus; et vinum, quod est κοινωνία sanguinis Christi, bibamus. *Haec sumta et hausta*, ait Hilarius lib. 8. de Trinit. *faciunt, ut Christus in nobis et nos in Christo maneamus.* Quod Bellarminus hoc loco addit, *quemlibet gradum infusae gratiae* (nos ex Scripturis vocamus renovationem per Spiritum sanctum) *sufficere ad implenda mandata et pellenda omnia peccata*, de eo quid statuendum sit, in tractatu de justificatione ostensum fuit. 3. Tertia Bellarmini propositio succedit: *Licet plus gratiae et fructus ex utraque specie quam ex una caperetur, non propterea opus esset vel expediret, ut omnes utramque speciem sumerent. Nam ex duobus malis semper est minus eligendum, est autem minus malum, ut homines aliqui careant aliquo bono non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenti periculo irreverentiae exponatur. Exponeretur autem evidenti periculo, si communiter populo daretur eucharistia sub specie vini, moraliter enim fieri non possit, quin saepius effunderetur sanguis Domini; et confirmatur exemplis similibus. Certe sacerdotium gratiam confert, nec tamen expedit omnibus fieri sacerdotes. Parvulis eucharistia gratiam conferret, et tamen quia ea non indigent necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, non datur eis neque a Catholicis, neque ab haereticis. Praeterea plus gratiae recipi potest ex frequenti communione sub una specie, quam ex rara sub utraque, non igitur necessaria est communio sub utraque, cum facili negotio compensari possit damnum, si quod sit. Denique po-*

Digitized by Google

sita veritate secundae conclusionis magis lucratur, qui, ut ecclesiae obediat, communicat sub una, quam qui sub duabus sine illo ingenti obedientiae fructu. Respondemus: Si communio sub utraque specie hoc sacramentum evidenti irreverentiae periculo exponit, qui fit, quod Christus sub utraque specie illud instituit? num hoc periculum ei ignotum fuit? De tota hac re plura suo loco. Exempla de sacerdotio et communione infantum sunt dissimilia. Sacerdotium est institutio status, ad quem non omnes Christiani obligantur; sed eucharistia est institutio ritus, qui ad totam ecclesiam spectat. Quod parvulis non datur eucharistia, illud non fit propter periculum irreverentiae, ut Bellarminus putat, sed quia probare se nondum possunt juxta praescriptum apostoli 1. Cor. 11, v. 28. Libr. 1. de bapt. c. 9. resp. ad 9. argum. Anabapt. Rectius disserit Bellarminus de causa, propter quam infantibus non datur eucharistia, nimirum quia ipsis non est a Christo instituta. Quod plus gratiae recipi dicit ex frequenti communione sub una specie, quam ex rara sub utraque, ad illud respondemus, nec raram nec frequentem communionem sub una specie institutioni Christi convenire, sed frequentem communionem sub utraque. Denique quod Bellarminus concludit, magis illum lucrari, qui, ut ecclesiae obediat, communicat sub una, quam qui sub duabus sine ingenti illo obedientiae fructu, illud convenit cum eo, quod olim Zieglerus contra Waldenses scripsit: *Nos unam tantum speciem sub obedientia Romanae ecclesiae manducamus, certi, quia per hoc obsequium fidei vivemus in aeternum.* Verum haec est caeca et praepostera obedientia. Fidei obedientiam nobis commendat Scriptura Rom. 1, v. 5. c. 16, v. 26. Fides autem respicit verbum. Vera ecclesia inhaeret verbis sui sponsi; *si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis*, dicit Salvator Joh. 8, v. 31. Dispositio de usu calicis intermittendo est contraria institutioni, ut fatetur concilium Constantiense sess. 13. et Gregorius de Valent. de missa f. 95. quomodo igitur pro verae ecclesiae dispositione acceptari potest? Animadvertenda autem hoc loco praepostera disputandi ratio Pontificiis usitata. Quaeritur, an lex illa de communicatione laicorum sub una tantum specie sit legitima? Affirmat Bellarminus, quia est lex ecclesiae, hoc est concilii Constantiensis et Tridentini; at de hoc ipso est quaestio, an scilicet concilia illa recte statuerint. 4. Quarta propositio Bellarmini haec est: *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* Hanc propositionem fatetur, non esse adeo certam, ut est superior, cum de ea varie sentiant theologi, neque concilium eam aperte definierit; probat vero eam hoc modo: *Si sumtio utrius-*
I. 96. *que speciei plus gratiae aut fructus spiritualis conferret, quam sumtio unius, id necessario oriretur vel ex symbolo continente, vel ex re contenta. Ex symbolo id nasci non potest, quia symbolum non operatur nisi per virtutem sibi impressam, in eucharistia autem loco virtutis impressae est ipse Christus sive corpus ejus et sanguis. Nec ex re contenta major gratia oritur, quia unus et idem Christus est in utraque specie.* Respondemus: panis benedictus est communicatio corporis Christi, vinum benedictum est communicatio sanguinis Christi 1. Cor. 10, v. 16. qui ergo calicem in s. coena non usurpant, de communicatione sacramentali sanguinis Christi certi esse nequeunt. Urget Bellarminus fructum, qui percipitur ex obedientia erga decreta ecclesiae; rectius fecisset, si respexisset fructum, qui percipitur ex obedientia erga institutionem Christi. Quaecunque Bellarminus hoc loco disputat, nituntur fundamento concomitantiae, de qua superius fuit actum. Argumentamur autem contra illum hoc modo: Si non plus fructus percipitur ex utraque specie quam ex una, quare sacerdotes non sunt contenti una specie? Bellarminus hic mutat quadrata rotundis et andabatarum more pugnat: *Dico*, inquit, *sumtionem eucharistiae sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in sumtionem utriusque speciei ut in unam causam esse referendam, quandoquidem ad unam refectionem utraque species confert.* (At si utraque species est causa gratiae sacramentalis, ergo laici communicantes sub una specie non fiunt participes gratiae sacramentalis, quia ubi duae causae ad effectum producendum requiruntur, altera non agit sine altera.) Pergit Bellarminus: *Posset etiam dici, eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam nisi tota sumtione eucharistiae absoluta. Et quia cum sequitur utraque species, non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species, ideo eucharistiam sub specie panis conferre quidem gratiam, sed non ante sumtionem alterius speciei.* (Atqui si eucharistia non confert gratiam sub specie panis, nisi tota sumtione eucharistiae absoluta; et si non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species; consequens est, communionem sub una specie non conferre gratiam, quia ex institutione Christi utraque species sequi debet.) Pergit Bellarminus: *Sacerdotes non solum non inutiliter sumunt utramque speciem, quia utraque species operatur, sed etiam quia ea sumtio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte sacramenti, nam quia sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessario ab aliquibus sumenda* (imo vero ab omnibus, quibus est instituta; jam vero institutio ad laicos spectat, nisi vel aliam quandam institutionem coenae pro laicis factam monstrare possint, vel in universum laicos a communione sacramenti excludere velint) *sed maxime omnium necessaria est sacerdotibus utriusque speciei sumtio ob perfectionem sacrificii* (at hoc est principium petere; Christus non instituit sacrificium pro sacerdotibus, sed sacramentum pro omnibus Christianis).

4. Nullum praeceptum divinum de utraque specie esse datum, probatur primo ex figuris.

55. Cap. 24. conatur Bellarminus variis rationibus probare, nullum praeceptum divinum a Christo datum de utraque specie sumenda. Primam rationem petit a figuris: *Pleraeque figurae eucharistiae manducationem sub una specie significant, ubi quinque figuras enumerat, videlicet lignum vitae in me-*

dio paradisi, agnum paschalem, manna, panes propositionis et participationem sacrificiorum. **Ita et in Confutatione Augustanae confessionis Faber et Eccius pro confirmanda una specie allegarunt historiam de filiis Heli manducaturis panem 1. Reg. 2. et ex ea concludere voluerunt, solo pane debere laicos esse contentos. Chytraeus in August. conf. p. 189.** Respondemus: 1. ex allegoriis non ducuntur argumenta apodictica in articulo fidei. *Theologia symbolica non est argumentativa,* dicunt Scholastici. 2. Applicatio figurarum non est facienda proprio arbitrio, sed niti debet literali aliquo Scripturae textu et cum analogia fidei congruere. Institutio coenae verbis propriis et perspicuis utramque speciem requirit, hic literalis textus non est ex-
X. 97. plicandus per figuras, sed potius V. T. figurae ex illo sunt explicandae. 3. Aqua ex petra profluens itidem fuit eucharistiae figura fatente Bellarmino; ergone etiam sola species vini usurpari potest? atqui id non concedunt omnes Pontificii. 4. Proponimus igitur hoc theorema theologicum: si multae figurae rem unam repraesentant, quidquid est in figuris singulis, quatenus sunt figurae, id totum est in re figurata. Posset hoc confirmari multis exemplis, sed judicamus, in re manifesta id non esse necessarium. Quando ergo Bellarminus cumulat tales figuras pro una specie, committit ἐλλειπὲς enumerationis, quia antitypus coenae ostendit, typum debere esse plenum, ideoque conjungendas figuras cibi et potus. 5. Et cur non afferunt typum Melchisedeci, quem alias pro stabiliendo sacrificio missatico urgere solent? Melchisedecus protulit panem et vinum, id quod typum eucharistiae fuisse patres passim docent. Vide Clementem Alexand. lib. 4. στρωμ. Cyprianum lib. 2. epist. 3. Eusebium lib. 5. demonstrat. c. 3. Ambrosium lib. 5. de sacram. c. 1. Epiphanium haeres. 55. Augustinum epist. 95. Theodoretum, Arnobium, Hugonem, Cassiodorum et alios in Psalm. 109. Bellarminus excipit, *se non contendere pro necessitate unius speciei, sicut nos pro necessitate duarum.* Atqui praxis ostendit contrarium. Conc. Constant. sess. 13: *Sancta synodus declarat, effectualiter puniendos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum sub utraque specie panis et vini exhortati fuerint et sic faciendum docuerint.* Et postea: *Qui ex illis ad poenitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras ecclesiasticas ut haeretici sunt coërcendi invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.* Vide etiam concil. Trid. sess. 21. et Gregorium de Valent. de missa fol. 95. Praeterea ne sic quidem satisfit Christi institutioni, quae non liberum reliquit utriusque speciei usum, sed necessarium esse ostendit. 6. Apprime hoc loco notandum, quod Paulus de sacramentorum figuris tranctans 1. Cor. 10. utrasque figuras cibi et potus conjungit, quando ad eucharistiam eas applicat, sicque suo exemplo ostendit, non divisim, sed conjunctim V. T. figuras sumendas esse. v. 3. omnes eandem escam spiritualem comederunt, v. 4. omnes eundem potum spiritualem biberunt. **Ambrosius in lib. de his qui init. mysteriis c. 8. et 9. utramque figuram mannae et aquae conjungit. *Manna illud* (inquit) *de coelo, hoc super coelum; illud coeli, hoc Domini coelorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit; illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis a Christo; illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum.* cit. dist. 2. de consecrat. c. 69.** Regerit Bellarminus, *aquam, cum data est populo in signum spiritualis potus, solam datam esse, sine ullius cibi spiritualis adjunctione.* Respondemus: imo vero, quia singulis diebus manna coelitus depluit, inde colligitnr, quod eodem tempore manna et aqua ex petra populo data fuerint ad perfectam per cibum et potum refectionem. Quodsi vel maxime aqua sine cibi adjunctione fuisset data, tamen ex eo, quod Paulus utramque figuram cibi et potus in hoc negotio conjungit, immote colligitur, quod et nos utramque figuram conjungere debeamus. 7. In paradiso non solum fuit arbor vitae, sed etiam irriguus ille hortus quatuor fluminibus ex uno fonte promanantibus humectatus fuit, Genes. 2, v. 10. Non solum caro agni paschalis manducabatur, sed etiam sanguine ejus postes adspergebantur. Gregorius homil. 22. in evangel.: *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Regerit Bellarminus, *sanguinem illum non posse referri ad potum, cum nec biberetur, nec daretur hominibus, et prius linirentur ex eo postes, quam agnus manducaretur.* Respondemus: non est necesse, ut idem sit in antitypo, quod est in typo, sed sufficit, ut analogum quid in antitypo inveniatur. Sanguinis esu Judaeis interdictum fuit, interim ut figura eucharistiae in typo agni paschalis esset plena, postes
domus eo liniri praeceptum fuit. 8. Ex figura par- X. 98.
ticipationis sacrificiorum sequeretur, etiam sacerdotes non debere calicem bibere, quia V. T. sacerdotes carnem victimarum sine sanguinis usu comedebant. Regerit Bellarminus, *sacerdotum bibitionem respondere consumtioni per ignem.* Respondemus: illa consumtio per ignem non magis spectat ad sacerdotes quam ad laicos. Recte ergo Cassander de comm. sub utraque specie p. 47: *Exstiterunt quidam, qui V. T. testimoniis abusi sunt ad probandum, jus Dominici sanguinis ad solos sacerdotes, non autem ad fideles pertinere, eo quod in V. T. offerentes quidem e populo de sacrificiis, quae erant in materia solita, edebant, de libaminibus vero quae erant in materia liquida, solis ministris, non autem populo libare fas erat; quasi huic commento non satis Chrysostomus occurat, cum ait: non sicut in lege veteri partem quidem sacerdos comedebat, partem etiam populus, et non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos; sed nunc non sic, verum omnibus unum corpus proponitur et poculum unum.* Sacerdotum bibitio in s.

Digitized by Google

coena nititur mandato Christi, si enim Christus non instituisset coenam eo modo, ut manducationi benedicti panis adderetur bibitio benedicti vini, nunquam ex typo consumtionis per ignem vel libaminum bibitio sacerdotum probari posset. Atqui eodem Christi mandato nititur et laicorum bibitio. **In participatione sacrificiorum Israëlitae etiam biberunt; Deut. 12, v. 11. jubentur adducere holocausta, victimas, decimas etc. ac laetari; at quomodo sine potu reliquias sacrificiorum consumere et cum voluptate convivia illa instituere potuissent? Adde quod vina, i. e. primitiae et decimae de vino, etiam fuerint oblatae, Deut. 14, v. 26. Sic 1. Sam. 1, v. 9: *Surrexit Hanna, postquam in Silo comederant et biberant.* In solennibus sacrificiis paschalibus etiam biberunt, Deut. 16, v. 1.** Bellarmini applicatio nititur falsa hypothesi, quod scilicet sacra coena sit sacrificium propitiatorium vere et proprie sic dictum. 9. Quodsi vel maxime bibitio sacerdotum ex consumtione sacrificiorum per ignem vel libaminum potu utcunque probari posset, quid de reliquis figuris fiet? Si enim argumentum a figura arboris vitae, agni paschalis, mannae et panum propositionum deductum efficaciter concludit; sequetur, etiam sacerdotibus sub una tantum specie communicandum, siquidem non solum laici, sed etiam sacerdotes in illis figuris cibum absque potu habuerunt. 10. Concludimus igitur responsionem ad hoc argumentum forti inversione: Quia in paradiso non solum fuit arbor vitae, sed etiam irrigatio fluminum Gen. 2, v. 10. quia Melchisedecus non solum panem, sed etiam vinum protulit Gen. 14, v. 18. quia non solum caro agni paschalis fuit manducata, sed etiam sanguine ejus postes et limina domuum aspersa Exod. 12, v. 7. quia Israëlitis non solum manna ex nubibus, sed etiam aqua ex petra fuit data Ex. 16, v. 15. c. 17, v. 6. quia Eliae non solum panis tostus, sed etiam aqua per angelum fuit allata 1. Reg. 19, v. 6. ideo vi institutionis Christi panis eucharisticus non solum manducandus, sed etiam ex calice eucharistico bibendum.

Secundo ex doctrina et exemplo Christi.

56. Secundam assertionis suae rationem petit Bellarminus ex doctrina et exemplo Christi: *Dominus enim cum Joh. 6. de fructu eucharistiae loquitur, non semel, sed quater unam speciem sufficere docet ad salutem. Ibid. panes multiplicavit, non potum. Luc. 24. cum discipulis in Emaus panem fregit.* Respondemus: 1. Sacramentalis manducatio et bibitio fundamentum habent in s. coenae institutione Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. sed in c. 6. Johannis de spirituali manducatione et bibitione agitur, ut ex multis circumstantiis evidentissime probari potest et suo loco plenius demonstrabimus. **Bellarminus lib. 4. de sacr. euchar. c. 22: *In spirituali refectione non distinguuntur cibus et potus.*** 2. Haec aperta veritas multos ex Pontificiis coëgit fateri, non agi hoc c. 6. Johannis de
X. 99. sacramentali manducatione, tales sunt Biel lect. 84. sup. can. **c. Dupliciter 49. dist. 2. de consecrat. ex Hieron. c. Credere 59. dist. ead. ex Augustino docetur de spirituali manducatione agi Joh. 6. Suarez lib. 2. defens. fidei cathol. c. 5. p. 368: *Multi Catholici negarunt, illa verba Joh. 6. intelligenda esse de manducatione sacramentali.* Majerus controv. 3. p. 104. §. Sed contra, fatetur, *Christum coepisse illum sermonem de manducatione spirituali Joh. 6. quae fit per fidem in ipsum.*** Cusanus card. epist. 7. ad Bohem. Cajetanus in p. 3. Thomae q. 80. art. ult. Ruard. Tapperus in explic. art. 15. Hesselius lib. de comm. sub una specie. Corn. Jansenius c. 59. harm. evang. **quibus laudatis auctoribus hoc nomine graviter succenset Maldonatus in Joh. 6, v. 53: *Scio* (inquit) *Catholicos, scio doctos, scio religiosos ac probos viros esse, sed minime profecto utilem atque fidelem in hac re ecclesiae operam navaverunt, quod contra Scripturae sensum, contra patrum omnium interpretationem, contra tacitum, imo minime tacitum, sed satis superque explicatum consensum ecclesiae dixerint atque contenderint, hoc loco de sacramento non agi, quod, ut benignissime dicam, est temerarium, gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem, homines bene catholicos errore magis animi quam vitio in haereticorum sententia impegisse.* Majerus in 8. controv. c. 5. p. 87: *Ideo urgens Christus veritatem rei, quae in hoc sacramento sumitur, perpetuo et manducationem carnis et potum sanguinis inculcat: Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum. Loquens vero Christus de specie, sub qua illa sumuntur, tantum abest, ut utramque speciem urgeat, ut calicis vel vini nunquam faciat mentionem, sed perpetuo solius panis tantum. Neque enim in hoc textu aliud reperies quam mentionem carnis, sanguinis, panis. Pani autem Christus eundem fructum, qui ex sumtione carnis et sanguinis percipitur (qui fructus est vita aeterna), adscribit.* Respondemus: 1. argumentum est a quaestione alienum: Christus loquitur de manducatione spirituali; quaestio inter nos et Pontificios est de manducatione et bibitione sacramentali. 2. De illo pane Christus loquitur, qui simpliciter et absolute omnibus est necessarius sub aeternae salutis dispendio v. 53. quique semper pascit ad vitam aeternam v. 51. et 54. Jam vero panis et calix sacramentalis non est absolute et omnibus necessarius, quippe absque quo omnes in V. T. et plurimi in N. T. sunt salvati, neque panis sacramentalis semper est salutaris, sed sumitur per accidens ad judicium. 3. Si solius panis perpetuo Christus mentionem facit, ergo non arbitrarie, sed necessario tantum sub una et quidem illa specie omnibus communicandum. 4. Falsum est Joh. 6. solius panis fieri mentionem, fit enim mentio non solius comestionis, sed etiam bibitionis sanguinis v. 53. 54. 55. 56. 57. At sanguis non bibitur sub pane.** 3. Christus in deserto non multiplicavit potum, quia ejus nulla penuria. Figurae non sunt nostro arbitrio applicandae, sed juxta fidei analogiam exponendae, saepe plus est in antitypo, quam in uno aliquo

Digitized by Google

typo seorsim sumto. Ratione generis potest fieri applicatio hujus miraculi ad sacram coenam. Quemadmodum Christus ibidem corporaliter refecit turbam, ita adhuc hodie spirituali cibo in eucharistia nos reficit. 4. Historiam coenae Emaunticae fatetur Bellarminus ab ipsis Pontificiis varie exponi; Johannes a Lovanio et alii contendunt, *sacramentum eucharistiae datum a Christo fuisse duobus discipulis.* Cornel. Jansenius in expositione illius loci statuit, *panem a Domino benedictum in Emaus non fuisse quidem eucharistiam, sed fuisse tantum eucharistiae figuram et voluisse Dominum hoc exemplo demonstrare fructum et utilitatem eucharistiae in una specie.* Bellarminus dubitat, quae expositio alteri praeferenda sit, tandem dicit, *utramque expositionem ostendere, quod ea sit utilitas eucharistiae in una specie, ut minime sit existimandum, fuisse imperatum omnibus illius usum in specie utraque.* Idem statuit Sebast. Barradius in conc. evangel. etc. 5. At priori expositioni merito obvertitur, quod non possit institutio coenae pro laicis ex hoc loco exsculpi, cum omittantur verba substantialia: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, inde Augustinus serm. 246. de temp. Gregorius hom. 23. in evang. atque alii ex verteribus ad communem coenam referunt, quam explicationem Lyranus probat ex eo, quia Matth. 14. itidem dicitur, quod Christus *acceptis panibus adspiciens in*
X. 100. *coelum benedixerit, fregerit et discipulis dederit.* Wilhelmus Widefort, qui contra Wiclefum anno 1396. scripsit, expresse dicit: *Neque ex textu, neque ex glossa, neque ex patribus probari posse, fuisse hanc panis eucharistici fractionem.* Cajetanus in c. 24. Luc.: *In sola fractione agnitus dicitur inferius, ut intelligamus, fractionem fuisse miraculosam, hoc est quod frangebat panem manibus, sicut alii incidunt cultello.* Dionysius Cartus. ibid.: *Accepit panem et benedixit, non in suum corpus convertit, sicut in coena, sed ut moris est benedicere cibum, in quo instruxit nos, ut ante refectionem benedicatur cibus et potus.* Anton. Julianus in postill.: *Accepit panem, benedixit, fregit et porrigebat illis, sicut consueverat ante passionem.* Alphonsus de Castro lib. 6. contra haeres. c. ult. non vult definire, *hunc locum ad eucharistiam spectare.* Basiliense et Constantiense concilia voluerunt ex hoc loco communionem sub una specie probare, sed Albertus Pighius in hierarch. dicit de his conciliis, *quod contra legem naturae, contra manifestas Scripturas, contra vetustatis auctoritatem et contra catholicam ecclesiae fidem* (in quaestione de primatu papae) *decreverint.* 6. Quidam ex nostris contra Pontificios hoc utuntur argumento: Si Christus hic instituit coenam sub una specie, tum sacerdotibus potius quam laicis una solum species erit exhibenda, quando quidem ipsi Pontificii hos duos inter septuaginta discipulos referunt, qui Luc. 10, v. 1. jam ante ad praedicandum emissi fuerunt. 7. Sed cum obvertere possint, hos discipulos non fuisse conficientes, jam vero sacerdotibus non conficientibus itidem ut laicis unam solum speciem dandam esse, se pugnare; ideo argumentum hoc modo formamus: Aut in voce panis admittenda est hoc loco synecdoche, ut subintelligatur potus etiam; aut Christus consecravit sine vino. Si prius, non possunt communionem sub una specie ex hoc loco probare; si posterius, ergo etiam hodie sacerdotes sine vino consecrare possunt. Atqui hoc negant, adeo ut Cajetanus in part. 3. q. 80. art. 12. q. 1. pronuntiet: *Sacrilegus est sacerdos consecrando panem et non vinum*, quod ipsum etiam agnoscit Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 22. ubi in hanc sententiam allegat conc. Tolet. VII. can. 2. et c. 25: *Sacerdotes propter perfectionem sacrificii tenentur sumere utramque speciem, cum conficiunt eucharistiam.* **Bellarminus de pontif. Rom. pag. 511: *Sacerdos missificans non potest sub una specie communicare, quia imperfectum sacrificium redderet.* Costerus in enchir. pag. 408: *Non ob id tantum sub speciebus panis et vini hoc sacramentum est institutum, ut a fidelibus sumatur, sed primo quidem ut sacrificium offeratur, quo sub specie quidem panis corpus tanquam mortuum, sub specie vero vini sanguis tanquam fusus Deo patri exhibetur; deinde vero ad significandum hoc sacramento eucharistiae plenam et perfectam dari refectionem spiritualem, quae per cibum et potum hic significatur.*** 8. Bellarminus negat, figuram intellectionis hic habere locum, cum historia evangelica ita conjungat distributionem panis benedicti cum Domini recessu, ut nullum relinquat locum benedicendo vel distribuendo calici; sed argumentum nostrum modo adductum evidenter convincit, aut synecdochen hoc loco agnoscendam, aut de vulgari coena locum accipiendum. 9. Posteriori expositioni, quod Christus panem tantum fregerit in figuram communionis sub una specie, hoc obvertimus, quod institutio sit norma ac regula sacrae coenae legitime celebrandae, ideo figuras et exempla ad institutionem referenda, nequaquam vero institutionem ex figuris et exemplis limitandam. **Quidam ex Pontificiis adducunt exemplum Pauli Actor. 27, v. 35: *Sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium et cum fregisset, coepit manducare; quem locum de eucharistia accipiendum esse probant Chrysostomi auctoritate.* Respondemus: Oecumenius diligens Chrysostomi sectator hunc sumti cibi finem assignat μήποτε τῷ λιμῷ διαφθαρῆτε, ergo fuit esca vulgaris, non sacramentum eucharistiae. Idem apparet ex integro contextu. Qui cum Paulo navigabant, tempestate exorta variis casibus marinis erant macerati ac languidi, quia per 14 dies jejuni permanserant; rogati igitur a Paulo, ut cibum sumerent, tandem paruerunt. Fuere in navi plerique gentiles, quibus sacra coena administrari non debuit.**

57. Tertiam rationem Bellarminus petit ex doctrina X. 101. Tertio ex doctrina et usu apostolorum.
et usu apostolorum. *Nam Actor. 2, v. 42. ita describitur communicatio eucharistiae: Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum et communi-*

Digitized by Google

catione fractionis panis et orationibus. Quod de eucharistia ibidem agatur, patet ex eo: 1. quia conjungitur fractio panis cum doctrina et oratione; 2. vituperatio potius quam laus fuisset de fidelibus commemorare perseverantes eos fuisse in prandiis et coenis corporalibus; 3. fatetur id Lutherus serm. de euchar. et Calvinus lib. 4. instit. c. 17. §. 35. Respondemus: 1. concilium Constantiense fatetur, primitivae ecclesiae utramque speciem in usu fuisse. Idem agnoscunt multi scriptores Pontificii, quorum testimonia adduximus superius. 2. Locus hic diversimode accipitur a veteribus. Chrysostomus per panem intelligit jejunium et austeritatem vitae; Oecumenius tenuitatem et simplicitatem victus notari asserit. Glossa interlin. ambigue: *Panis sive communis sive sancti.* Lyranus: *Tum quia quotidie communicabant, tum quia omnes cibos sicut et cetera communia habebant.* Cajetanus: *Per singulas domos frangebant panem, quia per singulas domos familiarum conversarum ad Christum fiebat distributio panis.* ** *Κοινωνία* a fractione panis expresse distinguitur Act. 2, v. 42. jam vero nomine *κοινωνίας* intelligitur eucharistia 1. Cor. 10, v. 16. Adde quod v. 46. sequatur explicatio, *frangentes panem circa domos sumebant cibum cum exsultatione.*** 3. Quidam patrum de eucharistia hunc locum accipiunt, sed nullus eorum communionem sub una tantum specie ex illo probare voluit, ut merito miremur impudentiam Hosii, qui de sacr. euch. pag. 34. ex hoc loco colligere vult, *Jacobum in sua dioecesi unam tantum speciem administrasse,* cum tamen in liturgia Jacobi p. 26. 36. et 37. utraque species et sanctificetur et distribuatur primum clero, deinde ceteris fidelibus. 4. Nec verisimile est ullo modo, apostolos ab institutione Christi in administratione s. coenae discessisse, jam vero Christus sub utraque specie eam instituit. 5. Argumenta Bellarmini, quae contra expositionem de vulgaribus epulis format, non sunt apodictica, neque enim simpliciter fractio panis, sed *ὁμόνοια* et concordia, quae in publicis coenis elucebat, in primitiva illa apostolica ecclesia commendatur. Verba sic habent v. 42: *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communione et fractione panis et orationibus,* ubi communio sacra a fractione panis vulgaris distinguitur. v. 46: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes circa domos panem sumebant cibum in exsultatione et simplicitate cordis.* 6. Sed demus de eucharistiae celebratione locum accipiendum esse, res tamen ipsa cogit, ut agnoscamus hic synecdochen, qua per fractionem panis etiam calicis benedictio et distributio intelligatur (sicut in oratione Dominica nomine panis quotidiani victus in genere intelligitur et per panem vulgaris coena denotatur, Luc. 14, v. 1.), alias sequeretur, sine consecratione vini eucharistiam celebrari posse. Bellarminus regerit, *Lucam non describere, quid apostoli, sed quid populi facerent.* Respondemus: negari omnino nequit, etiam apostolos fuisse membra primitivae ecclesiae, at de illis dici nequit, quod solummodo benedictum panem manducarint, nec de calice benedicto biberint. 7. Ac ne ulla restet dubitatio, urgemus hoc, quod Actorum 20, v. 11. Paulus dicitur *fregisse panem;* explica id de coena sacra, et habebis Paulum sub una specie communicantem, cum tamen, ut Pontificii solent loqui, fuerit clericus conficiens. 8. Regerit Bellarminus, *ex conversis quosdam fuisse Nasiraeos, qui a vino abstinuerint.* Respondemus: Cessaverant jam Leviticae ceremoniae, ergo non est ullo modo probabile, quod propter observationem earum primitiva ecclesia ab institutione Christi in celebratione eucharistiae discesserit. Actor. 21. Paulus observat ritus Nasiraeorum, num et ille a coena abstinuit, aut unam solum speciem usurpavit? 9. Urget Bellarminus, *non sine causa de calice dici* IX. 102.
1. Cor. 10, v. 16. *calix benedictionis, cui benedicimus; de pane autem: panis, quem frangimus; calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur, unde etiam paulo infra dicitur: unus panis et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus.* Respondemus: cap. seq. resp. ad arg. 3. concedit ipse Bellarminus, in ecclesia Corinthiorum utramque speciem in usu fuisse; cur igitur hoc loco ex epistola ad Corinthios probare conatur, calicem non semper fuisse distributum? Apostolus certe perpetuo ibidem conjungit manducationem panis et bibitionem calicis, unde vulgata versio addidit 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane et de uno calice participamus.* Quamvis vero haec verba in Graeco non habeantur, tamen non poterit Bellarminus vulgatam versionem repudiare, nisi velit incurrere fulmen concilii Tridentini, quod quovis praetextu eam rejicere prohibet. Neque quidquam momenti obtinet, quod Bellarminus dicit, *in correctioribus exemplaribus hoc membrum non haberi,* quia olim non erat sic, admoniti a nostris et ad fontes pertracti vel tandem correxerunt. Quod argumentum attinet ex v. 16. deductum, illud nimis infirmum. Si licet Bellarmino ex eo, quod apostolus dicit: calix cui benedicimus, colligere, quod calix non fuerit semper distributus, pari ratione colligere quis posset, panem eucharisticum non fuisse semper benedictum, quia Paulus dicit: panis quem frangimus, non autem cui benedicimus.

Quarto ex testimonio veteris ecclesiae, quae 1. nunquam improbavit communionem sub una specie.

58. Quartam rationem Bellarminus desumit ex testimonio veteris ecclesiae, in qua communionem sub una specie licitam fuisse tribus modis demonstrare conatur: *1. Primo quia nunquam eam reprehendit aut damnavit, cum tamen non ignoraret, apud aliquos eam in usu fuisse. Nam Manichaei nunquam communicabant nisi in una specie panis, nec tamen hunc errorem Epiphanius vel Augustinus notarunt.* Respondemus: bene est, quod Bellarminus agnoscit communionem, sub una specie a Manichaeis ortam et in ecclesiam introductam esse, quod vero hoc nomine non fuerint a Catholicis reprehensi, falsum est; sic enim **Augustinus lib. 20. contra Faustum c. 13: *Cur arbitretur Faustus, parem nobis esse religionem circa panem et calicem, nescio,*

cum Manichaeis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt deum suum, in cupa nolunt, quasi aliquid eos calcatus et inclusus offenderit. Noster autem panis et calix non quilibet quasi propter Christum in spicis et in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur etc.** Leo serm. 4. quadrages.: *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostrae haurire omnino declinant; quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Hoc Leonis testimonium expendens Petrus a Soto in instit. Dillingae praelecta et impressa scribit, *aperte eo ostendi, quod communio sub una specie contraria tunc fuerit consuetudini Catholicorum.* Nec solum in Manichaeis haereticis, sed etiam in superstitiosis Christianis communio sub una specie fuit improbata, ut ostendit decretum Gelasii cap. Comperimus dist. 2. de consecr.: *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacrati cruoris abstineant, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi* etc.

2. Unam speciem reliquit liberam. 59. 2. *Deinde* (ait Bellarminus) *testimonium veteris ecclesiae haberi potest ex duobus illustribus exemplis haereticarum fraudum. Scribit Sozomenus lib. 8. hist. c. 5. et Nicephorus lib. 13, c. 7. feminam quandam haereticam Macedonianam, cum vellet tegere* X. 103. *suam haeresin et se Catholicam simulare, accepisse in manibus Chrysostomo sacris operante panem eucharistiae tanquam paulo post illum manducaturam, sed clam dedisse illum ancillae et ab ea sumsisse panem profanum, quem ex domo auferri jusserat, ut illum palam comederet loco eucharistiae, sed eum panem continuo in lapidem conversum. Ergo moris fuit, ut acciperent, qui vellent, eucharistiam sub una tantum specie; at si omnes coacti fuissent bibere de calice Domini, mulier illa nullo modo simulare potuisset. Alterum exemplum est apud Leonem serm. 4. quadrag. ubi de Manichaeis dicitur, eos ut haeresin suam tegerent, panem eucharistiae sumere solitos cum Catholicis, non tantum calicem bibere.* Respondemus: 1. Concilium Constantiense concedit, in primitiva ecclesia communionem sub utraque specie viguisse. 2. Et repetimus egregium illud Cassandri in consultat. art. 22: *Satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo in solenni praesertim et ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis et vini speciem omnibus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum, tam Graecorum quam Latinorum, testimoniis manifestum est.* 3. Tempore Chrysostomi, quo hanc historiam contigisse scribit Sozomenus, omnibus utriusque speciei usum communem fuisse, ostendimus superius. 4. Potuit fraus illa feminae haereticae deprehendi, antequam calicem acciperet, sicut etiam hodie veneficae consecratam hostiam ori solent eximere eademque ad magicas incantationes abuti, ex quo tamen neutiquam colligi potest, unius solum speciei usum in nostris ecclesiis haberi. Theophylactus in c. 26. Matth. refert, *quod Judas acceptum panem eucharisticum occultarit et Judaeis non sine irrisione magistri sui monstraverit*, nec tamen inde sequitur, quod non biberit ex calice. 5. Potuerunt Manichaei cum Catholicis in una specie latenter communicare, etiamsi Catholici alterius speciei usum adjungerent. Breviter ex incertis conjecturis et factis singularibus non potest de universali consuetudine primitivae ecclesiae judicari, multo minus institutioni Christi quidquam decedere.

60. 3. Tertium testimonium Bellarminus petit *ex variis ritibus, qui aperte testentur usum unius speciei. Primus ritus est asservatio sacramenti, quae non habet locum, nisi tantum in specie panis.* Respondemus: 1. quid de asservatione eucharistiae statuendum sit, dispicietur inferius. In ecclesia non quid fiat, sed quid fieri debeat, respiciendum ac de omnibus factis praesertim particularibus ex norma verbi divini judicandum. Jam vero Christus benedictum panem non jussit asservari, sed manducari. 2. Temporibus Cypriani, Augustini, Hieronymi satis mature quidam abusus in ecclesiam irrepserunt, qui ex prima institutione corrigendi sunt. Cyprianus serm. de lapsis commemorat, *nonnullas mulierculas eucharistiam in arculis et strophiolis asservare solitas.* Baronius tom. 1. anal. 57. refert, apud Hieronymum haberi, *quod novis sponsis eucharistia missa fuerit domi sumenda.* ** Formam administrandi eucharistiam Moscovitis usitatam sic describit Alexander Guagninus Veronensis eques auratus in descriptione Sarmatiae Europeae de religione Moscovitarum omniumque Rutenorum in cap. de usu euchar.: *Sacramento eucharistiae Ruteni sub utraque specie utuntur, aliud autem pro infirmis et aliud pro communicantibus secundum consuetudinem habent. Pro infirmis sacramentum in hebdomade magna ante pascha die Jovis consecratum in vase mundo per integrum annum servatur. Dum autem id sacerdos pro infirmo daturus est, tum parum vini et aquae tepidae addit portiunculamque bene humectatam aegroto cochleari de calice porrigit. Si autem puer infirmus fuerit, adeo ut non possit de pane sumere, tunc infunditur ei gutta vini consecrati in os de calice. Pro communicantibus vero secundum consuetudinem sacramentum, dum sacrum sive liturgia peragitur, consecratur, quod sacerdos cochleari ex calice in portiunculas minutas redactum et vino commixtum communicantibus distribuit.* (Apparet ex hac relatione, utramque speciem asservari olim solitam. Item vina etiam in septentrionalibus locis haberi.) ** Si libello illi, qui Amphi-

3. Variis ritibus id ipsum manifestavit, quales sunt 1. asservatio.

Digitized by Google

X. 104. lochii nomine circumfertur, fidem habemus, *Basilius ea hora, qua e vivis excessit, hostiae illam partem accepit, quam secum contumulare decreverat, et statim in lecto jacens Deo gratias egit atque ita exspiravit.* Servatam scilicet per septennium, tot enim a visione illa ad mortem intersunt anni. Ita fictitius Amphilochius in vita Basilii. Ex Cypriano serm. de lapsis, Augustino epist. 107. l. 5. hypognost. et lib. de dogm. eccles. c. 52. constat, *infantibus eucharistiam dari solitam.* Concilium Turoniense referente Burchardo lib. 5. c. 9. decrevit, *dandam esse eucharistiam aegrotis intinctam sanguine Do-*
X. 105. *mini, ut presbyter vere possit dicere, corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi* etc. Ex concilio Carthaginensi III. can. 9. et concilio Hipponensi itemque VI. synodo universali in Trullo can. 84. colligitur, *eucharistiam ori mortuorum fuisse a quibusdam impositam.* Gregorius lib. 2. dialogi c. 24. refert, *Benedictum eucharistiam pectori cujusdam monachi imposuise*, quod in concilio Altisiodorensi can. 12. prohibitum. Hos ritus omnes et singulos an probare velit Bellarminus, mature dispiciat, nos de illis judicamus ex verbis institutionis. 3. Adde quod non solum panem veteres asservarint, sed etiam poculum, apud Chrysostomum epist. 1. ad Innocent.: *Etiam sanguis Domini in sacrario servatur.* Gregorius Nazianzenus in orat. funebre in laudem Gorgoniae sororis commemorat, eandem pretiosi corporis et sanguinis Domini antitypa domi reservasse. Neve restet dubitatio, audi Baronium ad annum 404: *Hic lector considera, quam procul abhorreant a patrum traditione usuque ecclesiae Catholicae, qui nostro tempore haeretici negant, asservandam esse sacratissimam eucharistiam, quam videmus non sub specie panis tantum, sed etiam sub specie vini olim recondi consuevisse. Habes id quoque probatum auctoritate Gregorii, dum ait in navi portasse navigantes corpus et sanguinem Christi.* (Locus Gregorii habetur lib. 3. dialog. c. 36.) Vides, ipsum Baronium refutationem argumenti Bellarminiani nobis suppeditare. 4. Quin imo ipse Bellarminus sibi contradicens utramque speciem asservatam fuisse asserit, sic enim scribit lib. 4. de euchar. sacram. cap. 4. §. post annum: *S. Johannes Chrysostomus in epistola priore ad Innocentium papam, quae exstat tum inter opera ejusdem Chrysostomi tom. 5. tum apud Nicephorum lib. 13. cap. 19. scribit, milites quosdam ad vesperam magni sabbathi sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum, ut etiam sacratissimus Domini sanguis, qui in sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Quod autem id gestum non fuerit, dum sacra coena celebraretur, sed extra actionem illam, patet ex eodem loco, ibi enim Chrysostomus dicit, hoc factum esse, cum mulieres jam praepararentur ad baptismum, constat autem, mysterium eucharistiae semper celebrari post baptismum. Quare sanguis ille Dominicus, qui in sanctuario erat, non tunc consecrabatur, aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.* Haec Bellarminus sibi contradicens. ** Burchardus etiam lib. 5. decret. c. 9: *Mandat, ait, ut omnis presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus a seculo, quae tanta oblatio intincta debet esse in sanguine Christi.* In concilio Turonico sic statutum: *Sacra oblatio, quae ad viaticum recedentibus de seculo reservatur, intincta esse debet in sanguine Jesu Christi, ut veraciter presbyter infirmo dicere possit: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum et vitam aeternam.* **

61. Secundus ritus est communicatio domestica. 2. Communicatio domestica.
Usitatum erat in antiqua ecclesia, ut eucharistiam X. 106.
domum deferrent et ibi tempore opportuno sumerent, domi autem sub una specie Christianos communicari solitos perspicuum est tum ex eo, quod sola species panis dabatur in manus fidelium, sanguis autem dabatur ex calice bibendus, ut demonstrat Cyrillus catech. 5. mystag. tum etiam quia non erant in domibus laicorum calices sacri, seu vasa, quibus contineri possit sanguis Domini, ut patet ex apol. 2. Athanasii contra Arianos. Respondemus: 1. utramque speciem fuisse in privatas aedes delatam constat ex Hieronymo tom. 1. epist. 4. ad Rusticum pag. 48: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Ambrosius in orat. de obitu Satyri *hauriendi et transfusionis* vocibus utitur, quae non possunt nisi de vino sacramentali intelligi, absurdum enim est, quod Bellarminus statuit, *has voces etiam ad cibum referri posse, quum aliquid integrum sumitur.* 2. Ruardus Tapperus decanus Lovaniensis tom. 2. p. 353. negat, communionem sub una specie ex hoc ritu probari posse, sic enim scribit: *Ex historia de Satyro fratre Ambrosii et sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant et quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent vel secum portarent domum,*
ibique sumerent, ita ut per temporum intervalla bi- X. 107.
berent ex calice Domini et corpus Domini manducarent. 3. Bellarminus regerit, *haustum sanguinis in ecclesia et manducationem corporis Domini non potuisse haberi pro una communione, sed fuisse diversas communiones.* Respondemus: ipsi tamen pro una communione habuerunt, quia utramque speciem sumserunt, licet diversis locis et temporibus. Nobis autem consuetudo illa non probatur, quia non convenit institutioni Dominicae. 4. Quin imo consuetudo illa sublata fuit per concilia, can. 14. concil. Tolet. 1: *Si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur.* can. 3. concil. Caesaraugust.: *Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum.* 5. Privata igitur haec et extraordinaria exempla, quae per concilia postmodum abrogata sunt, non possunt nec debent opponi universali primitivae ecclesiae consuetudini sub utraque specie communicandi.

Digitized by Google

3. Communicatio infantum. 62. Tertius ritus est communicatio infantum. *Communicabant enim veteres aliquando infantes, sed sub una tantum specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini, ut patet tum ex Cypriano in serm. de lapsis, tum ex manifesta ratione, quia non possunt infantes cibum aliquem solidum sumere.* Respondemus: 1. Propositum est Bellarmino unam speciem panis comprobare, at infantibus in primitiva ecclesia juxta Bellarmini assertionem dabatur solus calix, hactenus igitur argumentum est a quaestione alienum. Paritatem rationis inter usum solius panis et solius calicis non concedunt omnes Pontificii. 2. Communicatio infantum pugnat cum praescripto apostolico 1. Cor. 11, v. 28: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice illo bibat;* v. 26: *quotiescunque manducabitis panem hunc et ex illo calice bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quomodo igitur ex ritu ecclesiae cum norma verbi divini minus congruo communio sub una specie probari poterit? 3. Ne in Pontificia quidem ecclesia hodie locum habet communicatio infantum, unde Bellarminus ipse eam improbat lib. 1. de baptis. c. 9. resp. ad 9. argum. Anabapt.: *Ipse Dominus, ut indicaret, eucharistiam non esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte constituere, quod est unicum infantium alimentum, sed in pane et vino, quae ad solos adultos proprie pertinent.* lib. 4. de euchar. c. 23. propos. 3: *Quia parvuli non indigent eucharistia necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, ideo non datur eis neque a Catholicis, neque ab haereticis.* Quomodo igitur ex ritu veteris ecclesiae, quem Romana ecclesia abrogavit, communionem sub una specie Bellarminus Romanae ecclesiae cardinalis probare poterit? 4. Falsum est, infantibus solum poculum semper fuisse datum, quia Cyprianus serm. de lapsis et ex illo Augustinus epist. 23. ad Bonif. tom. 2. p. 18. in persona infantum sic loquuntur: *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo et poculo Domini ad profana convivia sponte properavimus.* Idem Augustinus epist. 107. ad Vital. Carthagin. p. 97. de infantibus sic scribit: *Illi si in parva aetate moriuntur, utique secundum ea, quae per corpus gesserunt* etc. *quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum haec ergo, quae per corpus gesserunt, judicantur.* Et hoc ex Augustino tam manifestum, ut ipse etiam index operum August. edit. Paris. sub lit. E. ponat hanc propositionem: *Eucharistia dabatur olim parvulis sub utraque specie*, et remittat lectorem ad lib. 5. hypognost. tom. 8. pag. 288. Gregorius Turonensis libro in gloriam plurimorum martyrum c. 9: *Judaei cujusdam vitriarii filius, cum inter Christianos pueros ad studia literarum exerceretur, quadam die, dum missarum festa cum aliis infantibus in basilica Mariae celebrarentur, ad participationem gloriosi corporis et sanguinis Dominici cum aliis infantibus infans Judaeus*
X. 108. *accessit.* 5. Communicationem infantum non fuisse uniformem in primitiva ecclesia, colligi potest ex Innocentio pontifici Romano, qui in sua summa c. 9. sic scribit: *Quia eucharistia augmentum dat gratiae, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset eucharistia in forma liquida sanguinis Dominici, vel in forma panis comminuta et contrita in aqua, quia si aliquid eis subtraheretur, de gratia aliquid diminueretur et ita minus haberent in coelo praemium. Unde peccare dicunt, qui eis eucharistiam subtrahunt. Alii dixerunt, quod non esset parvulis danda eucharistia propter periculum ejectionis, et quia nihil eis valeret, nisi deglutirent. Sed ad hoc dixerunt quidam magni viri, quod non exigitur in eucharistiae sumtione, nisi quod gustus invitetur et sapor sentiatur* etc. Quomodo igitur ex ritu vario et inconstante communio sub una specie probabitur?

4. Communicatio aegrotorum. 63. Quartus ritus, quem Bellarminus urget, *est communicatio aegrotorum*, quam ut plurimum sub una specie factam probare conatur ex Eusebio lib. 6. hist. c. 36. Paulino in vita Ambrosii, Amphilochio in vita Basilii etc. Respondemus: 1. Justinus apol. 2. et Hieronymus epist. 4. ad Rusticum testantur, utramque speciem solitam deferri ad absentes et infirmos. Verba Hieronymi haec sunt: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Beda lib. 4. hist. eccles. c. 14. cuidam puero aegroto apostolos dixisse refert: *Exspectare habes, donec missae celebrentur, ac viatico Dominici corporis et sanguinis accepto sic infirmitate simul ac morte absolutus ad aeterna in coelis gaudia sublevaris.* 2. Bellarminus ipse addit, *ut plurimum sub una specie aegrotos communicasse*, fuit ergo ritus particularis, qui non potest nec debet universali ecclesiae consuetudini sub utraque specie communicandi opponi. 3. Eusebius lib. 6. hist. c. 36. ex epistola Dionysii Alexandrini refert quidem, *presbyterum dedisse puero particulam eucharistiae Serapioni seni aegroto perferendam*, sed statim addit, *praeceptum puero fuisse, ut eam madefactam in os senis infunderet*, quod intelligitur ex canonibus concilii Turonensis sive Turonici apud Ivonem et Burchardum, ubi praecipitur, *ut eucharistia, quae in viaticum ex vita excedentium reservatur, intincta sit in sanguinem Domini, ut veraciter presbyter dicere possit: Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam aeternam*, unde intelligitur, utramque speciem judicatam fuisse necessariam. 4. Paulinus in vita Ambrosii scribit, *eum, corpore Domini sumto, ubi illud deglutiverat, continuo animam Deo reddidisse;* sed ex peculiari illo mortis supervenientis casu, quo usus calicis ex accidenti fuit impeditus, non potest colligi, aegrotos reliquos sub una tantum specie communicasse. Erasmi judicium de illo scriptore vitae Ambrosii sub titulo Paulini notum est: *Qui ille idem artifex est* (ait in praefat. Ambrosii), *qui tam multa contaminavit in scriptis Hieronymianis natus in hunc ludum.* 5. Si Amphilochii libello fides habenda, Basilius ea hora, qua excessit,

Digitized by Google

hostiae illam partem accepit, quam secum contumulare decreverat, et statim in lecto jacens Deo gratias egit atque ita exspiravit, servatam scilicet per septennium, tot enim a visione illa ad mortem intersunt anni. An hoc Basilii consilium vel potius Amphilochii figmentum probari debeat, Bellarminus deliberet.

X. 109. 5. Communio laica. 64. Quintus ritus est *usus communionis laicae*, quae in poenam gravis alicujus delicti olim dabatur clericis ablata eis communione clericali, cujus mentio fit in epistolis Felicis et Siricii, in concilio Elibertino can. 76. Sardicensi c. 2. et Agathensi c. 2. 5. et 50. Poena autem clericis inflicta haec erat, *quod communicantibus aliis clericis sub utraque specie ipsi prohiberentur a calice Domini et urgerentur una tantum speciem sumere.* Respondemus: 1. notamus contradictionem in Bellarmino. Superius magno conatu concomitantiam stabilire voluit *totum scilicet Christum esse sub utraque specie* c. 21. *totam etiam sacramenti rationem in una specie inveniri* c. 22. *non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una; nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una* c. 23. hoc autem loco scribit, *unius speciei usum in poenam gravis alicujus delicti olim clericis impositum*, at quae haec poena, si cum corpore et sanguinem Christi ratione concomitantiae acceperunt? 2. Clerici illi, quibus poenae loco unius speciei usum impositum fuisse Bellarminus dicit, aut fuerunt conficientes, aut non conficientes. Prius dici nequit, quia *sacrilegus est sacerdos consecrando panem et non vinum.* Cajetanus in part. 3. Thomae qu. 80. art. 2. manet igitur posterius, quod fuerint non conficientes. Atqui concilium Tridentinum clericos non conficientes aeque ut laicos a communione sub utraque specie arcet sess. 21. c. 1. aut ergo statuendum, grave quoddam delictum clericos omnes admisisse, propter quod poenae loco illud eis fuerit impositum; aut negandum est, communionem laicam clericis olim impositam fuisse unius speciei communionem. 3. Quae olim fuerit communio laica, ex veteribus intelligi potest. Pamelius in notis super epistol. Cypriani ad Antonianum 52. exponens haec verba, *ut laicus communicet*, sic scribit: *Laicum communicare non aliud est veteribus quam inter laicos communicare. Orabant autem et communicabant illi extra cancellos per ministerium archidiaconi, hoc est extra chorum,*
X. 110. *ut hodie loquimur*, quam expositionem Pamelii manifeste probat c. convenientibus. 1. qu. 7. ex 2. synodo Nicena, ubi *ad laicam communionem recipi et administratione ecclesiastica prohiberi sese mutuo explicant.* Canon apostol. 15. facit mentionem communionis laicae, at concilium Constantiense fatetur, apostolicae et primitivae ecclesiae utramque speciem in usu fuisse, et omnes illi canones conciliorum, qui laicae communionis mentionem faciunt, eo tempore editi sunt, quo omnes fideles utramque speciem sumere soliti sunt, unde Georgius Wicelius scriptor Pontificius laicam communionem nihil aliud esse pronuntiat, quam *inter laicos communionem percipere, non administrare, non sacerdotis officio fungi*, cui adstipulantur Lindanus et Tapperus. 4. Id ipsum agnoscit Baronius, qui tom. 1. annal. anno 314. sect. 88. explicans canonem 9. synodi Ancyranae *a ministerio cessare debebunt, additur* (inquit) *in secunda editione. Laicam tantum recipientes communionem, nimirum non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes.* 5. Bellarminus contra hanc explicationem laicae communionis duo argumenta format: primo *quia etiam de diaconis agitur in illis canonibus, ad quos nunquam spectavit eucharistiam conficere.* Respondemus: quid tum? sufficit, quod a munere ecclesiastico remoti et in ordinem laicorum redacti fuerint, etiamsi antea non consecraverint, adde quod ad diaconos in primitiva ecclesia calicis distributio etiam pertinuerit, ut intelligitur ex apol. 2. Justini. Alterum quod Bellarminus urget, petitum est ex canone Sardicensi 2. ubi *ob crimina quaedam graviora ne in morte quidem laica communio quibusdam concedenda dicitur, at cum datur communio aegroto, idque in privato cubiculo, nulla distinctio potest notari loci aut temporis inter laicos et clericos.* Respondemus: perinde hoc est, ac si dicetur, omnino communionem non recipiant perfecte abdicati et excommunicati, ut ne morientes quidem communione digni censeantur, atque ita hunc canonem exponit Balsamon in comment. Quod enim canon Sardicensis dicit, *ne in fine quidem laicam communionem recipiant*, id canon 5. concilii Ilerdensis sub Theodosio de sacerdotibus ad libidines revertentibus loquens sic exponit: *non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu non percipiant.* Sardicensis synodus a patribus orientalis ecclesiae est congregata. Atqui in ecclesia orientali communio sub utraque specie ad nostra usque tempora perdurat, quomodo igitur per communionem laicam unius speciei usus intelligi potest? 6. Laicam communionem sic describit Bellarminus, quod fuerit ea, *quae laicis permittebatur tangenda et etiam deferenda, si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus, ex calice autem bibebant qui volebant in ecclesia, sed non licebat laicis calicem tangere, nedum secum deferre.* Vide Cyrill. Hierosol. cath. 5. mystag. Atqui ex hac descriptione laicae communionis colligitur, primo quod laicis concessus et liber fuerit calicis consecrati usus, a quo in ecclesia Romana hodie penitus arcentur; deinde quod laica communio poenae loco clericis imposita non possit de necessario unius tantum speciei usu intelligi. Etenim si haec est communio laica, quod laici ex calice bibebant, qui volebant, quomodo per laicam communionem clerici a calice fuerunt prohibiti?

65. Sextus ritus, quem Bellarminus urget, *est communio praesanctificatorum* apud Graecos certis quadragesimae diebus usitata, in qua ipse sacerdos sub una tantum specie communicat. Respondemus: X. 111. 6. Communio praesanctificatorum.

officium Graecorum de mysteriis ante consecratis in bibliotheca patrum disertis verbis utriusque speciei meminit, ibi enim legitur: *sacerdotem post-*
X. 112. *quam sanctificarit panem, infundere vinum in sacrum calicem et aquam et recitare consueta.* Sic etiam liturgia praesanctificatorum interprete Genebrardo utriusque speciei meminit. *Ecce* (inquit) *immaculatum corpus ipsius et vivificus sanguis hac nunc hora ingredientia in hac mensa mystica sunt, quae multitudine coelestis exercitus invisibiliter stipantur, quorum communionem innocuam nobis tribue* etc. Sic postcommunio (id est gratiarum actio post communionem) utramque speciem diserte exprimit. Atqui hi sunt ritus ecclesiae veteres, ex quibus communionem sub una specie Bellarminus probare voluit, sed accurate notandum: 1. quod nullus ritus ecclesiae institutioni, voluntati et ordinationi Christi quidquam minima ex parte derogare possit, neque enim ex ritu ecclesiae de institutione Christi, sed contra potius ex institutione Christi de ritu ecclesiae judicium fieri debet, nisi velimus praepostero ordine regulam et normam ad normatum (ut sic loquar) et regulatum inflectere. Bellarminus lib. 1. de sacramentis in genere c. 26. §. *Ex quo intelligimus* contrarium plane statuit, sic enim scribit: *Cum certum sit, consuetudinem universae ecclesiae perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare, et clarior sit consuetudo quam ipsum verbum, recte judicabant illi* (qui Cypriano se opponebant) *ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum et ambiguum consuetudinem abolendam, ut Lutherani hoc tempore faciendum esse contendebant.* Sed nemini vere pio et erudito hoc pronuntiatum ex Cusano card. epist. 2. ad Bohemos petitum, quod Scripturae juxta currentem ecclesiae ritum exponendae sint, probari unquam poterit. 2. Quod ritus particulares, privati, varii et diversi nec possint nec debeant universali et probatae consuetudini ecclesiae opponi. Jam vero diserte scribit Cassander in consultatione de August. conf. art. 22: *Satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo in solenni praesertim et ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis et vini speciem omnibus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum, tam Graecorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est.* 3. Quod ritus per concilia sublati non possint institutioni Christi immotae ac perpetuae opponi etc.

5. Ex consensu ecclesiae posterioris.

66. Vidimus hactenus quartam rationem, quam pro stabilienda *ποτηριοχλεψίᾳ* Bellarminus attulit. 5. Quintam petit *ex consensu et testimonio ecclesiae posterioris*, ubi profert testimonia *Bernhardi, Bedae, ordinis Romani et conjecturam valde magnam, quod in ecclesiis numerosis non potuerit dari communio toti populo ex calice veri sanguinis Domini.* Respondemus: *1. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* c. consuetudo dist. 8. *Dominus non dixit: ego sum consuetudo, sed veritas, quaelibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata* X. 113.
veritati est omnino postponenda c. si consuetudinem ead. *Usus longaevus non vincat rationem aut legem* l. consuetudinis C. quae sit longa consuetudo. 2. Ecclesia Graeca usum utriusque speciei inviolatum conservavit. 3. Consuetudo primitivae ecclesiae apostolis vicinae merito praeferenda consuetudini ecclesiae posterioris. Cyprianus epist. ad Pompejum habet elegantem sententiam, quam Augustinus lib. 5. de unico baptismo cap. 26. *sine dubitatione optimam esse* dicit. *In compendio est apud religiosas mentes et errorem deponere et inveni atque eruere veritatem. Nam si ad divinae traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus. Si canalis aquae, qui copiose prius et largiter fluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite siccaverit, an vero integra inde et plena percurrens in medio itinere destiterit? quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes et in aliquo si mutaverit vel vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et evangelicam et apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit.* Latomus scribit, *primam ecclesiam, cum adhuc rudis esset, ritum a Christo acceptum religiose tenuisse, donec a patribus docta intelligeret, utramque speciem convenire sacerdotibus, laicos solo pane contentos esse posse.* At laudabilis illa fuit ruditas in verbis magistri fideliter et simpliciter acquiescere. 4. Thomae Aquinatis tempore fatemur, introductum unius speciei usum, idem tamen part. 3. q. 74. expresse asserit, *in quibusdam solum ecclesiis ita observari;* fuit ergo ritus particularis et privatus. Bernhardus utriusque speciei passim meminit, quae ex lib. 1. de vita Bernh. cap. 11. Bellarminus allegat, in illo loco non habentur. Beda lib. 1. in Joh. c. 2. homil. de sanctis et alibi usum panis et calicis in eucharistia semper conjungit. Ordo Romanus de officio missae p. 23: *Recepto calice archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit pontifex corpore Dominico.* 5. Concludimus igitur verbis G. Cassandri de comm. sub utraque specie f. 17: *Non puto, demonstrari posse totis mille amplius annis in ulla ecclesiae Catholicae parte sacrosanctum hoc eucharistiae sacramentum aliter in sacra synaxi e mensa Dominica fidelis populo, quam sub utroque panis et vini symbolo administratum fuisse.*

6. Ab incommodis, quae necessitatem utriusque speciei consequuntur, qualia sunt 1. impossibilitas legem istam implendi.

67. 6. Sextam et ultimam rationem petit Bellarminus *ab incommodis, quae sequuntur necessitatem utriusque speciei.* Mirum vero Christum et primitivam ecclesiam incommoda illa non vidisse; audiamus tamen, quae sint illa. *1. Primum incommodum est impossibilitas implendi legem istam in iis locis, ubi populus est valde numerosus et unus tantum sacerdos. Neque enim simul multi calices consecrari possunt, neque consecrari potest vinum in calice aliquo vastissimo, qui tantum vini capiat, quantum universo populo sufficiet; neque potest in eadem actione saepius repeti consecratio.* ** Vitus Miletus

Digitized by Google

in refut. lib. de sexcentis errorib. an. 1593. eo progreditur, ut scribat num. 961. *Christum propter casus, qui tandem in ecclesiis contigerunt, non potuisse praecipere, ut semper et ubique sub utraque specie hoc epulum sacrum administraretur, imo negat, Christum, si hodie denuo sacramentum dispensare deberet, utramque speciem dispensaturum.*** Respondemus: ratio haec est particularis, non ergo potest probare universale calicis interdictum, quia argumentum non debet esse angustius conclusione probanda. Adde quod antecedens multis laboret vitiis: Ordinentur plures ministri, iteretur saepius coenae administratio, tribuatur tantum temporis spatium communioni, quantum in numeroso populo requiritur; quodvis potius quaeratur remedium, quam ut contra Christi institutionem aliquid agatur. Tertull. in apologet. c. 37. de incrementis primitivae
X. 114. ecclesiae sic scribit: *Vestra omnia implevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum* etc. nihilominus tamen utriusque speciei tum fuit usus. Proponimus autem Bellarmino hoc perpendendum. Si in magna populi frequentia sacerdotum numerus ad audiendas auriculares confessiones sufficit, multo magis ad calicis administrationem sufficiens esse potest. Connexio est manifesta, quia plus temporis requiritur ad audiendam singulorum peccatorum enumerationem, quam ad calicis eucharistici administrationem.

2. Irreverentia sacramenti. *2. Secundum incommodum est irreverentia sanctissimi sacramenti, quae in effusione sanguinis metuenda. Fieri enim non potest, ut sanguis Domini ministretur tantis populorum turbis, quantae in paschate ad communionem accedunt, quin saepius effundatur, cum praesertim multi sint senes, debiles, rustici, qui vix ad bibendum de manu alterius se accommodare norunt. In deportatione etiam ad aegrotos facillimum esset, ut effunderetur vel ex illa agitatione turbidum et ineptum fieret.* Respondemus: metuenda potius irreverentia Christi, si ab ejus verbo recedatur. Tertullianus de corona militis c. 3. Origenes homil. 33. in Exod. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. 5. de pane eucharistico idem praecipiunt: *Cum corpus Domini suscipitis* (inquiunt), *cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat.* Utrobique igitur adhibeatur cautio, nequaquam vero usus alterutrius speciei plane tollatur. Sed nec militat haec ratio, si pauci adsint laici. In periculo effusionis non spectatur numerus Christianorum, sed communicantium; jam vero primitivae ecclesiae zelus in frequenti hujus sacramenti usu major fuit, quam posterioribus seculis, et nihilominus sub utraque specie in primitiva ecclesia fuit communicatum. Idem judicium de eucharistiae deportatione ad aegrotos, quae publicae et solenni communioni non potest praejudicare, quin imo posset etiam in privatis aedibus consecratio fieri. Justini aetate *per diaconos eucharistia, id est panis, vinum et aqua, in quibus gratiae actae, absentibus mittebantur* sine ullo irreverentiae et effusionis periculo, apolog. 2. Quod Bellarminus addit, *Christum instituisse quidem eucharistiam sub duplici specie, sed non jussisse dari omnibus sub duplici*, est oppositum in adjecto, quia institutio Christi est norma legitimae administrationis. Quod subjungit, *crescente ecclesiae multitudine apparuisse incommodum et sic paulatim desiisse utriusque speciei usum*, id omnisapientis Christi institutioni et primitivae ecclesiae historiae repugnat. Idem scilicet Bellarminus verbis paulo modestioribus dicere voluit, quod Matthias Breidenbachius ludi Embricensis moderator scripsit, *institutionem Christi multis modis incommodam exstitisse, ideoque non sine causa a sanctis patribus fuisse mutatum.*

3. Abstemii a communione arcerentur. *3. Tertium incommodum est, quod multi abhorrent a vino et vel natura abstemii sunt vel educatione quibus tamen per leges divinas a communione non licet abstinere.* Respondemus: ratio haec itidem particularis est, proinde non potest ex ea universale calicis interdictum deduci, num enim propter paucos abstemios totus fidelium populus calice eucharistico privandus? adde quod rarissime inveniantur, qui non possint tantum vini haurire, quantum sufficit ad usum sacramentalem, ac testatur experientia, etiam illos, qui natura vel educatione abstemii sunt, guttulas aliquas vini in eucharistia sine periculo vomitionis assumere. Quid reliquis faciendum sit, inferius declarabitur.

4. Penuria vini in quibusdam regionibus. *4. Quartum incommodum est penuria vini, siquidem in multis regionibus vinum non crescit, et quod aliunde affertur, partim summo pretio emitur, partim non diu conservatur, ex quo oporteret plurimos aut nunquam aut rarissime communicare, si non posset fieri communio sub una specie.* Respondemus: non poterit ullus terrarum monstrari locus, in quem non advehatur tantum vini, quantum ad eucharistiae administrationem requiritur. Et quomodo haec vini inopia reliquis terris, regnis et provinciis, in quibus magna copia vini crescit, praejudicare potest, quo- X. 115.
minus communio sub utraque specie juxta Christi institutionem ipsis concedatur? **Illa ultima Thule, quam hodie Islandiam vocant, vinum non admittit modo, verum etiam in usus necessarios reponit, quod testantur nautae, qui remotissimas illas septentrionis plagas pernavigant. Nec sacra eucharistia in illa regione aliter celebratur, quam sub panis et vini specie. Quid? potestne missa celebrari apud Pontificios sine vino? dispensari autem apud eosdem coena non potest nisi missa antegressa.** Volaterranus lib. 7. geograph. refert, Innocentium VIII. concessisse Norvegis, *ut sine vino sacrificarent, quod vinum in Norvegia non crescat et aliunde importatum acescat.* At cum ipsi Pontificii hoc non concedant, misere in illo facto excusando sese torquet Bellarminus: *Id pontifex ille ideo concessit, si tamen concessit* (inquit), *vel quod ejus sententia esset, non esse de jure divino, ut sacrificium in utraque specie confici debeat, vel quod judicaverit, jus divinum ita interpretandum esse, ut excipiatur casus necessitatis.* At si pontifex in decretis suis errare non potest, ut alibi

Digitized by Google

pugnat Bellarminus, cur contra hoc Innocentii decretum scribit lib. 4. de euch. c. 22. prop. 2: *In una specie non habetur perfecte et integre sacrificii ratio, sed utraque necessaria est.*

Gersonis rationes pro stabilienda communione sub una specie.

68. Atque hae sunt rationes sive potius folia ficus, quibus secessionem a verbo et institutione Christi in communione sub una specie factam Bellarminus tegere et palliare voluit, a quo non immerito quaerimus, cur omiserit rationes Gersonis cancell. Parisiensis paulo post Constantiensis concilii decretum editas. Cum enim post promulgatum interdictum calicis animadverterent, multis non satisfieri illis rationibus, quibus tanquam fundamentis prohibitio superstructa erat, seniores concilii hoc negotium dederunt Johanni Gersoni, ut is conquireret decreti rationes, quas in tractatu de communione laicorum biennio post concilium edito hisce verbis complectitur: *Praesentes sunt in hoc concilio de praeclaris universitatibus tam numero, quam merito praecellentes theologi, unde dicunt eorum plurimi* (non ergo omnes), *qui super hoc fuerunt simul congregati, quod consuetudo licite et rationabiliter fuerit introducta* (ergo non a primis ecclesiae temporibus usitata) *de non communicando laicos sub utraque specie, praesertim post multiplicationem fidelium et hoc propter evitationem multiplicis periculi, irreverentiae et scandali circa susceptionem hujusmodi benedicti sacramenti. Primum periculum in effusione, secundum in deportatione de loco ad locum, tertium in vasorum sordidatione, quae deberent esse sacrata, nec passim tractata vel tacta a laicis; et multo minus deberet vinum consecratum vendi in apothecis, sicut fit apud tales, ut dicitur; quartum in barbis longis laicorum; quintum in conservatione pro infirmis, cum possit in vase acetum generari, et ita desineret ibi esse sanguis Christi, nec suscipiendum esset, nec noviter consecrandum sine missa. Et fieri posset, quod daretur acetum purum pro sanguine Christi. Addito quod in aestate vermes aut muscae generarentur, quantumcunque esset vas clausum, cumque etiam putresceret, aut fieret velut abominabile ad bibendum. Et haec ratio est efficax valde, et ex alia ratione, quoniam alii multi praebibissent. Et quaeritur, in quo vase fieret consecratio tanti vini, quantum re-*
I. 116. *quireretur in paschate pro decem aut viginti millibus personarum. Sextum damnum esset in sumtuositate vini saltem apud multas partes, in quibus vix invenitur vinum ad celebrandum et alibi care comparatur. Esset praeterea periculum in congelatione. Esset rursus periculum in falsae credulitatis inductione, et hoc multipliciter 1. quod tanta esset dignitas laicorum circa sumtionem corporis Christi sicut et sacerdotum; 2. quod hoc facere semper fuit et est necessitatis. Et ita perierunt omnes et pereunt aliter sentientes, facientes aut docentes. Et omnes generaliter tam clerici, quam doctores et praelati, qui non possetenus opposuerunt se tali consuetudini verbis, scriptis aut sententiis, et quod sacram Scripturam omnes illi perverterint; 3. quod virtus hujus sacramenti non est principalius in consecratione quam in sumtione; 4. quod ecclesia Romana non rite sentiret de sacramentis, nec in hoc esset imitanda; 5. quod concilia generalia et specialiter Constantiense erraverunt in fide et bonis moribus; 6. multipliciter esset occasio seditionum et schismatum in Christianitate.* Has fuisse rationes theologorum in concilio Constantiensi ex Gersone discimus, quarum operosam refutationem addere non est necessarium, cum potiores ex superioribus intelligi possint, reliquarum vero ipsos scriptores Pontificios hodie pudeat.

CAPUT X.

DE RETINENDO τῷ ῥητῷ IN VERBIS SACRAE COENAE.

Vera corporis et sanguinis Christi in coena praesentia.

69. Egimus hactenus de externis symbolis sive re terrena hujus sacramenti, quae sunt panis et vinum; restat, ut de re coelesti hujus sacri convivii, quae sunt corpus et sanguis Christi, pari perspicuitate disseramus. Quamvis enim in sacra coena panem et vinum ex Christi ordinatione accipiamus, manducemus ac bibamus; non tamen nudum panem ac nudum vinum accipimus, *sed panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi; poculum, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi* 1. Cor. 10, v. 16. Unde Irenaeus lib. 4. c. 34. p. 263. graviter monet, *panem, qui vocationem Dei in administratione sacrae coenae percipit, non esse communem panem, sed eucharistiam ex duabus rebus constantem, terrena scilicet et coelesti.* Quam vere igitur in sacra coena praesens est res terrena, panis et vinum; tam vere etiam praesens res coelestis, corpus et sanguis Christi. Proinde credimus, docemur et confitemur, in eucharistiae sacramento veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi praesentiam, exhibitionem, manducationem et bibitionem, quae praesentia non est essentialis conversio panis in corpus et vini in sanguinem Christi, quam transsubstantiationem vocant, neque est corporis ad panem ac sanguinis ad vinum extra usum coenae localis aut durabilis affixio, neque est panis et corporis Christi personalis unio, qualis est divinae et humanae naturae in Christo unio, neque est localis inclusio corporis in panem, neque est impanatio, neque incorporatio in panem, neque est consubstantiatio, qua panis cum corpore Christi et vinum cum ipsius sanguine in unam massam physicam coalescat; neque est naturalis inexistentia, neque delitescentia corpusculi sub pane, neque quidquam hujusmodi carnale aut physicum: sed est praesentia et unio sacramentalis, quae ita comparata est, ut juxta ipsius Salvatoris nostri, veracis, sapientis et omnipotentis institutionem pani benedicto tanquam medio divinitus ordinato corpus, et vino benedicto tanquam me-

Digitized by Google

dio itidem divinitus ordinato sanguis Christi modo nobis incomprehensibili unitur, ut cum illo pane corpus Christi una manducatione sacramentali et cum illo vino sanguinem Christi una bibitione sacramentali in sublimi mysterio sumamus, manducemus ac bibamus. Breviter, non ἀπουσίαν, absentiam, non ἐνουσίαν, inexistentiam, non συνουσίαν, consub-
X. 117. stantiationem, non μετουσίαν, transsubstantiationem acceptam, sed παρουσίαν corporis et sanguinis Christi in sacra coena statuimus.

Ea unice nititur institutione Christi.

70. Fundamentum nostrae sententiae non quaerimus in peregrinis locis, sed in propria hujus articuli sede, videlicet in verbis institutionis, quae si κατὰ τὸ ῥητὸν accipiantur, sententiam nostram de vera reali et substantiali corporis et sanguinis Christi praesentia evidentissime comprobant, siquidem Christus in prima sacrae coenae institutione et administratione verbis claris et perspicuis ad discipulos dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Bibite, hoc est sanguis meus.* **Calumnia igitur est, quando Ulenbergius causa 6. cur ad Catholicos redeundum, *Eutyches* scribit *cum sua haeresi clam in Augustanam confessionem irrepsit, idque eam ob causam, quod Lutherani vera, eaque simplici doctrina de praesentia corporis et sanguinis Christi in eucharistia repudiata alia fundamenta quaesiverunt.*** At (inquis) *si verba institutionis in proprio et literali sensu accepta sunt unicum sententiae nostrae fundamentum, quare Lutherus in Confess. major. tom. 3. Ien. pag. 497. quatuor fundamenta statuit*, quae etiam allegat liber Concord. p. 296. in Lat. et p. 727. in Germ. 1. quod Jesus Christus sit verus, substantialis, naturalis et perfectus Deus et homo in una persona indivisus et inseparabilis; 2. quod dextra Dei non est loco alligata, sed ubique, ad quam Christus secundum humanam naturam re vera exaltatus regnat praesens; 3. quod verbum Dei fallere et mentiri non possit; 4. quod Deus non unicum tantum modum localem et circumscriptivum, sed plures modos habeat, quibus praesens alicubi esse possit. Respondemus: verba institutionis voluntatem Christi exprimunt, ideo apud illos, qui verbis Christi utpote veracis et omnipotentis Dei Filii fidem habent ac firmiter statuunt, ipsum quod promisit praestare posse, sunt unicum et sufficiens fundamentum. Sed quia adversarii de facultate Christi disputare coeperunt, an corpore suo vere humano in tot locis, in quibus sacra coena celebratur, praesens esse possit, ideo pertracti eo ab adversariis ad reliqua etiam fundamenta de unione personali divinae et humanae naturae in Christo, de sessione ad dextram Dei etc. accessimus. Distinguendum igitur inter fundamentum adaequatum et primarium, quo voluntas Christi confirmatur, quod suppeditant nobis verba institutionis, et inter fundamenta ἑπομένως et consequenter huc adducta, quibus facultas praestandi quod promisit contra adversariorum ἐνστάσεις Christo vindicatur, qualia suppeditant articuli de unione hypostatica duarum naturarum in Christo et sessione humanae naturae ad dextram Dei, illud potest dici fundamentum probationis, haec vero fundamentum refutationis, id quod ab electoribus, principibus et reliquis ordinibus Augustanae confessioni addictis in praefatione libri Concordiae his verbis declaratur: *Quanquam nonnulli theologi et in his ipse Lutherus, cum de coena Dominica agerent, inviti etiam ab adversariis ad disputationes de personali unione duarum in Christo naturarum pertracti sint; tamen theologi nostri in Concordiae libro et ea, quae in illo est, sanioris doctrinae norma diserte testantur, et nostram et hujus libri sententiam constantem et perpetuam esse, pios homines in negotio coenae ad nulla alia fundamenta quam verborum institutionis testamenti Domini nostri Jesu Christi deducendos esse. Nam cum ille omnipotens et verax sit, expeditum ei esse ea, quae instituit et verbo suo pollicitus est, praestare. Et sane cum hoc fundamentum ab adversariis impugnatum non fuerit, de aliis probandi rationibus in hoc argumenti genere non contendent, sed in vera fidei simplicitate verbis apertissimis Christi firmiter insistent, quae ratio tutissima et erudiendis imperitis hominibus accommodatissima est, neque enim illi ea, quae de his rebus accuratius disputata sunt, intelligunt. At vero cum illa assertio nostra et simplex verborum* X. 118. *testamenti Christi sensus ab adversariis impugnatur et veluti impius et rationibus verae fidei repugnans rejicitur, denique articulis symboli apostolici, praesertim de Filii Dei incarnatione, adscensione in coelum et sessione ad dextram omnipotentis virtutis et majestatis Dei, contrarius et proinde etiam falsus esse contenditur; vera solidaque articulorum illorum interpretatione demonstrandum est, nostram illam sententiam nec a verbis Christi, nec ab articulis illis dissidere.* Haec illi. Vide etiam Apolog. Form. concord. c. 6.

Τὸ ῥητὸν in verbis coenae retinendum. Probatur 1. in genere a. ex consensu omnium prudentum.

71. Porro verba Christi in sacrae coenae institutione κατὰ τὸ ῥητόν, secundum nativam, genuinam et literalem significationem, non tropice aut figurate accipienda esse, ostendimus primo in genere, secundo in specie. Generales demonstrationes hae sunt: 1. Proprietati verborum inhaerere tutissimum semper visum fuit prudentibus. l. Labeo. 7. ff. de supell. legata: *Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere Servius fatetur. Id Tubero parum sibi liquere ait. Nam quorsum nomina* (inquit), *nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror, quemquam dicere, quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quo id appellari solet, nam vocis ministerio utimur, ceterum nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit. Sed etsi magnopere me Tuberonis et ratio et auctoritas movet, non tamen a Servio dissentio* (ait Celsus), *non videri quemquam dixisse, cujus non suo nomine usus sit. Nam etsi prior atque potentior est, quam vox, mens dicentis; tamen nemo sine voce dixisse aestimatur, nisi forte et eos, qui loqui non possunt, conatu ipso et sono quodam καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ,*

Cur Lutherus quatuor fundamenta ponat.

Digitized by Google

id est inarticulata voce, dicere existimamus. Ergo qui in communi vocum notione in intelligendo aliquo scripto vel sermone consistit, is velut in communi via ac velut in sua possessione consistit, ut si quis eam inde, praesertim in controversia ac lite, depellere velit, eum valde bonis ac evidentibus rationibus instructum esse oporteat. In judicio quoque illi incumbit probatio, qui repudiato sensu nativo verborum tropicum adstruit, imprimis si tropica usurpatio sit peregrina, obscura et inusitata. Bellarminus lib. 1. de euchar. c. 9: *Non debent a nobis petere, cur sequamur proprium verborum sensum. Simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem et tritam, nemo enim sanus id quaerit, vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram,* ut idem loquitur lib. eodem c. 12. Franc. Junius lib. 2. vers. 31. contra Bellarminum de clericis: *Simplicis et aperti sermonis simplicem interpretationem, non multiplicem esse oportet.*

b. Ex requisito legitimae interpretationis Scripturae. 2. Cumprimis vero in Scripturae interpretatione verborum proprietas observanda est, nisi ipsa Scriptura ab ea nos recedere cogat. Cum enim Scriptura non sit ἰδίας ἐπιλύσεως 2. Petr. 1, v. 20. ideo a genuino, literali et nativo verborum sensu non est recedendum aut privato arbitrio peregrinae interpretationes excogitandae, sed ex ipsis verbis sententia Spiritus sancti haurienda. Hilarius lib. 5. de trinitate: *Ex verbis sensum sequamur, ex sensu rationem et ex ratione veritatem apprehendamus.* Augustinus lib. 1. qq. in Genes. c. 31: *Scripturae sacrae si defenduntur secundum locutiones proprias, quae appellantur idiomata, quanto magis secundum eas, quas cum aliis communes habent.* Bellarminus lib. 1. de eucharist. c. 9: *Nunquam dimittendus proprius verborum sensus, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, alioquin peribit fides et sola remanebit opinio de rebus divinis et porta infinitis erroribus aperietur.* Ursinus in explic. catech. p. 509. disputans contra Anabaptistas statuentes, synecdochen in voce familiae ab apostolis baptizatae: *Non est decurrendum ad figuram, ubi nulla est ratio, cur non retineatur sententia propria.*

c. Ex natura X. 119. praeceptorum et articulorum fidei. 3. Maxime omnium in divinis praeceptis, promissis, comminationibus atque in articulis fidei proprietas verborum arcte tenenda est, nisi velimus in errorum avia abripi. Non negamus, quaedam in praeceptis, promissionibus et comminationibus divinis, uti et in fidei Christianae articulis figurato sermone constare, juxta illud Augustini lib. 3. de doctrina Christian. c. 10: *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognosce;* hoc vero dicimus, nullum esse praeceptum divinum, nullam promissionem, nullum fidei articulum, qui non alicubi in Scriptura propriis et perspicuis verbis exponatur, ideoque a literali sensu in praeceptis, promissionibus et fidei articulis non esse discedendum, nisi ipsa Scriptura improprietatem alibi ostendat et exponat, quo pertinet regula Hieronymi in c. 4. epist. Gal.: *Allegoria non est quaerenda in praeceptis, quae ad vitam pertinent, aut in his, quae perspicua et manifesta sunt, haec enim est regula sanctarum Scripturarum.* Gen. 3, v. 6. male cessit primis parentibus, quod a ῥητῷ prohibitionis de non comedendo fructu arboris vetitae discederent; speciosis movebantur rationibus, utpote quia Deus reliquarum arborum omnium potestatem dedit, cur hanc solam excepisset? quia Deus non est invidus, ideo non denegabit nobis pulcherrimos hosce fructus? quia omnium creaturarum nos constituit dominos, quomodo unicum pomum denegabit? quia Deus est spiritus, cui in spiritu serviendum, ideo corporalem pomi contactum et esum non magnopere curat; alia igitur quaerenda verborum sententia, nec inhaerendum literae praecepti. Haec primorum parentum transgressio perpetuae admonitioni nobis esse debet, ne temere a literali et nativo verborum sensu in praeceptis Dominicis discedamus. **Probe hoc loco notandum, quod exemplum lapsus Evae illis ipsis Corinthiis, quibus doctrinam de coena tradiderat, apostolus proponat admonens, ne excidant a simplicitate, quae est in Christo Jesu 2. Corinth. 11, v. 3.** Contra vero Abrahae fides nobis commendatur, quod promissioni de semine ex corpore suo effoeto propagando crediderit Rom. 4, v. 18: *Abraham contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium;* v. 19: *et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum jam emortuum, cum fere centum esset annorum, et emortuum uterum Sarae;* v. 20: *in promissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo;* v. 21: *plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est et praestare.* Ex circumstantiis textus colligitur, Abrahamo accepta promissione de multiplicatione seminis Gen. 12, v. 2. et c. 15, v. 4. cum obstreperae rationis cogitatis luctandum fuisse, ut sub fidei obedientiam eam redigeret; ideo quaerit, an hic forte sit promissionis sensus, quod filius servi Eleazari heres esse debeat Gen. 15, v. 3. et quamvis expressam declarationem Deus adderet: *filius, qui egreditur ex utero, erit heres,* tamen cogitat Sara, alium forte esse horum verborum sensum, ideo Agarem ancillam suam Abrahae in matrimonium elocat. Genes. 16, v. 2: *Conclusit me Jehova, ne parerem* (inquit), *ingredere quaeso ad ancillam meam, si filios ex ea suscipiam, et paruit Abraham voci Sarae.* Postea cum denuo expressis verbis Deus promissionem suam repeteret Gen. 17, v. 16: *Ex Sara dabo tibi filium,* obversatur cordi et oculis Abrahae corpus suum emortuum et uxoris natura sterilis aetas provectior, ideo *ridet ac dicit in corde suo* v. 17: *Numquid mihi centenario nascetur filius et an Sara nonagenaria pariet?* Tandem cum ultimo loco Deus promissionem illam repeteret Gen. 18, v. 10. *ridet Sara intra se dicendo, postquam senui, erit mihi voluptas? praeterea dominus meus senuit,* v. 12. sed Deus respondet: *Numquid Domino quidquam impossibile?* v. 14. inde ergo confirmatur fides Abrahae, ut contra omnes

Exemplum primorum parentum. (margin note beside Gen. 3, v. 6.)

Exemplum Abrahae. (margin note beside "Contra vero Abrahae fides")

Digitized by Google

rationis objectiones firmiter credat promissioni seminis. Sic cum circumcisionis sacramentum ipsi promulgaretur, variis procul dubio cogitationibus distra-
X. 120. ctus fuit, cur in illa corporis parte circumcisio suscipienda, sed sub fidei obsequium denuo rationem suam captivat et omnes masculos domus suae sine mora circumcidit, Genes. 17, v. 23. Cum de immolando filio suo Isaaco mandatum acciperet, quam speciosis rationibus a literali sensu mandati potuisset abstrahi? Deus homicidium in lege sua prohibuit, est φιλάνθρωπος et vitae amator, dedit promissionem de multiplicatione seminis, repugnat ipsi naturae filium a parente occidi, conjunctum erit hoc cum maximo gentium vicinarum scandalo; ergo alia potius quaerenda praecepti interpretatio, quam quae ex verbis proprie acceptis petitur. Sic ergo *tota carnis militia adversus fidem animi repugnat*, ut pulcherrime de ipso loquitur Origenes homil. 6. in Gen. p. 30. *sed fides in Dominum fortior est, quam carnis affectus*, ut idem addit p. 32. quia fide tentationes illas vincit et literalem mandati sensum amplectitur, Gen. 22, v. 3. Quodsi igitur Abrahae, qui est *pater omnium credentium* Roman. 4, v. 11. spirituales filii audire cupimus, pari ratione intellectum nostrum sub obsequium fidei captivemus, nec in praeceptis et promissis Dei, vel in articulis fidei a literali verborum sensu recedamus, nisi ipsa Scriptura nos cogat. Institutio sacrae coenae est Christi θεανθρώπου praeceptum et ordinatio; jubemur enim manducare, bibere, mortem Domini annuntiare; est Christi θεανθρώπου promissum, quia pollicetur, quod mediante benedicto pane suum corpus et mediante benedicto vino suum sanguinem nobis exhibere velit; literalis ergo et genuinus verborum sensus in verbis institutionis arcte tenendus. Si in fidei articulis a litera temere velimus recedere, propterea quod sensus literalis rationi nostrae minus congruere videatur, quid fiet de mysterio Trinitatis, de Filii Dei conceptione, nativitate, crucifixione, morte, sepultura, descensu ad inferos, resuscitatione, adscensione ad coelos, sessione ad dextram Dei? et de nostra ex mortuis resurrectione? hi articuli non minus repugnant humanae rationi, nihilo tamen minus τὸ ῥητὸν in illis omnes vere pii firmiter amplectuntur. Concludimus igitur hoc modo: Nullum est fidei nostrae dogma, nullus Christianae religionis articulus, qui non alicubi in Scripturis propriis et perspicuis verbis tradatur. Jam vero doctrina de sacra coena est fidei Christianae peculiaris articulus. Ergo alicubi in Scriptura verbis propriis et perspicuis proponitur. Ulterius: Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. et 11. ex professo tractatur articulus de sacra coena, cujus institutio ibidem describitur, atque haec est propria hujus doctrinae sedes. Ergo loca illa κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda sunt. Connexionis rationem damus hanc: quia quidquid in descriptione Christianorum dogmatum figurate, modificate seu tropice in sacris bibliis proponitur, id ex aliis manifestis, perspicuis et claris, iisque non peregrinis et alienis, sed homogeneis Scripturae locis explicari potest ac debet. Dogma de sacra coena nuspiam alibi in Scriptura ex professo traditur nisi in illis locis. Ergo illa loca in sensu proprio et literali accipienda sunt, nisi enim id fieret, sequeretur, doctrinam de sacra coena nuspiam propriis verbis in Scriptura proponi, et sic periret Scripturae perfectio, siquidem *ex solo sensu literali in dogmatibus fidei comprobandis firma ducuntur argumenta*, ut agnoscit ipse Bellarminus lib. 3. de verbo Dei c. 3. perfectionis illius adversarius, qui desumsit hoc ex Thoma part. 3. quaest. 1. art. 10. Neque possunt hic provocare ad cap. 6. Johan. quasi ex eo petenda sit verborum coenae interpretatio, quia concio illa integrum annum antecessit institutionem coenae et omnes loci circumstantiae evincunt, non de sacramentali, sed de spirituali solum manducatione et bibitione ibi agi, ut suo loco evidenter demonstrabimus. Considerator commonef. (Ursinus) part. 1. numer. 40. fol. 185. argumento nostro hoc obvertit, *quod in protevangelio diabolus vel metonymice vel synecdochice dicatur serpens; destructio regni Satanae conculcatio capitis; afflictiones et mors Christi laesio calcanei.* Respondemus: nequaquam hoc volumus, quod articuli fidei nuspiam verbis tropicis et metaphoricis describantur, sed hoc asserimus, quod nullus sit fidei articulus, qui non alicubi in Scripturis proprie et literaliter sit propositus, idque demonstratur ex hac ipsa promissione, quae procul dubio viva Dei voce primis parentibus latius fuit exposita et in aliis Scripturae locis, prae- X. 121.
sertim 1. Joh. 3, v. 8. verbis propriis et perspicuis declaratur. Ostendant vero adversarii, ubi articulus de coena propriis verbis sit expositus, si in verbis coenae τὸ ῥητὸν velimus deserere; ut jam nihil dicam de differentia claritatis in V. et N. T.

2. In specie, ubi producitur, 1. sacramenti proprietas.

72. 2. Speciales pro asserendo ῥητῷ verborum coenae rationes producimus hasce, quarum primam suppeditat sacramenti proprietas: sacra coena est N. T. sacramentum. Ergo verba institutionis illius proprie accipienda. Adversariis perpetuo in ore est haec collectio: *Coena Domini est sacramentum. Ergo sacramentaliter, hoc est figurate, verba institutionis ejus accipienda;* sed nunquam poterunt hanc collectionem probare, quod sacramentaliter et figurate accipienda sint ἰσοδυναμοῦντα, ut postea videbimus. Invertimus igitur argumentum: sacra coena est N. T. sacramentum. Ergo verba institutionis ejus proprie et in sensu literali sunt accipienda. Res novae, peregrinae et quasi extraordinariae solent proprio sermone explicari, quomodo enim quis intelligat de rebus ignotissimis improprio et figurato sermone loquentem, nisi accedat interpretatio? jam vero sacramenta per se, quoad esse suum, sunt res plane novae et omnibus mortalibus ignotae, nisi divinitus revelentur. Certe Christus in institutione sacrae coenae novum, apostolis plane incognitum revelavit mysterium, proinde voluit proprie et significanter loqui, ac verba ejus in proprio, literali et genuino sensu accipienda sunt, alias nihil certi de hoc my-

Digitized by Google

sterio relinquetur. Notanda etiam emphasis in eo latens, quod sacra coena N. T. sacramentum sit. Nam si vel maxime ex descriptione sacramentorum V. T. figuratas et metonymicas suas locutiones probare possent adversarii, (quod tamen nunquam poterunt) id nondum everteret τὸ ῥητὸν in verbis institutionis sacrae coenae, cum haec non Veteris, *quod umbram tantum habuit futurorum bonorum*, sed N. T. sit sacramentum, quod ipsam εἰκόνα καὶ σῶμα obtinet, Coloss. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. In descriptione baptismi, quin etiam in descriptione circumcisionis et agni paschalis, quid improprium, quid figuratum? omnia verba propriam et nativam retinent significationem, ut ex inductione manifestum; cur igitur in sacra coena a literali verborum sensu recedere velimus? sacramentalem analogiam perpetuo urgent adversarii, at haec est vera et communis omnium sacramentorum analogia, quod descriptio eorum simplici et proprio sermonis genere constat.

2. Testamenti qualitas. 73. Alteram rationem suppeditat testamenti qualitas. Quidquid solenniter sub forma testamenti alicubi proponitur, ejus verba simpliciter et κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda sunt. Coena Domini solenniter sub forma testamenti instituta est Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Unde calix eucharisticus vocatur *novum testamentum in Christi sanguine* Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 21. Ergo verba institutionis illius simpliciter et κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda sunt. Ad stuporem usque mirandum foret (scribit amicus noster Balduinus in artic. Schmalc. disp. 16. th. 58.), quod verba institutionis tam clara sint et perspicua in praecedentibus, eo vero in loco, ubi ipsorum legatorum nomina exprimuntur, tam perplexa et intricata, ut omnia nativam suam significationem amittant, hoc sensu: edite, id est credite; hoc, id est hic solus panis, est corpus meum, id est signum corporis mei, quod traditur, id est quatenus traditur pro vobis, id est solis electis. At quis evangelista, quis apostolus hujus explicationis vel unico solum verbo meminit? immote igitur concludimus: Verba institutionis sunt ὁριστικὰ, definitiva, sunt διατακτικὰ, dispositiva, sunt διαδοτικὰ, exhibitiva, sunt διαθετικὰ, ordinativa et quidem testamentaria, ergo proprie et sine troporum involucris accipienda. Quod enim verba testamentaria in significatione propria et genuina sint accipienda, confirmari potest Scripturis sacris, patrum testimoniis, legibus imperatoriis, jurisconsultorum pronuntiatis et ratio-
X. 122. num momentis. Gal. 3, v. 15. Fratres κατ' ἄνθρωπον seu ἀνθρωπίνως, *hoc est humano more*, *loquor*, similitudine petita a rebus humanis rationi, sensui et experientiae subjectis, a testamentis scilicet seu ultimis hominum voluntatibus. *Hominis διαθήκην*, id est honestam ordinationem morituri et justam voluntatis ultimae sententiam, dispositionem ac testificationem, qua heredes instituuntur, legata certis personis attribuuntur ac certa quaedam mandata fidei testamentorum et heredum quasi sub religione exsequenda committuntur, *si sit κεκυρωμένη*, hoc est legitime et judicialiter confirmata, ratificata ac plenam auctoritatem consecuta, *nemo ἀθετεῖ*, *abrogat*, abolet, contemtui habet aut irritam facit, *nemo etiam ἐπιδιατάττει*, *aliquid amplius disponit*, ac μέρος προσθήκης vel in materialibus vel formalibus adjicit. Sic formula foederalis in V. T. *Hic est sanguis testamenti aut foederis* (quia vox בְּרִית utrumque significat), *quod Deus pepigit vobiscum*, Exod. 24, v. 8. Hebr. 9, v. 20. olim semper proprie ac ad verbum intellecta de praesentis sanguinis adspersione et per illam foederis confirmatione; hanc formulam Christus adjectis discriminis causa duabus tantum voculis, nempe *meus et novi*, ad novum foedus proprio sanguine sancitum transtulit; necesse igitur est, eam etiam nunc proprie de praesentis sanguinis Christi exhibitione intelligi, unde propter paritatem rationis sequitur, etiam priorem partem, *hoc est corpus meum*, itidem proprie accipiendam esse. Augustinus in Psalm. 21. super verba: *Quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentibus: Fratres sumus*, *quare litigamus? non intestatus mortuus est pater*, *fecit testamentum et sic mortuus est*, *mortuus est et resurrexit. Tamdiu contenditur de hereditate mortuorum*, *quamdiu testamentum proferatur in publicum et cum testamentum prolatum fuerit in publicum*, *tacent omnes*, *ut tabulae aperiantur et recitentur. Judex intentus audit*, *advocati silent*, *praecones silentium faciunt*, *universus populus suspensus est*, *ut legantur verba mortui non sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monumento et valent verba ipsius; sedet Christus in coelo et contradicitur testamento ejus? Aperi legamus. Fratres sumus, quare contendimus? placetur animus noster*, *non sine testamento nos dimisit Pater. Qui fecit testamentum*, *vivit in aeternum, audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus*, *quid litigamus? ubi inventa fuerit ipsa hereditas*, *eam teneamus.* Optatus Milevitan. lib. 5. adv. Parmenian.: *De coelo quaerendus est judex*, *sed ut quid pulsamus ad coelum*, *cum habeamus in evangelio? Testamentum*, *inquam*, *quia hoc loco recte possunt terrena coelestibus comparari*, *tale est*, *quod quivis hominum habens numerosos filios*, *his quamdiu pater praesens est*, *ipse imperat singulis*, *non est adhuc necessarium testamentum. Sic et Christus quamdiu praesens in terris fuit (quamvis nec modo desit) pro tempore quidquid necessarium erat*, *apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater*, *dum se in confinio senserit mortis*, *timens ne post mortem suam rupta pace litigent fratres adscitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas*, *et si fuerit inter fratres contentio nata*, *non itur ad tumulum*, *sed quaeritur testamentum*, *et qui tumulo quiescit*, *tacitus de tabulis loquitur. Vivus*, *cujus est testamentum*, *in coelo est. Ergo voluntas ejus velut in testamento*, *sic in evangelio inquiratur* etc. (Atqui si a verbis testamenti disceditur, nihil certi ex eodem colligi potest.) Huc etiam pertinent

Digitized by Google

leges imperatoriae et jurisconsultorum responsa. l. Ille aut ille. 25. ff. de legatis 3: *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio.* l. Non aliter. 69. ff. de legatis et fidei commissis. 3. in princip.: *Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.* l. Labeo. 7. §. 2. de supellect. legata: *Quorsum nomina, nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror, quemquam dicere, quod non sentiret.* Vide Vigilium in §. 1. inst. de pupill. et vulgari substitut. Tiraquell. in l. si unquam. verb. Libertus. num. 17. cod. de revoc. donat. Tilemann. part. 2. disp. 7. in ff. th. 31. Godd. ad l. 219. de V. S. Stephan. de Phedericis tract. de interpr. legum p. 155. et refer huc dicta jurisconsultorum: *Si contrarium vo-*
X. 123. *lebat testator, nulla erat difficultas ita disponere. Verba testamenti diligenter consideranda sunt, ne dum nimia utamur circa hujusmodi sensus subtilitate, judicia testantium defraudentur. In dubio tutius est non recedere a verbis, sed illis tenaciter inhaerere sine extranea interpretatione. Magis verba ponderanda sunt, quam mens imaginaria et incerta. Non est recedendum a verbis testatoris, quia talis praesumitur fuisse intentio, qualem verborum proprietas importat. Non est credendum, testatorem id velle, quod non dixit. Finibus verborum contenti esse debemus, quia nulla dispositio ultra egreditur, quam verba patiantur, lector itaque instrumenti solutionem habet quaesiti. Quod testator non loquitur, velle non praesumitur. Ejus quod multipliciter exponitur, veritas ignoratur. Multi decipiuntur, qui non ponderant verba testamentorum, quae in se magnum pondus habent ad cognoscendum quid est. Nisi de contraria lege mentis evidenter constet, a propria verborum significatione non receditur.* **Excipiunt, *in testamento Jacobi patriarchae Genes. 49. multas proponi metaphoras.* Respondemus: 1. Moyses expresse vocat *propheticam* v. 1. 2. Idem probant circumstantiae textus, quia Jacobus patriarcha cuique filiorum futuram generis fortem praenuntiat. 3. Quando proprie instituit testamentum, satis perspicue loquitur: *Domine exspecto salutare tuum,* v. 29. jubet corpus suum sepeliri in spelunca agri Ephronitici. Calviniani perinde nobiscum agunt, ac si quis persuadere velit ei, cui domus, agri, fundi sunt legati, ut figuris eorum depictis sit contentus. Regerunt, *tropos ad perspicuitatem esse aptos natos.* Respondemus: 1. figurae potius ad rhetorem pertinent, cujus finis est movere affectus, quam ad doctorem, cujus est aridis, siccis et rotundis verbis suum sensum proponere. At Christus in coenae institutione non rhetorem agere voluit, sed doctorem. 2. Perspicuitas alia est αἰσθητική, alia νοητική, ad illam figurae, ad hanc potissimum plana et propria verba faciunt.**

3. Christi instituentis majestas.

74. Tertiam rationem exhibet Christi instituentis majestas. **Christus est: 1. persona vera, Johan. 14, v. 6. ipsius dicere est facere Psalm 33, v. 4; 2. persona mira, Esa. 9, v. 6. ipsius cogitationes non sunt sicut nostrae Esa. 55, v. 8; 3. persona sapiens Esa. 9, v. 7. in ipso omnes thesauri sapientiae reconditi. Col. 2, v. 3. Ipsius est nosse, nostrum credere, Athan.; 4. persona omnipotens, Genes. 18, v. 14. *Num Deo aliquid impossibile?* Luc. 1, v. 37. Eph. 3, v. 20. Christus in institutione eucharistiae aut noluit aut non potuit perspicue loqui. Noluisse non est ullo modo verisimile, cum judicium sibi manducet, qui non discernit corpus Domini; non potuisse multo minus dici potest, cum sit Dei sapientia. Nicephorus lib. 1. hist. c. 28: *Cum vere corpus suum et sanguinem esse quasi fide interposita confirmasset.*** Christus qui sacram coenam instituit, 1. est verus et omnipotens, veri et omnipotentis Dei Filius, ad illius igitur verba etiam hoc pertinet: *Non declinabitis ab eis, nec ad dextram vel sinistram, addendo vel detrahendo,* Deut. 4, v. 2. c. 5, v. 32. *Si quis diminuerit de his verbis, auferet Deus partem ejus de libro vitae et de civitate sancta,* Apoc. 22, v. 19. 2. Est mediator noster audiendus omnibus de coelo nobis commendatus Deut. 18, v. 18: *Ponam verba mea in ore ejus;* v. 19: *quicunque non audierit verba mea, quae loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.* Pater coelestis de eo testatur Matth. 17, v. 5. Marc. 9, v. 7. Luc. 9, v. 35: *Hic est filius meus dilectus, hunc audite!* Matth. 23, v. 8: *Unus est magister vester Christus.* Joh. 8, v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis et cognoscetis veritatem.* Joh. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt.* Joh. 12, v. 48: *Qui non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* 1. Tim. 6, v. 3: *Si quis aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae;* v. 4: *inflatus est, nihil sciens.* Haec certe gravissima pronuntiata merito impetrare a nobis debent, ut sine contradictione ac dubitatione verbis Christi fidem habeamus. 3. Est ipsa Dei Patris *sapientia* 1. Cor. 1, v. 24. cui Pater dedit *eruditam linguam* X. 124.
Esa. 50, v. 4. potuit igitur diserte et perspicue mentis sensa exponere. *Num enim mentis et linguae artifex diserte loqui non posset, imo vero summa providentia carere fuco voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intelligerent, quae ipse omnibus loquebatur,* Lactant. lib. 6. institut. c. 22. Si aliud quippiam de hoc mysterio nos sentire voluisset, quam literalis verborum sensus importat, facili negotio mentem suam clarius exposuisset. 4. Est omniscius, novit igitur, tam tristes et diuturnas contentiones de hac doctrinae coelestis parte in ecclesia excitatas iri; *praesentia, quae modo facitis, jam futura conspexerat Christus,* ait Optatus Milevit. lib. 5. adv. Parmen. Novit, indignam hujus sacrae coenae tractationem cum reatu aeterni judicii apud multos fore conjunctam 1. Cor. 11, v. 29. An ergo ullo modo verisimile est, quod clare, perspicue et proprie loqui noluerit, quod veram et certam de hoc mysterio sententiam obscuris verborum involucris

Digitized by Google

in multorum millium perniciem involvere data opera voluerit? 5. Morti vicinus hoc testamentum suum condidit. Verba hujus sacrae coenae sunt verba testamenti, non nudi hominis, sed ipsius Filii Dei, quod in ea nocte, qua traditus est, de negotio omnium gravissimo affectibus, verbis et gestibus maxime seriis condidit; jam vero notum est, quam graviter, quam praemeditate viri pii et prudentes loqui soleant, quando in confinio mortis exsistunt, ut merito detestanda sit blasphemia Alberti Hardenbergeri, qui referente Schluesselburgio catal. haeret. tom. 3. p. 295. dixit, *Christum cum morte conflictantem prae nimia tristitia et summis animae doloribus nescivisse, quibus verbis in institutione sacrae coenae uteretur.* 6. Nuspiam indicavit, aliam quaerendam esse verborum interpretationem ac sententiam, quam est ea, quam literalis sensus importat, quinimo ad dextram Patris coelestis evectus in gloria coelesti verbis iisdem omnino ac nullo modo variatis hanc sacrae coenae institutionem ad apostolum Paulum repetivit 1. Cor. 11, v. 23. ut traditionem illam novi et singularis dogmatis velit illis verbis in ecclesia permanere usque ad finem seculi. Quando Christus in parabolis et figuris ad apostolos locutus est, statim addit explicationem, ut omnem praecaveret erroris occasionem. Marc. 4, v. 34: *Sine parabola non loquebatur turbis, seorsim autem discipulis suis edisserebat omnia, ἐπέλυε πάντα,* solutionem omnium dubiorum et obscuritatum addidit; idem apparet Matth. 15, v. 17. c. 16, v. 11. et alibi passim, sed tale quid in verbis coenae non animadvertitur.

4. Evangelistarum conformitas. 75. Quartam rationem suppeditat evangelistarum omnium et Pauli apertissima in descriptione conformitas. Verba institutionis non ab uno, sed a tribus evangelistis et apostolo Paulo, non uno, sed diversis temporibus ex ore Christi excepta et descripta sunt, siquidem Matthaeus octavo, Marcus decimo, Lucas decimoquinto, Paulus quarto et quinquagesimo post Christi ascensionem anno verba institutionis descripserunt, (Theophylactus in Matth. fol. 1. *Ματθαῖος πρῶτος πάντων ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον μετὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως· Μάρκος δὲ μετὰ δέκα ἔτη τῆς ἀναλήψεως ἔγραψε παρὰ τοῦ Πέτρου διδαχθεὶς, Λουκᾶς δὲ μετὰ πέντε καὶ δέκα*) omnes tamen *παναρμόστως* ea describunt, nec ullus eorum vel verbulo innuit, alium quaerendum esse verborum sensum quam literalem, multo minus quisquam eorum interpretationem de suo addit. Matthaeus solus ex reliquis omnibus, qui eam describunt, interfuit primae coenae administrationi. Marcus non interfuit, quia non erat ex numero discipulorum, sed evangelicam historiam accepit a Petro, unde *interpres et sectator Petri* dicitur ab Irenaeo lib. 3. c. 11. p. 183. Hieronymus in catal. commemorat; *Petrum vidisse Marci evangelium, idque ecclesiae legendum sua auctoritate commendasse*, is verba Matthaei invariata retinet. Lucas itidem non adfuit conviva in prima coena, sed a Paulo evangelicum accepit commentarium, is τὸ ῥητὸν diserte repetit. Paulus ex ipsius Christi ad dextram Patris evecti ore in tertio coelo repetitionem institutionis audivit, omnes vero in descriptione mirifice concordant, unde sic concludimus: In cujus X. 125. dogmatis descriptione omnes, qui id annotarunt, ad amussim concordant, ejus verba simpliciter et proprie sunt accipienda, quia si aliter accipienda essent, vel unus eorum addidisset explicationem. Jam vero in descriptione sacrae coenae Matthaeus, Marcus, Lucas et Paulus ad amussim concordant. In priore coenae parte, omnes testantur, Christum dixisse: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* In secunda parte variantur verba sensu eodem permanente: *Bibite, hoc est sanguis meus novi testamenti.* Ita Matthaeus et Marcus; *bibite, hic est calix novi testamenti in meo sanguine*, hoc est propter meum sanguinem, cujus est communicatio; ita Lucas et Paulus, quae collatio mirifice τὸ ῥητὸν confirmat. Solent alias sancti evangelistae praecavendi erroris causa explicationem addere, sic Joh. 2, v. 19. cum Christus dixisset: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, subjicit Johannes v. 21: *Hoc dicebat de templo corporis sui.* Cum Christus dixisset Joh. 7, v. 38: *Qui credit in me, de ventre ejus fluent flumina aquae vivae*, subjicit Johannes v. 39: *Hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Cum Christus dixisset Joh. 6, v. 70: *Nonne ego vos duodecim elegi et ex vobis unus est diabolus?* subjicit Johannes v. 71: *Dicebat autem de Juda Ischariote.* Cum Christus dixisset Luc. 14, v. 26: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem, non potest esse meus discipulus*, id Matthaeus sic exponit c. 10, v. 37: *Qui amat patrem et matrem plus quam me, non est me dignus.* Sed tale quid in verbis coenae non animadvertitur, neque enim in propria descriptionis sede, neque alibi additur ab evangelistis explicatio, quod verba coenae tropice sint accipienda. Quidam adversariorum remittunt nos ad c. 6. Johannis, sed illis suo loco inferius satisfaciemus.

5. Tropi absurditas. 76. Quintam rationem nobis suppeditat sensus literalis concinnitas et cum ea pugnans tropi absurditas. **Ubi nec ὁλικῶς nec μερικῶς dari potest tropus, ibi verba simpliciter et in sensu literali sunt intelligenda. Sed in verbis coenae nec ὁλικῶς nec μερικῶς dari potest tropus. Ergo. **Ubi omnes rimae tropis ac figuris obstructae sunt, ibi proprietas sermonis arcte et firmiter tenenda. In descriptione coenae omnes rimae tropis sunt obstructae, illis scilicet, quibus verba coenae substantialia in alium sensum torquentur, tota enim controversia est de illis propositionibus, *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus.* Non esse tropum invehendum in vocem panis aut poculi, patet ex eo, quia interprete Matthaeo τὸ ποτήριον dicitur pro vino; nec esse tropum in voce corporis vel sanguinis, patet ex addita descriptione *corpus meum, quod pro vobis traditur, sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effunditur.* Sic ergo concludimus: Si in verbis coenae *hoc est corpus meum, hoc est sanguis*

Digitized by Google

meus esset tropus, esset aut in partibus propositionis, aut in tota propositione. Si illud, aut foret in subjecto, aut in praedicato. Sed in nulla parte statui potest. Non in subjecto: 1. quia *δεικτικὸν hoc* sive de toto complexo accipias, ut requirit constructio et rei evidentia, sive de solo pane et vino, ut volunt adversarii, a tropo liberum esse manifestum est. 2. Alias incerta forent symbola sacramentalia. ** Omnis tropus mutat propriam vocis significationem in alienam. In particula *hoc* non mutatur propria vocis significatio. Ergo. Minor est manifesta, nisi quis velit confundere tropum rhetoricum cum synecdoche grammatica, quae est talis loquendi formula, qua duae res certa quadam ratione unitae simul efferuntur, et ea, quae principalior et sensui minus obvia, in praedicato expresse ponitur.** 3. Ipse Beza hom. 2. de coen. hoc agnoscit: *Confiteor, hic nullum tropum esse, quia signum proprie exponi necesse fuit, ne falleremur.* Idem fatetur consideratio commonefact. p. 307. Nec in praedicato statui potest tropus: 1. quia Christus
X. 126. diserte addit, se dare nobis *suum* corpus et *suum* sanguinem; illud ipsum corpus, *quod pro vobis traditum,* illum ipsum sanguinem, *qui pro nobis effusus,* inde Beza epist. 5. ad Alemannum p. 57. edit. Genev.: *Certe,* inquit, *corporis et sanguinis nomina nimis absurdum foret de fructu et efficacia mortis Domini interpretari vel ad solum ipsius spirituale institutum restringere,* , *quod, ut quam planissime intelligatur, age pro his vocibus, corpus et sanguis, substituamus illam interpretationem et dicamus, hoc est efficacia mortis meae, quae pro vobis traditur, et hic est spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius hac oratione? Nam certe verba illa, quod pro vobis datur, necessario te huc adigunt, ut de ipsa corporis et sanguinis Christi substantia hoc intelligere cogaris.* adv. Illyric. pag. 127: *Non dubitamus, quin corporis appellationem id ipsum pro nobis assumtum et crucifixum corpus declaretur.* Idem agnoscunt Zanchius, Grynaeus, Pezelius, Sadael, Crellius et Paraeus. 2. In verbis Pauli 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi; calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi,* vox corporis et sanguinis ex ipsorum adversariorum confessione proprie accipitur. Ergo etiam in verbis Christi eo modo accipitur, quia ex illis locutio apostolica est deducta. 3. In praedicato exprimitur ipsum legatum, quod Christus in hoc testamento nobis donat, jam vero testator proprie loquitur, quando ipsa legatorum nomina exprimit. Et quis per fundos, hortos, agros etc. legatos signa duntaxat fundorum, hortorum et agrorum sibi legata esse persuaderi velit? Plura hac de re dicentur inferius, ubi de metonymia sacramentali, quam adversarii confingunt, disputabitur. **Non igitur in praedicato ipso, nec in praedicati descriptione locus est tropo. Non in praedicato, quia Christus falso addidisset, illud corpus manducandum nobis exhiberi, quod pro nobis est traditum etc. Nec in praedicati descriptione, ubi *quod* per *quatenus* falso exponunt, cum in Graeco non ponatur adverbium *ὅτι*, sed relativum *τό*, quod expresse respicit *σῶμα* et *ποτήριον*. Polanus syst. theol. lib. 6, c. 56. p. 447: *Metonymia sacramentalis non est in praedicato, quia per illud intelligitur verum et naturale Christi corpus priorem et naturalem retinens formam, speciem, circumscriptionem et essentiam, etsi per resurrectionem immortale factum est et ad dextram Dei collocatum ab omni creatura adoratur.* Idem statuunt Paraeus de coena lib. 6. c. 9. lib. 3. c. 4. Keckermannus syst. theol. p. 444. cujus haec sunt verba: Oportet vocem corporis proprie accipi in ista praedicatione, id est ea significatione, qua corpus disparate opponitur pani.** Nec in copula statui potest tropus: 1. quia ea non est pars enuntiationis. Aristoteles *περὶ ἑρμην.* c. 3. Tataretus et Schegkius in comm. illius loci, Crellius lib. 2. logic. c. 2. Goclenius part. 2. prol. log. p. 20. et 59. Keckermannus lib. 2. system. log. sect. 1. c. 1. pag. 314. **Idem Keckermannus lib. 3. system. theol. c. 8. p. 444: *Alii volunt, tropum esse in copula; quod et ipsum non potest probari. Nam si sumant copulam pro voce et verbo copulativo, non potest esse in ea tropus, utpote qui locum habet in vocibus categorematicis, hoc est talibus, quae certam rem per se significant, non autem in vocabulis significativis, quale est verbum illud, quod copulae loco ponitur. Quinimo si tropus est in copula, non potet esse praedicatio disparati de disparato, sed relatio pani accedens de pane dicitur.*** Conimb. in l. *περὶ ἑρμην.* c. 4. art. 4. q. 2. etc. **Notandum vero, quod Beza, Pezelius in copula tropum quaerant. Ast si copulae inest tropus, inerit ei vel quatenus est copula in sese, vel quatenus quandam rei significationem seu *προσκατηγορίαν* a praedicato seu *κατηγορίᾳ* habebit. Non prius, res enim non ex copula, sed ratione praedicati insunt et definiuntur, tropus autem est modificatio rei; non posterius, quia si hoc, tunc esset in ipso praedicato, quia copula est quasi pars et *προσκατηγορούμενον* praedicati. Quidquid autem non est in toto, id nec in parte. At tropus non est in toto praedicato, ut ostensum. Ergo. Ex iis constat res, in quae resolvitur. Atqui praedicatio resolvitur in duos terminos simplices, qui inserviebant subjecto et praedicato. Ergo etiam ex his constat. Aristoteles lib. 1. anal. 1, c. 32. et 37. dicit, propositionem in sua extrema resolvendam esse. At copula non est extremum, sed extremorum copula et ligamentum. Vide ipsum Philosophum lib. 1. anal. 1, c. 1. Si dicas, non esse quidem partem essentialem, sed tamen integralem, resp. Keckermannus non posse hoc fieri, quia omnis pars integralis materialis est, quod de copula dici nequit.**
2. Quia est *συγκατηγορούμενον* et *προσκατηγορούμενον* quiddam, tropus autem locum tantum habet X. 127.
in vocibus categorematicis, quae certam rem significant, cum vocem a nativa significatione vertat in alienam. 3. Quia in verbis coenae apud Lucam et Paulum non habetur copula, sed simpliciter dici-

Digitized by Google

tur *τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη*. Recte igitur fecit Piscator Herbornensis, qui postquam aliquot annos publicis scriptis tropum in copula fortiter defendisset, tandem admonitus et convictus argumentis contrariis publice illam sententiam retractavit in resp. ad dict. Hoffmann. quaest. 3. p. 205. diserte affirmans et luculento argumento probans, copulam a nativa significatione hic non immutari. Neque in tota propositione est tropus; 1. cum enim tropus absque mutatione significationis non sit, ita postulante tropi natura et definitione, quomodo tropica erit propositio, *hoc est corpus meum*, in qua nullius vocis significatio per tropum mutatur? 2. Ab illis, qui in tota propositione tropum statuunt, praesupponitur, quod subjectum *hoc* denotet solum panem, cum enim disparata de se invicem praedicari ipsis non posse videantur, inde in modo attributionis tropum quaerendum esse statuunt. Atqui haec hypothesis est falsa, ut suo loco demonstrabimus. Vide D. Meisnerum part. 1. sob. philosoph. sect. 1. quaest. rhetor. 2. ubi ostendit, *tropum rhetoricum in praedicatione integra locum non habere:* 1. a defectu exemplorum, quia non potest idoneum aliquod proferri exemplum tropicae praedicationis, in qua singulae voces nativam retineant significationem; 2. a notatione tropi, tropus dictus est a *τρέπεσθαι*, vertendo, jam vero ipsa rerum connexio, quae est praedicatio, verti et mutari nequit, sed tantum vocum significatio; 3. a natura tropi, quia omnes rhetores non in rebus, sed in verbis tropum consistere docent; 4. a primo fonte tropi; omnis tropus hauritur ex locis tropicis et ad illos reducitur, jam vero praedicatio ad unum aliquem locum tropicum reduci nequit; 5. a reductione praedicationis tropicae ad propriam, per cujus vocis mutationem praedicatio tropica ad propriam reducitur, in illa tropum latere fit conspicuum; atqui illud fit non totius praedicationis, sed partis tantum mutatione; 6. a confusione logicae et rhetoricae. Praedicatio est fori logici, tropus rhetorici, haec distinctio artium tollitur, si integra praedicatione tropus ponitur. **Breviter: 1. Tropus non est in partibus enuntiationis eucharisticae. Ergo nec in tota enuntiatione. Quidquid enim non est in parte, non est in toto, cum totum nihil sit aliud quam partes simul sumtae. 2. Repugnat hoc naturae tropi. Tropus consistit in una dictione teste omni rhetorum schola, quae inter tropum et figuram distinguit. Enuntiatio tota non consistit in una, sed pluribus (nimirum explicita, qualis est Christi, non elliptica). Ergo in tota Christi enuntiatione non potest esse tropus.**

77. Sextam rationem subministrat *πληροφορίας* fidei necessitas. Sensus literalis unam eandemque certam ac minime dubiam gignit sententiam, adeo ut fidem in immota *πληροφορίᾳ* stabiliat; contra vero, qui tropos sectantur, in diversas abeunt partes, nec habent, ubi pedem figant, ut ex diversitate tropicarum interpretationum manifestum. Ergo sensus literalis, repudiatis tropis humano ingenio excogitatis, amplectendus est. D. Lutherus in libr. cui titulus confessio major, tali apologia se coram Christi tribunali usurum esse scribit: *Alme Christe, lis in terris agitata fuit de verbis coenae tuae eucharisticae, quibusdam in diversam a verborum tenore sententiam eadem trahentibus, quibus ego fidem et conscientiam meam committere nec potui nec volui. Ego vero quia testamenti tui et ultimae voluntatis* X. 128.
verba ista esse expendi, neque comperi uspiam in Scriptura diverso, quam sonarent, sensu eadem abs te vel apostolis exponi, cui declarationi haud dubie non pepercisses in re tam gravi ac seria, si aliter, quam sonant, ea intelligi voluisses, ideo in nativo et simplice eorundem sensu acquievi. Judica ergo tu, Domine, an erraverim, et si erravi, cujus culpa factum sit, ut erraverim. Philipp. Melanchthon in epist. ad Frider. Myconium: *Ego nullam satis firmam rationem invenio, propter quam ab hac sententia discedamus. Fieri potest, ut alia sententia blandiatur otioso animo, quae est magis consentanea humano judicio, praesertim sic instructa et ornata argumentis erudite excogitatis, sed quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi a recepta sententia in ecclesia? tunc ista verba: hoc est corpus meum, fulmina erunt; quid hic opponet mens perterrefacta, qua voce Dei se muniet ac sibi persuadebit, necessario hic fuisse interpretandam metaphoram?*

78. Septimam rationem suppeditat patrum aucto- Dicta patrum.
ritas. Referenda huc pia piorum veterum pronuntiata. Irenaeus lib. 2. c. 46. procul dubio ex traditione apostolica (fuit enim discipulus Polycarpi, Polycarpus autem Johannis apostoli auditor) hanc proponit regulam: *Is sanus sensus et sine periculo est, qui aperte et sine ambiguo ipsis dictionibus in Scriptura ponitur.* Hilarius lib. 1. de Trinit. p. 7: *Optimus Scripturae lector est, qui dictorum intelligentiam exspectat ex dictis potius, quam imponat, et retulerit potius, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumserit intelligendum.* Idem libr. 8. de Trinit. p. 102. de communicatione corporis Christi in sacra coena disputans subjungit: *Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem praedicationem coelestium dictorum sanitati alienae atque impiae intelligentiae extorquenda perversitas est. Quae scripta sunt, legamus, et quae legerimus, intelligamus, et tunc perfectae fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: caro mea vere est esca* etc. Cyrillus lib. 4. thesauri c. 13: *In mysteriis simpliciter credendum, quia ideo sunt mysteria.* Chrysostomus homil. 83. in Matth. p. 703: *ὁ λόγος αὐτοῦ ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν εὐεξαπάτητος· οὗτος οὐδέποτε διέπεσεν, αὐτὴ δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται· ἐπὰν ὁ λόγος φησὶ, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ πειθώμεθα καὶ πιστεύωμεν καὶ νοητοῖς ἀναβλέπωμεν ὀφθαλμοῖς.* Epiphanius in Ancor. p. 492: *ὁ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ τῆς σω-*

Digitized by Google

τηρίας. Bernhardus epist. 77. col. 825: *Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non ratione discutiendum; venerandum, admirandum, non dijudicandum.* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 14. p. 315: *De hoc mysterio nihil amplius novimus, quam quod verbum Christi est verum et efficax et omnipotens, modus autem inscrutabilis.* ** Paschasius de corp. et sang. Domini c. 13: *Si rationem quaeras, quis explicare poterit, aut verbis comprehendere? imo scias, quaeso, quia ratio in virtute Christi est, scientia in fide, causa in potestate, effectus in voluntate, quod potentia divinitatis contra naturam ultra rationis nostrae capacitatem operatur.* ** Pulcherrimum locum de conservando τῷ ῥητῷ vide in catechesi Graeca Camerarii, quam theologiae suae inseruit Neander cap. de coen. p. 522. Vis veritatis coëgit ipsum Zegedinum Calvinianum, ut scriberet tab. 8. de coena pag. 183: *Petendus est sensus verborum Domini ex ipsis coenae Dominicae vocabulis, quorum singula gignunt argumenta.* Carolstadius ante excitatam controversiam eucharisticam in thesibus Witebergae disputatis anno 1521: *Proprie verum est, panis est corpus. Debemus in verbis Scripturae immoti consistere, nequa-*
X. 129. *quam de veritate dubitare licet, nec dum penetremus sensum et oculos defugiant, quia nihil possumus illi adjicere, sicut nec apiculum demere.*

Antithesis adversariorum.

79. Atque haec sunt fundamenta τοῦ ῥητοῦ firmiter in verbis coenae retinendi. Adversarii veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi in coena praesentiam negantes in diversas scinduntur partes, unde in plures classes propter opinionum diversitatem eos dividit D. Mentzerus in collat. poster. August. confess. cum doctr. Zwingl. th. 6. et seqq. Quidam enim a verbis Christi plane discedentes ea pro fundamento in hac causa admittere recusant, idque vel directe vel oblique. Directe ut Bullingerus et Tigurini, qui in libro contra D. Jac. Andr. fol. 45. postulant, *verba coenae non amplius pro fundamento allegari, quia sint τὸ κρινόμενον.* Idem repetunt Calvinus in admonit. ult. p. 240. Consid. commonef. p. 15. et 188. Witakerus de script. q. 5. c. 9. (Eodem scilicet modo nobiscum agunt, ac si quis alterum in certamen provocans ab eo postularet, ut arma et gladium prius deponeret. Atqui non de ipsis verbis quaeritur, nisi quis dicere velit, adhuc dubitari, an verba illa vel a Christo usurpata vel ab evangelistis recte annotata sint; sed de vero illorum verborum sensu unice quaestio est, quem nos dicimus esse eum, qui ex verbis κατὰ τὸ ῥητὸν et proprie acceptis immediate profluit; adversarii vero ad tropos confugiunt, quibus nativam, simplicem et genuinam illorum sententiam pervertunt.) Orthod. consensus c. 7. f. 161: *Manifestus est abusus verborum coenae in probando eo, quod ex verbis in quaestione vel controversia est.* (Si verba Scripturae propter peregrinas haereticorum detorsiones, quibus ea pervertunt, non amplius pro fundamento veritatis adduci possent, periret omnis doctrinae coelestis certitudo.) ** Bullingerus decad. 5. serm. 9. de coena Dom. fol. 367. in nostros invehitur, quod verbis Christi, *hoc est corpus meum* simpliciter subscribant et ab eis nequidquam recedant, dicit, *id esse tumultuari, clamare et clamando repetere: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, hoc est, hic est, hoc est, hic est, hoc, hic.* Calvinus lib. 4. instit. c. 17. s. 20. assertionem ῥητοῦ vocat *stultam provinciam.* (Ast si Christus ex institutione conjugali controversias de eadem exortas diremit et Paulus ex verbis coenae Dominicae abusus in ecclesiam Corinthiacam introductos sustulit, utique etiam nos ex institutione coenae possumus et debemus controversias in ecclesia de ea exortas decidere. Sed verum prius. Matth. 19, v. 4. et 5. 1. Cor. 11, v. 20. et seq. Ergo etiam posterius.) ** Daniel Burenus consul Bremensis anno 1560. in conventu publico dicebat, *Lutheranos pro sua sententia nihil quidquam proferre posse praeter tria impotentia verba.* Quod dubio procul ex Petro Martyre didicit, qui in dial. de nat. human. f. 127. hisce verbis nos alloquitur: *Semper visi estis minus quam par est sapere, cum pro dogmate absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quidquam habeatis nisi Christi τὸ ῥητὸν, hoc est corpus meum.* (Atqui norunt piae mentes, unicum Christi verbum coeli terraeque machina firmius ac potentius esse, Luc. 21, v. 33. *Verba, quae loquor vobis, sunt Spiritus et vita,* Joh. 6, v. 63. Imo *verba vitae aeternae,* v. 68. *Sermo, quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die,* inquit Joh. 12, v. 48.) Admonit. Neostad. p. 94: *Contra vero illi* (nos intelligit), *postquam diu verba, verba, verba Christi sonuerunt, cum urgentur, ut reddant rationem suae glossae, confugiunt ad ubiquitatem.* (Verba Christi unicum sententiae nostrae fundamentum statuimus, doctrinam de sessione ad dextram Dei et omnipotentia secundum humanam naturam Christo data opponimus tunc demum adversariis, quando Christum juxta promissionem et ordinationem suam corpore suo in his terris praesentem adesse posse praefracte negant.) Oblique verba institutionis negant, qui ex aliis Scripturae locis veram de sacra coena doctrinam petendam esse statuunt. Victor Strigelius in epist. ad Wilibaldum Rambeceum edita a Pezelio part. 4. locor. p. 132: *Ut Hippocrates mandat, ut medicus oculo dextro in naturam, sinistro in artem*
medicinae respiciat; ita moneo te, ut non solum X. 13
in verba coenae attendas, sed magis tibi proponas totam Christianam doctrinam. Boquinus in canonibus, quibus defenditur διάνοια can. 3. f. 35: *Ut certo cognoscamus, quaenam sententia atque interpretatio verborum Christi, de quibus quaerimus, amplectenda retinendaque sit, non sola illa verba, quae dum mysterium hoc instituerct, pronuntiasse traditur, cogitanda atque expendenda sunt, quantumvis certe ea clara expressaque esse videantur, certa tamen dijudicatio ex his solis peti aut haberi nequit.* Orthod. cons. c. 5. f. 98: *Non oportet simpliciter intueri verba Christi, hoc enim est cer-*

Digitized by Google

naliter intelligere, sed aliud quippiam cogitare et interioribus oculis ea adspicere tanquam mysteria, quae verba a Swencfeldio mutuasse videntur, is enim referente D. Luthero in confess. min. proposuit hanc regulam: *Verba institutionis ex oculis seponenda esse, quia spiritualem intellectum impediant.* Huc etiam referendi sunt illi, qui ex c. 6. Johan. veram de sacra coena sententiam petendam esse disputant. (Atqui verba institutionis sunt propria sedes hujus doctrinae; qui ergo praetermissis illis ad alios Scripturae textus confugiunt, perinde agunt ut ii, qui doctrinam de justificatione ex aliis potius Scripturae locis quam ex c. 3. et 4. Roman. c. 2. et 3. Galat. et c. 2. Ephes. petendam esse statuunt.)

80. Quidam verba Christi pro fundamento retinenda esse agnoscunt a ῥητῷ vero et literali eorum sensu discedunt. Calvinus in form. cons. pag. 16: *Qui in solennibus coenae verbis, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, praecise literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes repudiamus.* Idem lib. 4. instit. c. 17. sect. 20. assertionem τοῦ ῥητοῦ nominat *stultam pervicaciam hostiliter litigantem de verbis Christi.* Beza et socii ipsius in colloq. Mompelg. ad dogm. 1. de coena. p. 33: *Nos existimamus, verba institutionis Domini κατὰ τὸ ῥητόν accipi salva fidei analogia non posse.* Johan. Jac. Grynaeus praefat. disp. de coena anno 1584: *Nos sententiam sequendam ducimus, alii scriptum retinere malunt.* Perkinsus in cathol. reform. p. 228: *Si verba Christi de coena proprie intelligerentur, omnes hospites coenae essent homicidae Christi.* (Falsum hoc, quia loquitur de praesentia viva Christi, scimus enim, quod mors ei ultra non dominabitur, ut Apologia August. confess. monet.) Huc pertinet, quod nos appellent Buchstabler, perinde ut Pontificii *scripturarios* nos vocant. Quamvis vero uno ore omnes statuant, tropice et figurate verba coenae intelligenda esse, nondum tamen convenire hactenus inter ipsos potuit, in quibus tandem verbis praecise statuendus sit tropus, sicut postea apparebit, ubi diversas, imo contrarias opiniones de interpretatione verborum coenae ex ipsorum scriptis recensebimus, unde recte scribit D. Lutherus in confess. minori: *Cum in ipso statim exortu sacramentaria haeresis ita in diversas partes fuerit scissa, ut ex una hydrae instar septiceps quodammodo fieret, perinde hoc fuisse, quasi coelo clamaret; Spiritus Domini, cavendum esse ab illa haeresi.* Neque quidquam momenti habet exceptio, quod in summa rei, hoc est in neganda corporis et sanguinis Christi reali et substantiali praesentia, conveniant, quia Simsonis vulpes, licet caudis colligatae erant, capitibus tamen inter sese dissidebant. Non de eo praecipue sollicita est ecclesia Dei, in qua summa aut scopo quidam homunciones conveniant, sed quaenam sit certa et immota Dei voluntas in Scripturis patefacta; non hoc quaeritur, quomodo Scriptura diversimode exponi vel potius torqueri possit, sed quis sit verus, genuinus et proprius cujusque loci sensus, quem intendit Spiritus sanctus. Non hoc quaeritur, quam variis ac diversis modis verba coenae intelligi queant, sed quae sit genuina sententia sacrosancti testamenti ac foederis cum Deo per dilectum ipsius Filium nobiscum sanciti. Filius Dei moriturus condidit hoc testamentum, eo ut salutariter fruamur, vere ac solide id ipsum nos intelligere oportet, ut nullius voculae ambiguitate ludamur, sed veram et genuinam omnium verborum sententiam assequamur. Tropi ipsorum non eos tantum a nobis, sed etiam inter se in plurimas opiniones distrahunt atque adeo unumquemque eorum in diversas partes discernunt.

81. Antequam vero adversariorum tropos, quos verbis coenae inserunt, enumeremus, expendenda sunt verba institutionis in proprio et genuino sensu. Sic scribunt amanuenses Christi S. evangelistae et S. Paulus: *Dominus noster Jesus Christus in ea nocte, qua traditus est, coenantibus ipsis accepit panem, gratias egit, fregit ac dedit discipulis suis dicens: Accipite, comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis datur (frangitur); hoc facite in mei commemorationem. Similiter accipiens et calicem, postquam coenassent, gratias egit ac dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hoc est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum (hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.) Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Et biberunt ex eo omnes.* Matth. 26, v. 26. 27. Marc. 14, v. 22. 23. 24. Luc. 22, v. 19. 20. 1. Cor. 11, v. 23. 24 25. Institutionis partes sunt duae: prior de Christi corpore, posterior de ipsius sanguine agit. Utraque verbis propriis, claris et perspicuis constat, utraque pro vera reali et substantiali corporis et sanguinis Christi praesentia immota fundamenta suppeditat. In priore parte ex ipsorum adversariorum concessione proprie accipiuntur haec verba: *Dominus noster Jesus Christus in ea nocte, qua traditus est, coenantibus ipsis accepit panem, gratis egit, fregit ac dedit discipulis suis dicens: accipite.* In reliquis tropos comminiscuntur, sed absque ulla necessitate. *1. Edite* refertur ad panem (licet non solum), jam vero non tropice, sed proprie jubebat manducare panem. Ergo verbum *edite* accipiendum est proprie, qua de re suo loco plura. 2. τὸ δεικτικὸν *hoc* non respicit solum panem, sed totum συμπεπλεγμένον sive complexum. Si denotaretur solus panis, quaenam foret constructio grammatica ἄρτος τοῦτο? Ergo non adjective, sed substantive ponitur. Et quemadmodum alias fieri consuevit, quando duae res modo quodam conjunctae demonstrantur et exhibentur, quarum una sensui est obvia, altera vero, nobilior scilicet ac praestantior, minus conspicua; tunc δεικτικόν substantive et subjecti loco positum respicit utrumque unitorum, sed praedicatum exprimit dignius et sensui minus obvium; ita quoque Christus mediante benedicto pane visui obvio corpus suum invisibiliter praesens discipulis mandu-

X. 131. Explicatio verborum institutionis.

Edite

Hoc

Digitized by Google

candum exhibens dicit: *Hoc est corpus meum.* Neque hic ullus subest tropus rhetoricus, sed grammatica synecdoche, quia particula τοῦτο comprehendit et ostendit duo, quorum alterum est αἰσθητόν, alterum vero νοητόν, nequaquam vero duplicem significationem sortitur, quae omnia ex sequentibus
Est erunt clariora. 3. Copula *est* propriam et nativam suam significationem retinet, quia tropi incapax est, ut ostendimus superius. De iride Genes. 9, v. 13. dicitur, quod sit *signum;* de virga Aaronis Num. 17, v. 10. ac de serpente aeneo Num 21. v. 8. asseritur, quod fuerint *signa;* sed hoc loco Christus nequaquam dicit: comedite hunc panem, qui est signum corporis mei; sed comedite, hoc, quod vobis
Corpus exhibeo, est vere et ὄντως corpus meum. 4. Vox *corporis* aut proprie aut mystice de spirituali Christi corpore, quod est ecclesia, in Scripturis accipitur, tertium aliquod non datur. Jam vero non accipitur mystice, quia non de ecclesia, sed de vero et proprio suo corpore Christus loquitur. 5. Id ip-
meum sum comprobat vox *meum*, loquitur enim Christus de illo corpore, quod ipse Dei Filius in utero Mariae virginis sibi conformavit et in unitatem personae suscepit, in quo tota plenitudo deitatis habitat,
quod pro vobis datur. quod est vivificum etc. 6. Neve ulla restaret dubitatio, addit Christus, se exhibere illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem traditum, flagellatum, crucifixum et ex mortuis resuscitatum. Atqui illud est verum Christi corpus. Reliqua verba, *hoc facite in mei commemorationem*, proprie accipi, ne ipsi quidem adversarii inficiantur. Merito autem urgemus eos, ut causam nobis edisserant, cur verba
X. 132. substantialia *edite, hoc est corpus meum*, tropice accipienda sint, cum antecedentia et consequentia proprie accipiant. An ullo modo verisimile est, Christum proprie et perspicue in prioribus et posterioribus locutum, ipsa autem substantialia coenae ac legata hujus testamenti troporum peplo studiose involvisse? Posterior pars coenae itidem perspicuis et propriis verbis describitur. Verba isthaec *(similiter accipiens et calicem, postquam coenassent, gratias egit ac dedit illis dicens)* proprie accipienda esse non negant adversarii. Idem de reliquis
Bibite dicimus. 1. Vox *bibite* respicit vinum in poculo (licet non solum), proprie igitur accipitur, ubi actio praedicatur de objecto suo proprio, vox actionem exprimens proprie ut accipiatur necesse est. Id ipsum intelligitur ex mandati exsecutione. *Biberunt ex eo omnes*, ubi verbum *bibendi* proprie accipi tum per se patet, tum exemplo Judae prodito-
hoc ris confirmatur. 2. τὸ δεικτικὸν τοῦτο, *hoc*, itidem respicit non solum vinum, sed totum illud, quod Christus bibendum exhibebat, ut ex priore coenae parte intelligitur, vulgata igitur versio
est minus recte addidit: *Hic est sanguis meus.* 3. Copula *est* itidem tropo caret. Quia unus et idem in
sanguis priore et posteriore parte est ejusdem sensus. 4. Vox *sanguinis* Christi non potest figurate accipi, quia typus et figura sanguinis Christi in sanguine agni paschalis jam tum praecesserat, quem Christus institutione sacrae coenae abrogavit, ut umbrae succederet expressa imago Hebr. 10, v. 1. Adde quod sanguis Christi in N. T. nuspiam pro signo tantum sanguinis accipiatur. 5. Id ipsum comprobat προσ- meus
διορισμὸς hoc est sanguis *meus*, quo confirmat Christus, se non signum aliquod sanguinis, sed ipsum suum sanguinem nobis exhibere. 6. Eum vocat testamenti
Christus sanguinem *testamenti.* Dispositio testamentaria verbis propriis et perspicuis constare solet, praesertim eo in loco, ubi expressa fit mentio legatorum. 7. Differentiae causa additur, quod sit san- novi
guis *novi testamenti.* Vetus testamentum sanguine juvencorum typico sancitum fuit, Exod. 24, v. 8: *En sanguis foederis, quod pepigit Jehova vobiscum;* Christus verba formalia illius foederis retinuit, sed discriminis loco addidit: Hoc est sanguis *meus novi testamenti* ostendens, non typico, sicut vetus, sed vero suo sanguine novum sanciri testamentum. Novum testamentum non amplius habet typos, umbras ac figuras, sed ipsam expressam rerum imaginem. 8. Neve ulla restaret dubitatio, Christus ad- qui pro vobis effunditur.
dit, se illum sanguinem nobis exhibere, *qui in ara crucis pro multis effusus est;* jam vero non typicum, sed verum Christi sanguinem pro peccatis nostris in ara crucis effusum esse omnes vere pii agnoscunt. 9. Apud Lucam et Paulum calix eucha- Hic calix est N. T. in meo sanguine.
risticus dicitur *novum testamentum* non simpliciter et absolute, sed *in Christi sanguine*, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ubi τὸ ἐν respondet Hebraeo ב et causam exprimit, per et propter quam hoc poculum sit novum testamentum, nimirum quia non solum vinum, sed et mediante illo Christi sanguinem vino eucharistico sacramentaliter unitum nobis bibendum exhibet, unde Erasmus, Tigurini et Beza in secunda editione anno 1565. recte verterunt *per sanguinem.* Quod autem προσδιορισμὸς ille ἐν τῷ αἵματί μου non cum καινῇ διαθήκῃ, sed cum ποτηρίῳ conjungendus sit, patet ex eo, quod post vocem διαθήκῃ articulus fuisset repetendus, si ad illam immediate τὸ αἷμα pertineret, hoc modo τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἡ ἐν τῷ αἵματί μου, hoc poculum est novum testamentum, quod testamentum meo sanguine sancitur. Quia vero articulus ille neque a Luca neque a Paulo repetitus est, ex eo manifestum, verba illa *in sanguine meo* non ad testamentum, sed ad poculum in grammatica constructione referenda esse. 10. Ex qui effunditur pro vobis.
quo etiam intelligitur, quare et quo sensu poculum eucharisticum *pro nobis* dicatur *effusum* apud Lucam τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον, nimirum quia in eo X. 133.
bibendus nobis offertur sanguis Christi in ara crucis pro nobis effusus. Poculum enim, τὸ ποτήριον, non materialiter, sed formaliter pro ipsa potione sive haustu accipitur, inde enim atque ideo vas aliquod dicitur poculum, quia ex eo bibitur, ποτήριον dicitur quasi πόσιν τηροῦν, cum potus tanquam res liquida difficulter terminis propriis contineatur aliisque dari non possit, nisi vasi seu poculo inclusus. Eodem sensu paulo post Christus dicit: *Transeat a me τὸ ποτήριον, ille calix,* hoc est illa amara potio,

Digitized by Google

acerbus ille haustus passionum mensuram metaphorice exprimens Luc. 22, v. 42. Reliqua verba *(hoc facite, quotiescunque biberitis in mei commemorationem. Et biberunt ex eo omnes)* proprie accipienda esse ipsimet adversarii concedunt.

82. Sic ergo nulla nos cogit necessitas, ut a nativa, genuina et propria verborum significatione in verbis coenae recedamus, cum sensus literalis ita munitus sit, ut nullis troporum arietibus expugnari queat. Restat, ut adversariorum tropos enumeremus, modo enumerari etiam possint. D. Lutherus in confess. majori septem diversas interpretationes profert, quibus jam tum verba coenae a sacramentariis contorta fuerunt. Editus est autem liber ille Lutheri anno 1544. post motam controversiam sacramentariam plus minus vigesimo, sed ab eo tempore tropus sacramentarius plures edidit foetus, quia longe plures excogitatae sunt interpretationes vel potius detorsiones. **Pelargus in disp. de fract. panis anno 1606. Francof. habita viginti octo diversissimas verborum coenae interpretationes a Calvinianis excogitatas recenset. Itque reditque tropus, nec certum novit asylum. Vorstius contra Bellarminum p. 394. expresse fatetur, *se vix scire, an tropus in copula, an potius in praedicato statuendus sit.* Cinglius quidem in epistola ad Billicanum: *Haec diversitas,* scribit, *tam nullis debet esse offendiculo, quam ducibus eandem arcem oppugnandam esse consentientibus nihil prorsus dissidii aut obstaculi affert, dum alius statuit ariete concutiendam, alius scalis superandam, alius machinis dilacerandam. Nam in arce excindenda conveniunt, de via disputatur, non de summa rei. Nec culpandus est, qui non optimam, sed quae videatur esse, sententiam dixit.* Ast Benedictus Thalmannus in exegemate de coena edit. Tigur. ann. 1579. p. 195: *Nemo sentire potest cum illis, qui inter se dissentiunt.*** Ceterum potiores istae Calviniorum detorsiones juxta Mentzeri distributionem in tres classes dispescere possumus. Prima est grammatica in vocum ordinatione et explicatione grammatica; secunda rhetorica in tropis; tertia logica in dispositione propositionis Christi. Ad classem grammaticam pertinet 1. Carolstadius sic distinguens verba Christi, ut sententia finiatur post verbum *edite*, cui succedat nova sententia. *Hoc*, quod in mensa assidere cernitis, *est corpus meum.* Notandum vero, quod Carolstadius in libr. de sacrament. anno 1524. Basil. edit. scribat, *coelitus hanc interpretationem sibi revela-*
134. *tam esse, apparuisse enim sibi virum quendam, a quo illam didicerit,* sed dignis eam D. Lutherus excepit modis in libro contra coelestes prophetas edito anno 1525. Responsionis summa huc redit: 1. Cum nullus sit fidei articulus, cum quo continua orationis series pugnet, impium esse ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ καὶ τοῦ γράμματος ad monstrosam illam orationis rupturam sese convertere. 2. Si in priore parte verborum institutionis interpretatio illa admittatur, in posteriore de Christi sanguine aut nullam aut non nisi absurdissimam interpretationem dari posse. 3. Quae haec στρεβλότης foret in oratione Christi, si is in cursu orationis continuo, uno eodemque temporis momento de rebus diversissimis, discipulorum scilicet manducatione et corporis sui sessione, locutus fuisset, tandem rursus per saltum ad materiam praesentem reversus esse fingeretur, cum absoluta ἐπεμβολῇ peregrina manducationem in sui recordationem faciendam esse subjunxerit? 4. Christus porrecto pane discipulos edere jubens, id quod porrigebat, corpus suum esse dicebat; exhibito vino eosdem bibere jubens, id quod exhibebat, sanguinem suum esse dicebat; at quae illius praecepti de edendo et bibendo cum verbis: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, connexio, si non corpus suum manducandum, et sanguinem suum bibendum exhibuisset? vide partem secundam libri D. Lutheri contra coelestes prophetas tom. 3. Jenens. German. fol. 68. ejusdemque analysin propositam a D. Mylio in volum. disput. theolog. contra sacram. disput. 1. Cumque Carolstadius primus certaminis eucharistici auctor sit, ideo gravissimum Philippi Melanthonis de eo judicium huc referemus. Sic vero ille scribit in epistola ad Fridericum Myconium praefixa libello complectenti sententias veterum de eucharistia: *Carolstadius excitavit primum hunc tumultum, homo ferus sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis offi-* X. 135.
cium aut intelligere, aut facere animadvertimus, tantum abest, ut ab eo significatio aliqua Spiritus sancti animadversa sit, imo exstant manifesta signa impietatis, in tota doctrina solebat εἰδαΐζειν καὶ στασιάζειν, damnabat omnes leges ab ethnicis conditas. Controversiam de coena Domini tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione movit. Etenim cum εἰκονομαχία ipsius a Luthero improbata esset, coepit iste inflammatus immani cupiditate vindictae quaerere causam vendibilem, qua Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniae testari posset, nihil me in hac parte fingere. Quanquam si testibus opus sit, libelli ipsi adversus auctoritatem dicent certissimum testimonium. In his apparet, hominem ne ratione quidem aliqua in specie probabili motum esse ad scribendum; quam suaviter nugatur de demonstratione vocis τοῦτο? quod affert ad causam tantam ecclesiae veteris aut ullius magni auctoris testimonium? quae vox est in tota disputatione, in qua sit aliqua pietatis significatio? tantum vociferatur, ut nunc solent homines βάναυσοι inter pocula, qui nullis fabulis nisi maxime profanis delectantur; ad haec magnam librorum partem consumit in conviciis et homo insulsus studet etiam urbanitatis laudem auferre. Qui tam imparatus ad tantam causam accedit, is ostendit, se aliqua caeca cupiditate praecipitem ferri, non moveri ratione, aut studio pietatis, atqui hic est hujus fabulae πρωταγωνιστής. Haec Philippus. ** De figmentis Carolstadii dicit Cinglius part. 2. in epist. ad Matth. Albertum pag. 153: *Carolstadius magis offendit, quam aedificat. Carolstadii oratio non assequitur, quod res postulat.* De se ipso dicit

Digitized by Google

pag. 156: *Nos cardinem hujus rei in brevissima syllaba versari arbitramur, videlicet in hoc verbo est, quod accipitur pro significat.* **

2. Qui per δεικτικὸν intelligunt solum panem. 83. Ad classem grammaticam pertinent 2. qui per *δεικτικὸν hoc* intelligunt solum panem, quod plerique omnes faciunt sacramentarii, ut robur accedat argumento. *Disparatum de disparato non potest affirmate praedicari proprie.* (Atqui 1. repugnat constructio grammatica ἄρτος τοῦτο. 2. Quando Paulus subjecti loco ponit panem, in praedicato non ponit corpus, sed κοινωνίαν corporis. 3. Quando apud Lucam subjecti loco ponitur τὸ ποτήριον, in praedicato additur, quod sit novum testamentum in Christi sanguine. 4. Quando duae res modo quodam unitae monstrantur vel exhibentur, tunc subjectum exprimit totum complexum, praedicatum vero dignius et sensui minus obvium manifestat.) ** Bergius disput. de coena quaest. 2. utitur his argumentis: *1. Paulus ipse subjectum hoc per panem interpretatus est 1. Cor. 10, v. 16.* Respondemus: praedicatum est diversum. *2. In posteriore parte coenae per τοῦτο intelligitur solum poculum, quia Paulus 1. Cor. 11, v. 25. sic ἀναλύει: Hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine.* Respondemus: etiam hic mutato subjecto mutatur praedicatum. *3. Quod Christus cum discipulis bibit, id intelligitur per τοῦτο, sed bibit vinum Matth. 26, v. 29.* Respondemus: non de eucharistico, sed alio poculo Matthaeus loquitur. Quoad discipulos invertimus argumentum: Quod discipuli jussu Christi in eucharistiae celebratione biberunt, illud per τοῦτο intelligitur. At discipuli biberunt non solum vinum, sed cum vino sacramentaliter unitum sanguinem vi verborum institutionis. *4. Quod Christus de mensa accepit, fregit et distribuit discipulis, illud et non aliud per particulam* hoc *intelligitur, sed solum panem accepit.* Respondemus: solum panem accepit, fregit, sed non solum distribuit. Ne ipsi quidem adversarii negant, spiritualiter manducatum fuisse Christi corpus ab apostolis. *5. Sequetur haec nugatoria propositio: panis et corpus Christi est corpus Christi.* Respondemus: propositiones exhibitivas non sic licet ἀναλύειν. Demonstrativa particula universaliter et indefinite ob duarum substantiarum unionem et conjunctionem prolata in ipsas duas substantias absolute et distincte non resolvitur; ratio est, quia nec directe nec aequaliter subjectum hoc et vinum et sanguinem significat. Non directe, quia sub signo demonstrationis indefinite et indeterminate; nec aequaliter, quia vinum Rhenanum πρώτως propter principalem δεῖξιν ἀναίσθητον, poculum ἑπομένως propter poculi visibilis cum vino non apparente σύνθεσιν, ac si dicatur, hoc quod in poculo, quod cernis, bibendum offero, est vinum Rhenanum. *6. Lutherus tom. 3. Jen. fol. 548.* Respondemus: 1. Lutherus loquitur de propositione Paulina: panis, quem frangimus, est communicatio corporis

3. Johannes a Lasco, X. 136. Christi. 2. Eam propositionem diserte a Christi propositione distinguit.** 3. Johannes a Lasco, qui *δεικτικὸν hoc* totam actionem denotare pugnavit. (Atqui illud, quod Christus exhibet et offert, vocabulo δεικτικῷ notatur, ut contextus manifeste ostendit.) qui δεικτικὸν hoc de tota actione exponit

4. Quidam relativum *quod* exponunt per *quatenus;* ita statuunt Orthod. consensus, Piscator, Grynaeus, Bucanus, Trelcatius aliique complures, nimirum ut obtineant, corpus et sanguinem Christi non ratione substantiae, sed tantum ratione salutaris efficaciae, quatenus corpus in mortem pro nobis traditum et sanguis pro peccatis effusus est, in sacra coena adesse. (Atqui 1. relativum *quod* vi suae constructionis antecedens substantivum corpus quidditative, non limitative respicit; 2. id quod ex Graeco textu manifestius τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. 3. unde Lutherus in confess. de coena majori tom. Jen. Germ. fol. 483. recte monet, *Cinglianam logicam quod pro qualiter, substantiam pro accidente contra omnes scholas accipere.)* 4. Quid relativum quod exponunt per quatenus.

5. Swencfeldius, qui referente D. Luthero in confess. minori verba coenae sic transponebat: *Accipite, edite, corpus meum, quod pro vobis traditur, est hoc,* intellige spiritualis cibus. 5. Swencfeldius

6. Quidam referente ibidem Luthero verba institutionis sic ordinarunt: *Accipite, edite, quod pro vobis traditur, est corpus meum.* (At quibus argumentis inversionem illam verborum necessariam esse demonstrant? quis potestatem ipsis dedit subjectum referendi in locum praedicati et vicissim praedicatum in locum subjecti?) 6. Quidam verba transponunt: Quod pro vobis traditur est corpus meum.

7. Johann. Campanus corpus pro *creatura* accipiendum censuit, ut sit sensus verborum: panis ille, quem trado vobis, est corpus per se, non vivum illud meum et naturale corpus, sed a me tamen creatum ac perinde corpus, sicut lapis et lignum quodvis etiam corpus est. (Atqui Christus diserte addit, sese illud corpus nobis manducandum dare, quod in mortem pro nobis traditum, atque illum sanguinem bibendum exhibere, qui pro peccatis nostris est effusus.) 7. Campanus.

8. Beza annotat. in N. T. p. 338. in verbis *hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur,* statuit esse soloecismum, quidam emollire volunt et vocant σολοικοφανές. Bezae suffragatur Vorstius part. 2. Antipistor. sect. 4. et Joh. Piscator in illum locum. (Absit vero, ut summo loquendi et sapiendi magistro Spiritui sancto soloecismum tribuere velimus.) 8. Beza

84. In classe rhetorica 1. familiam ducit Cinglius, qui verbum *est* interpretatus est per *significat,* quam glossam ex nocturno quodam monitore, de quo an ater an albus fuerit, non meminit, se didicisse refert in libro cui titulus Coronis de eucharistia part. 2. operum fol. 249: *Vera* (inquit) *narro, adeoque vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis risibusque exponam. Cum tredecima Aprilis lux appeteret, visus sum mihi in somno multo cum taedio denuo contendere cum adversario scriba sicque obmutuisse, ut quod verum scirem negante lingua beneficium suum proloqui non possem, quod me angor, ut solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte, nihil enim altius quam* X. 1.. Ad classem rethoricam X. 1.. tinet 1. Cinglius. est ... ponit significat

somnium narramus, quod ad nos attinet, quamvis leve non sit, quod per somnium didicimus gratia Dei, in cujus solius gloriam ista prodimus, vehementer turbare videbatur ibi, ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse, ater fuerit an albus nihil memini, somnium enim narro, qui diceret: Quin ignave respondes, qui Exod. 12. scribitur, est enim phase, id est transitus Domini; protinus ut hoc phasma visum est, simul expergefio et e lecto exsilio. Hanc Cinglianae apparitionis historiam repetunt Beza in creophag. et Lavaterus in histor. sacram. etc. Pareus libr. 3. de litera et sensu verborum Domini in eucharist. c. 9. p. 132. itidem statuit, *optimam et tutissimam interpretationem esse eam, quae copulam est exponit per significat.* (Atqui ostendimus superius, in copula *est* non posse tropum subsistere, quod agnovit etiam Piscator. De propositione nocturni monitoris dicetur suo loco.) 2. Oecolampadius corpus interpretatus est pro *signo seu figura corporis.* Hanc sententiam plerique ex Calvinianis amplectuntur vocantes metonymiam sacramentalem, qua signatum ponatur pro signo. **Tossanus in notis marginalibus ad verba coenae Matth. 26, v. 26: *Hoc, nimirum hic panis, quem coram oculis vestris fregi et comedendum praecepi, est corpus meum, id est sacrum signum,* Wahrzeichen, *et sigillum mei corporis.* Postea addit: *In his sacramentalibus propositionibus signum voce signati bona nominatur, non solum quia illud significat et veluti ante oculos sistit, sed etiam quia utrumque simul in vero usu accipitur et participatur.* Ita et de parte altera: *Hoc vinum, quod in calice est, est sacrum signum mei sanguinis, per quem novum testamentum, foedus scilicet gratiae, quod Deus cum hominibus fecit, obsignatur et confirmatur.*** (Atqui 1. haec explicatio praesupponit, τὸ δεικτικὸν *hoc* solum panem notare, de quo metonymice praedicetur corpus, hoc est signum corporis, sed contrarium demonstratum fuit superius. 2. Talis explicatio repugnat naturae sacramentorum Novi Testamenti quae non consistunt tantum in significando, sed in exhibendo rem ipsam, quam designant. 3. Vox corporis non potest aliter accipi quam de vero Christi corpore, additur enim *quod pro vobis traditur,* jam vero non signum corporis, sed verum Christi corpus, quod pro nobis in mortem traditum est. 4. Si panis et vini officium esse deberet significare tantum corpus et sanguinem Christi, cur sustulisset Christus sacramentum agni paschalis, quod significatione erat longe clarius, cum major convenientia sit inter mactationem agni paschalis et sanguinis effusionem cum sacrificio Christi in cruce, quam inter panem et Christi corpus, vinum et Christi sanguinem. 5. Nuspiam in tota Scriptura vox corporis accipitur pro signo corporis. 6. In parte coenae posteriore sanguis pro signo sanguinis foret accipiendus. Id quod fieri nequit, quia additur periphrasis veri sanguinis Christi, *qui pro vobis effunditur,* jam vero nec typicus aliquis sanguis, nec signum sanguinis, sed verus Christi sanguis est pro nobis effusus. 7. Quin imo ex hac adversariorum interpretatione absurdae emergerent propositiones. Matthaei verba ex illorum hypothesi sic erunt resolvenda: *hoc vinum est signum mei sanguinis,* cum vero eodem modo apud Lucam signatum pro signo sit accipiendum, talis evadet resolutio: *hoc poculum est signum novi testamenti in meo sanguine.* Paulinae quoque propositiones hac beabuntur analysi: *panis est communicatio corporis, id est signi corporis; vinum est communicatio sanguinis, id est signi sanguinis.* 8. Absurdum est aliter verba Christi accipere, aliter verba apostoli ex verbis Christi deducta. Jam vero apud Paulum 1. Corinth. 10, v. 16. vox corporis pro vero corpore accipitur consentientibus hac in parte adversariis. Ergo etiam in verbis Christi vox corporis pro vero corpore, vox sanguinis pro vero sanguine accipienda. 9. Metonymia illa sacramentalis destituitur idoneis exemplis, nondum enim vel ex Scriptura vel ex profanis auctoribus tales propositiones afferre potuerunt, in quibus signatum de signo praedicetur. Nemo enim unquam dixit: Fasces sunt imperium, toga est pax etc. 10. Metonymia illa signi pro signato secum ipsa conflictatur. Quod enim corpus notatur illis verbis, *edite, hoc est corpus meum,* illud et non aliud in sacra coena praesens est et cum pane editur. Atqui per metonymiam illam sacramentalem signum tantummodo corporis in verbis illis notatur. Ergo non ipsum corpus est praesens, sed signum tantum corporis, cur ergo gloriantur, se non tollere praesentiam corporis? 11. Hac ratione in verbis coenae propositio erit identica. Metonymia signati pro signo est, cum signatum exprimitur et signum intelligitur. In hac propositione, *panis est corpus Christi,* ex sententia adversariorum signatum exprimitur et signum intelligitur. Signum sacramentale est panis, signatum corpus Christi. Pone loco signati signum, et emerget haec propositio: Panis est panis.

3. Qui corpus explicant per μνημόσυνον corporis.

3. Oecolampadio affines sunt, qui corpus per *μνημόσυνον* corporis explicant, ut sit sensus: *accipite, edite, hoc est corpus meum, hoc est corporis mei μνημόσυνον seu commemoratio.* Horum meminit Lutherus in confess. min. quos verba coenae substantialia cum fructu ejusdem confundere liquido apparet.

4. Qui corpus exponunt per tesseram et sigillum.

4. Quidam intelligentes, nimis tenue esse per corpus intelligere tantummodo signum, figuram et monumentum corporis, addunt, intelligi *pignus, tesseram et sigillum corporis.* Polanus in symph. Catholica c. 17. p. 365: *Enuntiatio eucharistica, hoc est corpus meum, est figurata, cujus sententia est: panem eucharisticum esse sacramentum, mysterium, symbolum, typum, antitypum, figuram, signum, imaginem, similitudinem, memoriam, recordationem corporis Christi, seu quod eodem redit, significare, designare, ostendere, repraesentare corpus Christi.*

5. Qui corpus exponunt per efficaciam corporis.

5. Calvinus in defens. secunda adv. Westph. corpus accipit *pro efficacia corporis,* quem sequitur Ramus libr. 4. theolog. c. 8: *Metonymiae corporis et sanguinis pro adjunctis eorum bonis ac fructibus conjunguntur.*

6. Qui exponunt;

6. Joh. a Lasco in tract. de sacram.

Digitized by Google

X. 140. ecclesiae sic exponit: *Hoc est corpus meum, i. e. hoc est jus et usus in corpore meo; haec est communio, jus et societas mei corporis.* 7. Quidam speciose disputant, *panem esse non tantum signum significans, verum etiam instrumentum offerens et exhibens, respectu scilicet fidelium;* nequaquam enim agnoscunt sacramentalem corporis Christi mediante benedicto pane manducationem omnibus ad coenam accedentibus communem, sed spiritualem tantum solis fidelibus propriam, sicque itidem substantiam cum fructu coenae confundunt. 8. Quidam per vocabulum *corporis* synecdochice intelligi putant *corpus simul et animam, adeoque totam personam Christi*, cum tamen distincte manducationem sui corporis mediante benedicto pane et bibitionem sui sanguinis mediante benedicto vino Christus instituerit.

Hoc est jus in meo corpore.

7. Qui exponunt corpus pro instrumento offerente fidelibus corpus Christi.

8. Qui exponunt de toto Christo.

Ad classem tertiam logicam pertinent, qui in attributione improprietatem logicam statuunt.

85. Ad logicam classem pertinent, qui disputant, singula verba proprie quidem accipi, sed in ipsa attributione improprietatem tropicam latere. Zanchius de coena Domini c. 4: *Licet singula verba in illa oratione, hoc est corpus meum, in sua propria significatione accipiantur, ita ut de pane verum et essentiale Christi corpus praedicetur, ut re vera praedicatur; in ipsa tamen tota oratione aliquis tropus insit necesse est.* Crellius in logicis p. 132: *Multae sunt figuratae enuntiationes, in quibus tropus neque in praedicato, neque in copula poni potest, sed in tota attributione, id est respectu praedicati ad subjectum.* Bucanus loc. 48. p. 693: *Figurata est praedicatio* (inquit) *eaque non simpliciter metaphorica aut allegorica, sed metonymica.* Et postea: *Figurata praedicatio est non in singulis verbis, seorsim et in sese consideratis (panis enim est proprie panis et corpus non allegoricum, non tropicum, non figuratum, multo minus spectrum aut phantasma, non item corpus mysticum, quod est ecclesia, aut signum corporis, non meritum Christi, sed proprium Christi corpus denotat, omnino enim verum Domini corpus de vero pane enuntiatur), sed in tota attributione, quia copula duo disparata conjungit, quam sic resolvere licet: panis est symbolum seu signaculum corporis Christi. Sed rursum notandum est, non esse tantum locutionem figuratam, metonymicam aut significativam, quia languidius explicaret naturam mysterii, sed sacramentalem.* Keckermannus lib. 3. syst. theol. c. 8. p. 442. proponens has: *panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi, vocat propositiones relativas, item extrinsecas et analogicas praedicationes easque sic explicat: panis est corpus Christi, id est summa et sacra unio est inter panem et corpus, vinum et sanguinem Christi, nempe unio significationis et confirmationis.* Ibidem etiam refellit eos, qui tropum statuunt vel in copula vel in praedicato, vel in ipsa connexione, *sunt* (inquit) *nonnulli, qui fateantur, nec in praedicato, nec in verbo copulativo inesse tropum, sed in ipsa connexione praedicati cum subjecto. Verum haec sententia consistere non potest, quia omnis tropus est in verbis, nullus in rebus, res enim non sunt in potestate hominum, nec pendent ex loquentium instituto, ideo non possunt τρέπεσθαι, jam vero connexio seu unio extremorum in propositione est res, non vox, ergo in connexione non potest residere tropus.* Haec ille rectissime. Quidam cum in dictione aliqua simplici non possent tropum ostendere, excogitarunt duplicem metonymiam, *alteram, quae in singulis vocibus occurrat; alteram, quae in integris praedicationibus locum habeat, quando scilicet signatum de signo ob mutuam σχέσιν enuntiatur;* unde distinguunt *inter metonymiam et praedicationem metonymicam, illam dicunt esse dictionis, hanc vero integri sermonis.* Sed praedicatio illa metonymica in tota attributione est merum figmentum, cum non possint idonea ejusdem exempla monstrari. Goclenius una cum Keckermanno statuit, *propositiones quasdam improprias esse propter compositionis rationem impropriam, licet termini simplices proprie accipiantur,* ideo vocat *logice improprias*, quem solide refellunt Balthas. X.
Meisnerus part. 1. sob. philos. sect. 1. c. 5. q. 8. et Joh. Hesselb. antid. sect. 4. Nos hoc loco illud tantum monemus, propositiones illas, *panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi*, non esse ipsius Christi sive Scripturae, sed a doctoribus ecclesiasticis usurpatas, ideo de illis judicandum esse ex ipsa natura hujus sacramenti, unde dicuntur sacramentales. Verba Christi, *accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, non sunt obnoxia illis cavillationibus, cum δεικτικὸν *hoc* non solum panem, sed totum complexum denotet, cumque nec in aliqua propositionis parte, nec in tota attributione tropus monstrari possit. **Goclenus lib. 2. instit. logic. c. 8. *Improprium est, quod ratione compositionis est improprium.* Keckermannus lib. 2. syst. logic. cap. ult. figuratum ratione dispositionis sic definit: *Cum verbis propriis retentis praedicatum subjecto tribuitur, non ob internam et essentialem cohaerentiam, sed externam tantummodo relationem et unionem, distinguunt inter improprietatem λέξεως et συνθέσεως.* Atqui haec opinio 1. est nova, hactenus enim Quintilianus Philip. et omnes docuerunt, improprietatem sitam esse in eo, quod dictio a propria significatione in alienam vertatur; 2. est ficta ad salvandam θέσιν. Goclenius 4. probl. log. p. 101. Quin nolo amplius contendere cum quoquam de verbis coenae, cum corpus intelligi de corpore proprie dicto planum sit ex annexis, quod pro vobis datur, repeto quod dixi, esse attributionem impropriam; 3. est falsa: 1. Si enim in praedicatione vocabula omnia manent propria et tamen ipsa dicitur impropria, non amplius a suo, sed a peregrino denominabitur. 2. Ut se habent res, ita earum compositio. At res manent propriae. Ergo etiam earum compositio erit propria. 3. Tres illae mentis operationes simplicium apprehensio, compositio et divisio, ratiocinatio sic cohaerent, ut non aliter componam ac concepi, nec aliter ratiociner ac composui et divisi. Atqui res primo conceptu concepi proprias. Ergo etiam necesse est, ut proprio modo componam. 4. Relata realia non propter externam, sed internam σχέσιν talia dicuntur. Atqui signum

Digitized by Google

et signatum sunt relata realia. Ergo habent internam σχέσιν. Jam vero ex hypothesi adversariorum panis et corpus Christi habent se tanquam signum et signatum.**

Tropi in verbis. 86. Praeter hos tropos, quos omnes verbis Christi, *hoc est corpus meum*, *hoc est sanguis meus*, inferunt, etiam alios quosdam excogitarunt, quibus aliqua verba a genuino et proprio sensu detorquent. 1. Edite, bibite. 1. Verba *edite*, *bibite* nonnulli ad sola externa symbola referunt, quidam edere et bibere corpus et sanguinem Christi nihil aliud esse disputant quam credere, Christum corpus suum pro nobis in mortem tradidisse et sanguinem suum pro nobis effudisse; quidam denique duplicem significationem illis verbis tribuunt, ut de pane et vino proprie, de corpore et sanguine Christi metaphorice accipiantur. 2. Κοινωνία. 2. Vocem *κοινωνίας* apud Paulum 1. Cor. 10, v. 16. accipiunt metonymice pro efficaci tessera, symbolo seu pignore communionis nostrae in corpore et sanguine Christi. 3. Testamentum. 3. Vocem *testamenti* apud Lucam c. 22, v. 20. et Paulum 1. Cor. 11, v. 25. interpretantur per signum seu sigillum novi illius foederis confirmandi per sanguinem Christi metonymia subjecti. 4. Rei fiunt corporis. 4. Indigne manducantes *reos fieri corporis Christi* sic exponunt, quod rei fiant spreti seu contemti corporis Christi propter sacri signi abusum, quae glossa in bibliis Tigurinis ipsi textui est inserta.

Quidam dicunt, sese τὸ ῥητὸν retinere. 87. Quamvis vero tot ac tam variis tropis verba testamenti pervertant, quidam tamen affirmare non erubescunt, sese τὸ ῥητὸν in verbis coenae retinere. Pezelius in tract. de coena pag. 106. *literalem sensum aestimandum esse* dicit, *non ex proprietate* X. 142. *singularum vocum*, *sed ex cohaerentia et σχέσει praedicati et subjecti naturali ac propria.* Bucanus loco 48. pag. 695: *Est quidem in ipsis verbis τὸ ῥητὸν scilicet sacramentale retinendum.* Id postea sic explicat: *hoc ipsum sacramentale ῥητὸν dissimile est regularibus praedicationibus et interpretatione conveniente ad naturam sacramentorum leniendum. Nam in sacramentali locutione non tam litera seu sonus verborum quam διάνοια, hoc est sententia certa, sequenda est, quae scilicet cum natura sacramenti, quod Christus instituit, et cum circumstantiis omnibus institutionis et analogia fidei conveniat.* Huc etiam pertinent illi, qui clamant, se constanter retinere verba Christi, puta in sensu sacramentario, sive cum explicatione metonymica. Atqui hoc est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ, oppositum in apposito, si in verbis coenae non tam litera quam *διάνοια* sequenda, si metonymica explicatio illis inferenda, quomodo τὸ ῥητὸν verborum retinetur? inter ῥητὸν et διάνοιαν non datur aliquod medium testibus omnibus juris interpretibus et rhetoribus. Stante ῥητῷ facessit διάνοια, et contra; proinde peregrinam et alienam διάνοιαν ex proprio cerebro verbis coenae inferre nequaquam est τῷ ῥητῷ inhaerere et ex verbis proprie acceptis sensum haurire, sed is demum est sensus literalis, qui tunc emergit, quando subjectum et praedicatum in propria significatione retinentur.

88. Qua vero necessitate coacti, quibus argumentis moti a ῥητῷ in verbis coenae discedunt? 1. primo ac potissimum hoc urgent, *quod literalis sensus incurrat in articulum fidei de veritate corporis et sanguinis Domini, cum verum et naturale corpus non possit esse simul et semel in pluribus locis,* quod argumentum late deducit Bucanus loco 48. et seqq. et ante eum Sadeel de sacram. manduc. c. 4. pag. 317. Respondemus: 1. nos utrumque credimus, Christum habere et in aeternum retinere verum humanum corpus, et nihilominus id in sacra coena mediante benedicto pane manducari, cum utrumque Scriptura verbis propriis et perspicuis asserat. 2. Quaestio igitur est, an haec duo simul consistere possint, veritas scilicet corporis Christi et veritas praesentiae ejusdem in sacra coena? Nos affirmamus, adversarii negant, et ex affirmatione unius inferunt negationem alterius vitiose; exponant enim rationem, cur veritatem praesentiae in coena potius negent, quam veritatem corporis Christi, cum utrumque Scriptura adstruat, tam veritatem praesentiae quam veritatem corporis. Si dicant, veritatem corporis Christi esse articulum fidei, quaerimus, unde hoc sciant? utique ex Scriptura; atqui eadem Scriptura asserit, corpus Christi in coena vere praesens esse; ergo cum Scripturae credant vel videri velint credere in uno, cur fidem ei denegant in altero? 3. *At*, inquiunt, *haec sunt contradictoria: Christus retinet verum corpus, et tamen illud in coena praesens est, jam vero Deus non facit contradictoria.* Respondemus: urgemus denuo, ut exponant rationem, cur hanc partem contradictionis, videlicet veritatem praesentiae, malint negare quam partem alteram, videlicet veritatem corporis. Nullam certe rationem proferre possunt, quae sit solida et constans. ** Cum in colloquio Marpurgensi longa rixa esset de argumento philosophico ex ratione ducto, unum corpus non posse esse in diversis locis, refutabat id quiden Lutherus ex ipsa philosophia et Scholasticis, sed subjiciebat, *se non ejusmodi rationis argumenta, sed aperta firmaque Scripturae verba requirere; quodsi tamen omnino sic libeat, se ad condictam horam ex mathematica ad satietatem usque cum ipsis disputare velle; nunc tamen praedicere, hisce disputationibus in hac causa nisil posse effici, Scripturae testimoniis hic opus esse.* Wigandus in sacramentariismo ex consignatione cujusdam, qui colloquio Marpurgensi interfuit, f. 428. b. In eodem colloquio Lutherus dicebat: *Nos fundamenti loco ponimus verbum Dei, quod primo dicit, Christum habere corpus; hoc ego credo. Deinde dicit, illud ipsum corpus adscendisse ad coelos et sedere ad dextram Dei Patris; hoc etiam credo. Dicit praeterea verbum Dei, illud corpus in coena nobis manducandum dari, et hoc quoque credo. Dominus enim meus Jesus Christus facillime hoc, quod vult, praestare potest, quod vero praestare hoc velit, in suo verbo testatus est, cui ego firmiter acquiesco, donec ipse Christus diversum suo verbo mihi dicat. Ad*

Argumenta adversariorum contra τὸ ῥητόν: 1. Literalis sensus tollit articulum fidei de veritate humanae naturae in Christo.

Digitized by Google

haec Lutheri verba Cinglius et Oecolampadius nihil amplius ex Dei verbo proferre et respondere potuerunt, sed ad syllogismos et humanae philosophiae axiomata sese converterunt, Hist. August. confess. pag. 120. Wigandus de sacram. f. 428. a. Quodcunque Christus vult, promittit et facit, illud non repugnat veritati humanae ipsius naturae. Sed Christus vult et promittit dare et dat in coena suum corpus mediante benedicto pane manducandum. Ergo non repugnat veritati humanae naturae. Major est manifesta, nisi Christum sibi ipsi esse contrarium et naturam suam sua promissione et promissorum praestandorum veritate evertere velle impie dicamus. Minorem probant expressa institutionis verba. Sic verus homo est Christus, ut veracissimum sit os Christi, praesentiam corporis et sangui-
X. 143. nis sui in coena promittentis.** Nos igitur dicimus, judicium de vera contradictione in fidei articulis non esse committendum rationi humanae, quia multa nobis videntur *ἀδύναια*, quae tamen Deo factu sunt facillima. Cum Sarae videretur *ἀδύνατον* in effoeta aetate sterilem parere, quia sit contra naturam, rationem et experientiam, Deus ipsi hoc opponit Genes. 18, v. 14: *Num* פָּלֵא, *separatum a viribus, difficile vel impossibile est Deo quidquam?* ubi in verbo דָּבָר emphasis est, quod Deus, quaecunque promisit ac dixit, praestare etiam possit. Zach. 8, v. 6: *Sic dixit Dominus exercituum: Si difficile, vel mirum in oculis populi illius, an etiam in oculis meis difficile vel mirum fuerit?* Matth. 19, v. 26: *Apud homines hoc impossibile est* (camelum per foramen acus transire ac divitem salvum fieri), *sed apud Deum omnia sunt possibilia.* Luc. 1, v. 37: *Apud Deum non est impossibile omne verbum.* Ephes. 3, v. 20: *Deus potens est ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, superabundanter plus praestare potest, quam petimus aut intelligimus.* Ex his dictis manifestissimum est, judicium de vera contradictione in fidei articulis non esse committendum rationi humanae, sed ex Scriptura statuendum esse, quae vere sint contradictoria; jam vero Scriptura utrumque asserit, Christum scilicet habere verum corpus idemque in coena nobis manducandum dari; *captivemus ergo rationem sub obsequium fidei*, 2. Cor. 10, v. 5. et demus verbis ejus hunc honorem, ut credamus, ipsum, quod promisit, praestare posse, quod non dat corporis proprietas, id dat Christi omnipotentis veritas. 4. *At*, inquiunt, *distinguendum est inter rationem renatam et non renatam.* Quaerit Bucanus, *num rationi humanae et philosophiae principiis in iis, quae asseruntur de corpore Christi, sit plane derogandum?* cui quaestioni respondet negative p. 711: *Quatenus ratio humana post regenerationem spiritualis facta verum testimonium creaturis perhibet et vera principia de humani corporis propriis asserit. Scriptum est enim, ne sitis sicut equus et sicut mulus, quibus non est intellectus* Psalm. 32, v. 9. *et praeterea omnis veritatis in logicis, ethicis et physicis Deus est auctor.* Respondemus: ratio renata de articulis fidei statuere et judicare debet ex verbo Dei, alias desinit esse renata, ut ostendimus in tract. de interp. Scripturae §. 176. Christus dicit: *accipite, comedite, hoc est corpus meum;* si ratio contra hoc Christi verbum ex suis principiis disputat, non amplius renata est, sed suum sequitur ductum, sua principia, ac tam non audienda est, quam non audiri debet philosophus contra resurrectionem corporum disputans ex principio illo physico: *Nullum individuum, quod semel interiit, idem numero redire potest.* 5. *At*, inquiunt, *ratio contra praesentiam substantialem corporis Christi in coena disputans non nititur suis principiis, sed Scripturae pronuntiatis de veritate corporis Christi.* Respondemus: non in uno solum debet audire Scripturam, quod scilicet Christus habeat verum corpus, sed etiam in altero, quod scilicet verum illud corpus Christi in sacra coena sit praesens; si unum alteri opponere velit, non amplius est renata ratio. Quemadmodum non sunt audiendi Manichaei et Marcionitae negantes veritatem corporis ex eo, quod Christus corpore suo ambularit super aquas, quod
factus fuerit invisibilis et pluribus in locis uno eo- X. 144.
demque tempore praesens sit; ita quoque non debet audiri humana ratio contra praesentiam corporis in coena disputans ex veritate humanae naturae. 6. Res igitur eo redit: axioma illud, *corpus naturale non est simul et semel in pluribus locis praesens*, est pronuntiatum philosophicum. Valet ergo et procedit in philosophia. Agit autem philosophia de cursu naturae ordinario sive de potentia Dei ordinaria. Quam vero absurdum est dicere, Deum non posse aliquid agere supra naturam, tam etiam absurdum ex pronuntiato hoc philosophico corporis Christi praesentiam ex sacra coena excludere. Ex quibus omnibus patet, non dubitari de veritate propositionum in syllogismo, sed de principii applicatione. Non quaeritur, an per naturam fieri possit, ut corpus unum sit in pluribus locis, nec quaeritur, an Christi corpus sit verum corpus; sed hoc quaeritur, an his omnibus concessis recte inferatur, Deum non posse facere, ut verum Christi corpus sit in coena praesens? Si dicas: natura corporis id non admittit, est enim finitum; quaero: unde scis? certe ex solis principiis rationis. Scriptura enim nuspiam hoc asserit, quod praesentia in sacra coena pugnet cum veritate corporis, quin imo non solum hoc non dicit, sed etiam contradicit. Vides ergo ultimam argumenti resolutionem, redire ad pronuntiatum ex principio rationis deductum atque illud opponi verbis Christi in institutione sacrae coenae prolatis. 7. Ut autem evidentius appareat, non debere opponi pronuntiata philosophica verbis Christi, expende haec ipsorum adversariorum dicta: Calvinus libr. 3. instit. c. 23. sect. 4: *Indignum est ad eam legem Dei opera redigere, ut simulac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* Sadeel in praefat. oper. theolog. de methodo disputandi: *Nos de theologia ex principiis theolo-*

Digitized by Google

gicis disputandum esse ex ipsa theologia didicimus, et ita *faciendum esse vel ex ipso τρόπῳ παιδείας affirmamus*, *qui vetat μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος et vagari extra artem illius scientiae, de qua disserendum susceperis.* Et postea: *Cum theologia sit supra omnes scientias, eam subjici principiis philosophicis non ineptum modo, verum etiam iniquissimum est atque indignissimum.* Idem de verit. hum. nat. c. 3: *De divinis mysteriis non est ex philosophorum regulis pronuntiandum.* Zanchius lib. 3. de nat. Dei c. 2. q. 1. p. 256: *Neque enim, quae fide credimus, aut sub sensum cadunt aut lumine naturalis intellectus percipiuntur.* lib. 5. c. 2. pag. 621: *Verbum Dei et humana prudentia semper inter se pugnant.* Martyr classe 2. locor. c. 1. §. 25: *Primum id quod credi volumus, ostendi debet ex sacris literis, deinde si id assequi non possumus, fide nitemur, rationem seponemus.* Aretius part. 1. problem. 2. p. 7: *Quae est ista petulantia, divina mysteria communibus naturae legibus obnoxia facere, quae cum sint omni rationi humanae inexplicabilia, adoranda potius quam ventilanda.* Wolffg. Musculus in locis p. 176: *Secularis literatura non sit magistra religionis ac fidei, sed famula; nec vindicet sibi titulum verae sapientiae, sed habeatur suo loco sitque infra Scripturam divinam serviliter abjecta.* Beza in epigramm. pag. 249:

Quae voce nobis prodidit Deus sua,
Ratione sciri non queunt humanitus.

Mornaeus praefat. lib. de verit. relig.: *Tantum abest, ut humana ratio fidei sit mensura, ut ne naturae quidem propter ignorantiam et pravitatem esse possit.* lib. 8. de verit. relig. c. 28: *Taceat homo oportet, cum Deus loquitur, acquiescat, cum decernit.* praefat. lib. de euchar.: *Thomas doctrinam sacram directe ad Scripturam restringit, quam hoc ab illis abhorrens, qui ex philosophia aliarumve disciplinarum principiis disputare volunt contra illam logicae regulam, μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, cum secundum verae logicae usum nostra ratiocinatio e principiis unius scientiae theoremata ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat.* Danaeus in elench. haeret. p. 8: *Theologiae materia tam augusta tamque sublimis est, ut ex Aristotelicorum et Dialecticorum regulis et judicio minime sit approbanda, quando omnium hominum sensum et captum longe superat, Dei enim mentem continet et explicat, illam quidem arcanam et antea toti mundo incognitam, quae a solo homine spirituali intelligi potest, nullis autem humanae*
X. 145. *philosophiae vel rationis fundamentis nititur* etc. Witakerus praefat. controv. de Script.: *Humanae rationes et testimonia, si quis eis nimium et praepostere utatur, instar sunt armorum Saulis, quae Davidem non modo non adjuvant, sed ineptiorem etiam ad pugnandum reddunt.* Idem in libro contra Rainoldum c. 8. p. 261: *Argumentum illud, quod in rebus fidei et religionis rationi soli innititur, ingenue fatemur, in Domini militia telum illicitum esse. Quidquid ergo contra philosophiam et rationem dixerunt, quando a fide abhorret, quam in Scripturis discimus, totum illud laetis animis excipimus.* Bucanus de disp. theolog. aphor. 11: *In religionis controversiis desumta tantum ex libris authenticis, propheticis et apostolicis principia, confirmationes et argumenta proferantur. Taceat autem mulier in ecclesia, id est hominum philosophia.* Haec omnia verissime dicuntur, at utinam ab adversariis in hac quaestione observarentur! 8. Piae mentes etiam hoc cogitent, quod potuerit humana Christi natura salva ejusdem veritate et finitate assumi in infinitam *Λόγου ὑπόστασιν*, quomodo igitur Christi corpus salva ejusdem veritate non possit etiam in coena esse praesens? 9. Natura cujusque rei soli Deo perfecte cognita est, nos nec Dei potentiam, nec rerum naturam perfecte in hac vita cognoscimus, unde quidam ex Scholasticis disputant, divina virtute fieri posse, ut quodvis corpus etiam mere naturale, sit simul in pluribus locis Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. part. 8. c. 12: *Qui locum fecit, corpus fecit, et locum in corpore, et corpus in loco, et qui fecit, ut unum corpus in uno loco esset, fecit, sicut voluit, et si voluisset, aliter facere potuisset, nam et quando vult aliter, facit, et est, sicut ipse semper vult.* Scotus lib. 4. sent. dist. 11. qu. 2. movet quaestionem: Utrum idem corpus possit localiter simul esse in diversis locis? *Hic*, inquit, *tenetur a multis conclusio negativa, sed diversi diversimode probant.* Et post recitata aliquot doctorum et sua quoque argumenta subjicit: *Contra istam opinionem* (negativam) *hoc sufficit in genere, quod quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas vel contradictio evidenter concluditur.* Et post refutata argumenta contraria: *Dico ergo ad quaestionem, quod est maxime mihi certissimum, quod Deo est possibile omne, quod non evidenter includit contradictionem et ad quod non sequitur necessario contradictio. Hoc est hujusmodi, ergo est Deo possibile, ut patebit solvendo rationes. Dico ergo, quod Deo simpliciter est possibile, idem corpus simul facere in diversis locis localiter, hoc patet ex intellectu terminorum* etc. Gabr. Biel lib. 4. sent. dist. 11: *Non solum in diversis locis potest esse corpus Christi definite et sacramentaliter, sed etiam et ipsum et aliud corpus quodlibet esse potest per divinam potentiam in pluribus locis circumscriptive.* Franc. Mayronius lib. 4. sent. dist. 11. qu. 4: *Utrum Deus facere potest, quod idem corpus sit ubique? Dico quod sic, quia quandocunque est aliquid determinatum ad unum, si sit indeterminatum ad plura ejusdem rationis, eadem ratione ad quaecunque se extendit. Cum igitur unum corpus non determinet, sibi unum locum numero, sequitur, quod omnia poterit occupare divina virtute. Sed hoc est difficile, si potest esse in locis infinitis? Dico quod sic; sed contra, quia est infinitum? dico quod non sequitur, tum quia hoc fit divina virtute, tum quia ratio localis est ex-*

Digitized by Google

trinseca. Haec illi. Quantae igitur proterviae fuerit omnipotentiae divinae hoc derogare, quod non possit glorificatum et λόγῳ personaliter unitum corpus in sacra coena praesens nobis sistere? De natura corporis Christi disputaturo opus est perfecta glorificatorum corporum cognitione, quae, quia in hac vita non conceditur, non potest rectius et verius de corpore Christi cogitari, quam si sequamur ductum verbi. De natura corporis Christi disputaturo etiam opus est perfecta unionis personalis et majestatis, ad quam Christus secundum humanam naturam est evectus, cognitione, quae cum itidem in hac vita non concedatur, tutius est sequi Scripturae lucem, quam caecae rationis tenebras. 10. Est itidem contra regulas physicas, quod corpus hominis naturale penetret lapidem, clausas ingrediatur fores, sedeat ad dextram Dei etc. haec tamen omnia de
X. 146. Christi corpore affirmantur. Ambrosius de iis qui initiantur mysteriis c. 9. tom. 4. p. 427: *Praeter naturae ordinem virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex virgine est, quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine.* 11. Deus vim ac terminos naturae dedit, interim tamen potentiae suae terminos non posuit. Cadaver igitur est consequentiae, non vera illatio. *Jure naturali verum corpus non est in pluribus locis. Ergo nec divina potentia.* Quin imo:

Naturae dominus Deus est, natura ministra est,
quam fas est Domini jussa verenda sequi.

Scaliger exerc. 5. sect. 6. disputat, quare corpus naturale non possit esse in pluribus locis, sed mox addit: *De naturali corpore sermo est, non de super coelesti synaxi.* exerc. 16. sect. 2: *Quae supra leges naturae, ex naturae legibus non sunt judicanda.* exerc. 365. sect. 3: *Angusta rationis nostrae decempeda immensos religionis nostrae agros metiri non possumus.* sect. 9: *Interest et nostrae pietatis et Dei immensitatis ea sentire, quae sentire non possumus, sentire quidem in ipso, per ipsum, quae per nos sentire nequeamus.* Id ipsum ex aliis, etiam profanis philosophis demonstrari posset. 12. Si rem recte expendere velimus, quatuor termini sunt in hoc argumento adversariorum. Nullum corpus naturale est in pluribus locis; Christi corpus est naturale. Ergo. Major enim loquitur de corpore mere humano, Christi autem corpus non est mere humanum, sed ipsius Λόγου proprium corpus personaliter ei unitum. Major loquitur de corpore naturali quatenus tali, hoc est quatenus consideratur ex principiis et proprietatibus essentiae suae, jam vero quod Christi corpus dicitur esse praesens in coena, id non asserimus fieri ex quadam corporis proprietate, sed ex Christi promissione et divina efficacia. Argumentum igitur concludit de jure naturali, quod scilicet vi aliqua naturae non possit unum corpus esse in pluribus locis; atqui quod corpus Christi in coena praesens adesse statuimus, in eo infinitam Dei potentiam agnoscimus et praedicamus. Probare deberent adversarii, Deum non habere ullum alium modum quam naturalem, quo corpus Christi praesens sistere possit. 13. Denique observandus est circulus, quem committunt adversarii in suis argumentis. Quaeritur, sintne verba sacrae coenae intelligenda κατὰ ῥητόν? negant, quia corporis proprietas repugnet. Rursum si quaeras, possitne Christus, cum sit non solum verus homo, sed etiam verus Deus, corpus suum praesens in coena sistere? negant, quia non velit, unde emergit argumentatio circularis et principii petitio. Nos contra, voluntatem Christi ex verbis testamenti discimus, facultatem praestandi, quod promisit, ex omnipotentia ipsius divina et collocatione ad dextram Dei demonstramus. Si ergo dicatur, esse contra naturam corporis, ut sit in pluribus locis praesens, respondebit pia mens, imo est contra naturam Christi et verborum ejus fallacibus ac variis promissis ludificari Christianos. Fulgentius lib. 1. ad Monim. p. 24: *In Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas.*

89. 2. Τὸ ῥητὸν verborum coenae etiam *cum articulo de Christi ad coelos adscensione pugnare* asserunt, ideoque merito deserendum esse. Witakerus qu. 5. c. 9. de Scriptur. et reliqui fere omnes. Respondemus: 1. Utrumque asserit Scriptura, Christum suo corpore adscendisse ad coelos et verum Christi corpus in sacra coena praesens esse, utrumque igitur in vera fidei obedientia acceptamus. 2. Articuli fidei verbis propriis, claris et perspicuis in Scriptura propositi non debent sibi invicem opponi. Sicut essentiae unitas non est opponenda Trinitati personarum, quamvis ratio nostra haec duo opposita esse judicet, nec aliter judicare possit; ita Christi ad coelos adscensio non est opponenda praesentiae corporis et sanguinis ejus in coena, licet ratio nostra itidem haec duo opposita esse judicet, nec aliter judicare possit, nimirum quia utrumque Scriptura asserit, Deo igitur et verbo ipsius hunc debemus honorem, ut credamus utrumque, licet comprehendere nulla ratione possimus, quomodo haec simul consistere possint. Ille ipse, qui vere in coelum X. 1
corpore suo adscendit, in sacrae coenae institutione dixit: *Edite, hoc est corpus meum*, et hic veritas est et illic. Ex Scriptura igitur ostendendum, articulum de adscensione in coelum pugnare cum articulo de reali praesentia in sacra coena. 3. Nullus unquam ex veteribus articulum adscensionis opposuit praesentiae corporis in sacra coena, quin imo diserte docent, non obstante adscensione ad coelos corpus Christi vere praesens esse. Chrysostomus homil. ad pop. Antioch.: *Quemadmodum Elias, cum corpore adscenderet in coelum, melotem dimisit Elisaeo discipulo suo; ita Christus Dei Filius cum adscenderet, carnem suam nobis dimisit.* ** Ipse Calvinus veritate impulsus scribit in comm. c. 1. ad Ephes.: *Qui a sessione Christi ad dextram Dei argumenta ducit contra praesentiam Christi in sacra coena, is prave facit.* Idem in c. 6. Joh.: *Humilis et abjecta Christi conditio, quam oculis cernebant, cum carne indutus nihil ab hominum vulgo differret,*

2. Li sens pugn cum ticul adsc sion

Digitized by Google

*illis obstaculo erat, ne divinae ejus virtuti locum darent. Nunc vero subducto velo ad coelestis suae gloriae respectum eos revocat, ac si diceret: Quia inter homines sine honore versor, vobis sum contemtui, nec quidquam in me divini agnoscitis. Atque paulo post fiet, ut Deus magnifica virtute me ornatum ab hoc contemtibili mortalis vitae statu super coelos extollat.*** 4. D. Lutherus contra adversarios urget institutionem factam ante adscensionem in coelos. Ergo (inquit) saltem in prima coena verba *κατὰ ῥητὸν* intelligenda erant, quia tum nondum contigerat adscensio in coelos. 5. Paulus 1. Cor. 11, v. 23. et seqq. repetit verba coenae, postquam Christus jam ante quinquaginta quatuor annos in coelum adscenderat, repetit autem eodem modo, quo a Christo primum tradita, ab evangelistis annotata et a Christo ipso ad dextram Patris regnante erant dictata. Ergo articulus de adscensione ad coelos non cogit nos, ut a literali verborum sensu recedamus. 6. Christus etiam post suam in coelos adscensionem in terris apparuit, Actor. 9, v. 5. c. 23, v. 11. 1. Cor. 15, v. 8. Apoc. 1, v. 13. (apparuit autem suo ex Maria virgine assumto, non alio novo formato corpore, ut aliquando scripsit Zanchius lib. 2. de nat. Dei c. 6. p. 138. sed postea rectius edoctus et admonitus correxit), ergo adscensio in coelos non impedit veram corporis praesentiam in sacra coena. 7. Christus ita adscendit in coelum, ut adscenderit etiam super omnes coelos et consederit ad dextram Dei, hoc est secundum explicationem Augustanae confessionis art. 3. *ut potenter regnet et dominetur omnibus creaturis.* Haec explicatio petita est ex ipsa Scriptura Psalm. 8, v. 7. Matth. 28, v. 18. Ephes. 1, v. 20. c. 4, v. 10. et 1. Cor. 15, v. 25. etc. secundum hanc potentiam, quae Christo juxta humanam naturam ad dextram Patris exaltato data est, potest omnia sibi subjicere Philipp. 3, v. 21. secundum eandem ergo et corpus suum nobis in coena manducandum dare potest. Ubi observa, adscensionem Christi ad coelos in sacris literis non tantum describi abstracte et distincte, ut sit solus adscensionis motus, quo corpus Christi locali *μεταστάσει* e terra evectum ac subinde ad coelos altius elevatum (qua ratione adscensio et exaltatio Christi distinguuntur), sed etiam concrete et conjuncte, ut adscensio simul complectatur exaltationem Christi ad dextram Dei. Quare cum post adscensionem juxta carnem Christus evectus sit ad omnipotentem et omnipraesentem dextram Dei, ergo ab adscensione, quae a sessione ad dextram Dei non est separata, nequaquam licet argumentari ad infirmitatem aliquam et omnimodam carnis Christi absentiam, sed contrario potius modo ad infinitam ejus majestatem et effectus divinae virtutis. 8. Unde recte scribit Bucerus: *Cum coeli, ad quos Christus adscendit, sint supra omnes coelos, equidem non ausim illos definire nisi Scripturae verbis, non nostrae rationis praedicamentis. Scripturae autem illos non nisi majestate et virtute definiunt, non locorum intercapedinibus, clareque attestantur, eos in cor hominis non adscendisse.* Marloratus in c. 27. Matthaei: *Coelum, in quod Dominus noster adscendit, invisibilis Patris gloria est et inaccessa lux divinitatis.* 9. *Ἀνακολούθησις* ergo est in argumento adversariorum, cum procedat a negatione unius modi praesentiae ad negationem omnis modi praesentiae, a non dis- X. 148.
tributo ad distributum; corpus Christi eo modo, quo in coelo est, in sacra coena non est praesens, at ex eo non potest inferri, quod nullo modo in sacra coena praesens sit. Bonaventura lib. 4. sent. dist. 10. p. 1. q. 3. ex Innocentio: *Quemadmodum Dei Filius secundum divinitatem habet triplicem modum essendi: in omnibus per essentiam, in justis per gratiam, in Christo per unionem; sic corpus Christi localiter est in coelo* (dextre id intelligendum, ut alibi exponitur), *personaliter in verbo, sacramentaliter in altari.* Luc. 24, v. 44. Christus post resurrectionem suam ad discipulos dicit: *Haec locutus sum vobis, cum adhuc vobiscum essem*, ostendens, plures praesentiae modos etiam secundum humanam naturam sibi competere. Distinguit enim illam carnalem et visibilem praesentiam, qua ante passionem cum eis fuerat familiariter versatus, a nova illa post resurrectionem praesentia, quae tamen adhuc plurimum differt ab ea, qua in extremo die in summa majestatis et gloriae demonstratione adveniet. Ex quo etiam intelligitur, cur D. Lutherus in confess. majore inter fundamenta nostrae sententiae referat etiam illud, quod Deus praeter localem et circumscriptivum plures modos habeat, quibus praesens alicubi esse possit. 10. Nec est, quod urgeant adscensionem ad coelos definiri per transitum Christi ex hoc mundo, Joh. 13, v. 1. additur enim *quod transeat ad Patrem*, quem certo loci cujusdam intervallo concludi nemo dixerit, transitus ergo Christi ex hoc mundo non tam loci permutationem, quam majestatis divinae plenariam usurpationem, ingressum in gloriam et occupationem regni coelestis ad dextram Patris significat. Qualis enim est egressus Filii a Patre in hunc mundum, talis est etiam ejusdem exitus seu abitus ex mundo et reditus ad Patrem, propter mutuam relationem. At egressus Filii a Patre in hunc mundum non significat loci mutationem, sed exinanitionem ac majestatis divinae cum summa humiliatione permutationem, quia semper apud Patrem mansit; ergo etiam abitus ex mundo ad Patrem non proprie loci mutationem, sed conditionis servilis cum glorioso regno commutationem significat. Plura ad argumenti hujus explicationem afferri poterant, sed ea proprie pertinent ad articulum de adscensione Christi ad coelos eandemque secuta ad dextram Patris sessione.

3. Verba coenae κατὰ ῥητὸν accepta inferunt transsubstantiationem.

90. 3. *Verba coenae κατὰ ῥητὸν accepta inferunt transsubstantiationem.* Respondemus: 1. Christus non dicit, panis est corpus, sed in distributione benedicti panis dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Id quod vobis mediante benedicto pane distribuo, est corpus meum, quae loquendi ratio in communi etiam vitae consuetudine observatur,

quando duae res modo quodam unitae simul denotantur et exhibentur, ut principalior et sensui minus obvia in praedicato exprimatur. 2. Pontificii transsubstantiatores a verbis Christi plane discedunt, neque enim constanter affirmare possunt, quid per τοῦτο intelligendum veniat, unde quidam vocant *individuum vagum.* 3. Nec dicit Christus, panis mutatus est in corpus meum, vel ex pane factum est corpus meum, quod aliquo modo ad transsubstantiationem torqueri posset, sed in distributione benedicti panis dicit: *Hoc est corpus meum.* 4. Quamvis vero propositionem illam, *panis est corpus Christi*, a doctoribus ecclesiasticis usurpatam non simpliciter improbemus, ea tamen a verbis Christi distinguenda est, in quibus τὸ δεικτικὸν *hoc* non solum panem, sed totum complexum notat, ut recte monuerunt nostri in colloquio Maulbrunnensi. 5. Quando apostolus subjecti loco ponit panem, non praedicat de eo directe sive in casu recto corpus Christi, sed communicationem corporis Christi. 6. Haec ergo propositio *panis est corpus Christi* accipienda est sacramentaliter. Panis est corpus Christi non essentialiter, nec figurate vel significative tantum, sed sacramentaliter, hoc est propter unionem sacramentalem, quae quomodo comparata sit, ex verbis institutionis discendum. Habet autem unio sacramentalis panis et corporis, vini et sanguinis Christi cum unione personali duarum naturarum in Christo hoc
X. 149. commune, ut panis sacramentaliter dici possit corpus Christi, sicut Christus homo dicitur Deus personaliter. Ut enim duae naturae in Christo sunt una persona et constituunt unum personale; sic panis et corpus, vinum et sanguis Christi mystice uniuntur et constituunt unum sacramentale, unde nascitur unio sacramentalis, ex qua ipsae etiam propositiones sacramentales dijudicandae. De tota hac re suo loco plura.

4. Propositiones sacramentales sunt sacramentaliter explicandae.

91. 4. *Propositiones sacramentales sunt sacramentaliter intelligendae. Verba coenae, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, sunt propositiones sacramentales. Ergo sacramentaliter, hoc est metonymice, figurate et significative, sunt intelligendae.* Beza part. 2. resp. ad Hoffm. p. 205: *In omnibus sacramentis commune est, ut signum signato et contra μετωνυμικῶς tribuatur*, quae regula perpetuo in ore omnium adversariorum. Bucanus loco 48. p. 707: *Nullum sacramentum sine tropo plene explicari et intelligi potest. Est enim in omnibus sacramentis usitatissimum, ut nomen rei significatae ipsi signo tribuatur vel signum a re signata denominetur.* ** Alstedius in praecogn. theol. lib. 2. c. 103. p. 191: *Si verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, profecto oportebit verba loquentia de sacramentali materia sacramentaliter intelligere.*** Respondemus: 1. Carolstadius, quem Dn. Philippus Melanthon *primum auctorem hujus tragoediae* appellat, negabat, utendum esse voce sacramenti de coena Dominica, quem D. Lutherus in libro contra coelestes prophetas diligenter refellit. Sed et Sadeel lib. de mand. sacram. p. 190. vocem sacramenti de baptismo et coena in Scripturis usurpari negat, quomodo igitur ex appellatione sacramenti contra nos argumentari possunt? 2. Si dicant, non tam de voce sacramenti, quam de re ipsa quaestionem esse, quod scilicet verba coenae eo modo intelligenda sint, sicut in reliquis sacramentis intelliguntur, respondemus, de quolibet dogmate judicandum esse ex propria sede, non patiemur igitur a verbis Christi ad peregrina loca nos abduci. 3. Libenter damus verba Christi, *hoc est corpus meum*, *hoc est sanguis meus*, esse propositiones sacramentales ac proinde esse sacramentaliter intelligendas, id est ex unione sacramentali judicandum de modo praedicandi sacramentali; sed quod additur, sacramentaliter nihil aliud esse quam metonymice, figurate et significative, id vero negamus, quia ex verbis institutionis discimus, unionem corporis Christi cum pane non constistere in nuda significatione, sed in eo, quod mediante benedicto pane corpus Christi vere praesens nobis manducandum exhibeatur; sic enim Christus loquitur: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, et apostolus: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi.* 4. Doctrina generalis de sacramentis nuspiam generaliter traditur in Scripturis, sed quodlibet sacramentum habet propriam institutionis sedem, ex iis vero quae omnibus sacramentis ex aequo convenire intelliguntur, generalis doctrina de sacramentis colligenda est. Quod ergo sacramentalem analogiam, ad quam toties adversarii provocant, attinet, notandum est, eam esse duplicem: vel enim respicit sacramentum integrum, vel sacramenti partem. Analogia sacramenti integri ad finem et usum spiritualem eadem est in sacramentis V. et N. Testamenti, ut enim idem auctor omnium sacramentorum, ita quoque idem finis generalis omnium sacramentorum. Sed analogia partium sacramenti non est eadem in V. et N. Testamenti sacramentis, quia scilicet σχέσις seu relatio inter rem terrenam et coelestem in illis non est eadem. Symbola externa in sacramentis V. T. fuerunt tantum σημαντικὰ rei coelestis, sed in sacramentis N. T. symbola externa sunt μεταδοτικὰ et προσφερόμενα rei coelestis, ut suo loco ex Col. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. plenius ostendimus. 5. Denique confictae adversariorum regulae, quod sacramentales propositiones metonymice et figurate sint exponendae, opponimus hanc regulam, quod in mysteriis verba proprie et sine tropo in- X. 150.
telligenda sint, si vel maxime contineant res supra captum humanae rationis positas, alias namque desinerent esse mysteria; jam vero sacramentum coenae Dominicae est summum et, ut veteres loqui consuevere, *tremendum* religionis nostrae mysterium. Ergo.

Propositiones sacramentales in specie examinantur. 1. Circumcisio est foedus.

92. Age vero in specie expendamus propositiones sacramentales, quas non nisi metonymice, figurate et significative accipiendas atque ex iisdem de verbis coenae judicandum esse arguunt. 1. Circumcisio vocatur *Dei foedus* Gen. 17, v. 10. id versu sequente sic exponitur, quod sit *signum foederis.*

Digitized by Google

Respondemus: Sacramentum circumcisionis verbum institutionis et promissionis gratiae includebat, ac qui circumcidebantur, in foedus Dei recipiebantur; igitur tam vere circumcisio in V. T. erat Dei foedus, quam vere baptismus in ecclesia N. T. est lavacrum regenerationis et stipulatio bonae conscientiae erga Deum. Quod vero dicitur signum foederis, id Rom. 4, v. 10. sic exponitur: *Abraham accepit signum circumcisionis, σφραγῖδα δικαιοσύνης τῆς πίστεως;* fuit ergo signum non tantummodo significans, sed etiam obsignans foedus et gratiam, ac proinde est descriptio totius sacramenti a fine et effectu. Per circumcisionem infantes Israëlitici in foedus Dei recipiebantur, hoc respectu circumcisio dicitur foedus Dei. Per circumcisionem adulti confirmabantur in fide gratiae, et foedus Dei ipsis obsignabatur, hoc respectu circumcisio dicitur signum foederis. Nulla igitur confingenda est sacramentalis metonymia, qua signati nomen pro signo ponatur, sed vere et proprie de integro sacramento spiritualis fructus praedicatur, quod scilicet circumcisio sit foedus Dei respectu infantum et signum sive sigillum foederis respectu adultorum. Quidam statuunt, in hisce propositionibus: circumcisio est foedus et circumcisio est signum foederis, non esse utrobique idem subjectum, cum in priore circumcisio accipiatur pro integro sacramento, in posteriore vero pro parte tantum sacramenti, videlicet pro externa praeputii amputatione ac nota carni impressa; sed prior explicatio ex textu apostolico desumta videtur simplicior et convenientior. Quodsi vel maxime probatum esset ab adversariis, rei terrenae in sacramento circumcisionis per metonymiam sacramentalem tribui rem coelestem, nondum tamen evictum foret, etiam in sacramentis N. T. nullam esse aliam rei terrenae et coelestis unionem quam significativam propter diversam rationem sacramentorum V.ᵗ et N. T. suo loco demonstratam.

2. Agnus est transitus. 2. *Agnus est transitus* Exod. 12, v. 11. id quod sic exponitur Exod. 13, v. 9: *Agnus est signum transitus.* Respondemus: nocturnus Cinglii monitor per principii petitionem accipit utramque propositionem, cum neutra in textu exstat. *Fontes veritatis*, sicut Hieronymus in prologo ecclesiastico textum Hebraeum nominat, sic habent: *Comedetis festinanter* פֶּסַח הוּא לַיהוָה, pesach ipse Domino; פֶּסַח proprie significat transitum et transitionem, quia respectu regni Aegyptiaci Dominus transibat per omnes ejus angulos, respectu aedium Israëliticarum transilibat vel praeteribat; redditur igitur in his verbis ratio praecepti de manducatione festinanda, ideo scilicet festinanter comedendum esse agnum, quia parum superfuturum sit temporis Domino per Aegyptum transeunte, ut ipse Pelicanus explicat Exod. 12, v. 34. Cinglius vocem הוּא ad objectum actionis refert hoc sensu: Agnus est transitus Domini; Cinglium sequitur Johann. Piscator in Analys. c. 26. Matth. sed nec litera in textu hoc affirmat, nec sententia verborum admittit, toto enim genere praedicamentali distant agnus et transitus Domini, nec ullus hic est significationi locus, cum inter agnum et transitum nulla sit similitudo, ordinatio aut collatio. Etsi enim agnus paschalis vel tota ejus tractatio fuit typica significandi vim habens, ea tamen significatio non ad transitum Domini, sed ad Christum immolandum et fide manducandum directa fuit. D. Rungius in c. 12. Exod. Ceterum cum de פֶּסַח *μνημονευτικῷ* ejusdem transitus Num. 9, v. 2. 2. Paral. 30, v. 1. Matth. 26, v. 1. usurpetur, ideo X. 151.
quidam propositionem sic interpretantur, *hoc est* פֶּסַח *Domino*, id est hic ritus mactandi et manducandi agnum est singulare sacramentum et sancta festivitas Domino, quo spectat paraphrasis Chaldaica *est phase coram Domino.* Neutra interpretatio metonymiam sacramentalem adversariorum quidquam juvat. ** *Si vel maxime recipiatur illa propositio, agnus est pascha, nihil tamen praejudicare poterit nostrae sententiae. Explicari enim ea ex v. 27. et dici potest, in praedicatione* פֶּסַח הוּא לַיהוָה *ipse, agnus scilicet est transitus Domini, esse ellipsin prioris substantivi ad vocem* פֶּסַח *subaudiendi, quae ellipsis completur v. 27. ubi haec habentur verba* זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה *ipse agnus est sacrificium transitus seu paschale Jehovae. Probatur haec interpretatio: 1. ex Spiritus sancti explicatione. Quae explicatio habetur in ipso textu alicujus loci, illa non est respuenda. At haec talis est. Ergo. 2. Ex similium exemplorum collatione, ubi scilicet substantivi in regiminis statu positi est manifesta ellipsis. Ruth 3, v. 15: Et mensus est sex hordea, id est sex mensuras hordeorum. Esth. 5, v. 1: Et induta fuit Esther regno, id est indumento regni. 2. Reg. 18, v. 31: Comedite quisque vitem suam, id est fructum vitis suae. Job. 32, v. 19: Ecce venter meus est sicut vinum, id est uter vini. Praesertim autem 2. Paral. 30, v. 22. habetur, quod huic loco apprime congruit: Comederunt solennitatem, id est sacrificia solennitatis; aeque ac Exod. 12. dicitur, agnus est pascha, id est sacrificium paschale. 3. Ex praefixi additione. Non dicitur agnus est pascha Domini, sed* לַיהוָה *Domino, ut sit sensus, est oblatio destinata vel offerenda Domino. Non enim ipse transitus fit Domino aut in honorem ejus, sed sacrificium transitus fit in honorem Domini.* Hactenus D. Glassius contra Viadrinum.** *3. Petra erat Christus* 3. Petra erat Christus.
1. Cor. 10, v. 4. hoc est significabat Christum. Respondemus: loquitur apostolus non de corporali suo loco fixa manente, sed spirituali Israëlitas consequente petra, spiritualis autem petra non significabat Christum, sed erat ipse Christus, qui etiam alibi sensu metaphorico *petra* et *rupes* dicitur Esa. 8, v. 14. Matth. 16, v. 18. Rom. 9, v. 33. 1. Petr. 2, v. 8. etc. Vide D. Lutherum in postill. eccles. in explic. epist. Dom. Septuag. ** Beda in comm. 1. Cor. p. 470. vol. 3. edit. Bas.: *Non est dictum: petra significabat Christum, sed petra erat Christus.* p. 466: *Christus est petra propter firmitatem.* Petrus Martyr in comm. 1. Cor. 10. et Junius lib. 2. Parall. 36. hanc Calvini expositionem refellunt. Prae-

Digitized by Google

positio ἐκ hoc loco non materiam, sed causam efficientem significat seu ortum et scaturiginem aquae, in qua significatione occurrit Joh. 6, v. 65. Matth. 1, v. 20. Rom. 11, v. 36.** At quomodo ex illa spirituali petra Israëlitae bibebant? Certe qui de petra spirituali Christo fide bibit, non potest non placere Deo, jam vero apostolus ibidem asserit, *plures ex Israëlitis Deo non placuisse.* Respondemus: quosdam haec ratio movet, ut de corporali petra apostolicam propositionem accipiant, quae dicatur spiritualis eo sensu, quo manna versu proximo dicitur cibus spiritualis, videlicet tum propter significationem typicam, tum propter miraculum, quod aquae ex ea fluxerint; eandem fuisse Israëlitas secutam sic exponunt, quod aquae ex petra profluentes secutae sunt Israëlitas per desertum. Sed prior interpretatio simplicior est et textui conformior, cum non de aquis, sed de petra dicat apostolus, quod fuerit Israëlitas secuta, cum paulo post aquae penuria laborasse dicantur Israëlitae, quod ergo de hac spirituali petra bibisse dicuntur, id intelligendum venit hoc discrimine, quod impii in typo duntaxat, pii vero in typo et fide simul biberint, quae est D. Hunnii explicatio; vel etiam distinguenda sunt tempora hoc sensu, quod illi ipsi, in quibus Deo non fuit beneplacitum, primum quidem vera fide ex petra spirituali biberint, postea vero per peccatum inobedientiae et delicta alia promeritas poenas sibi attraxerint. Monemus autem denuo, si vel maxime metonymiam suam sacramentalem in V. T. sacramentis obtinerent adversarii, eam tamen in verbis coenae, quae est N. T. sacramentum, ex eo nondum evictam, propter discrimen sacramentorum V. et N. T. suo loco plenius expositum. *4. Baptismus est ablutio peccatorum* Actor. 22, v. 16. *et lavacrum regenerationis* Tit. 3, v. 5. hoc est *significat et obsignat remissionem peccatorum ac regenerationem.* Respondemus: imo vero baptismus non solum significat et obsignat coelestia illa bona, sed est efficax medium, per quod eadem offeruntur et credentibus applicantur; non ergo tropica, sed propria praedicatio est, in qua effectus et fructus spiritualis de integro sacramento praedicatur. De tota hac re suo loco plura.

4. Baptismus est X. 152. lavacrum regenerationis.

5. Hoc poculum est novum testamentum Luc. 22, v. 20. *hoc est signum novi testamenti.* Ursinus p. 2. catech. p. 564. Sadeel de manduc. sacram. Perkinsus de unic. rat. concion. etc. Respondemus: poculum non simpliciter et absolute dicitur novum testamentum, sed *in Christi sanguine*, id Matthaeus et Marcus sic efferunt: *Hoc est sanguis meus novi testamenti*, quae collatio τὸ ῥητὸν confirmat. Quomodo autem poculum eucharisticum vere sit novum testamentum in Christi sanguine, id pulcherrime declarat Dn. Chemnicius de coena c. 8. p. 187. Sicut vetus testamentum sanciebatur et cum Deo et cum populo: cum Deo quidem immolatione victimae et adspersione sanguinis super altare, cum populo vero ita, quod idem sanguis, qui Deo immolatus erat, in populum adspergebatur, ut ita foedus illud uno et eodem sanguine et cum Deo confirmaretur et cum populo sanciretur atque obsignaretur; eodem modo in sanctione novi testamenti Christus inquit, se sanguinem suum effundere in remissionem peccatorum, ut scilicet foedus novi testamenti effusione sui sanguinis sanciat et confirmet cum Patre. Quia vero foedus seu testamentum illud vult etiam cum discipulis suis sancire, illud applicare et obsignare, ut certum habeant pignus, quod in illo foedere gratiae comprehendantur, facit illam sanctionem, applicationem et obsignationem cum discipulis eodem illo sanguine, qui est novi testamenti sanguis, cujus effusione testamentum illud cum aeterno Patre sancitur et confirmatur. **D. Mentzerus tom. 3. Giss. disp. 6. th. 90: *Poculum, id est vinum (quia per τὸ ποτήριον non tam continens, quam contentum denotatur) verissime est novum testamentum in sanguine Christi. Nam testamentum illud novum sancitur inter Deum et homines, idque non sanguine sacrificiorum Leviticorum (hoc est figuris seu umbris V. T. propriis), sed ipso sanguine Christi, qui quidem sanguis Christi in ara crucis fuit effusus, atque hoc modo sancitum et confirmatum est novum testamentum ex parte Dei. Idem Christi sanguis nobis exhibetur bibendus in poculo s. coenae, ut ex nostra parte etiam novum testamentum confirmetur, hoc est nobis applicetur et obsignetur. Ac proinde recte et vere dicitur: hoc poculum juxta Christi institutionem a nobis haustum est novum testamentum in sanguine Christi sive per et propter sanguinem Christi. Aut si clarius velis: sanguinis Christi ex hoc poculo bibitio est novum testamentum.*** *6. Panis est κοινωνία corporis.* 1. Cor. 10, v. 16. *hoc est significat spiritualem κοινωνίαν.* Respondemus: non de spirituali κοινωνίᾳ, quae fit fide, sed de sacramentali κοινωνίᾳ corporis Christi, quae fit mediante panis eucharistici distributione et manducatione, apostolus loquitur; haec κοινωνία sacramentalis corporis de pane eucharistico vere et absque tropo praedicatur, quia panis est organum et medium, per quod corpus Christi sacramentaliter ei unitum nobis communicatur, ubi singulariter notandum, de pane non simpliciter, sed de pane, quem frangimus, hoc est in usu eucharistico distribuimus et manducamus, praedicari κοινωνίαν corporis Christi; nulla igitur hic subest metonymia sacramentalis, quia manducatio panis eucharistici sive panis eucharisticus manducatus non significat tantum κοινωνίαν corporis Christi sacramentalem, sed est κοινωνία corporis Christi sacramentalis vi verborum Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Vide hac de re plura in tract. de interp. Script. §. 162. **7. Paraeus in comment. c. 3. Rom. part. 3. p. 292: *Christus est ἱλαστήριον, id est significatus est per ἱλαστήριον, et hanc* vocat *phrasin metonymicam sacramentalem.* Respondemus: 1. juxta novam metonymiam Sacramentariorum sic exponere debuisset Paraeus illam propositionem, Christus significat ἱλαστήριον. Praevidit autem absurdum, quod hinc sequeretur, videlicet Christum viliorem esse propitiatorio Mosaico, cum figura semper vilior sit re figu-

5. Hoc poculum est novum testamentum.

6. Panis est κοινωνία corporis Christi.

Digitized by Google

rata, item ex Christo fieri umbram, ex re repraesentata rem repraesentantem; ideo invertere maluit significationem, quasi dixisset apostolus: ἱλαστήριον est Christus, id est significat Christum, quae tamen propositio apud apostolum non reperitur. 2. Paulus istam propositionem non habet, Christus est ἱλαστήριον, sed Deus eum proposuit in ἱλαστήριον. 3. Altera illa propositio, quae deducitur ex epistola ad Hebraeos, Christus est thronus gratiae, nequaquam intelligenda est per sacramentalem metonymiam, quia omnis metonymica praedicatio praesupponit metonymiam in simplici dictione, tropum autem in simplici dictione negant adversarii; deinde non loquitur apostolus de corporeo illo throno gratiae, qui erat inter Cherubim super arca foederis, qui jampridem desiit, sed de spirituali illo throno, quem corporalis praefigurabat.**

X. 153. In verba coenae praedicatur disparatum de disparato.

93. 5. *Disparatum de disparato non nisi per tropum praedicari potest. Atqui in propositionibus sacramentalibus disparatum de disparato praedicatur. Ergo non nisi per tropum.* Respondemus: distinctae sunt propositiones: *Hoc est corpus meum, et panis est corpus Christi*, ut in colloquio Maulbrunnensi a nostris recte fuit monitum. Prior est ἔγγραφος, posterior ἄγραφος; prior est ipsius Christi, posterior doctorum ecclesiae. In priore δεικτικὸν *hoc* non notat solum panem, sed exprimit totum complexum (ut superius ostendimus), videlicet totum illud, quod Christus porrigebat et discipuli manducabant, puta panem benedictum et fractum, cui sacramentaliter unitum erat Christi corpus; nascitur inde propria et quoad modum loquendi usitata praedicatio, quales in sermone familiari frequenter occurrunt, quando scilicet duae res modo quodam unitae, vel demonstrantur vel exhibentur, ut subjecti loco ponatur δεικτικὸν totum complexum, sive utrumque unitorum notans, in praedicato autem omissa expressa mentione visibilis et minus principalis, illud solummodo exprimatur, quod est principalius et quandoque invisibile. Quia Christus non solum panem et vinum, sed una cum pane etiam corpus suum et una cum vino sanguinem discipulis exhibet, ideo dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* Quod panem et vinum ipsis exhiberet, id etiam oculi renuntiabant, ideo Christus non dicit: accipite, hoc est panis et corpus meum; bibite, hoc est vinum et sanguis meus; quod vero fides instruendum postulabat, videlicet una cum pane dari corpus, una cum vino dari sanguinem, id nec sensibus, nec rationi erat obvium, ideo claris et perspicuis verbis Christus illud exprimit dicens: *Edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* Tales propositiones occurrunt tum in Scripturis, tum in sermone communi, ubicunque scilicet duo unita simul vel demonstrantur vel exhibentur. In Scripturis haec occurrunt: 1. in persona Christi duae naturae, divina τοῦ Λόγου et humana assumta, personaliter sunt unitae, unde recte dicit Petrus Matth. 16, v. 17: *Tu es Christus Filius Dei viventis*, ubi subjectum tu totam personam notat; in praedicato exprimitur divina natura, quae principalius est ex unitis, nec tamen oculis vel sensibus obvia, humanitas apparebat, divinitas latebat. Ex eadem unione profluit, ut recte et vere dicatur, eos, qui Christum viderunt, ipsum Dei Filium atque ipsum Verbum vitae vidisse, Joh. 1, v. 14. 1. Joh. 1, v. 1. eos, qui Christum contrectarunt, ipsum Deum atque ipsum Verbum vitae contrectasse, Joh. 20, v. 28. 1. Joh. 1, v. 1. nimirum quia humana illa natura, quam oculis conspexerunt et manibus contrectarunt, vinculo unionis personalis cum divina natura τοῦ Λόγου est unita. Quemadmodum igitur propter unionem personalem divinae et humanae naturae in Christo recte dicitur, eum, qui videt Christum, ipsum Verbum vitae videre, sic propter panis et corporis, vini et sanguinis unionem sacramentalem in distributione benedicti panis Christus recte dicit: edite, hoc est corpus meum; in distri- X. 154.
butione benedicti calicis: bibite, hoc est sanguis meus. Ubi tamen monendum, collationem institui respectu unionis et quae ex ea nascitur praedicationis in genere, non autem respectu unionis in specie. Quamvis enim unio panis et corporis Christi, vini et sanguinis Christi in sacra coena non sit personalis, tamen ratione generis, cum personali unione exemplo veterum conferri potest, cum qua hoc commune habet, quod propter unionem panis et corporis Christi exhibito pane eucharistico dicitur: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* 2. Quando sancti angeli in externis formis corporeis ad tempus assumtis in V. T. patriarchis ac prophetis apparuerunt, recte dixerunt, ipsos Dei angelos a se visos, nimirum propter peculiarem illam praesentiam angeli ad assumtum corpus. Genes. 32, v. 1: *Angeli Dei Jacobo occurrerunt;* v. 2: *et dixit Jacob, quando vidit eos,* מַחֲנֵה זֶה אֱלֹהִים, *castra Dei haec.* Jud. 13, v. 3: *Conspectus est angelus Domini a muliere.* 3. Quando in externa visione Jehovah sanctis hominibus apparuit, vere potuerunt dicere, quod ipsum Jehovam Dominum Zebaoth viderint, nimirum quia Deus in externa illa visione peculiari modo praesentem sese exhibuit. Gen. 32, v. 24: *Luctatus est vir cum Jacobo.* v. 30: *Vidi Deum a facie ad faciem.* Esa. 6, v. 1: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et fimbriae ejus replebant templum.* Et Deus et angeli sunt invisibiles, sed quia in externis corporeis formis apparuerunt, ideo propter peculiarem in illis praesentiam recte dicunt pii, se et Deum et angelos vidisse. 4. Progrediente arca dicebat Moyses: *Surge Jehovah, et dispergantur inimici tui*, Num. 10, v. 35. Quod repetit David Psalm. 68, v. 2. Nimirum propter peculiarem illam praesentiam Dei circa arcam, quia ex propitiatorio super arcam inter Cherubim responsa a Deo Israëlitis dabantur, Exod. 25, v. 22. 5. In baptismo Christi Spiritus sanctus in columbae specie corporea descendebat Luc. 3, v. 22. Inde Johannes vere poterat dicere: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo*, quia scilicet peculiari quodam modo Spiritus sanctus in columba

Digitized by Google

praesens erat. Nec poterunt adversarii collationem propositionum sacramentalium cum hoc exemplo improbare, cum Calvinus ipse ea utatur, sic enim scribit in commentario 1. Cor. 11: *Cur appellatio corporis pani tribuitur? Omnes puto concedent eadem ratione, qua Spiritum sanctum Johannes vocat columbam. Porro in Spiritu illa fuit ratio, quod sub columbae specie apparuerat, transfertur ergo Spiritus nomen ad signum visibile. Cur hic negamus similem esse locutionem?* Et postea: *Quaerenda est ratio; hic respondeo, non ideo tantum signo imponi nomen rei signatae, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur. Similitudines enim, quas mutuantur quidam a rebus profanis et terrenis, quoniam a sacramentis Domini habent aliquid diversum, non admitto. Vocatur Hercules statua Herculis; sed quid illud est praeter nudam inanemque figuram? Columba autem vocatur Spiritus sanctus, quia certa sit tessera invisibilis praesentiae Spiritus sancti. Sic panis est corpus Christi, quia certo testatur, nobis corpus illud Christi exhiberi, quod figurat, vel quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigendo una dat etiam corpus suum. Nec enim fallax est Christus, qui vacuis signis nos deludat, proinde illud mihi est extra controversiam, veritatem hic cum signo conjunctam esse.* Haec Calvinus, qui quamvis tenuius adhuc de praesentia corporis Christi in sacra coena sentiat statuens, fidelibus tantummodo panem esse corporis Christi symbolum exhibitivum, tamen recte facit, collationem unionis sacramentalis inter panem et corpus Christi instituens cum unione Spiritus sancti et columbae illius, in cujus specie corporea Spiritus sanctus descendit. 6. Christus Joh. 20, v. 22. sufflans in discipulos dicit: *Accipite Spiritum sanctum,* nimirum quia externus flatus fuit symbolum, ὄχημα et medium, per quod ipsis datus fuit Spiritus sanctus; ita quoque exhibens discipulis benedictum panem dicit: *Accipite, hoc est corpus meum,* nimirum quia panis ille benedictus fuit symbolum, ὄχημα et medium, per quod et cum quo datum ipsis fuit Christi corpus. Atque haec sunt exempla
X. 155. talium praedicationum, quae in Scripturis occurrunt, ubi denuo monemus, collationem propositionum sacramentalium cum illis institui ratione unionis in genere, nequaquam vero ratione unionis in specie. Ratio praedicationis, quae fluit ex unione generica, non specifica, potest esse eadem, licet modus unionis specialis seu specificus sit diversus. Sic quando dico, corpus est animatum, homo est docilis, homo est eruditus, paries est albus, mensa est lignea etc. praedicationis ratio in genere est una, scilicet denominativa, unio vero in illis exemplis est diversissima, aliter enim uniuntur anima et corpus, aliter homo et docilitas, aliter homo et eruditio, aliter paries et albedo, aliter mensa et lignum, ut recte monet D. Grauerus in absurd. Calvin. In lingua vulgari itidem usitatus est hic loquendi modus, ut monstratis vel exhibitis rebus duabus simul conjunctis dignius et sensui minus obvium in praedicato tantum exprimatur. Sic de dolio et vino dicimus: illud est vinum Rhenanum, quod amicus tibi donat; de marsupio et pecunia dicimus: accipe, hoc est pecunia, quam tibi debeo; de cunis et infante dicimus: en hoc est infans etc. ubi denuo propter cavillationes adversariorum monendum est, collationem non institui propter specificam unionis identitatem, sed propter modum praedicationis ex generica unione profluentem, nemo enim nostrum statuit, corpus Christi localiter inclusum esse in pane, sicut pecunia in marsupio, vinum in dolio, sed credimus ac docemus, panis et corporis Christi unionem esse mysticam, sacramentalem, adeoque omni humano intellectui absconditam. Porro quando D. Lutherus has praedicationes vocat synecdochicas, intelligit non rhetoricam, sed grammaticam synecdochen. Rhetorice synecdochicum est tropicum et figuratum, sed grammatice synecdochicum est usitatus proprius et peculiaris loquendi modus, quo res duae simul conjunctae ostenduntur vel exhibentur, et tamen altera tantum, quae sensui minus obvia ac principalis est, expresse solum nominatur. In talibus propositionibus datur duplex ἔνδειξις sive demonstratio, una ad sensum, altera ad intellectum; in illa res externa et jam ante oculis obvia non nominatur, in hac vero res intellecta ut minus nota et praestantissima in praedicato evolvitur. Quidam vocant propositiones exhibitivas, quia conjunctam unitorum exhibitionem significant, vel demonstrativas, quia subjecti locum in illis tenet particula quaedam δεικτική.

94. Posterior propositio, *panis est corpus Christi,* licet in Scripturis sacris totidem verbis et syllabis non occurrat, a nobis tamen minime improbatur, cum scriptores ecclesiastici veteres et recentiores eadem frequenter utantur, addimus vero, eam ex verbis Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum,* et verbis Pauli: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi,* aestimandam, judicandam ac declarandam esse, ideoque eam vocare solemus propositionem sacramentalem, quod ut rectius percipiatur, sic procedimus: In omnibus praedicationibus affirmativis regularibus inter subjectum et praedicatum requiritur mutua consensio et cohaerentia, ea si est intrinseca et essentialis, praedicationes essentiales; si vero extrinseca et accidentalis, praedicationes accidentales parit. Disparatum autem de disparato proprie et sine tropo affirmate non posse praedicari, logicorum regula est; inde colligunt adversarii, etiam has propositiones, *panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi,* figuratas esse. Sed novisse debebant praeter usitatas illas praedicationes, quae ad logicorum regulas congruunt, in theologia dari inusitatas, in quibus disparatum de disparato sine ullo tropo praedicatur propter mysticam unionem. Tales propositiones sunt duplices: personales scilicet et sacramentales. Personales, in quibus natura humana praedicatur de divina τοῦ Λόγου et vicissim divina τοῦ Λόγου natura praedicatur de humana assumta in concreto,

Explicatio propositionis ecclesiasticae Panis est corpus Christi.

Digitized by Google

scilicet propter unionem personalem, ut: Deus est homo, homo est Deus, filius Mariae est Filius Dei, Verbum est caro. Sacramentales, in quibus de elemento terreno praedicatur res coelestis propter unionem sacramentalem, ut panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi. Quemadmodum in
X. 156. abstracto divina natura τοῦ Λόγου non praedicatur de humana, et contra, sed tantum in concreto, quod evidens argumentum est, unionem personalem esse causam et fontem istarum praedicationum; ita quoque de pane non simpliciter, sed in usu sacramentali praedicatur corpus Christi, unde subjecto solet addi, panis eucharisticus, panis benedictus, panis quem frangimus, etc. est corpus Christi, quod iterum evidens argumentum est, unionem sacramentalem esse causam et fontem illius praedicationis. Ergo si logicorum canonem, quod disparatum de disparato affirmate praedicari nequeat, non velimus simpliciter repudiare in hisce mysteriis, necessario addenda est haec limitatio, quod disparata de se non praedicentur invicem, scilicet extra unionem, ex eo vero non debet colligi, quod in ipsa etiam unione de se invicem praedicari nequeant. Disparata enim non sunt contradictoria, sed diversa, quae conjungi et uniri divina virtute possunt, ut certo modo fiant unum et ratione illius unitatis de se invicem praedicari possint, id quod extra talem unionem nunquam fieret. ** Quarum rerum unio rationi non est cognita, de illarum unione et modo unionis ac praedicationis logica non potest aliquid praescribere. Atqui panis et corporis Christi in sacra coena unio utpote mystica est omni humanae rationi incognita. Ergo Major patet, quia logices principia desumta sunt ex ratione, quae se non extendit ad unionem et praedicationem sacramentalem.** Quodsi ergo dicant adversarii, panem esse corpus Christi vel proprie vel figurate, respondemus, dari tertium, videlicet sacramentaliter hoc sensu, quod panis sit ὄργανον μεταδοτικόν, symbolum exhibitivum et ὄχημα, quo corpus Christi omnibus in usu coenae eum manducantibus communicatur, vel ut Paulus loquitur, quod sit κοινωνία corporis Christi. Si dicant, corpus Christi de pane praedicari, vel propter transmutationem physicam, vel propter significationem analogicam; respondemus, dari tertium, videlicet propter mysticam et sacramentalem unionem. ** Si in latitudine per quandam analogiam terminos illos logicos ad hoc mysterium applicare velimus, dicere possumus, corpus Christi de pane praedicari παρωνύμως, non tamen οὐσιωδῶς, ut praedicatum sit de essentia subjecti, siquidem hoc non semper in paronymica praedicatione requiritur, ut Calviniani volunt, sed interdum tantum habitudo, quae inter panem et corpus Christi talis est, ut panis sit causa instrumentalis, qua mediante corpus Christi communicantibus porrigitur, velut Deus a creatione creator denominative praedicatur, non οὐσιωδῶς, sed propter habitudinem creatoris ad creaturam.** Si dicant, propositionem hanc, panis est corpus Christi, vel propriam vel figuratam esse, respondemus, dari tertium, videlicet esse inusitatam. Quodsi speciem inusitatae propositionis proterve negare velint, reducant propositiones personales, Deus est homo, et homo est Deus, ad usitatas logicorum praedicationes, ita tamen, ut mysterio illi unionis personalis, ex qua resultant, nihil decedat, et subruant fundamenta nostrae sententiae, quibus demonstramus, panem non transmutari essentialiter in corpus Christi, nec esse nudum signum corporis Christi, sed esse organum ac medium, quo communicatur corpus Christi.

95. Ex hisce facile apparet, quid statuendum sit de metonymia sacramentali, quam in his propositionibus propugnant adversarii, per quam scilicet signatum praedicetur de signo propter relationem extrinsecam et mutuam σχέσιν, ideoque copulam *est* exponendam esse per significat. Atqui fundamentum harum praedicationum sacramentalium non est nuda quaedam σχέσις et extrinseca relatio, sed arctissima inter panem et corpus Christi, vinum et sanguinem Christi unio, quae juxta institutionis verba in eo consistit, quod mediante benedicto pane manducandum datur praesens Christi corpus, nequaquam vero absens tantummodo significatur, quodque mediante benedicto vino bibendus datur praesens Christi sanguis, nequaquam vero ejusdem effusio, jam olim facta tantummodo adumbratur. X. 157.
Incassum igitur laborant, quando varias ex Scripturis colligunt propositiones, in quibus copulam *est* pro significat poni et signatum de signo metonymice praedicari arbitrantur. Praeterquam enim quod principium petunt duplici ratione, tum quod δεικτικὸν *hoc* in verbis Christi solum panem notare, tum quod uspiam nomen signati metonymice signo tribui praesupponunt; accedit insuper istud, quod non statim sequatur haec illatio: Copula *est* alicubi ponitur pro significat, nomen signati alicubi μετωνυμικῶς de signo praedicatur; ergo etiam in verbis coenae illud accidit; demonstrandum enim est, non posse, nec debere copulam *est* aliter accipi quam pro significat, ac necessario talem quandam metonymiam verbis coenae inferendam esse; id vero ad calendas Graecas expeditum dabunt, cum contrarium potius ex propria hujus articuli sede, videlicet ex verbis institutionis, superius demonstratum sit, videlicet omnem viam tropis et figuris hic esse interclusam. Lutherus in praefat. syngramm. tom. 3. Jen. Germ. fol. 340. fac. 2. Wenn schon dieser Grund, daß est soll heißen significat, Exempel in der Schrift hätte, dennoch wäre damit noch nicht erwiesen, daß auch in den Worten: Das ist mein Leib, sollte und müßte so genommen werden, das werden sie mir nimmermehr beweisen, das weiß ich fürwahr, denn es gar viel ein anders ist, wenn ich sage, das mag so heißen, und wenn ich sage, das muß so heißen, und kann nicht anders, auf das erste kann sich das Gewissen nicht verlassen, auf das andere kann sichs verlassen. Percurramus tamen breviter propositiones, quas pro stabilienda metonymia sacramentali proferunt,

Quid statuendum de metonymia sacramentali adversariorum.

Digitized by Google

1. Iris est foedus Dei. *1. Iris est foedus Dei*, Genes. 9, v. 9. Respondemus: Iris non foedus, sed signum foederis dicitur, Gen. 9, v. 12. et 13. **2. Septem vaccae sunt septem anni.** *2. Septem vaccae sunt septem anni*, Gen. 41, v. 26. Respondemus: Intelliguntur anni non reales, sed typici et praefigurati sensu metaphorico, quia reciproce dici potest: septem anni fertiles sunt vaccae pingues. **3. Sanguis est foedus.** *3. Sanguis est foedus*, Exod. 24, v. 8. Respondemus: Sanguis adspersus non dicitur ipsum foedus, sed sanguis foederis. **4. Sabbathum est foedus.** *4. Sabbathum est foedus*, Exod. 31, v. 16. Respondemus: non de ipso sabbatho dicitur, quod sit foedus, sed Israëlitis injungitur, ut foedere perpetuo sabbathum celebrent, ipsum vero sabbathum dicitur signum v. 17. quo scilicet Israëlitae a reliquis gentibus distinguebantur. **5. Sacrificia expiant peccata.** *5. Sacrificia expiant peccata*, Lev. 1, v. 4. Respondemus: non tropice vel figurative tantum, sed vere, quatenus scilicet fuerunt typi unici illius sacrificii propitiatorii a Christo in ara crucis offerendi ac vera fide a piis V. T. apprehensi. **6. Ossa haec universa domus Israël ipsa.** *6. Ossa haec universa domus Israël ipsa*, Ezech. 37, v. 11. Respondemus: τὸ Israël ponitur in casu obliquo, ut ex constructione manifestum, unde resultat sensus plenissimus: haec omnia sunt Israëlitarum ossa. **7. Johannes est Elias.** *7. Johannes est Elias*, Matth. 11, v. 14. Respondemus: verba integra sic habent: *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est;* loquitur igitur Christus non de Elia Thesbite, qui curru igneo in coelum vectus, sed de Elia venturo, id est qui in spiritu et virtute Eliae Messiam praecedere deberet Luc. 1, v. 17. quem Johannes non significabat, sed is ipse revera erat. Si τὸ est per significat exponendum foret, dicendum potius fuisset, Elias est Johannes. **8. Ager est mundus.** *8. Ager est mundus, semen bonum sunt filii regni, zizania sunt filii iniquitatis, inimicus seminans est diabolus, messis est finis seculi, messores sunt angeli* Matth. 13, v. 38. et 39. Respondemus: In parabolis non metonymice, sed metaphorice vocabula accipiuntur. Christus enim non loquitur de terreno et corruptibili semine, quod in agrum spargitur, sed de coelesti et incorruptibili semine in agro Dominico, quod non significat verbum Dei, sed revera ipsum est. **9. Christus est vitis.** *9. Christus est vitis*, Joh. 15, v. 1. Respondemus: Si τὸ est σημαντικῶς positum esset pro significat, absurda inde emergeret praedicatio: Christus significat vitem, cum vitis potius significet Christum (si tamen proprie loquendo inter vitem et Christum est quaedam significatio, rectius namque similitudo illis intercedere dicitur), metaphorica igitur, non metonymica est praedicatio. Non enim de vite naturali e terra crescente Christus loquitur, sed de vite coelesti et spirituali ideoque notanter addit: *Ego sum vitis vera*, id est mystica illa et spiritualis, cui apostoli et reliqui fideles ut palmites inserti succum vitae ex ea trahunt. **10. Pascha nostrum est Christus.** *10. Pascha nostrum est Christus*, 1. Cor. 5, v. 7. Respondemus: per pascha non intelligitur paschalis festivitas, sed agnus paschalis, non Israëliticus ille e communi grege olim separatus et mactatus, sed verus, spiritualis et per illum designatus Dei agnus, qui in ara crucis pro nobis immolatus novi testamenti pascha consecravit, illum agnum non significat Christus, sed vere est ipse. (X. 158.)

11. Duae matres sunt duo testamenta. *11. Duae matres, Hagar et Sara, sunt duo testamenta* Galat. 4, v. 24. Respondemus: verba apostoli sic habent: *ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα· αὗται εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι*, ubi posterius membrum non ad remotius, videlicet ad duas uxores Abrahae Hagarem et Saram, de quibus v. 22. apostolus loquitur, sed ad propinquius, videlicet ad *τὰ ἀλληγορούμενα* respicit et exponit, quae sint illa *ἀλληγορούμενα*, videlicet duo testamenta. Propositio igitur apostoli haec est: *τὰ ἀλληγορούμενα* vel duae uxores *ἀλληγορούμεναι* sunt duo testamenta, ubi non est tropus in copula, sed allegoricus historiae usus ostenditur. **12. Septem candelabra aurea sunt septem ecclesiae.** *12. Septem candelabra aurea sunt septem ecclesiae. Septem stellae sunt septem angeli sive doctores ecclesiae*, Apoc. 1, v. 20. Respondemus: Johannes de illis candelabris loquitur, in quorum medio Christus ambulabat, ac de illis stellis, quas Christus in manu sua habebat, ergo de spiritualibus candelabris et stellis propositiones sunt intelligendae, sensu scilicet metaphorico, non metonymico. Atque hae sunt propositiones, ex quibus metonymiam a se confictam in verbis coenae probare conantur adversarii, sed conatu prorsus irrito, siquidem praeter duplicem principii petitionem jam ante demonstratam ac praeter vitium consequentiae a particulari deductae itidem saepius ostensum, accedit insuper hoc, quod Christus in verbis sacrae coenae non somnia, non visiones, non parabolas, non typos, non allegorias nobis proponat, sed sanctissimum instituat testamentum ac venerabile sacramentum, in quo verbis claris, perspicuis et propriis hujus testamenti legata et hujus sacramenti res coelestes fuerunt exprimenda; quodque tradat peculiarem fidei articulum, de quo nihil quidquam discipulis jam ante erat notum; necesse igitur erat, ut proprie et significanter loqueretur. Praeterea illae metaphorae in visionibus, somniis ac parabolis adhibitae in Scripturis a Spiritu s. pleraeque omnes explicantur et declarantur, sed de verbis testamenti Dominici nuspiam ne innuitur quidem, quod vel metonymice vel metaphorice sint intelligenda, sed omnes tres evangelistae et Paulus sensu invariato eadem repetunt et inculcant, cum tamen longe plus referat verba coenae quam illas visiones, somnia ac parabolas recte intelligere, siquidem quisquis *indigne de hoc pane manducat et ex calice bibit, sibi ipsi judicium manducat et bibit, eo quod non discernit corpus Domini*, 1. Cor. 11, v. 27. et 29.

6. Particulae in, cum et sub discedunt a ῥητῷ. 96. 6. Saepius etiam hoc ab adversariis nobis objicitur, quod ipsimet a ῥητῷ verborum discedamus, usi scilicet in hoc mysterio hisce propositionibus *in, cum et sub pane benedicto datur corpus Christi; in, cum et sub vino benedicto datur sanguis Christi;* unde propudiosum excogitarunt versum: *In, cum, sub, totum fallunt monosyllaba mundum.* Beza in creophag. p. 297. Consid. commonef. c. 2. p. 87. et c. 3. p. 220. Ursinus part. 2. catech. qu. 78. p. 541. etc. Keckermannus lib. 1. system.

Digitized by Google

log. c. 12. p. 118. nobis tribuit, *quod propter usum*
x. 159. *particulae* in *statuamus*, *panem quasi intus excavatum aut alio quovis modo mirifice dispositum occultare in se receptum corpus Christi.* ** Idem Keckermannus lib. 2. c. 2. syst. log. p. 343: *Nullus logicorum dixerit, has propositiones convenire: panis est corpus Christi et corpus Christi est in vel cum pane eucharistico, quia aequipollentes debent habere idem subjectum et praedicatum. Atqui hae propositiones non habent idem subjectum et praedicatum.*** Respondemus: 1. concedatur nobis vera realis et substantialis corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentia; concedatur verba Christi, κατὰ τὸ ῥητὸν in genuino, nativo et proprio sensu accipienda esse, ac de usu harum particularum facile cum illis transigemus. 2. Praedicationes sacramentales, *hoc est corpus meum*, *hoc est sanguis meus*, sunt comprehensivae et exhibitivae, id est duarum rerum distinctarum unionem et conjunctam exhibitionem notant, ut superius ostendimus, ideo non possunt commodius resolvi, quam per particulas in, cum, sub, quibus unitorum conjunctio et conjuncta exhibitio exprimitur. Sicut haec exhibitiva propositio: accipe, hoc est vinum, non posset dexterius et commodius resolvi quam eo modo: in vel cum hoc vase exhibetur vinum, quamcunque enim aliam proferas analysin, nugatoria erit et absurda; ita quoque praedicatio illa sacramentalis: *hoc est corpus meum* commodissime resolvitur, in, cum, sub hoc pane exhibeo corpus meum, quia ex instituto Christi panis eucharisticus est organum, ὄχημα et symbolum, cum quo et sub quo datur Christi corpus. ** Ut veritas hujus propositionis: animal est corpus probatur ex modo inessendi, quia animali inest corpus; sic quoque veritas hujus propositionis: panis est corpus Christi, deducitur ex modo ἑνώσεως, qua corpus Christi unitum est sacramentaliter cum pane. ** 3. Aequipollet etiam haec propositio: in, cum et sub pane datur Christi corpus, sacramentali illi theologis veteribus et recentioribus usitatae, panis est corpus Christi; aequipollentia enim nihil aliud est quam propositionum verbis variantium convenientia in sensu, jam vero hae propositiones: *panis est corpus Christi*, et *in*, *cum*, *sub pane datur corpus Christi*, conveniunt in sensu, siquidem panis est Christi corpus non essentialiter, non figurate, sed sacramentaliter, id est panis est symbolum offerens et exhibens Christi corpus, vel ut apostolus notanter loquitur: *Panis*, *quem frangimus*, *est κοινωνία corporis Christi.* Vide D. Meisnerum part. 1. sobr. philos. sect. 1. c. 5. qu. 7. ** Argumentamur: in quibus manet idem sensus, illae sunt aequipollentes. Sed in his propositionibus manet idem sensus. Ergo. Major probatur ex Keckermanno p. 342. ubi *aequipollentem praedicationem* definit *verbis dissentientem*, *sensu convenientem.* Distinguendum tamen inter aequipollentes propositiones ratione modi enuntiandi simul et significationis et inter aequipollentes ratione significationis tantum. Si in hac propositione: in pane est corpus, terminus corpus sumatur ut subjectum, tum omnino concedendum, quod ratione modi enuntiandi logici non aequipolleat huic, panis est corpus Christi. Nam aequipollentes propositiones in logicis sunt illae, quae sibi invicem substitui possunt, manente eadem sententia et significatione simulque eadem figura et modo syllogistico in syllogismo. Hoc igitur ut fiat, oportet praedicata et subjecta coïncidere et esse synonyma. Hoc vero concesso non statim sequitur, quod mutatis subjectis et praedicatis, atque ita mutato modo praedicandi logico ac aequipollentia formali logica statim necesse sit mutari aequipollentiam significationis. Quando ergo dicimus, has propositiones: panis est corpus Christi, et corpus est in pane, esse aequipollentes, significationem attendimus, non modum enuntiandi logicum.** Τῷ ῥητῷ nihil derogat synonymia grammatica, paraphrasis oratoria, aequipollentia logica, interpretatio theologica, quae aliis eandem rem verbis effert, ut recte scribit D. Major in tractatu περὶ τοῦ ῥητοῦ tit. 3. c. 1. thes. 17. 4. Usu igitur harum particularum tum essentialem mutationem panis in corpus Christi, tum nudam significationem absentis corporis excludimus. Si enim una cum
pane datur Christi corpus, utique non corpus solum, x. 160.
sed et panis datur. Si una cum pane datur, etiam Christi corpus utique non solus panis, sed etiam corpus Christi vere praesens manducandum exhibetur. 5. Nequaquam igitur localis inclusio, physica quaedam inexsistentia aut duarum substantiarum in unam massam commixtio, sed mystica et sacramentalis panis et corporis Christi, vini et sanguinis Christi in sacra coena unio hisce particulis exprimitur, ea vero sic comparata est, quod mediante benedicto pane verum Christi corpus, et mediante benedicto vino verus Christi sanguis distribuitur, exhibetur et accipitur. Externa symbola panis et vini non mutant suam naturam vel essentiam, neque etiam in nihilum rediguntur, nec tamen in usu sacramentali sunt nuda duntaxat symbola, sed panis est corpus, vinum est sanguis Christi, hoc est accepto et manducato pane accipitur et manducatur corpus Christi, accepto et hausto vino accipitur et bibitur sanguis Christi. Haec sacramentalis unio et participatio non potest commodius exprimi et contra quasvis corruptelas muniri, quam si dicatur: in, cum, sub benedicto pane manducandum datur Christi corpus; in, cum, sub benedicto vino bibendus datur Christi sanguis. 6. Quod particularum istarum usus localem inclusionem denotet, ex eo falsitatis convincitur, quod in mysterio unionis personalis duarum naturarum in Christo Spiritus sanctus eisdem utatur, nemo tamen dixerit, divinam naturam τοῦ Λόγου in assumta carne localiter inclusam. Quod *Verbum* dicitur *caro factum* Joh. 1, v. 14. id apostolus sic effert 1. Timoth. 3, v. 16: *Deus manifestatus est in carne.* Quod Christus dicitur verus Deus Rom. 9, v. 5. id Col. 2, v. 9. sic effertur: *In ipso habitat tota plenitudo deitatis corporaliter.* 2. Cor. 5, v. 19: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi.* Joh. 3, v. 2. Actor.

Digitized by Google

10, v. 38: *Deus erat cum illo.* Quemadmodum propter unionem personalem divinae et humanae naturae recte dicitur: Deus est homo, et homo est Deus, scilicet personaliter; ita propter unionem sacramentalem panis et corporis Christi recte dicitur: panis eucharisticus est corpus Christi, scilicet sacramentaliter. Quemadmodum unio sacramentalis exponitur per particulas in et cum: *Deus est in Christo*, *Deus est cum Christo;* ita per easdem etiam unio sacramentalis declarari potest. 7. Quam vero absurdum sit, panis excavationem et localem corporis Christi inclusionem vel aliud quippiam carnale et physicum ex usu harum particularum nobis affingere, ex aliis etiam exemplis manifestum fieri potest. *Pater est in Filio*, *et Filius est in Patre*, Joh. 14, v. 11. absit vero, ut cogitemus, Patrem in Filio et Filium in Patre inclusum esse, sed propter unitatem essentiae et mutuam περιχώρησιν una persona Trinitatis est in altera. *Deus ambulat in nobis* 2. Cor. 6, v. 16. *Christus habitat per fidem in cordibus nostris* Ephes. 3, v. 17. *Spiritus sanctus habitat in nobis* 1. Cor. 3, v. 16. Ecquis vero somniare velit, Deum, Christum et Spiritum sanctum esse localiter in nobis inclusum? Quin imo uti praesentia et inhabitatio gratiae usu harum particularum exprimitur; ita quoque in pane dicitur esse Christi corpus propter unionem sacramentalem. 8. Quandocunque invisibile quid in externo quodam symbolo corporeo visibili sese manifestat vel etiam datur, commodissime hae particulae adhiberi possunt. Sic Spiritus sanctus in corporali specie columbae super Christum descendisse Matth. 3, v. 16. Luc. 3, v. 21. cum flatu apostolis datus Joh. 20, v. 22. sub specie linguarum ignearum in apostolos descendisse Actor. 2, v. 3. rectissime dicitur, ubi tamen nemo somniat localem inclusionem Spiritus sancti in columbam vel flatum vel linguas igneas, sed peculiaris tantummodo praesentia et per haec externa visibilia symbola invisibilis Spiritus sancti manifestatio et collatio tantummodo exprimitur; ita quoque in articulo de coena usus particularum in, cum, sub nihil aliud quam sacramentalem unionem et participationem denotat. 9. Inde apud pios veteres frequens earum usus, Cyprianus lib. 2. epist. 3: *Vini utique mentio est, et ideo ponitur ut domini sanguis vino intelligatur; — (porro) apparet sanguinem Christi non offerri si desit vinum calici.* Chrysostomus serm. de euchar. in encoen. tom. 3. col. 919: *Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est.* homil. 24. in 1. Cor. tom. 4. col.
X. 161. 510: *Quod est in calice, hoc est quod fluxit e latere, et illius sumus participes,* τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ἂν ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν, καὶ ἐκείνου μετέχομεν. Cyrillus in epist. ad Coelosy.: *Sacram ejus carnem et pretiosum sanguinem in benedictione vivifica accipimus in pane et vino.* Augustinus tract. 26. in Johann.: *'Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquod rediguntur ex multis.* Sermon. ad Neoph.: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod effluxit e latere.* Theophylactus in c. 5. Hebr.: *In carne et sanguine Christi nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipit, sed vivificatricem substantiam atque salutarem in pane et vino.* Chrysostomus homil. 24. in 1. Cor. 10. col. 509: *Cum calice inenarrabilia Dei beneficia et quaecunque consecuti sumus, adimus* (in Graeco tamen paulo aliter legitur). Hesychius in c. 8. Levit.: *Mysterium illud simul panis et caro est.* Cyprianus serm. de coena p. 451: *Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento edimus in coelis.* Hilarius lib. 8. de trinit. p. 136: *Naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit.* Ambrosius de illis qui initiantur myster. c. 9: *Nos vere sub mysterio carnem corporis ejus sumimus.* Augustinus in sent. Prosp.: *Sanguinem ejus sub vini specie et sapore potamus.* Bernhardus serm. de coena: *Quod videmus, species est panis et vini, quod sub illa specie credimus, verum corpus et verus sanguis Christi est.* ** Ipse quoque Beza non improbat usum harum particularum, sic enim scribit in lib. qq. et respp. part. 2. p. 119. edit. ann. 1577: *Haec demum propria esset enuntiatio, in, vel sub, vel cum pane est corpus meum; in, vel sub, vel cum vino est sanguis meus.* Contra vero in creophag. p. 297: *Vestrum illud in, vel sub, vel cum rejicimus.* Utuntur his particulis Calvinus contra Hesshus. p. 94. et 97. Sohnius tom. 1. disp. 20. p. 63. Bremens. in apolog. Lij. Beza contra D. Jac. Andr. et Nicol. Selnecc. p. 200.**

97. Atque haec dicta sint de tropis Calvinianorum, quibus verba Christi potius pervertunt quam interpretantur, ut veram realem et substantialem praesentiam corporis et sanguinis Christi ex sacra coena auferant. Neophotiniani cupide tropos et metonymias illorum in pervertendis sacrae coenae verbis amplexantur, cum omnem omnino corporis et sanguinis Christi in coena praesentiam **Photiniani quomodo verba coenae exponant.**
proterve negent. Sic enim scribit Ostorodus in X. 162.
institut. Germ. c. 38. pag. 340: *Dicimus, quod Christus propter nullam aliam causam panem corpus et vinum sanguinem appellaverit, quam quod quatenus panis frangitur et comeditur, vinum au-* X. 163.
tem quatenus in calicem effunditur et bibitur corporis sui pro nobis fracti et sanguinis sui pro nobis effusi figura et expressa imago sit, quando mortis Domini recordamur, quemadmodum vidimus in X. 164.
simili causa factum esse, nempe cum in sacris literis agnus, quem Judaei quotannis ex mandato Domini edebant, pesach seu transitus Domini saepius appellatur. Catech. Racov. major c. 3. pag. 223: *Simplex et verus verborum Christi sensus est hic, ac si dixisset: opus fractionis et manducationis panis est annuntiatio et velut repraesentatio ejus,* X. 165.
quod accidet meo corpori; et infusio ac bibitio vini est annuntiatio et velut repraesentatio ejus, quod accidet meo sanguini; aut (ut simul apostoli Pauli verba 1. Cor. 11, v. 26. interpretemur) bibi-

Digitized by Google

tio ex eo calice est annuntiatio immensi amoris Dei, quem in novo foedere nobis obtulit, qui per mortem Christi confirmatus est. In eundem sensum scriptum est de inusitato esu agni paschalis, quod sit transitus Domini. Ibidem verba apostoli 1. Cor. 10, v. 16: calix benedictus, cui benedicimus, est communicatio sanguinis etc. catechesis sic interpretatur: *Qui calici benedicunt, hoc est ejus participes fiunt et nomen Domini devote laudant, similiter qui panem una frangunt, publice testantur, quod participes facti sint corporis et sanguinis Christi, hoc est omnium bonorum, quae Christus per suam mortem acquisivit, sicuti paulo post de Israëlitis dicit, qui de immolatis ederant, quod participes sint altaris, hoc est omnium, quae in illo cultu promissa erant.* Quid de hac verborum Christi et apostoli perversione statuendum sit, patere potest ex superioribus.

CAPUT XI.

DE VERA REALI ET SUBSTANTIALI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI IN SACRA COENA PRAESENTIA.

98. Posteaquam demonstratum est, verba sacrae coenae κατὰ τὸ ῥητόν, secundum genuinam propriam et nativam significationem accipienda esse, sententia nostrarum ecclesiarum de vera, reali et substantiali corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentia non potest esse dubia vel incerta, cum ex verbis institutionis κατὰ ῥητὸν et proprie acceptis immediate profluat, id quod plerique ex ipsis adversariis haud inviti agnoscunt ac fatentur, eo enim fine τὸ ῥητὸν tanto conatu, licet irrito, impugnant, ut veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam utpote humanae rationi prorsus repugnantem evertant. Monemus autem denuo propter calumnias adversae partis, nos nec impanationem, **(cum Bucerus in epistola ad Comandrum fateatur, *se Luthero imputatione dogmatis de impanatione injuriam fecisse*, nihilominus Berolinensis politicus in infelici salvatione suarum causarum, Regung der zwölf Hauptursachen p. 635. cum illa Buceri confessio illi objecta esset, regessit: *Et manet Lutheri opinio de coena impanatio et consubstantiatio)*** nec consubstantiationem, **(non statuimus praesentiam corporis et sanguinis συνουσιαστικήν, consubstantiativam, quae a nonnullis definitur *per unius substantiae in alia inclusionem* — absit hinc istud figmentum —; non enim statim est consubstantiatio, quando duae substantiae sibi sunt praesentes, alias quia divina et humana Christi natura per unionem personalem sibi sunt praesentes in persona Christi, foret ea, quam adversarii appellant, consubstantiatio, sed quando duae substantiae physico et naturali modo coëxistunt; at res coelestis et res terrena in sacra coena physice et naturaliter sibi non sunt praesentes) ** nec ullam aliam physicam, vel localem praesentiam statuere, sed credimus, docemus ac confitemur, juxta ipsius Christi institutionem modo soli deo cognito, nobis vero incomprehensibili, pani eucharistico tanquam medio divinitus ordinato corpus Christi vere, realiter et substantialiter praesens; vino eucharistico sanguinem Christi itidem vere, realiter ac substantialiter praesentem uniri, ut cum illo pane verum Christi corpus, cum illo vino verum Christi sanguinem in sublimi mysterio sumamus, manducemus et bibamus. Haec praesentia dicitur sacramentalis, non eo sensu, quo adversarii hac voce utuntur pro σχετικῇ, significativa praesentia, sed quia res coelestis in hoc mysterio mediantibus externis symbolis sacramentalibus nobis confertur et exhibetur. Dicitur vera et realis praesentia ad excludendum figurativae, imaginariae et repraesentativae praesentiae figmentum; dicitur substantialis praesentia ad excludendum adversariorum effugium de sola corporis et sanguinis Christi efficacia in hoc mysterio praesente; dicitur mystica, supernaturalis et incomprehensibilis praesentia, quia non modo aliquo hujus seculi, sed mystico, supernaturali et incomprehensibili corpus et sanguis Christi in hoc mysterio adsunt. Quidam ex nostratibus secuti Cyrillum lib. 10. in Joh c. 13. *corporalem* praesentiam vocarunt respectu habito ad objectum, nequaquam vero ad modum; voluerunt hoc dicere, non solam virtutem et efficaciam, sed ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentem esse; opposuerunt enim hanc vocem praesentiae spirituali, prout ab adversariis ea definitur, nequaquam vero hoc voluerunt, quod modo corporali et quantitativo corpus Christi praesens sit. Sic Hilarius lib. 8. de Trin. pag. 101. asserit, *Christi carnem naturaliter in nobis manere*, quod ibidem sic exponit, *per naturae veritatem Christum in nobis esse, non tantum per concordiam voluntatis.*

99. Pro confirmatione nostrae sententiae producimus hoc argumentum: Quidquid Christus instituit ac ordinavit, illud vere ipsum praestare firmiter est credendum. Atqui Christus veram, realem et substantialem corporis et sanguinis sui in sacra coena praesentiam instituit ac ordinavit. Ergo vera, realis et substantialis corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentia firmiter est credenda. Ad Majoris declarationem et confirmationem hoc notandum: 1. quod voluntas et facultas sint duo actionum principia et necessaria et sufficientia. In actionibus humanis posita voluntate non statim ponitur facultas, quia non omnia, quae homines volunt, etiam praestare possunt propter virium ἀδυναμίαν; sed in actionibus divinis res aliter se habet, posita enim voltuntate statim ponitur facultas propter infinitam Dei potentiam, Psalm. 115, v. 3: *Dominus noster in coelo, quaecunque voluit, fecit.* Luc. 1, v. 37: *Apud Deum non est impossibile omne verbum.* Quare cum Christus sit ἀνθρωπόθεος unus, Confirmatio nostrae sententiae per generalem quendam syllogismum.

verus cum Patre et Spiritu s. Deus, ideo quaecunque vult, ordinat ac instituit, ea etiam praestare et efficere potest. **Beza cont. Selneccerum p. 115: *Concludimus ergo, Christum non modo nolle, verum etiam non posse velle corpus illud suum verum et περίγραπτον multis simul in locis in usu coenae sistere.* Danaeus contr. Chem. p. 443: *Deum id facere non posse, ut corpus Christi verum sit in pluribus locis.* Mart. in dial. f. 568. Simlerus contr. Jac. Andr. p. 55. Tigurini cont. Test. Brent. f. 94. Beza in coll. Momp. p. 33.** Si Christus
X. 169. esset nudus tantum homo et voluntas et facultas distincte probanda essent, sed cum sit non tantum homo, sed et verus ac omnipotens deus, ideo posita et probata voluntate statim ponitur ac probatur ipsa actio, inde etiam majorem propositionem non formavimus hoc modo, quidquid Christus vult et potest, illud etiam praestat, cum omne quod vult etiam possit, id si negatum eant adversarii, ipsam Dei omnipotentiam proterve negant. 2. Quod falso nobis tribuant adversarii, nos a Dei omnipotentia ita nude ac crude argumentari: Deus potest efficere, ut corpus Christi vere et realiter praesens sit in coena. Ergo vere praesens est. At ipsimet novimus, Deum multa posse, quae tamen nec facit, nec vult facere, θεὸς πάντα ὅσα θέλει, δύναται, οὐχ ὅσα δὲ δύναται, θέλει ait Damascenus lib. 1. orth. fid. cap. ult. Ergo non ab omnipotentia Dei, sed a voluntate Christi in verbis institutionis expressa argumentamur, quod Christus corporis et sanguinis sui praesentiam in sacra coena ordinaverit ac instituerit, cum vero omnia, quae vult ac promittit, praestare possit, ideo de complemento dubitandum non esse dicimus. 3. Quod τὰ θελητὰ sint duorum generum, ut exposuimus in tract. de elect. et reprobat. §. 75. quaedam vult Deus absolute et simpliciter, quaedam vero certa conditione; in posteriori τῶν θελητῶν genere a voluntate ad effectum ipsum non licet procedere, sed tantum in priori, ad quod cum sacrae coenae institutio pertineat, de majore nulla restat dubitatio.

Prima classis argumentorum pro adstruenda reali et substantiali corporis Christi praesentia petitur ex Dominica institutione.

100. Constituemus autem distinctas argumentorum classes, quibus minorem argumenti nostri demonstremus. Primam classem suppeditat Dominica institutio. Verba sacrae coenae κατὰ ῥητὸν, in sensu literali et proprio accipienda sunt, ut superius fuit evictum. Atqui eo modo ac sensu accepta realem et substantialem corporis et sanguinis Christi praesentiam inferunt, quod sic ostendimus: 1. Id quod in sacra coena manducandum ac bibendum nobis datur, illud vere, realiter ac substantialiter praesens est, quia λῆψις in manducatione ac bibitione consistens praerequirit δόσιν, propter mutuam relationem; δόσις praerequirit veram praesentiam. Jam vero juxta ipsius Christi veracis et omnipotentis assertionem in sacra coena non solum panis, sed etiam corpus ipsius nobis manducandum datur, siquidem porrecto pane benedicto dicebat ad apostolos: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Porrecto benedicto calice dicebat: *Bibite, hoc est sanguis meus.* Quod vero in prima coena, quae est regula, forma et exemplar reliquarum omnium, manducandum ac bibendum Christus dedit apostolis, illud adhuc hodie in eucharistiae administratione manducatur et bibitur vi ordinationis, institutionis et mandati: *Hoc facite.* Ergo corpus et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter in sacra coena sunt praesentia. Si obvertere velint, ex manducatione et bibitione non posse realem et substantialem praesentiam evinci, propterea quod manducatio et bibitio spiritualis, quae fit fide coelos subvolante, intelligenda veniat; repetenda sunt fundamenta superius exposita, quibus τὸ ῥητὸν in verbis hujus testamenti retinendum esse ostendimus. 2. Quod corpus in ara crucis pro nobis datum, illud in sacra coena praesens est et manducandum nobis datur juxta assertionem ipsius Christi: *Edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Qui sanguis in ara crucis in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ille in sacra coena praesens est et bibendus nobis datur juxta ejusdem assertionem: *Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Jam vero non typicum, non figurativum, sed verum, reale et substantiale Christi corpus in ara crucis pro nobis datum; non typicus, non figurativus, sed verus, realis et substantialis Christi sanguis in ara crucis pro nobis effusus est. Ergo non typicum X. 1
et figurativum, sed verum, reale et substantiale Christi corpus in sacra coena praesens est et manducandum nobis datur; non typicus, non figurativus, sed verus, realis et substantialis Christi sanguis in sacra coena praesens est ac bibendus nobis datur. Si obvertere velint τὸ *quod* exponendum esse per *quatenus*, repetenda sunt fundamenta τοῦ ῥητοῦ. 3. Sanguis novi testamenti, hoc est ille sanguis, quo novum testamentum sancitum est et confirmatum, est verus, realis et substantialis Christi sanguis. Ut enim vetus testamentum sanguine juvencorum typico, ita novum vero Christi sanguine sancitum est et confirmatum, ut docet epistola ad Hebraeos 9, v. 12. Jam vero Christus testatur, sanguinem novi testamenti in sacra coena nobis bibendum dari. Ergo verus, realis et substantialis Christi sanguis in sacra coena nobis bibendus datur. Cum Moyses sanguine juvencorum typico populum adspergeret, dixit: *En sanguis foederis, quod pepigit Jehovah vobiscum* Exod. 24, v. 8. Sed in confirmatione et applicatione novi testamenti Christus non typicum, sed suum sanguinem nobis bibendum tradit, ideoque formulam foederalem in V. T. usurpatam adjectis differentiae causa duabus vocibus *(meus* et *novi)* ad novum foedus suo proprio sanguine sancitum applicat. 4. Novum testamentum non amplius habet σκιάν, *umbram et imaginem futurorum bonorum*, sed ipsam εἰκόνα, *substantiam et expressam rerum imaginem*, Coloss. 2, v. 17. Hebr. 10, v. 1. (ubi per futura bona non possunt intelligi beneficia passionis et mortis Christi, quae fidelibus utriusque testamenti sunt communia, sed

Digitized by Google

intelliguntur corpus et sanguis Christi, cujus typi in V. T. praecesserunt, ut alibi late docuimus). Sacra coena est sacramentum novi testamenti. Ergo non habet figuram vel imaginem futurorum bonorum, id est corporis et sanguinis Christi, sed ipsam corporis et sanguinis Christi substantiam. 5. Calicem eucharisticum vocat Christus *novum testamentum* Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 25. nimirum juxta explicationem immediate subjectam *in suo sanguine* sive propter suum sanguinem, hoc est quia non solum vinum, sed etiam Christi sanguis vere praesens ex eo hauritur, unde sic colligimus: Ex calice eucharistico aut bibitur tantum vinum, aut cum vino etiam Christi sanguis. Non prius, quia hac ratione calix non esset, nec dici posset novum testamentum, quippe quod non vino, sed Christi sanguine est sancitum, atque ejus applicatio et confirmatio non fit bibitione nudi vini, sed bibitione sanguinis Christi sacramentaliter vino uniti, docente Christo: *Bibite, hoc est sanguis meus novi testamenti.* Relinquitur ergo posterius. 6. Calix eucharisticus dicitur pro nobis effusus, Luc. 22, v. 20: *Hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quod poculum pro vobis effunditur, τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον.* Ex textu Graeco evidenter constat, nec ad *διαθήκην*, nec ad *αἵματι τὸ ἐκχυνόμενον* referri posse, necessario igitur referendum ad *τὸ ποτήριον.* At quomodo poculum sacrae coenae pro nobis effusum? nulla certe ratione alia, quum quia sacramentaliter sibi unitum ac praesentem habet Christi sanguinem pro nobis effusum, quem ex illo bibimus. Cuicunque tribuitur proprium sanguinis Christi, illi praesentem et unitum oportet esse sanguinem Christi, alias foret praedicatio mere verbalis. Jam vero calici eucharistico tribuitur proprium sanguinis Christi, videlicet effundi pro nobis, ergo calici eucharistico praesentem et unitum esse oportet sanguinem Christi. Vis clarius? Ubicunque subjecto tribuitur, quod ipsi in se ac per se ratione essentiae vel inhaerentiae non convenit, ibi exprimitur unio intercedens subjecto cum eo, cujus proprium est illud, quod de subjecto praedicatur. Ratio connexionis est manifesta, quidquid enim de subjecto vere et realiter praedicatur, illud vel per essentiam vel per inhaerentiam vel ratione unionis cujusdam ei convenit; quartum non datur, quod enim de sola permutatione nominum ab adversariis affertur, in praedicationibus realibus non habet locum. Atqui in verbis Christi: *Hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur*, tribuitur poculo tale quid, quod non convenit ei in se ac per se ratione essentiae vel inhaerentiae. Ergo exprimitur unio inter poculum et illud, cujus proprium est effundi pro nobis, id est Christi sanguinem. Est autem illa unio sa-
X. 171. cramentalis. Breviter, de poculo praedicatur, quod sit pro nobis effusum, quia ex poculo eucharistico non solum vinum, sed et sanguis Christi, qui pro nobis effusus est, hauritur. **Ipse Andr. Radeccius Photinianus in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem vanae dissolutionis nodi Gordii p. 47: *Possunt*, ait, *verba illa*, pro vobis effusus, *ad sanguinem referri, licet mutato genere in Graeco sermone, cui simile quid est Apoc. 1, v. 5. ubi pro ὅς ponitur ὁ. Calix autem effusus est, quatenus vinum infusum et deinde bibitum repraesentavit futuram tunc Christi sanguinis effusionem.*** *Atqui*, inquis, *si de poculo dici potest, quod sit pro nobis effusum, quia continet sanguinem pro nobis effusum, etiam de pane eucharistico dici poterit, quod sit pro nobis crucifixus, quia continet sacramentaliter corpus Christi pro nobis crucifixum.* Respondet D. Weberus tract. de euchar. c. 2. sect. 4. fol. 17. esse disparem rationem. Quando enim de poculo sacramentali dicitur, quod sit pro nobis effusum, tunc praedicatur partis affectio de toto, et recte quidem, quod enim est partis qua pars, id etiam est totius secundum illam partem. Quando autem crucifixio de pane enuntiatur, tunc partis affectio praedicatur de parte, non vero de toto; at hoc, non illud fieri debere jubent bene disserendi regulae. 7. Si Christo propositum fuisset externa elementa sive signa sacramentalia tantummodo permutare, cum in locum agni paschalis sacram coenam instituteret, ac si nullam aliam corporis et sanguinis sui praesentiam et communicationem voluisset instituere, quam quae in V. T. locum habuit; consequens foret, quod in locum signorum perspicue et clare signantium signa minus clara et perspicua substituisset. Consequens est absurdum. Ergo et antecedens. Connexio probatur, quia mactatio et manducatio agni paschalis longe clarius significat et adumbrat Christi passionem et sanguinis agni paschalis effusio longe clarius significat sanguinis Christi effusionem, quam manducatio panis et bibitio vini in sacra coena. Quin imo consequens etiam foret, coenas domesticas, in quibus ad saturitatem comedimus, aptiores esse ad celebrationem sacrae coenae, quia scilicet spiritualis animae cibatio clarius denotaretur per corporis saturationem. At consequens negat apostolus 1. Cor. 11, v. 34. Ergo nec antecedens concedendum.

101. Alteram argumentorum classem suppeditat Paulina conclusio. Apostolus Paulus in institutione Christi sic colligit 1. Cor. 10, v. 15: *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quid dico* (hanc prudentiam spiritualem hauserant Corinthii ex verbis institutionis, quae sequenti statim capite apostolus repetit et inculcat); v. 16: *calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Quod in sacra coena distribuitur et communicatur, illud utique vere praesens est. In sacra coena mediante benedicto pane Christi corpus et mediante benedicto vino Christi sanguis distribuitur et communicatur. Ergo corpus et sanguis Christi vere sunt praesentia in sacra coena. Eorum, quae a se invicem longissime remota sunt, alterum alterius *κοινωνία* esse nequit. Atqui panis ex assertione apostoli est *κοινωνία* corporis Christi. Ergo panis et corpus Christi non sunt a se invicem

Secunda classis argumentorum nostrorum petitur ex Paulo 1. Cor. 10.

Digitized by Google

longissime remota, sed potius unita et per consequens invicem praesentissima. Observa autem 1. quod de externis symbolis rei coelestis communicatio praedicetur, pani enim fracto et distributo tribuitur, quod sit communicatio corporis Christi; vino benedicto et distributo tribuitur, quod sit communicatio sanguinis Christi; loquitur ergo non de spirituali corporis et sanguinis Christi communicatione, quae fit mediante fide, sed de sacramentali eorundem participatione, quae fit mediante panis fracti manducatione et vini benedicti bibitione. **Quodcunque igitur est per *κοινωνίαν* aliquid, id cum eo, quod per *κοινωνίαν* esse dicitur, realiter est unitum, adeoque id sibi habet praesens. At panis eucharisticus per *κοινωνίαν* secundum apostolum et corpus Domini et vinum per *κοινωνίαν* est sanguis Domini. Ergo panis eucharisticus cum corpore Domini et vinum eucharisticum cum sanguine Domini realiter est unitum, adeoque panis corpus, vinum sanguinem habet praesentem. Major probatur. Nam in eo distinguitur simplex et nuda significatio a significatione, quae *κοινωνίαν* rei adjunctam habet sive in ea fundata est, vel signum nudum ab ejusmodi signo, quod per *κοινωνίαν* signati signum est, quod illa significatio sive signum a re signata abesse potest, haec vero realissimam requirit
X. 172. praesentiam.** 2. Quod notanter asserat apostolus, panem eucharisticum esse communicationem non beneficiorum, sed ipsius corporis Christi, quam emphasin merito urget Apologia Augustanae confessionis, ex eo namque immote colligitur, corpus Christi vere praesens esse in coena, non tantum ratione beneficiorum et efficaciae, sed etiam ratione substantiae. 3. Quod distincte exprimatur communicatio corporis et communicatio sanguinis Christi. Atqui si communicatio illa intelligenda esset de spirituali solum communicatione, non opus fuisset distincte nominare corpus et sanguinem Christi, quia fides Christum uno actu complectitur, ut ex Johann. 6. manifestum. 4. Quod apostolus de tali *κοινωνίᾳ* corporis et sanguinis Christi loquatur, quae omnibus coenae convivis dignis pariter et indignis conveniat, quia omnes sacra coena utentes et hypocritas quidem nominatim quasi alloquitur, eosdem ab usu idolothytorum in sequentibus versibus dehortando. In sequenti etiam capite communicationem indignorum disertis verbis adstruit, ut suo loco videbimus, jam vero spiritualis manducatio solis vere piis et fidelibus convenit. Triplex igitur *κοινωνία* ab apostolo constituitur: 1. sacramentalis corporis et sanguinis Christi participatio, quae fit mediante benedicto pane et vino, 1. Cor. 10, v. 16; 2. spiritualis totius Christi et omnium beneficiorum ejus apprehensio, quae fit vera fide, 1. Cor. 11, v. 26; 3. communio corporis ecclesiae, 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus.* Prima *κοινωνία* est fundamentum reliquarum, quia spiritualis participatio Christi et beneficiorum ejus confirmatur et obsignatur in credentibus per *κοινωνίαν* sacramentalem. Communio corporis ecclesiae docendi causa potest statui duplex: Externa scilicet et interna; externa versatur inter omnes, qui eandem doctrinam amplectuntur et iisdem sacramentis utuntur; interna versatur inter solos vere credentes, qui Spiritum Christi habent. Externa corporis ecclesiae communio oritur ex *κοινωνίᾳ* sacramentali; interna vero ex *κοινωνίᾳ* spirituali. Potest etiam observari phrasis apostolica: *Panis, quem frangimus*, (inquit) *est communicatio corporis Christi; calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* Quidam existimant, esse in his verbis antonomasian Scripturae usitatam, juxta quam phrasi Hebraica abstractum pro concreto ponatur hoc sensu: *panis est communicatio corporis Christi*, hoc est ipsum corpus communicatum. Hilarius lib. 8. de Trinit.: *Est communicata, id est distributa caro Christi.* Lutherus in lib. visitat.: Das Brod, das wir brechen, ist der ausgetheilte Leib Christi, quae interpretatio nequaquam potest repudiari, sed quia terminus *κοινωνίας* est relativus et quia subjectum in propositione apostolica certo modo limitatur ac restringitur, ideo simplicius dicitur, panem eucharisticum describi ab officio et fine, quem in usu sacramentali obtinet. Panis, cui benedicimus, quem frangimus, distribuimus et manducamus, est *κοινωνία* corporis Christi, id est panis eucharisticus in usu sacramentali est organum, medium et *ὄχημα*, per quod distribuitur et communicatur corpus Christi. Panis est communicatio, id est in quo nobis communicatur, distribuitur, datur et a nobis accipitur corpus Christi, quam explicationem repetit Philippus in conventu Wormatiensi anno 1557. Panis eucharistici officium et finis est exhibere et communicare corpus Christi, quippe quod sacramentaliter ei est unitum. Jam vero quando duo sunt modo quodam unita, tunc alterum mediante altero communicatur, et alterum est alterius communicatio propter unionem utrique X. 173.
intercedentem. Nec absurde statuitur, quamvis panis eucharisticus sit tam *μετοχή* quam *κοινωνία* corporis Christi, apostolum tamen ideo voce *κοινωνίας* quam *μετοχῆς* uti maluisse, quia praeter sacramentalem corporis et sanguinis Christi participationem simul exprimere voluit spiritualem illam unionem cum Christo et reliquis veris ecclesiae membris, cujus medium et sigillum in credentibus est sacramentalis illa *κοινωνία* ac participatio. Unde postmodum immediate subjicit: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus*, *μετέχομεν.* Chrysostomus in hoc loco: *οὐ τῷ μετέχειν μόνον καὶ τῷ μεταλαμβάνειν κοινωνοῦμεν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἑνοῦσθαι. Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ Χριστῷ, οὕτως καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα.* Hisce probe observatis corruunt objectiones adversariorum contra hunc locum apostolicum. 1. Quidam putant, *κοινωνίαν significare illam societatem, quam fideles inter se habent.* Marloratus in hoc loco: atqui apostolus loquitur de *κοινωνίᾳ* corporis Christi non mystici, sed naturalis, cum panem appellet *κοινωνίαν* corporis, vinum autem *κοινωνίαν* sanguinis Christi. 2. Quidam *κοινωνίαν* explicant non *per realem ac sacramentalem participationem,*

Digitized by Google

sed per spiritualem μέθεξιν, quae fit per fidem. Atqui apostolus de tali κοινωνίᾳ loquitur, quae dignis et indignis communis est, ut ostendimus. 3. Quidam κοινωνίαν exponunt *per signum et sigillum κοινωνίας.* **Tossanus in notis marginalibus ad Biblia 1. Cor. 10, v. 16: *Vinum, quod est in poculo, est certum signum, sigillum et pignus communionis sanguinis Christi, quod omnes credentes in Christum sanguine Christi pro nobis effuso vere fruantur.*** Atqui aliud est κοινωνία, aliud κοινωνίας tantummodo signum. Et quae tandem emerget verborum paraphrasis: panis est signum communicationis signi corporis? nam vocem corporis pro signo corporis in verbis coenae exponendam esse disputant. **Nota igitur 1. Si Christus instituisset tale sacramentum, in quo panis esset tantummodo signum absentis corporis et vinum absentis sanguinis, certe sacramentum agni paschalis non sustulisset, quia agni separatio, mactatio, comestio etc. longe clarius significat Christi passionem quam manducatio panis. Hoc argumentum multis declarat B. Lutherus in conf. major. p. 65. Excipiunt Calviniani: *1. In evangelio esse claritatem majorem.* At hic non est quaestio de claritate in evangelio, sed in signis sacramentalibus; *2. distinguendum esse inter signa Christi futuri et exhibiti.* Respondemus: sed nec hac ratione in ipso signo major claritas ostendi potest. 2. Quod est pani eucharistico commune cum pane vulgari, in eo non consistit sacramentale officium eucharistici panis. At nutrire corpus et hac nutritione significare nutritionem animae per corpus Christi est commune pani eucharistico cum pane vulgari. Ergo.**

Tertia classis argumentorum ex 1. Joh. 5. petitur. 102. Tertiam argumentorum classem exhibet Johannaea assertio 1. Joh. 5, v. 6: *Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas* etc. v. 8: *quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, sanguis, et hi tres in unum sunt;* ubi per Spiritum intelligendum esse ministerium evangelii, quod est *ministerium Spiritus* 2. Cor. 3, v. 8. per aquam baptismum Joh. 3, v. 5. per sanguinem sacram coenam, ostendimus in tractatu de sacramentis §. 89. Sic ergo colligimus: 1. per quod Christus ad nos venit, illud vere praesens est. Atqui per sanguinem ad nos venit, ergo ille vere praesens est, nimirum in sacra coena, ut ex verbis institutionis discimus. 2. Quod in terris testatur, illud etiam in terris vere praesens est. Atqui sanguis Christi in terris testatur, numeratur enim inter illos tres testes, qui testimonium dant in terra. Ergo sanguis Christi vere praesens est in terris.

Testimonia patrum. X. 174. 103. Patrum dicta et plurima et evidentia afferri possunt, quorum quaedam a Joach. Westphalo et Johanne Marbachio sunt collecta. Nos memoriae juvandae ergo certas eorum constituemus classes. 1. Serio et graviter monent τῷ ῥητῷ in verbis coenae inhaerendum esse nulla habita ratione absurditatis coram ratione et sensibus nostris. Horum quaedam recensita sunt superius §. 78; 2. statuunt, ore corpus Christi percipi; 3. asserunt, etiam indignos corpus Christi in sacra coena manducare; 4. unionem sacramentalem corporis et sanguinis Christi cum symbolis externis conferunt, cum unione personali duarum naturarum in Christo. Haec dicta inferius suum habebunt locum; 5. docent etiam, corpora nostra ali corpore et sanguine Christi ad beatam resurrectionem et vitam. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 34. p. 263. edit. Gelasii: *Quomodo dicunt, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae a corpore et sanguine Domini alitur* etc. p. 264: *Quemadmodum qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti; sic et corpora nostra percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* lib. 5. c. 4. p. 318: *Vani omni modo, qui carnis salutem negant et regenerationem ejus spernunt, dicentes, non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem secundum haec videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est* etc. *Et quoniam membra ejus sumus et per creaturam nutrimur, eum calicem, qui est a creatura, suum (vel potius: proprium) sanguinem confessus est, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; et eum panem, qui est a creatura suum corpus confirmavit, ex quo auget nostra corpora. Quando ergo et mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia, quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, qui est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur et membrum ejus? quemadmodum et apostolus ait in ea quae est ad Ephesios epistola, quoniam membra sumus corporis ejus, de carne et de ossibus ejus, non de spirituali aliquo et invisibili homine dicens haec (spiritus enim neque ossa neque carnes habet), sed de ea dispositione, quae est secundum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis ejus, nutritur et de pane, qui est corpus ejus, augetur.* Tertullianus lib. de resurrectione carnis c. 8. p. 314. Commel.: *Videamus de propria Christiani nominis forma, quanta huic sub-* X. 175. *stantiae frivolae ac sordidae* (carnis) *apud Deum sit praerogativa, et caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Vide etiam Cyrillum in Joh. lib. 3. c. 36. et 37. lib. 4. c. 14. et 17. Neque tamen hoc volunt veteres, quod eucharistia nutriat vel augeat mortalem corporis nostri substantiam, ita namque eucharistiam facerent cibum ventris, non mentis; sed quod corpora nostra ad immortalitatem per eucharistiam alantur, id est suscipiant ex contactu carnis Christi vim quandam ad gloriosam resurrectionem et vitam aeternam. Bellarminus lib. 2. de eucharist. c. 4. circa finem. 6. Confirmant, Christum nobis etiam jungi participatione naturali, hoc est carnis suae communica-

tione. Cyrillus lib. 10. in Joh. c. 13: *Non negamus, recta nos fide caritateque sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis Scripturis omnino alienum esse dicimus.* ** *Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquireremus. Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim de uno pane participamus. An fortasse putat, ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse, quae cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? cur enim membra fidelium membra Christi sunt?* etc. *Salvator etiam, qui manducat carnem meam, ait, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo; unde considerandum est, non habitudine solum, quae per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, sed et participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alii cerae similiter liquefactae ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur; sic communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis est et nos in ipso.*** In declarat. anathem. 11. tom. 4. col. 140. id quod in coena proponitur, asserit esse *proprium verbi vivificantis corpus et sanguinem; et accedentes ad mysticas benedictiones participes fieri sanctae carnis et pretiosi sanguinis Christi.* Hilarius lib. 8. de trinit. p. 101. edit. Bas. anno 1570: *Si vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae jam inseparabilem sibi homo natus assumsit et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sa-*
X. 176. *cramento nobis communicandae carnis admiscuit?* pag. 102: *De naturali in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab ipso discimus, impie dicimus, ipse enim ait: Caro mea vere est esca* etc. *De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus, nunc vero et ipsius Domini professione et fide nostra vere caro est et vere sanguis est. Et haec accepta et hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit.* ** Similia habet in libr. de Patris et Filii essentia circa fin. fol. 675.** Chry-
X. 177. sostomus hom. 83. in Matth.: *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim caedi* etc. *sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa nos suum corpus efficit.* 7. Partes eucharistiae constituunt duas, rem terrenam et coelestem. Irenaeus lib. 4. c. 34: *Qui est a terra panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti.* Augustinus in sent. Prosperi: *Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium hoc duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine.* Serm. ad neoph.: *Quod videtur panis est et calix, quod etiam oculi renuntiant, quod autem fides postulat instruendum, panis est corpus, calix sanguis Christi; ista ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur; quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem.* Bernhardus serm. de coena: *In sacramento altaris attendere debes ad speciem panis, ad veritatem carnis, ad virtutem gratiae spiritualis; quod videmus, species est panis et vini, quod sub illa specie cernimus, verum est corpus et verus sanguis Christi, qui fluxit de latere.* 8. Haereseos accusant negantes praesentiam corporis et sanguinis Christi in coena. Ignatius recensente Theodoreto dial. 3. de quibusdam haereticis: *Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confitentur, eucharistiam esse carnem salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est.* Bernhardus serm. de vit. Malach.: *Fuit quidam clericus probabilis, ut fertur, vitae, sed fidei non ita, is sciolus in oculis suis praesumsit dicere, in eucharistia esse tantummodo sacramentum et non rem sacramenti, id est solam sanctificationem et non corporis veritatem.* 9. Negant, panem nudum
vel communem in sacra coena accipi, cum sit corpus X. 178.
Christi. Justinus Martyr apol. 2. pro Christian. p. 76. edit. Commel.: *οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ᾽ ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν· οὕτως καὶ τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ᾽ αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Non ut communem panem, neque ut communem potum haec sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jesus Christus salvator noster et carnem et sanguinem salutis nostrae causa habuit, sic quoque eam, inqua per orationem verbi ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, illius incarnati Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. 4. p. 195: *Cum Christus ipse sic affirmet ac dicat de pane, hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante et dicente, hic est sanguis meus, quis, inquam, dubitet et dicat, non esse illius sanguinem? Ne ergo consideres tanquam nudum panem et nudum vinum, corpus enim est et sanguis Christi secundum ipsius verba.* p. 530. in Graec.: *μὴ πρόσεχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ, σῶμα γὰρ καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν· εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω, μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνῃς τὸ πρᾶγμα, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφοροῦ ἀνενδοιάστως σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθείς.* Ambrosius lib. 4. de sacramentis c. 5. tom. 4. p. 440: *Ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quia corpus suum accipiamus et sanguinem, numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare?* Gregorius Nazianzenus orat. 2. in pasch. quaest. 42. p. 690. edit. Billii: *ἀνεπαισχύντως καὶ ἀνενδοιάστως φάγε τὸ σῶμα, πίε τὸ αἷμα, εἰ τῆς ζωῆς*

Digitized by Google

ἐπιθυμητικῶς ἔχεις. *Sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris.* Hieronymus ad Hedibiam. qu. 2: *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus deditque discipulis, esse corpus Domini salvatoris.* Anselmus 1. Cor. 11: *Manducate, inquit, quod tribuo, hoc est corpus meum; sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur in mortem.* 10. Rejiciunt voces typi et figurae, si in fraudem verae praesentiae adhibeantur. Theophylactus in c. 26. Matth. p. 116: εἰπὼν τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα δεικνύει, ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐστὶν ὁ ἄρτος ὁ ἁγιαζόμενος ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ οὐχὶ ἀντίτυπον, οὐ γὰρ εἶπε, τοῦτό ἐσιι ἀντίτυπον, ἀλλὰ τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα. in c. 14. Marc. p. 192: οὐ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος, οὐκ εἶπεν· ἀντίτυπός ἐστιν τῆς σαρκός μου, ἀλλ' ἡ σάρξ μού ἐστιν. Damascenus lib. 4. orth. fidei c. 14. p. 315: οὐκ ἔστι τύπος ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, μὴ γένοιτο, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τεθεωμένον αὐτοῦ τοῦ Κυρίου εἰπόντος· τοῦτό μού ἐστιν, οὐ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ οὐ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλα τὸ αἷμα. 11. Evidenter asserunt, corpus Christi in loco illo, in quo celebratur sacra coena, esse praesens. Canon synodi Nicenae: *In hac divina mensa non in propositum panem et calicem humiliter in-*
I. 179. *tenti sumus*, sed ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, quod sic reddidit Oecolampadius: *Mente in altum sublata fide cogitemus, in hac sacra mensa positum esse agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi* etc. *et pretiosum ejus corpus et sanguinem re vera sumentes credere oportet, haec esse resurrectionis nostrae symbola.* Chrysostomus hom. 24. in 1. Cor. p. 175: *Quando corpus Christi* προκείμενον, *propositum, vides in altari, dic tecum: propter hoc corpus coelum et quae in eo bona sunt accepturum me spero.* 12. Modum praesentiae statuunt esse mysticum, coelestem, supernaturalem et incomprehensibilem. Hilarius lib. 8. de Trinit. p. 102: *Nos vere sub mysterio carnem corporis ejus (Christi) sumimus et per hoc unum sumus.* Ephraem Syrus de nat. Dei curiose non scrutanda c. 5: *Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem metum omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus Dei Filius salvator noster, ignem et Spiritum manducandum ac bibendum praestitit nobis, corpus scilicet et sanguinem suum. Esto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima certus, quod agnum ipsum integre comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi; noli temere ea perscrutari, ne comburaris.* 13. Provocant ad Christi veracis omnipotentiam. Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 4. tom. 4. p. 439: *Sermo Christi conficit hoc sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia: jussit Dominus, et factum est coelum; jussit Dominus, et facta est terra; jussit Dominus, et facta sunt maria; jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant et in aliud commutentur.* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 14. p. 316: *Si verbum Dei vivens est et efficax, et omnia quaecunque voluit Deus fecit, si dixit: fiat lux, et facta est; fiat firmamentum, et factum est; si verbo Dei coeli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum; si coelum et terra, aqua, ignis et aër et omnis ornatus eorum verbo Domini perfecta sunt et homo ipse* τὸ πολυθρύλλητον ζῶον; *si volens ipse Deus Verbum factus est homo, et non potest panem sui ipsius corpus facere et vinum et aquam sanguinem?* Paschasius de sacr. c. 1. in biblioth. patrum tom. 6. p. 300: *Si rationem quaeris, quis explicare poterit aut verbis comprehendere? imo scias quaeso, quia ratio in virtute Christi est scientia in fide, causa in potestate, effectus vero in voluntate, quod potentia divinitatis contra naturam ultra rationis nostrae capacitatem efficaciter operatur.* 14. Distinguunt sacramenta V. et N. T. eo modo, ut in illis typos ac figuras, in his vero rem ipsam praesentem statuant. Ambrosius de iis qui mysteriis initiantur c. 9. tom. 4. p. 427: *Considera, utrum praestantior sit panis angelorum* (manna), *an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e coelo, hoc supra coelum; illud coeli, hoc Domini coelorum; et potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de coelo.* Hieronymus in c. 1. epist. Tit.: *Tantum interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter imaginem et veritatem, inter exemplaria verorum et ea ipsa, quae per exemplaria praefigurabantur.* Vide etiam Chrysostomum in c. 6. Joh. Cyrillum lib. 4. in Joh. c. 28. Augustinum in qq. V. et N. T. q. 95. etc. 15. Opinionem Manichaeam de corpore Christi phantastico ex articulo verae et realis praesentiae in coena refutant, ut constat ex Irenaeo lib. 4. adv. haeres. c. 57: *Quomodo juste Dominus, si alterius patris exsistit hujus conditionis, quae est secundum nos accipiens panem suum corpus confitebatur et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Tertullianus libr. 4. contra Marcionem c. 40: *Figura corporis non fuisset panis, nisi veritatis esset corpus.* 16. Cultum religiosae adorationis ad Christum θεάνθρωπον in coena praesentem dirigendum esse docent. Ambrosius libr. 3. de Spiritu s. c. 12. circa med.: *Illam terram adorandam dicit propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumtione suscepit, itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi,* X. 180.
quam hodie in mysteriis adoramus et quam apostoli in Domino Jesu adorarunt. Idem repetit Augustinus in enarrat. Psalm. 98. 17. Denique primitiva ecclesia ab ethnicis onerata fuit crimine τῆς ἀνθρωποφαγίας. Justinus apolog. 2. pro Christ.

Digitized by Google

p. 54. inter δύσφημα καὶ μυθολογούμενα ἔργα Christianis objecta numerat ἀνθρωπείων σαρκῶν βοράς. Tertullianus in apolog. c. 7. p. 24. edit. Com.: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo inde.* (In quae verba sic commentatur Franc. Zephyrus: *Suspicio de sacramento infanticidii invaluit ex eo, quod in Christiano dogmate haberi audiebant: caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Cumque tormenta Christi tenebrasque illas in memoriam ejus Christiani repraesentarent, facile persuasum est malevolis mysterium panis non intelligentibus, ut ibi se ferinis ritibus contaminarent.)* Notum est Averrhois convicium, *se perambulasse orbem terrarum, nec invenisse gentem scelestiorem sub sole, quam Christianos, quippe qui comedant Deum suum.* Unde vero hujus accusationis, δυσφημίας ac βλασφημίας, occasio, quam quod pii veteres veram et realem corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam sunt professi? ** Cordate Thomas Crammerus archiepiscopus Cantuariensis in epistola ad Joachimum Vadianum consulem apud S. Gallum in Helvet. edita a Quirino Reutero professore Heidelb. Offenbachii ann. 1610: *Nisi certiora videro, quam hactenus videre potui, sententiae illius verae* (de ἀπουσίᾳ corporis et sanguinis Christi) *nec patronus nec adstipulator esse volo. Et plane mihi vel ex eo maxime persuasum est, causam esse non bonam, quod eam viri tam ingeniosi, tam diserti tamque omnibus artibus et disciplinis instructi non videamini satis valide tueri ac sustinere. Vidi pleraque omnia, quas vel ab Oecolampadio vel a Zwinglio scripta sunt et edita, didicique, omnium hominum omnia cum delectu esse legenda.* Et postea: *Ut ingenia vestra quantumcunque versaveritis, mihi tamen certe nunquam approbaveritis nec cuiquam opinor aequo lectori veteres illos auctores in hac controversia pro vestra facere sententia.* Item: *Quamobrem cum haec, quam tenemus, catholica fides de vera praesentia corporis tam apertis ac manifestis Scripturis fuerit ecclesiae ab initio promulgata et eadem postea per primos ecclesiasticos scriptores fidelium auribus tam clare tamque studiose commendata, ne quaeso ne mihi pergatis eam bene radicatam et suffultam velle amplius convellere aut subruere. Satis jam satis tentatum est hactenus, et nisi super firmam petram fuisset firmiter aedificata, jamdudum cum magnae ruinae fragore cecidisset. Dici non potest, quantum haec tam cruenta controversia cum per universum orbem Christianum, tum maxime apud nos bene currenti verbo evangelii obstiterit.***

Antithesis Calvinianorum. 104. Huic sententiae de vera, reali et substantiali corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentia strenue obloquuntur Calviniani, non uno tamen eodemque modo. 1. Quidam enim aperte absque ullis verborum involucris profitentur, quod in corde statuunt, videlicet ἀπουσίαν corporis et sanguinis Christi. Beza in colloq. Possiaceno et epist. 5. volum. 3. tract. theolog. p. 204: *A loco, in quo coenam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quam abest coelum a terra.* part 1. resp. ad colloq. p. 75. *signa in terris sita esse* ait, *res autem significatas in coelis positas, et tamen illarum etiam esse verissimam conjunctionem;* (an vere hoc asseratur, paulo post videbimus), *quantumvis tanto a nobis intervallo essentia sua distent, quanto beatorum illae sedes supra omnes coelos e terris absunt.* **Calvinus in consens. cum Tigur. in re sacrament. anno 1549: *Cum in coelo quaerendum esse Christum dicimus, haec locutio locorum distantiam nobis sonat et exprimit. Tametsi enim philosophice loquendo supra coelos locus non est, quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura et modus, finitum est et coelo, ut loco, continetur, necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quanto coelum abest a terra.* Beza in coll. Possiaceno anno 1561: *Quod ad spatia locorum attinet, corpus Christi tanto locorum intervallo a pane et vino sacrae coenae distat, quantum coelum a terra distat.*** Piscator in quaest. rhetor. de verbis Domini: Hoc est corpus meum p. 29: *Hic quaeret fortassis ali-* X. 181.
quis ex me, inquit, *an non concedam verbis illis Domini, hoc est corpus meum, significari aliquam corporis Christi praesentiam? non concedo, inquam.* Inde non verentur conviciis et calumniis nostram de coena confessionem insectari. Tribuunt enim nobis συνουσίαν, *consubstantiationem*, *coëxistentiam corporis ad locum panis*, Sadeel in lib. de mand. sacram. *inexistentiam ac delitescentiam corpusculi sui sub pane, impanationem*, Martyr class. 4. loc. c. de euch. κρεοφαγίαν. Beza in lib. pecul. Beiweselung oder Mitweselung Anat. Marpurgens. Ursinus *penetrationem duorum corporum* nos introducere asserit. Sadeel c. 12. refut. thes. Posn. et Beza in creoph. p. 18. scribunt, sententiam nostram de reali praesentia corporis et sanguinis Christi in coena *ex cloaca et fermento transsubstantiationis Pontificiae deductam esse, qua etiam longe sit improbabilior.* Consid. commonef. p. 38. *arto Christum a nobis introduci* scribit. Convicia de *Deo impanato* jamdum D. Lutheri tempore ab adversariis audiebantur. 2. Quidam contra τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferre edocti ὅμοια μὲν λέγουσι, ἀνόμοια δὲ φρονοῦσι, aegre enim ferunt, sibi tribui sententiam de ἀπουσίᾳ corporis, *cum non de ipsa praesentia, sed de modo saltem praesentiae quaestionem esse* scribant, ideo student phrases ecclesiae imitari et totam controversiam adeo extenuant, ut X. 182.
eam non impingere dicant in aliquem fidei articulum, sed esse meram λογομαχίαν. Calvinus lib. 4. institut. c. 17. §. 10: *Omnino piis isthaec tenenda* X. 183.
et regula, quoties symbola vident a Domino instituta, illi certae rei veritatem adesse certo cogitent et sibi persuadeant. Confer §. 5. 7. 17. 21. 32. ejusdem cap. et libri. Consid. commonef. c. 2. pag. 109. *corpus Christi in coena praesentissimum esse* dicit. **Idem Calvinus in c. 5. Ephes. p. 189. edit. anno 1548: *Praeposteri sunt, qui nihilo plus*

Digitized by Google

in hac re credunt, quam ingenii sui modulo consecuti fuerint. Cum nobis in sacra coena carnem et sanguinem Christi exhiberi negant, modum, inquiunt, definias aut non persuadebis. Atqui ego mysterii altitudine in stuporem abripior. Neque vero me pudet admiratione meam ignorantiam cum Paulo fateri. Quanto enim id satius, quam extenuare carnis meae sensu, quod Paulus altum mysterium esse pronuntiat. Quidquid enim supernaturale est, id profecto captum ingenii nostri superat. In comm. 1. Cor. 11: *Christus visibile illud symbolum nobis porrigendo una dat etiam nobis suum corpus. Neque enim fallax est, quo vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi est extra controversiam, veritatem hic cum suo signo conjunctam esse. Item: Audio, quid verba sonent, neque enim mortis tantum ac resurrectionis suae beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum, in quo passus est et resurrexit.* lib. de vera ecclesiae reformatione p. 326. inter tract. theolog. edit. anno 1612: *Pronuntiat Christus, se corpus et sanguinem suum dare panem et vinum porrigendo; hoc totum recipimus, nec vero dubitamus, quin sua constet promissioni fides, quae certe constare nequit, quin res exhibeatur ipsa.* p. 327. b: *Corpus suum nobis Christus porrigit, sed edendum; sanguinem suum propinat, sed bibendum.* In optima concordiae ratione p. 1002. citante D. Pelargo ad Notas non candidi pag. 159: *In sacra coena miraculum agnoscimus, quod et naturae fines et sensus nostri modum excedit.* ** Perkinsus in cathol. reform. controv. 10. c. 1. fatetur, *corpus Christi in coena realissime exhiberi;* c. 2. *non de ipsa praesentia corporis et sanguinis in coena, sed de modo duntaxat quaestionem esse* scribit. Pezelius libr. de coena p. 44. dicit, se profiteri, *objectum hujus κοινωνίας esse non tantum divinitatem aut Spiritum aut meritum ejus, aut efficaciam corporis, sed ipsam Christi carnem et sanguinem.* p. 42. *contrarium suis per calumniam tribui* conqueritur. Rodolph. Gualtherus in epist. dedicat. ad Wilhelmum Hassiae Landgravium commentario epist. ad Romanos praefixa: *Dolendum est, homines alioqui cordatos et non male affectos adeo caecutire, ut ob certamen sacramentarium et sic levi de causa offendantur et tantum non quod in proverbio dicitur, in culicis morsu Herculem invocent.* Isaacus Casaubonus in resp. ad epistol. Perronii nomine regis Angliae scripta pag. 35. ex lib. episcopi Eliensis contra Bellarminum: *Quod cardinalem non latet, nisi volentem et ultro, dixit Christus, hoc est corpus meum; non, hoc modo hoc est corpus meum. Nobis autem vobiscum de objecto convenit, de modo lis est. De hoc est firma fide tenemus; de hoc modo est (nempe per transsubstantiationem), de modo, quo fiat, ut sit per, sive in, sive cum, sive sub, sive trans, nullum inibi verbum est. Et quia verbum nullum merito a fide ablegamus procul, inter scita scholae fortasse, inter fidei articulos non ponimus. Quod dixisse olim fertur Durandus, neutiquam nobis displicet, verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus. Praesentiam, inquam, credimus non minus quam vos veram; de modo praesentiae nihil temere definimus, addo, nec anxie inquirimus, non magis quam in baptismo nostro, quomodo abluit nos sanguis Christi; non magis quam in Christi incarnatione, quomodo naturae divinae humana in eandem hypostasin uniatur.* **Negant Calviniani, controversiam eucharisticam esse de aliquo fidei articulo, Cingl. tom 2. fol. 374. in apol. ad serm. Lutheri contra Suermeros, Erasmus Sabin. Hofnerus, alias Hermannus Fabron. libr. Casselis edito anno 1607. cui titulus Lutheraner und Calvinisten c. 1. rationem addit Steinius in Gretsero triumph. c. 5. p. 57. edit. Heidelb. anno 1605. quia quod non est in symbolo, id nec credendum. Respondemus: 1. Controversia de sanctorum communione est de articulo fidei. At controversia de coena est de sanctorum communione, teste apostolo 1. Cor. 10, v. 17. 2. Si fides est adversariis coenae forma, ergo circa eam controversiae sunt de art. fidei. 3. Si juxta Epiphanium in ancor. is, *qui non credit de hoc mysterio, ipsum verum esse, sicut ῥητῶς Christus asseverat, excidit e gratia Dei et salute, si* juxta Theodoretum dial. 3. *statim post apostolorum tempora qui negabant, eucharistiam constare duabus rebus, terrena et coelesti, publicitus pronuntiabantur haeretici;* utique non erit controversia verbalis. 4. Controversia, in cujus dijudicatione prava judicium damnationis aeternae, reatus corporis et sanguinis Domini contrahitur, verbalis non est. At haec talis 1. Cor. 11. 5. An verbales vocabis controversias, quae tibi cum Capernaitis et Christi homicidis intercedunt? his enim nos ornas titulis. 6. Bilstenius in logicis lib. 1. p. 113. edit. Hanov. anno 1594 caput Johannis 6. *referri ad coenam, esse sub ratione articuli fidei credendum, ut dicat, Ubiquitarios nisi in aeternum velint damnari, idem ut profiteantur cogi.* Quid ergo fiet de sacra coena? an non eo magis inter fidei articulos locum habebit? Ergo non est λογομαχία, sed μυστηριομαχία. 7. Quae ad cultum divinum pertinent, ea etiam ad articulos fidei pertinent. Sed sacramenta pertinent ad cultum divinum. Exod. 12, v, 26: *Quando filii vestri interrogabunt: Quid opus hoc vobis? in quae* verba sic commentatur Tossanus: *Sacramenta sunt pars cultus, quem Deo praestare tenemur.* **

105. Speciose igitur et plausibiliter haec, quod controversia de s. eucharistia non sit de articulo fidei, dicuntur, nec dubitamus de quamplurimis auditoribus in ecclesiis Calvinianorum verum esse illud, quod puriores sint ipsorum aures, quam docentium labia, interim tamen si adversae partis scripta et argumenta expendere velimus, fateri omnino cogimur, non de modo praesentiae (quem ipsimet fatemur esse mysticum et inscrutabilem), sed de ipsa praesentia corporis et sanguinis Christi quaestionem esse. Contendunt enim adversarii: 1. corpus Christi non nisi in coelo substantialiter praesens

X. 184. An de modo duntaxat praesentiae, non de ipsa praesentia quaestio sit.

Digitized by Google

esse, unde ex articulo adscensionis contra praesentiam corporis in coena argumentum petunt; 2. Christum juxta humanam naturam in terris non esse praesentem, sed coelo usque ad extremum diem capi ac teneri; 3. praesentiam in pluribus locis evertere naturam veri corporis, unde ex proprietatibus veri corporis contra nostram sententiam argumentantur; 4. corpus Christi tam praesens fuisse Abrahae et piis in V. T. quam nobis in sacramento eucharistiae praesens est; 5. manducationem corporis fieri sola fide in coelum subvolante; 6. adesse Christi corpus operatione Spiritus sancti nobis communicatum et unitum, tametsi in coelo maneat, quo usque ad extremum diem capitur. **Cinglius in resp. ad confess. Luth. tom. 2. p. 425. 426. fac. a: *Ceterum Christi corpus vel mortale vel immortale in coenae sacramento praesens esse, ipsius quoque Christi verbum nullo modo admittere potest.*** 7. praesentiam statui non propter panem, sed propter hominem (qua ratione medium fini opponunt, quae tamen sunt subordinata); 8. sacramentalem unionem in nuda σχέσει et analogia consistere, quam sic explicant, quod panis sit signum, figura et repraesentatio corporis juxta essentiam suam absentis; 9. indigne manducantes non accipere corpus et sanguinem Christi, sed symbola tantum externa, panem scilicet et vinum; 10. praeter manducationem naturalem panis et spiritualem manducationem corporis Christi per fidem non dari sacramentalem manducationem corporis Christi. Quamvis enim Sadeel et alii sacramentalem manducationem concedere eandemque a spirituali distinguere videantur, per eam tamen nihil aliud intelligunt quam naturalem manducationem panis, qui est signum et symbolum corporis Christi absentis, quod sola fide et non nisi spiritualiter manducari possit; 11. corpus Christi nec localiter nec illocaliter praesens esse, Beza p. 1. resp. ad colloq. Mom-
X. 185. pelg. p. 37; 12. corpus Christi nec visibiliter nec invisibiliter praesens esse; 13. corpus et sanguinem Christi ante reditum ejus ad judicium nec ordinarie nec extraordinarie in terris, ubi coena peragitur, praesentia esse, Consid. c. 2. pag. 173. Quomodo vero aut qua arte hae falsae hypotheses cum vera sententia de vera, reali et substantiali corporis et sanguinis Christi in coena praesentia conciliari possunt? qua fronte asseritur, de modo saltem praesentiae, non autem de ipsa praesentia quaestionem esse, cum semper protestati fuerimus, de modo nos nolle cum quoquam litigare, cum sit omni humanae rationi incognitus? quomodo sublato e terris objecto sacrae coenae de ejusdem in terris praesentiae modo disquiri potest? Videamus quid afferant.

Num relatio importet veram relatorum praesentiam.

106. Duo potissimum habent effugia: 1. relationem importare veram relatorum praesentiam; 2. fidei esse omnia praesentissima. Ita namque suam explicant sententiam: esse inter panem et corpus Christi, inter vinum et sanguinem Christi mutuam relationem, jam vero non esse necesse, ut unum relatum cum altero in eodem loco praesens sit, sed valere σχέσιν illam, etiamsi alterutrum relatorum longe absit. Keckermanus lib. 1. syst. log. c. 12. can. 6: *Relationes ad sui introductionem et conservationem non egent locali contactu. Sic patri versanti in Asia potest nasci filius Romae, et eadem est paternitas, quae foret, si pater Romae fuisset; Christus secundum corpus tantum nunc in coelo existens veram ac realem habet unionem et cohaesionem cum suis membris adhuc militantibus in terra, ac idem corpus veram ac realem habet unionem sacramentalem cum pane eucharistico in terris, nullus hic localis contactus requiritur* etc. Item corpus et sanguinem Christi dicunt esse objectum in coena praesentissimum, non autem ori, non pani, sed fidei, *quae supra se elevata in summum coelum penetret ibidemque Christum apprehendat*, Bucanus in instit. loco 48. q. 41. Unde dictitant, *in coena adesse Christi corpus non in pane, aut in loco, in quo est panis*. Missa de locali inclusione calumnia a nostris toties refutata respondemus ad prius, relationem qua talem, non importare veram relatorum praesentiam, cum τὸ εἶναι relationis consistat in σχέσει et habitudine unius ad alterum, quae σχέσις et habitudo potest esse inter non-praesentia, ut probat ipsum illud exemplum a Keckermanno adductum. Quis enim patrem in Asia existentem, cui Romae nascitur filius, praesentem esse filio statuet, nisi ἀῤῥωστίᾳ mentis laboret? Quod autem non semper rei convenit, id nec per se eidem convenire judicandum, cum κατ' αὐτὸ praesupponat κατὰ παντός. Observandum igitur, ut recte monet D. Meisnerus amicus noster singularis part. 1. sobr. philos. sect. 1. c. 2. q. 2. *tria esse relatorum genera: quaedam ad suam σχέσιν necessario requirunt absentiam*, quo modo referuntur spes et speratum, exspectans et exspectatum, praefigurans et praefiguratum, typus et ἀντίτυπος, locus supremus et infimus etc.; *quaedam necessario requirunt praesentiam*, quo modo referuntur omnia unita, sive sit unio physica inter locum et locatum, sive hyperphysica, utpote essentialis inter personas sacro-sanctae Trinitatis, personalis inter divinam et humanam naturam in Christo, sacramentalis inter panem eucharisticum et Christi corpus etc.; *quaedam sunt intermedii generis, quae ad suam σχέσιν nec praesentiam, nec absentiam requirunt*, quo modo pater ad filium, maritus ad conjugem, dominus ad servum etc. refertur. Quare cum relatio, quatenus talis, non importet praesentiam, ideo praesentia σχετικὴ et relativa, quam adversarii excogitarunt, nihil aliud est quam merum subterfugium, quo intentatam sibi a nostris justissimam accusationem de ἀπουσίᾳ corporis repellere frustra laborant. **Si ex nuda relatione vera et realis unio recte infertur, tum justitia Dei et infernus erunt realiter unum, nam et hic quaedam est relatio; Dominus et servus erunt realiter unum, creator et creatura erunt realiter unum etc. quae omnia sunt absurda. Ergo ex nuda illa σχέσει et relatione inter panem et corpus Christi, quam Calviniani sta-

Digitized by Google

tuunt, non possunt inferre realem unionem. Fingunt realem unionem sine reali praesentia, sicque ex maxime divisis disjunctissimisque faciunt unum. Posset quidem inter Christi corpus absens et panem eucharisticum aliqua relatio et *σχέσιν* tanquam inter signatum et signum dari, sed non vera et realis
X. 186. unio, ut Keckermannus nugatur. ** Mirifici vero disputatores et chymistae sunt adversarii, qui ex una eademque relationis natura contrarias circa eamdem rem affectiones elicere norunt. Quando namque illis objicimus, et quidem jure, quod absentiam corporis in mysterio coenae statuant, negant hoc ex natura relationis, quia scilicet mutua relatorum *σχέσιν* veram praesentiam inferat. Vicissim quando contra nostram sententiam de vera corporis Christi in coena praesentia disputant, itidem ex natura relationis argumentum petunt, quo veram corporis *παρουσίαν* impugnent. Statuunt enim *relatum correlato non inesse vel adesse, sed locorum intervallis perpetuo esse distincta, ac proinde corpus Christi nec in pane nec cum pane praesens esse.* Crellius lib. 1. part. com. p. 47. Keckermannus l. d. Jodoc. Naum in assertione test. c. 3. arg. 6. p. 60: *si obvertant, localem tantum praesentiam, non vero omnem omnino praesentiam a natura relationis excludi,* respondemus, terminum localis praesentiae esse ambiguum, corpus Christi praesens esse dicimus in illo loco, in quo celebratur coena, sed modo locali et circumscriptivo praesens esse negamus. Si praesentiam localem sensu posteriori intelligunt, habent nos sibi consentientes; si priori, repugnamus. Praesentia a relatione nec excluditur nec praesupponitur, sed relatio ad praesentiam modo indifferente se habet, ut ex distinctione inter tria relatorum genera superius assignata intelligi potest. Pater et Filius relata sunt, qua relatione manente Pater localiter adesse vel non adesse potest Filio.

An fidei omnia sint praesentia.
107. Quod fidei omnia praesentissima esse dicunt, itidem merum et inane est subterfugium. ** 1. Vera fides in fiducia constat. Calvinianorum in contemplatione, et sic illi confundunt fidem historicam cum justificante, et proprium beatorum Christum scilicet in coelo contemplari, ad Deum et Christum in coelum venire viventibus in carne attribuunt 2. Cor. 5, v. 7. Phil. 1, v. 23. 2. Vera fides certa est, haec incerta. Nullus enim Calvinianorum referre potest, in quo coeli angulo Christum offenderit, ideoque istae aquilae instar graculorum circumvolitant. 3. Fides opus habet promissione et mandato, cui innitatur. At haec subvolatio in coelum nullo Scripturae testimonio probatur, ubi enim Scriptura asserit coelum illud, in quod Christus adscendit et cui Christi corpus Calvinianus includit, esse in suprema orbis parte. 4. Vera fides totum Christum simul apprehendit; at Calviniana vel distincte corpus et sanguinem Christi percipit, vel Christi institutionem violat. 5. Vera fides una in V. et N. T. at in V. T. nullus in coelum evolans Christum ibi in certo loco contemplatus est. 6. Vera fides semper Christum apprehendit; at Calviniani vel non semper Christum intuebuntur, vel semper coenam celebrabunt. 7. Veram fidem apostoli in coena habuerunt; at illi in coelum evolare ibidemque Christum contemplari non potuerunt. 8. Num cibum intueri est edere? at Christus corpus suum edere jussit. ** *Σχέσιν* et mutuam relationem inter fidem et objectum ejus, videlicet rem, quae creditur, concedimus, sed quod objectum semper praesens sit fidei quodque fides tantae potestatis sit, ut objecta etiam remotissima vere efficiat praesentia, negamus. Distinguendum enim est *inter verbum promissionis et rem ipsam promissam.* Verbum promissionis tam firmiter amplectitur fides eique fidit, ac si jamdum impleta esset promissio, sed ex eo non consequitur, rem promissam actu semper exstare. ** Schegkius cont. anonym. p. 49: *Fides omnis in objectum aliquod fertur et est mensuratum quiddam, ipsa quippe fides posterius quiddam φύσει, ast objectum seu mensura ipsius prius quiddam φύσει erit. Non igitur πίστις causa est praesentiae, sed τὸ πιστὸν praesens τῆς πίστεως est causa, ut ἐπιστήμης causa et mensura ἐπίστητον et non ἐπιστήμη τοῦ ἐπιστήτου causa exsistit.* Si fides potest facere corpus Christi absens vere praesens, faciet id vel intentionaliter et imaginarie, vel realiter. Si prius, sequetur in verbis coenae imaginariam duntaxat praesentiam promitti; si posterius, sequetur, quod incarnatio et passio Filii Dei patribus in V. T. per fidem fuerint praesentia in rerum natura. ** Ut res se habet in suo esse, ita in eam fides debet ferri. Si enim
fides aliter eam apprehenderet, vera fides non esset. X. 187.
Ergo si verum est, quod adversarii statuunt, corpus Christi secundum essentiam non esse praesens in coena, utique etiam fides illud ut praesens nec potest nec debet apprehendere. 1. Credimus vitam aeternam, quam nobis praesentem esse qui asserere volet, statum ecclesiae militantis cum triumphante confundet; credimus mundi creationem ante aliquot millenarios factam; credimus resurrectionem mortuorum in fine demum seculi futuram. Ergo qui haec vere praesentia dicere velit, cum ratione insanire censebitur. 2. Pii veteres crediderunt in Christum venturum in carnem, passurum et resurrecturum. At quis carnem et passionem Christi ipsis praesentem fuisse asseret? 3. Vetus testamentum habuit *σκιὰν μελλόντων ἀγαθῶν, umbram futurorum bonorum,* Hebr. 10, v. 1. si fuerunt bona futura, utique nondum fuerunt praesentia. 4. 2. Cor. 5, v. 6: *Dum in corpore sumus, peregrinamur a Domino;* v. 7: *per fidem enim ambulamus et non per speciem.* Apostolus infert hoc modo, peregrinamur a Domino, necdum ei praesentes sumus, quia per fidem ambulamus. Adversarii modo contrario inferunt: ambulamus per fidem. Ergo praesentes Domino sumus. 5. Hebr. 11, v. 13: *Juxta fidem mortui sunt isti omnes, cum non essent adepti promissa, sed eminus ea vidissent et credidissent,* ubi conjunguntur credere et *πόῤῥωθεν* videre ac non adipisci. 6. Ac merito quis miretur, fidei nostrae ab adversariis tantum tribui, quod corpus Christi in coena praesens sistat, cum verbo Christi, imo di-

Digitized by Google

vinae potentiae hoc ipsum denegent. **Contra sententiam de fide *οὐρανοβατικῇ* sic concludimus: 1. Si per fidem anima nostra in coelum elevatur, ut ibi in coelesti mensa corpore et sanguine Christi fruatur, sequitur, eam fruitionem aut esse gloriosam, aut gratiosam. Non gloriosa, quia ea proprie competit ecclesiae triumphanti, non militanti 1. Cor. 3, v. 2. Non gratiosa, quia tali praesentia Deus ad nos in terras venit, non nos ad illum Phil. 1, v. 23. 1. Cor. 4, v. 17. 2. De fide in coelum subvolante et corpus Christi ibi apprehendente nullum proferri potest mandatum, nulla promissio. Apostolus potius contrarium testatur Rom. 10, v. 6. 3. Apostolus docet, in coelo cessaturam fidem ac spem, solam autem caritatem duraturam 1. Cor. 13, v. 12. ambulare nos hic per fidem, in coelo autem per speciem 2. Cor. 5, v. 7. at juxta adversarios in coelo ambulamus per fidem. 4. Per hanc opinionem solvitur unio sacramentalis inter panem et corpus Christi, quae duo ipsis longo locorum intervallo sunt disjuncta. 5. Quamdiu anima est in corpore suo, extra illud non emigrat, nec operatur. Absentium quidem rerum imagines sibi format, non autem ad illas egreditur. 6. Mirum est, tantam ipsos animae rationali vim tribuere, ut in coelo transmundano circa corpus Christi versetur et tamen in terris corpus suum etiam informet. An non hoc est creaturam finitam in pluribus simul locis, in coelo simul et terra, collocare? num ergo Spiritus s. efficacia major est in anima hominis peccatoris quam efficacia τοῦ Λόγου in sanctissimo suo corpore, quod in ὑπόστασιν suam assumsit? Vide Frid. Petri in append. lib. de Nestorian.** Argumenta, quae ex Rom. 8, v. 24. Hebr. 11, v. 1. et ex distinctione inter fidem ac spem petunt, in tract. de justificatione a nobis sunt exposita, et sufficienter ad illa respondet D. Meisnerus part. 1. sobr. philos. sect. 1. c. 2. q. 1. Immotum igitur perstat, nec fidem nec aliam quamvis relationem quatenus talem inferre veram relatorum praesentiam. Nimirum relatio a mutua σχέσει et habitudine, praesentia vero ab entium unione et locorum conjunctione dependet. Quodsi in relatione cum mutua σχέσει et habitudine entium unio et locorum conjunctio simul concurrat, tunc demum relata sibi vere praesentia et sunt et dicuntur; si vero ab illa σχέσει entium unio et locorum conjunctio absit, relata non
X. 188. sunt, nec dici possunt praesentia. Ad haec duo potiora effugia etiam reliqua referri possunt, utpote quod dicunt, *corpus Christi esse in sacra coena praesens communicatione idiomatum, sicut caput est praesens pedi, nempe per communem spiritum; esse praesens nominetenus; esse praesens memoria seu recordatioue, affectione, cogitatione, contemplatione; esse praesens efficacia secundum virtutem; esse praesens sicut legatum in testamento vel sicut clare tradita intelligitur tradi domus; esse praesens ut sol est in terra radiis suis praesens, ut rex in toto regno, ut herba odorem fundit per totam domum* etc. quae inania χρησφύγετα diligenter refellit Dn. D. Menzerus tom. 3. disp. Giss. disp. 7. thes. 20.

108. Videamus, quibus argumentis veram, realem et substantialem corporis Christi in sacra coena praesentiam impugnent. Recte autem monet D. Lutherus in praefat. syngram. duo esse praecipua adversariorum in hac quaestione fundamenta, videlicet *absurditas* et *nulla necessitas*, videtur enim rationi ipsorum plane absurdum et non necessarium statuere, corpus Christi in coena praesens esse; quodsi rationem suam sub obsequium fidei captivare discerent, jampridem omnis hac de re controversia esset sopita. *Semper nobis visi estis* (scribit Martyr in dialog. de natal. hum. p. 127.) *minus quam par est sapere, cum pro dogmate absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tamen quidquam habetis nisi Christi τὸ ῥητὸν, hoc est corpus meum.* **Zwinglius in coll. Marpurgensi, *nihil credendum esse, quod ratione comprehendi nequeat, quia Deus non proponat nobis incomprehensibilia.* Lutherus tom. 4. Jen. Germ. p. 468. cum ipsi responderetur, *corpus Christi manducari in coena modo imperscrutabili*, dixit: *Egregiam vero lucem, quae non tantum luminis nobis praebet, ut intelligere queamus, quomodo corpus ejus in pane manducetur?*** Argumentum ab absurdo superius excussimus; restat excutiendum illud, quod a non necessario deducunt. *1. Ad corpus Christi spiritualiter percipiendum* (inquiunt) *non opus est aliam quam σχετικὴν et fidei praesentiam statuere. Frustra vero id statuitur, cujus nullus est usus.* Respondemus: 1. argumentum hoc directe pugnat contra institutionem Christi, in qua sacramentalem manducationem sui corporis et bibitionem sui sanguinis instituit. 2. D. Lutherus recte monet, etiamsi nudum tantummodo mandatum, nuda ordinatio et institutio Christi de sacramentali manducatione ac bibitione exstaret sine expressa fructus mentione, nequaquam tamen a verbis Christi discedendum esse, siquidem verus discipulatus Christi hoc a nobis requirit, *ut in sermone ipsius maneamus* Joh. 8, v. 31. *vocem ejus audiamus* Joh. 10, v. 27. contra vero *omnem rationem sub obsequium fidei captivemus* 2. Cor. 10, v. 5. 3. Manducatio et bibitio sacramentalis cum manducatione et bibitione spirituali non est confundenda, illa pertinet ad essentiam, haec vero ad fructum coenae. 4. Salutares fructus, quos vere pii ex usu coenae percipiunt, suo exponentur loco. Dn. Chemnicius in egregio scripto de coena c. 11. p. 462. et seqq. late ostendit, substantialem corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam maximas praebere consolationes. Primo fides nostra debet apprehendere Christum deum et hominem in ea natura, qua propinquus, cognatus et frater noster est, vita enim, quae divinitatis est propria, in assumta carne residet et quasi deposita est. Quia igitur onere peccatorum pressi non possumus ad Christum in gloria regnantem penetrare, ideo ad nos venit apprehensurus nos ea natura, qua frater noster est; et quia gloriam majestatis fragilitas nostra in hac vita ferre non potest,

Argumenta adversariorum contra veram et realem corporis Christi in coena praesentiam.

1. Ad corpus Christi spiritualiter percipiendum sufficit σχετικὴ et fidei praesentia.

Digitized by Google

sub pane igitur et vino adest, et exhibetur nobis corpus et sanguis ejus. Secundo per peccatum ita eramus abalienati a vita divinitatis, ut fragilitas nostra eam sine medio secum agentem ferre non posset, ideo Christus non solum assumsit naturam
I. 189. nostram, sed illam etiam nobis rursus restituit, praebendo nobis in coena corpus ac sanguinem suum, ut hoc nexu assumtae et nobis rursus communicatae humanitatis suae subvehat nos ad communionem et conjunctionem cum divinitate. Tertio natura nostra principio ad imaginem Dei creata omnibus coelestibus et divinis donis ornata erat, quae bona apud Adamum, ut generis nostri auctorem, deposita erant, sed per lapsum non tantum bona illa amissa, sed natura peccato depravata et morte perdita est. Filius igitur Dei naturam nostram, sed sine peccato, assumsit, in ea peccatum damnavit, mortem destruxit ac vita eam replevit. Atque ita humanam naturam primum in sua persona sanctificavit, ut autem certi redderemur, haec ad nostram etiam miseram naturam in nobis pertinere et vere nobis communicari, Christus ipsam naturam, quam a nobis assumsit et in se primo reparavit, rursus nobis in coena praebet. Quarto evangelii doctrina in genere pronuntiat, traditione corporis et effusione sanguinis Christi placatam esse iram Patris et aeternam redemtionem acquisitam; sed anxiae et pavidae mentes conspectu peccatorum indignitatis, infirmitatis et variis tentationibus terrentur et turbantur, ut de speciali applicatione dubitare incipiant; Christus igitur illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, ac illum ipsum sanguinem, qui pro nobis effusus est, in coena illis exhibet et hoc certo ac firmo arrhabone exhibitionem et applicationem promissionis evangelicae confirmat. Quinto humana natura Christi depositis infirmitatibus residet in gloria Patris; nostra natura, licet juxta promissionem spem habeamus glorificationis, tamen sordibus adhuc inquinata, miseriis oppressa et omnibus telis Satanae, mundi et carnis est exposita. Ne igitur fides nostra turbetur, ideo Christus suum corpus et sanguinem nobis praebet, ut hoc pignore certos nos reddat, fore ut aliquando conformemur corpori ipsius glorioso. Sexto novum testamentum est foedus gratiae in remissione peccatorum; hoc foedus erga Deum sancitum est et confirmatum effusione sanguinis Christi; ut igitur certi esse possimus, nos in foedere isto perpetuo mansuros, ideo illum ipsum sanguinem, cujus effusione id sancitum est, in coena nobis exhibet. Septimo instituta est sacra coena in recordationem beneficiorum Christi et in confirmationem fidei. Quia autem vera fides firmius a Christo apprehenditur, Phil. 3, v. 12. ideo apprehensione vivificae suae carnis vult in nobis exsuscitare, conservare et confirmare veram sui recordationem. Octavo Christus in coena ea natura, qua caput nostrum est, corpore scilicet et sanguine suo, se arctissime nobis conjungit, ideo per assumtam illam et nobis cognatam naturam potenter et efficaciter in credentibus operatur, ut, quia ipsum caput est in nobis, nos etiam invicem simus alter alterius membra. Haec D. Chemnicius pie et erudite.

109. 2. Quidam ex adversariis eo progrediuntur, ut substantialem corporis Christi in coena praesentiam prorsus inutilem esse probare conentur ex dicto Christi Joh. 6, v. 63: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Cinglius part. 2. oper. p. 269: *Si caro ejus manducata non prodest quidquam, haud dubie nec ad manducandum illam nobis exhibere aut dare voluit.* Idem in epist. ad Matth. Albertum scribit, *carnem Christi comestam gignere aliud non posse quam carnem, nam carnem esse, quidquid ex carne nascitur.* **Idem Zwinglius in comm. de vera et falsa relig. p. 205: *Caro Christi prodest caesa, non ambesa et comesa.* Ursinus in expl. catech. p. 547.** Respondemus: 1. Calvinus ipse in comment. c. 6. Joh. hanc Cinglianam detorsionem refellit: *Nec recte etiam illi* (inquit), *qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus est crucifixa, comesam vero nihil nobis afferre, quin potius comedere eam necesse est, ut crucifixa prosit.* **Bucanus in inst. loc. 48. p. 738: *Caro Christi est vivifica 1. ratione unionis, quia est propria verbi omnia vivificare valentis caro, ut loquitur synodus Ephesina; 2. ratione meriti obedientiae, qua Christus oblato in sua carne pro nobis in crucem acta sacrificio omnibus credentibus vitam aeternam acquisivit; 3. respectu copulationis nostrae cum Christo* etc. *Quod ergo dicitur Joh. 6, v. 63. caro non prodest quidquam, non de ipsa Christi carne simpliciter intelligendum, sed de carnalibus opinionibus non convenientibus cum mysterio manducationis carnis Christi.* Tossanus in notis marg. Joh. 6: *Spiritus est, qui vivificat, per Spiritum intelligitur Christi deitas, cui caro in personae unitate est arctissime unita, ut sit sensus, vis vivificandi est in carne mea, non quatenus caro est, sed quatenus est aeterni Filii Dei caro.* Beza in annot. major. hoc loco: *Sic quidem appositissime verba Christi explicari existimo, ita ut in carnis et Spiritus vocabulis usitata sit retinenda significatio et Christus non proprie et singulariter de carne sua (expressisset enim pronomen μου, mea), sed generaliter de omni naturali cibi usu sit locutus.*** Mart. Bucerus in c. 6. Joh. agnoscit, *Christum non loqui* I. 190.
de sua carne. 2. Christus in illa ipsa concione summam utilitatem carnis suae praedicat et inculcat v. 51: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita;* v. 53: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* v. 54: *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam;* v. 55: *caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* etc. Qua igitur specie de carne Christi dici potest, quod *οὐκ ὠφελεῖ οὐδὲν, nihil quidquam* omnino prosit? Hoc argumentum merito urget D. Lutherus. 3. Christus non dicit: *Caro mea non prodest quidquam*, quin potius contrarium asserit, carnem suam vivificam ibidem asserens, unde synodus Ephesina anathemate

2. Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam Joh. 6.

Digitized by Google

eos ferit, qui carnem Christi negant esse vivificam, sed simpliciter et absolute dicit: *Caro non prodest quidquam.* 4. Christus nihil instituit sine certo fine. Atqui instituit sacramentalem carnis suae manducationem. 5. Duae exstant veterum interpretationes in hunc locum. Quidam enim de carne Christi intelligunt, non quod ex se et per se non prosit, sed quod ex accidenti non prosit, videlicet vel sola sine divinitate, vel capernaitice et carnaliter manducata, vel sacramentaliter sine fide accepta. Quidam vero de carnali auditorum intellectu verba Christi accipiunt. Cyrillus lib. 4. in Joh. c. 23, p. 210: *Caro quidem ceterorum omnium quidquam vere non prodest; caro autem Christi, quia in ipsa unigenitus Dei filius habitat, sola vivificare potest.* Augustinus tract. 27. in Joh. tom. 9. f. 48: *O Domine magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? an vita non prodest quidquam? quid est ergo, caro non prodest quidquam? Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Et postea: *Si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest?* Idem serm. 11. de verb. dom. circa medium: *Multi qui vel corde ficto carnem illam manducant et sanguinem bibunt, vel cum manducaverint et biberint, apostatae fiunt, numquid manent in Christo aut Christus in eis? sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem et bibendi illum sanguinem, quomodo qui manducaverit et biberit, in Christo manet et Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducaverit carnem Christi et biberit ejus sanguinem, manet in Christo et Christus in illo, sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat.* Paschasius lib. de corp. et sang. Christi in biblioth. patrum tom. 6. p. 347: *Sine Spiritu s. sicut ne caro Christi prodest quidquam, ita nec hoc sacramentum carnis prodesse potest.* Sed Chrysostomus et Theophylactus in hoc loco exponunt de carnali auditorum intellectu: *Quid est caro non prodest quidquam? non de ipsa carne dicit, absit; sed de his, qui carnaliter accipiunt, quae dicuntur de carnali auditu,* τὸ σαρκικῶς ταῦτα ἐνδέχεσθαι οὐδὲν ὠφελεῖ, ἀλλὰ σκάνδαλον ἀφορμὴ γίνεται etc. 6. Quam-
X. 191. vis vero neutra harum interpretationum nostrae sententiae adversetur, (concedimus enim, carnem Christi non prodesse, si ex hypothesi esset nudi hominis caro, vel si capernaitice et carnaliter manducaretur, quin et sacramentalem corporis Christi manducationem absque spirituali nihil prodesse concedimus); interim posterior interpretatio praeferenda est priori, cum textui magis congruat. 1. Quoties enim in Scriptura caro opponitur spiritui, ut ea quidem vituperetur, haec vero laudetur, tunc illud non potest nec debet intelligi de carne Christi, sed de carne nostra, id est de veteri nostro Adamo, de carnali intellectu et studio, quam regulam D. Lutherus multis exemplis probat. Jam vero talis oppositio carnis et spiritus est in hisce Christi verbis. 2. Christus non dicit: caro mea non prodest quidquam. 3. Christus absolute et ἀποτόμως negat, carnem ullo modo prodesse, idque de Christi carne dici nequit, quae licet ex accidenti et certo quodam respectu non prosit absolute, tamen nequaquam dicenda est non prodesse. 4. τὸ vivificare spiritui attributum in praecedentibus etiam carni Christi tribuitur, quomodo igitur per carnem spiritui oppositam caro Christi intelligi potest? quorum eadem sunt attributa, ea non possunt ἐναντίως invicem opponi. 5. Christus in tota illa concione jam inde ab initio miscet et quasi alternatim tractat jam summam celebrationem suae personae, carnis et beneficiorum ejus, quod scilicet sit salutaris mundo jam contra reprehendendo incredulitatem et carnalitatem auditorum, qui eam non curabant, nec in ipsum credebant, quare et hic accusando carnem ut prorsus inutilem, non suam, sed auditorum carnem accusasse statuendus est. 6. Ex ipso Christi responso apparet, quaenam fuerit lis et quaestio inter Christum et ipsius adversarios, videlicet non quomodo caro Christi sit comedenda; sed adversarii totam doctrinam, quod scilicet de coelo venerit ac sit salvator mundi etc. dixerunt esse falsam, ideo Christus eam asserit et confirmat. Capernaitae non quaerebant de modo edendae carnis, sed totam Christi doctrinam repudiabant; Christus igitur non projicit margaritas porcis mysterium comedendae carnis suae declarando, sed veritatem dictorum confirmat. 7. Christus immediate subjicit v. 63: *Verba, quae loquor vobis, sunt Spiritus et vita;* v. 64: *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt;* v. 65: *propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre,* quae omnia evidenter ostendunt, quod carnem, id est carnalem intellectum auditorum, Christus redarguat, revocat enim nos ad v. 44: *Nolite murmurare invicem; nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum,* ubi eadem carnalitatis reprehensio proponitur c. Prima quidem. distinct. 2. de consecrat. ex Augustino: *Verba, quae locutus sum ad vos, Spiritus et vita sunt. Intellexistis spiritualiter? Spiritus et vita sunt. Intellexistis carnaliter? etiam sic illa Spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt Spiritus et vita, qui spiritualiter non intelligis.* Cyprianus serm. de coen. p. 450: *Capernaitae existimantes hoc eo modo dici, ut carnem ejus elixam vel assam sectamque membratim edere docerentur, abierunt retro. Sed in cogitationibus hujusmodi caro et sanguis non prodest quidquam, quia sicut ipse magister exposuit, vera haec Spiritus et vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantae profunditatis penetrat, nisi fides accedat.*

110. Praeter haec principalia fundamenta (absurdi et non necessarii) proferunt etiam alia minus principalia, quae petita sunt, vel ex dictis Scriptu- Argumenta minus principalia.

Digitized by Google

Matth. [2]4, v. 23; [Si] quis [di]xerit vobis, [e]cce [h]ic est [C]hristus, [e]cce [il]lic, [n]olite [c]redere.

rae peregrinis et contortis, vel ex pronuntiatis philosophicis male applicatis. Percurramus utramque classem: 1. Matth. 24, v. 23: *Si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere. Ergo non est credendum illis, qui statuunt, Christum suo corpore et sanguine in coena esse praesentem.* ** Tossanus in not. marg. bibliorum Luc. 17, v. 21: *Non dicent, ecce hic, ecce illic. Possunt* (inquit) *haec verba etiam sic reddi: ecce hic, ecce illic est Christus, puta modo corporali, quia Christus corpore suo jam non est in terra praesens, sed in coelo.* ** Respondemus: 1. Eadem ratione
I. 192. inferri posset, non esse docendum, quod Christus suo corpore sit in coelo, quod per fidem habitet in cordibus piorum, quod tamen utrumque Scriptura asserit, nec repugnant adversarii. 2. Quin imo sequeretur, Christum ne quidem secundum divinam naturam esse in terris praesentem, cum simpliciter asseratur, non esse credendum illis, qui dicunt: *ecce hic est Christus, ecce illic.* 3. Ex circumstantiis dicti sensus est manifestus. Praedicit Christus, ante vastationem Hierosolymitanam multos surrecturos pseudoprophetas et pseudo-Christos, qui honorem Messiae sibi vendicaturi numerosum populum sibi aggregaturi et externam a Romanorum oppressione liberationem eidem promissuri sint, illis ne fidem habeant, serio et graviter hortatur. Vide Calvinum in harm. p. 363. 4. Luc. 17, v. 21. Christus de regno suo eadem phrasi utitur: *Non dicent, ecce hic, aut ecce illic,* docens, regnum suum non esse terrenum certo loco alligatum quodque externa et visibili majestate agnoscatur, sed esse regnum spirituale et coeleste, quod non veniat μετὰ παρατηρήσεως v. 20. sed intra nos sit v. 21. Ecquis vero inde colligere velit, regnum Christi procul a nobis abesse? Vide Marloratum in com. hoc loco. **Calvinus in cap. 16. Joh.: *Relinquo mundum* etc. sic commentatur: *Mundum reliquit Christus, cum infirmitates nostras exuens in coelum receptus est, sed viget nihilominus erga nos ejus gratia, quia sedet ad dextram Dei, ut totius mundi imperio potiatur.***

2. Matth. 28, v. 6: Surrexit, non est hic. Marc. 14, v. 7: Me non semper habetis, Joh. 16, v. 28: Relinquo mundum.

111. 2. *Surrexit, non est hic* Matth. 28, v. 6. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis* Marc. 14, v. 7. *Relinquo mundum* Joh. 16, v. 28. *Ergo Christus suo corpore et sanguine non est praesens in coena.* Respondemus: 1. haec et similia dicta localem, naturalem et visibilem corporis Christi praesentiam tollunt, nequaquam vero vel personalem vel gratiosam vel sacramentalem. 2. Nec simpliciter omnem omnino Christi secundum humanam naturam in terris praesentiam excludunt, sed certum tantummodo praesentiae modum. 3. Apparet hoc ex omnibus illis fundamentis, quae pro personali et sacramentali Christi in his terris praesentia ex Scripturis adduci possunt. 4. Apparet id ipsum ex verbis Christi Luc. 24, v. 44: *Hi sunt sermones, quos ad vos habui, cum essem vobiscum.* Erat quidem jam tum apud illos, sed alio modo, non in infirmitate carnis, sed in gloria majestatis. 5. Apparet idem ex locorum istorum circumstantiis. Sic verba angeli: *Surrexit, non est hic* Luc. 24, v. 5. sic explicantur: *Quid quaeritis vivum inter mortuos?* qualis et quatenus a mulierculis quaerebatur, talis et eatenus non aderat, nimirum non jacebat mortuus in sepulcro, sed vivebat gloriosus in suo regno. Sic verba Christi: *Me non semper habetis*, ibidem explicantur: *Pauperes semper habetis vobiscum, et cum volueritis, potestis illis benefacere, me autem non semper habetis,* nimirum, ut possitis mihi eo modo benefacere, quo pauperibus. **De loc. Matth. 26. *me non semper habebitis* Hieronymus in c. 26. Matth.: *Alia oboritur quaestio, quare Dominus post resurrectionem dixerit: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, et hic dicat: me non semper habebitis. Mihi videtur in his locis dicere de praesentia corporali, quod nequaquam cum ipsis futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu et liberalitate.* Augustinus tract. 50. in. Joh.: *Non semper me habebitis. Quare? quia conversatus est secundum corporis praesentiam quadraginta diebus cum discipulis suis et eis deducentibus videndo, non sequendo adscendit in coelum et non est hic. Ibi enim sedit ad dextram Patris et hic est; non enim recessit praesentia majestatis. Secundum praesentiam majestatis semper habemus Christum, secundum praesentiam carnis recte dictum est discipulis,* me autem non semper habebitis. *Habuit enim illum ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt.* Calvinus in comm. hoc loco: *Quod se negat cum discipulis semper fore, ad genus praesentiae referri debet, cui carnalis cultus et sumtuosus honor conveniat. Nam quod Spiritus sui gratia nobis adest, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne sua et sanguine pascit, nihil hoc ad corporeos cultus.*** Joh. 16, v. 28. additur: *Exivi a Patre et veni in hunc mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Ut ergo a Patre exivit et in mundum ve- I. 193.
nit, ita quoque mundum relinquit et ad Patrem redit. Jam vero in mundum venit non loci mutatione, sed visibili manifestatione in assumta carne, 1. Tim. 3, v. 16. Ergo etiam mundum relinquit et ad Patrem vadit visibilis praesentiae subtractione. Sicut a Patre exivit et in Patre tamen mansit, cum in mundum veniret; ita quoque ad Patrem rediit et in mundo mansit, cum e mundo exiret, qua de re in harmonia evangelica pluribus disseremus. **Dictum Hebr. 8, v. 4. non agit de loco repraesentationis sacrificii Christi seu de existentia Christi in coelis, sed de ipsa sacrificii oblatione, quod non erat in terris, hoc est terrenae conditionis sive res terrena, qualem levitici sacerdotes offerre debebant, sed erat corpus *Domini de coelo* 1. Cor. 15, v. 47. id est coelesti modo conceptum et a Filio Dei in personam suam assumtum. Hoc colligitur ex scopo et contextu.**

3. Non novimus Christum secundum

112. 3. 2. Cor. 5, v. 16: *Jam non novimus Christum secundum carnem. Ergo nec nos debemus Christum in coena quaerere secundum carnis prae-*

carnem 2. Cor. 5, v. 16.

sentiam. Respondemus: 1. Calvinus ipse agnoscit, ex hoc loco non recte duci argumentum contra praesentiam corporis Christi in coena. 2. Si enim hic locus ageret de Christi corpore, sequeretur, Christum post resurrectionem non amplius habere verum corpus, siquidem eo modo Christum agnoscere debemus, quo eum apostoli Spiritu s. collustrati cognoverunt. 3. Sensus dicti apostolici patet ex contextu. Loquitur apostolus de carnali intellectu, quem de Christo et ipsius regno quidam adhuc fovebant, quasi scilicet Christi regnum sit mundanum ac terrenum, illis opponit haec verba: si et nos Christum secundum carnem cognovimus, nunc tamen eum non cognoscimus; quo dicitur, quamvis plurimi ac inter hos etiam ipsimet apostoli, carnalia commoda in Christo quaesiverint, quippe quem regem mundanum fore credebant, tamen deposita falsa illa et carnali opinione non amplius carnalia, sed spiritualia, coelestia et aeterna beneficia in Christo quaerimus. Lutherus tom. 2. Witteb. fol. 180: *Secundum carnem apostolo non significat in carne, sicut Sacramentarii somniant, sed more adverbii carnaliter vel studio et affectu carnis vel quomodo caro facit.* 4. Alii sic explicant, quod apostolus dictum hoc opponat illis, qui nihilo excellentius de Christo judicabant, quam sicut ex infirmitate carnis tempore exinanitionis Christi aestimare poterant, sicut et alibi status exinanitionis vocatur dies carnis. Res eodem recidit. 5. Aliud ergo est Christum *secundum carnem* cognoscere, aliud vero Christum *in carne* cognoscere; illud carnales de Christo cogitationes, hoc vero assumtae naturae mysterium respicit. Calvinus in hoc loco: *Non de corporis substantia apostolus loquitur, sed de externa specie, neque dicit, non amplius cognosci a nobis carnem in Christo, sed inde Christum censeri negat, et nisi carnem Christi nunc agnoscimus, perit nobis tota, quam in ipso habere nos convenit fiducia et consolatio; verum agnoscimus Christum in carne sua non carnaliter, quia non nisi in consideratione spiritualium ejus donorum acquiescimus.*

4. Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est Col. 3, v. 1.

113. 4. Coloss. 3, v. 1: *Quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est ad dextram Patris. Ergo Christus corpore et sanguine suo non est praesens in terris,* quo etiam referunt verba prosae ecclesiasticae in administratione eucharistiae jam olim usitata: *Sursum corda habemus ad Dominum.* Respondemus: 1. Apostolus nec de coena, nec de praesentia Christi in his terris eo loco agit, sed disputat contra
X. 194. falsam philosophiam, contra traditiones humanas et ceremonias Leviticas Christi morte abrogatas et haec vocat *elementa mundi* ac quae *sint super terram.* 2. Diserte ibidem exponit, quid per *τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* intelligat, videlicet veterem hominem cum suis concupiscentiis. v. 5: *Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immundiciem, libidinem, concupiscentiam pravam et avaritiam;* his opponit ea, quae sunt sursum, inter quae *numerat novum hominem, veram Dei agnitionem, caritatem, pacem Dei in cordibus* etc. 3. Non ergo *sursum* *τὸ ἄνω* intelligit de loci intercapedine, quasi scilicet ista omnia a nobis in terra versantibus procul sint semota atque sejuncta. Augustinus lib. octog. trium quaestionum q. 29: *Ea quae sursum sunt, sapere jubemur, spiritualia scilicet, quae non locis et partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiae suae.* Theophylactus in hoc loco: *Supernam vitae instructionem ac formam imitamini.* 4. Sursum habere corda nihil aliud est, quam mentes a terrenis liberas ad considerationem verbi et promissionum divinarum directas habere, id quod cum vera corporis et sanguinis Christi in coena praesentia minime omnium pugnat, statim enim additur declaratio, *ad Dominum* elevanda esse corda, quem ab actione coenae abesse, qua fronte asserere audebunt? In canone Nicaeno haec conjunguntur *ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ.* 5. Contextus apostolicus potius repugnat sententiae adversariorum, quia ad *τὸ φρονεῖν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* etiam hoc pertinet, si res divinas ex ratiocinationibus humanis aestimare velimus. Chrysostomus hom. 5. in 1. Cor.: *Ex philosophia res divinas intelligere est candens ferrum non forcipe, sed digitis contrectare.* Quare philosophica argumenta non sunt opponenda disertis Christi verbis, quod tamen adversarios facere constat.

5. Si Christus in terris esset, ne quidem pontifex foret. Hebr. 8, v. 4.

114. 5. Hebr. 8, v. 4: *Si Christus in terris esset, ne quidem pontifex foret. Ergo non est praesens suo corpore eo in loco, in quo celebratur coena.* Respondemus: 1. ex hypothesi adversariorum sequeretur, Christum non fuisse pontificem, cum in ara crucis se offerret Deo in odorem suavitatis; 2. imo etiam sequeretur, Christum ne quidem secundum divinam naturam in terris praesentem esse, quod tamen adversarii asserunt. 3. Sensus genuinus hujus dicti ex scopo et circumstantiis manifestus est. Confert auctor epistolae Christum cum sacerdotibus Leviticis, quos vocat *terrenos,* quia *exemplari et umbrae deservierunt,* hoc est in tabernaculo manu facto terrena sacrificia tractarunt, Christum autem coelestem sacerdotem, quia *se ipsum obtulit victimam Deo et in tabernaculum ἀχειροποίητον est ingressus,* ut cap. q. v. 11. et 12. explicatio additur. Ambrosius in
hoc loco: *Si Christus esset terrenus pontifex, sicut* X. 195.
Aaron, non esset utique sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum. Aaron quippe mortuus est et non est sacerdos; Christus vero quia vivit in aeternum, sacerdos est sempiternus non talis, quales illi fuerunt, qui exemplari et umbrae deservierunt coelestium etc. 4. Hanc explicationem approbat ipse Calvinus sic scribens in hoc loco: *Christus nullum habet terrenum aut visibile sacrificium, terrenus ergo sacerdos non esse potest.*

Argumenta philosophica adversariorum. 1. Omne corpus naturale est visibile.

115. Ex philosophicis regulis haec fundamenta proferunt: *1. Omne corpus naturale est visibile. Corpus Christi in sacra coena non videtur. Ergo nec ibi praesens est.* **Calvinus in harm. p. 446: *Cum Christus palpabile esse corpus suum pronuntiet et solidis ossibus compactum, hisque notis dis-*

cernat a Spiritu, scite et vere adductus est hic locus (Joh. 20.) *a nostris hominibus ad refellendum crassum errorem de transsubstantiatione panis in corpus vel de locali corporis praesentia, quam homines praeposteri in sacra coena fingunt.*** D. Mylius in comoedia Misnica refert, Lipsiae quendam ex professoribus repertum fuisse, quem non puduerit visitatoribus in os dicere, ut monstrent sibi corpus Christi in coena videndum, tum se praesentiam ejus crediturum esse. Respondemus: 1. ne quidem in corpore mere naturali perpetuae veritatis est, quod semper actu videatur. Actu videri vel non videri est externum corporis accidens, nequaquam vero interna et essentialis ejusdem proprietas. Corpora subtilia, qualia sunt aër et ignis, visum nostrum effugiunt. Scaliger exerc. 9: *Quae in verubus assantur ab eo, quem videmus*, igni non tanguntur, sed ab eo, quem non videmus, *adeo vero tanguntur, ut etiam crementur.* 2. Distinguendum igitur inter potentiam et actum sive inter actum primum et secundum. Quodlibet corpus naturale est visibile, potentia scilicet, non semper actu. Scaliger exerc. 325. sect. 4: *Color sua natura visibilis est, etiamsi nunquam videatur, quandoquidem potentia non tollitur per objectorum ablationem, neque e contrario deletur objectum per amotionem potestatum.* 3. Quodsi in corpore mere naturali non est perpetuae veritatis, quod semper actu videatur; quanto minus de corporibus glorificatis asseri poterit, quod necessarium sit oculis hominum nondum glorificatorum actu ea semper videri, si sint praesentia? imo vero cum D. Gesnero statuimus, tantum abesse, ut corpora glorificata ab oculis nondum glorificatis actu semper videantur, ut nec possint videri, nisi peculiaris *οἰκονομία* ac dispensatio divina accesserit, siquidem corpora glorificata sunt *πνευματικὰ* propter *ποιότητας πνευματικάς* 1. Cor. 15, v. 44. sunt lucidissima et fulgidissima instar lucis solaris Matth. 13, v. 43. sunt tenuissima et subtilissima Matth. 22, v. 30. quomodo igitur a carnalibus, obscuris et crassis oculis hominum nondum glorificatorum absque peculiari dispensatione divina actu viderentur vel etiam videri possent? Inter objectum et organum visus certa requiritur proportio et *συμμετρία* docente philosopho 2. de anima c. 9. at quae analogia inter corpus *πνευματικὸν* et oculum *ψυχικόν?* Matth. 27, v. 53. de sanctis cum Christo resuscitatis commemoratur, quod *apparuerint multis*, quo ipso innuitur, quod non quibusvis obviis ex naturalis corporis constitutione, sed aliquibus duntaxat ex peculiari dispensatione apparuerint. 4. Si in corpore glorificato non est perpetuae veritatis, quod ab oculis nondum glorificatis semper actu videatur; quanto minus in corpore Christi in hypostasin filii Dei assumto et ad dextram Dei evecto locum habebit? Certe Christus in diebus carnis suae, in statu exinanitionis *per medios Nazarenos transibat*, cum de monte illum praecipitaturi essent Luc. 4, v. 30. *abscondebat se et exibat de templo*, cum Judaei lapides tollerent Johan. 8, v. 59. post resurrectionem suam in convivio Emauntico *ἄφαντος ἐγένετο* Luc. 24, v. 31. quomodo igitur necessarium, ut corpus ejus, ubicunque praesens est, actu semper videatur? Visibile est ratione sui, licet non ratione nostri; visibile est po- X. 196.
tentia, licet non actu; distinguendum enim inter subjectum et modum; accipimus naturale et visibile Christi corpus in sacra coena, non autem modo naturali et visibili. 5. Absit proinde, imo longissime a nobis absit, ut nolimus plus credere, quam oculi nostri nobis renuntiant. *Beati, qui non vident, et credunt*, Johan. 20, v. 29. *Ambulamus per fidem non secundum adspectum*, 2. Cor. 5, v. 7. *Fides est argumentum non apparentium*, Hebr. 11, v. 1. Sequantur ergo, quicunque volent, judicium rationis et sensuum, nos innitemur verbis Christi. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides. Si tantum credis, quod vides, quid est tua fides!* dicunt pii veteres. ***At Christus a visibilitate et palpabilitate argumentum ducit.* Respondemus: 1. sane argumentum Christi a sensuum experimentis petitum legitime concludit, sed quia est argumentum minus principale et propositio illa, quidquid videtur et palpatur, est corpus, non est reciproca, minime hinc inferre licet, passibiles has qualitates actu ipso semper ac necessario inesse, maxime cum haec demonstratio non dependerit ex naturae necessitate, sed liberae voluntatis dispositione, *οὐ νόμῳ φύσεως, ἀλλ' οἰκονομίας τρόπῳ*, ut loquitur Damascenus. 2. Alioqui pari ratione concludendum foret: Christus ex eo, quod edit ac bibit, discipulis veritatem corporis sui demonstravit. Ergo edere et bibere corporis glorificati erit proprium inseparabile; quem tamen inferendi modum Calvinus ipse damnat pag. 447. 3. Christus ipse sui visionem et palpationem haud fore perpetuam praedicit, quanto beatos eos praedicat, qui licet non videant, tamen credant.**

116. *2. Memoria est rerum absentium. Sacra coena instituta est in commemorationem Christi.* 2. Memoria est rerum absentium.
Respondemus: 1. Si fidei omnia sunt praesentia et memoria non est nisi absentium (utrumque affirmantibus adversariis), consequens fuerit, fidem de memoria et memoriam de fide esse nullam ac fidelibus nullum dari posse memoriale. 2. Coena instituta est ad Christi commemorationem. *Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*, ait Christus Luc. 22, v. 19. Ergone Christus a coena absens? hospes a convivio? 3. Prima coena Christum praesentem habuit, ut ex evangelistarum descriptione constat, nec ab adversariis negari potest. At si ex voce *commemorationis* legitime infertur *ἀπουσία* corporis, tum negandum fuerit, Christum in primae coenae administratione praesentem suo corpore fuisse. 4. Recte igitur Oecolampadius agnoscit, memoriam saepe esse rerum praesentium, in quam sententiam adducit versum Maronis:

Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

5. Populus Israëliticus quoties jubetur recordari Dei sui et reprehenditur hoc nomine, quod Dei oblitus fuerit? Deut. 8, v. 18. Judic. 8, v. 34. quoties orant pii, *Domine memento nostri, recor-*

Digitized by Google

dare nostri? Psalm. 25, v. 7. Neh. 5, v. 19. Deus quoties recordatus dicitur piorum, Gen. 8, v. 1. Job. 14, v. 13. etc. Ergone Deum absentem esse dicemus? 6. Imo vero Deus ipse notanter dicit Exod. 20, v. 24: *In omni loco, in quo memoriam nominis mei instituero, veniam ad te et benedicam tibi.* Quare cum Christus in sacra coena memoriale beneficiorum suorum instituerit, Psalm. 111, v. 4. utique in ea etiam praesens est. 7. Sic arca foederis in V. T. columna nubis et ignis in deserto erant memoriale Dei non absentis, sed vere praesentis. 8. Ne quidem philosophice verum est, memoriam esse rerum absentium. Aristoteles libr. de memor. c. 1. memoriam dicit *esse praeteritorum*, interim tamen rerum illarum species sunt praesentes, non quidem sensui, sed intellectui. Sic clausis oculis possum recordari hominis praesentis. Unde distinguunt *inter praesentiam sensibilem et insensibilem, inter absentiam rei et speciei.* Quae res sensibiliter sunt praesentes, id est quae in sensus externos occurrunt, eorum proprie non recordamur, cum enim species praesens in sensus occurrat, ejusdem repetitione per ἀνάμνησιν non est opus; cum vero res quidem praesens est, sed non incurrit in sensus, tunc ejus meminisse possumus, siquidem
X. 197. species absens semel accepta opera intellectus recoli potest, D. Meisnerus part. 1. sobr. philos. sect. 3. c. 6. q. 5. 9. Verba Christi, *hoc facite in mei commemorationem*, exprimunt salutarem coenae fructum et sic exponuntur ab apostolo 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunqne manducabitis panem hunc et ex hoc calice bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo non debent opponi verae praesentiae corporis, quae ad essentiam sacrae coenae pertinet. Nos igitur his et similibus argutiis adversariorum constanter opponimus verba Christi et cum Augustino dicimus lib. 6. contra Julianum c. 2: *Ego haec arma coelestia, quae vincunt Coelestium* (Pelagianum et sacramentarios Calvinianos) *non dimitto, his fidem meam sermonemque committo: argumenta, quae profertis, humana sunt, haec munimenta divina sunt.* Quae vero Perkins. lib. de unic. rat. conc. p. 49. ex circumstantiis institutionis contra praesentiam corporis Christi in sacra coena affert, ea manifeste principium petunt et exposita a nobis sunt in tract. de interp. Script. §. 160. **Joh. Appelius contra D. Mentzerum pag. 69. et 87: *Efficiens non ingreditur essentiam sui effecti. Christus est efficiens sacrae coenae. Ergo non ingreditur essentiam coenae.* Respondemus: 1. Christus est efficiens et materia sacrificii Patri coelesti oblati, Ephes. 5, v. 2. Hebr. 7, v. 27. c. 9, v. 12. c. 5, v. 5. Augustinus de fide ad Petr. Diacon. c. 2. tom. 3. p. 288: *Unus Christus sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati; templum, in quo reconciliati; Deus, cui reconciliati.* 2. In baptismo Spiritus est causa efficiens Luc. 3, v. 22. et materia sive essentialis pars, Matth. 28, v. 19.**

117. Quae ex patribus Phil. Mornaeus libr. 4. de euchar. c. 1. Polanus in symph. Cathol. c. 17. th. 1. Scultetus in medulla patrum et alii pro confirmatione suae sententiae proferunt, facilem habent explicationem, si observentur haec theoremata: 1. De vera et genuina patrum sententia judicandum esse ex illis locis, in quibus proprie et ex professo de hoc mysterio tractant, non in quibus obiter et incidenter solum de eo agunt. 2. Distinguenda esse loca, in quibus de salutari usu et fructu hujus mysterii tractant, ab illis, in quibus essentialia ejusdem explicant. 3. Panem eucharisticum vocari sacramentum, mysterium et symbolum corporis Christi, non quod nuda σχέσις et relatio sit inter panem et absens Christi corpus, sed quia vera et realis eademque mystica unio sit inter panem et corpus Christi praesens, per quam fiat, ut mediante symbolo panis externo in sublimi mysterio corpus Christi in hoc sacramento accipiamus. Incarnatio dicitur *magnum mysterium et admirabile sacramentum;* at num Λόγος a carne absens propterea statuitur? 4. Panem dici signum, figuram, similitudinem, ἀντίτυπον corporis Christi, non quod Christi corpus sit absens (hunc enim sensum disertis verbis patres repudiant), sed quod sit invisibiliter praesens, ex signo enim invisibilitas, nequaquam vero absentia corporis inferri potest, definiente Augustino libr. 2. de doct. Christ. c. 1: *Signum est res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud in cogitationem ex se venire faciens.* Sufficit igitur ad signandi rationem, ut res signata externis sensibus non sit obvia, si vel maxime praesens adsit. Columba erat signum Spiritus s. descendentis, columna nubis et ignis erat signum et symbolum Dei gratiose praesentis, nec tamen vel a columba Spiritus s. vel a columna nubis et ignis Deus aberat. Vide tract. de sacram. §. 9. 5. Distinguendum esse inter signum nude σημαντικόν et μεταδοτικόν sive προσφερόμενον. Quando patres symbola externa, panem et vinum, in sacra coena vocant signa corporis et sanguinis Christi, non intelligunt signa tantum σημαντικά, sed μεταδοτικὰ καὶ προσφερόμενα. De sententiis patrum judicandum est ex verbis institutionis Dominicae, illi enim nequaquam suam X. 198.
interpretationem opponere voluerunt, sed ex illa eandem hauserunt. 6. Quando integra sacramenta vocant signa, itidem nequaquam hoc volunt, quasi gratiam Dei tantum significent, sed non una offerant et exhibeant; verum intelligunt signa exhibentia, obsignantia et confirmantia. Relationes, quarum relata se habent ut signum et signatum, sunt duplices: Quaedam tantum sunt significativae et σημαντικαί; quaedam simul μεταδοτικαὶ et exhibitivae. Sacramenta pertinent ad posterioris generis relationes, quia gratiam Dei offerunt, oblatam credentibus conferunt, collatam augent et auctam sigilli instar obsignant et confirmant.

Neophotinianorum sententia.

118. Neophotiniani verbis disertis absque ulla tergiversatione ἀπουσίαν corporis et sanguinis Christi profitentur, **quin et eo nomine in nos invehuntur. Schmaltzius contra D. Frantz. p. 332. 333.

Digitized by Google

sententiam nostram de vera, reali et substantiali corporis Christi in coena praesentiam vocat *blasphemam et idololatricam.* Socinus in libro quod evang. se Photin. conjung. debeant c. 4. pag. 50: *Qui vel cum ipso pane et vino vel alia quacunque ratione, dum panis ille et vinum sumitur, Christi corpus et sanguinem sumi credunt, si paulatim eo tendunt, ut idolum quoddam ex coena Domini faciant et panem illum vinumque adorent.* Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglec. quem refutationem dissolutionis nodi sui Gordii vocat p. 51: *Asserere, Christum esse in coena praesentem, est rem adversa fronte cum universa Christi religione pugnantem et horrendae idololatriae causam in Christi religionem introducere.* pag 46: *Christum in coena apostolis dedisse corpus suum ad manducandum et sanguinem ad bibendum ingens error est. Assidebat enim ipse Dominus in corpore suo mensae, cum panem comederent et vinum biberent apostoli.* Pisecius in resp. ad 2. rat. Camp. p. 23: *Constabit Christus duobus corporibus, altero incommunicabili, altero quod nobiscum communicari potest.* pag. 25: *Mortale corpus, quod traditum est in mortem, capi oportet a mortalibus, quippe coeleste nec frangi, nec edi, nec tradi potest. At Christus essentiam habet corporis coelestis, quod immortale; hoc vero a nobis per corporis organum capi non potest.* pag. 27: *Si ipsum Christum Filium Dei viventis in sua persona sub elementis hujus mundi contineri, corporaliter nobiscum uniri seu substantiae nostrae re ipsa permisceri, ipsum inquam praesentem in panis materia inesse intelligendum esset, non corpus, sed ipsum Christum de pane enuntiari legeres. Absoluta ratio praesentiae Christi non potest a parte considerari, praesertim ubi archetypa dicuntur de antitypis.*** Duobus vero potissimum utuntur argumentis: *1. Scriptura cibum illum proprie nominat panem, corpus autem et sanguinem non nisi figurate.* Respondemus: hypothesis est falsa, quod scilicet verba sacramenti Dominici per figuram confictae metonymiae sic sint pervertenda, ut nihil nisi nudus panis et nudum vinum in sacra coena relinquatur. Invertimus igitur argumentum: Christus, qui est veritas, cibum illum, qui in sacra coena nobis manducandus datur, vocat suum corpus; potum illum, qui in sacra coena nobis bibendus datur, vocat suum sanguinem. Ergo non nudus panis et nudum vinum nobis exhibentur. Item: Paulus cibum eucharisticum vocat panem, Christus appellat suum corpus. Ergo utrumque simul exhibetur in sacra coena, videlicet panis et corpus Christi, vel quod idem est mediante pane Christi corpus, unde Irenaeus libr. 4. c. 34. *eucharistiam duabus rebus constare* dicit, *terrena scilicet et coelesti.* Christiana simplicitas in verbis Christi et Pauli sine tropo acceptis acquiescit; Calviniani et Photiniani corpus et sanguinem Christi ex coena tollunt, ideo verbis Christi metonymiam affingunt; Pontificii substantiam externorum symbolorum ex ea tollunt, ideo verbis Pauli figuram tribuunt, ut paulo post videbimus. Utraque sententia non ex Scripturis hauritur, sed in eas infertur. *2. Visus et gustus non sentiunt et percipiunt carnem et sanguinem Christi.* Respondemus: Argumentum hoc coincidit cum ratiocinatione Calvinianorum §. 115. exposita, ut ex eo etiam harmoniam utrorumque colligas. Catech. Racov. major pag. 220. et 221. contra praesentiam corporis in coena itidem repetit Calvinianorum argumenta: *1. quia corpus Christi est in coelo, ergo non est in coena praesens; 2. repugnat qualitatibus corporis Christi, quod sit praesens simul in pluribus locis.* Sed de his judicium fieri potest ex iis, quae antea sunt disputata.

CAPUT XII. X. 199.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

119. Porro quamvis veram, realem et substantialem praesentiam, corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam firmiter credamus, nequaquam tamen docemus aut dicimus, substantiam panis et vini deperdi ac in substantiam corporis et sanguinis Christi transire. Neque enim sacramentalis illa corporis et sanguinis Christi in coena praesentia substantiam externorum symbolorum panis et vini tollit, sed fit mystica et sacramentalis unio panis et corporis, vini et sanguinis Christi, ideoque improbamus sententiam erroneam Pontificiorum, qua docent, ante consecrationem adesse quidem panem et vinum, sed per consecrationem panis et vini substantiam deperdi ac in substantiam corporis et sanguinis Christi mutari; hanc mutationem sive conversionem vocant transsubstantiationem et statuunt, post factam consecrationem non amplius adesse substantiam panis et vini, sed nuda tantummodo eorum accidentia, cum substantia panis mutata sit in corpus, substantia autem vini in sanguinem Christi. Contra illum errorem hisce pugnamus argumentis. Transsubstantiatio Pontificia impugnatur.

120. 1. Quodcunque dogma nec secundum verba, nec secundum rem in Scriptura habetur, illud pro articulo fidei acceptari nequit. Majoris veritas nititur hypothesi illa verissima et certissima de Scripturae perfectione, cujus confirmatio suum alibi habet locum. Minoris veritas patebit ex discussione eorum, quae pro confirmanda transsubstantiatione ab adversariis ex Scriptura adducuntur. Negari certe nulla specie potest, ipsum nomen transsubstantiationis esse novum, barbarum et peregrinum, usurpatum primo in concilio Lateranensi anno 1215. Bellarminus excipit lib. 3. de eucharist. c. 23: *1. Stultum esse, cum de re constet, litigare de nomine, de re autem ita constare, ut non possit magis, cum patres dixerint, panem substantialiter converti in corpus Christi manentibus tantum panis accidentibus.* Respondemus: de sententia patrum dicetur postea, nos hoc loco de Scripturae sententia 1. Nec secundum verba, nec secundum rem in Scripturis habetur. Exceptiones Bellarmini.

potissimum solliciti sumus et ex ea transsubstantiationem demonstrari jure aequissimo postulamus. 2. *Licuisse concilio Niceno in ipso symbolo ponere nomen ὁμοούσιος et concilio Ephesino nomen θεοτόκος, majori igitur ratione licuisse concilio Lateranensi nomen transsubstantiationis ponere, cum plures episcopi et patres fuerint in concilio Lateranensi quam vel Niceno vel Ephesino, cumque ante concilium Lateranense exstiterint innumerabilia veterum de transsubstantiatione testimonia et multa nomina eidem aequivalentia, quae sunt conversio, transmutatio, transelementatio.* Respondemus: est ratio longe dispar inter vocabula ὁμοούσιος, θεοτόκος etc. et inter vocem transsubstantia-
X. 200. tionis. Res prioribus vocabulis significatae exstant in Scriptura, ideoque sunt in classe eorum, quae juxta Nazianzeni divisionem *etiamsi non dicantur, tamen sunt in Scripturis.* Transsubstantiatio autem est in eorum classe, quae in Scripturis nec sunt, nec dicuntur. Revocamus ergo Bellarmino in memoriam, quae recte scripsit lib. 2. de concil. auctor. c. 12: *Cum Nicenum concilium definivit, Christum esse ὁμοούσιον Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis,* quodque lib. 2. de Christo c. 1. probat, *nomen ὁμοούσιος non fuisse primo inventum in concilio Niceno;* ac jubemus, ut idem de transsubstantiatione probet, hoc est rem ex Scripturis deducat et nomen ipsum ante concilium Lateranense in ecclesia usurpatum fuisse doceat. De nominibus conversionis et mutationis dicetur suo loco et ex ipsis patribus ostendetur, non essentialem vel substantialem, sed sacramentalem tantum externorum symbolorum mutationem ipsos intellexisse. Transelementationem Bellarminus hoc loco sic exponit, quod significet *mutationem totius rei usque ad prima elementa, id est usque ad materiam primam, quae ab Aristotele elementum vocatur,* qua ratione transelementatio a transsubstantiatione distinguetur, quia in transelementatione manet materia, sed in transsubstantiatione nuda tantummodo accidentia, et sic ex nomine transelementationis parum subsidii accedit voci transsubstantiationis; veram vocabuli transelementationis significationem postea exponemus. Ceterum quod ad numerum episcoporum et patrum in concilio Lateranensi attinet, opponimus Bellarmino hanc regulam, quod decretorum a conciliis editorum veritas non sit aestimanda ex numero episcoporum vel patrum, sed ex conformitate cum Scriptura. Hunc canonem suo loco confirmatum dant nostrates, praesertim D. Gesnerus in lib. de concil. Hac vice repetimus dictum Hieronymi c. 1. epist. ad Galat.: *Spiritus sancti doctrina est, quae canonicis literis est prodita, contra quam si quid statuant concilia, nefas duco.* Augustinus passim urget discrimen inter canonicam Scripturarum auctoritatem et ecclesiasticorum scriptorum judicium epist. 19. ad Hieronym. epist. 111. lib. 2. contra Crescon. c. 212. *Pulchra ergo fuit forma veterum conciliorum, in quorum medio,* ut habet Cusanus lib. 2. de concord. Cathol. c. 6. *ponebantur sacra evangelia et secundum testimonia Scripturarum decrevit olim synodus.* Johann. Dalburgius *quatuor judices minime suspectos cuivis concilio praeficiendos esse* dicebat, *biblia scilicet Hebraea, Graeca, Latina et Germanica,* in paral. Ursperg. Porro si ad qualitates episcoporum in Ephesino et Niceno conciliis congregatorum respicere velimus eosdemque conferre cum illis, qui in Lateranensi concilio congregati fuerunt, immane, quantum apparebit discrimen! Negari certe nulla veritatis specie potest, ecclesiae statum tum temporis longe deteriorem et corruptiorem fuisse, quam primis illis primitivae ecclesiae temporibus, qua de re Bernhardi, Platinae, Urspergensis, Aventini et aliorum querelae satis superque testantur. In eodem concilio cap. 13. contra novos religiosorum ordines tale decretum habetur: *Ne nimia religiosorum diversitas gravem in ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicunque voluerit religionis domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere praesumat, nec unus abbas pluribus monasteriis praesidere.* Quodsi decretum hoc Bellarminus approbare velit, fateatur, novum Jesuitarum ordinem fuisse prius damnatum quam natum, cui tamen ipse dedit nomen. Auctor hujus concilii fuit Innocentius III. qui libros decretalium in scholis doceri et in judiciis exerceri mandavit. c. venerabilem d. elect. v. electi potest, quam vero multi et graves sint illorum errores, apparet ex vulgato proverbio, quod recitat Duarenus in praefat. l. de sacris eccles. minist.: *actum fuisse de salute ecclesiae, cum decretis accederent alae, id est* decretales. Idem Innocentius c. solitae. extr. de majorit. et obed. hanc valde magistralem Scripturae expositionem proponit: *Deus fecit duo luminaria magna in firmamento coelo, id est duas in ecclesia instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas; sed quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges est* X. 201.
differentia. Ex quo uno intelligi potest, quantum tribuendum sit illi Innocentio, a quo concilii Lateranensis auctoritas in solidum dependet. 3. *Si mutatio solius formae recte dicitur μεταμόρφωσις, transformatio et mutatio externa, figurae transfiguratio, mutationem substantiae etiam recte dici posse transsubstantiationem.* Respondemus: transfigurationem dicimus, quia legimus Matth. 17, v. 2. transsubstantiationem non dicimus, quia non legimus.

121. Sed enim non tam de nomine, quam de dogmate transsubstantiationis quaestio est. Si novum illud dogma ex Scripturis demonstrari posset, ipsum nomen non repudiaremus. Jam vero transsubstantiatio destituitur certis, manifestis et firmis Scripturae testimoniis. Bellarminus 1. excipit, *falsissimum esse illud axioma, quod nihil pro articulo fidei ecclesiae proponendum sit, quod non possit ex Scriptura probari, cum ex nulla Scriptura, sed ex sola traditione probari pos-*

Digitized by Google

sit, quod libri evangelistarum et epistolae Pauli sint Scripturae divinae, remoto autem ab articulis fidei, quod libri illi sint Scripturae divinae, simul concident omnes alii articuli, qui ex Scripturis illis probantur. Axioma igitur illud universam fidem destituit. Hoc Bellarmini pronuntiatum verbis magis atrocibus et impiis repetit Pistorius in hodeg. c. 2. p. 15. 16: *Opinio eorum, qui nihil credere volunt, nisi quod in verbo Dei exstat, abducit paulatim ad abnegationem totius Scripturae sacrae et efficit Turcicos et Epicureos.* Respondemus: argumentum Bellarmini exposuimus in tract. de Scriptura sacra §. 27. et seqq. hac vice tria urgemus contra Bellarminum, primo quod sibi ipsi contradicat, siquidem lib. 1. de verbo Dei c. 2. contra Swencfeldium disputans sic scribit: *Sacris Scripturis, quae propheticis et apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendam neget. Notissimas esse testis est orbis Christianus et consensio omnium gentium. Certissimas esse, testis est veritas vaticiniorum; testis est incredibilis et plane divina conspiratio ac concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus sacra volumina conscripserunt; testis est Deus ipse, qui aliquando coelesti animadversione Scripturam hanc suam ab humana profanatione defendit; testis est ipsa Scriptura, cujus si verae fuerunt praedictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum praesentium testimonia? postremo testis est infinitus prope numerus divinorum miraculorum, quae omnibus seculis facta sunt ad ea dogmata comprobanda, quae in his literis continentur.* Haec Bellarminus rectissime, licet insufficienter de certitudine et auctoritate Scripturarum divinarum disputat, quae certe non ex sola traditione, sed ex internis ipsius Scripturae κριτηρίοις sunt petita. Secundo quod circularem argumentationem cogantur admittere, qui ex sola traditione, quae Scripturae sint divinae, cognosci posse asserant. Quaere enim a Pontificio, quare credat has epistolas Pauli esse Scripturas divinas? Respondebit a Bellarmino hoc loco edoctus: ex sola traditione. Quaere vicissim, quare credat traditioni? respondebit, quia est ecclesiae traditio. Quaere ulterius, quare credat ecclesiae? afferet tibi dicta Matth. 18: *Dic ecclesiae.* Joh. 16: *Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem.* En circularem probationem. Denique quod hac ratione totum fidei suae fundamentum in scrinio papalis pectoris constituant. *Omnes alii articuli* (juxta Bellarmini assertionem hoc loco) *nituntur hoc fundamento, quod hi libri prophetarum et apostolorum sint Scripturae divinae; id vero ex sola traditione* (intellige ecclesiae) *et ex nulla Scriptura probari potest.* Ex quo theoremate lib. 2. de sacramentis c. 25. deducit alterum, *omnium dogmatum firmitatem pendere ab auctoritate praesentis ecclesiae.* Si quaeras, quid per ecclesiam intelligat, respondet lib. 3. de verbo Dei c. 3. intelligi *pontificem cum concilio.* Cum vero concilia non semper haberi possint ac decreta conciliorum et papae quandoque sint contraria, ideo lib. 4 de Rom. pontif. c. 2. concludit, *ipsam infallibilitatem* (judiciorum ecclesiasticorum) *non esse in coetu consiliariorum, vel consilio episcoporum, sed in solo pontifice;* quin et ulterius eo in loco progreditur: *Omnes Catholici* (inquit) *in eo conveniunt,* X. 202. *pontificem solum vel cum suo particulari concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum* (mirus sermo, pontificem etiamsi errare possit, obedienter esse audiendum). 2. Accusat Chemnicium, *quod mala fide ex Andradio, Scoto et Cameracensi* (Petro de Alliaco) *probare voluerit, ipsos Pontificios agnoscere, quod transsubstantiatio destituatur Scripturae fundamentis.* Respondemus: inferius ipsa horum scriptorum verba referemus, quorum claritas clausos Bellarmini oculos sic perstrinxit, ut hoc loco scriberet: *Scotus dicit, non exstare ullum locum Scripturae tam expressum, ut sine ecclesiae declaratione cogat transsubstantiationem admittere, atque id non est omnino improbabile. Nam etiamsi Scriptura, quam pro transsubstantiatione adduximus, videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum, tamen an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi et acutissimi, qualis inprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.* Et paulo post: *Dogma transsubstantiationis ad fidem Catholicam pertinet, quia colligitur ex Scriptura divina secundum explicationem communem patrum et juxta declarationem ecclesiae in conciliis generalibus (Lateranensi et Tridentino).* Atqui sententiae patrum et decreta conciliorum non sunt norma interpretationis Scripturae, sed Scriptura, quia perfecta et perspicua est, ex se ipsa et per se ipsam est interpretanda, ut in tract. de interp. Script. §. 83. et seqq. docuimus. Concilia et patres non inferunt lucem in Scripturam, sed doctrinae lucem hauriunt ex Scriptura, ideoque de patrum scriptis et conciliorum decretis ex ipsa Scriptura judicandum. Scriptura igitur est norma patrum et conciliorum, non contra. Addit Bellarminus, *unum esse in Scoto, quod minime sit probandum, quod scilicet dogma transsubstantiationis non fuerit dogma fidei ante concilium Lateranense, id enim ille dixit* (ait Bellarminus), *quia non legeret concilium Romanum sub Gregorio VII. neque consensum illum patrum, quem nos supra adduximus.* Scilicet homo doctissimus et acutissimus non noverat illum consensum patrum, quem Bellarminus longe doctior et acutior demum in lucem protulit. Videbimus suo loco quid praestiterit.

122. Argumentum 2: Quodcunque dogma pugnat cum Scriptura, pro articulo fidei acceptari non debet. Dogma transsubstantionis pugnat cum Scriptura, quia evangelistae et Paulus expresse nominant panem non solum in actione coenae, sed etiam post consecrationem sive benedictionem, nemo vero ex illis vocat nudam speciem, sive nuda accidentia panis. Matth. 26, v. 26. Marc. 14, v. 22. Luc. 22, **2. Transsubstantiatio pugnat cum Scriptura.**

Digitized by Google

v. 19. 1. Cor. 11, v. 23: *Coenantibus illis accepit Jesus panem, benedixit, fregit ac dedit discipulis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* v. 27: *quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;* v. 28: *probet se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Bellarminus excipit, vehementer obesse nostrae sententiae, quod pronomen *hoc* demonstrat panem. *Valde miror* (inquit) *Lutheri, Chemnicii et aliorum imprudentiam, qui tantopere urgent, panem demonstrari pronomine illo hoc, quanto enim fortius id probant, tanto se ipsos fortius ligant et impediunt. Nam si Dominus ait: hic panis est corpus meum, necessario sequitur, ut aut falsa sit Domini sententia, si nimirum proprie panis materialis dicatur esse corpus Domini, quod aperte implicat contradictionem; aut panis sit corpus non proprie, sed figurate, quod volunt Calvinistae; aut denique panis non manens panis, sed benedictione mutatus sit in corpus Domini, quae est sententia ecclesiae.* Respondemus: pronomen *hoc* denotat quidem panem, sed non solum, verum totum complexum, ut ostendimus superius §. 83. et postmodum plenius demonstrabimus. Christus non
X. 221. dicit: Panis est corpus meum, sed *accipite, comedite, hoc est corpus meum;* interim non improbamus hanc propositionem: Panis est corpus Domini, si accedat legitima expositio ex ipsis institutionis verbis deducta; panis sacramentaliter est corpus Domini, id est manducato pane in sacra coena manducatur etiam corpus Domini, propter unionem sacratalem quae soli Deo cognita et pie a nobis credenda, nequaquam vero curiose investiganda est. Atque haec est vera et orthodoxa illius propositionis explicatio, neutra vero illarum, quas Bellarminus adducit. Quando ergo nobis opponitur, quod panis dicatur corpus Christi vel proprie vel figurate, respondemus, dari tertium, videlicet mystice, sacramentaliter et inusitate. Monendum tamen, quod vox *figurata* sit ambigua, aliquando enim accipitur stricte pro tropica, aliquando vero latius pro inusitata, quae non congruit ad regulas proprie praedicationis, quaeque declaratione ex verbis Domini indiget. Et hoc sensu figurata dicitur haec propositio: Panis est corpus Domini; in protoc. colloq. Maulbrun. ann. 1564. instit. p. 160. Sed propter insidias Calvinianorum praestat vocare inusitatam, sacramentalem et mysticam praedicationem, cujus sensus is est, quod inter panem eucharisticum et corpus Domini sit unio sacramentalis. Confirmat hanc nostram sententiam apostolus, quando 1. Corinth. 10, v. 16. scribit: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, nimirum in ipsa illius benedicti panis distributione et manducatione; sic enim Christus in verbis institutionis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Ex quo loco apostolico evidenter refellitur expositio Bellarmini, qui seq. parag. sic infert: *Falsum est, panem esse corpus Domini, nisi addas aut subintelligas mutatum.* Respondemus: imo vero apostolus panem vocat communicationem corporis Christi, at num aqua mutata potest dici communicatio vini? Quare cum apostolus posito subjecti loco pane non dicat ἁπλῶς et simpliciter, illum esse corpus Domini, sed mutet praedicatum et dicat, panem esse κοινωνίαν corporis Domini, manifeste inde colligitur, in propositione Christi per pronomen *hoc* non denotari tantummodo panem.

123. Quod attinet alteram argumenti partem de appellatione panis post consecrationem, ad eam regerit Bellarminus, *apud Paulum panem vocari post consecrationem, non spectrum, nec accidentia sine subjecto, sed verum cibum supersubstantialem, qui panis dicitur, vel quia ex pane factus est, vel quia figuram panis externam retinet, vel quia habet effectus proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis, siquidem manna vocatur panis in Scriptura frequentissime.* Respondemus: 1. in articulis fidei non est discedendum a litera, nisi fidei analogia nos cogat et Scriptura ipsa figuram monstret et explicet, alias nulla remanebit doctrinae Christianae certitudo, ut ostendimus in tract. de interpr. Script. §. 148. et seqq. Jam vero nulla necessitate cogimur a literali sensu verborum apostolicorum hoc loco recedere, nec uspiam apostolus indicat figurate panem dici. 2. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei c. 3. recte disputat, *ex solo sensu literali duci firma et apodictica argumenta;* afferat igitur evidentem Scripturae textum, in quo figura illa explicetur. 3. Idem Bellarminus contra Calvinianos, qui corpus per figuram corporis exponunt, lib. 1. de euchar. c. 10. disputans recte sic scribit: *Scriptura, cum accipit improprie corpus Christi, id est pro ecclesia, continuo id ipsum explicat. At hoc loco nullus evangelista, neque Paulus explicuit, corpus accipi improprie, relinquitur igitur, ut* (quod) *proprie accipi debeat.* Idem urgemus contra Bellarminum. Nullus evangelista, nec Paulus exposuit, panem accipi improprie et metaphorice, relinquitur igitur, quod proprie accipi debeat. Si in Calvinianis Bellarminus hoc improbat, et merito quidem, quod a proprietate verborum in parte materiali coelesti discedunt, nec sibi indulgere hoc debet, ut ab eadem verborum proprietate in parte materiali terrena discedat. Sicut Calviniani destituuntur expresso textu et efficaci argumento, quo probent, per corpus figuram corporis intelligendam; ita quoque Bellarminus destituitur expresse textu et efficaci argumento, quo probet, per panem figuram externam panis intelligendam esse. 4. Dn. Chemnicius hoc X. 204.
urget, esse valde absurdum in Scripturis ita ludere, ut in eodem capite panis modo proprie, modo tropice accipiatur. Cum ergo 1. Cor. 11, v. 23. nomen panis omnium consensu proprie accipiatur pro pane triticeo, quando Paulus dicit: *Accepit panem et*

Exceptiones Bellarmini de appellatione panis.

Digitized by Google

gratias agens etc. oportet etiam paulo infra proprie accipere, quando idem ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Bellarminus regerit, *non esse ita absurdum in eodem capite varie accipere aliquam vocem, quando analogia aliqua et similitudo inter eas res invenitur, nam Exod. 7. virga Aaronis vocatur virga, antequam verteretur in colubrum, et rursum in eodem capitulo vocatur virga, cum esset coluber.* Respondemus: probanda prius erat transsubstantiatio expressis Scripturae dictis, sicut Exod. 7. expresse dicitur virga in colubrum versa, est ergo magna dissimilitudo in exemplis. Regerit Bellarminus, *apostolum satis declarasse variam panis significationem ex mutatione facta in pane. Nam ante consecrationem absolute nominavit panem, dicens: accepit panem; post consecrationem autem semper addidit pronomen, quo judicaretur, sermonem esse de pane consecrato et mutato; ait enim: quotiescunque manducabitis panem hunc, id est panem sic benedictum et consecratum et proinde mutatum in aliam substantiam. Adde, quod de pane non mutato falsum esset, quod Paulus dicit: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et reus erit corporis et non dijudicans corpus Domini.* Respondemus: de pane consecrato Paulum loqui concedimus, de pane essentialiter in corpus Christi mutato ipsum loqui non concedimus; ἀπαιδεύτως haec duo confundit Bellarminus, quae tamen sunt distincta. Particulae illae δεικτικαὶ respiciunt superiora et ostendunt apostolo sermonem esse de illo pane, de quo dixerat, quod sit communicatio corporis Christi, non autem, quod sit mutatus in substantiam corporis Christi. Omnia illa, quae Bellarminus adducit, probant contra Calvinianos, non solum panem in coena manducari, nequaquam vero probant, panem transsubstantiatum manducari, datur enim tertium, videlicet panem, cui sacramentaliter unitum est Christi corpus, manducari, vel quod idem est mediante pane manducari Christi corpus. 5. Arbitratur autem Bellarminus, se reperisse non quod pueri in faba, dum contra D. Chemnicium hoc urget, *quod Paulus in eodem capite decimo nomen panis proprie et metaphorice accipiat* v. 16: *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* Respondemus: secundum Pontificios vocabulum *panis* utrobique improprie et tropice accipitur. Ergo non possunt hanc ἔνστασιν salvis suis hypothesibus nobis opponere. Quod autem nos *panis* vocem in priore saltem istius versiculi membro tropice accipiamus, eo nos ducit ipse textus, *omnes unus panis sumus*, utique non naturalis, sed metaphorice, quia *unum corpus* mysticum sumus. Probent Pontificii, eadem necessitatis lege nos cogi, ut in membro posteriori *(nam omnes de uno pane participamus)* etiam tropice vocabulum panis accipiamus. Probent etiam, significationem tropicam panis in membro posteriori uspiam in Scripturis expositam esse, sicut in membro priore immediate additur declaratio: *Unus panis, unum corpus sumus.* Quin potius apostolus perspicue indicat, panis appellationem etiam post consecrationem esse proprie accipiendam. Cum enim dixisset v. 23. *Christum accepisse panem et gratias egisse* etc. v. 27. infert: *Itaque quisquis ederit panem indigne* etc. particula ὥστε indicat connexionem. Aut ergo vocabulum panis utrobique accipitur proprie, aut nulla erit sermonis apostolici connexio.

124. Quod attinet rationes a Bellarmino adductas, propter quas panis post essentialem sui mutationem pristinam appellationem retineat, de illis in genere dicimus, 1. quod extra et praeter Scripturam afferantur, ideoque conscientia Christiani in illis acquiescere non possit. Et quam titubanti pede ipsimet Pontificii hic incedant, patet ex ipso Bellarmino, qui lib. 1. de euch. c. ult. sic scribit: *Respondent nonnulli, eucharistiam vocari panem per tropum, quia fit ex pane, sive quia ante fuit panis et afferunt multa exempla Scripturae, ut quod Genes. 3. Eva dicatur os Adami, Exod. 7. virgae conversae in dracones adhuc vocentur virgae, quod Matth. 11. dicantur coeci videre, claudi ambulare,* X. 205.
quod Matth. 21. dicantur publicani et scortatores praecedere Pharisaeos in regnum coelorum. Sed haec solutio non videtur solidissima. Possent enim adversarii dicere, non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, unde facta est, ubique ita accipienda esse vocabula; secundo igitur dici potest, Scripturam vocare ordinarie res, ut apparent exterius, sic enim serpentem aeneum vocat serpentem. Tertio dici potest, et meo judicio optime, vocari panem phrasi Hebraica, quia nomine panis intelligitur generatim omnis cibus; et denique quarto vocari panem, quia non solum est cibus, sed est cibus solidus, praecipuus, substantialis, qualis est panis triticeus inter cibos corporales. Hactenus Bellarminus nesciens, ubi certo pedem figat. Lanfrancus disputans, quare post consecrationem appelletur panis, affert usitata illa *vel quia ex pane conficitur et accidentia panis retinet; vel quia animam satiat* etc. Agnoscens autem, illa infirma et incerta esse, addit: *vel alio aliquo modo, qui a doctoribus comprehendi potest, a nobis non potest.* At longe aliud est (uti supra ex D. Luthero monuimus), Scripturam eo modo intelligi posse, quam eo modo intelligi debere, posterius quietam reddere potest conscientiam, non autem prius. Et repetenda hoc loco sunt argumenta nostra, quae pro asserendo τῷ ῥητῷ in verbis coenae adduximus, ea enim probant, non tropice ac figurate, sed proprie cibum eucharisticum dici panem. 2. Quod sint non solum diversae, sed etiam contrariae atque ita comparatae, ut verae simul esse non possint. Si enim panis vocatur tropice, ergo non propter vim nutritivam; si vocatur panis, quia est ex pane factus et quia olim fuit panis, ergo non propter accidentia in praesenti.

125. Vidimus rationes illas conjunctas, breviter percurramus singulas, quantum omnino roboris obtineant. Prima ratio erat, *vocari panem post consecrationem, quia est ex pane factus.* Atqui Bellarminus ipse lib. 1. de euchar. c. 14. hanc rationem

Vocatur panis. 1. Quia est ex pane factus.

Digitized by Google

fatetur *non esse solidissimam;* addimus nos, esse nullam propter exemplorum disparitatem; in illis enim exemplis, quae adducuntur, non remanent externa accidentia, quae tamen in pane eucharistico remanere contendunt. Quidquid transsubstantiatur, amittit figuram veterem. Sic uxor Lothi conversa in statuam salis, amissa priore corporis forma accepit aliam, Gen. 19, v. 26. baculus Moysis in serpentem mutatus amisit formam priorem, Exod. 4, v. 3. aqua in nuptiis Cananaeis mutata in vinum amisit pristinum saporem, odorem, colorem, Joh. 2, v. 9. Jam vero panis et vinum in sacra coena non amittunt pristinum odorem, saporem, colorem, quod sensus et oculi renuntiant. Ergo non est facta eorum transsubstantiatio. Praeterea semper in his exemplis committitur petitio principii, probanda enim prius externorum elementorum μειουσίωσις, sicut Exod. 7, v. 10. virga expresse dicitur in colubrum versa, Matth. 11, v. 5. coeci et claudi sanati; denique serpens appellatur virga secundum Augustinum q. 21. in Exod. *quia mox in pristinam virgam erat rediturus.* At Pontificii transsubstantiatum panem

2. Quia figuram panis retinet.

negant redire in substantiam panis. Secunda ratio erat, vocari panem, quia externam figuram panis retinet. Respondemus: haec ratio itidem procedit ex particulari. Ergo secundum ipsius Bellarmini confessionem *non est solidissima.* Praeterea serpens aeneus Num. 21, v. 9. et picti ac sculpti leones in templo Salomonis 1. Reg. 10, v. 20. aequivoce tantum vocantur serpens et leones, num idem de pane eucharistico affirmabunt? Si species illa panis externa vera est, veram etiam denotabit substantiam, quia figura praesupponit substantiam, nec est sine substantia vel subjecto. Adde, quod apud Moysen expresse additur, non verum ac naturalem, sed aeneum serpentem fuisse erectum, ac constat ex textu in templo Salomonis non veros et vivos, sed pictos tantum ac sculptos leones fuisse; sed apud Paulum nuspiam hoc occurrit, quod propter externam tantum figuram panis appelletur. Quin imo revocamus Bellarmino in memoriam, quae scribit lib. 3. de euchar.
X. 206. c. 5. §. ad haec; ubi contra quorundam Scholasticorum sententiam disputans ac statuens, *quod Christus totus cum magnitudine et omnibus accidentibus in eucharistia exsistat*, sic scribit: *Certe substantia sine quantitate et complexione quadam accidentium caro dici non potest.* Eodem modo et nos dicimus, nuda accidentia sine substantia non posse dici pa-

3. Quia habet effectus et proprietates panis.

nem. Tertia ratio erat, vocari panem, *quia habet effectus et proprietates panis*, qui vero sunt illi effectus? lib. 3. de euchar. c. 23. dicit Bellarminus, *divino miraculo fieri, ut accidentia panis nutriant, ita tamen, ut in magna copia sumantur.* Digni sane erant illi homines, ut per mensem mero odore panis ac vini satis copiose appositi nutrirentur, ut figmentorum suorum fidem nobis facerent. Donatus Marcellus a D. Horstio medico insigni, amico nostro singulari, non ita pridem in lucem editus in hist. medic. mirab. lib. 4. c. 12. inter exempla miraculosae inediae ex Johanne Alexandrino refert, Democritum Abderitanum mellis vel, ut alii volunt, panis calentis odore quatriduo vitam sustentasse, sed recte ibidem addit, odores in exhalatione quadam materiali fundatos esse et hanc nutritionem per odorem ultra dies tres vel quatuor non posse protrahi, ideo quod Oribasius p. affect. comm. 12. scribit, philosophum quendam ad mellis odorem per quadraginta dies vixisse, in eo agnoscendum esse sphalma typographicum, quo loco quatuor appositi sint quadraginta. Manardus etiam lib. 18. epist. 6. arguit eos, qui putant odorem pro sola qualitate sumtum per speciem, quam vocant *intentionalem*, nulli substantiae innixam ad cerebrum accedere, cum juxta Aristotelem odor sit *fumida quaedam evaporatio* et juxta Galenum *effluxus quidam corporum.* Sed cum ex hypothesi Pontificiorum panis eucharisticus corpoream substantiam amiserit omnem, ideo odor ejus ne quidem ad momentum nutrire poterit. Et tamen Aimonius monachus lib. 5. de gestis Franc. c. 29. de Ludovico Pio refert, quod *per quadraginta dies sola eucharistia victitarit.* Aristoteles lib. 1. de gener. et corrupt. text. 41. de discrimine nutritionis et accretionis disserens dicit, *quod res augescant alimento, quatenus quantum est seu prout secum novam affert quantitatem, nutriantur vero eodem, quatenus caro est, seu prout in rei viventis substantiam converti potest eique uniri.* Conimbric. 1. de gen. et corrupt. c. 5. q. 11. art. 2. testantur, *omnes theologos ac philosophos communi sensu docere, quod alimentum in rei nutritae substantiam vere convertatur*; jam vero accidentia non possunt mutari in substantiam, quomodo ergo poterunt nutrire? Si dicas, *divino miraculo illud fieri posse*, respondemus, Deum sine omni cibo miraculose corpus conservare posse, sed quid hoc ad sententiam Pontificiorum facit? Si ad miraculum confugiunt, cur addunt, *requiri, ut in magna copia accidentia sumantur*, ergone Deus per accidentia in parva copia assumta divino miraculo non potest nutrire? Addit etiam Bellarminus, *proprietates panis in illis accidentibus manere*, sic ergo accidentia illa erunt gravia vel levia. Nos figmentis illis hoc opponimus: Si panis per consecrationem amitteret suam substantiam, amitteret etiam suas proprietates et effectus, siquidem illae fundantur in substantia panis, hi ex natura panis oriuntur. Denique quarta ratio erat, vocari panem, *quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis.* Respondemus: Apostolus notanter addit panem *hunc*, respicit ergo ad illum ipsum panem, de quo dixerat, quod Christus illum acceperit, fregerit atque ad manducandum distribuerit; igitur generalis illa significatio hic non habet locum. Demonstrandum est, apostolum propter hanc causam cibum eucharisticum vocare panem, alias principium petitur et figmenta humana loco verbi divini obtruduntur.

4. Quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis.

Ex loco Paulino 1. Cor. 10, v. 16. contra trans-

126. Ad confirmationem hujus secundi argumenti pertinet illud, quod Paulus panem eucharisticum vocet *communicationem corporis Christi* 1. Cor. 10, v. 16. unde sic colligimus: Nihil proprie dici pot-

Digitized by Google

substantiationem I. 207. concluditur. est communicatio sui ipsius. Si ergo panis proprie est κοινωνία corporis Christi, non erit transsubstantiatus in corpus Christi, nisi forte quis dicere velit, κοινωνίαν notare transsubstantiationem. Quando in complexu seu integro quodam duae res sunt, quarum quaelibet suum nomen ac definitionem retinet, tunc non est facta unius in alteram transsubstantiatio, sed utriusque unio. Sic in persona Christi sunt duae naturae, quarum quaelibet retinet suum nomen ac definitionem. Ergo una natura non est conversa in alteram, sed facta est utriusque unio. In homine sunt duae partes, quarum quaelibet retinet suum nomen et definitionem. Ergo anima non convertitur in corpus, sed fit utriusque unio. Jam vero in sacra coena sunt duae res, quarum quaelibet suum nomen, definitionem et naturam retinet, ut ex verbis Christi et Pauli constat. Ergo non fit transsubstantiatio vel essentialis conversio, sed unio quaedam. Ubi locum habet rei unius in alteram conversio, ibi altera non potest dici alterius κοινωνία. Sic aqua in nuptiis Cananaeis in vinum conversa non potest dici κοινωνία vini, sed dicitur aqua vinum facta; quando autem duae res distinctae modo quodam uniuntur et simul exhibentur, tunc unum recte dicitur communicatio alterius. Sic flatus Christi corporeus recte dici potest communicatio Spiritus sancti, quia in et cum illo flatu corporeo datus fuit apostolis Spiritus sanctus Joh. 20, v. 22. ** Quod aliquid esse dicitur per κοινωνίαν, non est id quod dicitur συνωνύμως et essentialiter, adeoque non per μετουσίαν, cum κοινωνία et μετουσία sibi mutuo opponantur. In illa enim sunt duo termini actu; alter, cui aliquid communicatur, alter, qui communicatur. In μετουσίᾳ tantum est unus actu terminus, nempe ipsum transmutatum, terminus autem, a quo non amplius est, sed vel in nihilum redactus vel in privationem solutus est. In κοινωνίᾳ igitur utrumque est panis et corpus, vinum et sanguis; in μετουσίᾳ vero tantum est corpus et non simul panis, est tantum sanguis et non simul vinum.** Concludimus igitur: panis eucharisticus dicitur communicatio corporis Christi. Ergo non est essentialiter mutatus in corpus Christi. Relatio versatur ad minimum inter duo. Jam vero κοινωνία est relatio; ergo ut panis vere et proprie dicatur κοινωνία corporis Christi, oportet esse a corpore Christi distinctum quid. Quemadmodum limitatio est relatio inter duo distincta, videlicet limitans et limitatum; ita communicatio est relatio inter duo distincta, videlicet inter panem communicantem, et corpus Christi communicatum. Panis et corpus Christi sunt unum sacramentale propter unionem; interim tamen, quia panis essentialiter non mutatur in corpus Christi, nec corpus Christi in panem, sed manent distinctae naturae, inde panis dicitur communicatio corporis Christi, non autem mutatus in corpus Christi, vel essentialiter ipsum corpus Christi. Breviter, apostolus loquitur de tali pane, qui frangitur, quod solis accidentibus non convenit; illum panem vocat κοινωνίαν corporis, non essentialiter ipsum corpus; praemittit, calicem esse κοινωνίαν sanguinis, ubi per calicem verum, non transsubstantiatum calicem intelligit. Ergo et per panem non transsubstantiati panis accidentia, sed verum panem intelligit.

127. Atque haec sunt duo principalia argumenta, quibus figmentum transsubstantiationis oppugnamus, addemus alia minus principalia. Argumentum 3: Quodcunque dogma pugnat cum analogia fidei, id pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transsubstantiationis pugnat cum analogia fidei. Ergo pro articulo fidei acceptari nequit. Minorem confirmamus: 1. omne sacramentum constat verbo et elemento externo. Sola accidentia non veniunt nomine elementi. Ergo coena Domini ex hypothesi Pontificiorum carebit externo elemento. Pertinet huc locus Irenaei lib. 3. adv. haeres. c. 34: *Eucharistia constat duabus rebus, terrena et coelesti.* Excipit Bellarminus, *species sensibiles esse illud externum elementum.* Respondemus: imo vero externum elementum in sacramentis semper est substantia, ut patet ex inductione. Verbum sacramentale non mutat ipsam externi elementi substantiam, sed ad usum sacramentalem evehit, ut patet in aqua baptismi, quae non mutatur in Spiritum, nec amittit suam substantiam, sed unitur ei Spiritus sancti et sanguinis Christi efficacia. Ergo panis eucharisticus substantiam suam retinet, si vel maxime verbum sacramentale accedat. 2. Sacramenta instituta sunt ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia. At si panis eucharisticus desinit esse panis, nosque in symbolo externo ludificamur, quomodo fides nostra hoc sacramento confirmabitur? Bellarminus excipit, *ad fidem invisibilium confirmandam satis esse, si externum signum vere percipiatur, etiamsi non sequatur effectus ejus signi, ut est res naturalis.* Respondemus: non de effectu naturali, sed de substantia signi vel symboli externi jam agimus; si desinit substantia signi, quomodo vere percipietur signum vel symbolum? Quamvis enim signum non ratione substantiae, sed ratione accidentium, quae sola sunt signa sensibilia, signet (quod hoc loco Bellarminus urget), tamen cum accidentia non sint sine subjecto, ideo etiam non poterunt signare sine subjecto, si accidentia non amplius substratam habent substantiam, quam signant naturaliter, quomodo signare poterunt sacramentaliter? Ac si vel maxime nuda accidentia signare possint, tamen non sunt verum symbolum sacramentale. 3. Per transsubstantiationem tollitur analogia sacramentalis inter rem terrenam et coelestem tum principalis, tum minus principalis. Principalis analogia est, quod panis eucharisticus sit organum et medium idoneum ad distributionem corporis vel, ut apostolus loquitur, κοινωνία corporis Christi; quodque vinum benedictum sit organum ac medium idoneum ad distributionem sanguinis, vel, ut apostolus loquitur, κοινωνία sanguinis Christi. Minus principales analogiae consistunt in facultate nutriendi naturali, quam habent panis et vinum, ac in

3. Transsubstantiatio pugnat cum analogia fidei.

X. 208.

Digitized by Google

fructu coenae, qui est nutritio spiritualis ad vitam aeternam. Item sicut panis est substantia e multis granis collecta, vinum est substantia ex multis uvis expressa; ita unum corpus efficiuntur, qui de uno pane participant. At hae analogiae omnes tolluntur per transsubstantiationem. Etenim si panis est essentialiter ipsum corpus Christi, proprie loquendo, non erit medium, per quod distribuitur corpus Christi. Ac proprietates illae non possunt tribui nudis accidentibus panis et vini. Bellarminus ad analogiam principalem nihil respondet, ad minus principales hoc regerit, *non requiri, ut panis vere nutriat et ex multis granis constet, sed satis esse, si naturaliter repraesentet rem, quae vere nutrit, repraesentationem autem et significationem illam fieri per accidentia.* Declaratonis causa affert duo exempla: *Spiritus sanctus apparuit in specie columbae ob analogiam inter columbam et Spiritum sanctum, et tamen non opus fuit, ut illa columba esset vera columba quoad substantiam, sed satis fuit, ut speciem exteriorem columbae haberet. Et serpens aeneus Christum repraesentavit ob analogiam inter Christum et serpentem, et tamen non fuit ille verus serpens quoad substantiam.* Respondemus: si panis vere est signum et symbolum sacramentale, oportet ut accidentia illa externa substantiam habeant substratam, cum enim accidentia non sunt sine substantia, utique nec signare poterunt sine substantia. De columba, in qua descendit Spiritus s., disputatur, an fuerit vera columba, an vero tantum species seu simulacrum columbae. Tertullianus lib. de carne Christi c. 3. statuit, *tam vere fuisse columbam, quam vere fuerit Spiritus.* Augustinus vel quicunque alius auctor libelli de agone Christi c. 22. scribit, *Spiritum non fallaciter apparuisse oculis hominum et spectatoribus imaginario phantasmate illusisse, sed verum fuisse animal de novo sine aliarum columbarum ministerio creatum, quod post officium illud statim esse desierit.* Thomas part. 3. q. 39. art. 7. ad 1: *Spiritus dicitur descendisse in specie vel similitudine columbae non ad excludendam veritatem columbae, sed ad ostendendum, quod ipse non apparuit in specie suae essentiae.* Alii contra disputant, fuisse tantum similitudinem seu simulacrum columbae, quia in visionibus usitatae sunt tales apparitiones, itemque quia additur particula ὡσεὶ et quia Lucas vocat εἶδος. Ita statuunt Chrysostomus homil. 11. in Matth. Augustinus epist. 102. et lib. 2. de Trinit. c. 5. Ambrosius lib. 1. de sacram. c. 5. Sed quidquid sit de
X. 209. illa columba, sufficit quod species illa columbae non fuerit sine corpore quodam subjecto, quod agnoscit etiam Barradius tom. 2. concord. evang. lib. 1. c. 13: *Crediderim* (inquit), *columbae fuisse effigiem pulcherrimae et candidissimae ex aëre compactam.* Ita quoque serpens aeneus Mosaicus licet non fuerit verus ac vivus serpens, tamen effigies illa serpentis non fuit sine corporea quadam substantia, sed Pontificii statuunt, speciem panis eucharistici esse sine subjecto. Adde, quod in eucharistia non proponatur aliqua visio vel apparitio, qualis fuit Spiritus sancti in specie columbae descendentis, neque quaedam figura, typus et repraesentatio, qualis fuit serpens aeneus, sed sanctissimum sacramentum, ad quod requiritur rei non solum coelestis, sed et terrenae veritas, ut unio sacramentalis locum habere possit. Repetimus igitur argumentum Scoti ex Ambrosio: *In sacramento veritatis non debet esse falsum. At si desit substantia panis, erit falsitas in accidentibus. Accidentia enim externa sunt naturalia signa internae substantiae.* Bellarminus regerit c. 24. resp. ad argumentum 5. *fieri supra ordinem naturae, ut sub illis accidentibus desit substantia panis.* Atqui hac ratione petitur principium et manet absurdum, scilicet supra naturae ordinem fieri, ut sit aliquid falsum in sacramento veritatis. Neque quidquam momenti habet effugium Bellarmini, *quod etiam sancti viri fallebantur, qui angelos in specie humana sibi apparentes veros homines fuisse putabant;* quia dispar ratio est inter apparitiones et sacramenta, et quia visibiles illas apparitiones ipsa Scriptura sic explicat, quod angeli in assumtis illis formis ab hominibus conspecti sint, ac proinde illas formas non fuisse corpora vere humana; sed de pane eucharistico nuspiam in Scriptura asseritur, quod non amplius sit verus panis. Sed ponamus, speciem panis vere significare, si vel maxime non sit verus panis (ut enim panis eucharistici principale officium non est significare, sed exhibere corpus Christi, ita nec principaliter utimur argumento ab officio significandi deducto), at num poterunt nudae illae species nutrire? Bellarminus audacter asserit, addita tamen limitatione, *si in magna copia sumerentur,* qua de re quid statuendum sit, vidimus superius. Scholastici, ut pronuntiati hujus absurditatem effugerent, aliter responderunt ad hanc quaestionem. Thomas part. 3. q. 77. art. 6. dicit, *species illas nutrire eodem modo, quo ex illis aliquid generatur,* id conatur explicare art. 5: *Difficile* (inquit) *est assignare, quomodo ex illis speciebus aliquid generetur. Quidam dixerunt, quod ex aëre circumstante; quidam, quod redeat substantia panis et vini.* Utrumque ipse improbat et statuit, *in consecratione dari quantitati, ut sit primum subjectum subsequentium formarum, hoc autem cum sit proprium materiae, ideo ex consequenti dari quantitati omne id, quod ad materiam pertinet.* Gabr. Biel lib. 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 3. dub. 3. sic procedit: *Sumtis speciebus et eis alteratis usque ad eam dispositionem, sub qua non maneret substantia panis, si non praecessisset consecratio, et sub qua desineret esse corpus Christi, sub speciebus sic alteratis producitur materia vel panis, quae praefuit, vel alia numero et illam materiam agglutinatam reliquae carni sumentis incipit informare forma hominis.*

128. Argumentum 4: Quodcunque dogma evertit naturam rei, de qua agit, pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transsubstantiationis evertit naturam rei, de qua agit. Ergo. Assumtum probamus: **4. Transsubstantiatio evertit rei naturam de qua agit.**

Digitized by Google

1. Transsubstantiatio evertit naturam benedictionis divinae, quia ex partis utriusque consensu sacramentum eucharistiae conficitur benedictione divina. At illa res conservat. Pontificiis benedictio illa efficit, ut panis intereat et annihiletur. Excipit Bellarminus c. 24. resp. ad arg. 3: *Nego, panem annihilari, assero autem, verissime converti. Nam etiamsi panis nihil sit, tamen id, in quod ipse conversus est, non est nihil.* Et postea: *admitto, panem per consecrationem interire, ut ei succedat corpus Christi, sed aliud est interire et corrumpi, aliud annihilari. Corrumpitur sive interit quidquid desinit esse; at non annihilatur, nisi quod ita desinit esse, ut nihil*
I. 210 *ei succedat, ita ut ejus desitio terminetur ad nihil.* Desumsit hoc ex Scoto, qui in 4. sent. dist. 11. scribit: *Desitio panis secundum se considerata est annihilatio, et tamen ipsa conversio non est annihilatio, quia ejus terminus non est nihil.* Respondemus: Pontificii non consentiunt in explicando transsubstantiationis modo, ut postea plenius docebimus. *Quidam dicunt* (ait glossa can. species de consecrat. dist. 2.), *substantiam panis et vini mutari et converti in corpus Christi; alii in nihilum redigi vel in primordialem materiam resolvi.* Eligat Bellarminus quidquid velit, cogetur admittere hoc absurdum, quod benedictio divina in eucharistia res terrenas corrumpat. Argumentamur autem contra Bellarminum hoc loco: Materia panis post consecrationem aut manet et est aliquid, aut interit et est nihil Si manet et est aliquid, jam non est transsubstantiatio, sed tantum transformatio, quia non tota substantia interiit; si est nihil, ergo fit annihilatio. Neque est quod proferatur successio corporis Christi, quaero enim, num corpus Christi sit factum ex materia panis? Affirmare videtur Thomas part. 3. q. 75. art. 3. ubi dicit, *non posse dari aliquem modum, quo Christus vere incipiat esse in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum, quae conversio tollitur posita vel annihilatione, vel resolutione in praejacentem materiam.* Bellarminus vero lib. 3. de euchar. c. 18. illam conversionem dicit *non esse productivam, sed adductivam,* et sic negat, corpus Christi factum esse ex materia panis. At si corpus Christi non est factum ex pane, non habebit locum transsubstantiatio, omnino enim aliud est successio in locum substantiae intereuntis, aliud est substantiae unius conversio in aliam. 2. Transsubstantiatio evertit naturam panis et vini remanentibus tantummodo accidentibus; evertit naturam accidentium, quae ponit sine subjecto, cum tamen esse in subjecto ingrediatur definitionem accidentium. Bellarminus regerit, *inhaerentiam in subjecto ad accidentis essentiam non pertinere, cum Basilius homil. 6. hexaëm. doceat, lucem primogeniam tribus diebus absque vehiculo fuisse, cumque Aristoteles lib. 3. de anim. textu 9. scribat, quod aliud sit magnitudo, aliud esse magnitudinis.* Respondemus: quidquid absque subjecto inhaerentiae subsistit, est substantia. At nullum accidens est substantia. Ergo nullum accidens absque subjecto inhaerentiae subsistit. Propositio patet ex immediata illa divisione Architae in scholis recepta: *Omne ens vel est in subjecto ut accidens, vel non est in subjecto ut substantia.* Aristoteles lib. categor. cap. 1. et 3. explicante Zabarella in tabella super isagoga Porphyrii docet, *proprium esse omnis accidentis esse in subjecto inhaerentiae, sicut substantiae non esse in subjecto inhaerentiae.* Idem asserit, quod *accidentis esse sit inesse,* ut colligitur ex lib. 5. metaph. text. 35. et ex lib. 6. metaph. c. 17. Thomas part. 1. q. 28. art. 2: *Accidentis esse est inesse subjecto.* Scaliger ex. 10: *Accidentis esse est inhaerere.* Exerc 325. sect. 2. disputat, *accidentia habere suam essentiam conflatam ex potentia et actu;* interim addit, *utrumque habere pro causa efficiente substantiam* (quod intelligendum de efficiente per emanationem) atque *inhaerentiam esse peculiarem differentiam, qua distat a substantia.* Suarez disput. 14. sect. 4: *Accidens sua natura ineptum est ad subsistendum ac proinde indiget aliquo subjecto sustentante.* ** Biermannus in metaph. inhaerentiam esse de essentia accidentis sic probat: *1. Substantiae propria conditio est non esse in alio; 2. per inhaerentiam accidens formaliter ens est, cum praesertim accidens ex eo dicatur ens, quod sit entis, id est subjecti seu substantiae ens; 3. si inexistentia accidentis dicatur distincta ab eodem, quaeri potest, sitne inhaerentia ista substantia, an accidens. Si accidens pro natura accidentis habebit aliam inexistentiam; si se ipso inest, cur non magis de primo verum? Ergo omnino inhaerentia nihil aliud quam ipsa accidentis essentia.* Contra *1. Inhaerentia designat respectum ad aliud, quia inhaerere est alteri inhaerere, si hoc dicitur esse de essentia accidentis. Ergo omne accidens relativum.* Respondemus: alius est respectus relativus, alius absolutus. Absolutus est, qui dirigitur ad subjectum et dependentis, id est accidentis ad subjectum; relativus respectus dirigitur ad terminum oppositum. Nulla enim dependentia, sed oppositio correlatorum. Relatio convertitur ad terminum, non ad subjectum, relatio parit contrarietatem relatorum. Inhaerentia autem est respectus subjecti et accidentis dependentiam potius et conjunctionem quam dissidium et sejunctionem arguens. *2. Si inhaerentia accidenti essentialis, quomodo relatio et quae relationem ordine consequuntur, dicuntur accidentia adhaerentia.* Respondemus: 1. inhaerentia tribuitur accidenti reali, adhaerentia accidenti intentionali. Nam adhaerentia nihil aliud quam notatio, quam animus noster inter duo instituit, atque ideo adhaerentia est applicatio rei per se existentis ad aliam rem et si cui reali convenit, substantiae convenit. 2. Et relationes et reliqua accidentia respectiva vere inhaerent. Relatio enim inest suo fundamento, actio realiter inest in patiente, sed res, ad quam fit respectus, illa proprie adhaeret.** Philosophis calculum suum addit Justi- X. 211
nus Martyr et Philosophus in ἐκθ. πίστ. pag. 303. edit. Commelin.: τὸ συμβεβηκὸς οὐ κατ' αὐτὸ πέφυκεν, ἀλλ' ἔν τισι προϋποκειμένοις ὑπάρχει. Zaba-

Digitized by Google

rell. 2. de mat. prima cap. 17: *Materia non modo omnis receptivitatis est radix, sed et omnis corporeitatis ratio, quae facit, ut res naturales possint esse corpora.* Unde colligitur: primo, quod accidentia non possint esse, nisi adsit subjectum, in quo recepta sustineantur, in se enim nullam habent materiam; secundo, quod accidentia non possint constituere substantiam; tertio, quod *accidentia non accidenti, sed substantiae accidant*, ut loquitur Philosophus lib. 4. metaph. c. 1. Accidentia ergo illa panis et vini post consecrationem aut constituent substantiam, quod est contra secundum; aut nulli prorsus inhaerebunt subjecto materia panis et vini sublata. quod est contra primum; aut nihil prorsus erunt. Praeterea sapor, color et odor ille inesse censendus aut Christi corpori, in quod panis est conversus, et sic nova erat μεταμόρφωσις recipiente Christi corpore panis accidentia; vel concedendum est inesse ea accidentibus post consecrationem residuis, quod est contra tertium. **Quo posito tollitur discrimen inter substantiam et accidens, illud est absurdum et rejiciendum. Sed posito, accidentia per se subsistere sine subjecto, tollitur discrimen inter substantiam et accidens. Ergo. Scaliger lib. 4. de caus. Lat. ling.: *Substantia non est confundenda cum accidente.* At substantia in eo differt ab accidente, quod illa per se subsistat, hoc autem propter dependentiam suam nisi in substantia consistere non possit. Argumentamur igitur porro: 1. Quaecunque ad terminos contradicentes possunt redigi, illorum opposita est ratio. Atqui substantia et accidens ad terminos contradicentes possunt redigi. Ergo substantiae et accidentis est opposita ratio. Ulterius: Cujus ratio formalis est per se subsistere, illius oppositum hoc habebit formale, ut non per se subsistat. Atqui substantiae ratio formalis est per se subsistere. Ergo oppositi, quod est accidens, ratio formalis est non per se subsistere, quod nihil aliud est, quam alicui subjective inesse. Major est manifesta, ut constat ex inductione aliarum specierum omnium, quae sibi ἀντιδιῃρημένως sunt oppositae. Minor itidem sua luce radiat. 2. Si ratio accidentium formalis non est inhaerere alteri tanquam subjecto, vel propterea hoc statuendum erit, quia quaedam esse possunt sine subjecto, vel quia τὸ inesse saltem est proprium πάθος consequens naturam accidentium. At neutrum. Ergo. Ratio majoris est manifesta, quia nihil aliud obstare videtur, praesertim cum in confesso, pleraque necessario deposcere subjectum. Minor probatur quoad posterius, quia si τὸ inesse est proprium accidens ipsorum accidentium, non minus etiam substantiarum proprium accidens erit per se subsistere ex natura oppositionis. Quoad prius. Si aliqua possunt esse sine subjecto, quaerimus, an illa per se subsistant, an vero non? tertium non datur. Si per se subsistant, erunt substantiae, quod implicat contradictionem; sin minus, stat nostra sententia.** Neque vero judicamus operae pretium disputare, an miraculo divino inhaerentia ab accidentibus separari posset (Thomas part. 3. q. 77. disputat, *fieri non posse, ut miraculose definitio rei ab aliqua re separetur.* Jam vero esse in subjecto ingreditur definitionem accidentium, ergo non poterit ab accidentibus separari). Probent prius ex divinis Scripturis Dei voluntatem, quod scilicet velit accidentia panis et vini conservare absque subjecto, et sublata erit omnis de natura accidentium et poten- X. 212.
tia divina disputatio. Quod ad lucem primogeniam attinet, discrepantes de ea sunt veterum sententiae. Maxime probabilis est eorum sententia, qui e vocis proprietate, ex opere diei quarti, ex lucis officio et natura coeli lucidi statuunt, lucem illam primogeniam fuisse *corporis lucidi qualitatem, quod corpus procul dubio erat coelum, jam quidem conditum, sed aquis adhuc immersum, unde etiam lux fuit exilior, utpote nondum ex aquarum nebulis educta, nec in unam coeli partem, quae nunc est sol, collecta, sed per totum hemispherium coelestis machinae sparsim diffusa.* D. Gesnerus in comm. c. 1. Genes. *Quae sit illa lux* (scribit Joh. Ferus Pontificius in illum locum), *variae sunt opiniones. Aliqui volunt, lucem hanc fuisse nubem luminosam, unde postea sol formatus sit; alii volunt, lucem hanc fuisse solem licet nondum perfectum, sicut postea quarta die effectus est; alii volunt, quod lux illa non processerit a corpore aliquo luminoso, sed immediate a Deo creata sit. Sed quid opus subtiliter haec velle indagare, cum nihil certi hinc discere possimus?* 3. Transsubstantiatio evertit naturam corporis et sanguinis Christi. Idem illud corpus in sacra coena accipimus, quod in mortem pro nobis traditum, eundem illum sanguinem bibimus, qui pro peccatis nostris in ara crucis effusus. Atqui illud corpus est ex Maria virgine assumtum, non ex materia panis confectum. Filium Dei ex sanctificatis Mariae visceribus veram humanam naturam assumsisse et corporis habitaculum sibi formasse, Scriptura asserit; sed corpus et sanguinem Christi ex pane et vino quotidie a sacerdotibus formari. nuspiam tradit. Excipit Bellarminus, *per transsubstantiationem corpus Christi non produci, sed succedere substantiae panis. Nego* (inquit), *Christi corpus vel ipsum Christum Deum et hominem absolute a sacerdotibus fieri. Aliud enim est Christi corpus conficere ex pane, quod faciunt sacerdotes; aliud absolute corpus Christi efficere. Ex pane Christi corpus conficere non est ipsum producere, sed in ipsum praexsistentem panis substantiam commutare.* Et postea: *Dico, corpus Christi ex pane fieri non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne Mariae virginis, et quomodo ex ligno fit sedes, sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est coelum, ex die fit nox et etiam ex aqua factum est vinum.* Respondemus: Desinant ergo abuti vocibus, si rem ipsam vocibus denotatam non agnoscunt. Si corpus Christi non fit ex pane, tanquam ex materia, cur ergo dicunt, panem transsubstantiari et essentialiter converti in Christi corpus? dicant potius, panis substantiam perire et succedere in ejus locum Christi corpus. Nequaquam vero panem transsubstantiari in Christi

Digitized by Google

corpus, aliud enim est, substantiam in locum alterius succedere, aliud ex una substantia in aliam converti. Ergo conversionem adductivam statuere est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ. Si est conversio, non erit successio vel adductio tantum; et si est tantummodo novae substantiae successio, non erit conversio. Exempla, quae Bellarminus adducit, ipsi vel maxime adversantur. Si enim eo modo fit corpus Christi ex pane, sicut ex nihilo factum est coelum, ex die fit nox; non amplius locum habebit transsubstantiatio. Quis enim unquam dixerit, nihilum transsubstantiatum fuisse in coelum, diem transsubstantiari in noctem? si vero eo modo ex pane fit corpus Christi, sicut ex aqua factum est vinum, consequens fuerit, corpus Christi ex materia panis fieri, perire etiam una accidentia panis, sicut in vino illo Cananaeo non amplius erant aquae accidentia; ac missifices eadem potestate divina mutare panem in corpus Christi, qua Christus aquam mutavit in vinum, ut haud immerito *creatores sui creatoris* in stella clericorum dicantur.

5. Transsubstantiationis dogma laborat perpetuis contradictionibus.

129. Argumentum 5: Quodcunque dogma laborat perpetuis contradictionibus, non potest haberi pro articulo fidei. Dogma transsubstantiationis laborat perpetuis contradictionibus. Ergo. Qui de veritate minoris dubitat, adeat librum, cui titulus *Resolutorium dubiorum circa celebrationem missarum occurrentium per venerabilem Dominum Johannem de Lapide doctorem theologum Parisiensem ordinis Carthusiensis ex sacrorum canonum probatorumque doctorum sententiis diligenter collectum et impressum Coloniae in domo Quentelii anno 1404.* adeat summam Angelicam tit. de eucharistia, adeat Scholasticos, in quartum sententiarum commendantes, videat librum Wilhelmi Holderi, cui titulus *Mus exenteratus*. Nos percurremus aliquas solum contradictiones. 1. Quaerunt, *an sit aliqua virtus creata in verbis coenae ad transsubstantiationem?* Thomas part. 3. q. 78. art. 4: *Statuere, quod nulla virtus creata sit in verbis coenae ad transsubstantiationem, repugnat et dictis sanctorum et dignitati sacramentorum. Cum ergo hoc sacramentum sit ceteris dignius, consequens est, quod in verbis formalibus hujus sacramenti sit quaedam virtus creata ad conversionem faciendam, instrumentalis tamen*, ibidemque addit, *per hunc modum verba illa convertere panem in Christi corpus, sicut tactus manus Christi sanavit leprosum.* Sed Gabr. Biel lib. 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 5. contra disputat: *Sacramenta non efficiunt, quod significant per aliquam virtutem insistentem, sed per virtutem divinam assistentem, nec verba prolata aliquid efficiunt, nisi quod ad prolationem eorum Deus signo per se instituto assistens operatur, requiritur autem verborum prolatio ex institutione Christi ut praevia, non ut concomitans.* 2. Quaerunt, *an a Christo expressa et instituta sit certa verborum forma ad transsubstantiationem necessaria?* Durandus lib. 4. rationalis c. 41. num. 15: *Quidam dixerunt, quod Christus post benedictionem et conversionem fregit, nam tunc confecit, cum benedixit, literam hoc ordine construentes, accepit panem, benedixit, subaudiendum est dicens: hoc est corpus meum, et tunc fregit et dedit et ait: accipite et comedite, et iteravit: hoc est corpus meum. Prius ergo protulit haec verba, ut eis vim conficiendi tribueret; deinde protulit eadem, ut apostolos formam conficiendi doceret. Alii dixerunt, quod etiam Christus prius fregit, quam consecravit, nam prius benedixit et postea fregit et demum protulit verba illa, hoc est corpus meum, et tunc dedit et secundum hos et sacramentum confecit et formam instituit post benedictionem, cum dixit: hoc est corpus meum, intelligentes, illam benedictionem fuisse vel aliquod signum, quod super panem expressit; quibus illud videtur obsistere, quod prius fregit quam dixit: hoc est corpus meum, nec est credibile, quod prius dederit, quam confecerit. Sane dici potest, quod Christus virtute divina nobis occulta primo confecit et postea formam expressit, sub qua posteri benedicunt. Ipse enim virtute propria benedixit, nos vero ex illa virtute, quam indidit verbis.* Scotus lib. 4. report. dist. 8. q. 2: *Dico, quod ignorantia est licita, ignorare quot verba praecise requirantur ad formam consecrationis sanguinis, quia nec Christus expressit, neque ecclesia. Unde quod dicit unus doctor, quod minister debet necessario scire, quae sit forma praecise, quia oportet eum intendere, consecrare, illud est sophisma et falsum in se.* Et postea: *Graeci non habent hanc formam, et tamen non negamus, eos conficere corpus Christi.* Thomas part. 3. q. 78. art. 1: *Quidam dixerunt, quod Christus absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit et postea verba protulit, hoc videntur sonare verba Innocentii III.; quidam dicunt, quod illa benedictio facta sit verbis nobis ignotis; quidam dicunt, quod Christus illa verba bis protulit, primo secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. Quidam dixerunt, quod evangelistae non semper eundem ordinem in recitando servaverint, quo res sunt gestae.* Thomas ipse putat, *quod participium dicens importet concomitantiam quandam verborum prolatorum ad ea, quae post dicit, hoc sensu: Dum benediceret et frangeret et daret discipulis suis, haec verba dicit:* Hoc est corpus meum. 3. Quaerunt, *num propositio illa, hoc est corpus meum, proferatur a sacerdote recitative vel significative?* Prius statuit Innocentius, posterius Alensis, Thomas et alii. 4. Quaerunt, *an illis solum verbis, hoc est enim corpus meum, fiat transsubstantiatio?* Scholastici plerique affirmant, sed Scotus 4. sent. dist. 8. et summa Angelica de euchar. membr. 1. q. 24. negant, *quia sacerdos dicendo, hoc est corpus meum, non refert ad corpus Christi, ideo licet non sint alia verba de substantia formae quam praedicta, tamen de necessitate requiritur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus praefata forma solummodo determinetur ad corpus Christi, sicut fit, cum dicitur in canone: Fiat corpus dilectissimi Domini nostri Jesu Christi, qui*

Digitized by Google

pridie et aliter nihil fieret. Et hoc tene (ait summa), *quamvis aliqui teneant contrarium et male.* 5. Quaerunt, *an sacerdos panem virtute praefatorum verborum transsubstantiet in corpus Christi, si ad veneficia eo uti intendit?* Respondet Angelus, in summa: *Licet Thomas in 4. sent. dist. 11. teneat, quod talis conficiat, tamen non cures, sed tene, quod talis non conficiat, quia deficit intentio illius, qui hoc sacramentum instituit, ut tenet Bonaventura et multi alii, quamvis etiam opinio Thomae possit sustineri, secundum quod Richardus sustinet, si intelligatur, quod conficiens intendat primo conficere, licet consequenter ad veneficia, sed prima magis vocatur rationalis, et ideo tene eam.* 6. Quaerunt *qualis sit conversio, an formalis vel substantialis vel alterius generis?* Lombardus 4. sent. dist. 11. lit. A. respondet: *Definire non sufficio.* Rupertus Tuitiensis lib. 2. de div. offic. c. 2. *panem hypostatice assumi a Verbo*, quem refutat Algerus lib. 1. de sacram. c 6. Thomas part. 3 q. 75. art. 2: *Quidam posuerunt possibile, quod substantia panis et vini maneant;* art. 3: *quidam putantes impossibile, quod substantia panis vel vini in corpus Christi converteretur, posuerunt, quod per confectionem substantia panis et vini vel resolvatur in praejacentem materiam, vel quod annihiletur.* art. 6. mentionem faciunt quorundam, qui statuerunt, *materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eandem.* Idem repetit glossa in c. species 33. de consecrat. dist. 2. Durandus 4. sent. dist. 11. q. 3. vult, *formam panis converti, materiam non converti, sed manere ac informari Christi anima. Circa conversionem, quae fit in hoc sacramento,* (dicit Summa l. d. quaest. 31.) *firmiter tenendum est, quod substantia panis secundum totam suam materiam et formam exsistens actu transsubstantiatur in totum corpus Christi actu exsistens, ita quod materia in mate-*
X. 215. *riam et forma in formam, scilicet corpoream, transsubstantietur, solis accidentibus remanentibus secundum Bonaventuram*, Richardum Palud. in 4. sent. dist. 11. Thomas part. 3. q. 75. *Sed secundum Scotum* in 4. dist. 11. *ibi non est conversio substantiae in substantiam, quantum ad esse substantiale simpliciter, sed quantum ad esse hic, quia corpori Christi non acquiritur simpliciter esse, sed hic esse, scilicet sub specie panis, unde acquirit novam praesentiam non amittendo antiquam: panis vero desinit esse ibi, non acquirendo aliquam praesentiam alibi, unde licet illa desitio panis secundum se considerata sit annihilatio, ipsa tamen conversio nullo modo est annihilatio, quia ejus terminus non est nihil, sed nova praesentia corporis Christi sub specie panis.* Bellarminus lib. 3. de eucharist. c 24. vocat *conversionem adductivam.* 7. Quaerunt de accidentibus panis, *ubi fundentur post transsubstantiationem?* Lombardus 4. sent. dist. 12. lit. A: *Potius mihi videtur fatendum, exsistere sine subjecto quam in subjecto.* Innocentius III. lib. 4. de myst. miss. c. 11: *In sacramento corporis accidens non est in substantia, sed substantia consistit sub accidente.* Thomas part. 3. q. 77. art. 1: *Quidam dicunt, quod accidentia fundentur in aëre;* sed art. 2. statuit, quod *quantitas dimensiva sit subjectum illorum accidentium.* Catech. Rom. part. 2. de sacr. euchar. c. 4. q. 337. sequitur Innocentium et Lombardum, quod *accidentia illa super omnem naturae ordinem ipsa se nulla alia re nixa sustententur;* sed Bellarminus cum non ignoret in Lateran. synod. sess. 3. decretum, Scripturam sacram veritati naturae non repugnare, eo quod verum vero non contradicat, statuit, *quantitatem dimensivam remanentem esse reliquorum accidentium subjectum.* lib. 3. de euchar. c. 19. 8. Quaerunt, *quo tempore fiat transsubstantiatio?* Glossa c. Cum omne de consecrat. dist. 2. lit. M. multas recenset opiniones. *Quidam dicunt, quod non fiat transsubstantiatio, nisi ultima syllaba* um *totius formae prolata; alii existimant, ut Hugo, quod cum dicitur: hoc est corpus meum, quod transsubstantietur sub illa conditione, scilicet si statim subjungatur, hic est sanguis meus, aliter non; alii dicunt, incertum esse in rerum natura, utrum in continenti sit corpus Christi; aliis fit transsubstantiatio in ultima litera* m. Vide Bielem 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 4. Socin. 4. sent. dist. 13. concil. 1. 9. Quaerunt, *quid fiat de aqua vino apposita in transsubstantiatione?* Thomas part. 3. q. 74. art. 8. ex Innocentio III. refert tres opiniones: *Quidam dicunt, quod aqua per se maneat vino in sanguinem converso; quidam dicunt, sicut vinum convertitur in sanguinem Christi, ita aquam converti in illam aquam, quae fluxit de latere Christi; quidam dicunt, quod aqua convertatur in vinum, et vinum in sanguinem Christi.* Durandus lib. 4. ration. c. 42. num. 6. magis sobrie: *Quis haec definire audeat?* Vide superius §. 26. 10. Quaerunt, *quomodo accidentia panis veneno inficiantur* (siquidem Heinricus VII. imperator eucharistia veneno illita neci datus teste Platina in vita Clementis V.); *quomodo vini accidentia inebrient?* (Thomas in 1. Cor. 11: *Si quis forte plus aequo vini consecrati hauserit, ipsis accidentibus sustentari potest ac forte etiam inebriari); quomodo vermes nascantur ex speciebus eucharistiae?* Alii vermes istos *ex aëre*, alii *ex substantia panis reversa* nasci dicunt. Durandus in rat. lib. 4 c. 4. Scotus lib. 4. sent. dist. 12. contr. 3. pag. 121. Thomas *ex accidentibus in aëre fundatis* part. 3. q. 77. art. 5. Conimbr. lib. 1. phys. top. 9. q. 5. art. 3. §. 3. et lib. 1. de gener. et corrupt. c. 4. quaest. 7. art. 2. §. 6. *in eo eventu receptis primum in quantitate dispositionibus ad formam vermis ipso generationis momento subjici a Deo materiam, vel denuo creatam, vel aliunde adscitam, vel potius eandem, quae evanuerat, retroductam, ex qua simul cum forma vermis componatur.* Bellarminus lib. 3. de euchar. c. 24. resp. ad arg. sextum: *Vel mutatio in pane eucharistiae est sola alteratio, vel est corruptio. Si est sola alteratio, ut calefactio, condensatio, tum non requiritur materia*

Digitized by Google

seu substantia, nam accidentia omnia pro subjecto habent quantitatem, quae in sacramento manet; si vero fit corruptio specierum, ut in nutritione humana, combustione etc. *tum requiritur quidem ma-*
I. 216. *teria, sed ea substituitur a Deo in illo ipso instanti, quo desinunt esse aliae species, et hoc sine miraculo, quia id rerum ordo exigit.* (Atqui illa corruptio, quae accedit hostiae in corpus Christi transsubstantiatae, aut est ab actione contrarii, aut a corruptione subjecti. Sed a neutra; non ab illa, quia corpus Christi non habet contrarium, Durandus 4. sent. dist. 12. q. 2. nec ab hac, quia materiam subjectam non habet, alias non opus foret substitutione. Adhuc ergo quaeritur, ubi prima recipiatur corruptionis impressio, ob quam sustinendam alia substituenda sit materia?) 11. Quaerunt, *si mus comedit species panis, quid de corpore Christi fiat?* Innocentius lib. 4. de myst. miss. c. 9: *Fuerunt, qui dicerent, quod sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, sic et vera panis substantia. Hi facile solvunt quaestionem illam, qua quaeritur, quid a mure comeditur, cum sacramentum corraditur.* Lombardus 4. sent. dist. 13. lit. A: *Quid sumat mus vel quid manducet, Deus novit.* Bonaventura 4. sent. dist. 13. q. 1: *Quidam dixerunt, quod mus sumat Christi corpus; sed quomodocunque haec opinio munietur, nunquam tamen adeo munitur, quin aures piae abhorreant hoc audire, quod in ventre muris, quamdiu species ibi subsistunt, sit corpus Christ.* Contra Alensis part. 4. q. 45. memb. 1. art. 2: *Si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video, quare vel quomodo corpus Domino non simul cum specie trajiceretur in ventrem canis vel porci.* Johannis de Burgo de Christi eucharistia c. 10: *Mus comedens hostiam suscipit corpus Christi.* gloss. in c. Qui bene dist. 2. de consecr.: *Non est dicendum, quod mus sumat corpus Domini, statim enim desinit esse sacramentum, ex quo ab eo tangitur. Si tamen dicatur, quod sumat, non est magnum inconveniens, cum sceleratissimi homines istud sumant.* Thomas part. 3. q. 80. art. 3. *in hoc casu substantiam panis reverti* dicit. Bonaventura 4. sent. dist. 13. q. 2. *novam substantiam creari* putat. Summa Angelica de euch. tit. 3. q. 9: *Videtur, quod corpus Christi non transeat in ventrem muris, si illas species comedit, quia Christus non est sub illo sacramento, nisi quatenus est ordinabilis ad usum humanum, scilicet ad manducationem, sed quam cito mus rodit, tam cito inhabilem facit et sacramentum esse desinit.* **Antoninus lib. de defectib. missae et Ingenuus in 4. sent. q. 6. art. 4. suaserunt, *murem ante omnia esse capiendum, sub hac tamen conditione, si capi possit et non nimis celeriter elabatur. Quod si vero mus jam captus sit, et quidem probabiliter ille ipse, qui corpus Christi deglutivit, quaesitum est amplius, num corpus Dominicum in ventre muris, qui sic in muscipula circumfertur, adorandum sit.* Bonaventura lib. 4. sent. dist. 13. q. 2. Gabr. Biel sect. 84. *affirmandum hoc esse* collegerunt, *cum beato Christi corpori mus ubique honor deferendus sit.* Negativam elegerunt Major in 4 sent. dist. 11 q. 3. et alii, *cum ita videatur mus ipse quodammodo coli, qui tamen nocens est et capitale supplicium meruit.* Ipsam vero muris poenam quod attinet, Antoninus archiepiscopus Florentinus statuit part. 3. summ. tit. 13. c. 6. *murem esse comburendum cineremque juxta altare ponendum.* Sed quia hoc periculosum erat et metuendum, ne ipsum corpus Dominicum in ventre muris delitescens comburatur, suaserunt Thomas 4. sent. dist. 9. q. 2. Inguen. 4. sent. q. 6. art. 4. Petrus de Palude 4. sent. dist. 9. q. 1. *ut mus mactatus exenteretur et hostia consecrata excindatur, atque fideli post factam convenientem ablutionem manducanda proponatur.* Attamen quia nonnunquam fieri queat, ut hostia in mure non inveniatur amplius, disceptatum porro est, quid in isto casu dicendum sit, ne scandalum praebeatur laicis. Antoninus p. 3. tit. 13. c. 6. arbitratur, *forte per secessum emissam; quia tamen piae ab hoc aures abhorreant,* rati sunt alii, ut Gabriel Biel can. missae lect. 84. Glossa de consecrat. dist. 2. probabilius dici, *quod per sudorem emissa sit hostia, si modo demonstrari queat, quod mures etiam sudent.* Voluerunt tandem alii, *ut mus excommunicetur;* alii *ut projiciatur;* suadent ob similes casus alii, *ut sacerdos, si non abhorreat, ob reverentiam corporis Dominici murem totum devoret.* Vide Holderum in mure exenterato p. 87.** 12. Quaerunt, *an Christi corpus sub speciebus in stomachum descendat et vomitu rejiciatur?* Glossa in c. Tribus
gradibus de consecrat. dist. 2: *Certum est, quod* X. 217.
species quam cito dentibus terantur, tam cito in coelum rapitur corpus Christi. At Gregorius III. hanc glossam corrigit, sic enim ex Thoma part. 3. q. 77. art. 4. in editione nova decreti Gregorii habetur: *Manet corpus Christi, quam diu species manent, quae descendunt in stomachum et nutriunt, nec proprie rapitur in coelum, unde nunquam discedit.* Censura, quae supervenit, *haec omnia deleri* jubet. Angelus in summa de euchar. membr. 3. q. 5. talem profert distinctionem ex Richardo 4. sent. dist. 9: *Si species sic in ore masticentur, quod per digestionem ibi factam non corrumpatur in eis forma propria, sed descendant in forma propria in stomachum, descendit et corpus Christi in stomachum per descensum speciei, sub qua continetur, et tamdiu ibi manet corpus Christi, quamdiu in eadem specie forma propria specierum salvatur. Si autem species panis tamdiu in ore masticetur, quod per digestionem in ore factam corrumpatur forma propria in eis et non descendat in stomachum, tunc nec corpus Christi descendit in stomachum et sic intelligitur illud de consecrat.* dist. 2. c. Tribus: *cum dicitur, quam cito species dentibus atteritur, tam cito in coelum rapitur Christi corpus. Adde tamen secundum Bonaventuram, quod cum corpus Christi maneat sub illis speciebus, quamdiu illa species sit habilis ad refectionem humanam, quia ad hoc est*

Digitized by Google

statuta et ad hoc ordinatur, et hoc habet, cum est extra stomachum in stomacho, quia ibi reficit et tamdiu corpus Christi moratur, donec operationis refectio compleatur, ideo si quis evomit illas, evomit corpus Christi, et si species possunt discerni ab aliis, debent sumi cum reverentia et cremari et cineres juxta altare recondi etc. Haec decisio summae Angelicae petita videri potest ex concilio Coloniensi celebrato anno 1280. in quo tale statutum editum: *Si communicaturus evomuerit, partes diligenter et caute, quae reperiri poterunt, colligantur et contritae cum vino ab aliquo fideli sumantur, residuum vero vomitus comburatur et reponatur in terram juxta altare.* Durandus contra lib. 4. ration. c. 41. num. 41: *Cum sacramentum tenetur, gustatur et comeditur, Christus corporaliter adest in visu et in sapore, et quamdiu corporalis sensus afficitur, corporalis praesentia non aufertur. Postquam vero in percipiendo sensus deficit corporalis, deinceps non est quaerenda praesentia corporalis, sed spiritualis est retinenda, quia dispensatione completa Christus transit de ore ad cor, melius est enim, ut procedat in mentem, quam descendat in ventrem, cibus est non carnis, sed animae; venit, ut comedatur, non consumatur; ut gustetur, non ut incorporetur; ore comeditur, sed stomacho non digeritur; reficit animam, sed non effluit in secessum.* Audacior Cajetanus in opusc. tom. 2. tract. 2. c. 3: *Falsissimum est, corpus Christi corporaliter sumi, quoniam spiritualiter, et non percipiendo, sed credendo theologi docent sumi in eucharistia.* 13. Quaerunt, *cum sola accidentia post consecrationem supersint, quomodo panis eucharisticus frangatur?* Lombardus 4. sent. dist. 12. lit. B: *Solet quaeri de fractione et partitione, quae ibi videtur, utrum vera sit et si ibi vera fractio est, cujus rei sit vel in qua re fiat. Cumque ibi non sit alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed e contra cum ipsum corpus incorruptibile sit, in ipso non posse esse videtur. Ideo quibusdam placet, quod ibi non sit fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur, quod ait Ambrosius: nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis. Ad hoc illi dicunt, non fallit nos visus, nec fallitur, quod esset, sic crederetur frangi ut videtur.* et lit. C: *Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est et non est ibi res, cujus vel in qua sit illa species; ita est ibi fractio, quae non sit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur, quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi sit fractio, ubi nihil frangitur.* lit. D: *Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi et dividi, et tamen integrum et incorruptibile exsistere.* lit. E: *Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentaliter fieri, id postea sic declarat, quod in specie visibili fiat.* Hos
X. 218. et similes disputationum labyrinthos inexplicabiles ac portenta opinionum transsubstantiatio peperit.

6. Transsubstantiationis dogma parit multa absurda.

130. Argumentum 6: Transsubstantiatio plurima secum trahit absurda tum theologica, tum philosophica; 1. ponit accidentia sine subjecto; 2. accidentibus tribuit proprietates et effectus substantiae; 3. concedit annihilationem; 4. quantitatem constituit subjectum accidentium; 5. ponit effectuum nutritionem scilicet sublata causa; quae sunt absurda phi- X. 219.
losophica. Posita transsubstantiatione 1. non possunt verba institutionis recte et constanter exponi, ut apparebit postea; 2. vox panis in descriptione X. 220.
coenae simul proprie et tropice intelligenda; 3. falsa est collatio antiquitatis inter sacram coenam et personam Christi; 4. concedenda est duplex conversio, aquae in vinum et vini in sanguinem; 5. neganda est veritas externorum elementorum; 6. multa indignissima de corpore Christi concedenda; 7. sequitur, Christum habere duo corpora, alterum quod ex Maria virgine assumsit, alterum quod ex pane formatur; 8. pertinet etiam huc, quod transsubstantiatio peperit errores alios et superstitiones varias, videlicet ἀρτολατρείαν, repositionem hostiae consecratae, circumgestationem etc. quorum omnium nullum in sacratissimae hujus coenae institutione apparet vestigium. Exceptionem de conversione adductiva considerabimus postea.

Dicta patrum transsubstantiationi adversa.

131. Ut autem Scripturae fundamentis, ita quoque patrum calculo destituitur transsubstantiatio. 1. quia patres vocabula panis et vini in hoc mysterio semper retinent, nuspiam vero nudam speciem X. 221.
vel sola accidentia panis et vini appellant. Ignatius epist. 6. ad Philadelph.: *Una est caro Domini nostri Jesu Christi et unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, et unus calix, qui pro nobis omnibus distributus, unus panis, qui omnibus fractus.* Dionysius de eccles. hierarch. c. 3. p. 136: *Hic panis unus manens singulis distribuitur.* Justinus in apol. 2. p. 76: *Non ut communem panem, neque communem potum ista sumimus* etc. in dial. cum Tryph. p. 231: *Panem Christus nobis tradidit in commemorationem corporationis suae propter credentes in eum, quorum causa patibilis est factus facere; et poculum, quod in recordationem sanguinis sui tradidit gratias agentibus facere.* Irenaeus lib. 4. c. 34: *Qui est a terra panis percipiens invocationem Dei jam non communis panis est.* Clemens Alex. lib. 2. paedag. c. 2: *Quod autem vinum esset, quod benedictum est, ostendit rursus dicens discipulis: non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero vobiscum in regno Patris mei.* Cyprianus epist. 75: *Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum gregem, item nostrum significat commixtione adunatas multitudinis copulatum.* Canon Nicenus: *Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem et poculum, sed attollentes mentem fide intelligamus in sacra illa mensa agnum Dei* etc. Cyrillus Hierosol. catech. 4: *Ne consideres tanquam panem nudum et*

vinum. Bellarminus regerit lib. 2. de euchar. c. 3. circa finem, *panem vocari eucharistiam, sed panem coelestem et divinum, non triticeum.* Respondemus: sane in eucharistia non nudus panis, sed etiam cibus coelestis, videlicet corpus Christi, nobis exhibetur, interim tamen panis non convertitur essentialiter in Christi corpus, sed sacramentalis fit rei terrenae et coelestis unio. 2. Quia patres duas res, terrenam et coelestem, in eucharistia agnoscunt.
122. Irenaeus lib. 4, c. 34: *Qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, jam non est communis panis, sed eucharistia duabus rebus constans, terrena et coelesti.* Eusebius lib. 20. in Levit. cap. 8. *duas res* in coena adesse dicit et corpus manducari cum pane, quo refert typum Lev. 8. Excipit Bellarminus lib. 2. de euchar. c. 6. *per rem terrenam intelligi nuda accidentia, quae sint vera res, et vere terrena res, alioqui sensibus corporalibus apprehendi non possent.* Eodem effugio utitur Gregorius de Valent. Respondemus: Irenaeus notanter dicit, *quod panis percipiat vocationem Dei.* Jam vero Dei vocatio non tollit rerum naturam; deinde vocat *rem*, non accidentia rei. Quamvis enim vocabulum rei commune sit substantiis et accidentibus, tamen eum analogice saltem accidentibus conveniat, ideo rarius de illis usurpatur. Praeterea *si res terrena* accipitur tantum de accidentibus, etiam res coelestis, quae est altera pars eucharistiae, pro accidentibus corporis Christi absentis erit accipienda. Denique addit Irenaeus: *sic et corpora nostra percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* At non sumus incorruptibiles substantiae vel naturae immutatione, sed manente eadem substantia incorruptibiles reddimur; ita quoque panis et vinum in sacra coena mutantur non secundum substantiam, sed tantum sacramentaliter. 3. Quia materiale panis manere statuunt. Origenes in comm. c. 15. Matth. circa finem: *Et ille cibus, qui sanctificatur per verbum Dei et obsecrationem, juxta id, quod habet materiale, in ventrem abit et in secessum emittitur.* Et postea: *Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigni Domino comedenti illum.* Bellarminus lib. 2. de euch. c. 8. resp. ad 2. excipit, *materiale ab Origene vocari accidentia visibilia, cum ex principalibus eucharistiae accidentibus sit magnitudo, quae pertineat ad materiam.* At quae grammatica hanc phrasin, quae rhetorica hunc tropum, quae physica hanc confusionem proponit, ut materia pro accidentibus intelligatur? 4. Quia oculorum et sensuum judicium circa externa symbola non rejiciunt. Augustinus in serm. ad neoph. citante Beda
123. in 1. Cor. 10: *Quod vidistis, panis est et calix, quod etiam oculi vestri enuntiant, quod autem fides vestra instruenda postulat, panis est corpus, calix sanguis Christi.* 5. Quia naturam panis manere asserunt. Ambrosius lib. 4. de sacr. c. 4: *Vides, quam operatorius sit Dei sermo* etc. *Si ergo tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse, quae non erant* (in creatione), *quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur.* Chrysostomus (vel quicunque alius auctor) ad Caesarium monachum tempore exsilii: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia mediante sacerdote liberatus est ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etsi natura panis in ipso permansit.* Theodoretus dial. 1. p. 339. edit. Colon. orthodoxus inquit: *In mysteriorum traditione corpus panem appellavit et sanguinem, id quod in calice infusum et commixtum est.* Respondet Eranistes: *Ita nominavit.* Orthodoxus: *Atqui et quod est secundum naturam corpus, corpus jure vocabitur et itidem sanguis.* Eranistes: *In confesso est.* Orthodoxus: *Servator quidem certe noster nomina commutavit, et corpori quidem id quod erat symboli ac signi nomen imposuit. Symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se vitem nominasset, sanguinem, id quod erat symbolum, appellavit.* Eranistes: *Hoc quidem vere dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum.* Orthodoxus: *Manifestum est institutum iis, qui sunt divinis mysteriis initiati. Volebat enim, eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quae videntur, sed propter nominum permutationem mutationi, quae fit ex gratia, credere. Qui enim quod natura corpus est triticeum, et panem appellavit, et vitem rursus se ipsum nominavit, is symbola et signa, quae vocantur, appellatione corporis et sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adjiciens, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς.* dial. 2. p. 369. Eranista Eutychis partes propugnans: *Sicut symbola Domini corporis et sanguinis alia quidem sunt ante invocationem sacerdotis, sed post invocationem mutantur et alia fiunt; ita etiam corpus Domini post assumtionem mutatur in divinam substantiam.* (Ex hypothesi transsubstantiationis argumentum hoc Eutychianum est ἀδιάλυτον, sed videamus, quomodo orthodoxus ad illud respondeat:) *Retibus, quae ipse texuisti captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, οὐκ οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ εἴδους, manent enim in priori sua substantia, forma et specie, et videri tangique possunt, sicut et prius; intelliguntur autem ea etiam, quae facta sunt, et creduntur et adorantur, προσκυνεῖται, ut quae illa sint, quae creduntur. Confer ergo imaginem exemplari, et videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam et figuram et circumscriptionem et ut semel dicam corporis substantiam; immortale autem post resurrectionem factum est et potentius, quam ut ulla in ipsum cadat corruptio et interitus sessioneque ad dextram dignatum est et ab omni creatura adoratur, ut quod appelletur corpus naturae Domini.* Haec Theodoretus, qui Ephesino et Chalcedonensi conciliis oecumenicis interfuit. Excipit Bel-

Digitized by Google

larminus lib. 2. de euchar. c. 27. *Theodoretum non loqui de substantia, quae distinguitur contra acci-*
X. 224. *dentia, sed de essentia et natura accidentium, quae ipse perpetuo nominat symbola.* Atqui totus contextus hanc glossam fortissime refellit, conjungit enim Theodoretus *φύσιν, οὐσίαν, σχῆμα καὶ εἶδος*, quae omnia in externis symbolis manere asserit, et qua ratione argumentum Eutychianum everti potuisset, si accidentia tantum panis post consecrationem sublata substantia manere concessisset? Bellarminus dicit, *si verum esset, manere in eucharistia panem, orthodoxus debuisset potius ex eucharistia argumentari contra Eutychianum.* Respondemus: concedimus totum, idque revera fieri evidenter ostendunt haec verba orthodoxi: *Retibus, quae ipse texuisti captus es* etc. Bellarminus regerit, *Theodoretum alias secum pugnare, cum concedat aliquam mutationem.* Respondemus: quam mutationem intelligat, evidentissime explicat, sacramentalem scilicet, qua corpus Christi pani eucharistico unitur. Regerit Bellarminus, *Theodoretum se ipsum explicare, ubi enim dixisset, naturam symbolorum manere, probat, quia videmus et tangimus eundem colorem, eandem figuram et formam.* Respondemus: a figura, forma et colore ad praesentiam substantiae argumentatur, ut contextus evidenter ostendit, nequaquam vero, quod Bellarminus somniat, per figuram, formam et colorem praesentiam substantiae excludit. Haec aperta veritas quosdam ex ipsis adversariis movit, ut Theodoreti testimonium nobis largirentur. Nam in epistola Theodoreto praefixa in editione Romana per Stephanum Nicolinum Sabiensem chalcographum apostolicum ann. 1547. scribitur, *Theodoretum in his locis de transsubstantiatione minus commode sentire, excusandum nihilominus, quod de ea ecclesia nondum legem tulisset.* Theodoreto conjungimus Gelasium, quem Bellarminus fatetur ejusdem cum illo aevi et sententiae fuisse. Sic autem scribit Gelasius episcopus Romanus lib. adv. Eutychem et Nestorium, qui habetur in haeresiolog. edit. Basil. anno 1556. p. 689: *Certa* (lege certe) *sacramenta, quae sumimus, corporis et sanguinis Christi divina res est, propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae, et tamen esse non desinit substantia vel natura panis et vini.* Bellarminus reponit suam cramben, *per substantiam intelligi non internam substantiam panis, sed exteriorem naturam et proprietates.* Atqui contextus evidentissime hoc glossema refellit, conjungit enim Gelasius substantiam et naturam ac confert unionem sacramentalem corporis et sanguinis Christi cum externis symbolis, cum unione personali divinae et humanae naturae. At quam absurda haec collatio in disputatione contra Eutychen, si statuisset, panem essentialiter mutari in corpus Christi manentibus solum externis accidentibus? Quod Gelasius subjicit, *in divinam transeunt operatione Spiritus s. substantiam*, id non de essentiali et substantiali panis in corpus Christi mutatione, sed de sacramentali accipiendum est, immediate enim addit, *permanere in suae proprietate naturae*, idque declarat unione personali duarum naturarum in Christo, in qua nulla fit abolitio, confusio, vel permutatio, vel transsubstantiatio. Bellarminus regerit, *non fuisse Romanum pontificem, sed episcopum Caesariensem.* Atqui in haeresiolog. diserte nominatur episcopus Romanus et argumenta, quibus contrarium probare nititur Bellarminus, sunt perquam levia et infirma. Gregorius de Valentia regerit lib. 2. de idol. c. 5. *non exstare hoc testimonium inter libros Gelasii, quos contra Nestorium et Eutychen scripserit.* Postea addit, *non esse Gelasii, sed cujusdam Gennadii, qui saepe alias erraverit.* Videns autem, haec esse frivola, subjicit, X. 225
per essentiam et naturam panis permanentis non ipsam substantiam, sed virtutem et efficaciam panis intelligi. Sed et hoc *ἀσύστατον* apertisque Gelasii verbis contrarium esse videns concludit: *Quodsi maxime Gelasius tanquam doctor aliquis, nihil ut pontifex determinans et unus itemque alter ex patribus hac in re lapsus errore fuisset, habemus certo pro veritate transsubstantiationis nubem testium.* Respondemus: quasi vero liber iste ideo non sit Gelasii, quia Trithemius in suo catalogo eum non recensuit, quia non facit mentionem Hieronymi, Augustini et aliorum patrum etc. per substantiam intelligi tantum virtutem et efficaciam, ipsis verbis repugnat, ac frivolum nimis est distinguere inter Gelasium doctorem et Gelasium pontificem, quis namque nos certos reddet, quando pronuntient episcopi Romani ut doctores, quando ut pontifices? Certe quae Leo, Innocentius et alii pauci ex pontificibus scripserunt, auctoritatem apud adversarios habent vere papalem. Adde quod Melchior Canus lib. 11. loc. c. 6. *distinctionem istam in jure canonico a Gelasio tanquam pontifice comportatam asserit et propterea fidem ei nullo modo denegandam.* Sed quidquid sit de Gelasio, sive Romanus sive Caesariensis episcopus fuerit, sufficit nobis, quod Bellarminus hoc testimonium admittat ac Gelasium cum Theodoreto ejusdem aevi fuisse largiatur. (Unde cardinalis Contarenus in colloqu. Ratisbon. anno 1541. ad dicti hujus perspicuitatem obmutuit.)

6. Quia conferunt unionem sacramentalem panis et corporis Christi cum unione personali duarum naturarum in Christo non propter unionis *ταὐτότητα* in specie, sed propter convenientiam generalem, id est propter similitudinem duarum rerum praesentium et propter unum eundemque praedicationis modum. Justinus apol. 2. p. 76: *ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν· οὕτω καὶ τὴν δι᾽ εὐχῆς λόγου τοῦ θεοῦ παρ᾽ αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.* Cyprianus (vel quicunque alius auctor) serm. de coena p. 450: *Panis iste, quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, et sicut in persona Christi huma-*

Digitized by Google

nitas apparebat et latebat divinitas; ita sacro visibili ineffabiliter divina se infudit essentia. Verba Theodoreti dial. 2. p. 369. vidimus superius. Gelasius loco proxime citato: *Satis nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus et sumus, ut sicut in homine scilicet in divinam transeant s. Spiritu proficiente substantiam permanente tamen in suae proprietate naturae, sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repraesentant, ex quibus constat proprie permanentibus unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrant.* At haec collatio plane foret Eutychiana, si panis essentialiter in corpus Christi mutari statuatur. ** Ephraem Antiochenus in lib. contra Eutych. in biblioth. Photii cod. 229. probaturus, per hypostaticam unionem nullam fieri naturarum confusionem, sed unamquamque servare suam substantiam et suas proprietates, utitur ad id similitudine unionis sacramentalis, negans in sacramentis mutationem fieri unius substantiae in aliam. Verba sunt: *εἰ γὰρ καὶ ἑνὸς προσώπου καὶ ἑκάτερον, ἀλλ' οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν δύναται νοῦν ἔχων, ὡς ἡ αὐτὴ φύσις ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου· οὕτω καὶ τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος· καὶ τὸ βάπτισμα τὸ πνευματικὸν ὅλον γενόμενον καὶ ἓν ὑπάρχον καὶ τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διασώζει καὶ ὃ γέγονεν, οὐκ ἀπώλεσεν; si enim et unius personae et utrumque* (nempe manibus tractabile et intractabile), *nemo tamen, qui mentem habeat, poterit dicere, eandem esse naturam tractabilis et intractabilis (sub adspectum cadentis et invisibilis); sic etiam corpus Christi, quod a fidelibus accipitur, et sensibilem essentiam non immutat et manet inseparatum a gratia intelligibili. Et baptismus spiritualis totum factus et unum quid exsistens proprium sensibilis essentiae, aquae dico, servat nec amittit, quod factum est.* (Ostendit auctor, eandem esse rationem utriusque sacramenti, eucharistiae et baptismi, in neutro mutari substantiam elementi, etsi fiat mutatio spiritualis, quemadmodum in hypostatica unione natura humana non mutatur in divinam, sed utraque manet incon-
I. 226. fuse.) ** 7. Quia conferunt unionem panis et corporis Christi in coena, cum virtute Spiritus s. in aqua baptismatis. 8. Quia et cum dono immortalitatis corporibus nostris olim conferendo, ut postea videbimus. 9. Quia externa symbola eo modo tractarunt, ut transsubstantiationem a se statui ipso facto negarent. Hesychius lib. 2. in Levit. c. 8. tradit, *fuisse morem in ecclesia igni tradi, quaecunque remanere contigerat inconsumte.* Evagrius lib. 4. hist. eccles. c. 36. refert, *Constantinopoli fuisse usitatum, pueros ex schola vocare ad comestionem partium residuarum.* Concilium Matiscon. 2. can. 6: *Quaecunque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad ecclesiam adducantur et indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.*

132. Adde quod tum ante, tum post Lateranense concilium in scholis adversariorum disputatum fuit, panis et vini substantiam post consecrationem manere. Otto Frisingensis anno 1141. credidit et scripsit, *panem et vinum manere in eucharistia.* Hic comites habet Petrum Abaelardum, Petrum Cassiodorum et alios referente Christ. Agricola in Antipist. p. 23. c. Panis est in altari. dist. 2. de consecrat. allegatur locus Ambrosii: *Si tanta vis in sermone Domini* etc. qui aperte repugnat transsubstantiationi. c. Hoc est quod dicimus dist. eadem: *Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine* etc. *sicut Christi persona constat et conficitur Deo et homine, quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur.* (Christus ut sit verus Deus, non minus est verus homo; sic externa symbola, ut sint corpus et sanguis Christi, non minus sunt panis et vinum.) Scotus lib. 4. sent. dist. 11. qu. 3. lit. B: *Circa hoc* (quaesitum de conversione in eucharistia) *erant tres opiniones: una, quod panis manet et tamen cum ipso vere est corpus Christi; alia, quod panis non manet et tamen non convertitur, sed desinit esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud; tertia, quod panis transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Christi. At* (inquit) *1. veritas eucharistiae salvari potest sine ista transsubstantiatione. 2. Substantia panis sub speciebus magis est nutrimentum quam accidentia. Ergo magis repraesentat Christi corpus in ratione nutrimenti spiritualis. 3. Iste intellectus, quod non sit ibi substantia panis, videtur difficilior ad sustinendum et ad ipsum sequuntur plura inconvenientia quam ponendo, ibi esse substantiam panis. 4. Mirum videtur, quare in uno articulo, qui non est principalis articulus fidei, debeat talis intellectus asseri, propter quem fides pareat contemtui omnium sequentium rationem.* Et postea: *Nihil est tenendum tanquam de substantia fidei, nisi quod potest expresse haberi de Scriptura, vel expresse declaratum est per ecclesiam, vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in Scriptura, vel plane de-
terminato ab ecclesia* etc. *Nunc autem non vide-* I. 227.
tur expresse haberi, non esse ibi substantiam panis. Nam Johann. 6. ubi Christus dicit: Ego sum panis vivus et 1. Cor. 11. *Paulus: Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi? Nec invenitur, ubi ecclesia istam veritatem determinet solenniter, nec etiam qualiter istud possit ab aliquo manifesto credito evidenter inferri.* Durandus lib. 4. sent. dist. 11. qu. 1. art. 14: *Satis durum est et derogare videtur immensitati divinae potentiae dicere, quod Deus non possit facere, corpus suum esse in sacramento per alium modum quam per conversionem substantiae panis in ipsum, maxime*

cum ponendo conversionem fieri, difficillimum est videre, qualiter ipsa faciat aliquid ad hoc, quod corpus Christi sit in sacramento. Occamus in centiloq. theol. conc. lib. 4. q. 6: *Substantiam panis manere, hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium et sacris Scripturis minus repugnans.* Idem lib. 4. sent. dist. 11. q. 6: *In potestate Dei est, esse substantiam sub specie panis et non esse. Ejus primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi nec auctoritati Bibliae, et est rationabilior et facilior ad tenendum inter omnes modos, quia tamen determinatio ecclesiae in contrarium exsistit, communiter tenent doctores, quod ibi non remanet substantia panis* (de hoc Occamo pronuntiat Scaliger exerc. 324. *quod ejus ingenium ingenia omnia vetera subverterit, nova ad invictas insanias ob incomprehensibiles subtilitates fabricarit atque conformarit).* Petrus de Alliaco cardinalis Cameraciensis in lib. 4. sent. dist. 11. q. 6. art. 1: *Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet* etc. *quidquid tamen sit de hoc, patet, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati Bibliae, imo est facilior ad intelligendum et rationabilior, quam aliquis aliorum, qui ponit, quod substantia panis deserat accidentia et non substantia corporis Christi. Et sic non ponit accidentia sine subjecto, quod est unum de difficilibus, quae hic ponuntur.* Gabr. Biel lect. 40. in can. missae: *Quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat ibi esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia et accidentibus panis, non invenitur expressum in canone Bibliae.* In confessione Waldensium, qui jam tum tempore Innocentii III. transsubstantiationis patroni, in multis provinciis floruerunt, etiam hoc habetur, *quod panis aut vini natura, aut substantia in sacra coena minime mutetur, quodque Christi verba nullam conversionem inducant.* In concilio Florentino 1438. cum Graeci et Latini de transsubstantiatione convenire non possent, ut in ejus actis continetur, non ideo minus unio inter Graecam et Latinam ecclesiam subsignata est. Urgente enim pontifice Eugenio IV. ut de divina panis transmutatione, quae quidem quarta quaestio fuit, in synodo ageretur, Graeci dixerunt, *se sine totius ecclesiae orientalis auctoritate quaestionem aliam tractare non posse.* Tom. 3. concilio p. 474. Gersonius, cancellarius Parisiensis in tract. de comm. sub una specie disputat, *si laicis sub utraque specie coena detur, periculum esse, ne acescat vinum.* (Atqui si ibi tantum Christi sanguis et mera vini accidentia, nullum erit acoris periculum.) Anno 1320. Johannes Parisiensis doctor theologus professione Dominicanus, publice disputavit, *panem per consecrationem non transsubstantiari,* de quo et librum conscripsit Guidoni de Perpiniano Carmelitae inscriptum. Anno 1370. Johannes Wiclefus in academia Oxoniensi theolog. professor floruit, is apud Guilielm. Widefordum, qui contra eum scripsit, sic loquitur: *Manet panis et vini substantia, post ejus consecrationem. Sacramentum altaris est naturaliter panis et vinum, sacramentaliter corpus Christi, quanquam aliqui fingunt, ipsum esse accidens sine substantia adjecta. Fructus istius dementiae est blasphemare in Deum, scandalisare sanctos, per mendacium accidentis.* Johan. Picus comes Mirandulanus in conclusionibus secundum Scotum Romae superiori seculo publice disputatis concl. 2: *Sine conversione panis in corpus Christi, vel paneitatis annihilatione corpus Christi manducatur, quatenus nempe quamcunque creaturam Deus suppositare potest, quo posito et panis remaneat et corpus sit cum pane.* X. 778. Langus scriptor Pontificius et imperatoris Maximiliani II. consistorialis fuit, de eo sic legitur in indice expurgat. Belgico p. 36. et in ind. expurg. Hisp. f. 140: *Quaecunque Langus prolixe satis de eucharistiae sacramento recenset a pagina centesima septuagesima nona usque ad rescriptum Hadriani imperatoris pag. centesima nonagesima nona, judicamus delenda, nam multa continent parum religioni Catholicae consona; inter ea autem illud est praecipuum, quod transsubstantiationem non agnoscit, sed aperte contendit, cum corpore et sanguine Christi remanere veram panis et vini substantiam.* Cassander in consult. ad Maximilianum II. de transsubstantiatione p. 66. *transsubstantiationem et nomine et re novam esse; tutius esse patrum et verbis et sententiis stare, eo denique ventum, ut ad idololatriam proxime accedatur;* inde ipse quoque in spongiam incumbit, sic enim de eo index expurg. Belg. p. 36: *Quae habet de sacramento corporis et sanguinis Christi, pertinent ad ecclesiae sugillationem, deleantur.* Joh. Fischerus al. Roffens. lib. contra capt. Babyl. Lutheri fatetur, *ex Scriptura non posse probari transsubstantiationem.* Erasmus in annot. 1. Cor. 7. p. 327: *In synaxi transsubstantiationem sero definivit ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quocunque modo adesse verum Christi corpus.* Benedictus Arias Mont. in Luc. c. 22, v. 19: *Hoc est corpus meum, id est verum corpus meum in hoc sacramento panis continetur sacramentaliter.* Et subdit: *cujus arcanam et mysteriis refertissimam rationem ut explicatiorem habeant Christiani, dabit aliquando Deus.* (Usitata ergo de transsubstantiatione doctrina ipsius conscientiae non satisfecit.) Tannerus in compend. relatione colloq. Ratisb. part. 2. c. 6 p. 37. transsubstantiationem refert inter ea, *quae in Scriptura sola non continentur, nec ex ea sola evidenter deducuntur.*

Origo transsubstantiationis.

133. Hactenus nostram confirmavimus sententiam; videamus jam transsubstantiationis originem, explicationem et fundamenta. Cum in scriptoribus veteribus vox mutationis ac μετουσίας, praesertim vero μεταποίησις apud Damascenum lib. 4. orth. fid. c. 14. *transelementatio* apud Theophylactum in c. 14. Marci occurreret, Lombardus Gratiani frater in opere sententiarum circa annum Christi 1170. edito lib. 4. dist. 10. lit. D. asserere coepit, *substantiam panis in corpus vinique substantiam in sanguinem converti.*

Digitized by Google

Dist. 11. lit. A quaerit, *qualis sit illa conversio,*
I. 229. *an formalis, an substantialis, vel alterius generis?* respondet autem: *Definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco, quia species rerum, quae*
I. 230. *ante fuerant, remanent, et sapor et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis dicentibus, sic substantiam converti in substantiam, ut haec essentialiter fiat illa.* lit. C: *Nec tamen concedunt qui-*
I. 231. *dam, quod substantia panis aliquando sit caro Christi, etsi fiat caro Christi, sicut farina facta est panis et aqua facta est vinum, nec tamen dicitur farina est panis et aqua est vinum. Alii vero concedunt, illud, quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem, non tamen sequitur, panis est caro Christi vel vinum est sanguis, quia substantia panis vel vinum, postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro et sanguis.* lit. D: *Quidam vero sic dicunt, conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen ut non eis afficiatur, et sic asserunt, dictum panem transire in corpus Christi, quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini? Illi dicunt, vel in praejacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. Alii vero putaverunt, ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem, et hac ratione dici, illam substantiam fieri istam, quia ubi est haec et est illa, quod mirum est, et ipsam substantiam panis vel vini dicunt esse sacramentum. Sed quod non sit ibi substantia nisi corpus et sanguis Christi, ex praedictis et subditis aperte ostenditur.* dist. 12. lit. A: *Si autem quaeritur de accidentibus, quae remanent, id est de speciebus et sapore et pondere, in quo subjecto fundetur, potius mihi videtur fatendum, exsistere sine subjecto quam esse in subjecto, quia ibi non est substantia nisi corporis et sanguinis Dominici, quae illis accidentibus non afficitur.* lit. E: *quidam asserunt, accidentia fundari in aëre.* Atque hic est ille Lombardus, de quo Aventinus verissime conqueritur, quod sacrosanctae philosophiae veritatem fontemque purissimum coeno quaestionum *rivulisque opinionum conturbaverit*, quod a Jacobo Fabro Stapulensi et Jacobo Clitovaeo praeceptoribus suis plus millies se audivisse asserit. Hic est ille Lombardus, de quo Erasmus in annot. super 1. c. Matth. p. 6. scribit: *Utinam illius labor tam feliciter cessisset orbi Christiano, quam ab illo susceptus est pro studio, siquidem apparet, illum hoc egisse, ut semel collectis quae ad rem pertinebant, quaestiones omnes excluderet, sed ea res in diversum exiit. Videmus enim, ex eo opere nunquam finiendarum quaestionum non examina, sed maria prorupisse.* Hic est ille Lombardus, cujus plus quam 26 errores annotarunt Parisienses, quibus asscriptum: *Hic magister non tenetur;* inter quos etiam ille est, *quod Jesus Christus secundum humanam naturam non aliquid sit*, unde Alexander III. ad Guiliemum archiepiscopum Senonensem epistolam scripsit, *qua jubet suffraganeos convocare, ut perversam illam Lombardi doctrinam abroget.* Vigner. hist. eccl. p. 389. Post Lombardum haec de transsubstantiatione disputatio Scholasticis fuit pomum eridos et altercationum campus, donec tandem in concilio Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. decerneretur c. Firmiter credimus in decretalibus Gregor. lib. 1. tit. 1. de summa Trinit. et fide Cathol.: *Idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina.* Inde Jacobus de Vitriaco circa illud tempus scripsit, *per rationem transsubstantiationis creaturam pistoris in Deum creatorem transmutari et adorari pro Deo*, referente Nicol. Vigner. hist. eccl. sub. anno 1215. Gabr. Biel lect. 4. in can. missae utitur hac impudenti collatione: *Virgo Maria etsi in gratiae plenitudine creaturas supergrediatur universas, hierarchis tamen cedit ecclesiae in commissi mysterii exsecutione. Illa nempe prolatis octo verbulis: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, semel concepit Dei Filium et mundi redemtorem. Isti a Domino consecrati quinque verbis contextam consecrationis formam cum debita intentione proferentes eundem Dei virginisque Filium invocant quotidie corporaliter in sacrificium et criminum purgationem.* Superiori seculo concilium Tridentinum addito anathemate Lateran. decret. repetiit sess. 13. can. 2: *Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae*
sacramento remanere substantiam panis et vini una I. 232.
cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat specibus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, anathema sit. Joh. Scotus haereticae pravitatis inquisitor lib. adv. haeret. edit. Colon. anno 1558. f. 185: *Mirum valde* (inquit), *adversarios hanc mutationem vel conversionem, quam ecclesia Catholica transsubstantiationem appellat, nolle credere, cum diabolus eorum pater eam possibilem credidit, quando dixit ad Christum: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Si enim non credidisset, id posse fieri, nimirum ut substantia lapidis mutaretur in substantiam panis, et hoc a Filio Dei, frustra illi hoc proposuisset.* Egregia vero probatio petita ex assertione ejus, quem Christus etiam vera dicentem audiri noluit. Nos transsubstantiationem non negamus ex hoc fundamento, quod Deo sit impossibilis, sed quod nullum in verbo Dei habeat fundamentum. Bellarminus libr. 3. de euch. c. 18. asserit, *theologos convenire quidem in eo, quod causa praesentiae corporis in coena sit totalis conversio substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini, interim*

Digitized by Google

tamen modo explicandi eos nonnihil discrepare. Ipse post expositas verae conversionis conditiones statuit, *conversionem panis in Christi corpus non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam, per quam fiat, ut corpus Christi praeexistens ante conversionem, quod antea solum erat in coelo, jam etiam sit sub speciebus panis.* (Gabr. Biel lib. 4. sent. dist. 10. q. 11. art. 2. concl. 8. vocat *acquisitivam conversionem.)* Sed enim cum notum esset Bellarmino, quod Scotus (quem *acutissimum et doctissimum* appellat c. 23. §. Non dissimili) sententiae illi, quae statuit, panem in eucharistia manere et cum ipso vere esse corpus Christi, non unam, sed duas alias opponat, videlicet *primo, quod alii dicunt, panem non manere et tamen non converti, sed desinere esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud; secundo, quod alii statuunt, panem transsubstantiari in corpus et vinum in sanguinem;* lib. 4. sent. dist. 11. q. 3. lit. B; hoc, inquam, cum Bellarmino esset notum, ideo ex desitione substantiae panis et successione corporis Christi non debuisset inferre transsubstantiationem, siquidem auctore Scoto aliud est substantiam transire in substantiam, aliud vero substantiam substantiae succedere, quae tamen Bellarminus confundit, sed Angelus in summa haec accurate distinguit, ut vidimus superius §. 129. q. 6. Adde quod nec sibi constet Bellarminus. In hoc enim c. 18. §. ex quo: statuit, *in hac conversione ne quidem materiam primam panis manere*, sed in c. seq. 23. §. secundo: ex voce *transelementationis* colligit transsubstantiationem, necesse igitur est, ut pro ἰσοδυναμοῦσι has voces accipiat, describit autem transelementationem hoc modo, quod significet *mutationem totius rei usque ad prima elementa, id est usque ad ipsam materiam, quae ab Aristotele elementum vocatur.* Ergo ut in transelementatione manet materia, ita quoque in transsubstantiatione manebit. c. 24. §. ad tertiam disputat, *corpus Christi ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne sanctae virginis, sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est coelum, ex die fit nox et etiam ex aqua factum est vinum.* At quis unquam dixit, nihilum transsubstantiatum esse in coelum, diem transsubstantiari in noctem, ut etiam superius admonuimus. Si vero eo modo panis transsubstantiatur in Christi corpus, sicut aqua in vinum est conversa, necesse est, ut maneat panis materia, sicut aquae materia in vino Cananaeo mansit. lib. 1. de euch. c. 10. operose disputat, δεικτικὸν hoc non posse referri ad panem, sed tota structura disputationis pro transsubstantiatione lib. 3. de euch. c. 19. nititur hoc fundamento, *quod disparatum de disparato corpus*
X. 283. *Christi de pane sine essentiali mutatione non possit praedicari.*

An in verbis Christi, hoc est corpus meum, transsubstantiatio fundetur.

134. Sed altercentur illi de modo transsubstantiationis, quamdiu libuerit, videamus, quibus fulcris eam sustentent. Robur praecipuum petunt ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, ex quibus ita ratiocinatur Bellarminus lib. 3. de euch. c. 19: *Verba illa, hoc est corpus meum, necessario inferunt aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calvinistae, nullo autem modo sententiam Lutheranorum admittunt, nam Dominus accepit in manibus panem eumque benedixit et dedit discipulis et de eo ait: Hoc est corpus meum? Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit et de pane dixit: Hoc est corpus meum. Vel igitur benedicendo mutavit in corpus re ipsa vere et proprie; vel mutavit improprie et figurative addendo significationem, quam non habebat; vel nullo modo mutavit. Si mutavit re ipsa vere et proprie, ergo panem mutatum dedit et de pane mutato verissime dixit: Hoc est corpus meum, id est quod sub specie panis continetur, non est amplius panis, sed corpus, et hoc est quod volunt Catholici. Si vero quis dicat, panem mutatum esse figurate, tum datus erit apostolis panis, qui figurate erit corpus Domini, et illa verba: Hoc est corpus meum, hunc sensum habebunt: hic panis est figura corporis mei. Haec autem est sententia Sacramentariorum, quam et nos et Lutherani communi consensu rejicimus. Si quis denique dicat, nullam fieri mutationem, is cogetur dicere, panem non mutatum datum esse apostolis et de illo esse dictum: Hoc est corpus meum, id est hic panis verus ac triticeus vere et proprie est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, sive agamus de re ipsa, sive de propositione, nec enim ullo modo fieri potest, ut una res non mutetur et tamen fiat alia, esset enim ipsa, et non esset ipsa. In propositione autem affirmativa necesse est, ut pro eodem supponant subjectum et praedicatum, alioqui est falsa praedicatio. Non igitur potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro pane, praedicatum autem pro corpore Domini, panis namque et corpus Domini res diversissimae sunt.* Haec est structura argumenti Bellarmini, quod urget etiam Gregorius de Valent. tom. 4. disput. 1. q. 2. punct. 3. §. 5. Respondemus vero in genere: 1. Quidam ex Scholasticis et recentioribus scriptoribus Pontificiis fatentur, transsubstantiationem ex verbis testamenti Dominici probari non posse. 2. Id quod late explicat Gabr. Biel lib. 4. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1: *Omnes propositiones affirmativae* (inquit), *in quibus termini significantes panem et corpus Christi ponuntur, in casu nominativo falsae sunt, ideo de rigore verborum falsae sunt. Panis est corpus Christi; quod est panis, est, fuit, erit seu potest esse corpus Christi. Verae autem propositiones sunt, in quibus terminus a quo, id est panis et vinum, exprimuntur per ablativum cum praepositione ex vel de, aut terminus ad quem, id est corpus vel sanguis Christi per accusativum cum praepositione in. Verae ergo sunt: Ex pane fit corpus Christi. De vino fit sanguis Christi* (contra Thomas part. 3. q. 75. art. 8: *Non potest proprie dici de pane, quod fiat corpus Christi). Verae et hae: Panis transit, convertitur aut transsubstantiatur in*

Digitized by Google

Christi corpus. Haec Gabr. Biel. Quaerimus autem ubi Christus his propositionibus usus sit? 3. Bellarminus fusam pertractationem hujus argumenti sic concludit: *Licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas vel ambiguitas, eam tamen sublatam esse per multa concilia et patrum consensum,* quae est tacita confessio, non posse dogma transsubstantiationis ex verbis Christi probari, id quod expressius fatetur c. 23. seq.: *Non est improbabile, non exstare locum in Scriptura tam expressum, ut sine ecclesiae declaratione evidenter cogat transsubstantiationem
I. 234. admittere.* Duplici autem nomine Bellarminus in divinas tabulas injurius est, tum quod in summis fidei articulis obscuritatem et ambiguitatem aliquam illis tribuit, tum quod ex conciliis et patribus Scripturae interpretationem in fidei articulis petendam et judicandam censet, cum contra ex Scriptura de ecclesia, de ecclesiae decretis et hominum ecclesiasticorum scriptis sit judicandum. Repetimus dictum apostolicum 2. Pet. 1, v. 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in loco caliginoso.* Primum concilium, quod pro transsubstantiatione Bellarminus adducit, est Romanum celebratum anno 1060. Atqui si per decreta conciliorum sublata demum ambiguitas et obscuritas verborum coenae, quid fiet de illis hominibus, qui a tempore primitivae ecclesiae usque ad illud concilium vixerunt? Patrum consensus qualis sit, paulo post videbimus. Certe ipse Bellarminus fateri cogitur, *Scotum hominem acutissimum et doctissimum non novisse illum consensum.* 4. Tota structura argumenti Bellarmini nititur hoc fundamento, quod Christus de pane dixerit, *hoc est corpus meum,* id quod praesupponat transsubstantiationem. Sed conveniant prius Romanenses, quid per δεικτικὸν τοῦτο proprie sit intelligendum. Thomas part. 3. q. 78. art. 5. aliquot opiniones enumerat: *Quidam dixerunt, quod importet demonstrationem ut conceptam, non ut exercitam, quia ista locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur. Alii dixerunt, quod facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus, hoc est corpus meum, id est significatum per hoc est corpus meum. Alii dixerunt, quod dictio haec facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur haec demonstratio non pro instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit: nunc taceo, adverbium* nunc *facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti.* Thomae sententia est, *quod significet contentum in generali sub istis speciebus sive substantiam in communi sine qualitate, id est forma determinata.* Innocentius III. lib. 4. de myst. missae c. 3. *particulam hanc nihil demonstrare, neque quidquam ad consecrationem facere* existimat, *cum his verbis sacerdos non utatur demonstrative, sed recitative, quemadmodum Christus ait: Ego sum vitis vera.* Scotus 4. sent. dist. 8. q. 2. vocat *individuum vagum, de quo Christus pronuntiavit, hoc est corpus meum, jam consecratum, jam confectum per benedictionem, quae praecessit.* Idem fere statuit Durandus lib. 4. rationalis c. 41. n. 44: *Super hoc dicunt quidam, quod per* hoc *pronomen nihil demonstratur, sed illud materialiter ponitur.* Item *Dominus utebatur illa voce significative, nos materialiter.* Bonaventura lib. 4. sent. dist. 8. q. 1. lit. G: *Hoc, id est panis, panis substantia,* sed contra Guitmund lib. 2. contra Berengar. *blasphemum esse* dicit, *quod pronomen* hoc *ad panem referatur,* ac Renatus in panoplia super haec verba: *Petra erat Christus; Catholica ecclesia nunquam dixit, panem esse corpus Christi, alioqui falsa est propositio, videlicet identica, ideo sic resolvit: Dicunt, quod demonstrat hoc, quod est commune utrique termino interminate.* Quia vero ex ipsorum hypothesibus corpus Domini non potest adesse, quin omnia verba sint prolata, ideo Joh. de Burgo de forma verb. requis. c. 4. sic resolvit: *Hoc sub hac specie praesens vel de propinquo futurum est corpus meum.* Angelus de Clavisio in summa tit. euchar. membr. 1. q. 23: *Mihi placet opinio Richardi de S. Victore lib. de Trin. quod ibi sit demonstratio mixta, scilicet partim ad sensum, partim ad intellectum sub hoc sensu, illud, in quod hoc transsubstantiabitur, est corpus meum, quod sicut ista propositio esset vera et magis propria, si demonstrando diceret, hoc est corpus meum, scilicet illud, in quod cibus iste est transmutandus, est corpus meum, quando virtute ejus in prolationis termino ille cibus fieret corpus meum; sic in proposito, quia ibi virtute verborum in complemento et termino ipsius orationis panis sit verum corpus Christi. Alii tamen aliter dicunt.* Nec minus variant recentiores. Bellarminus libr. 1. de euch. c. 11. §. nota secundo, fatetur, *Pontificios non convenire in explicatione, quid demonstret pronomen hoc, ac duas esse celebriores sententias* (nota, ergo sunt plures sententiae, licet minus celebres), *una
quod pronomen hoc demonstret corpus; altera, quod* I. 235.
pronomen hoc non demonstret praecise panem, non corpus, sed in communi substantiam, quae est sub illis speciebus, sic tamen, ut demonstratio proprie ad species pertineat, non quidem ut sit sensus hoc, id est has species sunt corpus meum, sed in obliquo hoc modo: hoc est corpus meum, id est sub his speciebus est corpus meum. Et postea: *Illud hoc non demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub his speciebus.* Hanc posteriorem sententiam amplectitur Bellarminus ideo in c. praeced. 10. §. Porro demonstrare conatur contra Calvinianos, *non posse fieri, ut illud hoc demonstret panem tanquam subjectum propositionis, cum ponatur in genere neutro.* Sed in hoc c. 19. lib. 3. de euch. fortiter sibi contradicit scribens: *De pane dixit Christus: hoc est corpus meum.* Et postea: *Non potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro pane, praedicatum autem pro corpore Christi* (scilicet nisi intercedat essentialis mutatio), *panis enim et corpus Domini res diversissimae sunt.* Socin. lib. 4. sent. dist. 9. conclus. 4. per *hoc* dicit *demonstrari aliquid commune utrique conti-*

Digitized by Google

nens utrumque in potentia et confuse. Gregorius de Valent. contra Heerbrandum sic resolvit: *Hoc (substantiam, inquit, totam, quam manibus tenebat demonstrando) est corpus meum.* Costerus in enchir. p. 350. sic resolvit: *Hoc ipsum, quod vobis trado manducandum, est corpus meum.* Pistorius in hodeg. p. 338: *Hoc, id est hic transsubstantiatus panis vel hic panis tanquam cibus, vel hoc, quod est sub istis speciebus.* Quare cum tot non solum diversas, sed etiam adversas opiniones de particula δεικτικῇ foveant, non potuerunt ex verbis Christi transsubstantiationem suam infallibiliter demonstrare. 5. Est quidem communior sententia Pontificiorum, propositionem Christi sic resolvendam esse, *hoc est corpus meum, id est quod sub specie panis continetur, est corpus meum.* Sed ἀνάλυσις illa manifeste petit principium, de eo enim quaeritur, an sub speciebus tantum panis corpus Christi contineatur, abolita panis substantia. Quin imo eodem jure et citra ullam absurditatem sic resolvi potest: hoc est corpus meum, id est, id, quod sub panis substantia continetur, est corpus meum. Nimirum probanda prius erat substantiae panis abolitio, antequam sic resolverent: *Quod sub nuda panis specie continetur, est corpus meum.* Merito igitur D. Lutherus contra adversarios urget hoc argumentum: *Si volunt particulam hoc notare contentum sub specie panis, ut nequaquam sit sensus, cum hoc aut sub hoc est corpus meum, non poterunt dicere: sub his speciebus panis est corpus. Si vero propositio illa potest ferre illorum interpretationem, sub speciebus panis est corpus meum, poterit etiam ferre nostram ἀνάλυσιν, sicque nihil concludit argumentum ex verbis institutionis petitum.* 6. Christus non utitur hac propositione: panis est corpus meum, sed illa: *hoc est corpus meum.* Quamvis vero priorem non improbemus, cum et veteres et recentiores ecclesiae doctores in sano sensu ea utantur, tamen distinguenda est a posteriori, qua ipse Christus est usus, in qua pronomen hoc denotat quidem panem, sed non solum, verum totum συμπεπλεγμένον sive complexum, ut superius §. 83. aliquot argumentis confirmavimus. Si denotaretur solus panis, quaenam foret constructio grammatica ἄρτος τοῦτο? si denotaretur solum corpus, propositio foret identica. Est igitur propositio demonstrativa et exhibitiva, in qua subjectum totum notat complexum, praedicatum exprimit dignius et sensui minus obvium; harum propositionum fundamentum est rerum duarum unio, conjunctio et simultanea exhibitio, sicut in communi sermone monstrato dolio dicimus, hoc est vinum; et exhibitis loculis, hoc est pecunia tibi debita, ubi nulla est transsubstantiatio dolii in vinum, vel loculi in pecuniam, sed utriusque conjunctio et conjuncta exhibitio. Lutherus tom 3. Jen. p. 487. b. Quo pertinet, quod quidam ex Scholasticis recte disputant, in propositione Christi *hoc est corpus meum* dari duplicem demonstrationem, quae in illis exemplis, ubi duae res modo quodam unitae vel ostenduntur, vel exhibentur, usitatissima est. Unam ad sensum, alteram ad intellectum; in illa res externa sensibus obvia et per se nota non nominatur; in hac vero res intellecta ut minus nota et praestantissima in praedicato evolvitur. X. 236. Vide plura de hac propositione superius §. 81. membr. 2. §. 93. per tot.

135. Contra hanc ἀνάλυσιν, quae ex verbis Christi simpliciter et proprie sine ullo tropo rhetorico acceptis immediate profluit, nihil solidi affert Bellarminus. Concedit, quod *in propositionibus synecdochicis de re continente et contenta pronomen hoc possit demonstrare alterutrum* (utrumque dicere debuit, ut subsequens explicatio ostendit), *id est tam rem continentem, quam rem contentam; addit* vero, *in eucharistia non substantiam panis, sed sola accidentia locum habere rei continentis.* Unde vero hoc probat? *1. Si adesset adhuc substantia panis, esset simul cum corpore Christi res contenta, et proinde falsa esset propositio Christi, hoc est corpus meum, si ibi essent duae substantiae.* Id in praecedentibus sic declarat: *Cum demonstratur res contenta, demonstratur una res tantum et excluduntur omnes aliae, quae ibi contineri possent, et proinde ex modo communi loquendi falsa est demonstratio, si plura contineantur. Verbi gratia si quis de dolio, ubi sit vinum et oleum, dicat: hoc est vinum, fraudator censetur; illud enim (hoc est vinum) ex modo communi loquendi significat, in hoc dolio nihil est nisi vinum. Pari ratione, si quis de marsupio pleno partim auro, partim argento dicat: hoc est aurum; vel de sacco pleno partim tritico, partim avena, diceret: accipe et utere, hoc enim est triticum, deceptor jure haberetur. Eodem igitur modo illa verba, hoc est corpus meum, ex modo communi loquendi quidquid sit de metaphysicis subtilitatibus, significant, sub illis speciebus non fuisse aliud quam corpus Domini; si enim fuisset etiam panis, debuisset Dominus dicere, hic, id est in hoc pane, est corpus meum, aut certe, hoc non tantum est panis, sed etiam corpus meum.* Respondemus: nugae hae sunt gerris Siculis inaniores. Panis substantia erat externis sensibus obvia (mediate scilicet per accidentia), non igitur opus erat, ut in praedicato exprimeretur et intellectui notificaretur, sed principale et sensibus minus obvium, quod pani erat sacramentaliter unitum, erat exprimendum et intellectui notificandum. Quemadmodum vere secundum usitatum loquendi modum ostenso et exhibito dolio, quod vinum continet, dico: hoc est vinum; ostenso et exhibito marsupio: hoc est pecunia etc. ita ut in praedicato exprimatur pars dignior et principalior, altera sensus judicio relicta; ita Christus ostenso et exhibito pane benedicto recte dixit: *hoc est corpus meum*, ita ut in praedicato et nominata et expressa fuerit pars dignior, principalior et sensui minus obvia, praetermissa parte externa visibili ac minus principali. Invertimus igitur appellationem Bellarminianam: Qui exhibet dolium vino plenum, recte dicit: hoc est vinum, nec opus est, ut addat: hoc est dolium et vinum; qui exhibet marsupium auro

Num in eucharistia sola accidentia panis locum habeant rei continentis.

Digitized by Google

plenum, recte dicit: hoc est aurum, nec opus est, ut addat, hoc est marsupium et aurum; qui exhibet saccum tritico plenum, recte dicit: hoc est triticum, nec opus est, ut addat: hoc est saccus et triticum; nimirum quia externum continens est sensibus obvium, ideoque ut in praedicato intellectui notificetur, nulla cogit necessitas; ita quoque Christus exhibito pane, in quo et cum quo exhibeat suum corpus, recte dicit: *hoc est corpus meum.* Panis substantia non ad rem contentam, sed ad rem continentem pertinet, quia non nuda accidentia, sed substantia panis accidentibus vestita est organum, ὄχημα ac medium, per quod, cum quo et in quo distribuitur corpus Christi, id quod ex illis ipsis exemplis, quae Bellarminus urget, evinci potest. Si enim substantia panis pertineret ad res contentas, tunc substantia dolii, marsupii et sacci itidem ad res contentas pertineret, sicque non recte diceret, qui dolium et vinum porrigit: accipe, hoc est vinum, sed dicendum ei foret: accipe, hoc est dolium et vinum; qui porrigeret in dolio vinum et oleum, non recte diceret: accipe, hoc est vinum et oleum, sed dicendum ei foret: accipe, hoc est dolium et oleum et vinum, ut omnes res contentas exprimeret. Jam vero concedit Bellarminus, et concedere etiam
I. 237. cogitur, eum qui in dolio vinum exhibet, recte dicere: accipe, hoc est vinum; atque eum, qui in dolio vinum et oleum exhibet, recte dicere: accipe, hoc est oleum et vinum, si vel maxime non faciat expressam dolii mentionem; concedat ergo etiam, Christum recte dixisse exhibito in pane eucharistico suo corpore: *accipite, edite, hoc est corpus meum,* si vel maxime in praedicato non faciat expressam panis mentionem. Et quemadmodum is, qui accepto dolio vini pleno audiens, accipe, hoc est vinum, non somniat dolii in vinum transsubstantiationem, vel substantiae dolii desitionem; ita quoque audientes in sacra coena: *accipite, comedite, hoc est corpus meum,* non somniemus panis in corpus Christi transsubstantiationem, vel substantiae panis desitionem. Si dicas, unde certi simus de hac ἀναλύσει, cum Pontificii aeque fortiter pro sua transsubstantiatione pugnent, respondemus: panis substantiam non desiisse, vel in corpus Christi transmutatam esse, docent verba evangelistarum et Pauli proprie et sine ullo tropo accepta, quae panis mentionem faciunt; nobis ergo sufficit hoc loco ostendere, quod verba Christi non inferant necessario aliquam panis substantiationem, sed sacramentalem tantum panis et corporis Christi unionem, cum et panis et corporis voces absque ullo tropo in hujus Dominici testamenti verbis accipiendae sint. Monemus autem denuo, quod et superius admonitum fuit, exemplis illis nos uti non propter identitatem specificam unionis (quia corpus Christi nequaquam est in pane tanquam in vase localiter inclusum), sed propter generalem unionis naturam et modum praedicandi ac loquendi ex ea resultantem; veritas ergo et conformitas praedicationis quaerenda est non in identitate specifica, sed generica. Frustra igitur Bellarminus 2. hoc regerit, *corpus Christi non esse in pane, ut in vase aut in loco, sed ut substantia sub accidentibus, ideoque sola accidentia esse rem continentem, ad quorum motum movetur, et ad eorum elevationem elevatur, ac corruptionem eorum desinit, ibi esse corpus Christi.* Respondemus; haec manifeste petunt principium. Quamvis enim corpus Christi non sit in pane ut in vase aut in loco, ex eo tamen nondum sequitur, quod sit sub nudis accidentibus panis, datur enim tertium, quod scilicet pani sacramentaliter sit unitum, per quam unionem nec panis nec corporis substantiae quidquam decedit; continens igitur corporis (generali modo loquendi) non sunt nuda accidentia, sed substantia panis suis accidentibus vestita, ut testantur evangelistae et Paulus expresse nominantes panem. Nec ullam video absurditatem vel necessitatem, propter quam negandum sit, panis substantiam esse rem continentem, id est organum et medium, per quod Christi corpus communicatur. Quod enim toties Bellarminus urget, *verba Christi, accipite, edite, hoc est corpus meum, aut veram (essentialem) mutationem panis, aut metaphoricam tantum inferre,* in eo τὸ ἐλλειπὲς committit, datur enim tertium, quod videlicet panis mutatus fuerit sacramentaliter. Becanus in disputat. de tripl. coena exclamat, *hac assertione nos imprudenter in castra Calvinianorum transire, qui itidem statuant, panem tantummodo sacramentaliter, hoc est significative et figurative, esse corpus Christi.* Atqui novit Becanus vel certe novisse debet, vocem sacramentaliter diverso sensu a nobis usurpari quam a Calvinianis. Nos quando panem sacramentaliter esse Christi corpus asserimus, hoc volumus, quod in hoc sanctissimo sacramento panis sit externum symbolum, per quod et cum quo corpus Christi vere praesens distribuatur, exhibeatur et manducetur, juxta assertionem Christi: *edite, hoc est corpus meum,* et Pauli: *panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi.* Sed Calviniani panem sacramentaliter esse corpus Christi asserentes hoc sibi volunt, quod panis sit signum et figura corporis Christi absentis. Haec duo longissime invicem distare Becanus ipse novit, unde non de duplici, sed triplici coena, Lutherana scilicet, Pontificia et Calviniana, distincte tractandum esse censuit.

136. Hanc sacramentalem panis mutationem vel potius unionem corporis Christi cum pane (quia mutatio illa sacramentalis in eo unice consistit, quod panis eucharisticus per benedictionem a communi usu sequestratur, ut sit ὄχημα, ὄργανον ac medium, per quod, cum quo et in quo corpus Christi distribuatur, exhibeatur, manducetur), hanc inquam sacramentalem panis et corporis Christi unionem et ex hac resultantem praedicationem declaravimus superius §. 93. ex D. Chemnicio aliquot exemplis tum ex Scripturis, tum ex quotidiana loquendi consuetudine petitis. Primum desumtum fuit ex articulo de persona Christi, quam collationem duarum rerum in eucharistia sacramentaliter unitarum cum duabus naturis in Christo personaliter unitis non Chemnicius

Declaratio propositionum sacramentalium per exempla. I. 238.

1. Propositionum personalium.

primus excogitavit, sed ex Justino, Cypriano, Gelasio et Theodoreto hausit, ut ostendimus superius §. 231. membro 6. Quamvis enim unio panis cum corpore Christi non sit personalis, illud tamen cum unione personali duarum naturarum in Christo commune habet, quod propter unionem sacramentalem monstrato et exhibito pane recte dicitur: *hoc est corpus Christi*, sicut propter unionem personalem Petrus recte dicebat Matth. 16, v. 16: *Tu es Christus Filius Dei viventis.* Quid ad hoc Bellarminus? 1. eruditam Chemnicii dissertationem sophistarum more ridet eamque *telae aranearum* confert, quae levi flatu dissipari queat. Sed videbimus, *quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu* et quomodo instar grandis fuci hanc telam perrumpere tentet. 2. Quod Chemnicius scripserat, *propositiones personales non congruere ad regulas Aristotelicas*, id confidenter pronuntiat, *esse falsum*, *posita* (inquit) *assumtione humanae naturae ad personam verbi, illa propositio verissima est secundum omnes regulas philosophiae, cum pro eodem supponat, tam hic homo, quam hic Deus, nisi forte Chemnicius non agnoscat in Christo veram et hypostaticam unionem duarum naturarum, quod sane insinuat, cum ait, ejusmodi propositiones tantum significare unionem et praesentiam unius rei cum altera.* Respondemus: Chemnicius in peculiari libro de unione hypostatica duarum naturarum in Christo tam nervose et luculenter de hoc articulo scripsit, ut merito ab hac calumnia Bellarminus abstinere debuisset. De analysi propositionum personalium Scholasticis et Jesuitis usitata alius alibi dicendi erit locus, remittimus interim lectorem ad Dn. D. Meisnerum part. 2. sobr. philos. sect. 2. c. 2. qu. 7. et 8. ubi in hisce propositionibus personalibus et inusitatis disparatum de disparato praedicari evidenter demonstrat. Nos hoc loco a Bellarmino jure aequissimo postulamus, cum ad regulas logicas Aristotelis eas congruere statuat, ut sedem earum in praedicabilibus nobis ostendat; vel enim erunt essentiales, vel accidentales; neutrum vero falsa hujus mysterii integritate asseri potest, ideo dicuntur inusitatae et personales, unde recte scribit Bonaventura: *Non potest haec praedicatio reduci ad alios modos praedicandi consuetos et usitatos, non enim est praedicatio per essentiam, nec per causam, nec per inhaerentiam, nec per se, nec per accidens, sed est modus praedicandi singularis.* Breviter, ut res se habet in esse, ita etiam in praedicari, at personalis illa unio est ἐξαίρετος καὶ μονότροπος. Ergo etiam tales praedicationes sunt inusitatae, ut in scholis vocari solent. 3. Contendit Bellarminus, *non recte huc afferri unionem personalem, quae in coena non habeat locum. Chemnicius dicit* (verba sunt Bellarmini), *inter panem et corpus Domini non esse personalem unionem, et tamen contendit, ita esse veram istam, hic panis est corpus Christi, ut est illa, hic homo est Deus. Nam aut vult, non esse etiam personalem unionem inter Deum et hominem in Christo, quod est Nestorianum; aut certe nescit, quid loquatur, cum similitudinem ponat et interim tollat fundamentum similitudinis. Tota enim ratio, cur illa sit vera, hic homo est Deus, est unio personalis. Cum igitur haec unitas ponatur in Christo, et non ponatur in sacramento eucharistiae, nullo modo fieri potest, ut sint aeque verae; illa: hic homo est Deus, et illa: hic panis est corpus Christi.* Respondemus: prae- X. 230.
stigiatorem Bellarminus agit, non disputatorem. Repugnat enim non solum veteribus, qui collatione unionis sacramentalis inter panem et Christi corpus cum unione personali inter duas naturas in Christo usi sunt, sed etiam sibi ipsi, siquidem lib. 1. de euchar. c. 4. §. At non. c. 9. §. Quarto ex illa. c. 27. §. Hoc igitur. concedit, eucharistiam cum unione personali duarum naturam in Christo conferri posse. Instituitur autem illa collatio respectu unionis et quae ex ea nascitur praedicationis in genere, neutiquam vero respectu unionis in specie, quod etiam superius monuimus, sed propter cavillationes adversariorum denuo repetendum. Quemadmodum enim propter unionem personalem duarum naturarum in Christo recte dicitur monstrato Christo: *hic est Filius Dei, tu es Filius Dei* etc. Matth. 3, v. 17. c. 16, v. 16. ubi δεικτικαὶ particulae totam personam demonstrant, praedicatum autem exprimit divinam naturam invisibilem; sic monstrato et exhibito pane eucharistico Christus recte dicit: *hoc corpus meum*, ubi δεικτικὸν itidem totum complexum notat, praedicatum vero exprimit corpus Christi invisibile sacramentaliter pani unitum. Has igitur propositiones conferre invicem Bellarminus debuisset, si quid solidi contra nostram collationem afferre voluisset. De altera propositione, panis est corpus Christi, dicetur postea. Acceptamus interim hoc loco, quod Bellarminus ultro nobis largitur, praedicationes illas personales, *homo est Deus*, *et Deus est homo*, sine transsubstantiatione veras esse ob unionem personalem. Subsumimus autem, de sacramentalibus praedicationibus idem esse judicium, quod scilicet verae sint sine transsubstantiatione ob unionem sacramentalem; siquidem ad praedicationum veritatem et conformitatem non requiritur specifica, sed saltem generica quaedam identitas, ut constat. Alterum exemplum petitum fuit ex Joh. 20, v. 22. ubi Christus sufflans in discipulos dicit: *Accipite Spiritum sanctum;* ita quoque mediante pane eucharistico velut symbolo externo corpus suum illis distribuens recte dicit: Accipite, hoc est corpus meum. Quemadmodum ibi nemo cogitat transsubstantiationem flatus in Spiritum s.; ita nemo hoc loco cogitet transsubstantiationem panis in Christi corpus. Bellarminus regerit, *exemplum hoc non esse ad rem, cum Dominus non dixerit, haec insufflatio est Spiritus s., sed insufflando dixerit, accipite Spiritum s. ubi non solum ostendit, se signo exteriori repraesentare id, quod interna et invisibili operatione faciebat, unde verba illa: Accipite Spiritum s. non faciant hunc sensum, accipite hanc insufflationem, quae est Spiritus s., sed hunc, accipite in hac insufflatione, seu per hanc insufflatio-*

2. Propositionis Joh. 20. v. 22. Accipite Spiritum sanctum.

Digitized by Google

nem, ut per signum et causam instrumentalem, donum Spiritus s. Respondemus: an verba Christi non ferant hanc propositionem: flatus Christi est Spiritus s., dicetur postea, hac vice acceptamus ἀνάλυσιν Bellarminianam: *accipite in hac insufflatione seu per hanc insufflationem, ut per signum et causam instrumentalem, donum Spiritus s.*, et subjungimus, verba Christi in coenae institutione itidem hunc habere sensum: Accipite in hoc pane seu per hunc panem, ut per signum et causam instrumentalem, corpus meum. Usum enim illarum particularum *in, cum, sub* in doctrina coenae occurrere testatur ipse Cassander. Ut ergo flatus ille fuit et mansit halitus, etiamsi esset medium κοινωνίας Spiritus sancti; ita panis natura et substantia non tollitur, sed est medium κοινωνίας corporis Christi.

3. Propositionis Joh. 1, v. 32. Vidi Spiritum s. descendentem.

Tertium exemplum petitum est ex apparitione Spiritus s. in specie columbae in baptismo Christi, Matth. 3, v. 16. Luc. 3, v. 22. Joh. 1, v. 32. cui Bellarminus hoc opponit, *nuspiam legi hanc propositionem, columba est Spiritus s. sed illud solum legi, quod viderit Johannes Spiritum s. descendentem sicut columbam.* Respondemus: an descriptio evangelistarum ferat hanc propositionem, columba est Spirisus s. dicemus postea; hac vice acceptamus, quod Bellarminus denuo nobis largitur, Spiritum s. in columba ut in signo visum, unde sic
X. 240. inferimus: Quemadmodum Johannes visa columba, in qua descendebat Spiritus s. vere potuit dicere, se vidisse Spiritum sanctum propter peculiarem illam revelationem Spiritus s. in specie columbae, sine ulla tamen transsubstantiatione; ita exhibito et manducato benedicto pane recte dicitur exhiberi et manducari corpus Christi propter peculiarem unionem corporis Christi cum symbolo illo ac signo panis, sine ulla tamen transsubstantiatione. *Vidi Spiritum sanctum*, inquit Baptista Joh. 1, v. 32. *descendentem quasi columbam de coelo.* At Spiritus sanctus sua natura invisibilis, vidit ergo eum in forma columbae, cui peculiariter unitus erat. Vere igitur et sine ullo tropo vel transsubstantiatione ad spectatores dicere potuisset: *Videte, hoc est Spiritus sanctus.*

4. Propositionum de angelis in assumta forma corporea apparentibus.

Quartum exemplum petitum fuit ab assumtis formis angelorum et Dei, cui Bellarminus hoc opponit, *nuspiam inveniri hanc propositionem: corpus ab angelo sumtum est ipse angelus.* Respondemus: de eo postea videbimus, hac vice nobis sufficit, quod qui videt assumtas illas formas angelorum, recte dicit, se ipsum Dei angelum vidisse propter peculiarem illam praesentiam angeli ad assumtum corpus. Quemadmodum unio ad hoc sufficit, ut Jacobus patriarcha videns externas formas exercitus, in quibus angeli ipsi occurrebant, Genes. 32, v. 2. vere dicere poterat: מַחֲנֵה אֱלֹהִים זֶה, *castra Dei haec*, nec tamen assumtae illae formae essentialiter erant ipsi angeli; ita quoque Christus in symbolo panis exhibens discipulis suum corpus vere dicere poterat, *hoc est corpus meum*, nec tamen panis essentialiter erat ipsum corpus.

5. Propositionum de arca Domini.

Quintum exemplum petitum fuit ab arca Domini, qua elevata ac progrediente dicebant Moyses ac David: *Exsurge Jehovah* Num. 10, v. 35. Psalm. 68, v. 2. Bellarminus regerit, *Moysen elevata arca dixisse, exsurge Domine, non quod arcam vocaret Dominum, sed quia simul cum arca Dominus procedebat cum filiis Israel et viam demonstrabat.* Respondemus: bene est, si peculiaris illa praesentia Jehovae apud arcam sufficiens causa fuit, ut elevata et progrediente arca dici potuerit: *Exsurge Domine*, utique etiam peculiaris illa praesentia et unio corporis Christi cum pane sufficiens causa est, ut exhibito et manducato pane vere dici possit exhiberi et manducari corpus Christi sine ulla vel metaphorica significatione, vel essentiali transmutatione.

6. Propositionum in vulgari loquendi consuetudine.

Sextum exemplum petiit Chemnicius ab usitatis in lingua vulgari praedicationibus. Quemadmodum recte dico ostenso et exhibito dolio, quod vinum continet: accipe hoc est vinum; ostenso et exhibito marsupio, quod aurum continet: accipe, hoc est aurum; monstratis cunis, in quibus infans quiescit: hoc est infans; ut scilicet in praedicato saltem exprimatur pars dignior et principalior, videl. contentum, parte altera, videl. re continente, sensuum judicio relicta; ita Christus ostenso et exhibito pane eucharistico recte dixit, hoc est corpus meum, neque ulla inde sequitur transsubstantiatio, sed requiritur saltem sacramentalis corporis Christi cum pane unio. Bellarminus dicit, hoc exemplum indicare sapientiam Chemnicii. *Nam antea* (inquit) *dixerat cum Luthero, ejusmodi propositiones non convenire cum regulis philosophiae et esse Scripturarum proprias et oportere intellectum captivare, si eae credendae sint; nunc autem vult adeo esse vulgares, tritas et faciles, ut in communi sermone quotidie usurpentur. Istud nimirum est sapere.* Respondemus: 1. Distinguendum inter has propositiones: panis est corpus Christi, et: *hoc est corpus meum.* Quando Chemnicius praedicationes sacramentales vocat inusitatas, loquitur potissimum de illa propositione: panis est corpus Christi, posteriorem vero confert cum usitatis in vita communi loquendi formulis. 2. Deinde inusitatae praedicationes duplici respectu ita vocantur, vel quia non congruunt ad regulas logicas, vel quia non habent similes in communi et usitata loquendi ratione. Prior propositio, panis est corpus Christi, utroque respectu inusitata vocatur, quia nec ad regulas logicas congruit, nec habet similes in communi sermone; posterior autem propositio, *hoc est corpus meum*, inusitata dicitur eo solum respectu, quia non congruit X. 241.
ad logicas regulas, licet in communi et usitata loquendi ratione similes obtineat formulas, qua de re sic scribit D. Meisnerus part. 1. sobr. philos. sect. 1. c. 5. q. 3: *Omnis enuntiatio vera vel propria est, vel figurata, vel inusitata. Ast enuntiatio Christi: hoc est corpus meum, ad nullam speciem commode videtur referri posse. Propria namque non est, quia nec synonymica vel essentialis, nec paronymica vel accidentalis; non figurata, cum pro ῥητῷ et proprietate verborum contra tropistas ab ortho-*

Digitized by Google

doxis mascule pugnetur; non inusitata, quia demonstrativum non denotat nudum panem, ideoque disparatum de disparato non praedicatur, quod tamen ipsum in omnibus inusitatis praedicationibus necessarium. Sciendum igitur, quod praedicationes aliae sint universales, quae in arte logica potissimum spectantur et in proprias, tropicas et inusitatas dispescuntur; aliae singulares, vel de re plane singulari formatae, de quibus certa in logicis praecepta non praescribuntur; harum peculiaris quaedam species est, qua duabus rebus copulatis in subjecto ponitur demonstrativum utramque rem connexam denotans et in praedicato exprimitur unitum principale minusque sensui obvium, quae propterea nominari solent demonstrativae, vel exhibitivae, ab aliis synecdochicae. Haec ille rectissime. 3. Denique distinguendum inter modum specificae unionis et inter modum praedicationis ex generali unione resultantem. Quando Chemnicius propositiones sacramentales inusitatas vocat et captivandum esse dicit intellectum, ut credantur, tunc respicit modum specificae unionis, qua talis quaedam unio sacramentalis, qualis est inter panem et corpus Christi, nuspiam alibi occurrit, interim modus praedicationis ex generali unione resultans similia exempla obtinet. Vid. orth. cons. refut. c. 7. p. 353. Hasce distinctiones si Bellarminus observasset, tam temere et irrisorie D. Chemnicio non insultasset. Addit vero, *nec in illis exemplis aliquid simile nostrae propositioni inveniri Nam etsi dolium vino plenum et marsupium plenum pecuniis et infantem fasciis circumligatum simpliciter vinum, pecunias et infantem nominamus, tamen nemo diceret: dolium est vinum, marsupium est pecunia, fascia est infantulus, ut ipsi vere dici volunt, panis est corpus Christi.* Respondemus: quando Lutherus et Chemnicius propositionem sacramentalem cum vulgaribus illis exemplis conferunt, non loquuntur de illa ecclesiastica: panis est corpus Christi, sed de altera ἐγγράφῳ, qua ipse Christus usus est: *hoc est corpus meum,* eam vocant demonstrativam, exhibitivam et synecdochicam, quia δεικτικὸν subjecti loco positum notat utrumque complexum, praedicatum autem exprimit dignius et sensui minus obvium, id quod exemplis illis e communi loquendi forma petitis declarant.

Quid statuendum de propositione: panis est corpus Christi.

137. Atque haec dicta sint de propositione ipsius Christi, *hoc est corpus meum*, quod nulla transsubstantiatio ex ea inferri vel elici possit. Quia vero scriptores ecclesiastici, tam veteres quam recentiores, frequenter utuntur illa altera: panis est corpus Christi, ideo demonstrandum, neque ex hac inferri posse transsubstantiationem. Superius §. 94. monuimus, panem esse ac dici corpus Christi sacramentaliter hoc sensu, quod panis sit ὄργανον μεταδοτικόν, symbolum exhibitivum et ὄχημα, quo corpus Christi communicantibus distribuitur et manducandum exhibetur; sed id latius declarandum propter adversarios. Bellarminus hoc loco satis confitenter scribit: *Si licet disparatum de disparato affirmare, licebit eodem jure affirmare de nihilo aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de tenebris lucem, de Christo Belial, de Belial Christum.* Sed novisse debebat, nos non simpliciter et absolute asserere, quod disparatum de disparato affirmate praedicetur vel praedicari possit, sed de illis solum disparatis hoc asserimus, inter quae unio quaedam intercedit; quatenus disparata extra unionem in sua natura considerantur, eatenus affirmate de se invicem nequaquam praedicantur; sed quatenus in X. 242. unione invicem copulantur et unum quoddam constituunt, eatenus vere de se invicem praedicari possunt; dicendum igitur, quod praedicationum affirmativarum fundamentum sit vel unitas essentiae, quae locum habet in praedicationibus logicis, vel unitas existentiae, id est unitas quaedam vel unio extremorum. Disparata non possunt de se invicem praedicari affirmate respectu priore, quia per essentiam sunt disparata; bene autem possunt de se invicem affirmate praedicari respectu posteriore, quia per arctissimam unionem et ex ea ortam praesentiam invicem copulantur et ratione illius unionis sive unitatis de se invicem praedicari possunt, quod extra unionem nunquam fieret. Ex quo etiam intelligitur, exempla, quae Bellarminus affert, ut probet, disparata de se invicem affirmate non posse praedicari, esse aliena a regula; aliquid et nihil, lux et tenebrae, Christus et Belial non sunt simpliciter disparata, sed contraria quaeque in aeternum non uniuntur, ut affirmate de se invicem praedicari possint; alia vero ratio est panis et corporis Christi, quae divina virtute unum sacramentale constituunt, ideoque propter illam unionem sine ulla transsubstantiatione ac sine ullo tropo de se invicem praedicantur. Declaramus hoc iisdem exemplis, quibus paulo ante usi sumus: 1. In praedicationibus personalibus duae naturae disparatae, divina ac humana, vere et realiter affirmando de se invicem praedicantur propter unionem hypostaticam, ut verissime dicam: Deus est homo et homo est Deus; ubi nec divinitas essentialiter mutatur in humanitatem, nec humanitas in divinitatem. Ideoque non notatur essentialis extremorum unitas, sed personalis eorundem unio. Idem judicium esto de propositionibus sacramentalibus, in quibus itidem disparatae de se invicem affirmate praedicantur ob unionem sacramentalem sine ulla essentiali extremorum mutatione. Bellarminus regerit, *ex eo consequi, vel quod non sit duarum naturarum unio personalis, sed nuda tantum παράστασις; vel quod etiam in sacramento eucharistiae sit personalis unio panis et corporis.* Sed nescit, quid loquatur. Collatio similitudinem requirit, non omnimodam identitatem; modus praedicandi oritur ex identitate generica, nequaquam vero specificam identitatem postulat. Tam vere de corpore praedicatur, quod sit animatum, quam quod sit quantum, interim tamen alio modo unita sunt corpus et anima, quam corpus et quantitas. Posset autem subtilius contra hanc collationem aliquis insurgere

Digitized by Google

hoc modo: In praedicationibus personalibus non potest dici in abstracto: divinitas est humanitas. Ergo nec in praedicationibus sacramentalibus dici potest: panis est corpus Christi. Si esset tantum unio quaedam inter panem et corpus, non posset dici: panis est corpus Christi. Ratio, quia propter unionem in articulo de persona Christi non potest dici: humanitas est divinitas. Ergo propositio illa, panis est corpus Christi, aliquid plus denotat quam unionem, videlicet essentialem mutationem panis in corpus Christi. Hoc argumentum Bellarminus quidem praeterit, sed quia ab adversario aliquo nobis objici posset, ideo hoc loco explicandum est. Respondemus igitur, de pane non simpliciter et absolute, sed in usu sacramentali praedicari, quod sit corpus Christi, unde subjecto solet addi panis eucharisticus, panis benedictus, panis quem frangimus etc. quam postremam limitationem apostolus usurpat 1. Cor. 10, v. 16. Quemadmodum igitur in abstracto divina natura non praedicatur de humana, et contra, sed tantum in concreto, quod evidens argumentum est, unionem personalem esse causam, fundamentum ac fontem illarum praedicationum; ita quoque de pane eucharistico non simpliciter et absolute extra unionem et usum sacramentalem praedicatur, quod sit corpus Christi, sed in unione et usu sacramentali, quod est evidens argumentum, unionem sacramentalem esse causam, fundamentum ac fontem illarum praedicationum. Si dicas, et veteres et recentiores absolute quandoque pronuntiare, quod panis sit corpus Christi; respondemus, explicationem necessario addendam vel subintelligendam, ex verbis institutionis et pronuntiato apostolico
I. 243. 1. Cor. 10, v. 16. quod scilicet panis nec *οὐσιωδῶς*, nec *σημαντικῶς* tantum, sed *μυστικῶς* in usu sacramentali sit corpus Christi, hoc est, uti Paulus notanter et perspicue loquitur, quod panis, quem frangimus, sit *κοινωνία* corporis Christi. 2. Quia Christus mediante flatu dedit apostolis Spiritum s., ideo recte dicitur: flatus Christi est Spiritus s. Bellarminus hoc praefracte negat, sed proponimus ei consideranda duo argumenta. Prius hoc esto: Quod apostolos tetigit, est Spiritus s.; flatus Christi tetigit apostolos. Ergo flatus Christi est Spiritus s. non quidem essentialiter, sed propter unionem. Posterius tale est: Si panis ideo vere dicitur a scriptoribus ecclesiasticis corpus Christi, quia est *κοινωνία* corporis Christi; sequitur etiam flatum Christi vere dici posse Spiritum s. quia est *κοινωνία* Spiritus s. Sed illud, ergo et hoc. Collationis ratio manifesta est, quia ut flatus Christi fuit non solum externum signum, sed etiam symbolum et *ὄχημα*, per quod datus fuit discipulis Spiritus s.; ita quoque panis est non solum externum signum, sed etiam symbolum et *ὄχημα*, per quod datur corpus Christi. Nec negari potest, panem ideo dici corpus Christi, quia est *κοινωνία* corporis Christi, nisi quis velit diserta verba apostoli rejicere 1. Cor. 10, v. 16. 3. Quia Spiritus s. in baptismo Christi in corporali et visibili specie se manifestavit ac super Christum descendit, ideo recte dicitur: columba est Spiritus s. non essentialiter, sed propter peculiarem praesentiam et unionem. Negant Bellarminus et Pistorius, hanc propositionem in Scripturis inveniri, sed opponimus eis haec duo argumenta: Quod super Christum descendit, est Spiritus s. Columba super Christum descendit. Ergo columba est Spiritus s. Quod Johannes Baptista vidit, est Spiritus s. Columbam Johannes Baptista vidit. Ergo columba est Spiritus s. Utriusque argumenti praemissae disertis verbis exstant apud evangelistas Matth. 3, v. 16. Marc. 1, v. 10. Luc. 3, v. 22. Joh. 1, v. 32. 4. Quia angeli in assumtis formis corporeis hominibus saepius apparuerunt, ideo de illis recte dicitur, assumtas illas formas fuisse Dei angelos. Bellarminus denuo negat, in bibliis hanc propositionem inveniri, sed facili negotio ex illis deduci potest. Id quod viderunt sancti Dei homines, fuerunt angeli. Atqui sancti Dei homines viderunt assumtas formas externas. Ergo assumtae illae externae formae fuerunt angeli Dei. Idem judicium de visionibus divinis. *Vidi Deum a facie ad faciem*, dicit Jacobus patriarcha Gen. 32, v. 2. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, dicit Esa. 6, v. 1. At nihil aliud viderunt, quam formas externas ad tempus assumtas. Ergo formae illae externae dicuntur Deus, non propter essentialem mutationem, sed propter peculiarem praesentiam et unionem. Sic apostoli dicuntur *verbum vitae contrectasse et vidisse* Joh. 20, v. 28. 1. Joh. 1, v. 1. Atqui verbum vitae, ὁ Λόγος, in se ac per se invisibilis, videtur igitur et contrectatur in humana natura, quam personaliter sibi univit. 5. Quia Deus in V. T. peculiari modo praesentiae habitabat super arcam propitiatorii in medio Cherubim, ideo arca elevata recte dicitur Dominus exsurgere propter peculiarem Dei ad arcam praesentia. Monemus autem denuo, collatione illorum exemplorum nosmet uti, non quasi per omnia idem modus praesentiae et unionis sit in coena, qualis praesentia et unio rerum invisibilium cum externis visibilibus symbolis est in allatis exemplis; sed ut probemus, disparata de se invicem propter unionem affirmate praedicari, si vel maxime unum non mutetur essentialiter in alterum. **Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 6. qu. 3. punct. 2. §. 4. Claud. Sanctes de euchar. repet. 7. cap. 3. Thom. Bozius lib. 12. de not. eccles. cap. ult. Nicolaus Villagagnon. lib. 3. contra Calvin. c. 52. statuunt, *manna non saporem tantum, sed etiam substantiam ad votum comedentium mutasse, adeo ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum* etc. *manna mox verteretur vel in ovum vel in gallinam vel in saccharum, idque putant significari illis verbis* Sap. 16, v. 21. *ad quod quisque volebat convertebatur, μετεκρινᾶτο, id est transtemperabatur, ut manna in eo fuerit typus transsubstantiationis panis in corpus Christi in eucharistia.* Sed ab illis discedit Cornelius a Lapide comm. in c. 16. Exod.: *Sententia haec*, inquit, *nova est et caret solido fundamento. Verba enim Scripturae non*

Digitized by Google

loquuntur de substantiali, sed de accidentali saporis conversione, alioqui non murmurassent Israëlitae ob manna, Num. 11. idem tamen subjicit, *manna fuisse typum eucharistiae non quoad transsubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim et efficaciam, ostendit enim sapor mannae, quo pacto possint accidentia panis et vini remanere et nutrire sine illorum substantia. Itaque implicite et consequenter sapor alius atque alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis. Sapor enim alius aliam substantiam comitari et indicare solet.* Sed nec haec Cornelii sententia probari potest; 1. miraculum illud, quod manna unicuivis omnem saporem pro lubitu ipsius exhibuerit, a Moyse non annotatur; 2. ex libro Sapientiae id probari nequit; 3. Moyses certum saporis genus, videlicet ut similae cum melle, tribuit mannae; 4. si manna exhibuit omnem saporem, cur Israëlitae desiderarunt cucumeres, pepones, allia, pisces, carnes etc.? 5. per coctionem et praeparationem varios acquisivit sapores, ut exponitur Num. 11, v. 8. 6. si vel maxime de manna ista omnia concederentur, tamen transsubstantiatio panis in eucharistia nondum etiam probata.**

x. 244. Testimonia patrum pro stabi- x. 245. lienda transsubstantiatione excutiuntur.

138. Alteram classem argumentorum pro transsubstantiatione petiit Bellarminus ex testimoniis patrum, quae inde usque a tempore apostolorum deducere conatur lib. 3. de euchar. c. 20. Respondemus in genere: 1. ex sola Scriptura sacra firma et immota argumenta in articulis fidei peti possunt, *exstructi enim sumus super fundamentum prophetarum et apostolorum*, Ephes. 2, v. 20. Thomas part. 1. qu. 1. art. 8: *Sacra doctrina auctoritate Scripturae canonicae utitur proprie ex necessitate argumentandi, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae non quasi arguendo ex propriis, sed e probabilibus; innititur enim fides nostra revelationi prophetis et apostolis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi illi, si quae fuerat, aliis doctoribus facta.* 2. Patrum igitur vocem audimus, si consentiat cum voce coelestis Patris in Scriptura sonantis, ipsimet namque hanc sibi statuerunt legem, ut ostendimus in tract. de interpretat. Script. §. 91. Magnum illis honorem, uti par est, deferimus, non tamen in thronum Dei collocamus. 3. Superius ex ipsis patribus nostram luculenter confirmavimus sententiam. 4. Discernendi sunt patres orthodoxi in ecclesia primitiva apostolicae vicina a scriptoribus Pontificiis posteriorum seculorum. 5. Valde igitur audax est Bellarmini pronuntiatum, quod patres a tempore apostolorum usque ad Lateranense concilium transsubstantiationem agnoverint, cum Lombardus lib. 4. sent. dist. 11. lit. A. ostendat, ne suo quidem tempore definitum exstitisse, *qualis sit illa mutatio seu conversio*, de qua loquuntur veteres, *an formalis, an substantialis, an alterius generis. Definire*, ait, *non sufficio.* Vixit autem Lombardus circa annum Christi 1170.
x. 246. 6. Thomas part. 3. qu. 75. art. 2. mentionem facit quorundam, qui posuerint, *quod substantia panis et vini maneat.* Innocentius lib. 4. de myst. cap. 9: *Fuerunt qui docerent, quod sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, et sic etiam vera panis maneat substantia, quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, sic accidentia non possunt exsistere sine subjecto.* 7. De Scoto homine acutissimo et doctissimo fatetur Bellarminus lib. 3. de euchar. c. 23. §. unum tamen, *quod non noverit consensum illum patrum*, nimirum, quia talis non erat. 8. Cassander in consult. p. 66. transsubstantiationem *et nomine et re novam* esse fatetur. Erasmus in annot. 1. Cor. 7. p. 327: *In synaxi transsubstantiationem sero definivit ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quocunque modo adesse Christi corpus.* Quomodo igitur transsubstantiationis dogma de catholico patrum consensu gloriari potest? Gregorius de Valent. lib. 1. de praesent. Christi in euchar. c. 10. p. 381. §. denique, agnoscit, *patres obscurius de transsubstantiatione locutos esse atque simplicius, quia putabant, se non nisi catholice a Catholicis posse intelligi, et ne mysterium irridendum infidelibus exponerent, si in sermonibus popularibus sententiam suam explicassent.* At si obscurius de hac quaestione locuti sunt patres, quomodo ad ipsorum consensum provocari poterit? 9. Mutatio symbolorum sacramentalium, cujus patres mentionem faciunt, eamque vocant *μετάληψιν, μεταβολήν, μεταποίησιν, μετουσίαν* etc. nequaquam significat nudam saltem nominum permutationem, otiosam relationem, significativam corporis et sanguinis Christi absentis repraesentationem, ad quam accedat virtus spiritualis in illis, qui fide sacramentum accipiunt, ut volunt Calviniani; nec significat essentialem conversionem elementorum in corpus et sanguinem Christi, qualis fuit aquae Cananaeae in vinum mutatio, ut volunt Pontificii; sed *βελτίωσιν*, translationem elementorum in alium ac nobiliorem statum, ita ut panis sit ac maneat ratione substantiae, quod ante consecrationem fuit, sed juxta institutionem et promissionem Christi virtute ejusdem fiat quiddam amplius, quod antea non erat, videlicet symbolum sacramentale, per quod distribuatur corpus Christi omnibus sacramento utentibus, vel ut Paulus loquitur, *κοινωνία* corporis Christi. Hunc esse genuinum sensum veterum patet ex eo, quia unionem sacramentalem panis et corporis conferunt cum unione personali duarum naturarum, cum tamen una natura non sit mutata vel conversa in alteram, ut vidimus superius, et quia in aqua baptismi talem mutationem fieri statuunt, quae tamen non est essentialis, sed sacramentalis, ut paulo post videbimus. 10. Id ipsum comprobat genuina explicatio vocum, quibus in hoc mysterio utuntur; *μεταποιήσεως* vocabulum a Damasceno lib. 4. orth. fid. cap. 14. usurpatum idem sic declarat, quod panis et vinum *παραλαμβάνεται, assumuntur, novit enim Deus* (inquit) *humanam infirmitatem, quod complura usu non trita adversatur moleste ferens, assueto igitur condescensu usus per consueta naturae ea facit, quae sunt super*

Digitized by Google

Μετουσία. *naturam.* *Μετουσία* in hoc mysterio significat *μετοχὴν*, participationem, a verbo *μετεῖναι*, participare. Justinus apolog. 1. pro Christ. p. 39: *Vereamini ea, quae vobis et vestris diis insunt, ea illis tribuere, ὧν οὐδὲν οὐδ' ἐπὶ πόσον μετουσία ἐστί, qui ne tantillum quidem de illis sceleribus participant.* Eusebius lib. 8. demonstr. evang. p. 241. edit. Graec.: *Iis qui ex hominibus profecti sunt et ad eum virtutis gradum pervenerunt, quem natura mortalis contingere non potest, satis superque fuerit, si quando εἰς μετοχὴν καὶ μετουσίαν, in partem et communicationem, quandam* (ita transtulit Donatus Veronensis edit. Lat. p. 398.) *assumti ejus, qui dixit: Sancti eritis, quoniam ego sanctus Dominus.* In liturgia Jacobi circa finem: *Largitus es nobis Domine Deus sanctificationem ἐν τῇ μετουσίᾳ, in perceptione* (ita vertit interpres), *sanctissimi corporis et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui.* Pachymeres in c. 5. Dionys. de eccles. hierarch. *post baptismum ἐν μετουσίᾳ τῆς θείας εὐχαριστίας γινόμενοι*, sic vertit: *divinae eucharistiae participes facti.* In sacris literis vox haec nuspiam occurrit. Xenoph.
X. 247. lib. 8. *παιδ.* itidem utitur pro participatione, communicatione, *πεποίηκε Πέρσαις καὶ πεδίων εἶναι μετουσίαν.* Grammaticis nomina *μετουσιαστικὰ* vocantur, quae participationis significationem inclusam habent, a nonnullis materialia dicta, ut *λίθινος,*
Species. *ξύλινος, σάρκινος* etc. 11. Vox *speciei*, qua itidem veteres in hoc mysterio utuntur, nequaquam transsubstantiationem infert, quia *τὴν φύσιν* et *τὸ εἶδος* conjungunt, ut ex Theodoreto dial. 2. superius ostendimus. Luc. 3, v. 22: *Spiritus sanctus descendebat εἴδει σωματικῷ, corporali specie, sicut columba.* Philipp. 2, v. 6. et 7. Christus dicitur *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ἄνθρωπος*, ex quo nemo colligat, nudam tantum speciem humanae naturae sine veritate substantiae in Christo fuisse. Augustana confessio ejusdemque apologia itidem sano et orthodoxo sensu voce speciei utuntur, Lutherus in c. 6. Esa.: *Species Domini et Dominus recte pro eodem accipiuntur; sic corpus Domini et panis Domini pro uno accipiuntur, ut qui panem illum ederit, corpus Christi edisse dicatur, sicut Esaias se Dominum vidisse dicit, cum speciem Domini viderit.* Neve quis obvertat, ex timiditate propter adversarios Pontificios eandem usurpatam, notandum est, ejusdem usum apud Cinglium in subscript. colloq. Marpurg. Oecolampadium in Joh. p. 85. Bullingerum in c. 6. Esaiae atque alios occurrere.

Patrum testimonia in specie considerantur atque 1. Justini. 139. Atque haec in genere de patrum testimoniis dicta sint, percurramus potiora, quae Bellarminus urget, in specie: 1. Justinus in apol. 2. dicit, *panem prece verbi Dei sanctificatum esse carnem Domini.* Respondemus: ecquis nostrum hoc negat? pag. 76. vocat *ἄρτον εὐχαριστηθέντα, panem in quo gratiae actae sunt* (vertit interpres), panem benedictum et sanctificatum, non autem transsubstantiatum; ibidem post sanctificationem non negat, adesse panem, sed negat, esse communem panem. Adhibet etiam similitudinem, quae transsubstantiationi fortissime adversatur. *Quemadmodum per verbum Dei caro factus, σαρκοποιηθείς, servator noster Jesus Christus et carnem et sanguinem salutis nostrae causa habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, unde sanguis et caro nostra per transmutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus.* Finge cum Bellarmino, panis substantiam in corpus Christi converti, et haec collatio bipatentes fores Marcionitis et Eutychianis aperiet. Langus scriptor Pontificius in hunc Justini locum commentatus nullam transsubstantiationem in eo invenire potuit, unde indices expurgatorii, Belgicus pag. 76. et Hispanicus fol. 140. eradi ea jubent. 2. Irenaeus lib. 4. c. 34: *Quomodo con-* 2. Irenaei.
stabit eis, eum panem, in quo gratiae actae sunt, esse corpus Domini sui? Bellarminus subjungit, *panem consecratum non posse esse corpus Domini sine mutatione essentiali panis in corpus.* Respondemus: panem consecratum esse corpus Domini Irenaeus asserit, et nos cum ipso, sed panem essentialiter in corpus Domini mutari Irenaeo in mentem non venit. Vocat *panem, in quo gratiae actae,* hoc est, ut Bellarminus lib. 2. de euchar. c. 6. circa finem recte explicat, *panem sanctificatum et factum eucharistiam*, ut Justinus loquebatur *ἄρτον εὐχαριστηθέντα, τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν*, credibile enim est, Irenaeum eadem Graeca voce usum, quam interpres non potuit reddere una voce, sed per circumlocutionem expressit; panem illum vocat corpus Domini, hoc est secundum explicationem Paulinam *κοινωνίαν* corporis Domini. Ibidem: *Panis percipiens invocationem Dei* (non transsubstantiatus) *jam non communis panis est* (est et manet panis, sed non solus sive communis), *sed eucharistia duabus rebus* (non uno Christi corpore) *constans, re terrena et coelesti.* 3. Tertullianus lib. 4. adv. 3. Tertulliani.
Marc.: *Acceptum panem corpus suum facit dicendo, hoc est corpus meum.* At *quomodo* (inquit Bellarminus) *potuit panis fieri corpus sine sui mutatione?* Respondemus: fecit panem suum corpus non X. 248.
transsubstantiando, sed benedictione divina sacramentaliter corpus suum eidem uniendo. Argumentum Bellarmini ex hoc loco est a non distributo ad distributum, sive a genere ad speciem affirmate, facere panem corpus Tertulliano non significat simpliciter et absolute transsubstantiare, sed facere, ut panis sit corporis sacramentum, sic enim immediate subjungit, *hoc est corpus meum dicendo, hoc est figura corporis mei*, et lib. 1. adv. Marcion. c. 14. p. 350. edit. Commel.: *Nec panem reprobavit, quo ipsum suum corpus repraesentat.* lib. 3. adv. Marcion. c. 19. pag. 396: *Venite mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus, sic enim Deus in evangelio quoque vestro* (hoc est Lucae, quod recipiebant Marcionitae) *revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in*

Digitized by Google

panem prophetis figuravit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo. 4. Cyprianus serm. de coena Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.* Respondemus: non satis constat, an Cyprianus illius sermonis sit auctor, quod non solum Pammelius et Sixtus Senensis lib. 4. biblioth., sed et Bellarminus ipse aperte negat lib. 2. de euchar. c. 9. §. Exstat. Videamus tamen, quid in illo sermone subsidii inveniant transsubstantiatores. Praecedit in verbis hujus sermonis: *Ante verba cibus ille communis* (panis) *tantum nutriendo corpori commodus erat et vitae corporalis subsidium ministrabat, sed ex quo a Domino dictum est: hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea et hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis et hac fide actum est, panis iste substantialis et calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum;* ubi observa, panem benedici, consecrari, non transsubstantiari; item substantiam symbolorum externorum non mutari, manere cuique suam corporis nutriendi virtutem, alendae animae gratiam ex verbo supervenire. Vox ergo *naturae* non debet sumi pro substantia, sed pro usu et virtute. Sic in baptismo natura nostra mutatur, neque enim amplius φύσει sumus filii irae, sed reddimur Dei filii ex Deo geniti, et tamen eadem manet substantia. ** Vox naturae accipitur pro rei proprietate. Natura panis est nutrire, quia hic est usus ejus ordinarius. Panis ergo mutatur natura, cum non amplius destinatur in usum mensae communis, ob quem factus ac praeparatus fuit, sed potenti Dominicae institutionis verbo ad eam dignitatem elevatur, ut sit medium, per quod Christi corpus nobis manducandum datur.** Paulo post sequitur: *Sicut in persona Christi humanitas videbatur et latebat divinitas; ita sacramento visibili* (quod necessario de externis symbolis, pane et vino, intelligitur) *ineffabiliter se divina infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio.* At num humana natura conversa in deitatem? num praesentia divinitatis humanitatem in Christo absumsit? Explicamus ergo dictum Cypriani ex Ambrosii libro de iis qui initiantur myst. c. 9: *Non agnosco usum naturae, sed excellentiam gratiae,* **ubi loquitur de baptismo, in quo nullam fieri aquae substantialem mutationem adversarii concedunt;** et ex Beda in Epiphan. in hom. hyem.: *Panis et vini natura in sacramentum corporis et sanguinis Christi ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur,* ut sit sensus, *panis natura mutatus*, id est ultra naturam et naturales proprietates evectus, ut sit κοινωνία corporis Christi. Concludit Cyprianus illum sermonem: *Haec quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus et partimur, dum quod divinum et humanum est, distinguimus et separamus, itemque simul separata jungentes unum Deum et hominem confitemur.* Non est ergo, quod adversarii vim faciant in vocabulo naturae. Conimbr. lib. 2. phys. Arist. c. 1. q. 1. notant, *vocabulum naturae non solum essentiam, sed et naturales rei proprietates notare, et quando pro rei quidditate seu essentia ponitur, tunc nihilominus tale discrimen inter essentiam, quidditatem et naturam intercedere, quod essentia importet ordinem ad esse rei, cujus est, quidditas ad definitionem, qua, quid res sit, explicatur, natura ad operationem.* Quando igitur auctor illius sermonis dicit, *panem natura mutatum*, id ex antecedentibus et consequentibus sic explicandum, quod ultra naturales proprietates evectus sit corpus Christi symbolum; per panis naturam non ipsam panis substantiam, sed novam ac singularem ejusdem proprietatem, qualitatem ac conditionem seu statum et usum supernaturalem intellexit, quomodo vocabulum naturae in sacris et profanis scriptoribus saepe pro qualitatibus et accidentibus usurpatur, sicut natura humana per peccatum dicitur esse corrupta, et 2. Petr. 1, v. 4: *Divinae naturae consortes facti dicimur*, cum antea essemus *natura filii irae* Ephes. 2, v. 3. ut panem non effigie, sed natura mutari nihil aliud sit quam panem in priori quidem essentia et forma externa manere (quod Irenaeus, Theodoretus, Gelasius et alii ex veteribus manifeste asserunt), naturam tamen priorem, qua ad alendum tantummodo corpus fuit destinatum, non amplius manere, cum usum longe alium, videlicet sacramentalem, habeat. Si Bellarmino haec responsio nostra non satisfacit, opponimus ei, quod ipsemet lib. 2. de euchar. c. 27. disputet, *per naturam panis non intelligendam esse internam panis substantiam, sed exteriorem naturam et proprietates accidentium.* 5. Cyrillus Hierosol. catech. 4. mystag.: *Aquam mutavit in vinum, et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit? En realem mutationem*, inquit Bellarminus. Et paulo infra: *Sub specie panis datur tibi corpus et sub specie vini datur tibi sanguis. En accidentia panis, quae remanent,* inquit Bellarminus. Et paulo infra: *Hoc sciens et pro certissimo habens panem hunc, qui vocatur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat. En* (inquit Bellarminus) *absentiam substantiae panis manente colore et sapore et proinde integram transsubstantiationem.* Respondemus: mutatio illa panis in Christi corpus est sacramentalis, non essentialis, teste Gelasio et Theodoreto. Nec Cyrillus dicit, nudam speciem adesse, quod volunt Pontificii. Si licet ex vocabulo speciei colligere substantiae deperditionem, eodem modo ex vocabulo speciei licebit colligere aliorum accidentium amissionem, cum tamen Innocentius III. libr. 4. de myst. missae c. 9. non solum accidentales, verum etiam naturales proprietates remanere pronuntiat, videlicet *paneitatem, quae saturando famem expellit, et vinitatem, quae satiando sitim exstinguit.* Quod autem speciei vox non excludat substantiam panis, praeter ea quae superius adduximus, manifeste probat locus Ambrosii lib. de iis qui initiantur myst. c. 9: *Ipse clamat Dominus Jesus, hoc*

Marginal notes: 4. Cypriani. — X. 249. — 5. Cyrilli Hierosolymitani. — X. 250.

est corpus meum. Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur, ubi species omnino includit substantiam, cum ante consecrationem panis et vini substantiam adesse ipsimet Pontificii asserant. Porro quod Cyrillus asserit, panem post consecrationem non esse panem, id ex Justino et Irenaeo explicandum, quod non amplius sit communis, nudus ac solus panis, ita enim subjungit Cyrillus: *Ne consideres tanquam panem nudum et nudum vinum, corpus enim est et sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba.* Iisdem verbis catech. 3. de aqua baptismali utitur: *Non tanquam aquae simplici studeas huic lavacro, sed ut spirituali gratiae, quae cum aqua detur.* De chrismate ibidem: *Quemadmodum panis eucharistiae post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi; sic et sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est.* Collige, ut aquae, ut unguenti substantia non tollitur per consecrationem, ita nec panis eucharistici. Idem catech. 5. myst.: *Panis iste sanctus supersubstantialis dicitur, eo quod*
6. Ambrosii. *substantiam animae confirmet.* 6. Ambrosius lib. de iis qui initiantur myst. c. 9: *Quantis utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur?* Respondemus: Natura panis benedictione mutatur, non ut substantia ejus intereat, sed ut in sacramentum corporis Christi transeat, sic enim explicat se ipsum Ambrosius lib. 4. de sacramentis c. 4: *Vides quam operatorius sit Christi sermo. Si ergo tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse, quae non erant* (in creatione)*; quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur.* Nota, *ut sint quae erant*, scilicet ratione substantiae, *et in aliud commutentur*, scilicet ratione usus sacramen-
I. 251. talis. Lanfrancus hoc testimonium non potuit aliter eludere, quam ut diceret, *verba illa non reperiri in Ambrosio*, sed quia hoc non consistit, cum etiam in jure canonico allegentur. c. Panis est in altari. dist. 2. de consecrat. Ideo Petrus a Soto dicit, quod maneant *scilicet in aliud mutata*, sed Ambrosius expresse dicit, *ut sint, quae erant, et in aliud mutentur.* Bellarminus lib. 2. de euchar. c. 14. sic conatur elabi, *ut sint extrinsecus, quae erant, non autem intrinsecus*, id vero exemplo, quod Ambrosius ibidem subjungit, manifeste repugnat: *Tu ipse eras, sed eras vetus creatura. Posteaquam consecratus es* (per baptismum), *nova creatura esse coepisti. Vis scire, quam nova creatura? Omnis, inquit apostolus, in Christo nova creatura est. Accipe ergo, quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutat, quando vult, instituta naturae;* ex quo colligitur, panem et vinum in sacra coena mutari non substantia, sed qualitate et usu, quemadmodum et nos in baptismo mutamur non substantia, sed qualitate, proinde quod Ambrosius dicit, *naturam mutari per benedictionem* per id exponendum est, quod hoc loco dicit, *sermonem Christi mutare instituta naturae.* Panis per naturam ad vitam corporis alendam institutus est, sed sermo Christi mutat hoc institutum, ut panem eucharisticum non satietatis, sed significationis causa sumamus, sicut loquitur canon Nicenus. 7. Gregorius 7. Gregorii Nysseni.
Nyssenus orat. magna catechet. c. 37: *Recte Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.* Et postea: *Haec autem tribuit virtute benedictionis in illud* (corpus Domini) *rerum, quae videntur* (panis et vini) *naturam mutans.* Respondemus: Eodem modo intelligenda sunt verba Gregorii Nysseni, quo Ambrosii verba exposuimus. In orat. de sancto bapt. p. 257. edit. Basil. se ipsum diserte explicat: *Ne contemnas divinum lavacrum, neque id tanquam commune propter usum aquae parvi facias et levi momento ducas. Nam id, quod operatur, magnum est et ab illo mirabiles exsistunt effectus. Nam et altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur et pavimenta exornantur, sed quoniam Dei cultui consecratum ac dedicatum est ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur. Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi et dicitur et est; eodem modo vinum, cum sint res exigui pretii ante benedictionem, post sanctificationem, quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item verbi vis etiam sacerdotem augustum et venerandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum* etc. Collige, ut benedictio et vis verbi non abolet substantiam aquae, altaris aut sacerdotis; ita nec panis et vini in eucharistia. 8. Gaudentius tract. 2. de Exod.: *Ipse* 8. Gaudentii.
naturarum creator et dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, efficit proprium corpus; et quia de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit. Respondemus: Cur ergo Thomas hanc thesin reprobat, de pane fit corpus Christi part. 3. q. 75. art. 8: *Non potest proprie dici* (ait), *quod de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi.* Gaudentius fuit Ambrosii, Cyrilli et Nysseni coaetaneus, ejus ergo dictum ex illis auctoribus explicamus; imo ipse Gaudentius sui ipsius interpres optimus, sic enim ibidem: *In hac veritate, qua sumus, unus pro omnibus mortuus, et idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.* Item: *Recte vini specie sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in evangelio dicit: ego sum vitis vera, satis declarat, sanguinem suum esse omne vinum, quod in figura passionis ejus offertur.*
9. Chrysostomus hom. 83. in Matth. *panem immutari;* hom. de euch. in encoen. *mysteria consumi* 9. Chrysostomi.
corporis substantia asserit. Respondemus: Bellar- I. 252.

Digitized by Google

minus alibi saepe contendit, auctorem illius operis in Matthaeum non esse Chysostomum. Sixtus Senensis lib. 6. biblioth. annot. 152. monet, *non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt, cum multa per hyperbolen enuntient et inculcent, vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel affectionum impetu vel orationis cursu abrepti, idque Chrysostomo interdum contingere* concludit. Idem Chrysostomus hom. 83. in Matth. comparat panem eucharistiae *cum aqua baptismatis.* At in baptismatis aqua nulla fit transsubstantiatio. Verba, quae Bellarminus urget, haec sunt: *Non sunt humanae virtutis haec opera, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat et transmutat* (in Graeco est *μετασκευάζων* praeparat, transinstrumentat proprie, id est spiritualium rerum organa facit), *ipse est.* Idem homil. 61. ad pop. Antioch. *carne dentes infigi* asserit, *linguam ejus sanguini rubescere*, qua hyperbole veritatem praesentiae, nequaquam vero transsubstantiationem adstruit.

10. Augustini. 10. Augustinus citante Beda 1. Cor. 10: *Panis accipiens benedictionem fit corpus Christi.* serm. 28. de verb. Dom.: *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur panis dicatur, ubi Christi verba depromta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Respondemus: Panis fit corpus Christi, scilicet sacramentaliter, ita ut accepto et manducato pane manducetur Christi corpus. Quodsi haec propositio, panis fit corpus Christi, necessario importat transsubstantiationem, cur ergo Rhenatus Benedictus in panoplia super verba petra erat Christus scribit: *Catholica ecclesia nunquam dixit, panem esse corpus Christi.* Cur Thomas scribit part. 3. q. 75. art. 8: *Non conceditur, quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi.* Posterius dictum Augustini si absolute accipias, diserte repugnat apostolo, qui post consecrationem vocat panem, imo ipsi Bellarmino, qui patres concilii Niceni 2. arguit, quod panem et vinum ante consecrationem tantum *ἀντίτυπα* appellari dicant, et ex Basilio, Nazianzeno, Macario et Theodoreto evincit, etiam post consecrationem ita vocari. Limitate ergo accipiendum Augustini dictum, non amplius dicitur panis, id est nudus et communis panis, sic enim se ipsum exponit lib. 3. contra Maximin. c. 22: *Haec sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia et aliud significantia.* Si symbola sacramentalia perpetuo sunt id quod erant, licet aliud significent, utique eorum substantia non evanescit. Ivo Carnutensis in epist. ad Heinericum citat ex August. serm. ad neoph.: *Accipite in pane, quod pependit in cruce; accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* serm. ad infantes ad altare citante Beda 1. Cor. 10: *Quod vidistis, panis est et calix, quod etiam oculi vestri renuntiant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.*

11. Cyrilli Alexandrini. 11. Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Caelosyr.: *Ne horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitae, convertens ea in veritatem propriae carnis, ut corpus vitae quasi quoddam semen inveniatur in nobis.* Respondemus: Conversio illa fit non mutatione substantiae, sed usus, ut jam non dicamus, epistolam illam in operibus Cyrilli non X. 233. inveniri; Thomas in catena dictum citat. In eadem epistola dicitur: *Decebat Christum quodammodo corporibus nostris uniri per sacram ejus carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane et vino.* In Joh. lib. 4. c. 14: *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum.* in quo c. 14. ut et seqq. 15. 16. 17. ex professo de coena disputans nullam transsubstantiationis mentionem facit.

12. Eusebii Emiseni. 12. Eusebius Emisenus serm. de corp. Dom.: *Quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis et vini; post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea, quae verbo creare potuit, possit creata convertere?* Respondemus: Agnoscimus et nos quandam panis conversionem, num vero a genere ad speciem recte proceditur? Est in coena panis conversio, ergo substantialis? Ibidem symbola sacramentalia *benedici verbis coelestibus et invocatione summi Numinis consecrari* dicuntur, non autem transsubstantiari. Adde quod Bellarminus fateatur, incertum esse, an Eusebius illius sermonis auctor, alii Fausto Rhegiensi, alii Caesario eum tribuunt, quorum uterque ducentis annis posterior. Hom. 5. de pasch. sic loquitur Emissenus: *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit*, sed statim se ipsum explicat, qualem conversionem intelligat: *Ut tibi novum et impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutantur, te ipsum, qui jam in Christo regeneratus es, interroga, dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via, intrinsecus mortuus exsulabas, subito initiatus Christi legibus et salutaribus mysteriis* (baptismi) *innovatus in corpus ecclesiae non vivendo sed credendo transiisti* etc. Ergo elementa in eucharistia commutantur, sicut nos in baptismo, non substantia, sed qualitate. Ibidem: *Sicut ergo sine corporali sensu praeterita vilitate deposita subito novam indutus es dignitatem, et sicut hoc quod in te Deus laesa curavit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis, sed sensibus tuis credis, ita et tu cum ad reverendum altare salutari cibo potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe et maxime haustu interiore assume.*

13. Remigii. 13. Remigius in 1. Cor. 10: *Caro, quam verbum Dei Patris assumsit in utero virginali in unitate suae personae, et panis, qui consecratur in altari, unum, corpus Christi sunt, sicut enim illa*

Digitized by Google

caro corpus Christi est, *ita iste panis transit in corpus Christi*, *nec sunt duo corpora*, *sed unum corpus*. Respondemus: addimus explicationem Gelasii et Theodoreti, panis transit in divinam substantiam, permanet tamen in suae proprietate naturae.
14. Gregorii. 14. Gregorius teste Paulo Diacono in ejus vita dixit: *Praescius conditor nostrae infirmitatis ea potestate*, *qua cuncta fecit ex nihilo*, *panem et vinum aqua mistum manente propria specie in carnem et sanguinem suum Spiritus sui sanctificatione convertit.* Respondemus: in operibus Gregorii hoc non invenitur. Bellarminus repetit suam crambem, conversio est, ergo transsubstantiatio. Non ita Lombardus, qui conversionem agnoscebat, sed qualis sit, definire non audebat. Idem Gregorius lib. 4. dial. c. 58: *Quis fidelium habere dubium possit*, *in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri*, *in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse*, *summa imis sociari*, *terrenis coelestia jungi* etc. Audis sociationem et conjunctionem rei coelestis ac terrenae, non autem transsubstantiationem. Idem in registro: *Tam azymum, quam fermentatum dum sumimus*, *unum corpus Domini nostri servatoris efficimur* etc. at panis azymus et nuda accidentia panis non sunt *ἰσοδυναμοῦντα*.
15. Bedae. 15. Beda in serm. de Epiphan.: *Panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus infallibili Spiritus sanctificatione transfertur*. Respondemus: hoc magis pro nostra sententia facit et
I. 254. suppeditat explicationem aliis etiam patrum dictis addendam, scilicet quando dicunt, panem converti in corpus Christi, id sic intelligendum esse, quod convertatur in sacramentum corporis Christi, hoc est quod sacramentalis et mystica conversio hic sit intelligenda. Idem lib. 6. in Luc. c. 22: *Pro carne ac sanguine agni sui corporis sanguinisque sacramentum substituit*.
16. Damasceni. 16. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 14: *Panis*, *vinum et aqua per invocationem et adventum Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus et sanguinem Christi*. Respondemus: Damasceni aetate magna doctrinae inclinatio facta. Idem tamen retinet comparationem eucharistiae cum baptismo. *Quia duplices* (inquit) *sumus et compositi*, *par etiam fuit*, *nativitatem duplicem fore*, *identidem et cibum compositum. Nativitas igitur per aquam et Spiritum nobis donata est*, *per sanctum dico baptisma; cibus vero ipse panis vitae Dominus noster Jesus Christus*, *qui de coelo descendit.* (Quemadmodum praesentia Spiritus in baptismo aquam non tollit, sic panis substantiam in eucharistia praesentia corporis non evacuat.) *Interrogas*, *quomodo panis fit corpus Christi et vinum et aqua sanguis Christi? respondeo tibi et ego* (quod scilicet angelus olim virgini respondit): *Spiritus s. ἐπιφοιτᾷ*, *obumbrat*, *et haec operatur super sermonem et intelligentiam*, *panis autem et vinum παραλαμβάνεται*, *assumuntur* etc. *Quemadmodum in baptismate*, *quia consuetudo est hominibus aqua lavari et oleo ungi*, *conjunxit oleo et aquae gratiam Spiritus sancti et fecit illud lavacrum regenerationis hunc in modum*, *quia mos hominibus est panem manducare*, *et vinum et aquam bibere*, *conjunxit his ipsis suam divinitatem et fecit hoc corpus suum et sanguinem suum*, *ut per assueta et quae sunt secundum naturam in iis*, *quae sunt supra naturam*, *collocemur*. Ibidem: *Carbonem vidit Esaias*, *carbo autem simplex non est*, *sed unitus igni*, *sic panis communionis non simplex est*, *sed unitus divinitati.* (At carbonis substantia manet, ergo et panis, si procedit comparatio.) Damascenus eo in loco negat, panem et vinum post consecrationem vocari *ἀντίτυπα* corporis et sanguinis Domini, sed hoc ipse Bellarminus improbat. lib. 2. de euch. c. 15. §. altera solutio, ubi ex liturgia Basilii, Theodoreto dial 1. Macario homil. 27. Dionysio c. 3. hierarch. eccl. et Nazianzeno orat. in Gorgoniam contrarium ostendit; cur igitur Damasceni auctoritate nos premit, quem in hoc ipso articulo repudiat? 17. Theophylactus in c. 6. Joh. 17. Theophylacti.
transformatur panis in carnem Domini. Respondemus: ipse Lombardus inter conversionem formalem et substantialem distinguit 4. sent. distinct. 11. lit. A. ergo nec hic ad gustum Pontificiorum Theophylactus loquitur in c. 14. Marci, utitur verbo *transelementationis*, quod ex vulgato illo Augustini explicamus: *Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum.* Ergo illa transelementatio nihil aliud est quam elementorum ad sacramentalem usum destinatio. in c. 6. Joh. vocis asperitatem per particulam *ὥσπερ* emollit. Idem Theophylactus negat, panem esse corporis *ἀντίτυπον*, quod ne ipsi quidem Bellarmino probatur in Marc. c. 14. *Panis sanctificatus non tantum figura carnis Domini*, *sed et caro ipsa.* De reliquorum sententiis, qui post illam aetatem scripserunt, non sumus magnopere solliciti.

140. Tertiam argumentorum classem petit Bellarminus c. 21. ex definitione et consensu ecclesiae ab annis quingentis, ubi hoc modo procedit: *In sex conciliis ante hoc nostrum seculum definita fuit transsubstantiationis veritas sub anathemate*, *at fieri nequit*, *ut ecclesia universa tot seculis in gravissimo errore fuerit. Deinde hoc ipso tempore floruerunt sanctissimi viri*, *vitae innocentia*, *miraculis et aliis divinis donis clarissimi*, *quos nulla admittit ratio*, *ut Deo fuerint amicissimi et in fide erraverint*. Respondemus: 1. quid illis etiam seculis de transsubstantiatione multi senserint, patere potest ex superioribus. 2. Atque utinam hic unus esset inveteratus Romanae ecclesiae error! 3. Quod et quatenus ecclesia errare possit, alibi explicatur. Quae ex conciliis pro transsubstantiatione producuntur, examinantur.
4. Nulla conciliorum decreta, nulla miracula, nulla pontificum edicta verbo Dei praejudicare possunt. I. 256.
5. Etiam sancti viri super fundamentum aedificant quandoque foenum et stipulas, ideo in nullius hominis, etiam sanctissimi auctoritate fides acquiescere debet. Galat. 1, v. 8. Producit deinde Bellarminus sex illa concilia, ex quibus fulcrum transsubstantiationi petit. Primum est concilium Romanum sub Nicolao II. anno 1059. quod Berengarium coëgit 1. Concilium Romanum ann. 1059.

Digitized by Google

abjurare suam haeresin. c. Ego Berengarius dist. 2. de consecr. Respondemus: glossa huic capitulo adscripsit: *Nisi sane intelligas verba Berengarii, in majorem incides haeresin, quam ipse foverit.* Verba hujus palinodiae ab Humberto quodam Germano sunt descripta homine inerudito et insulso. Dicitur in illo capitulo, *ipsum verum corpus Christi tractari et frangi manibus sacerdotum et fidelium dentibus atteri,* quod Bellarminus interpretatur, *non nudum signum, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus ibi praesens exsistens frangi et teri, non tamen in se, sed in signo.* At verba concilii plus videntur dicere, ideo Roffensis lib. 2. contra Oecolamp. dicit, *quia Berengarius in alterum latus nimis exorbitasset, ideo concilium plus aequo in alterum nunc trahi.* Quidam verba capituli sic explicant, quod conferantur *τὸ sensualiter* et *τὸ in veritate; τὸ* sensualiter referri ad sacramentale symbolum panem, *τὸ* in veritate pertinere ad Christi corpus; dici autem in veritate corpus Christi tractari, frangi, teri, non *κατ' αὐτὸ καὶ κυρίως*, sed *ἑπομένως καὶ μυστικῶς*, prout unitum est benedicto pani, sicut in veritate descendit Spiritus s. quatenus columbae descendenti peculiariter fuit unitus. Hanc explicationem an verba decreti ferant, in medio relinquimus illud solum monentes, quod Bellarminus ex ipsis concilii verbis non possit transsubstantiationem probare, ideo confugit ad scripta eorum, qui tum temporis floruerunt, Lanfranci, Guitmundi et Anshelmi; at si vel maxime illi docerent transsubstantiationem, nihil tamen aliud quam suam proponerent sententiam. Bellarmino autem propositum erat ostendere, quod sub fulmine anathematis in conciliis definita sit transsubstantiatio.

2. Concilium Romanum ann. 1079. Alterum concilium, quod Bellarminus profert, est itidem Romanum sub Gregorio VII. anno 1079. Sed concilium illud non est magni nominis, nec in eo sub anathemate stabilita transsubstantiatio. Gregorius ille concilii praeses fuit necromanticus, qui coelibatum sacerdotum praecipiendo multis flagitiis fenestram aperuit, Romanum imperium seditionibus et bellis civilibus implevit ac tandem a synodo Brixiana sede Pontificia est dejectus.

3. Concilium Lateranense ann. 1215. Tertium concilium est Lateranense sub Innocentio III. anno 1215. de quo quid statuendum sit, diximus superius. §. 120. Idem Innocentius introduxit confessionem auricularem, eucharistiae in ciborio custodiendae legem et multos alios abusus, idem decretales ecclesiae intulit.

4. Concilium Romanum ann. 1413. Quartum concilium est Romanum generale anno 1413. cujus decretum ex Cochlaeo recitat Bellarminus, sed Cochlaei fides merito apud nos dubia est.

5. Concilium Constantiense ann. 1414. Quintum est concilium Constantiense anno 1414. Sed idem concilium prohibet populum sub utraque specie communicare contra Christi institutionem et primitivae ecclesiae praxin, praecipit etiam, fidem haereticis non esse servandam, quod juri naturali repugnat. Si enim fidem dare fas fuit, utique etiam fidem datam servari oportet. In eodem concilio definitum, quod concilium sit supra papam, id vero non est ad palatum Bellarmini.

6. Concilium Florentinum ann. 1439. X. 256. Sextum est concilium Florentinum anno 1439. ubi Bellarminus acriter invehitur in Martyrem et Chemnicium atque asserit, nunquam fuisse inter Graecos et Latinos de transsubstantiatione disceptatum. Sed repugnat ipsis concilii actis; sic enim Eugenius IV. pontifex Romanus sess. ult. Graecos affatur, ut habetur tom. 3. conc. p. 474. edit. Colon.: *In praecipua quaestione, de qua vehementer ambigebamus* (de processione Spiritus sancti), *ita convenimus, ut nihil amplius de ea dicere debeamus. Porro autem operae pretium est, ut de purgatorio igne et de summi pontificis principatu et de azymo et fermentato pane, de divina denique panis transsubstantiatione agamus, ut omni ex parte conjunctio nostra sit absoluta, ita ut nulla inter nos controversia inposterum relinquatur.* Ibid.: *Urgente pontifice, ut de divina panis transmutatione, quae quidem quarta quaestio fuit, in synodo ageretur, Graeci dixerunt, se sine totius orientalis ecclesiae auctoritate quaestionem aliam tractare non posse.* pag. 475: *Haec Graeci, nolentes tamen consentiente imperatore, ut de alia quaestione praeter illam de Spiritus sancti processione in unionis literis ulla mentio fieret, contendente summo pontifice, ut etiam de reliquis ageretur, excepta illa de panis transmutatione, ut perfectissima fieret unio.* Provocat Bellarminus ad instructionem Armenorum, in qua disertis verbis ponitur transsubstantiatio. Sed in eadem instructione p. 506. dicitur: *Ipsorum verborum salvatoris virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur.* At Graeci tunc non secus ac hodie, solis illis verbis consecrationem non adscribebant, sed putabant necessario adjungendum: *Et fac panem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice isto est, fac honorabilem sanguinem Christi tui ea sancto Spiritu tuo transmutante.* Quomodo ergo Graeci in hanc formulam consentire potuerunt? Ipsum decretum nomine Eugenii IV. inscribitur: *Eugenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam* etc. adde, decretum Armenis datum esse anno 1439. decimo calend. Decembr. absentibus jam Graecis patribus, qui eodem anno pridie non. Julii subsignata unione ideo discesserant, quod frustra negat Bellarminus. Quis sit status hodiernae ecclesiae orientalis, peti potest ex scripto D. Chytraei hac de re edito.

141. Quartam argumentorum classem petit Bellarminus c. 22. ex convenientia rationis; atqui non ex judicio rationis, sed ex Scripturae norma de articulis fidei disputandum. X. 257. Rationes pro transsubstantiatione examinantur. Videamus tamen illas congruentias. X. 258. Primo: *convenientius fuit* (ait Bellarminus), *ut solum Christi corpus ad accidentia panis ordinem haberet et illa soli Christi corpori deservirent.* X. 259. Respondemus: fundamentum hujus speculationis consistit in illis disputationibus Scholasticorum, quod corpus Domini manet sub accidentibus panis ad eum modum, quo substantia panis maneat sub accidentibus suis, excepta informatione, et quod ex natura rei moveatur ad motum accidentium et

desinat esse sacramentaliter ad illorum accidentium desitionem etc. Sed haec sunt somnia otiosorum hominum. Panis eucharistici ad corpus Christi docente apostolo haec est analogia, quod sit κοινωνία corporis Christi 1. Cor. 10, v. 16. quod ejus munus et officium sacramentale sit, ut mediante eo distribuatur et manducetur Christi corpus, ad hoc officium et munus sacramentale requiritur, ut accidentia habeant ordinem ad corpus Christi primario, non autem ad panem. Bellarmino absurdum videtur, si duae substantiae haberent ordinem ad
x. 260. eadem accidentia; sed an non magis absurdum, accidentia panis consistere intereunte subjecto, accidentia nutrire, corrumpi etc. prius facilius concedet ratio quam posterius. Secundo *periculum esset, ne simpliciores adorarent panem.* Respondemus: num vero nullum est periculum, ne adorent accidentia? Bellarminus disputat, statuendam esse transsubstantiationem, ne simpliciores adorent panem; eodem jure inferri posset, statuendam esse transaccidentationem, ne adorent accidentia. Atqui nec substantiam, nec accidentia panis, sed Christum adorare debemus, qui est coelestis hujus convivii hospes atque ipse sanctum suum corpus ac pretiosum suum sanguinem nobis distribuit. Transsubstantiationem ex adoratione panis probare est litem lite et quaestionem quaestione solvere. Gabr. Biel lect. 49. in can.: *Quia non potest esse evidens certitudo neque celebranti, neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impedientem, et contingere potentem, ut quod forte celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire, se fore baptizatum aut legitime ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitae intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia, et multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt, sub hostia fore Christum, ideo adoratio fieri debet sub conditione habituali tacita vel actuali expressa, tali scilicet, si servata sint omnia ad consecrationem necessaria.* Haec pericula prius avertat Bellarminus, antequam solicitus sit, ne simpliciores adorent panis substantiam. Tertio *non videtur rationi consentaneum, ut maneat simul cibus mentis et ventris.* Respondemus: imo vero analogia sacramentalis hac ratione melius constat. Quamvis enim primarium panis eucharistici officium sit esse organum et ὄχημα corporis Christi, nihil tamen impedit, quominus cum Cypriano, Augustino et aliis dicamus, panem eucharisticum secundario hanc habere analogiam ad Christi corpus, ut sicut panis nutrit corpus, ita corpus Christi novum hominem. Interim tamen quia hoc non est primarium panis sacramentalis officium, sed qualecunque adjunctum, ideo juxta canonem Nicaenum *non multum, sed parum sumimus, siquidem non satietatis, sed sanctificationis causa panem illum sumimus.* Contradicit autem Bellarminus sibi ipsi, hoc enim loco negat, *manere cibum ventris*, sed capite 23. disputat, *accidentia panis nutrire, scilicet si in magna copia sumantur.* At num potest aliquid nutrire, quod non sit cibus? Quarto *sequeretur, non posse corpus Domini accipi, quin solveretur jejunium.* Respondemus: quae vero fuerit absurditas? si non potest corpus Domini rite sumi nisi a jejunis, ergo Christus post esum agni paschalis non rite instituit eucharistiam, ergo peccarunt apostoli, qui postquam coenassent, corpus Domini sumserunt. Vide August. epist. 118. ad Januar. c. 6. et 7. ubi inter cetera scribit, *nonnullos probabilem quandam rationem delectasse, ut uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini.* **Quidam ex Pontificiis Augustanam confessionem asserere transsubstantiationem probare conantur ex voce *speciei* art. 10. ab eadem usurpata. Respondemus: figmentum transsubstantiationis jampridem ex evangelicarum ecclesiarum finibus erat profligatum. Anno 1520. Lutherus in libr. de capt. Babyl. scribit: *Ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit, nec usquam nec unquam de ista transsubstantiatione, portentoso scilicet vocabulo et somnio, meminerunt sancti patres.* Ibidem refert transsubstantiationem inter nugas metaphysicas Sententiariorum. Anno 1522. tom. 2. Jen. Germ. in lib. de abusib. missae annihilationem panis refert inter inanes papismi stupas et stipulas. Eodem ann. in lib. cont. reg. Angliae dicit, *merissimum esse impiorum et caecorum Thomistarum figmentum, quidquid haberent de transsubstantiatione.* Et rursum: *Decerno, impium esse et blasphemum, si quis dicat, panem transsubstantiari.* Anno 1524. contra coelestes prophetas agens expresse illam panis annihilationem rejicit et distinctionem substantiarum panis et corporis Christi similitudine ferri et ignis, item deitatis et humanitatis in Christo luculenter illustrat. Anno 1528. in conf. majore: *Nos corpus Christi non conficimus ex pane, ut nobis affingit spiritus (sacramentarius), imo neque dicimus, corpus ipsius ex pane fieri, sed dicimus, corpus ejus, quod dudum factum est, adesse quando dicimus, hoc est corpus meum.* Anno 1525. in syngrammate Suevico ecclesiae superioris Germaniae transsubstantiationem rejecerunt. *Nos* (inquiunt) *panem ipsum, qua panis est, tractare, frangere, edere, dentibus atterere,* Brentius in egreg. comment. c. 6. Joh. Anno 1527: *Non quaerimus, an panis substantia mutetur in corporis substantiam, ut praeter accidentia, quae sic vocant, nihil remaneat in pane. De his nugis disputent vani papistae, qui ex quovis quidvis fingunt.* Ergo Protestantes *speciei* voce designant visibilia et in externum oculorum sensum incurrentia symbola et sic speciem non substantia vacuam, sed solidam et cum speciei veritate conjunctam. Pontificii ipsi in sua confutatione nostros hortati sunt, ut transsubstantiationem crederent, quod superfluum fuisset, si in illis verbis eam contineri judicassent. Apologia dicit: *Corpus et sanguinem Christi exhiberi cum his rebus, quae videntur.***

Digitized by Google

x. 261.

CAPUT XIII.

DE CONSECRATIONE.

Forma sacrae coenae.

142. Egimus hactenus de materia hujus sacramenti, quae est tum terrena, panis scilicet et vinum; tum coelestis, corpus scilicet et sanguis Christi; restat ut de forma ejusdem pari perspicuitate disseramus. ** Ruhelius Gustroviensis concionator per insignem absurditatem ad causam formalem eucharistiae refert etiam *praeparationem communicantium.* At forma licet prioritate naturae formato prior sit, temporis tamen ordine cum formato simul est. Praeparatio ergo ad coenam cum tempore prior sit, qui eam informabit? ** Forma igitur hujus sacramenti consistit in actione et quidem ea, quam Christus et apostoli in administratione ejus observarunt suoque non solum exemplo, sed etiam mandato observandam praeceperunt. Colliguntur autem ex descriptione evangelistarum tres actus sacramentales ad formam et integritatem hujus sacramenti pertinentes, siquidem 1. Christus accepit panem et benedixit; 2. panem fractum discipulis dedit ac distribuit dicens: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;* 3. discipuli panem benedictum acceperunt et manducarunt. Similiter in parte altera 1. Christus calicem, in quo erat genimen vitis, accepit et gratias egit; 2. eundem discipulis dedit dicens: *Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur;* 3. apostoli calicem benedictum acceperunt et omnes ex eo biberunt. Tres igitur sunt actus sacramentales: 1. εὐλογία sive panis et calicis benedictio; 2. benedicti panis et calicis distributio; 3. distributi panis ac calicis sacramentalis manducatio ac bibitio. Fractionem quod attinet, eam non esse peculiarem quendam actum sacramentalem ad coenae formam et integritatem essentialiter pertinentem, sed tantum ministerialem et praeparativum distributioni inservientem, suo loco evidenter comprobabimus.

Consecratio eucharistiae in quo consistat.

143. Primum actum sacramentalem duobus vocabulis describunt evangelistae et Paulus, vocant enim 1. εὐλογίαν Matth. 26, v. 26. Marc. 14, v. 22. 1. Cor. 10, v. 16; 2. εὐχαριστίαν Matth. 26, v. 27. Marc. 14, v. 23. Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 24. εὐλογία ex vi nominis est benedictio, ab εὖ et λέγειν. Duplex autem benedictio in sacris literis describitur, divina et humana. Divina benedictio cum verbis semper conjunctam habet rem ipsam et efficaciam, quia enim Deus est purissimus et potentissimus actus, ideo ipsius benedicere est benefacere; humana benedictio vel dirigitur ad Deum vel ad homines. Quando homines Deo benedicunt, nequaquam illi perfectionem aliquam tribuunt, sed majestatem et perfectionem divinam agnoscunt, laudant ac prae-
x. 262. dicant. Quando homines sibi invicem benedicunt, felicia quaeque a Deo sibi invicem precantur, quae benedictio itidem divina gratia efficax est, si ab homine pio proficiscatur, vel Dei nomine, jussu et mandato peragatur. Exempla divinae εὐλογίας in Scripturis passim occurrunt, quae cum εὐλογίᾳ in sacrae coenae institutione et administratione usurpata pulcherrime conferri possunt. Genes. 1, v. 22. et 28. commemoratur, quod Deus in prima creatione animalibus et hominibus a se conditis benedixerit his verbis: *Crescite et multiplicamini*, ubi in Hebraeo est בָּרֵךְ, in Graeco εὐλογεῖν. Quemadmodum igitur prima illa benedictio, qua Deus animalium et humano generi benedixit, ut crescerent et multiplicarentur, adhuc hodie efficax est natura ad generationem operante; sic benedictio Christi in sacrae coenae institutione semel prolata adhuc hodie efficax est et operatur, ut mediante pane eucharistico corpus et mediante vino eucharistico sanguis Christi distribuatur. Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. tom. 4. p. 439: *Sermo Christi hoc sacramentum conficit. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est coelum; jussit Dominus, et facta est terra; jussit Dominus, et facta sunt maria; jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant et in aliud commutentur.* Chrysostomus hom. 30. de prodit. Judae tom. 5. p. 85: *Non homo est, qui proposita de consecratione mensae Domini corpus Christi facit et sanguinem, sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur et Dei virtute consecrantur et gratia. Hoc est, ait, corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quae dicit, crescite et multiplicamini et replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernam diem et usque ad ejus adventum praestat sacrificio firmitatem.* Graeca sic habent: *Καθάπερ ἡ φωνὴ ἐκείνη, ἡ λέγουσα αὐξάνεσθαι καὶ πληθύνεσθαι τὴν γῆν, ἐῤῥέθη μὲν ἅπαξ, γίνεται δὲ ἔργον κατὰ χρόνον δυναμοῦσαν τὴν φύσιν ἡμετέραν πρὸς παιδοποιΐαν· οὕτω καὶ ἡ φωνὴ αὐτὴ ἅπαξ λεχθεῖσα καθεκάστῃ τραπέζῃ ταῖς ἐκκλησίαις ἐξ ἐκείνου μέχρι σήμερον καὶ μέχρι τῆς αὐτοῦ παρουσίας τὴν θυσίαν ἀπηρτισμένην ἐργάζεται.* Gen. 2, v. 3. commemoratur, *quod benedixerit Deus diei septimo*, εὐλόγησε τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην. Quemadmodum Deus hoc modo diei septimo benedixit, ut prae reliquis divino cultui consecraretur ac deputaretur, qua ratione benedictio illa fuit sanctificatio et consecratio, sicut Moyses immediate subjungit: *Deus benedixit diei septimo et sanctificavit eum;* sic per εὐλογίαν sacramentalem externa symbola panis et vini ab usu vulgari separantur, sanctificantur et consecrantur, ut fiant organa rerum coelestium. Matth. 14, v. 19. Marc. 6, v. 41. Luc. 9, v. 16. de Christo refertur, quod cibaturus quinque panibus quinque hominum millia, *respiciens in coelum benedixerit*, nimirum quia coelesti et di-

Digitized by Google

vina virtute pauculos panes multiplicabat, ut satiandis aliquot hominum millibus sufficerent; ita quoque εὐλογία sacramentalis argumento est, Christum divina et coelesti sua virtute panem et vinum organa corporis et sanguinis sui distribuendi fecisse; ut naturae et rationi humanae repugnat tam pauxillis panibus tot millia saturari; pari ratione et naturae corporis et rationis nostrae captui repugnat, corpus et sanguinem Christi mediantibus externis symbolis in sacra coena distribui, sed eadem Christi εὐλογία, quae potuit prius efficere, potest etiam posterius praestare. Ephes. 3, v. 20. Phil. 3, v. 21.

Duplex Dei benedictio.

144. Potest divina εὐλογία sic dispesci, quod sit vel generalis actio creaturas conservans, specierum propagationem efficiens ac bonis corporalibus tum creaturas omnes, tum praecipue genus humanum replens, quo pertinent omnia Scripturae dicta, quae de benedictione Dei inanimatas creaturas respiciente ac de bonis corporalibus homini per benedictionem
X. 263. divinam collatis loquuntur, vel specialis actio ecclesiam respiciens, ejusdem conservationem ac propagationem efficiens et bonis spiritualibus pios in ea replens. Sic quando patriarchis Deus benedixisse dicitur, intelliguntur non solum corporalia, sed cumprimis spiritualia bona, quibus illos beavit, Gen. 9, v. 1. c. 12, v. 2. c. 14, v. 19. etc. Sic quando *benedicti* dicimur *in Christo*, Ephes. 1, v. 3. Id ibidem de εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις exponitur. Huc etiam pertinet illa solennis et sacerdotalis benedictio in ecclesia Israëlitica jussu et mandato Dei usurpata, quae describitur Num. 6, v. 23. ea enim cum Dei auctoritate et nomine in conventibus ecclesiasticis fuerit pronuntiata, ideo non humana, sed divina benedictio fuit censenda, quae in piis suum perpetuo obtinuit effectum, ideo v. 27. subjungitur: *Ego Dominus benedicam eis.* Ad hanc posteriorem classem pertinet etiam sacramentalis illa εὐλογία, qua Christus in institutione et administratione sacrae coenae est usus, cum sacramentum hoc a Christo institutum sit bonum ecclesiae proprium, cumque non terrena, sed coelestia et spiritualia dona in eo nobis distribuantur.

Quatuor vicibus Christus benedixit.

145. In pandectis evangelicis quatuor vicibus εὐλογίᾳ Christus legitur usus: 1. In miraculis, Matth. 14, v. 19. Marc. 6, v. 41. Luc. 9, v. 16. cum quinque panibus quinque hominum millia satiare vellet; Marc. 8, v. 7. cum septem panibus quatuor millia saturaturus esset. 2. In collatione et elargitione bonorum spiritualium et coelestium. Marc. 10, v. 16: *Imponens manus super infantes* εὐλόγει, *benedixit illis.* Luc. 24, v. 50. adscensurus in coelum *educit discipulos suos in Bethaniam et sublatis manibus prius benedicit eis*, εὐλόγησεν αὐτούς. Actor. 3, v. 26: *Deus misit Jesum* εὐλογοῦντα ἡμᾶς, in quo benedictionis spiritualis, coelestis et aeternae participes fieri potestis, ut ex promissionibus Gen. 12, v. 3. c. 18, v. 18. c. 22, v. 18. c. 26, v. 4. intelligi potest. 3. In vulgaribus epulis. Luc. 24, v. 30: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem et benedixit*, ut suo exemplo doceret a precibus inchoandam cibi sumtionem et cum gratiarum actione finiendam. 1. Cor. 10, v. 31. 1. Tim. 4, v. 4. et 5. 4. In institutione et administratione sacrae coenae, quae non est terrenum aut vulgare, sed coeleste convivium, ad quod cum precibus et gratiarum actione reverenter accedendum, quo respectu convenientiam aliquam habet cum membro tertio; in qua divina et coelesti virtute Christus suo corpore et sanguine miraculose nos pascit, quo respectu convenientiam habet cum membro primo; per quam denique vere pii coelestis ac spiritualis benedictionis vera fide hunc salutarem cibum ac potum sumentes participes redduntur, quo respectu convenientiam habet cum membro secundo.

146. *Εὐχαριστία* ex vi nominis est gratiarum actio, qua in evangelicis historiis Christus itidem quatuor vicibus usus legitur: 1. In miraculosa cibatione Matth. 15, v. 36. Marc. 8, v. 6. Joh. 6, v. 11. et 23. 2. In Lazari resuscitatione, Joh. 11, v. 41: *Jesus levatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Haec gratiarum actio in miraculis a Christo adhibita ostendit, Christum divina virtute, quam secundum deitatem cum Patre et Spiritu s. communem et secundum humanitatem personaliter sibi communicatam habet, miracula fecisse. 3. In poculi post esum agni paschalis distributione, Luc. 22, v. 17: *Et accepto calice gratias egit et dixit*, εὐχαριστήσας εἶπε: *Accipite et dividite inter vos.* Augustinus hoc intelligit de calice sacro, quo sanguinis sui participationem Dominus tradidit, ut per praeoccupationem illa Lucas narraverit, sed commodius intelligitur de alio calice, quam de quo post consecrationem panis Lucas demum scribit; solent enim Judaei maxime in majoribus solennitatibus hoc observare, ut in symbolum concordiae paterfamilias aut alius dignior, qui mensae assidet, reliquis poculum praebibat ac distribuat, quam explicationem sequitur Hieronymus in c. 26. Matth. Christus igitur ex veteri ritu Ju- X. 264.
daeorum post esum agni paschalis poculum discipulis exhibens gratias egit, id est commonefecit eos de liberatione ex Aegypto, cujus memoriale erat agni paschalis sacramentum, ac de aliis beneficiis huic populo largissime exhibitis, pro quibus coelesti Patri gratias egit et suo exemplo gratias illi agendas esse admonuit. 4. In sacrae coenae institutione et administratione, ubi notandum, quod εὐλογίας et εὐχαριστίας vocabula ab evangelistis invicem permutentur. Matthaeus et Marcus in prima coenae parte tribuunt Christo εὐλογίαν, Lucas et Paulus εὐχαριστίαν; in secunda parte coenae Matthaeus et Marcus εὐχαριστίαν Christo tribuunt, Paulus calicem vocat ποτήριον εὐλογίας 1. Cor. 10, v. 16.

Εὐχαριστία Christi.

Quid complectatur Christi εὐλογία et εὐχαριστία.

147. Ex quibus omnibus, praesertim ex circumstantiis textus intelligitur, εὐλογίαν et εὐχαριστίαν, qua Christus in sacrae coenae institutione et administratione usus est, hoc complecti: 1. quod Christus pro salutari opere redemtionis, cujus memoriale in hoc sacramento instituturus erat, Patri coelesti gra-

Digitized by Google

tias egerit nosque suo exemplo docuerit, in usu hujus sacramenti pari ratione pro isthoc summo bene-
X. 265. ficio gratias Deo agendas esse; 1. Cor. 11, v. 26: Quotiescunque ex hoc pane manducaveritis et ex hoc calice biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 2. Quod cum Patre et Spiritu sancto de institutione hujus sacramenti consultaverit, quemadmodum in creatione hominis Pater cum Filio et Spiritu sancto consultasse legitur, Genes. 1, v. 26: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* 3. Quod pro conservatione ecclesiae et in ea hujus sanctissimi mysterii seriis precibus oraverit, quemadmodum ante electionem apostolorum tam serio et instanter orat, ut in illa oratione totam noctem transigat, Luc. 6, v. 12. quibus precibus coelestem benedictionem et salutarem ministerii cursum apostolis impetravit. 4. Quod hac εὐλογίᾳ externa symbola panis et vini ab usu vulgari separaverit, consecraverit et sanctificaverit, ut mediantibus illis corpus et sanguinem suum discipulis suis distribueret, quemadmodum εὐλογία diei septimi Genes. 2, v. 3. ejusdem sanctificationem et ad cultum divinum destinationem complectitur. 5. Quod virtute divina sacramentalem corporis et sanguinis sui mediante pane et vino benedicto distributionem perfecerit, cum naturae corporis et captui rationis fortissime repugnare videatur, pluribus in locis in cibum ac potum coelestem haec distribui, quemadmodum in miraculosa cibatione et Lazari resuscitatione hoc fine εὐχαριστίᾳ et εὐλογίᾳ utitur, ut virtutem illam, qua haec miracula operatus est, coelestem ac divinam esse agnosceremus. 6. Quod hac εὐλογίᾳ et εὐχαριστίᾳ a Patre coelesti impetraverit, ideoque ordinarit et instituerit, ut quoties juxta hanc institutionis normam sacra coena in ecclesia celebratur, verum ipsius corpus et verus ipsius sanguis mediantibus externis symbolis distribuantur et accipiantur, quemadmodum benedictio Dei in prima creatione semel prolata in hodiernum usque diem efficax est, Gen. 1, v. 22. et 28. Si absque hac εὐλογίᾳ Christi foret, nec in prima coena, nec in nostra corpus et sanguis ipsius distribueretur.

Quibus verbis Christus consecraverit.

148. Quibus verbis Christus consecraverit, operose quaerunt Scholastici, quorum opiniones varias ac diversas enumeravimus superius §. 129. qu. 2.
X. 266. Quidam statuunt, nobis plane ignotum esse, quibus verbis Christus consecraverit; quidam putant, Christum formasse signum crucis super panem atque hoc modo absque omni verborum forma consecrasse;
X. 267. quidam statuunt, quod Christus illa verba, *hoc est corpus meum*, bis protulerit, primo secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum; qui-
X. 268. dam dicunt, Christum his ipsis verbis aperte prolatis consecrasse, *hoc est corpus meum*, evangelistas vero non tenere hunc ordinem in recitando, quo res sunt gestae, idque inde esse, quod benedictio pro-
X. 269. lationi verborum illorum praemittatur. Haec omnia breviter complectitur Gabr. Biel, sic scribens lect. 36. in can. miss.: *Circa haec verba* (inquit) *benedixit, fregit deditque* etc. *dubium est, quem ordinem Christus observavit et quibus verbis consecravit, et sunt diversae opiniones doctorum. Nam potuit Christus tanquam Deus consecrare et panem in corpus suum convertere ac vinum in sanguinem propria virtute divina sine prolatione verborum quorumcunque, sicut sola voluntate coelum et terram a principio creavit; potuit etiam proferre verba quaedam secreta et sic benedicendo consecrare; potuit et his verbis, hoc est corpus meum, quibus nos consecramus et ipse conficere; potuit denique prius conficere et postea dividere ac dicere: Accipite, aut prius dividere et post tradendo et dicendo, hoc est corpus meum consecrare. Quod horum autem fecerit, non est certum ex Scriptura.* In recentioribus Pontificiis scriptoribus itidem talia opinionum divortia occurrunt. Ambrosius Catharinus archiepiscopus Compsanus integro libro Romae impresso ut et Cajetanus statuunt, *Christum aliis verbis consecrasse panem, quam ipsi in suis missis factitent*, idque probare conantur ex Innocentio III. Romano pontifice. Verba Catharini refert Flacius in Apol. confess. Antverp. c. 15. de missa p. 188. et in libr. de diss. Pontif. p. 151: *Aufert* (inquit) *praedicta opinio multas et veras difficultates, ob quas ridentibus haereticis ita laborant nostri, sit fas vera loqui, ut vix unus cum altero conveniat, quod ex parte jam indicavimus. Haec ut vere dixit Innocentius, solvit laqueum, a quo sese illi expedire non valent.* Bellarminus lib. 4. de sacram. euchar. c. 13. §. ex eodem: *Benedictio aut illis verbis facta est: Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, ut catechismus Romanus et theologi communiter docent; aut certe in evangelio non habemus, quibus verbis Dominus benedixerit.* Ibidem §. Quod attinet: *Sententia communis non solum theologorum recentiorum, sed etiam veterum patrum est, Christum consecrasse illis verbis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Ita enim docent Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus et alii. Praeterea sunt urgentissimae rationes. Nam si Dominus alio modo consecrasset, alio nos consecrare vellet, non dixisset: Hoc facite. Deinde sacerdos in persona Christi consecrat et ideo non dicit: Hoc est corpus Christi, sed hoc est corpus meum, et nihil est aliud nostra consecratio quam repetitio illius primae, quae a Christo facta est. At quomodo in persona Christi id facimus et quomodo ista est illius primae repetitio, si Christus sola voluntate, nos verbis consecramus? Denique conveniunt omnes, Dominum instituisse sacramentum eucharistiae, cum ipse primus eucharistiam consecravit, ergo oportuit eum non solum consecrare, sed etiam consecrare ritu sacramentali et illo ipso ritu, quo deinceps uti debeamus. At consecrare sola voluntate non est consecrare ritu sacramentali, sed est miraculo quodam extraordinario effectum producere sacramentalis consecrationis sine sacramentali consecratione.* Haec Bellarminus, quae nobis non improbantur, sed ab omnibus Pontificiis haudquaquam probantur, unde ipse Bellarminus in eodem cap. §. tertia ratio sic scribit:

Digitized by Google

Cabasilas in explicatione liturgiae cap. 30. et Latini fere omnes fatentur, Christum consecrasse eucharistiam verbis illis: Hoc est corpus meum, sine aliis precibus. Tametsi enim Innocentius III. lib. 4. de mysteriis missae cap. 6. opinatus sit, Christum nullis verbis consecrasse, id tamen communiter re-
X. 270. *felli solet* (atqui sententia Romani pontificis non ita communiter refelli solet) *et ipse idem Innocentius in epistolis decretalibus* cap. cum Marthae *de celebratione missarum admittit, Dominum consecrasse illis verbis, quae in evangelio habentur* (imo vero ad traditionem ibidem recurrit et ex illa sciri asserit, quibus verbis Christus in consecratione fuerit usus). *Sane multa*, inquit, *tam de verbis, quam de factis Dominicis invenimus ab evangelistis omissa, quae apostoli vel supplevisse verbo vel facto expressive leguntur*, ubi obiter notandum, Bellarminum, uti etiam Azorium lib. 2. instit. moral. c. 9. mendacii arguere Costerum, qui part. 3. apolog. c. 6. disputat, Innocentium III. pontificem nuspiam hoc asserere, quod Christus aliis verbis consecraverit quam his, hoc est corpus meum.

Consecratio, qua ministri ecclesiae utuntur. 149. Ceterum cum Christus in institutione sacrae coenae expresse jubeat, in ejusdem administratione nos hoc facere, quod ipse fecit, ex eo sequitur, quod ministri ecclesiae sacram coenam celebraturi verba institutionis repetere, panem et vinum hoc modo consecrare et communicantibus distribuere debeant. Quando igitur minister verba institutionis Dominicae repetit iisdemque panem et vinum consecrat ac communicantibus distribuit, tunc haec pronuntiatio non est historica solum repetitio illius, quod Christus fecit, quo modo in concionibus ad populum habendis isthaec verba repeti solent, sed minister ecclesiae hac solenni repetitione institutionis 1. publice profitetur, quod sanctissimum Christi testamentum juxta ipsius institutionem, ordinationem ac mandatum celebrare velit, ac proinde quod nolit privato arbitrio, sed ut *oeconomus mysteriorum Dei* agere. 2. Hac ipsa actione separat externa panis et vini symbola a communi et vulgari usu, ut non amplius sint nudus panis ac nudum vinum, sed organa, ὀχήματα ac media, per quae distribuatur caro et sanguis Christi. 3. Serio precatur, ut Christus vi promissionis suae in hac sacramentali actione praesens, ipsemet mediantibus hisce externis symbolis corpus et sanguinem suum communicantibus distribuat. 4. Testatur, quod vi ordinationis ac institutionis Christi veracis ac omnipotentis panis benedictus sit communicatio corporis et vinum benedictum sit communicatio sanguinis ipsius. 5. Graviter proinde monet omnes ad eucharistiae sacramentum accessuros, ut fidem habeant verbis Christi contra omnes obstreperae rationis contradictiones utque in vera poenitentia, sincero Dei timore, debita reverentia et serio vitam emendandi proposito accedant, perinde ut de verbis baptismi diximus tractat. proxime praeced. §. 79.

Explicatio loci apostolici: Poculum benedictionis, cui benedicimus etc. 150. Apostolus 1. Cor. 10, v. 16. poculum eucharisticum notanter vocat τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, *calicem benedictionis, cui benedicimus*, bina εὐλογίας repetitione et Christi et nostram benedictionem complexus. Quemadmodum Christus baptismi institutione et susceptione in proprio suo corpore sanctificavit aquas, ut in usu sacramentali sint efficax organum ac medium regenerationis ac renovationis; ita quoque εὐλογία sacramentalis in institutione sacrae coenae semel prolata non in prima tantum coena, sed etiam in nostra adhuc hodie efficax est, ut externa panis et vini symbola sint corporis et sanguinis sui distribuendi et accipiendi media. Hanc εὐλογίαν Christi nostra εὐλογίᾳ repetimus, quando τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, poculum illud, cui Christus jam ante in primae coenae administratione benedixit et ex qua benedictione in nostrum etiam poculum eucharisticum benedictio descendit, quando (inquam) poculum illud εὐλογοῦμεν, hoc est εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, ut Oecumenius explicat, ἁγιάζομεν καὶ καθιεροῦμεν, proinde recitatio verborum coenae requisita mandato Christi, *hoc facite*, non eo solum spectat, ut auditorum fides de substantia et fructu hujus sacramenti per verba testamenti Christi excitetur, confirmetur et obsignetur, sed etiam ut externa symbola panis et vini ab usu vulgari separata ad usum sacramentalem ac sacrum destinentur, sanctificentur ac consecrentur, ut cum his corpus et sanguis Domini distribuantur, exhibeantur et sumantur.

151. Haec eucharistiae consecratio 1. non est magica quaedam incantatio vi verborum certorum essentialiter transmutans panem in corpus et vinum in sanguinem Christi, sicut sacrificuli Pontificii fingunt, quod propter rasuram et unctionem vi canonis et intentionis in fide ecclesiae ex opere operato conficiant sacramentum et externa symbola in corpus et sanguinem Christi essentialiter convertant. X. 271. Quae et qualis sit ministrorum consecratio. ** Hinc magiae Pontificios Lutherani accusant, non quidem quod aliquo modo verba institutionis a sacerdote recitata causam asserant praesentiae sacramentalis, sed quod ex illorum sententia sacerdos vi et potestate spirituali per sacramentum ordinis animae ipsius data et per characterem indelebilem signata intendens necessario in specie eucharistiam conficere, verbis consecratoriis, quae per modum causae instrumentalis creata quadam virtute consecrationem efficiant, panem in corpus Christi transmutet et convertat, ita ut consecrationis virtus partim sit in sacerdote, partim in verbis consecrationis prolatis.** 2. Nec est historica tantum institutionis repetitio, sicut Calviniani recitationem verborum institutionis parvi faciunt, (Buzerus in c. 26. Matth.) eandemque ad populum saltem dirigendam, nequaquam vero ad externorum symbolorum sanctificationem spectare asserunt (Calv. lib. 4. instit. c. 17. §. 39.) 3. Sed est efficax ἁγιασμός, quo juxta mandatum, ordinationem et institutionem Christi ex prima coena sanctificatio in nostram coenam quasi derivatur et externa elementa ad usum hunc sacrum destinantur, ut cum his corpus et sanguis Christi distribuantur. Non quidem tribuimus recitationi

Digitized by Google

verborum institutionis hanc vim, ut corpus et sanguinem Christi occulta aliqua virtute verbis inhaerente praesentia faciat, (sicut magi sua carmina de Jove Elicio, aut de luna coelo deducenda certis verbis recitant) multo minus, ut externa elementa essentialiter transmutet; sed sincere credimus ac profitemur, quod praesentia corporis et sanguinis Christi a sola voluntate et promissione Christi et a perpetuo durante primae institutionis efficacia in solidum dependeat; interim tamen addimus, primaevae illius institutionis repetitionem a ministro ecclesiae in celebratione eucharistiae factam non solum historicam ac doctrinalem, sed etiam consecratoriam esse, qua juxta ordinationem Christi externa symbola vere et efficaciter ad usum sacrum destinantur, ut in ipsa distributione sint corporis et sanguinis Christi κοινωνία, sicut apostolus diserte loquitur, 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi; poculum benedictionis, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* Ipse Dei Filius verba institutionis semel prolata per os ministri repetit et per ea panem et vinum sanctificat, consecrat et benedicit, ut sint corporis et sanguinis distribuendi media.

Quomodo pii veteres de consecratione loquantur.

152. Inde pii veteres de consecratione eo modo loquuntur, ut et historicam tantummodo repetitionem et Pontificiam transsubstantiationem excludant.
X. 272. Justinus apol. 2. pro Christ. p. 76: *Diaconi distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sint, panem μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου.* p. 77: *Eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus;* quae vero sint illae preces, ibidem docet immediate verba institutionis subjungens. Irenaeus libr. 1. c. 9. p. 44. vocat λόγον ἐπικλήσεως, *sermonem invocationis.* lib. 4. c. 34. p. 263: *Quomodo constabit eis, panem, in quo gratiae sint actae, corpus esse Domini?* lib. 5. c. 4. p. 318: *Quando mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis et sanguinis Christi.* Cyprianus lib. 1. epist. ult. circa med.: *Eucharistia in altari sanctificatur.* Idem (vel quicunque alius auctor) serm. de coena non longe a princ.: *Immortalitatis alimonia datur a communibus cibis differens, corporalis substantiae retinens speciem, sed virtutis divinae invisibili efficientia probans adesse praesentiam. Significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta et filiis Abrahae facientibus opera ejus summus sacerdos panem profert et vinum: Hoc est, inquit, corpus meum. Manducaverant et biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat et vitae corporalis subsidium ministrabat; sed ex quo a Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea et hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis et hac fide actum est, panis iste substantialis et calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit* etc. Ambrosius de iis qui initiantur myster. c. 9. tom. 4. p. 427: *Si tantum voluit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur? nam sacramentum illud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Ibid. *Non hoc est, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.* libr. 4. de sacram. c. 4. tom. 4. p. 439: *Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus, pro ceteris, ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Chrysostomus serm. de proditione Judae tom. 5. p. 85: *Et nunc illi praesto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensae Domini corpus Christi facit et sanguinem, sed ille qui crucifixus pro nobis est, sacerdotis ore verba proferuntur et Dei virtute consecrantur et gratia. Hoc est, ait, corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quae dixit: Crescite et multiplicamini et replete terram,* X. 273. *semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura; ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernam diem et usque ad ejus adventum praestat sacrificio firmitatem.* Idem hom. 51. in Matth. tom. 1. pag. 234: *Nonne Christum per evangelistam loquentem audis? Credite igitur omnes, quia et nunc illa coena celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter hanc et illam. Non enim haec ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur sacerdotem corpus tibi praebere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari.* Idem hom. 83. in Matth. tom. 1. p. 359: *Non sunt haec humanae virtutis opera, quae tunc in illa coena perfecit. Ipse nunc quoque operatur, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat et transmutat, ipse est Christus.* Homil. 24. 1. Cor. 10. fol. 523: ποτήριον εὐλογίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ αὐτὸ μετὰ χεῖρας ἔχοντες οὕτως αὐτὸν ἀνυμνοῦμεν θαυμάζοντες, ἐκπληττόμενοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, εὐλογοῦντες, ὅτι αὐτὸ ἐξέχεεν, ἵνα μὴ μείνωμεν ἐν τῇ πλάνῃ, καὶ οὐ μόνον ἐξέχεεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἡμῖν αὐτοῦ μετέδωκεν. *Apostolus hunc calicem benedictionis vocavit, quod eum habentes in manibus sic eum hymnis et laudibus prosequimur admirantes, ineffabile donum stupentes, benedicentes bonisque verbis prosequentes, quod eum ipsum effudit, ne maneremus in errore, nec solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertivit.* Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 4. circa finem: *Illud corpus Christi et sanguinem dicimus, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum*

Digitized by Google

rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicae passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei etc. (ubi Franciscus Maron. in margine notavit: *Excluditur illa virtus, quam aliqui in verbis sacramentalibus ponunt.)* Idem lib 20. contra Faust. c. 13: *Panis enim et calix certa consecratione mysticus fit, nobis non nascitur, et quod non ita fit, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.* c. Utrum in figura dist. 2. de consecrat. *Reliqua omnia, quae sacerdos dicit aut clerus chori canit, nihil aliud sunt quam laudes aut gratiarum actiones aut certe obsecrationes et fidelium petitiones; sacerdos vero consecraturus assumit verba evangelistarum.* Eusebius Emissenus serm. 5. de pasch. et citatur c. Quia corpus dist. 2. de consecr.: *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit ita dicens: Accipite et edite, hoc est corpus meum; et sanctificatione repetita: Accipite et bibite, hic est sanguis meus.* Damascenus lib. 4. c. 14: *Dixit Dominus, hoc est corpus meum, et hoc facite in meam commemorationem, et omnipotenti ejus praecepto efficitur, donec veniat.*

153. Haec cum ita sint, facile apparet, quid statuendum sit de eo, quod Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 12. Chemnicio tribuit, quod verbis quidem a Calvino in hac quaestione dissentiat, re ipsa autem proxime accedat, id quod §. ult. sic exponit, *Chemnicium verbis quidem admittere, verba Domini esse consecratoria, re ipsa autem non agnoscere ullam veram consecrationem, sed solam instructionem fidei.* Atqui diserte statuit Chemnicius et nos cum eo, verba sacrae coenae non solum ad fidei instructionem, sed etiam ad externorum symbolorum consecrationem adhiberi. Quomodo igitur probat
X. 274. Bellarminus accusationem Chemnicio et nobis intentatam? *1. Quia ipsi non credunt* (inquit), *mutari panem in corpus Christi, ergo non tribuunt verbis efficaciam veram mutandi panem in corpus Domini.* Respondemus: Ostendimus superius, inter mutationem essentialem et adumbrationem significativam dari tertium, videlicet mutationem sacramentalem, proinde quando inter duo opposita datur tertium, a remotione unius non licet progredi ad positionem alterius, sicut Bellarminus hoc loco procedit, ex eo quod non tribuamus verbis sacramentalibus vim convertendi panem in corpus Christi ἀπαιδεύτως colligens, nos statuere, quod verba coenae ad significandam tantum praesentiam corporis Christi cum pane adhibeantur. *2. Sentiunt, corpus Christi esse ubique, ergo verba non faciunt, ut corpus Christi incipiat esse praesens.* Respondemus: distinguenda est omnipraesentia personalis a praesentia sacramentali, ut alibi latius exponitur. *3. Brentius docet, ideo statui ubiquitatem, quia alioqui non potest probari praesentia corporis Domini nisi per efficaciam consecrationis papisticae.* Respondemus: Ostendimus superius, unicum praesentiae sacramentalis fundamentum nos statuere in verbis coenae proprie et κατὰ ῥητὸν acceptis, quando autem adversarii Christum suo corpore hoc praestare posse negant, opponimus ipsis articulum unionis hypostaticae et exaltationis ad dextram Dei, non ut distinctos praesentiae gradus confundamus, sed ut Christo hoc non solum possibile, sed etiam facillimum esse ostendamus. *4. Si Chemnicius veram efficaciam mutandi substantiam panis tribueret verbis sacramentalibus, sine dubio non objiceret Pontificiis magicam incantationem.* Respondemus: efficaciam mutandi substantiam panis nec Chemnicius nec quisquam nostrum verbis sacramentalibus tribuit, ex eo vero nondum sequitur, quod nudam tantummodo significationem illis tribuamus, datur enim tertium, videlicet efficax consecratio et ad usum sacramentalem destinatio. *5. Chemnicius cum explicat, quomodo per verba illa panis fiat corpus Christi, nihil aliud dicit, nisi nos certos reddi per ea verba, distribui in coena Domini verum corpus et verum sanguinem Christi.* Respondemus: imo vero plus dicit, ut ex integro contextu et ex iis, quae hac de re superius dicta sunt, manifestum, sic enim ibidem scribit Chemnicius part. 2. exam. cap. de sacram. euchar. p. 119: *Certum est, sacramentum non esse sine verbo, nullo igitur modo eucharistia potest esse sine adhibitione verbi* etc. *quodsi jam quaeritur, quodnam sit illud verbum benedictionis, quo accedente ad panem et vinum fiat sacramentum corporis et sanguinis Domini, certe hoc extra controversiam est, sicut unumquodque sacramentum habet certum aliquod verbum Dei sibi proprium et peculiare, ita etiam eucharistiam habere certum proprium et peculiare verbum, ipsam scilicet institutionem divinam* etc. p. 121: *Vera igitur consecratio seu benedictio eucharistiae consistit in verbis institutionis Filii Dei, per quam ipse nobis hodie et usque ad finem seculi consecrat et sanctificat panem et vinum, ut illam nominationem, quam natura non habent, ex gratia et virtute divina percipiant, ut sint ipsius corpus et sanguis.* p. 122: *Nulla creatura, sed solus Filius Dei virtute et omnipotentia sua efficere potest, ut panis sit ipsius corpus et vinum ipsius sanguis; illud autem in prima coena efficit per verbum dicens: Hoc est corpus meum. Recitantur igitur in nostra Dominica coena verba institutionis non tantum historice, sed ut ecclesiae ostendatur, Christum ipsum per verbum juxta suum mandatum et promissionem in actione coenae adesse et potentia illius verbi exhibere vescentibus suum corpus et sanguinem. Ipse enim est, qui distribuit, licet per ministrum; ipse est, qui dicit, hoc est corpus meum; ipse est, qui per hoc suum verbum efficax est, ut panis sit corpus et vinum sanguis ipsius.* Haec Dn. Chemnicius.

154. Ut autem Bellarminus intelligat, esse medium ac tertium quoddam inter nudam significationem praesentiae corporis et inter essentialem mutationem externorum symbolorum in corpus et san-

Digitized by Google

guinem Christi, proferimus collationis ergo haec
x. 275. exempla: 1. In praedicatione evangelii minister *legatione fungitur loco Christi* 2. Cor. 5, v. 20. *et homines salvat* 1. Tim. 4, v. 16. nimirum quia evangelium, quod praedicat, *est potentia Dei ad salutem* Rom. 1, v. 16; sic in celebratione eucharistiae minister loco Christi legatione fungitur, qui ipse ibi adest et per ministrum haec verba sonat: *hoc est corpus meum*, *hoc facite*, et per illud verbum suum efficax est. Quemadmodum autem conversio et salus hominum non tribuitur personae ministri, nec externo praedicationis sono, sed quatenus verbum praedicat, per quod Spiritus sanctus efficaciter operatur; ita quoque non minister homo sua consecratione et benedictione panem et vinum facit corpus et sanguinem Christi, sed ipse Christus verbo suo in hac actione adest et institutionis suae verbo, quod per os ministri pronuntiatur, efficit, ut panis sit ipsius corpus et poculum ipsius sanguis, quae sunt verba Chemnicii loco dicto. 2. In absolutione minister non solum declarat et significat, quid fiat, sed absolutio est efficax medium, per quod Christus confert vere poenitentibus quod promisit; nec potestas clavium in nuda significatione consistit, sed annuntiatio illa remissionis peccatorum virtute Spiritus s. efficax est, qui illam offert, applicat et obsignat vere poenitentibus et credentibus; interim manet immotum discrimen inter remissionem Dei et sacerdotis, solus Deus remittit peccata principaliter et αὐτεξουσίως, utens sacerdote tanquam ministro et praecone remissionem hominibus annuntiante, ut ostendimus tract. de poenitentia §. 112. sic minister in celebratione eucharistiae non tantum significat, Christum suo corpore praesentem adesse, sed Christus per os ministri verbum institutionis repetit, per quod externa symbola corporis et sanguinis sui distribuendi organa facit ac per manum ministri panem eucharisticum, qui est κοινωνία corporis, et vinum eucharisticum, quod est κοινωνία sanguinis, distribuit; interim tamen solus Christus divina sua virtute et omnipotentia corporis et sanguinis sui in coena nos participes facit. 3. In baptismo minister non solum significat et declarat, quid fiat, sed per adspersionem aquae verbo Dei sanctificatae factam in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizatus vere et efficaciter regeneratur, renovatur, Spiritu sancto donatur etc. interim tamen nec aqua in virtutem Spiritus transmutatur, nec regeneratio viribus hominis efficitur, sed Deo per ministrum operanti in solidum relinquitur; sic in celebratione eucharistiae minister non tantum significat corporis et sanguinis Christi praesentiam, sed per verbum institutionis ore ministri prolatum et per distributionem externorum symbolorum manu ministri factam Christus vere efficax est et corpus ac sanguinem suum communicantibus distribuit; interim tamen nec externa symbola in corpus et sanguinem Christi transmutantur, nec Christo suus honor et virtus divina, qua sola corpus et sanguinem suum praesentia facit, adimitur. Neque potest Bellarminus hanc collationem eucharistiae cum baptismo improbare, cum ipse eadem utatur lib. 4. de eucharist. c. 13. §. atque haec quidem, sic scribens: *Eadem est ratio baptismi et eucharistiae, ut Chrysostomus docet hom. 2. in 2. ad Tim. et Augustinus c. Utrum dist. 2. de consecrat. At in baptismo id quod sacramentum facit, non sunt humanae preces, quae praecedunt vel sequuntur infusionem aquae, sed illa verba Domini: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quae dicuntur, cum infunditur aqua* etc. *Ergo in eucharistia id quod sacramentum facit, non sunt preces humanae, sed verbum Domini: Hoc est corpus meum, hic est sanguis* etc. Possent denique benedictiones variarum creaturarum olei, salis, aquae etc. in papatu usitatae loco instantiae Bellarmino opponi, quae ex ipsius hypothesi nec sunt nudae significationes nec essentiales creaturam mutationes; sed contenti erimus exemplis ab ipso Spiritu sancto monstratis et analogice huc accommodatis.

155. Ergo nihil habet Bellarminus, quod in nostra de consecratione doctrina jure desiderare possit, nos autem in consecratione Pontificia multa desideramus, utpote 1. quod statuant, *per sacramentum ordinis in anima sacerdotis causari novam* x. 276. *quandam spiritualem potestatem, per quam sacerdos fiat habilis ad conficiendam eucharistiam, ita quidem, ut sine illa nullo modo confici possit.* Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 16. §. secundum principium: *In cujus potestatis perpetuae signum imprimatur character quidam indelebilis.* Idem libr. de sacram. ordinis c. 10. §. Jam vero, de qua spirituali potestate sacramenta conferendi recte scribit libr. 1. de grat. et lib. arbitrio c. 14. §. sed faciles: *Quod sit occulta et potius egeat fide, ut credatur inesse, quam ut ipsa fidem aliis rebus faciat.* 2. *Quod intentionem ministri non solum in genere faciendi, quod facit ecclesia, sed etiam in specie conficiendi eucharistiam requiri ad consecrationem*, docent, Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 27. atque hanc intentionem constituunt causam sacramenti. 3. *Quod verbis consecratoriis tribuant virtutem quandam creatam, quae sit consecrationis effectiva per modum causae instrumentalis.* Thomas part. 3. q. 78. art. 4. unde statuunt, *virtutem consecrationis esse partim in sacerdote, partim in ipsis verbis.* Soncinas 4. sent. dist. 8. et 9. 4. *Quod nondum certi sunt de verbis formalibus consecrationis.* Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 15. vocat hoc *crassissimum mendacium, cum in omnibus missalibus literis magnis et saepe rubris ascribantur verba consecrationis, ut nemo illa ignorare possit.* Atqui summa Angelica in verb. eucharist. membro 1. q. 24. ex Scoto disputat: *Licet alia verba non sint de substantia formae quam illa, hoc est corpus meum, tamen presbyterum dicentem solummodo praefata verba super panem non consecrare, cum de necessitate requiratur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus praefata verba solummodo determinentur ad corpus Christi, sicut*

Quid in consecratione Pontificii desideremus.

Digitized by Google

fit cum dicitur, fiat dilectissimi etc. *aliter nihil fieret, et hoc tene* (inquit), *quamvis aliqui teneant contrarium et male.* Quomodo hoc convenit cum eo, quod Bellarminus hoc loco scribit: *Catholici fatentur, veram esse consecrationem, quae solis verbis institutionis fieret?* Et c. 14. praeced.: *Verba quae simpliciter necessaria sunt ad consecrationem, sunt illa tantum: Hoc est corpus meum et hic est sanguis meus, reliqua omnia etsi dici debeant juxta canonem ab ecclesia institutum et sine peccato omitti non possint, tamen non sunt ita necessaria, ut sine illis consecratio non fieret.* Innocentius III. quaesitus, cum evangelistae non testentur, *Christum hoc dixisse, quod in canone missae habetur, quomodo aliquis asseverare tentaverit, eum plus dixisse quam aliquis evangelistarum asseveret.* c. cum Marthae. extra de celebr. missarum ad traditionem confugit, statuit igitur Christum iisdem verbis usum, quibus in canone missae hodie sacerdos utitur, licet evangelistae hoc non exprimant. Quomodo igitur illa tantummodo verba erunt de substantia formae, quae ab evangelistis sunt descripta? Cumque de forma consecrationis, qua Christus usus est, andabatarum more invicem pugnent, ut vidimus superius §. 129. et 148. quomodo de forma consecrationis a sacerdote usurpatae certi esse poterunt? 5. Quod *solis illis quinque verbis, hoc est enim corpus meum, consecrationem tribuunt,* cum tamen Paulus traditurus Corinthiis, quomodo possent Dominicam coenam celebrare, totam et integram institutionem recitet ac describat. Justinus etiam atque alii veteres facientes mentionem verbi a Christo traditi, quo eucharistia consecretur, referunt se ad descriptionem institutionis, quae apud evangelistas exstet, unde ipse Bellarminus fateri cogitur lib. 4. de eucharist. c. 14. respons. ad 5. argum. *patres per consecrationem interdum accipere totam liturgiam.* Vera igitur eucharistiae consecratio consistit non tantum in quinque illorum verborum prolatione, sed in eo, ut faciamus quod Christus fecit, hoc est ut panem accipiamus, benedicamus, distribuamus ac manducemus juxta Christi institutionem, ordinationem ac mandatum. *Quando institutio recitatur* (inquit Chemnicius) *et non facimus, quod Christus in coena fecit et faciendum jussit, tunc non est consecratio, sed tantum historica recitatio. Quando vero verba recitamus et facimus, quod jussit, tunc verbis illis benedicimus pani et poculo.* 6. Quod *magicam quandam vim*
X. 277. *verbis consecrationis tribuunt.* Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 12. §. Cum igitur: *impium et blasphemum* hoc vocat, sed audiat Bielem, qui lect. 4. in can. missae asserit, *confectionem corporis in sacramento fieri aliqua occulta virtute non insistente ei, a quo fit, sed assistente; secundum quem modum malefici et incantatrices quosdam effectus producere dicuntur et extrahere lac vaccinum de sedibus vel manubriis securium, quod non fit naturali virtute maleficarum neque ex earum merito, sed virtute occulta sive bona sive mala assistente.* Hugo de S. Victore libr. de sacramentis, Innocentius lib. 3. de myst. altaris c. 1. Honorius in gemma animae lib. 1. c. 103. et Jo. Beleth. in ration. de div. offic. c. 44. referunt, *cum publice olim recitaretur canon et ab omnibus per usum sciretur, pastores eum in agro super panem et vinum dixisse, ac tunc repente carnem et sanguinem ante se invenisse atque inde divinitus percussos interiisse, unde usus vocis submissae in canone ortus sit.* 7. Quod *ex traditione consecrationem constare asserunt.* Johannes episcopus Roffensis in defens. regiae assertionis cont. lib. Luth. de capt. Babyl. sic scribit: *Sed prius illud aggrediamur et doceamus, quod citra patrum interpretationem et usum ab eisdem nobis traditum nemo probabit ex ipsis nudis verbis evangelii, sacerdotem quempiam his temporibus veram Christi carnem et sanguinem consecrare.* Ibidem: *Nam etsi Christus ex pane carnem suam et ex vino sanguinem effecerit, non ob id consequitur, virtute alicujus verbi hic positi, quoties id negotii tentaverimus, id ipsum effecturos* etc. *Non potest igitur per ullam Scripturam probari, quod aut laicus, aut sacerdos, quoties id negotii tentaverit, pari modo conficiat ex pane et vino Christi corpus et sanguinem, atque Christus ipse confecit, cum nec istud in Scripturis contineatur.* (Haec si de Pontificia consecratione Roffensis intelligit, verissima sunt, si vero in universum negat, ex Scripturis consecrationem probari posse, opponimus ei mandatum Christi, *hoc facite.*) Bellarminus lib. 4. de euch. c. 14. respons. argum. Chemn. quod ex consecratione panis detracta sint illa verba, *quod pro vobis frangitur vel traditur,* eo confugit, ut dicat, *non posse Romanam missam, in qua haec verba omittuntur, reprehendi, cum liturgia illa sit antiquior, si a sancto Petro prodiit, ut docet Thomas* part. 3. q. 38. art. 2. ad 4. *et ante eum Leo IX. epist. ad Michaelem c. 5. quam evangelium Lucae et epistolae Pauli, qui addiderunt illa verba: quod pro vobis frangitur.* Nimirum hoc est traditiones Scripturae non solum conferre, sed etiam praeferre. 8. Quod *verba institutionis mutilant et aliena eis admiscent.* Mutilant, quia omittunt verba Christi, *quod pro vobis traditur vel frangitur;* aliena eis miscent, nimirum *in sanctas et venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens;* item *ex hoc omnes* (manducate); item *et hunc praeclarum calicem,* item *novi et aeterni testamenti mysterium fidei.* Bellarminus l. d. confugit ad traditionem, *quod haec habeantur in liturgia Jacobi et Clementis, quod a S. Petro ex traditione habeantur;* sed quid de iis veterum liturgiis statuendum sit, suo loco dicetur. Ipse Bellarminus in principio hujus capitis responsurus argumento Graecorum ex liturgia Jacobi et Clementis petito dicit, *fortasse mutatum esse ordinem liturgiarum.* Ac de Petri liturgia dubitanter pronuntiat, *si est a S. Petro.* Concedit etiam, *omnes veterum liturgias variare, nec ullam esse, quae habeat omnia illa verba, quae in Romana liturgia inveniuntur.* Quod

Digitized by Google

Bellarminus addit, *particulas illas non pugnare cum Scripturis*, id libenter concedimus, ideoque earum usum in liturgia non simpliciter improbamus, sed quod ipsis verbis institutionis inserta sint, hoc improbandum esse dicimus.

Qu. 1: An consecrationi addenda sit oratio Dominica.

156. Quaeritur de consecratione: *1. An commonefactiones, preces, gratiarum actiones, praesertim vero orationem Dominicam verbis institutionis ac celebrationi eucharistiae addi improbandum sit.* Respondemus: minime vero, cum et Christus gratias egerit in prima ejusdem administratione, cum Paulus *mortem Domini annuntiare eos jubeat*, qui ex
X. 278. hoc pane manducant et bibunt, 1. Cor. 11, v. 26. Cum Christus non instituerit mutam ceremoniam, cum apostoli in celebratione eucharistiae usi fuerint oratione Dominica teste Gregorio lib. 7. epist 63. Walafrido de rebus eccles. c. 22. Durando lib. 6. ration. c. 77. aliisve compluribus; cum omnes veterum liturgiae exhortationum et precum mentionem faciant; cum baptismi administrationi commonefactiones, preces et gratiarum actiones conjungantur; denique cum ad aedificationem communicantium, videlicet ad salutarem praeparationem et sumtionem istaec faciant. Quibus autem verbis illae commonefactiones, preces et gratiarum actiones concipiendae sint, non est a Christo vel apostolis diserte expressum, ac proinde in ecclesiae libertate relictum.

Qu. 2: An formatio figurae crucis super panem et calicem improbanda sit.

2. An formatio figurae crucis super panem et calicem improbanda sit? Respondemus: Est haec ceremonia adiaphora, si ut signum benedictionis et consecrationis usurpetur, nequaquam vero vis aliqua spiritualis ei tribuatur. Durandus lib. 4. ration. div. offic. c. 41. num. 14. *sacerdotem* dicit *exemplo Christi panem et calicem per se crucis signaculo benedicere, quae duae cruces innuant tempus coenae et tempus gratiae, in quo duo parietes in lapide angulari conjunguntur, vel quod gigas geminae substantiae crucifigitur.* Sed usus signi crucis a Christo adhibiti est incertus et hae significationes sunt alienae. Rectius statuitur, formationem crucis esse externum signum benedictionis et consecrationis, memoriam renovans crucis Christi, hoc est passionis Christi in cruce, quae est fons omnis benedictionis, sicut impositio manuum in absolutione et ordinatione ecclesiastica externi cujusdam signi loco usurpatur. Patriarcha Jacobus benedicens filiis Josephi, Ephraim et Manasse, manus decussatim in modum crucis eis imponit, Genes. 48, v. 14. LXX reddiderunt ἐναλλάξας τὰς χεῖρας. Justinus q. 118. *Dextra potius quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus* (quamvis eruditi judicent, has quaestiones non esse Justini); Chrysostomus in 1. Tim. 4. super verba: *Omnis creatura Dei bona* docet, *signum crucis ad gratiarum actiones et benedictionem adhiberi posse.* Idem homil. 55. in Matth. et Augustinus tract. 118. in Johan. mentionem faciunt signi crucis in celebratione eucharistiae olim usitati.

CAPUT XIV.

DE FRACTIONE PANIS. X. 279.

Fractio est actus ministerialis et praeparatorius.

157. Post benedictionem panis in prima coenae parte sequitur fractio, quam fuisse actum praeparatorium et ministerialem distributioni inservientem, nequaquam vero peculiarem quendam actum sacramentalem essentialem, qualis est benedictio, distributio et manducatio, statuimus hisce nixi fundamentis. 1. Christus usus est fractione panis vel propter significationem quandam sacramentalem, puta repraesentationem passionis, vel propter distributionem. Prius dici nequit propter causas evidentes, quas paulo post explicabimus. Relinquitur igitur posterius, quod scilicet tantum propter distributionem Christus usus sit fractione. Aretius part. 1. problem. 82. p. 998: *Fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi tam in convictu, quam in aliis eleemosynis; ratio videtur esse, quod Hebraei semper sint usi panibus latis et minus crassis, qui commodius frangerentur, quam scinderentur.* Idem testatur Baronius tom. 1. annalium p. 702. 703. *Judaeis, qui non ita spissis ut nos, sed latis et minus crassis panibus utebantur, mos fuit sumtionem cibi non a panis scissione, sed fractione inchoare*, scribit Bucanus loco 48. instit. q. 1. Adhibuit ergo Christus fractionem propter distributionem ac proinde satisfit institutioni Christi, si panis eucharisticus distribuatur, neque quidquam interest, sive fractio illa panis ante administrationem coenae, sive in ipsa administratione adhibeatur, cum utroque modo finis ejus, videlicet distributio, obtineri possit. Breviter necessitas fractionis urgetur vel propter distributionem, vel propter repraesentationem. Posterius dici nequit, uti postea demonstrabitur. Relinquitur ergo prius, qua ratione neglectae fractionis accusari non possumus, cum placentulae illae orbiculares, quibus in administratione coenae utimur, nihil aliud sint quam massa in plures partes fracta ac divisa, ut distributioni sit apta. Temporis circumstantia fractioni nostrae nihil derogat, cum tota coena alio tempore quam quo a Christo instituta est, vespertino scilicet celebretur. Quemadmodum non est necesse, ut in ipsa administratione coenae vinum dividatur in certos calices et effundatur, cum sine tali effusione possit fieri distributio inter communicantes; ita quoque non est necesse, ut in ipsa administratione coenae panis frangatur, cum sine tali fractione possit fieri distributio panis eucharistici. 2. In sacramentorum administratione distinguenda est δόσις καὶ λῆψις, a modo δόσεως καὶ λήψεως. Δόσις semper est necessaria, uti etiam λῆψις, pertinet enim ad formam cujusque sacramenti; sed modus δόσεως ac λήψεως libertati ecclesiae relictus est. Agnoscit hoc ipse Beza epist. 2. ad Th. Tilium. *Ipsa sumtio* (inquit), *non autem modus sumendi praescribitur.* Sic in baptismo ablutio est necessaria, an vero ablutio illa

Digitized by Google

fiat adspersione, sive immersione, ecclesiae libertati est relictum. Sic manducatio panis benedicti in eucharistia est necessaria, an vero panis benedictus a ministro ecclesiae ori vel manui communicantium detur, nihil interest, modo fiat manducatio. Olim dabatur eucharistia fidelibus in manus teste Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 7. hist. eccles. c. 8. Cypriano serm. 1. de lapsis etc. hodie vero ori admovetur. Pari ratione distributio panis benedicti in coena est necessaria, an vero fractio, seu comminutio panis distributionem praecedens eique serviens fiat in ipsa coenae administratione, an vero ante eam, parum omnino refert. 3. Cuicunque ceremoniae per se liberae et adiaphorae affingitur necessitas sine verbo et finis alienus, illa recipi non debet, quia periclitatur libertas Christiana et introducitur cultus divinus sine certo verbo ac mandato. Fractioni panis, quae sua natura est ceremonia libera et *ἀδιάφορος*, affingitur ab adversariis simplex et absoluta quaedam necessitas eidemque affingitur finis alienus, videlicet repraesentare passionem Christi; ergo fractio illa panis recipi non debet.

I. 280. Antithesis Calvinianorum. 158. Nostro hoc seculo Calviniani gravissimas de fractione panis excitarunt controversias; statuunt enim, eam simpliciter et absolute esse necessariam, et quidem eo fine, ut repraesentet fractionem corporis Christi in cruce factam, ut notum est ex publicis scriptis. Notandum vero 1. non esse quaestionem de *ἀρτοκλασίᾳ* in se ac per se; sed de *ἀρτοκλασίᾳ* cum opinione necessitatis ac repraesentationis ab adversariis obtrusa. 2. Per *ἀρτοκλασίαν* illam, quam adversarii urgent, sacram coenam transferri in actionem toto genere diversam, quam est a Christo instituta, siquidem ex institutione Christi panis est medium et organum, per quod manducantibus in sacra coena distribuatur corpus Christi; sed adversarii statuunt, panem esse signum, quod significet ac repraesentet corpus absens, sicut fractio panis significet corporis crucifixionem. Non potuit hoc dissimulare Paraeus in lib. Germ. de fract. panis edito Ambergae anno 1598. sic scribens, *panis fractione idololatricam et falsam opinionem de praesentia corporis Christi in aut sub pane et de orali manducatione omnium potentissime elidi et ex animis simpliciorum ejici*, ex quo apparet, quod per latus *ἀρτοκλασίας*, qualis ab adversariis urgetur, petatur jugulum sanae doctrinae de coena. 3. Adversarios nondum omnes in simplicem et absolutam fractionis in ipsa coenae administratione adhibendae necessitatem consentire. Beza epist. 2. vol. 3. pag. 169: *Coena tamen est, si praecipua et mere substantialia conserventur, etiamsi singulis offulae in os ingerantur, licet fractio omittatur*. in lib. qq. et resp. q. 194: *Perinde est, sive unam aliquam massam in multas particulas in ipsa actione frangas, sive panes minutos et rotundos jam ante ratione massae distinctos distribuas.* ** Verba Bezae in part. ult. qq. et resp. q. 194. p. 101. sunt: *De fractione vero quid sentis? ejus praeteritionem, quoniam non ad ipsam sacramenti confectionem pertinet, actum ipsum non vitiare, sicut naevus in facie formosa venustatem quidem laedit, sed formam tamen ipsam non abolet.* ** Zanchius lib. 1. epistolarum fol. 329: *In fractione substantia cultus divini coenae Dominicae non consistit.* Conf. p. 233. et lib. 2. pag. 1788. Ibid.: *Video quidem, quid fecerit ipse Christus, quid et apostoli, nec ignoro, sequenda esse Christi exempla, sed apertum hac de re mandatum non lego, sicut lego, porrectum panem esse accipiendum et edendum. Sed fac et illud de fractione esse praeceptum, quomodo tamen demonstrabis, Christi mandatum esse, ut frangatur panis in mensa coram toto coetu, non autem satis esse, si fractus et divisus in mensa afferatur?* f. 250: *Certe ad hoc ut distribuatur perinde est, si vel extra mensam vel in mensa frangatur, quanquam ad repraesentandam Christi passionem non ita se res habeat. Est enim ille prior usus per se necessarius, quia edi non potest a multis panis ille nisi fractus, alter vero non ita necessarius, ut substantiam coenae omissus tollat et ut sine ipso celebrari illa non queat.* Vide ibid. in hanc sententiam plura. In ecclesia Basiliensi, quae Calvinianam de coena sententiam amplectitur, ritus fractionis nondum viget. ** *In quibusdam Helvetiae locis fractio locum non habet*, uti refert Cudsem. in desperata Calvini causa p. 110. Omittitur fractio in ecclesia Basiliensi et Bernensi referente Hubero in seiner Antwort auf der fünf Eidgenössischen Theologen Gegenbericht p. 139. 163. 164. in Anglia referente Zanchio lib. 1. epist. pag. 233. D. Joh. Crocius, unerachtet er viel von Nothwendigkeit des Brodbrechens disputiret, gestehet, das Abendmahl bleibe auch ohne dasselbe ein Abendmahl, und seien die Kirchen, so diese Ceremonien unterlassen, nicht zu verdammen, in consid. triad. syllog. D. Affelm. c. 7. p. 140. c. 8. p. 163. 174. Steinius part. 3. der Brüderschaft p. 300. er zählet unter die Ceremonien, um deren Ungleichheit willen kein Theil das andere zu verdammen habe, die Bilder und Crucifix, den Exorcismum, die Weibertaufe, Beichte und Absolution, Oblaten, Unterlassung des Brodbrechens, Altar. ** 4. Illos, qui fractionis necessitatem propter repraesentationem urgent, ne quidem omnes inter se convenire. I. 281.
Dn. D. Mentzerus dissensiones illorum hoc ordine enumerat: 1. Quidam statuunt, unum panem integrum requiri, qui in tot comminuatur fragmenta, quot sunt communicantes; alii plures partes admittunt minores, modo ne integri dentur communicantibus, sed in particulas prius dividantur. 2. Quidam volunt panem digitis comminuendum, non cultro scindendum, Anat. Marp. p. 90. 3. Alii ante administrationem sacramentalem scindunt cultro in portiones longiusculas, quas postea frangunt et porrigunt comedentibus. 4. Hanc unius panis in plures partes comminutionem alii dicunt esse de ipsa sacrae coenae ratione et essentia, nempe forma, ut Bucanus, Piscator, Cassellani in antiq. fid. Cattorum p. 108. Beumlerus contra synopsin f. 302. fractio-

Digitized by Google

nem panis articulo de resurrect. mortuorum et de officio Christi aequiparat. Angelocrator in Abweisen lit. B. 4: *Fractio panis est pars essentialis et forma interna coenae Dominicae.* Alii negant, pertinere ad essentiam, sed vocant partem integrantem, ut Paraeus, Cassellani in responsione, Anatomia Marpurg. et Goclenius, et alii quidem dicunt, esse partem principalem et summe necessariam, ut Anatomia p. 9. 11. 28. alii partem minus principalem, ut Goclenius. Rursum alii vocant ritum necessarium, quos ipsos etiam defendi posse putat Goclenius. Beza eam confert venustati faciei, cui opposuit omissionem fractionis tanquam aliquem naevum in facie, cui subscribit Anatom. Marpug. p. 131. 5. Alii sine hac fractione dicunt coenam esse non
X. 282. posse, ut Piscator. Alii esse quidem veram coenam, sed non integram, verum mutilam, ut Goclenius, Anatomia, Cassellani; unde dicunt, similem esse coenam illam homini aure, pede, manu vel brachio carenti, ut Marpurgenses et Cassellani; alii diminuto thalero, ut pastor Hasungensis; alii literis vel sigillo, in quo fit rimula vel parva fissura, Antiq. fid. Cattorum p. 106. (Atqui si ἀρτοκλασία ad formam sacrae coenae pertinet, tunc sine fractione coena non solum erit manca et mutila, sed plane nulla, quia forma nec divisionem, nec intensionem, nec remissionem recipit, cum non sit quanta, sed ἐν ἀτόμῳ consistat. Vide Dn. Meisnerum part. 2. sobr. philos. sect. 4. c. 3. quaest. 2. et c. 4. quaest. 2. Hesselbein. antidot. 1.) 6. Hanc fractionem panis quidam negant inservire distributioni inter communicantes; Anatom. Marpurg. vocat fallaciam non causae ut causa p. 63. sed praefigurationi sive adumbrationi fractionis corporis Christi in cruce. Alii vero finem illius fractionis et distributionem et repraesentationem constituunt. 7. Quia vero corpus Christi non est in partes fractum Joh. 19, v. 33. ideo in applicatione analogiae sacramentalis non consentiunt. Fractionem corporis Anatomia intelligit proprie p. 165. unde fractionem in Christi corpore factam esse demonstrare cupiunt ex Joh. 2, v. 19. atqui in Graeco est λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *solvite templum hoc*, non autem frangite. Neque est quod ad Germanicam D. Lutheri versionem provocent, ea enim sequitur idiotismum nostrae linguae, quae vix admittit aliam voculam. Reliqui vero metaphorice, ut Bucanus loc. 48. p. 677. Vorstius part. 2. Antipist. loc. 5. c. 8. quos ridet Anatomia et metaphoram explodit. Quamvis metaphorice loquendo corpus Christi fractum sit, tamen cum fractio proprie dicta in Christi corpore locum non habeat, quod agnoscunt Bucanus et Vorstius, ideo non potest habere locum analogia illa significativa, qua fractio panis fingitur significare fractionem corporis, ad hoc enim necessario requireretur proprie dicta fractio, siquidem repraesentatio est alicujus rei gestae per aliam ad vivum expressio. Eadem negat, analogiam consistere in comminutione in partes p. 162. Alii sic applicant: ut panis frangitur proprie, ita corpus Christi fractum est suo modo, Piscator. Sed hoc nimis generale est; alii hoc modo: ut panis frangitur in partes, ita anima Christi divisa est a corpore. Vide Schoenfeldii, Palatini, Antiq. fides Catt. Joh. Munsterus im Bericht, Hellopaeus de re sacrament. p. 191. etc. Atqui separatio animae et corporis cum dolore conjuncta non est proprie dicta fractio. Quis enim unquam dixerit, hominem frangi, quando moritur? si animae a corpore in morte separatio est fractio seu solutio continui violente facta, ergo corpus et anima sunt unum continuum, ergo quantum, ergo accidens, ergo anima et corpus erunt unum per accidens. Adde quod hac ratione pars una fracti panis animam, pars altera corpus Christi denotaret, ut signo signatum responderet et sic in duas solum partes panis frangendus fuerit. Si idcirco de corpore Christi dicitur fractio, quia ab eo anima naturaliter recessit, ergo pariter poterit fractio de sanguine dici, quia a sanguine quoque anima naturaliter recessit. Sed consequens est absurdum. Ergo et antecedens. Alii aliter; ut panis frangitur, ita corpus Christi patitur, vulneratur, moritur, Cassellani, Anatomia, Pincierus; at hac ratione, ut illustris pateat similitudo, panis erit perforandus, non frangendus. Vulnera in latere, manibus ac pedibus Christi etsi fuerunt aliqua continui solutio violente facta, non tamen fuerunt proprie dicta fractio, hoc est corporis continui in particulas a toto separatas divisio, quia corpus Christi semper unum mansit, quatenus est corpus. Urgemus igitur, quod Johannes plane negat fractionem in Christi corpore factam, quomodo ergo repraesentatio fractionis habebit locum? Rennecherus in Psalm. 1. p. 376. edit. Franc. fractione panis ipsam Christi pro nobis satisfactionem notari scribit et in ea analogiae tertium collocat. Atqui haec comparatio nec ullo Scripturae dicto, nec ulla ratione, nec ecclesiae testimonio nititur. 7. Quia urgentur, ut in altera etiam coenae parte repraesentativam illam analogiam demonstrent, ideo varia quaerunt subterfugia. Schoenfeldius analogiam quaerit in eo, quod benedictum vinum seorsim in coena X. 283.
detur. Quis vero unquam tam acutus fuit, ut divinare potuerit, effusionem sanguinis per hoc notari, si panis seorsim edatur et vinum seorsim bibatur. Pistangelus dicit, calicem ex alto infundendum esse, ut effusio illa sanguinis significetur. Atqui vinum eucharisticum in ipsa hujus sacramenti administratione a Christo effusum esse nuspiam legitur, quin imo calicem, in quo erat genimen vitis, accepisse dicitur, quomodo ergo repraesentativa effusio locum habebit? Alii dicunt, per infusionem calicis in ora communicantium eam notari, Casselani, Anatomia, Goclenius, Chrastovius de cerem. missae pag. 20. Quis vero unquam dixit, bibitionem vini esse ejusdem effusionem? quomodo igitur bibitio vini notare potest effusionem sanguinis Christi? Quando e calice bibitur, vinum non effunditur, sed in ora infunditur, ut interim nihil dicam de eo, quod apud Calvinianos calix in manus communicantibus detur.

Digitized by Google

Argumenta contra repraesentativam fractionem.

159. Nos fractioni repraesentativae opponimus haec fundamenta: 1. Quod destituatur mandato divino. Nullo Scripturae apice monstrari potest, Christum hoc fine panem eucharisticum fregisse vel a nobis panem illum hoc fine frangi praecepisse, ut fractio corporis Christi per eam repraesentetur. Ivellus episcopus Calvinianus art. 11. cont. Hardingum multis patrum testimoniis in medium adductis tandem concludit, sacramentum in partes divisum esse, non ut nova mysteria indicaret, sed ut populus communicaret. 2. Quod repugnet naturae N. T. Figurae et typi pertinent ad V. T., quod fuit tempus umbrarum hodie in N. T. non amplius habemus panes propositionis typicos. Officium panis eucharistici non est significare, praefigurare et adumbrare, sed docente apostolo 1. Cor. 10, v. 16. esse *κοινωνίαν*, medium atque organum exhibendi ac distribuendi corporis Christi. Ergo etiam fractionis finis est non repraesentare crucifixionem Christi, sed inservire distributioni corporis Christi, quod pro nobis in ara crucis traditum. Si fractio panis vi verborum institutionis significat passionem Christi in cruce, eandem quoque significavit in prima coena. At ibi non significavit passionem Christi in cruce, quia corpus tum adhuc erat frangendum, non autem fractum. Ergo nec nunc significat. Respondeant vero nobis adversarii, qua fronte contendant, imagines rerum sacrarum in templis Christianorum non esse habendas, quia morali lege cautum sit, ne habeantur, atque interim in sacramento coenae externas passionis et mortis Christi imagines constituant. 3. Quod repugnet ipsi typo, propter quem adhiberi jubetur. Nam corpus Christi non est fractum in cruce Joh. 19, v. 36. sed repraesentativa illa panis fractio praesupponit fractionem in Christi corpore; unde sic argumentamur: Quod de pane affirmatur, de corpore autem Christi negatur, in eo non potest sacramentalis analogia consistere. Atqui fractio de pane affirmatur, de corpore autem Christi negatur. Ergo in ea non potest analogia sacramentalis consistere. Analogia est comparatio habentium *λόγον* non simpliciter eundem, sed similem. Ubi vero in hac comparatione est *λόγος* similis, quando in *προτάσει* affirmatur, quod in *ἀποδόσει* negatur? Huc pertinet typus agni paschalis, qui ideo frangi prohibitus, ut typus responderet antitypo, unde sic inferimus: Contradictoria de uno eodemque simul affirmari non possunt. Agnus paschalis fuit typus, non esse frangendum Christi corpus, Joh. 19, v. 36. Exod. 12, v. 46. Ergo fractio panis non potest esse typus repraesentans fractionem corporis, alias de corpore Christi praedicarentur contradictoria, videlicet frangi et non frangi. 4. Quod repugnet institutioni sacrae coenae. Praeterquam enim quod forma sacrae coenae nequaquam in significativa quadam repraesentatione, sed in benedicti panis ac mediante eo corporis Christi manducatione et in benedicti vini ac mediante eo sanguinis Christi bibitione consistit; ac quod coena instituta sit, non ut mortem Domini frangendo panem repraesentemus, sed ut illam, corpus ejus edendo et sanguinem ejus bibendo, annuntiemus 1. Cor. 11, v. 26. Urgemus insuper hoc argumentum: Si fractio panis in prima parte coenae est necessaria propter designandam fractionem corporis Christi, utique etiam effusio vini in parte coenae altera necessaria erit, propter designandam effusionem sanguinis Christi. Sed posterius dici nequit, cum de repraesentativa vini eucharistici effusione altum in verbis institutionis sit silentium. Ergo nec posterius asseri debet. 5. Quod repugnet fini institutionis. Si Christus hoc fine instituisset sacram coenam, ut per fractionem panis repraesentaretur fractio corporis et per bibitionem vini repraesentaretur effusio sui sanguinis, utique in locum typi clarissimi obscurum et minus perspicuum typum instituisset. Ecquis enim non videt, mactationem, assationem et manducationem agni paschalis ac sanguinis effusionem longe clarius repraesentasse ea, quae in corpore et sanguine Christi contigerunt, quam panis manducationem et vini bibitionem in sacra coena? Posterius autem dici nequit, cum repugnet sapientiae et intentioni Christi. Ergo nec prius locum habet. ** Finis fractionis, qui invertit ipsum veritatis ordinem, est alienus. At talis est finis fractionis panis analogicus. Ergo. Minor probatur, quia typorum Christum praefigurantium seu figurarum ceremonialium terminus ad quem est Christus, in quo implentur, fractionis autem panis, prout a Calvinianis describitur, terminus non est ipse Christus, sed panis, quod exinde probatur, quia quando asserunt, respectu ceremoniae hujus scilicet fractionis dicere Paulum, Christi corpus esse fractum, etiamsi proprie non sit fractum, nihil aliud dicunt, nisi quod ob analogiam sacramentalem de corpore Christi fractio praedicatur metaphorice, quia panis corporis signum frangatur, et sic terminat fractionem in typo, in pane, evertit naturam typi et ab antitypo, Christo, ad typum panem contra typorum naturam regreditur. Quod Calviniani per imagines in templis repraesentari nolunt, ipsi in sacra coena per externas actiones, per fractionem scilicet panis et infusionem vini in poculum, repraesentant, adeoque ipsi mandatum praevaricantur, quo toties imagines ex nostris templis ejicere conati sunt.** 6. Quod sapiat papismum. Pontificii itidem non propter distributionem, sed propter mysticam significationem panem frangunt. Sergius c. Triforme de consecr. dist. 2: *Triforme est corpus Domini. Pars oblata in calicem missa corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat; pars comesta ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad missae finem remanens corpus in sepulcro, quod usque ad finem seculi corpora sanctorum in sepulcris erunt.* Ubi glossa addit: *Hoc hodie non servatur, sed duae partes siccae comeduntur, prima sicca pro animabus sanctorum ad laudem Dei, altera sicca pro illis, qui sunt in purgatorio, tertia cum sanguine pro illis, qui sunt in peccato viventes.* Durandus lib. 4. ration. div. officiorum cap. 51. num. 20: *Quare fiunt tres partes? ad quod dicen-*

X. 284.

Digitized by Google

dum est, quod frangitur in tres partes. Primo in memoriam Trinitatis; secundo in memoriam triplicis status Christi. Primus fuit in hominibus manens, secundus fuit mortuus in sepulcro jacens, tertius est immortalis in coelo existens. Tertio vero in memoriam et signum, quod Christus passus fuit in triplice parte sui, id est in pedibus, in manibus et in latere. Quarto in signum, quod tres sunt partes mystici corporis, prima est in coelo sive in patria, scilicet ecclesia triumphans; secunda est in terra, scilicet ecclesia militans; tertia est in purgatorio et haec dicitur purgans. Quinto in typum trium personarum euntium in Emaus, scilicet Christi et Cleophae et ut quidam volunt Lucae. Bellarminus lib. 1. de missa cap. 27. §. Porro: *Fractio sine dubio non habet Dominum auctorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit vel ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim a consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem multis aliis actionibus interjectis et non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum.* Vide Bonaventuram 4. sent. dist. 12. num. 46. lit. L. Alexandrum de Ales part. 4. qu. 42. membr. 2. Godscalcum Holem. serm. 40. aestival. lit. M. Ludolphum de Saxon. in vita Christi p. 197. etc.

X. 285. 7. Quod Photinianismo serviat. Catech. Racov. major c. 3. p. 223: *Simplex et verus verborum Christi sensus est hic, ac si dixisset: Opus fractionis et manducationis panis est annuntiatio et velut repraesentatio ejus, quod accidet meo corpori, ac infusio et bibitio vini est annuntiatio et velut repraesentatio ejus, quod accidet meo sanguini, aut ut simul apostoli verba interpretemur* 1. Cor. 11, v. 25. *bibitio ex calice est annuntiatio immensi amoris Dei, quem in novo foedere nobis obtulit, qui per mortem Christi confirmatus est.* Ostorodus in instit. Germ. c. 38. p. 34: *Dicimus, quod Christus propter nullam aliam causam panem corpus suum et vinum sanguinem suum appellaverit, quam quod quatenus panis frangitur et comeditur, vinum autem, quatenus in calicem effunditur et bibitur, corporis sui pro nobis fracti et sanguinis sui pro nobis effusi figura et expressa imago sit, quando mortis Domini recordamur.* Vide plura contra repraesentativam fractionem tom. 1. disp. Gissens. disp. 7. thesi 7. et seqq.

Argumenta Calvinianorum pro necessitate fractionis, 1. a Christi facto.

160. Argumenta, quae pro necessitate fractionis proferunt, potiora haec sunt: *1. Christus fregit et dixit: Hoc facite. Ergo fractio propter mandatum Christi est necessaria.* Respondemus: 1. Non de fractione simpliciter, sed de repraesentativa fractione invicem disceptatur. Christum fregisse panem concedimus, fregisse autem hoc fine, ut fractionem sui corporis repraesentaret, negamus, fregit enim propter distributionem, ut quidam ex ipsis adversariis agnoscunt. Wolfg. Musculus in locis comm. de coena Domini p. 321: *Christus fregit panem gratia dividendi et hoc illi consuetum erat.* Item: *Fractionis hujus mischpat et finis est communicatio.* in 1. Cor. 11, v. 24: *Ut panis dum frangitur, pro illis frangitur, quibus ad edendum distribuitur, propterea quod nisi frangatur, distribui et edi nequit; sic corpus Domini panis vivus de coelo missus, ut cibus noster fieret, in cruce pro nobis est fractum, id est occisum.* Ramus in theol.: *Christus fregit propter distributionem.* Aretius lect. 4. de coena: *Accipit, gratias agit, frangit, quae omnia de more patrio sunt sumta, nam in agni paschalis esu senior illa facere solet, accipit panem, adjunctis precibus benedicit et distribuit.* Item: *Fractio distributioni inserviebat.* ** Idem Aretius part. 1. probl. 82: *Fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi tam in convictu, quam in eleemosynis. Ratio videtur esse, quod Hebraei semper sint usi panibus latis et minus crassis, qui commodius frangerentur quam scinderentur.* ** 2. Magna igitur diversitas est inter fractionem Christi et inter fractionem, quam urgent adversarii; Christus panis fractione pro re nata usus est, quia ipsi tum non erat in promtu panis ad distributionem jam ante praeparatus. Atqui talis necessitatis non incumbit adversariis, potest enim commodius ante coenae administrationem panis praeparari ad distributionem. Christus fregit panem absque omni solennitate more usitato et consueto. Atqui fractio panis cum singulari quadam solennitate ab adversariis celebrari jubetur tanquam actus quidam sacramentalis et mysticus. ** Pelargus adhuc orthod. in notis ad Candid. p. 46: *Christi modum in fractione jubes observare, sed nec ipse jussit testibus Aretio, Piscatore et aliis vestris, nec modum, quem Aretius patrium, hoc est Judaicum, fuisse ait, praescripsit. Vere quidem fregit panem, at non idcirco vestro, sed vel peculiari aliquo, ut nonnullis visum, vel juxta Aretium patrio more sive Judaico.* ** Christus fregit panem propter distributionem; adversarii frangunt ad repraesentandam corporis Christi fractionem. Christus non videtur panem integrum in sacra coena fregisse, sicut fit in ipsorum ecclesiis, sed fragmenta panum, quae in mensa jacebant residua et jam antea in altera coena comminuta, adhibuisse, cum instituerit coenam, ἐσθιόντων αὐτῶν. Denique ex Christi exemplo colligitur tantum τὸ ὅτι, non autem τὸ ποῖον, et ipso X. 286.
Calvino teste in comm. conc. evangel. p. 334: *Adhuc incertum est, quinam fractionis ritus et ad quem modum a Christo fuerit servatus.* Modus ἀρτοκλασίας illius a nullo evangelistarum fuit explicatus, quod omnino fieri oportuisset, si exemplum Christi necessario foret imitatione exprimendum, vel si quid mysterii in illa fractione latitasset. Inter hasce diversitates fractionis a Christo usurpatae et ab adversariis nobis obtrusae eminet ea, quod Christus propter distributionem fregerit, adversarii autem propter repraesentationem passionis frangant. Quare cum actiones varientur ex fine, frustra urgetur exemplum Christi, nisi etiam probetur, Christum propter repraesentationem fregisse. 3. Mandatum Christi, *Hoc facite*, referendum est praecipue ad ea, quae apostoli in ea actione praestabant, puta

quod jubente Domino panem benedictum edebant et ex calice benedicto bibebant; unde sic inferimus: Quodcunque apostoli in prima coena fecerunt, id Christus eos facere jussit illis verbis, *hoc facite.* Jam vero apostoli utpote obsequentes mandato Christi in prima coena non fregerunt panem, sed benedictum panem, qui est communicatio corporis Christi, manducarunt et ex benedicto calice, qui est communicatio sanguinis Christi, biberunt. Ergo mandatum Christi, *hoc facite*, non ad fractionem proprie ac praecipue, sed ad manducationem ac bibitionem pertinet. Eodem modo exponit Paulus 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducaveritis hunc panem et biberitis ex hoc calice, mortem Domini annuntiabitis*, in quem locum sic scribit Piscator: *Sequentibus verbis apostolus explicat verba Christi dicentis: Hoc facite in mei commemorationem.* In scholiis ad v. 24: *Hoc facite, id est hujusmodi panem edite.* Aretius lect. 4. de coena: *Alii ad omnia superiora referunt, hoc facite; sed non est satis concinna interpretatio.* Item: *Nec ad fractionem nos hic ligare voluit.* ** Verba Aretii integra sic habent: *Alii ad omnia superiora referunt, hoc facite; quid? quod me vidistis facere. Accipite sic et frangite atque inter vos distribuite. Sed non satis concinna est interpretatio, nam in altera sacramenti parte quoque repetit: hoc facite, cum tamen ad fractionem non possit referri, ideoque simplicior et verior est sententia, ut facite ad suum copulatum referamus. Hoc facite, id est coenam celebrate in mei commemorationem. Sententia enim Domini est, non in alterius nomine hunc ritum esse repetendum, sed in salvatoris Christi solum nomine, nec ad fractionem voluit nos hic ligare.* ** Zanchius lib. 1. epistolarum fol. 238: *Quod quidam praeceptam esse volunt fractionem propter haec verba hoc facite, meo judicio falluntur, tum quia liquet, mandatum hoc de fine non ad factum Christi, fregit, sed ad superius mandatum de accipiendo et edendo pane referendum esse; tum etiam quia sequeretur, male fieri a nostris ministris, quod soli frangant panem, cum mandatum hoc, si de frangendo etiam pane intelligatur, non ad ipsos solos, sed ad omnes fideles referatur, quibus etiam omnibus dixerat prius: Accipite, edite.* Libell. Cass. de coena lit. E. *Verbum fregit* accenset verbis non προσταχτικοῖς, sed περιστατικοῖς, quae non sint obligatoria verbisque mandati aequiparanda. **Piscator in c. 26. Matth. p. 773: *Hoc facite in mei commemorationem, id est hunc panem edite, ut mei recordantes mortem meam annuntietis etc. In hunc sensum verba ista exponit apostolus 1. Cor. 11, v. 26. Et sane ipsa verborum consequentia hunc sensum per se gignit, quantum quidem attinet ad verba illa hoc facite. Proxime enim praecessit accipite, edite.* ibid.: *Falsa est propositio, quod Dominus illis verbis jussit facere, quod ipse fecerat.* p. 772. Idem in Matth. p. 759: *Cur illud mandatum, hoc facite, debeat referri ad ea tantum, quae Dominus discipulis tum imperavit, nempe ut panem illum ac poculum acciperent, ederent et biberent, non autem ad actiones benedicendi, frangendi et porrigendi a Domino tunc administratas ratio haec est, quod distinctas oportet esse actiones ministri et communicantium, nec actiones ministri ad communicantes pertinent. In prima autem illa coena ministrum agit solus Dominus, apostoli vero communicantes.* ** 4. Si mandatum Christi transferre velimus ad ea, quae Christus in hac actione fecit, necessario distinguendum inter X. 287. adiaphora et necessaria, inter ceremonialia et sacramentalia. Quemadmodum enim ex eo, quod Christus scribitur discubuisse, coenam celebrasse in diversorio et quidem vesperi, nequaquam licet colligere, idem nobis necessario faciendum esse; ita quoque res sese habet in fractione. ** Lutherus part. 1. cont. coelest. prophetas: Soll das gelten, daß man so steif dem Exempel Christi soll folgen, und nicht dem Wort allein, so will folgen, daß wir das Abendmahl nirgend müßten haben denn zu Jerusalem im gepflasterten Saal, denn so wir die äußerlichen Gebote so streng müssen halten, müssen auch die äußersten Stätte und Personen streng gehalten werden, und will dahin kommen, daß das Abendmahl allein den Jungen zu halten gewesen sei, welchen er es allein dazumal befahl und zusprach, ꝛc.** 5. Ex quo intelligitur, quid respondendum sit argumento, quomodo illud format Paraeus lib. de fract. panis f. 161: *Si benedictio est actus sacramentalis, etiam fractio erit actus sacramentalis, quia fractio sequitur εὐλογίαν et praecedit distributionem.* Respondemus: fractio non interponitur ut actus sacramentalis peculiaris, sed ut actus ministeralis ob distributionem requisitus, ergo εὐλογίας et fractionis, item fractionis et distributionis est dispar ratio.

2. Ab apostolorum exemplo.

161. *2. Ritus fractionis in celebratione eucharistiae sedulo fuit ab apostolis observatus* Act. 2, v. 46. c. 20, v. 7. Respondemus: 1. locum Actor. 2. quidam veterum de parca et frugali cibi vulgaris sumtione exponunt, ut ostendimus superius §. 57. quibus suffragatur Beza in notis ad N. T. Eodem sensu locum Actor. 20. accipit Lyranus, quae interpretatio cum circumstantiis textus optime congruit. 2. Demus vero, in his locis agi de eucharistia, tamen per fractionem phrasi Hebraea distributionem intelligi manifeste constat, ut in sequentibus clarius ostendetur. 3. Demus etiam, per fractionem intelligi comminutionem in partes, nondum tamen evicta erit absoluta quaedam necessitas fractionis, describitur enim exemplum apostolorum, non autem aliquod universale mandatum. 4. Nec immerito repetimus discrimen fractionis ab apostolis usurpatae et ab adversariis obtrusae. Apostoli fregerunt panem propter distributionem, nequaquam vero ob figurativam quandam repraesentationem, quam tantopere adversarii urgent.

3. A primitivae ecclesiae praxi.

162. *3. In primitiva ecclesia ritus fractionis in administratione hujus sacramenti usque ad tempus antichristi fuit observatus.* Respondemus: 1. Veteres diviserunt quidem panem eucharisticum, interim

Digitized by Google

tamen ritum illum nequaquam urserunt ut absolute et praecise necessarium, ideo ecclesiae orientales pro diversitate temporum ac locorum multipliciter eum variarunt. Alicubi conciderunt panem ferro quodam, quod vocarunt λόγχην, *lanceam sacram*, ut patet ex Nicolao Cabasita tom. 6. biblioth. patrum; alicubi facta fuit divisio εἰς τὰ πολλά, Dionysius eccles. hierarch. c. 3; alicubi εἰς τὰ τέσσαρα, liturg. Chrysost. In ecclesiis occidentalibus panem alicubi manu fuisse fractum colligitur ex Augustino epist. 59. ad Paulin. et lib. de haeresib. c. de Ophitis. Nostra frangendi ratio multis retro seculis instituta et ad nostram usque aetatem fuit observata. Causa instituti videtur ortum duxisse ab ecclesiis populosioribus, in quibus quia propter multitudinem ad sacram synaxin accedentium fractio publica remoram quandam videbatur paritura, ideo
X. 288. de compendio fuit cogitatum ac mos frangendi panem ante coenae administrationem usurpari consuevit. 2. Exemplum primitivae ecclesiae non introducit absolutam hujus ritus necessitatem, multo minus repraesentativam illam fractionem probat, cum distributionis ergo fractio usurpata fuerit. 3. Adversarii fractionem urgent ut rem absolute necessariam et quidem hoc fine, ut praefiguretur fractio corporis Christi; neque consentiente, sed potius, contradicente et repugnante ecclesia ritum illum introducunt maximo cum infirmorum scandalo; quin etiam hoc fine remotis panibus illis minutioribus usum vulgaris ac majoris panis introducere satagunt, ut veritatem realis praesentiae labefactent, id vero ex primitivae ecclesiae praxi nunquam probabunt.

4. Ex loco apostolico 1. Cor. 11, v. 24.

163. 4. *Corpus Christi dicitur pro nobis fractum, 1. Cor. 11, v. 24. Id cum non sit factum in Christi corpore, ideo necessario per metonymiam et analogiam sacramentalem ad fractionem panis referendum.* Respondemus: Analogia illa invertit rerum ordinem, uti recte observat Dn. D. Mentzerus tom. 1. disput. Gissens. disp. 7. th. 24. Omnis enim typus sive figura ceremonialis terminum ad quem habet Christum, in quo impletur. At fractio illa repraesentativa sic proponitur ab adversariis, ut terminus significationis ponatur in ipso pane. Quia enim fateri coguntur, corpus Christi proprie loquendo fractum non esse, ideo fingunt propter analogiam sacramentalem fractionem praedicari de corpore Christi, ideo quia panis frangatur, qui sit signum corporis Christi. Hoc igitur modo terminabitur fractio in pane, hoc est in typo, et dicetur, ideo frangi Christi corpus, quia frangatur panis, quae methodus est inversa et contraria Scripturae et naturae typorum. 2. Rem ipsam quod attinet tres occurrunt explicationes hujus phraseos, analogiae
Prima explicatio. fidei congruentes. Flacius in lib. de re sacramentaria p. 14. corpori Christi fractionem tribui dicit *propter fractionem panis*, non quidem sensu eo, quo adversarii hoc asserunt, sed longe diverso, videlicet propter sacramentalem panis et corporis Christi unionem, sic enim scribit: *Paulus corpori tribuit fractionem pro nobis, sumto praedicato proprie conveniente ipsi elemento panis. Tantam igitur ostendit Spiritus sanctus esse conjunctionem istorum subjectorum, nempe panis cum corpore et vini cum sanguine, ut praedicatis et quasi proprietatibus suis aliquatenus promiscue utatur. De potione enim dicitur, quod pro nobis fundatur, quod est proprium sanguinis, ut sic ostendatur, quod in hac potione sit verus sanguis, non solum vinum; et vicissim de corpore dicitur, quod frangatur, quod est proprium panis.* Sed cum differentia quaedam sit inter has propositiones: calix eucharisticus pro nobis est effusus, et panis eucharisticus est pro nobis fractus, ut ostendimus superius §. 100. membro 6. ideo hanc explicationem judicamus esse coactiorem. D. Hunnius tract. de coena Secunda explicatio.
c. 14. tom. 1. col. 1088. refert, verba Christi apud Paulum a quibusdam (intelligit vero Ignatium epist. ad Philadelph., Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, Lutherum, Chemnicium et Erasmum) sic exponi, quod verbum frangendi consueta Scripturae sacrae phrasi denotet distributionem, ut sit sensus: *Hoc est corpus meum, quod in illo coenae usu mediante pane inter vos distribuitur;* quam interpretationem nec incongruam esse, nec a se improbari addit. Sed cum corpus Christi non dicatur nobis frangi, id est distribui, sed *pro nobis* frangi, ideo praeferimus illam explicationem, quam ibidem D. Hunnius subjungit, quod per fractionem meta- X. 289. Tertia explicatio.
phorica locutione intelligantur cruciatus passionis, quos Christus in corpore pro nobis sustinuit; nullum enim dubium, quin verba Lucae et Pauli exactissime consentiant. Jam vero quod apud Paulum dicitur, *corpus Christi pro nobis fractum*, id Lucas sic exprimit, *corpus Christi esse pro nobis traditum*, et collationis gratia huc afferri potest, quod Christus dicitur *attritus propter iniquitates nostras* Esa. 53, v. 4. *quodque suspensus fuerit inter duos latrones, quibus crura fracta sunt* Johann. 19, v. 32. denique quod Ezechias dicit Esa. 38, v. 13: *Quasi leo contrivit* (יְשַׁבֵּר fregit) *omnia ossa mea*, nimirum quia tales corporis et animae cruciatus perferebat, quales esse solent eorum, quorum ossa leo confringit. ** Cajetanus in 1. Cor. 11: *Nec est, quod Latinis horrori sit haec particula, cum verissimum fuerit, verum Christi corpus multipliciter fractum fuisse. Nam et fractum fuit quantum ad cutem, cum flagellatus est a Pilati militibus; fractum quoque fuit quantum ad carnem, et in manibus et in pedibus clavis, quibus fixus est in cruce; et fractum demum est in latere, dum unus militum lancea latus ejus pepigit.*** Probamus igitur, quod scribit Goclenius in disput. magistrand. ann. 1605. Marpurgi instituta part. 26. th. 4: *Non metonymica, sed metaphorica est enuntiatio, quando corpus redemtoris nostri pro nobis fractum dicitur.* Ac potest pro ista explicatione etiam hoc argumentum adduci. Ut sanguis in posteriore parte coenae dicitur effundi, sic in priore parte dicitur corpus frangi. At sanguis effundi dicitur in ara crucis,

Digitized by Google

non in sacra coena. Ergo et corpus eodem modo frangi dicitur. Nec improbat hanc interpretationem ipse Calvinus, sic enim scribit in comment. 1. Cor. 11. p. 241: *Aliqui exponunt de panis distributione, quia corpus Christi manere integrum oportuit etc. Ego, sicuti Paulum ad panis fractionem allusisse fateor, ita hic frangi positum interpretor pro immolari improprie quidem, sed non absurde. Nam utcunque nullum os mutilatum fuerit, corpus tamen ipsum primo tot tormentis et cruciatibus, deinde crudelissimo mortis supplicio expositum, non potest illaesum dici, hoc frangi vocavit Paulus.* Idem repetunt Praetorius homil. 7. p. 168. ac Rennecherus in Psalm. 1. p. 376. edit. Franc. anno 1588. **Pelargus adhuc orthodoxus in resp. ad notas Candidi p. 55: *Et vestri aut synecdochen agnoscunt, sicut Tossanus exposuit: panis, quem frangimus et fractum scilicet accipimus et manducamus p. 86. volum. 2. aut pro distributione sumunt, sicut Musculus vester p. 342. panem vocat, idque in ipsa coenae fractione, id est distributione, quem Papistae panem esse negant. Et Strigelius in notat. suis p. 86. fractio*, inquit, *intelligatur simplicissime de distributione, sicut Hebraei loquuntur: frange esurienti panem tuum. Utitur ergo Paulus hoc verbo propter morem distributionis, praesertim cum velit coenam esse communem. Nihil itaque hinc ἀποδεικτικῶς concludis. Paulus panem ait frangi, id est distribui vel ad distribuendum frangi. Ergo fractio est simpliciter necessaria.* P. Ramus lib. 4. theol. c. 8: *Non partitio fit panis fractione, non illa quidem significante ullam corporis Christi fractionem, ut Beda arbitratur; nec enim Christo quidquam fractum est, ut Johannes testis est c. 19, v. 33. sed simpliciter exprimente partitione, unde singulis pars daretur.***

5. Ex loco apostolico 1. Cor. 10, v. 16. 164. 5. 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi. Ergo solus fractus panis habet promissionem, quod sit communicatio corporis Christi.* Respondemus: 1. frangere שָׁבַר et פָּרַס Hebraeis est distribuere, ut constat ex locis quamplurimis. Genes. 42, v. 3. Hebraeum שָׁבַר LXX verterunt per τὸ πρίασθαι, cum enim venditur annona, frangitur, hoc est distribuitur, nequaquam vero comminuitur vel conteritur. **Hebraei igitur שָׁבַר *frangere* pro *dividere* pluresque partes ex aliquo cumulo separare usurpant. Gen. 41, v. 56. dicitur Joseph *frumenta fregisse Aegyptiis*, וַיִּשְׁבֹּר hoc est ex magno cumulo frumentorum separavit et vendidit, sic Amos 8, v. 5. Pari phrasi nos in ipso coenae actu recte dicimur panem frangere, quando ex cumulo placentularum unam post alteram tollimus et inter communicantes distribuimus, quae fractio ab Augustino dicitur *praeparatio*
X. 290. *distributionis.*** Esa. 58, v. 7. *frange esurienti panem tuum*, hoc est eleemosynae nomine panem distribue, interprete Augustino, ad cujus mandati complementum nequaquam necessarium est, ut panis scindatur, quin imo is proprius accedit ad hoc Dei mandatum, qui integram massam panis dat pauperi, quam qui duntaxat partem aut frustum panis communicat, ut recte scribit D. Hunnius l. d. Jerem. 16, v. 7. *et non divident*, יִפְרְסוּ Luth. man wird nicht austheilen. Thren. 4, v. 4: *Parvuli poscunt panem, et nemo est, qui eis frangat.* בְּרָכָה לְרֹאשׁ מַשְׁבִּיר בָּר, *benedictio super caput frangentis frumentum*, proverbialiter dicunt Hebraei ex Proverb. 11, v. 26. hoc est super eum, qui beneficus est erga pauperes, qui frumentum aequo vendit ac distribuit pretio. 2. Recte ergo statuit D. Lutherus tom. 2. Jen. Germ. fol. 204. in hoc dicto Paulino per fractionem intelligendam esse distributionem, cui fractio subservit et inde facta colligitur, tum quia hebraismi Paulo sunt familiares, tum quia in repetitione verborum institutionis, 1. Cor. 11, v. 24. omisso verbo *dedit* verbum *fregit* duntaxat ponit, ut innuat, se in hac de coena doctrina per fractionem intelligere distributionem; tum denique quia de tali fractione apostolus loquitur, per quam fiat communicatio corporis Domini. Jam vero per comminutionem in partes non fit communicatio corporis Domini. Ergo comminutio in partes non est illa fractio, de qua apostolus loquitur. 3. Idem agnoscunt quidam ex ipsis adversariis; Wolfg. Musculus in 1. Cor. 10, v. 16: *Panem vocat apostolus, idque in ipsa sacra fractione, hoc est distributione, quam Papistae panem esse negant.* 4. Si vel maxime obtineretur, Paulum loqui de ritu fractionis in plures particulas, maneret tamen firmum fixum, notari solummodo ritum in ecclesia tum temporis usitatum, nequaquam vero illum statui partem coenae essentialem aut finem fractionis hic constitui repraesentationem passionis, unde Hemmingius in hoc loco fractionem inter adiaphora numerat, *cum de ea tantummodo exempla, nequaquam vero praecepta exstent.*

165. 6. *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus*, 1. Cor. 10, v. 17. *Ergo nisi frangatur panis, non possumus de uno pane participare.* 6. Ex dicto Paulino 1. Cor. 10, v. 17. Respondemus: Panis eucharisticus unus dicitur non ratione massae, quatenus frangendus in plures particulas dividatur; sequeretur enim 1. illos tantum Christianos esse unum corpus spirituale, qui in una et eadem particulari ecclesia de una quadam integra massa simul et semel participant; 2. falso Paulum de unitate illa gloriari, erat enim tunc temporis Philippis, cum ad Corinthios haec scriberet, quomodo igitur ex una massa cum Corinthiis communicabat? 3. In ecclesiis adversariorum quaternis tantum communicantibus spiritualem unionem intercedere. Aliae igitur sunt causae, ad quas Paulus respicit, quando ex unitate panis eucharistici commonefactionem de unitate spirituali deducit: 1. potissima est unitas usus sacramentalis; omnes enim Christiani, quocunque loco degant et eucharistiae sacramento utantur, hoc fine consecrato pane utuntur, ut mediante illo corporis Christi participes reddantur. Hoc sensu et respectu *unum* in ecclesia catholica per totum orbem dispersa dicitur *baptisma* Eph. 4, v. 5. licet aqua ex diversis fontibus

Digitized by Google

ac fluminibus petatur. Bucanus loco 48. p. 672: *De uno pane participamus, uno inquam communi notione sacramenti (non autem numero) et in unum finem accepto, quia in unum finem accipitur.* 2. Est etiam unitas ὁμογενείας in pane. Namque omnis panis, ubicunque demum distribuatur, modo verus sit panis, unus est et idem τῷ γένει. Ergo ut in vulgari convivio, ubi plures consederint, licet singuli singulos
X. 291. habeant panes, de uno tamen pane edere dicuntur; sic in coena sacra, licet singuli singulos accipiant panes, omnes tamen de uno pane participant. 3. Est in pane eucharistico unitas σωροῦ sive acervi. Quamvis enim panes illi minutiores, quibus in celebratione eucharistiae utimur, sint distincti numero, tamen sunt unum acervo, unde manu ministri distribuentis sigillatim separantur. 4. Denique est unitas materiae, quatenus ex multis granis contritis una farinae massa conficitur, ex qua postea panis pinsitur, unde recte licet colligere. Quemadmodum ex multis granis unus fit panis, sic ex multis fidelibus constat unum corpus mysticum, cui interpretationi non solum ex veteribus Chrysostomus et Beda, sed etiam Musculus ex adversariis subscribunt.

7 Ab auctoritate Lutheri.

166. 7. Ex Luthero viginti testimonia pro necessitate fractionis allegant, quae partim *ex secunda parte libri de missa*, partim *ex libro de utraque specie* sunt desumta. Respondemus: Non faciunt hoc amore doctrinae Lutheranae, quam potius oppressam cupiunt, sed ut Lutheri nomine simpliciores seducant, quod futurum Lutherus ipse adhuc vivus praemonuit tom. 2. Jenens. Germ. fol. 349. tom. 3. Jenens. fol. 382. tom. 6. fol. 19. 116. in praefat. art. Smalcald. Notandum vero: 1. Quod pleraque Lutheri testimonia fide non bona allegent, quaedam enim expungunt, quaedam transponunt, quaedam addunt, ut instituto ipsorum serviant. 2. Quod Lutherus per fractionem non intelligat panis integri in particulas plures comminutionem, ea enim in papatu, contra quem Lutherus disputat, adhuc usitata est, sed idiotismo linguae sanctae distributionem, ut ἐπεξήγησις addita manifeste ostendit, passim enim frangere exponit per distribuere, dare, exhibere, aliis offerre etc. 3. Quod scopus, quem sibi propositum habet Lutherus, ab adversariis vel negligatur vel occultetur. Lutherus impugnat missam privatam in papatu usitatam, in qua solus sacrificulus edit et bibit omissa plane distributione sive, ut Lutherus cum Scriptura loquitur, fractione. Hunc esse genuinum Lutheri scopum demonstrat 1. Contextus scriptorum, ex quibus testimonia illa sunt desumta. 2. Praxis celebrandae eucharistiae in papatu, quia sacrificulus in missis etiam privatis panem dividit in tres particulas. Quodsi Lutherus per fractionem intelligeret divisionem in plures particulas, sine adversario pugnaret. 3. Fractionem illam, quam adversarii urgent, Lutherus nec suasit, nec usurpavit. Lavaterus in certam. sacram. p. 7. notat, Lutherum negasse fractionis necessitatem. Insignem igitur hypocrisin et timiditatem Luthero tribuunt adversarii quod fractionem in publicis scriptis propugnaverit, eandem tamen introducere et exemplo suo confirmare veritus fuerit. 4. Illo tempore nondum erat mota de fractione controversia. 5. Lutherus ubique fractionem exponit per distributionem.

Ex baptismo petitur instantia contra fractionis necessitatem.

167. Coronidis loco notandum, quaecunque ab adversariis pro necessitate fractionis afferuntur argumenta, exemplo baptismi tanquam validissima instantia refelli posse. Eodem enim modo colligere possum, pro necessitate immersionis in baptismo, quo illi colligunt pro necessitate fractionis in eucharistia. 1. Adest ibi mandatum *baptizate;* atqui ex hypothesi adversariorum baptizare significat proprie immergere. Calvinus lib. 4. instit. c. 15. §. 19: *Baptizare significat immergere.* Beza epist. 2: *Christus jussit nos baptizari, quo verbo certum est significari immersionen.* Musculus in locis cap. de baptismo: *Baptismus Latinis sonat intinctionem et immersionem.* Keckermannus lib. 3. syst. theolog. c. 8. p. 451: *Baptismus proprie significat immersionem.* 2. Praesto est exemplum Christi, qui in Jordane baptizatus *ex aqua adscendisse* dicitur; 3. exemplum apostolorum et 4. primitivae ecclesiae, siquidem ceremonia illa in apostolica et primitiva ecclesia fuit retenta. 5. Paulus Rom. 6, v. 4. exstruit ex ea pulcherrimam analogiam, quod *per baptismum Christo consepeliamur* etc. Singula membra speciose deduci et explicari possunt, sed quemadmodum ipsi adversarii agnoscunt, ritui immersionis in baptismo X. 292.
hisce argumentis nequaquam conciliari absolutam quandam necessitatem, ita quoque agnoscant argumentis illis, quae pro fractionis ritu afferunt, itidem non evinci absolutam quandam in ipsa eucharistiae celebratione fractionis necessitatem.

CAPUT XV.

DE DISTRIBUTIONE BENEDICTI PANIS ET VINI.

Distributio benedicti panis et vini.

168. Secundus actus sacramentalis est benedicti panis et vini distributio, siquidem Christus in prima sacrae coenae institutione et administratione non solum panem et calicem *accipiens benedixit et gratias egit, sed etiam panem benedictum fregit ac dedit discipulis dicens: accipite.* Matth. 26, v. 26. Marc. 14, v. 22. Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 24. Similiter et calicem benedictum ipsis dedit dicens: *bibite.* Matth. 26, v. 27. Marc. 14, v. 23. Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 25. Subjunxit etiam mandatum *hoc facite,* ut doceret, ad legitimam sacrae coenae administrationem requiri non solum panis et vini benedictionem, sed etiam benedictorum symbolorum distributionem, propter quam consecratio praemittitur eidemque suo quodam modo una cum fractione inservit. Hunc sacramentalem actum in ecclesia apostolica circa eucharistiae administrationem fuisse observatum, colligitur ex dicto apostolico 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Do-*

Digitized by Google

mini? ubi frangere significat distribuere, ut ostendimus superius.

Qu. 1: An sacra symbola communicantibus in manus danda.

169. Quaeritur hoc loco: *1. An sacra symbola communicantibus in manus danda, an vero ori admovenda ab ecclesiae ministro.* Respondemus: Judicamus hoc in se ac per se absque opinione necessitatis aut cultus esse adiaphorum, distinguendum enim inter *δόσιν* ac *δόσεως τρόπον*; *δόσις* ipsa, scilicet distributio, est essentialis sacrae coenae pars, ideoque simpliciter necessaria, sed *τρόπος δόσεως*, an scilicet manui vel ori communicantium sacra symbola offerantur, liberati Christianae relictus intelligitur, cum de eo peculiare aliquod mandatum ex verbis institutionis proferri nequeat. Testantur evangelistae, Christum benedictum panem et calicem discipulis dedisse, sed an manui, an ori eorum admoverit, nuspiam exprimunt, facturi illud omnino, si alterutrum absolute et simpliciter foret necessarium. Quemadmodum igitur in administratione baptismi aquam baptizando in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti affundi necessarium est, sed an illa affusio fiat in capite, an in toto corpore, nihil quidquam interest, ut suo loco ostendimus; sic distributio sacrorum symbolorum in eucharistiae administratione necessaria est, an vero immediate ori, an vero mediate manui communicantium cibus ac potus eucharisticus communicantibus detur, in ecclesiae libertate est relictum. In primitiva ecclesia nondum nata ac nota transsubstantiatione sacra symbola tangere fidelibus non erat nefas, quia tum viris tum feminis in manus dabantur. Eusebius lib. 7. histor. eccles. c. 8. recitat narrationem Dionysii episcopi Alexandrini de quodam, qui se ab haereticis baptizatum dolebat, in qua inter cetera sic legitur: *Cum et gratiarum actionem in ecclesia audisset et ad illam una cum aliis amen succinuisset, mensae adstitisset, manus ad suscipiendum sanctum cibum extendisset, illum etiam accepisset et prolixo jam tempore corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuisset, non sum ausus eum denuo baptismate initiare.* Idem lib. 6. histor. eccles. c. 42. circa finem de Novato schismatico: *Cum oblata dispensaret et cuique partem tribueret, illud adjecit: miseros homines, antequam de benedictione ac collectis sumerent, jurare coëgit, utrisque illorum manibus prehensis nec demissis, donec jurantes dicerent: jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quod me*
X. 293. *nunquam deserere et ad Cornelium reverti velis.* c. 43. seq. *eucharistiam per puerum Serapioni aegroto deferendam a presbytero datam esse* commemorat. Apud Tertullianum lib. 2. ad uxorem c. 5. et Nazianzenum orat. in laudem Gorgoniae fideles feminae sacra symbola domum secum ferunt. Apud Cyprianum serm. 5. de lapsis occurrunt hae loquendi formulae: *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus adscendunt* etc. ibid. p. 226. de quodam idolis maculato refert, quod *sacrificio a sacerdote celebrato partem cum ceteris ausus latenter accipere, sanctum Dei edere et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit.* In sexta synodo in Trullo can. 102. damnantur, *qui sacramenta vasculis aureis excipiunt, quae manu debebant.* Theodoretus lib. 5. hist. ecclesiast. c. 17. in princ. refert verba Ambrosii ad imperatorem Theodosium: *Istasne adhuc stillantes injustae caedis cruore manus extendes et in sanctissimum Dei corpus prehendes?* ** Theodorus Bibliander in praefat. epist. Cinglii et Oecolampadii lit. d. 1. fac. 2: *Nihil refert, utrum fideles manibus suis pertractent symbola, quod simplicitati et verbis instituentis Christi congruit, sive porrectum a ministro symbolum in os accipiant.* Calvinus lib. 4. instit. c. 17. §. 43: *Quod ad externum actionis ritum spectat in manum accipiant fideles nec ne; inter se dividant, aut singuli quod sibi datum fuerit, edant; calicem in diaconi manu reponant, aut proximo tradant; panis sit fermentatus, an azymus, vinum rubrum, an album, nihil refert, haec indifferentia sunt et in libertate ecclesiae posita.* Chamierus tom 4. panstrat. lib. 7. c. 20. §. 1: *Solet panis* (in usu papistico) *distributus tradi immediate in os laici, non in manus, quae certe ratio est brutae magis communionis quam humanae. Itaque nec Christo usurpata, nec veteri ecclesiae.* Wendelinus lib. 1. Christ. theol. c. 23. th. 7. p. 376. Bezae epist. 2. in hoc passu nobiscum consentientis sententiam Bucani loc. 48. p. 685. papismi ac superstitionis nos insimulantis injuriis merito praefert. Lavaterus in lib. de ritibus ecclesiae Tigurinae c. 13. refert, *quod in ecclesia Tigurina quisque communicantium accipiat particulam exhibiti panis et postea reliquam partem proxime a sinistra porrigat.* (Sic ergo non exprimunt porrectionem, quam a Christo singulis factam autumant.)**

170. Errant igitur Pontificii, qui eucharistiam laicis fidelibus in manus dare nefas esse ducunt, (secuti canonem II. concilii Rotomagensis: *Nulli laico aut feminae eucharistia in manus ponenda, sed tantum in os ejus)* quasi vero quod ore accipitur, manu non liceat tangere. Errant etiam Calviniani ** (Sohnius tom. 1. exeg. p. 249. Jodoc. Naum p. 24. Bucanus p. 724. Eorum verba et objectiones allegat et refellit Eckhard. in fascic. controv. theolog. c. 21. q. 4. pag. 634.)** ac qui eos hac in parte sequuntur Neophotiniani, qui necessarium statuunt, eucharistiam in manus dare communicantibus: 1. Quia verbum *λαμβάνειν*, *quo Christus in eucharistiae administratione utitur, significet in manus accipere.* Respondemus: *τὸ λαμβάνειν* est generale verbum significans omnem sum- X. 294.
tionem, quacunque corporis parte, quocunque instrumento fiat; illud in verbis coenae per *τὸ φαγεῖν* restringitur ad certam speciem, ad illam scilicet sumtionem, quae fit ore. Marc. 15, v. 23. de Christo in cruce pendente dicitur: *Et dabant ei* (utique non in manus, sed in os) *bibere myrrhatum vinum, et non accepit, οὐκ ἔλαβε.* Joh. 19, v. 30. *Jesus dicitur accepisse acetum, ἔλαβε τὸ ὄξος,* quod

Antithesis.

Digitized by Google

ori fuisse admotum v. 29. asseritur, neque enim manibus cruci affixis spongiam illam aceto plenam accipere poterat. Joh. 20, v. 22. Christus sufflans in discipulos dicit: *Accipite Spiritum sanctum, λάβετε πνεῦμα ἅγιον.* Actor. 1, v. 8: *Accipietis virtutem Spiritus sancti.* Apoc. 22, v. 17: *Qui vult, accipiat aquam vitae gratis.* ** De Christo dicitur *τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε.* Paulus 2. Cor. 11, v. 24. *ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα πληγὰς παρὰ μίαν ἔλαβε.* Confer Matth. 7, v. 8. Marc. 4, v. 16. Joh. 13, v. 20. c. 16, v. 24. c. 20, v. 22. Actor. 1, v. 8. Gal. 3, v. 2. Apoc. 22, v. 17.** Apud Platonem differentiae causa additur *λαμβάνειν εἰς τὰς χεῖρας*, ut innuatur, esse alios *τοῦ λαμβάνειν* modos. Demus autem, ex hypothesi Christum sacra symbola discipulis in manus dedisse, nondum tamen evictum foret, hunc distribuendi modum esse simpliciter et absolute necessarium adeoque ad partes coenae essentiales pertinere, cum inter distributionem ipsam et distributionis modum, inter praeceptum et exemplum, inter necessaria et adiaphora perpetuum maneat discrimen. Agnoscit hoc ipse Beza, quando epist. 2. sic scribit: *Sumtio simpliciter et absolute ac prorsus necessario requiritur ad hujus sacramenti usum; ut autem haec sumtio sive acceptio fiat manu, non item.* Et postea: *Sumtio sacramentorum minime dici potest expungi ab iis vel omitti, qui ore duntaxat absque officio manus illa accipiunt, quia ipsa sumtio, non autem sumendi modus praecise praescribitur, ac proinde qui istam manus sumtionem sic urgent, ut coenam in iis ecclesiis profanam judicent, ubi absque superstitione ac multo magis absque impietate adhuc oris sumtio retinetur, vereor, ut ipsi potius vel nonnulla rerum istarum ignorantia vel αὐθαδείᾳ peccent.* Haec ille rectissime. *2. Quia ex superstitione ortum trahat mos ori communicantium sacra symbola ingerendi. Qui offulas integras ori, non manibus inserunt, adhuc papissare sese et superstitionis fomitem fovere, nescio qua ratione inficiari possint,* scribit Bucanus loco 48. p. 685. Respondemus: nequaquam dicimus, prohibitum vel nefas esse, eucharistiam in manus communicantium dare, multo minus fidelium manus immundas dicimus, quibus sacra symbola tangi ob id interdictum censeatur; sed modum distributionis adiaphorum esse statuimus, ideoque propter ritum sua natura liberum ecclesias bene constitutas nequaquam turbandas nec infirmioribus scandalum praebendum esse dicimus, proinde retinemus morem sacra symbola ori communicantium admovendi, tum quia jam olim mos ille receptus, tum quia ad *εὐσχημοσύνην* et reverentiam facere videtur, nec cum verbis institutionis ulla ratione eum pugnare ostendi potest. ** Pelargus in antithesibus apologet. contra D. Balduin. th. 134: *χειροληψίαν quidam urgent, velut ordinatio Anglicana, ad cavenda pericula subtractionis et superstitionis, aliqui cum Calvino indifferentem ritum esse agnoscunt lib. 4. instit c. 17. p. 43. quia non admodum interest, quomodo sumatur panis, dummodo sumatur; verisimilius autem, apostolos non ore, sed manu excepisse panem a Christio fractum et porrectum, et τὸ λάβετε magis proprie competit manui quam ori.***

Qu. 2: Quid de Calvinianorum distributione statuendum.

171. Quaeritur 2: *Quid statuendum de illa consuetudine quarundam ecclesiarum inter Calvinianos, in quibus communicans prior sequenti panem consecratum dat ac distribuit?* Lavaterus in libro de ritibus ecclesiae Tigurinae c. 13. inter cetera sic scribit: *Post haec per totam ecclesiam ministri azymum panem* (eucharisticum) *in patinis circumferunt, et accipit quisque sua manu particulam de exhibito* X. 295.
pane et postea reliquam partem dat proxime assidenti. Denique sequuntur alii ministri cum poculis et cantharis, ac praebet alius alii poculum Dominicum, atque sic omnes de uno pane participant. Ex quo intelligitur, ritum hunc in Tigurina ecclesia esse usitatum; Cajetanus in c. 26. Matth. existimat, eundem in prima sacrae coenae administratione usurpatum fuisse. *Discipuli* (inquit) *acceperunt a Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ego, quod sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita ut in una patina panem in duodecim buccellas fractum manibus propriis tradiderit, et quod hinc ecclesia usum patinarum apostolica traditione acceperit; ita quod sicut calicem unus discipulis dedit, alii patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successive porrexerunt.* Sed haec incerta sunt, unde etiam plerique Calviniani ab ipso Christo sacra symbola in manus discipulorum fuisse data existimant. Nos licet modum distributionis *ἀδιάφορον* esse statuamus, tamen ad *εὐσχημοσύνην* et reverentiam pertinere multisque incommodis hoc pacto occurri posse dicimus, si per ministrum ecclesiae singulis communicantibus sacra symbola distribuantur.

Qu. 3: Quid statuendum de missis privatis.

172. Quaeritur 3: *An repugnent institutioni sacrae coenae missae privatae, in quibus solus sacerdos panem et vinum benedictum accipit, ut reliquis spectatoribus in commodum cedat?* Respondemus: Missae privatae ortum trahunt ex opinione sacrificii missatici, quibus opponimus: 1. Institutionem Christi. Christus in prima sacrae coenae institutione et administratione non solum panem accepit, benedixit, fregit, sed etiam discipulis dedit dicens: *Hoc facite;* similiter et calicem accipiens non solum gratias egit, sed etiam discipulis dedit dicens: *Bibite*, et in genere postea snbjunxit: *Hoc facite.* Ergo panem et vinum solummodo consecrare sine distributione non est Dominicam coenam celebrare, omittitur enim peculiaris idemque essentialis hujus sacramenti actus, videlicet distributio, quomodo igitur sua integritas sacrae coenae constabit, nisi distributio accedat? 2. Exemplum apostolorum, qui in administratione sacrae coenae X. 296.
etiam aliis benedictum panem et calicem distribuerunt, Act. 2, v. 42. c. 20, v. 7. 1. Cor. 10, v. 24. ubi *εὐλογία* et fractio sive distributio conjunguntur.

Digitized by Google

I. 297. **3. Oppositionem apostolicam inter administrationem coenae in publico ecclesiae conventu et πρόληψιν ἰδίου δείπνου, 1. Cor. 11, v. 20. et seqq. 4. Collationem cum baptismo.** Nemo in alterius commodum potest suscipere baptismum, ut ostendimus suo loco. Ergo nec sacra coena in alterius commodum usurpari potest. 5. Collationem cum cibis vulgaribus. Nemo in alterius commodum cibos corporales manducat. Ergo nec cibum illum sacramentalem. Obvertunt: *1. Coenam esse sacrificium, cujus oblatio aliis etiam prosit.* Respondemus: de hac hypothesi suo tractatur loco. *2. Christum nuspiam prohibuisse consecrationem externorum symbolorum, si*
I. 298. *vel maxime non adsint communicantes.* Respondemus: Institutio Christi est norma et regula, juxta
I. 299. quam sacra coena in ecclesia est administranda propter annexum mandatum: *Hoc facite.* Distri-
I. 300. butio non pertinet ad ceremonialia, sed essentialia, ideo sine ea non constat huic sanctissimae actioni sua integritas. De tota hac re alibi plura.

I. 301.

CAPUT XVI.

DE MANDUCATIONE ET BIBITIONE SACRAMENTALI.

Manducatio et bibitio sacramentalis.

173. Tertius actus sacramentalis est acceptio sacrorum symbolorum, videlicet benedicti panis manducatio et benedicti vini bibitio. Quemadmodum enim consecratio respicit distributionem, ita distributio acceptionem, videlicet manducationem et bibitionem, siquidem actui exhibitivo distributionis, vi relationis, respondet actus receptivus manducationis et bibitionis. Porro manducationem benedicti panis et bibitionem benedicti vini esse peculiarem et sacramentalem actum ac proinde partem coenae essentialem, demonstramus his fundamentis: 1. Verba coenae *accipite, manducate et bibite* sunt προσταχτικά, quae diserte requirunt non ὄψιν, nudum adspectum, sed χρῆσιν, usum sacrorum symbolorum, nec in genere tantum requirunt usum, sed in specie eum determinant, quod scilicet sacramentalis illorum symbolorum usus in manducando ac bibendo consi-
I. 302. stat. Matth. 26, v. 26. 27. Marc. 14, v. 22. 23. Luc. 22, v. 19. 20. 1. Cor. 11, v. 24. 25. 2. Apostoli et reliqui fideles in primitiva ecclesia sacram coenam eo modo usurparunt, ut panem benedictum ederent et ex calice benedicto biberent. Marc. 14, v. 23: *Et biberunt ex eo omnes.* 1. Cor. 10, v. 21: *Non potestis simul calicem Domini et calicem daemoniorum bibere; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum.* 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis* etc. ubi perpetuo conjunguntur manducatio et bibitio. 3. Sicut distributio ideo necessaria est, quia consecratio propter eam fit eandemque respicit, ita quoque manducatio et bibitio necessaria est, quia distributio propter hos actus fit eosdemque respicit. Mutua relatio eandem distributionis et acceptionis, δόσεως καὶ λήψεως, rationem esse ostendit.

Objectum manducationis et bibitionis.

174. Objectum manducationis et bibitionis sacramentalis sunt symbola sacramentalia, hoc est panis, cui sacramentaliter unitum corpus Christi; et vinum, cui sacramentaliter unitus est sanguis Christi, siquidem teste apostolo 1. Cor. 10, v. 16. *panis, quem frangimus* (distribuimus et manducamus) *est κοινωνία corporis Christi; poculum, quod benedicimus* (distribuimus et ex eo bibimus) *est κοινωνία sanguinis Christi.* Dicimus igitur, in sacra coena panem nec solum nec seorsim, neque corpus Christi solum sive seorsim; nec vinum solum sive seorsim, neque sanguinem Christi solum sive seorsim, sed cum pane corpus Christi et cum vino sanguinem Christi accipi, nimirum propter mysticam et sacramentalem panis et corporis, vini et sanguinis Christi unionem, quae a veracis et omnipotentis Christi institutione dependet, humana autem ratione nec comprehendi potest, nec investigari debet. Quin imo cum sacramentaliter unita corpus et sanguis Christi longe praestantiora sint pane et vino, ideo sacramentalis manducatio et bibitio praecipue versatur circa corpus et sanguinem Christi; siquidem manducatio panis et bibitio vini in eucharistia ideo a Christo instituta est atque a nobis suscipitur, ut mediante pane accipiamus et manducemus corpus Christi, cujus est κοινωνία, et mediante vino accipiamus et bibamus sanguinem Christi, cujus est κοινωνία, quod colligitur ex verbis Christi, in quibus post praeceptum bibendi αἰτιολογικῶς subjungitur: *Hoc est enim sanguis meus* Matth. 26, v. 27. Ergo hic locum habet regula logica: *Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale*, 1. posterior. c. 2. §. 14. in causis scilicet per se, quibus affectio secundum magis aut minus inest.

Antithesis adversariorum.

175. Pontificii bibitionem a manducatione sacramentali separant, quando laicis tantummodo panem benedictum manducandum, nequaquam vero vinum benedictum bibendum exhibent; errant igitur circa ipsum actum sacramentalem, qua de re superius late dictum fuit. Circa objectum hujus actus sacramentalis errant 1. Calviniani, quando docent, ore corporis solum panem et vinum, nequaquam vero mediante pane Christi corpus, mediante vino Christi sanguinem accipi. Ut enim realem praesentiam, ita quoque oralem manducationem corporis Christi praefracte negant, quam Beza vocat *tale commentum, cujus vel ipsum Satanam pudeat.* Zwinglius tom. 2. in exeges. p. 372. *carnem Christi in coena corporaliter edi pestem esse* asserit. Bucanus loco 48. p. 685. quaerit: *An una et eadem numero et genere sit signorum et rerum significatarum praebitio et oralis manducatio?* Respondet autem negate: *1. Nam ut duae sunt personae administrantes coenam Domini, una pastoris id quod exterius et foris agitur agentis; altera Christi suo Spiritu s. id, quod interius fit efficientis; 2. et duabus rebus constat*

Digitized by Google

tota actio coenae Domini, una terrena, corporea et sensibus ipsis perceptibili; altera coelesti, spirituali et fideli mente intelligibili; 3. duaeque sunt partes hominis, quarum una corpus est, altera anima: sic duas esse asserit *diversas praebitiones, quarum una fiat per ministrum corpori, altera per Christum menti, et totidem manducationes, unam*
X. 303. *scilicet externam, corporalem, oralem, naturalem, sensibilem, nempe signorum externorum sensibilium, quae et sacramentalis dicatur; alteram internam, supernaturalem rerum significatarum et fidei oculis perceptibilium, quae dicatur spiritualis; illam a Christo institutam esse, ut sit hujus spiritualis manducationis et bibitionis expressa quaedam effigies.* Fundamentum hujus nefariae distractionis oritur ex negata vera praesentia corporis Christi in coena; cum enim statuant, corpus Christi nequaquam vere et realiter, sed tantum significative praesens esse in coena, ideo etiam tantum panem, nequaquam vero corpus Christi ore percipi asserere coguntur. 2. Sed et Pontificii circa objectum hujus actus sacramentalis errant, dum solum Christi corpus, nequaquam vero panem, cujus substantia desierit, manducari et solum Christi sanguinem, nequaquam vero vinum, cujus substantia itidem desierit, bibi asserunt, quae opinio ex hypothesi transsubstantiationis ortum ducit. 3. Est recens quorundam assertio, *corpus Christi non primum in usu sacrae coenae ore percipi, sed Spiritum s. sua efficacia illud jam ante in nobis exsistens mediante pane nobiscum unire.* Quae opinio tollit unionem sacramentalem panis et corporis, vini et sanguinis Christi, ac panem facit medium non *κοινωνίας* corporis, sed efficaciae Spiritus s. quin et finem sacramentalis manducationis evertit, ideo enim corpus Christi mediante pane eucharistico edimus, ut fides in nobis confirmetur, non autem ideo edimus panem, ut Spiritus s. per illum sua efficacia corpus Christi jam ante in nobis praesto exsistens nobiscum uniat. 4. Neophotiniani nec oraliter nec spiritualiter, adeoque nulla plane ratione corpus Christi in coena manducari asserunt. Catech. Racov. major c. 3. p. 218. 219. 220: *Haec verba (hoc est corpus meum) non eodem sensu ab hodiernis Christianis accipiuntur; nam quidam ea sic interpretantur, ut panem in corpus, vinum in sanguinem corporaliter mutari credant, quod plerumque transsubstantiationem vocant; alii ita intelligunt, ut corpus Domini sit sub pane, in pane et cum pane; denique quidam opinantur, se in coena Domini veri corporis et veri sanguinis Domini participes fieri, quamvis spiritualiter, quae opiniones omnes sunt falsae et erroneae.* Eadem habet Ostorodus in instit. Germ. cap. 38. pag. 334. et seq.

Quaenam sit et dicatur manducatio sacramentalis.

176. Nos secuti clarissimam institutionis Dominicae assertionem statuimus, in sacra coena mediante pane verum Christi corpus manducari, mediante vino verum Christi sanguinem bibi, quae manducatio non est physica aut naturalis, qualem Capernaitae somniabant, Joh. 6, v. 52. quia naturalis manducatio pro objecto habet solum cibum naturalem ad corporis nutritionem; sed manducatio in sacra coena objecti loco habet non solum panem, sed et corpus Christi, quod est cibus vivificus animam et corpus nostrum alens ad vitam aeternam; manducatio naturalis ita comparata est, ut eam sequatur masticatio, deglutitio, concoctio, expulsio superfluitatum etc. qualia Christi corpori non possunt tribui. Vocamus igitur manducationem sacramentalem, cum ex unione sacramentali panis et corporis Christi unice dependeat et ex ea aestimanda sit, quae consistit in eo, quod ore corporis non solus panis, sed et corpus Christi sacramentaliter eidem unitus percipiantur, non modo aliquo hujus seculi, sed in sublimi et incomprehensibili mysterio. Quando quidam nostrûm hanc sacramentalem manducationem vocant *corporalem*, secuti Cyrillum et alios ex veteribus respiciunt non ad modum, quasi modo corporali ac naturali illa fiat, sed ad objectum manducationis, quod non panem solum, sed mediante illo verum Christi corpus accipiamus. Quando quidam vocant manducationem *spiritualem*, id accurate declarandum est, ne sensu Calviniano dictum existimetur. ** Triplex est manducatio: 1. physica solius panis; 2. sacramentalis seu mystica corporis Christi cum pane; 3. spiritualis, quae est beneficiorum Christi apprehensio. Quamvis Christi corpus non sit cibus corporalis ad sustentationem terrenae vitae pertinens, tamen est cibus corporis, per quem corpus ad spiritualem, coelestem et beatam vitam nutritur. Sicut baptismus non solum animam, sed totum hominem anima et corpore regenerat; sic corpore et sanguine Christi non solum anima, sed etiam corpus seu totus homo anima et corpore ad vitam spiritualem, coelestem et aeternam nutritur; quando igitur eucharistia dicitur cibus animae, id accipiendum est sensu inclusivo, non exclusivo. Ac si vel maxime corpus Christi esset tantum cibus animae, nondum tamen consequens foret, ore corporeo illud non percipi, quia verbum Dei est animae cibus Hebr. 5, v. 12. et tamen auribus corporeis recipitur, Rom. 10, v. 14. quin imo ideo ore corporeo accipitur Christi corpus, ut animae nutritio mediante unione panis cum corpore sit efficacior.** Calviniani sacramentalem manducationem sic definiunt, quod ore accipiamus X. 304.
panem, qui sit corporis Christi absentis sacramentum, hoc est tantummodo signum; nos sacramentalem manducationem sic describimus, quod ore accipiamus panem, qui sit corporis Christi vere praesentis *κοινωνία*. Calviniani spiritualem manducationem sic describunt, quod anima ejusque organum, fides scilicet, in coelum sese elevet ibidemque corpore et sanguine Christi perfruatur, hoc est beneficia traditione corporis et effusione sanguinis parta sibi applicet; nos applicationem beneficiorum Christi per fidem, hoc est spiritualem manducationem carnis et bibitionem sanguinis Christi, de qua Joh. 6. agitur; nequaquam negamus, sed ad fructum et finem sacrae coenae referimus, ideoque sacramen-

talem manducationem ad formam sacrae coenae pertinentem ab ea distinguimus. Quando vero sacramentalis manducatio vocatur spiritualis, opponitur hoc omnibus carnalibus et terrenis cogitationibus, quas de hoc coelesti mysterio humana ratio potest concipere. **Sacramentalis manducatio dicitur spiritualis *1. respectu oppositionis*, quia usui communi ac vulgari propter nutritionem corporis ad hanc vitam suscepto opponitur; *2. respectu objecti*, quia illius objectum est ipsius *Λόγου* glorificatum et *πνευματικὸν σῶμα*, 1. Cor. 15, v. 44; *3. respectu operationis*, quia quod editur eo modo, alit ad vitam aeternam; *4. respectu modi et conditionis*, quia est manducatio mystica et supermaterialis.** Sic ergo patres ex Scriptura et nos cum eis duplicem manducationem corporis Christi agnoscimus: *1. spiritualem*, quae est finis et fructus sacrae coenae quaeque fieri potest etiam extra usum hujus sacramenti per solam fidem, quae nihil aliud est quam vere credere, quod corpus Christi sit pro nobis traditum, sanguis ejus pro peccatis nostris in ara crucis effusus; *2. sacramentalem*, quae ad essentiam sacrae coenae pertinet quaeque fit in externo hujus sacramenti usu, quae nihil aliud est quam ore accipere panem eucharisticum, qui est *κοινωνία* corporis Christi. Haec sacramentalis manducatio dicitur spiritualis non sensu priori, sed longe alio, quia scilicet corpus Christi non manducatur naturaliter, ac modus manducationis, uti etiam praesentiae, non est naturalis, carnalis, physicus, localis, sed supernaturalis, divinus, mysticus, coelestis et spiritualis. Probe hoc discrimen intellexit Bucanus, unde loco 48. p. 687. sic scribit: *Quod quidam fingunt corporalem manducationem, quae fiat modo coelesti et supernaturali, est commentum ineffabile et in intelligibile, adeoque contradictionem implicans.* Itane vero quia ratio nostra hoc mysterium non comprehendit, sed fortissime eidem adversatur, ideo repudiandum fuerit? sed de tota hac re paulo post plenius.

Fundamenta assertionis de manducatione sacramentali.

177. Nos sacramentalem manducationem corporis Christi, prout superius definita est, demonstramus hisce fundamentis: 1. Verba coenae substantialia accipienda sunt in nativa et propria significatione, ut superius fuit comprobatum. Atqui verba illa, *edite*, *bibite*, sunt substantialia. Ergo in propria et nativa significatione sunt accipienda. Minorem confirmant argumenta illa, quae ostendunt, sacramentorum genus esse actionem, cum Scriptura ipsa definiat ea verbis activis, hoc est actionem requirentibus, cumque suum esse in actione habeant et sine
X. 305. actione esse nequeant, ut in tractatu de sacramentis dictum fuit. Quare cum verba edendi et bibendi exprimant certum genus actionis in hoc sacramento necessariae, utique in propria et nativa significatione erunt accipienda. Jam vero notum est, quid edere ac bibere, si absque tropo accipiantur, significent, videlicet ore percipere, unde sic colligimus: Quo organo Christus jubet accipere panem et vinum, eodem etiam organo jubet accipere suum corpus et sanguinem. Atqui panem et vinum jubet accipere organo corporeo, scilicet ore. Ergo etiam corpus et sanguinem suum jubet accipere organo corporeo, videlicet ore. Major probatur, quia Christus discipulos jubet edere et bibere organo corporeo, ore scilicet, illud quod ipsis manducandum et bibendum offerebat. Jam vero id, quod manducandum offerebat, testatur esse corpus suum, id quod bibendum offerebat, testatur esse sanguinem suum. Ergo etiam corpus et sanguinem suum organo corporeo, ore scilicet, accipere jubet. **Verba Christi in sua nativa literali *διανοίᾳ* relicta et non per tropos ac figuras inflexa, solide probant substantialem corporis et sanguinis Christi in sacra coena his in terris juxta ipsius institutionem dispensata praesentiam et oralem manducationem et bibitionem, teste Pierio, qui interrogatus a D. Philippo Nicolai, *annon, quando illud edere et bibere, de quo in verbis coenae Christus loquitur, non aliter quam κατὰ ῥητὸν sumitur, oralis acceptio corporis et sanguinis Christi hic exprimatur?* respondit triplici affirmatione: Ja, ja, ja. Vide D. Philippum Nicolai hac de re fusius disserentem tom. 4. oper. Germ. p. 697. in fol. Idem fassi sunt Zwinglius et ejus socii, teste Luthero tom. 3. Germ. Jen. p. 488. Ac non debemus hic a τῷ ῥητῷ ad tropos et figuras rhetoricas pro nostro lubitu et arbitratu abire, ut multis argumentis confirmatum fuit superius.** Fidei mentionem in verbis substantialibus facit nullam, nec praecipit, ut credant, sed ut manducent ac bibant in verbis coenae formalibus; postea demum in verbis finalibus et promissionis requirit, ut videlicet hoc faciant in *ἀνάμνησιν* suae mortis, hic autem quaestio est de verbis coenae formalibus. **Hyperaspistae duodecim causarum, *cur Reformati cum sententia Lutheri de coena consentire nequeant*, aliquoties repetunt, *quod Christus non corpus suum, sed panem jusserit edere, qui phrasi sacramentali appelletur corpus.* Sed praeter argumenta ex verbis institutionis deducta opponimus illis Bezam, qui part. 2. resp. ad Hoffm. p. 16: *Agedum*, inquit, *tibi largior, jubere Dominum accipi, comedi et bibi tum signa, id est panem illum et vinum illud, tum verum illud suum corpus pro nobis traditum, tum verum illum sanguinem pro nobis effusum, id est semet ipsum totum. Quis enim hoc negarit, quin Christi verbis auctoritatem deneget?*** 2. Manducatio sacramentalis respondet unioni sacramentali, illa quippe hujus est finis; non enim propter panem, sed propter hominem Christus in coena praesens est, ergo unio corporis Christi cum pane respicit manducationem sacramentalem, per quam homini fit *κοινωνία* corporis Christi. Jam vero unio sacramentalis ita comparata est, non quod panis sit signum corporis Christi absentis, sed quod panis in usu sacrae coenae sit medium et organum, per quod communicetur corpus Christi, sive ut Paulus loquitur, *quod panis, quem frangimus, sit κοινωνία corporis Christi*. Ergo etiam manducatio sacramentalis ita comparata est, non quod ore accipiatur tan-

Digitized by Google

tum panis, qui sit absentis corporis signum, sed quod mediante pane vere manducetur Christi corpus, mediante vino vere bibatur Christi sanguis. 3. Quaecunque ad essentiam sacramenti pertinent, organo corporeo accipiuntur, ut ostendit exemplum circumcisionis, baptismi et aliorum sacramentorum. Jam vero corpus et sanguis Christi pertinent ad essentiam sacrae coenae, siquidem *eucharistia constat non solum re terrena, sed etiam re coelesti, corpore scilicet et sanguine Christi*, Iren. lib. 4, c. 34. Ergo corpus et sanguis Christi organo corporeo, ore scilicet, accipiuntur. Sacramentum est totum constans duabus partibus, terrena, scilicet pane et vino ac coelesti, scilicet corpore et san-
X. 306. guine Christi. Jam vero totum sacramentum hic in terris ore accipitur. Ergo etiam utraque pars non terrena solum, sed et coelestis. Si pars altera sacramenti fide coelos subvolante acciperetur, in terris non esset integrum sacramentum, imo plane nullum esset sacramentum, quia remota parte essentiali non amplius est totum. 4. Ubicunque verbum edendi de pane et bibendi de vino dicitur, significatio ejus est propria et nativa, quia actio praedicatur de proprio suo objecto, manducatio et bibitio figurate accepta non habet locum, nisi cibus et potus etiam figurate accipiatur. Jam vero in verbis coenae vox edendi de pane (licet non solo), vox bibendi de vino (licet non solo) praedicatur. Ergo significatio est propria et nativa. 5. Una atque eadem significatio est verbi bibendi in mandato Christi et in mandati illius exsecutione; absit enim ut dicamus, in prima coenae administratione aliud mandasse Christum, aliud apostolos fecisse. Jam vero in exsecutione illius mandati verbum bibendi accipitur proprie, *et biberunt ex eo omnes*, Marc. 14, v. 23. Id quod per se patet et confirmatur exemplo proditoris Judae, quem primae coenae interfuisse ex contextu Lucae plerique patres statuunt. Ergo etiam in mandato Christi verbum bibendi accipitur proprie. Vicissim, quae est ratio partis posterioris, eadem etiam ratio est partis prioris. Jam vero verbum bibendi in parte posteriore accipitur proprie. Ergo etiam verbum manducandi in parte priore proprie accipitur. 6. *Panis quem frangimus*, hoc est panis eucharisticus fractus et distributus, *est κοινωνία corporis Domini*, 1. Cor. 10, v. 16. Jam vero os accipit fractum et distributum panem. Ergo os accipit in sacramento corpus et sanguinem Christi. 7. Talis significatio verbi *edite* et *bibite* statuenda est, quae etiam competit indignis, ut suo loco ex 1. Cor. 11, v. 27. probabimus. Jam vero spiritualis manducatio, prout ab adversariis definitur, non competit indignis. Ergo verba *edite* et *bibite* non possunt de spirituali manducatione et bibitione intelligi. 8. Verba *edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus*, proprie loquendo non sunt verba promissionis, sed verba mandati, ordinationis ac dispositionis. Jam vero fides proprie respicit verbum promissionis, fide ea accipiuntur, quae promittuntur. At quae simpliciter affirmantur, ea quidem credenda sunt, non tamen fide accipiuntur vel apprehenduntur. Sic Christum incarnatum esse credendum est, interim tamen Christi incarnatio non pendet ex nostra fide; ita quoque Christi corpus manducato benedicto pane vere manducari credendum est, interim tamen praesentia et manducatio corporis Christi non pendet ex fide nostra. 9. Sacramentalis et spiritualis manducatio corporis Christi multis modis differunt. Ergo non sunt invicem confundendae. Sacramentalis manducatio pertinet ad essentiam sacrae coenae; spiritualis vero ad illius finem et fructum, qui proponitur in his verbis: *hoc facite in mei commemorationem*. Sacramentalis manducatio est medium, spiritualis manducatio est finis, jam vero media ad finem ducentia sunt distincta ab ipso fine. Sacramentalis manducatio distincta est a bibitione sacramentali, ut ostendunt verba institutionis; spiritualis manducatio non distinguit corpus et sanguinem Christi, sed uno actu fertur in totum Christum. Sacramentalis manducatio versatur non tantum circa corpus Christi, sed etiam circa panem, quo scilicet mediante corpus Christi accipit; spiritualis manducatio non versatur circa externum elementum, sed tantum circa corpus Christi. Sacramentalis manducatio est communis omnibus sacra coena utentibus; spiritualis autem solis fidelibus convenit. Sacramentalis manducatio fit non solum a fidelibus ad salutem, sed etiam ab incredulis ad judicium; spiritualis fit tantummodo ad salutem. Sacramentalis manducatio instituta demum est in N. T.; sed spiritualis est omnium temporum, etiam V. T. Absque sacramentali manducatione multi, scilicet infantes et fideles adulti, in casu privationis necessariae salvantur; spiritualis autem omnibus salvandis est necessaria. Sacramentalis manducatio non potest abesse a sacra coena; spiritualis autem manente integra sacrae coenae essentia abesse potest, neque enim ad sacramenti integritatem quidquam interest, qua fide quis eo utatur. Ex quibus omnibus sic inferimus: Eam X. 307.
oportet esse significationem verborum *edite* et *bibite* in sacra coena, per quam manducatio et bibitio sacramentalis a manducatione et bibitione spirituali distinguatur; ratio connexionis pendet ex discrimine multiplici modo ostenso. Jam vero significatio metaphorica verborum *edite* et *bibite* non distinguit manducationem et bibitionem sacramentalem a spirituali, quia figurate edere Christi corpus, metaphorice bibere ipsius sanguinem nihil aliud est quam spiritualiter *edere* ac *bibere*. Ergo significatio metaphorica non habet locum in verbis coenae substantialibus *edite* ac *bibite*. 10. D. Mentzerus tom. 3. disp. Giss. disp. 6. th. 147. addit hoc argumentum: Relati et correlati eadem est ratio in proprietate significationis vocabuli. Nam pater proprie dictus habet filium proprie dictum, sicut patris metaphorice dicti filius etiam metaphorice dicitur. Atqui distributio et acceptio in sacra coena, quae refertur ad manducationem et bibitionem, accipitur proprie, non modificate, ut fatentur ipsi adversarii. Ergo etiam

Digitized by Google

manducatio et bibitio accipiuntur in significatione propria, non modificata.

178. Referenda huc sunt dicta veterum. Irenaeus lib. 4. c. 34. p. 263: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire et non percipere vitam, quae a corpore Domini et sanguine alitur?* lib. 5. c. 4. p. 318: *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae corpore et sanguine Domini nutritur?* Tertullianus de resurrect. carnis c. 8. p. 317: *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Cyprianus serm. de lapsis p. 225: *Jacens stantibus et integris vulneratus minatur, et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegis irascitur.* Chrysostomus homil. 27. in 1. Cor. p. 567: *Haec facis Christi mensa exceptus illo die, quo dignus habitus es, qui carnes ejus lingua tangeres, quicunque sis ergo, ne haec fiant, manum tuam expurga et castiga linguam et labra, quae ingressus Christi fuere vestibula, ἅπερ ἐγένετο πρόθυρα τῇ ἐπιβάσει τοῦ Χριστοῦ.* hom. 29. in 2. Cor.: *Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum.* homil. 1. Eph.: *Quomodo comparebit ante tribunal Christi, qui labiis et manibus immundis ausit corpus ejus attingere?* Cyrillus lib. 10. in Joh. c. 13. p. 500: *Non negamus, recta nos fide caritateque sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis Scripturis omnino alienum dicimus.* Et postea: *An fortassis putant, ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse? quae cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare?* Theodoretus lib. 5. histor. eccles. c. 17. (aliis est 18. c.) in principio refert verba Ambrosii ad imperatorem Theodosium: *Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, quando furore verborum tuorum injuste est effusus sanguis.* Augustinus epist. 118. paulo ante finem: *Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi.* lib. 2. contra advers. legis et prophetar. c. 9. circa finem: *Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, carnem suam nobis manducandum bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere et humanum sanguinem potare quam fundere.* serm. 215. de tempore paulo ante finem: *Videte fratres carissimi, si justum est, ut ex ore Christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum diaboli proferatur.* Theophylactus in 2. Cor. 13: *Per os Christus ingreditur, cum sacrosanctum corpus accipitur.* Oecumenius in 1. Cor. 11: *Sacratissimum Christi corpus manibus impuris accipiunt indigni et exsecrando ori suo admovent.* Leo serm. 4. de quadragesim.: *Ore indigno Christi corpus accipiunt.* serm. 6. de jejun.: *Hoc ore sumitur, quod corde creditur, et frustra ab illis amen respondetur, a* X. 308. *quibus contra id, quod creditur, disputatur.* Gregorius hom. 22. pasch. col. 146: *Quid sit sanguis agni, jam non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* lib. 4. dialog. c. 58: *Ejus corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis jam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.*

Argumenta Calvinianorum contra oralem manducationem. 1. Joh. 6. traditam esse expositionem verbi edite.

179. Exceptiones adversariorum ad argumenta potiora haec sunt: *1. In cap. 6. Johannis ab ipso Christo expositum esse, quam corporis sui manducationem et sanguinis sui bibitionem instituerit, videlicet nullam aliam quam spiritualem, quin imo asserunt, Johannem ideo descriptionem institutionis praetermisisse, quia jam ante in cap. 6. scilicet exposuerit, qualis manducatio corporis et bibitio sanguinis in sacra coena intelligenda sit.* Inde Oecolampadius caput 6. Johan. *suum ferreum atque aheneum murum, adeoque angelum contra nos igneo gladio armatum* vocare fuit solitus. **Cap. 6. Joh. de coena sacra agere statuit Bellarminus lib. 1. de euch. c. 5. 6. 7. cui contrariatur Franc. Suarez lib. 2. defens. fidei Cathol. cap. 5. p. 368: *Multi* (inquit) *Catholici negarunt, illa verba Johan. 6. intelligenda esse de manducatione sacramentali.* Caput 6. Joh. de coena quoque intelligunt Martyr in loc. comm. class. 4. loc. 10. §. 34. Thalmannus de coena p. 173. Wilhelmus Kleinwitzius contra Hesshus. p. 491. Johan. Leonhardus in gladio versatili p. 81. auctore Sadeel oper. fol. 348. Danaeus contra Selneccerum p. 101. Georg. Hanfeld im Wegweiser vom Abendmahl p. 338. Amling. vom Abendmahl p. 92. Embdenses in resp. contra D. Hunn. p. 219. Sed de sacramento eucharistiae nihil in eo capite agi docent Calvinus in c. 6. Joh. Aretius lect. 5. de coen. Dom. p. 86. Pelargus in Johan. p. 78.** Respondemus: 1. Philippus in comm. in Johan. nomine Crucigeri editis c. 6. sic scribit: *Ego concionem illam Johannis nec de ceremonia coenae Domini, nec de sacramentali manducatione, sed de sola fide intelligo, sicut Christus ipse praefatus est.* Hanc sententiam Philippi approbat etiam Calvinus in c. 6. Joh. similiter scribens p. 44: *Non de coena hic habetur concio, sed de perpetua communicatione spirituali, quae extra coenae usum nobis constat.* Et postea: *Ex his verbis palam apparet, totum hunc locum perperam de coena exponi, quae nondum erat instituta.* **Chamierus tom. 4. panstrat. lib. 8. c. 5. §. 21. p. 292: *Persuasissimum nobis est, hoc toto capite Joh. 6. agi abstracte de re per sacramentum eucharistiae significata, id est esu potuque spirituali carnis ac sanguinis Christi. Itaque non probamus Bohemos directe ab iis verbis* (pro communione sub utraque specie) *argumentantes.* Vide eundem tom. ejusd. lib. 11. c. 3. ubi multis hac de re disputat. D. Schönfeld in der von ihm glossirten Bibel über das 6. cap. Joh. Steinius

Digitized by Google

part. 2. der Brüderschaft p. 102. itidem negant, Johan. 6. de eucharistiae sacramento agi. Matth. Sutlivius de missa adv. Bellarminum lib. 1. c. 24. p. 117. vocat *plane inane figmentum et futile inventum in loco arenoso positum*, quod duodecim argumentis probat.** Gualtherus homil. 53. in Joh. fol. 112. et homil. 54. fol. 114. fatetur, *Christum hoc loco nullam coenae mentionem facere.* Perkinsus in Cathol. reform. controv. 10. c. 4. p. 222. edit. Herb.: *Caput Johannis sextum non debet intelligi de peculiari illa manducatione, quae fit in coena, sed in genere de omni manducatione et fruitione Christi, quae fit etiam extra usum coenae.* Benedict. Aretius lect. 5. de coena: *Quod locum Johannis sexto attinet, ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, respondemus, non eandem esse cum hac propositione rationem. Nam Joh. 6. coena nondum fuit instituta, nec etiam illic instituitur.* Vorstius in Antibellarm. cap. de coena p. 391: *In loco Joh. 6. nihil quidquam de sacramento eucharistiae proprie agitur.* ** Joh. Völkelius Photinianus in dissolutione nodi Gordii p. 16: *Evidentissime a nostris demonstratum, verba illi Christi, quae in c. 6. Johannis exstant, ad coenae Dominicae institutionem minime pertinere.*** 2. Quamvis igitur
X. 309. ex c. 6. Johann. salutaris usus coenae in spirituali corporis Christi manducatione et sanguinis bibitione consistens declarari possit, quo sensu et respectu pii veteres hoc caput ad doctrinam de coena referunt, tamen quae sit sacramentalis manducatio et in quo ipsa essentia sacrae coenae consistat, id ex c. 6. Joh. peti nec posse nec debere dicimus, quia c. 6. Joh. agit de manducatione spirituali, sed institutio sacrae coenae tractat de manducatione sacramentali, quod ipsi etiam adversarii concedere coguntur. Jam vero manducatio sacramentalis a spirituali multis modis differt, ut per distincta membra paulo superius fuit declaratum. 3. De quolibet dogmate judicandum est ex propria sede juxta regulam theologicam. Jam vero propria sedes doctrinae de coena non est caput sextum Johannis, quippe quae post illam concionem integro demum anno elapso fuit instituta, sed Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10. et 11. Ergo ex illis locis petenda est doctrina de sacra coena. Ubi non habet locum integra descriptio sacrae coenae, ibi non potest quaeri ejus essentia. Atqui integra descriptio sacrae coenae non habet locum in c. 6. Joh. quia nec externorum symbolorum, panis scilicet et vini, nec sacramentalis manducationis et bibitionis ibidem fit mentio. Ergo ubi non fit mentio panis et manducationis proprie acceptae, ibi non describitur essentia sacrae coenae, quia verba panis et manducandi in verbis institutionis accipiuntur proprie, ut superius fuit confirmatum. Jam vero Joh. 6. non fit mentio panis et manducationis proprie acceptae, sed tantum metaphoricae et spiritualis manducationis. Ergo. Vide D. Polyc. Lyserum in harm. evang. c. 78. p. 203. ubi discrimen manducationis, de qua Christus Joh. 6. agit, et manducationis sacramentalis, quam idem in sacra coena instituit, late exponitur. 3. *Johannem ideo praetermittere voluisse coenae Dominicae descriptionem, quia in c. 6. ipsam coenae substantiam exposuerit*, causae est fallacia; ideo vero Johannes institutionis descriptionem praetermisit, primo quia a reliquis evangelistis, quorum scripta jam tum exstabant, erat diligentissime annotata, testatur enim Eusebius lib. 3. hist. eccles. c. 21. *cum trium evangelistarum scripta ad cunctos et jam ad ipsum* (Johannem) *quoque pervenissent, probasse quidem et veritatis testimonium illis dedisse, solam tamen in horum scriptis desiderasse narrationem eorum, quae initio praedicationis gesta sunt a Christo.* Et postea: *Ideo non abs re genealogiam quidem Servatoris secundum carnem tanquam a Matthaeo et Luca jam ante descriptam silentio transit.* Idem vero de sacrae coenae descriptione judicium. ** Seelmatterus Calvinianus in praef. symphoniae evangelicae: *Johannes ideo descriptionem institutionis coenae praetermisit, quia expendit, a reliquis evangelistis sacrae coenae tum celebrationem tum institutionem in perpetuum ecclesiae ritum plene consignatum.*** Secundo quia non tam res a Christo gestas, inter quas etiam coenae institutio referenda est, quam dulcissimas conciones Christi, praesertim a reliquis evangelistis praetermissas, narratione evangelica complecti voluit. Tertio quia ex Patmo in Asiam reversus, Ebionis et Cerinthi divinitatem Christi oppugnantium blasphemias audiens, easdem suo refutare voluit evangelio. Irenaeus lib. 3. c. 11. p. 184: *Johannes Domini discipulus volens per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, ut confunderet eos et regulam veritatis in ecclesia constitueret, sic inchoavit evangelium* etc. Idem testatur Hieronymus in catal. script. eccles. Quarto quia in epistola sua docuerat, sanguinem Christi in terris *testari* atque esse medium, per quod *Christus ad nos venit*, 1. Joh. 5, v. 6. et 8.

2. Verbum edite de pane proprie, de corpore Christi metaphorice intelligendum esse.

180. 2. Regerunt: *In verbis Christi, edite, hoc est corpus meum, τὸ edere et de pane et de corpore Christi intelligendum esse, sed diversimode: de pane proprie, de corpore Christi metaphorice*, consid. commonef. p. 220. *Cum sancta coena* (scribit Bucanus loco 48. p. 687.) *constet duabus rebus, terrena et coelesti, seu signo et signato, duo sunt* X. 310. *manducandi modi, et ideo duplex manducatio praecipitur, una signi, altera signati, illa corporalis et sensibilis, haec vero spiritualis et intelligibilis; illi manducationis vocabulum proprie, huic vero figurate tribuitur*, ut Psalm. 14, v. 4: *Operarii iniquitatis comedunt populum meum sicut panem*, et Joh. 6, v. 53: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam.* Respondemus: 1. ἀδύνατον est unum idemque verbum in una propositione simplici duplicem, eandemque disparatam obtinere significationem. Ubi enim diversa significatio, ibi diversi conceptus.

Digitized by Google

Ubi conceptus diversi, ibi etiam res diversae. Ubi res diversae, ibi diversus attributionis modus. Ubi non est unus attributionis modus, ibi non una nec simplex, sed diversa et multiplex est praedicatio. Ergo ubi significationes diversae, ibi etiam multae praedicationes. Keckermanus lib. 2. syst. log. sect. 1. c. 1. can. 1: *Utrumque* (nomen et verbum) *dicitur esse unum unitate significationis, atque adeo dans verbum ambiguum non dat verbum, sed verba.* Sadeel. p. 158: *Eritne figurata locutio respectu animi et non respectu corporis? Unde tantum discrimen? ubi tanti discriminis τὸ ῥητόν? en hominum somnia.* ** Alstedius in praecogn. theol. lib. 2. c. 100. p. 142: *Scriptura sacra non est ambigua, sed quaelibet vox et phrasis in eadem sententia et constructione eadem, uno et eodem loco habet unicam tantum significationem, unicum sensum, non plures. Nam tum demum est enuntiatio vera, cum unum dicitur, sed unum non dicitur, cum voci seu phrasi eidem duplex affingitur significatio in eodem loco, sicut Romanenses fingunt, verbum facite in verbis coenae significare primo sacrificare seu offerre Deo corpus Christi, secundo panem et corpus Christi accipere.*** 2. Psalm. 14, v. 4. non una et simplex, sed duplex est praedicatio, unde in Hebraeo vox comedendi bis repetitur: *Comedunt populum meum, ac si comederent panem.* Idem animadvertitur in omnibus exemplis, quae proferuntur ab adversariis hoc fine, ut probent, vocem unam in una oratione simplici duas sustinere posse significationes. Vide D. Meisnerum part. 1. sobr. phil. sect. 1. c. 5. q. 6. Joh. 6, v. 53. manducandi vox unam tantum habet significationem, metaphoricam scilicet. 3. Figmentum de duplici significatione vocis *edite* in verbis coenae separat ac divellit unionem sacramentalem panis et corporis, cum tamen panis et corpus Christi non considerentur ut duo objecta plane sejuncta, sed ut unum objectum sacramentale, quod totum Christus edere jubet; unde sic colligimus: Quemadmodum sacra coena est unum sacramentum, non duo, quia scilicet est ibi rei terrenae et coelestis unio sacramentalis; ita verba sacramentalia *edite, bibite* non duplicem, sed unam habent significationem, tum unioni sacramentali, tum unitati sacramenti respondentem. 4. Idem figmentum separat et divellit unicam illam et indivisam sacramentalem manducationem in sacra coena a Christo institutam, quae nec est solius panis, nec solius corporis Christi, sed corporis Christi cum pane sive mediante pane manducatio. Separat etiam unicam illam et indivisam sacramentalem bibitionem a Christo institutam, quae nec est solius vini, nec solius sanguinis Christi, sed sanguinis Christi cum vino sive mediante vino bibitio. Haec, inquam, una sacramentalis, ac proinde indivisa manducatio et bibitio, non tam distinguitur, quam divellitur in geminam, objecto instrumento ac loco differentem, dum asseritur, panem et vinum accipi ore corporis in his terris corporaliter; corpus autem et sanguinem Christi accipi sola fide in coelis spiritualiter. ** Si verbis *edite, bibite*, innuitur perceptio, quae fide fit, particula *hoc* non denotabit solum panem, alias enim Christus jussisset credere in panem, quod absurdum. Sed ex mente Calvinianorum verbis *edite, bibite* innuitur perceptio, quae fide fit. ** 5. Nulla necessitas a proprietate literae discedere nos cogit. Quamvis enim rationi nostrae ἄτοπον καὶ ἀδύνατον videatur, corpus Christi una cum pane ore percipi, tamen propter absurdum rationis a sensu literali in articulis fidei non est discedendum. Principium ergo petitur, quando verbo *edite* ideo duplex significatio X. 311.
affingitur, quia corpus Christi mediante pane proprie manducari nequeat. 6. Quin imo διττότης illa significationis in una voce ex verbis institutionis non solum probari nequit, sed iisdem etiam adversatur. In parte enim coenae posteriore una tantum significatio verbi *bibite* locum habet, quia Christus addit bibite *ex hoc* scilicet poculo, quae verba ad bibitionem metaphoricam referre non possunt, cum ex poculo fide non possit bibi sanguis Christi, sed tantum ore. Jam vero par est ratio utriusque mandati *edite* in parte priore et *bibite* in parte posteriore. Quare cum per τὸ *bibere* non nisi oralis bibitio vini et sanguinis Christi sacramentaliter eidem uniti intelligi possit, consequitur, etiam per τὸ *edere* non nisi oralem manducationem panis et corporis Christi sacramentaliter eidem uniti intelligi et posse et debere. 7. Quemadmodum superius unio sacramentalis declarata est per collationem cum unione personali; ita quoque eadem collatio huc afferri potest. Ut enim ea, quae de Christo dicuntur, non accipiuntur proprie respectu unius, tropice vero respectu alterius naturae, sed significatione una propria propter personae ταυτότητα; ita quoque verba coenae substantialia non sunt accipienda proprie respectu externorum symbolorum, tropice respectu corporis et sanguinis Christi, sed significatione una propria propter sacramenti unitatem et sacramentalem unionem. 8. Quaecunque argumenta probant, aliam quam metaphoricam et spiritualem manducationem corporis Christi in verbis coenae substantialibus intelligendam esse, quorum aliquot superius percensuimus, eadem etiam probant, unam tantum, videlicet propriam, esse verborum *edite* et *bibite* significationem. Verba *edite* et *bibite* causam sacrae coenae formalem describunt. At esus et potus spiritualis non est causa formalis, sed finis et fructus sacrae coenae. Plura argumenta ex distinctione manducationis sacramentalis et spiritualis, item bibitionis sacramentalis ac spiritualis petita suo adducentur loco. 9. Utimur hac ἀπαγωγῇ ad absurdum. Manducare in verbis coenae est fide percipere. Manducamus autem benedictum panem, qui est signum corporis Christi. Ergo fide percipimus benedictum panem, qui est signum corporis Christi. Conclusio est absurda, cum panis non fide, sed ore accipiatur. Ergo aliqua ex praemissis, atqui utraque est adversariorum. Si dicant, manducare significare et

φαγεῖν et *πιστεύειν*, *φαγεῖν* ratione panis, *πιστεύειν* ratione corporis, petunt manifeste principium. 10. Regerunt, metaphoricam significationem verbi edere non esse humano arbitrio excogitatam, sed ab ipso Spiritu s. monstratam, videlicet in c. 6. Johan. Respondemus: nos metaphoricam et spiritualem manducationem corporis Christi minime negamus, sed quod in verbis coenae substantialibus, *Edite, hoc est corpus meum*, metaphorica et spiritualis illa manducatio, de qua Joh. 6. agitur, instituta sit et a nobis intelligenda veniat, id vero negamus, propter argumenta superius prolata. Duplicem Christus corporis sui manducationem et sanguinis sui bibitionem nos docet: spiritualem in concione Joh. 6. expositam, sacramentalem in sacra coena institutam. Nequaquam igitur praetextu unius altera oppugnanda est, cum scriptura sit una copulativa. Sicut Ariani testimoniis, quae loquuntur de Christi humanitate, oppugnabant Christi divinitatem; Marcionitae testimoniis, quae loquuntur de Christi divinitate, oppugnant veritatem corporis Christi; Hymenaeus et Philetus testimoniis de spirituali resurrectione oppugnabant articulum de resurrectione corporum atque interim sonora voce clamabant, se non ex ratione humana, sed ex Scriptura divina argumenta petere: ita quoque Calviniani testimoniis, quae de spirituali manducatione et communione nostra cum Christo per fidem agunt, oppugnant sacramentalem manducationem, quae fit ore corporis in usu sacrae coenae, atque interim pleno ore jactitant, se non ex humanae rationis lacunis, sed ex Israëlis fontibus haurire, quae contra sacramentalem manducationem proferunt. *πρῶτον* vero *ψεῦδος* utrobique idem, quod videlicet articuli fidei sibi invicem opponuntur, quod commiscentur ea, quae erant distinguenda, ac quod propter absurdum rationis a proprietate literae disceditur. 11. Rege-
X. 312. runt ulterius, *nos ipsos quoque uni eidemque verbo in eadem propositione duplicem significationem imponere, cum dicimus, panem proprie, corpus Christi mystice comedi*, Ursinus in consid. commonef. p. 270. Responsio: *τὸ* edere, quatenus in sua propria et genuina significatione idem notat, quod ore ut organo aliquid percipere, eatenus de pane eucharistico et corpore Christi eadem ratione praedicatur, ac perinde nequaquam duplicem significationem sortitur; interim si de modo quaestio sit, non negamus, panem naturaliter (nimirum si essentiam et naturam ejus, non autem sacramentale officium respicias), corpus Christi mystice manducari, sed distinctus ille manducationis modus non importat duplicem significationem verbi edere, nec duplex organum perceptionis, uti paulo post plenius docebitur. 12. Denique regerunt, *in baptismo aqua, sanguine et spiritu nos baptizari, nemo tamen dixerit, nos eodem modo baptizari aqua, quo spiritu aut sanguine*, Ursinus loco dicto. Responsio: *τὸ βαπτίζειν* non usurpatur proprie de aqua, tropice de sanguine et Spiritu in ipsa baptismi actione, sed unam omnino significationem habet, videlicet mediante adspersione aquae in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti facta, per Spiritum et Christi sanguinem a peccatis abluere. Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum in baptismo mediante aquae adspersione Christi sanguine sacramentaliter adspergimur, ita in sacra coena mediante panis manducatione corpus Christi sacramentaliter manducamus.

181. *3. Nulla est proprie dicta manducatio,* 3. Man catio propri dicta physic
quae non sit physica sive naturalis. Si ergo corpus Christi in coena proprie loquendo editur, utique etiam naturaliter editur. Et vicissim, si non editur naturaliter, ergo nec proprie. Respondemus: 1. confunditur proprietas vocis grammatica cum proprietate rei physica. Ex proprietate vocis grammatica non recte processus fit ad proprietatem rei physicam. Exempli gratia generatio vere et proprie dicitur de Filio Dei ab aeterno a Patre genito. Si enim non esset vera et propria generatio, utique *Λόγος* non esset vere genitus, et per consequens non esset verus Dei Filius; inde tamen inferri non debet, generationem Filii Dei esse physicam, qualis est hominum generatio. 2. Nec concedi potest, omnem manducationem in propria significatione acceptam esse physicam. Angeli in sacris literis edisse et bibisse leguntur, quae certe non tropica, sed vera fuit manducatio, interim physicam et naturalem fuisse nemo dixerit. Christus post resurrectionem manducavit, teste evangelica historia et Petro Actor. 10, v. 41. si tropice manducavit, non probavit resurrectionis veritatem. Ergo vere et proprie comedit, neque tamen dicendum, quod fuerit manducatio physica et naturalis, quia corpus Christi post resurrectionem fuit spirituale et glorificatum. 3. In hoc et similibus adversariorum argumentis semper confunduntur res et rei modus, quae duo distinguenda esse multis exemplis confirmari potest. Filius Dei natus est ex muliere Gal. 4, v. 4. ideo Maria gestavit in utero, lactavit, educavit ipsum Dei Filium, ubi verba gestandi, lactandi, educandi accipiuntur proprie. Affer jam argumentum. Nulla gestatio, lactatio, educatio proprie dicta est, nisi sit naturalis, et facies ex mysterio rem plane naturalem. Spiritus sanctus vere et proprie descendit in specie corporali columbae, non tamen naturaliter ac localiter. Corpora nostra vere et proprie sunt templa Spiritus sancti, neque tamen Spiritus sanctus in nobis habitat modo physico, terreno, corporali et crassa quadam ratione. Arbores in prima creatione productae fuerunt vere et proprie dictae arbores, neque tamen physico et naturali modo erant productae. Haec et similia consideret, qui comprehendere nequit, quomodo aliquid manducetur proprie ore naturali et tamen non naturaliter. 4. Sic ergo limitamus majorem propositionem. Quod primo et immediate sumitur ore, id demum naturali ratione manducatur. At corpus Christi non primo et immediate, sed consequenter ac mediate ore sumitur, mediante scilicet pane, cum quo in usu sacrae coenae conjungitur. Ergo.

Digitized by Google

5. **Modus manducationis aestimandus ex modo unionis, quae non est naturalis et physica, sed mystica et sacramentalis.** X. 313. Sicut in reliquis mysteriis, puta unionis personalis, Spiritus sancti in specie columbae descendentis etc. unio hyperphysica largitur modum attributionis hyperphysicum ratione rei coelestis, quae cum re terrena conjungitur; ita in mysterio coenae idem fieri statuendum. 6. Quemadmodum igitur modus unionis sacramentalis soli Deo cognitus est, nostrae autem rationis angustiis comprehendi nequit; ita quoque modus manducationis sacramentalis ex unione sacramentali resultantis humanae rationi est incomprehensibilis. Quemadmodum nemo nostrum intelligit, quomodo Christus post resurrectionem et angeli in assumtis corporum formis comederint; ita quoque agnoscamus, manducationem illam sacramentalem esse mysterium ratione humana longe augustius, quod miremur potius, quam rimemur. 7. Si haec essent immediate opposita: corpus Christi in sacra coena aut manducatur naturaliter, aut spiritualiter, cur peculiarem de sacramentali manducatione librum Ant. Sadeel conscripsisset? 8. Regerunt: *in sacra coena sunt res distinctae.* Ergo *distinctis percipiuntur instrumentis, panis scilicet ore, corpus Christi fide.* Respondemus: distinctae quidem res sunt, non tamen disjunctae vel separatae, sed sacramentaliter unitae. Propter unionem sacramentalem eodem organo percipiuntur, propter essentialem distinctionem non eodem modo accipiuntur. Maria Deum et hominem in utero gestavit, conjunctio est ratione uteri, distinctio ratione modi, non enim eo modo gestavit divinam naturam, quo humanam. Thomas tetigit Christum deum et hominem, aliter autem tetigit secundum divinam, aliter secundum humanam naturam. Discipuli in flatu et cum flatu Christi acceperunt Spiritum sanctum, sed aliter acceperunt flatum videlicet sensibiliter et certo respectu naturaliter; aliter vero Spiritum sanctum. In baptismo adest Spiritus sanctus et aqua, sed aliter adspergitur corpus aqua, aliter Spiritu sancto. Haec exempla manifeste testantur, substantias distinctas, si vel personaliter, vel sacramentaliter, vel alio quodam modo unitae sint, uno quidem eodemque organo, interim tamen modo diverso recipi et apprehendi. Baptista vidit Spiritum s. descendentem in specie columbae. Ergo non solum columbam, sed et Spiritum s. vidit, non tamen uno eodemque visionis modo. Naturalis oculorum acies apprehendit solam columbam, non penetravit ad ipsam Spiritus sancti essentiam, interim quia modo peculiari et hyperphysico Spiritus sanctus cum illa columba unitus erat, ideo recte et vere Johannes dicitur Spiritum sanctum vidisse. Spiritus sanctus descendit in specie columbae. Ergo non solum columba, sed Spiritus sanctus vere descendit, modus autem descensus est dissimilis. Columba descendit naturaliter et localiter, Spiritus sanctus supernaturaliter et illocaliter. Apostoli flatu tanquam organo vere physico acceperunt Spiritum sanctum, non autem modo physico sed hyperphysico. Apostoli *τὸν λόγον* incarnatum uno eodemque visus et tactus organo, sed modo diverso viderunt et contrectarunt; carnem scilicet *φυσικῶς*, *λόγον* personaliter et *ὑπερφυσικῶς*.

4. Edere est dentibus atterere.

182. 4. *Edere non potest proprie accipi in verbis coenae, alias sequeretur, corpus Christi dentibus atteri.* Scriptor quidam anonymus in dissertatione monitoria adversus D. Hoë argumentum format hoc modo: *Edere non solum est ore accipere, sed etiam dentibus conterere ac deglutire, alias idem esset edere, quod bibere. Jam vero absurdum est de corpore Christi affirmare, quod dentibus comminuatur.* Respondemus: 1. de summis fidei mysteriis non judicandum est ex coecae rationis praedicamentis. 2. Non omnis vera et propria manducatio necessario includit comminutionem dentibus factam, sed solummodo naturalis. Num enim de angelo in assumta corporis forma et de Christo post resurrectionem manducante audacter pronuntiabimus, quod assumtum cibum dentibus comminuerint, deglutierint, concoxerint? quanto modestius veteres dicunt: *Post resurrectionem comedit Dominus et vere comedit, non secundum phantasiam, sed oeconomiam; cibum vero modo decenti, quem ipse novit, distribuit.* Item: *Manducavit non necessitate,* X. 314. *sed propria voluntate, aliter enim absorbet terra aquam, aliter sol; sol potestate, terra necessitate, quia arida est* etc. Beda, Euthymius, Theophylactus in c. 24. Luc. 3. Quid quod ne quidem naturalis manducatio semper includit masticationem, quomodo igitur de sacramentali manducatione hae cogitationes locum habent? 4. Christi corpus et sanguis non sunt vulgaris ac naturalis quidam cibus et potus, quo ad sustentationem corporis ad hanc vitam utimur, sed sunt cibus spiritualis ac coelestis, ideo proprietates et consequentia manducationis physicae ac naturalis non tribuamus corpori et sanguini Christi. Quamvis enim panis et corpus Christi sacramentaliter unita uno percipiantur organo, videlicet ore corporis, modus tamen manducationis variat, panis in se et sua natura consideratus sumitur naturaliter ac sensibiliter; corpus Christi supernaturaliter, mystice, incomprehensibiliter. Conjunctio est ratione instrumenti, distinctio ratione sumtionis modi. Christus corpore et sanguine suo totum hominem cibat, sicut etiam totus homo in baptismo regeneratur, verum non cibo aliquo naturali, neque ad hanc vitam, sed cibo coelesti et spirituali ad vitam aeternam; absit ergo, ut naturalis manducationis *ἑπόμενα* somniare hoc loco velimus. Gregorius Nyss. orat. catech. c. 36: *Quemadmodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit; sic et corpus illud, quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat.* Augustinus lib. 7. confess. c. 11. in persona Christi: *Cibus sum grandium, cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* 5. Vox *edendi* non pure, univoce nec ae-

Digitized by Google

quivoce, sed analogice, hoc est secundum prius et posterius praedicatur, de pane scilicet non tantum ut primo subjecto, sed etiam πρώτως καὶ ἀμέσως, de corpore autem Christi κατ' ἄλλο ἑπομένως καὶ ἐμμέσως, scilicet propter unionem mysticam sacramentalem. Quemadmodum igitur ex eo, quod Spiritus s. in specie columbae descendisse dicitur, non licet colligere, quod localiter et naturaliter descenderit, cum descensus non nisi κατ' ἄλλο ἑπομένως καὶ ἐμμέσως, videlicet propter columbae descensum, Spiritui sancto tribuatur; ita quoque ex eo, quod corpus Christi mediante benedicto pane manducari dicitur, non licet colligere, quod naturaliter manducetur ac dentibus teratur, cum manducatio non nisi κατ' ἄλλο ἑπομένως καὶ ἐμμέσως, videlicet propter panis eucharistici manducationem, corpori Christi tribuatur.

5. Oralis manducatio est Capernaitica.

183. 5. *Oralis manducatio corporis et sanguinis Christi non differt a Capernaitica laniena, quam Christus ipse Joh. 6. reprobat.* Bucanus loc. 48. p. 687: *Manducationis vocabulum in verbis coenae figurate intelligendum, secus enim sequeretur, corpus Christi esse corporali actu manducandum, quod est horrendum et Capernaiticum.* Pezelius in tract. de coena dicit, *hanc semper manere convenientiam inter Lutheranos et Capernaitas, quod utrique credant realem carnis comestionem, quamvis illi subtilem, hi vero crassam manducationem somniarent.* **Cons. orthod. p. 47: *Omnis alia quam spiritualis manducatio verae carnis Christi est σαρκοφαγία.* Beza epist. 7. p. 246: *Errorem esse demus, ab ista cyclopica, id est orali, ut ipsi loquuntur, sive reali carnis Christi manducatione abhorrere.*** Respondemus: Sacramentalis et Capernaitica manducatio toto coelo differunt. Primum discrimen est in ipso manducationis objecto. Capernaitica manducatio respicit carnem nudi hominis, talem enim Capernaitae putabant esse Christum, talis nudi hominis caro non potest salutariter manducari. Sed sacramentalis manducatio habet pro objecto carnem vivificam Filii Dei. Alterum discrimen consistit in eo, quod Capernaitae talem manducationem somniabant, in qua unus quidem hanc, alius vero illam corporis partem acciperet, donec totum corpus absumtum esset. Cyprianus, vel quicunque alius auctor, in
X. 315. sermone de coena non longe ab initio: *Orta fuerat aliquando, sicut in evangelio Johannis legitur, de novitate hujus verbi quaestio et ad doctrinam mysterii hujus obstupuerant auditores, cum diceret Dominus: Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc. Quod quidam, quia non credebant, non poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis et nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes, hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel assam sectamque membratim edere docerentur, cum illius personae caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere.* Augustinus in enarrat. Psalm. 98. post medium: *Acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt et putaverunt, quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis.* At hanc blasphemiam sonora voce damnamus ac docemus, convivii hujus coelestis hospites corpus Christi totum et indivisum accipere juxta dictum antiquitatis: *Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille, nec sumtus absumitur!* Tertio: Capernaitae somniabant naturalem et physicam carnis manducationem, qualis est carnis in macello venditae; nos statuimus modum manducationis supernaturalem, invisibilem, spiritualem, mysticum et incomprehensibilem. Sic ergo sacramentalis manducatio a Capernaitica differt non solum objecto, sed etiam modo.

6. Cibus spiritualis non potest percipi organo corporeo.

184. 6. *Cibus spiritualis non potest percipi organo corporeo, ore scilicet corporis. Atqui caro Christi est cibus spiritualis, sanguis ejus est potus spiritualis, Joh. 6, v. 55. et 58. Ergo non potest percipi organo corporeo, ore scilicet corporis, et per consequens corpus Christi spiritualiter tantum manducatur.* **Pelargus in comp. suo correcto (vel potius depravato) p. 470: *Res spiritualis et coelestis ore fidei, res terrestris et elementaris ore corporis manducatur.*** Respondemus: 1. Negatur major propositio. Spiritus sanctus est essentia, ut ita loquar, spiritualissima, idem tamen in corpore nostro habitat, adeo ut corpus nostrum sit ipsius templum 1. Cor. 6, v. 19. Verbum Dei est res spiritualis, et tamen auribus percipitur. Regeneratio est res spiritualis, et tamen non sola anima, sed totus homo regeneratur. Baptismus est lavacrum spirituale, et tamen corpore percipitur. Justitia originalis fuit res spiritualis, nec tamen corpus primi hominis ejusdem plane expers fuit. 2. Si major est apodictica, erit etiam reciproca, cibus spiritualis non potest percipi ore corporis, et res corporea non potest percipi ore spirituali, quia ut se habet objectum spirituale ad os corporis, ita se habet objectum corporeum ad os spirituale. Jam subsumimus, Christi corpus est verum corpus. Ergo non potest percipi ore spirituali, videlicet ore fidei. Ubi ergo manet tantopere depraedicata manducatio spiritualis, quam nos loco suo non negamus, sed ad fructum coenae referimus? Sadeel in lib. de verit. hum. nat. Christi volum. oper. fol. 154. arg. 4. sic scribit: *Corpus non magis potest esse realiter praesens praesentia spirituali, quam spiritus potest esse realiter praesens praesentia corporali.* Ex hoc principio etiam spiritualem manducationem corporis Christi everti verissime ostendunt Neophotiniani. Sic enim scribit Ostorodus in instit. Germ. cap. 38. pag. 337: *Sententia Calvinistarum* (quod non corporali, sed spirituali modo et nihilominus vere corpus et sanguinem Christi in sacra coena accipiamus) *minus subsistere potest quam priorum* (Lutheranorum), *siquidem, quando corpus et sanguis Christi spiritualiter manducatur et bibitur, necessum est, ut spiritu et corde tantum id fiat, et quod corporalis rei manducatio et bibitio, qualis est panis et vini in coena Domini, id non postulant. Et profecto quemadmodum de spirituali manducatione et*

Digitized by Google

bibitione corporis et sanguinis Christi in sacris aliquid legitur, ita nihil legitur, quod peculiari ratione in coena id fiat, quod sufficit ad hanc sententiam rejiciendam, quae tamen cum accurate examinatur, a priori parum vel nihil discrepat, siquidem in ea,
I. 316. *sicut in priori affirmatur, quod vere corpus et sanguis Christi in coena adsint et accipiantur, excepto hoc unico, quod dum Calvinistae subtiliores esse volunt, longe crassiorem errorem, quam priores errant, siquidem nulla ratione intelligi potest, quomodo caro et sanguis Christi spiritualiter et nihilominus vere sub pane et vino accipi possint, quod etiam ipse Johannes Calvinus fateri coactus est.* Haec Ostorodus. Catech. Racov. major cap. 3. p. 221: *Tertia opinio* (Calvinistarum) *non potest consistere, quoniam contradicentia sunt, vero corpore Christi vere et realiter vesci et eodem spiritualiter vesci.* Ex his apparet, Photinianos hoc principio Calviniano spiritualem corporis Christi manducationem veram ac realem oppugnare. Si enim contradictionem implicat, corpus Christi realiter praesentia spirituali praesens esse, ut Sadeel contendit, contradictionem etiam implicabit, corpus Christi spirituali manducatione et tamen vere et realiter manducari. Ut enim se habet praesentia spiritualis ad corpus, ita etiam manducatio spiritualis. Vide Grawerum in harm. Calvin. et Photin. cap. 3. th. 14. et seqq. 3. Rem ipsam quod attinet, circa majorem propositionem monendum, quod Christi corpus et sanguis sint cibus et potus spiritualis, non ratione essentiae, quasi mutata sint in spiritualem οὐσίαν, id enim pugnaret cum veritate humanae naturae, sed quadruplici potissimum respectu. Primo in oppositione ad cibum vulgarem et naturalem, quo corpus nostrum alitur ad hanc vitam; secundo ratione qualitatum, quia corpus Christi non est ψυχικὸν, sed πνευματικὸν et glorificatum; tertio ratione effectus, quia alit ad vitam spiritualem et confert beneficia spiritualia ac coelestia; quarto ratione modi perceptionis, quod non est terrenus et naturalis, sed spiritualis et coelestis. Major igitur sic intelligenda, quod cibus spiritualis non possit percipi ore corporis, scilicet modo naturali, terreno et vulgari, item immediate et absolute; jam vero corpus Christi non percipitur ore corporis modo naturali et terreno, sed modo spirituali et coelesti, et quidem mediante benedicto pane, cui est sacramentaliter unitum. 4. Ut fiat tota res evidentior, amoliendae erunt ambiguitates omnis confusionis fontes. Si per spiritualem manducationem intelligitur ea, de qua Christus agit Joh. 6. quae consistit in salutari participatione beneficiorum pretioso Christi corpore et sanguine nobis partorum per fidem, tunc dicimus, quod haec spiritualis manducatio tanquam fructus et finis coenae accurate distinguenda sit a sacramentali manducatione, quae ad essentiam sacrae coenae pertinet, et fit ab omnibus hujus convivii coelestis hospitibus, cum prior tantum a fidelibus et dignis fiat. Si vero spiritualis manducatio intelligitur sensu Calviniano, quod scilicet corpus Christi secundum essentiam sit et maneat in coelo, quam longissime remotum ab ore sumentis sacramentum, et tantum sua vi seu occulta applicatione bonorum per passionem partorum in terram penetret, ut hac ratione effectum suorum meritorum, non autem se ipsum cordi humano Christus communicet, quodque os corporis tantum panem et vinum in sacra coena accipiat, fides autem οὐρανοβατικὴ in coelum se elevet ibidemque corpus et sanguinem Christi accipiat; tunc dicimus ex verbis coenae demonstrandum esse, quod Christus per verba *edite* et *bibite* talem manducationem et bibitionem instituerit. Id vero adversariis factu perquam erit difficile, siquidem de hoc figmento ne unica quidem syllaba in sacris literis exstat. Et quam absurdum est fidei nostrae tribuere hanc δύναμιν adscendendi in coelum ibidemque Christum quaerendi, contra vero magno conatu hanc potentiam Christo adimere, quod omni vi sua non possit corpus suum in coena nobis praesens sistere. Christus non nudum panem manducare atque interim fide in coelum subvolare in verbis institutionis jubet, sed id quod discipulis manducandum exhibet, etiam corpus suum, verbis sole meridiano clarioribus testatur. Denique si per spiritualem manducationem hoc intelligitur, quod Christus juxta suam ordinationem modo arcano, coelesti, supernaturali, ineffabili nobisque inexplicabili corpus suum vere praesens mediante benedicto pane manducandum, hoc est ore sumendum, nobis porrigat; tunc dicimus, sacramentalem manducationem hoc sensu et respectu vere
esse spiritualem, quia non fit modo naturali, quo I. 317.
alii naturales et vulgares cibi accipiuntur, sed mystico, hyperphysico et spirituali modo. Quibus igitur respectibus corpus Christi dicitur cibus spiritualis, iisdem etiam respectibus oralis manducatio corporis Christi dicitur manducatio spiritualis, videlicet primo respectu oppositionis, opponitur enim esui communi ac vulgari, quae fit propter nutritionem corporis ad hanc vitam; secundo respectu glorificationis, quia corpus Christi manducationis hujus objectum est ipsius Λόγου glorificatum corpus; tertio respectu operationis, quod enim ita editur, alit vitam spiritualem; denique ratione modi. Ut enim unio sacramentalis non est terrena, sed mystica, spiritualis et supernaturalis; ita quoque manducatio sacramentalis non est terrena, sed mystica, spiritualis et supernaturalis. Vicissim ut corpus Christi, licet sit et dicatur cibus spiritualis, tamen est et manet verum et proprie dictum corpus sine omni figura ac tropo; ita manducatio sacramentalis corporis Christi, licet sit et dicatur spiritualis, tamen est et manet vera et proprie dicta manducatio sine omni figura ac tropo. 5. Quando Cyrillus et alii ex veteribus corpus Christi in coena nobis exhiberi dicunt *corporaliter*, Hilarius *naturaliter*, tunc respectus habetur ad subjectum praesentiae, quod est verum et naturale Christi corpus, atque ad organum receptionis, quod est os corporis, nequaquam vero ad receptionis modum, qui non est corporeus, naturalis ac quantitativus. Vicissim

Digitized by Google

quando spiritualiter illud nobis exhiberi dicunt, non respiciunt ad subjectum praesentiae, quasi solum spiritu suo Christus in coena praesens sit, neque ad organum receptionis, quasi solo spiritu nostro sive fide illud recipiamus, sed ad receptionis modum, et hac ratione excludunt omnes Capernaiticas cogitationes de crassa, locali, carnali et naturali praesentia, sicut conceptio et nativitas Christi ratione subjecti dicitur substantialis et corporalis; ratione vero modi supernaturalis et spiritualis. Perpetuo igitur in hoc mysterio distinguendum inter instrumentum receptionis et inter modum receptionis. Ὄργανον δεκτικὸν est naturale et corporeum, sed modus receptionis non est naturalis neque corporeus, inde sacramentalis manducatio dicitur oralis ratione instrumenti, ex eo vero inferri nequit, quod fiat modo aliquo hujus seculi, ut ex antea dictis luculenter apparet. Recte Sadeel de spir. mand. p. 11. et 47: *Quicquid est mysticum, idem est ὑπερφυσικὸν, et supernaturale et supra naturam.* Subsumo: unio sacramentalis est mystica. Ergo non naturalis, sed supernaturalis. 6. Quare cibum spiritualem non nisi spiritu sive ore fidei accipi posse, est petitio principii, quia verba institutionis clarissime attestantur, corpus Christi, quod est cibus spiritualis hominis regenerati, mediante benedicto pane in sacra coena manducari ac sanguinem ipsius, qui est potus spiritualis hominis regenerati, mediante benedicto vino in sacra coena bibi.

7. Per oralem manducationem introducitur separatio corporis et sanguinis Christi.

185. 7. *Si corpus Christi manducaretur mediante pane et sanguis ejus biberetur mediante vino, introduceretur separatio corporis et sanguinis Christi. Consequens est absurdum.* Ergo. Respondemus: 1. Ergone angusta rationis humanae decempeda immensos religionis nostrae agros emetiri conabimur? Mysteria ideo sunt et dicuntur mysteria, quia captum ingenii humani excedunt. 2. Nequaquam separationem vel divulsionem aliquam corporis et sanguinis Christi introducimus, sed ex verbis institutionis asserimus distincte, sub pane corpus, sub vino sanguinem Christi dari, modum omnipotentiae divinae relinquimus. 3. Explicent nobis adversarii, quomodo humana natura finita infinitae ὑποστάσεως Λόγου particeps sit facta, quomodo Christus secundum humanam naturam in summam sublimitatem dextrae Dei evectus sit, et ex nobis audient, quomodo distincte sub pane corpus manducandum et sub vino sanguinem bibendum in sublimi mysterio Christus exhibeat. 4. Si corpus Christi physice, naturaliter et localiter dispensaretur in sacra coena, per omnia procederet haec collectio adversariorum. Quia vero praesentia, dispensatio et manducatio non est physica, natura-
X. 318. lis ac localis pro ratione proprietatis corporis physici et naturalis, sed mystica, hoc est quae neque intelligitur neque sentitur, sed supra naturae regulas, quia corpus Dei est cum verbo personaliter unitum, ideo ratio consequentiae vana est ac nulla. Etsi igitur vera et realis praesentia atque exhibitio corporis et sanguinis Christi in coena non fit naturali quadam separata ratione, non tamen propterea sequitur, nihil aliud quam repraesentationem corporis et sanguinis fieri, sive nuda tantum signa corporis in mortem traditi et sanguinis effusi nobis exhiberi, potest enim Deus pro infinita sua sapientia et potentia novisse tertium modum nobis ignotum, cum quisquis in verbis testamenti ipsius credere noluerit, is etiam gratia hujus mysterii privabitur. Refut. orthod. consens. p. 118. Cum adversarii ingenue fateantur, se de corpore Christi non posse aliter quam pro modo veri et naturalis corporis secundum proprietates humanae naturae et formam visibilis carnis cogitare, non mirum est, quod in hoc mysterio separationem carnalem corporis a sanguine Christi imaginentur, quam nos aperte damnamus, quoniam hoc mysterium non carnale, sed spirituale est, imo si carnale esset, quod videri, palpari et externo sensu, palato et ore gustari posset, mysterium non esset. Quapropter cum mysterium sit spirituale et modus praesentiae spiritualis, supernaturalis et coelestis, nulla fingenda est corporis a sanguine et sanguinis a corpore carnalis separatio, sed juxta voluntatem et verba testamenti Christi est eorundem vera et realis dispensatio, quam sola fides in verbo capit, quae Deo nullum modum praescribit. Ibid. pag. 389. et 390. 5. Ostendimus superius §. 51. membro 2. distinguendam esse unionem sacramentalem, naturalem ac personalem. Quod Christi corpus non est sine sanguine, id pertinet ad unionem naturalem; quod Christi corpus non est sine divinitate τοῦ Λόγου, id pertinet ad unionem personalem; quod Christi corpus mediante benedicto pane in sacra coena manducandum datur et sanguis ejus mediante benedicto vino in sacra coena bibitur, id pertinet ad unionem sacramentalem. Quando adversarii haec confundunt, in castra Pontificiorum concomitantiae patronorum transeunt et multis difficultatibus sese involvunt. Si enim propterea corpus non potest distincte mediante benedicto pane dari manducandum et sanguis non potest distincte mediante benedicto vino bibendus dari, quia inter corpus et sanguinem intercedit unio naturalis; utique etiam Christi divinitas manducato pane et corpore Christi manducabitur, quia inter divinitatem et corpus Christi intercedit unio personalis; Christo in carne patiente patietur etiam divinitas, quia inter carnem et divinitatem est unio personalis.

8. Omnis promissio accipitur fide.

186. 8. *Omnis promissio accipitur fide. Corpus et sanguis Christi offeruntur in sacra coena verbo promissionis, edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus. Ergo non nisi fide accipiuntur.* Respondemus: 1. Monuimus superius §. 177. membro 8. verba *edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus*, proprie et accurate loquendo non esse verba promissionis, sed verba mandati, ordinationis, institutionis ac dispositionis divinae; Christus enim nequaquam dicit, si vera fide manducaveritis, mediante benedicto pane corpus meum manducabitis, sed absolute et simpliciter pronuntiat,

Digitized by Google

edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus, hoc est instituit sanctissimum testamentum et sacramentum, in quo mediante benedicto pane verum ipsius corpus et mediante benedicto vino verus ipsius sanguis omnibus benedictum panem manducantibus et benedictum vinum bibentibus distribuatur ad confirmandas et obsignandas promissiones evangelicas de remissione peccatorum et reliquis beneficiis traditione hujus corporis in mortem et effusione hujus sanguinis in ara crucis nobis partis. Ergo verba illa coenae substantialia, *edite, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus*, sunt verba testamenti et sacramenti, non autem verba promissionis, ac sacramentalis manducatio corporis et bibitio sanguinis Christi non est summum illud beneficium in verbo evangelii credentibus oblatum, sed beneficii illius signaculum, quo
X. 319. promissiones evangelicae credentibus obsignentur et confirmentur. 2. Deinde Chemnicius distinguit inter promissionem et rem promissam. Promissio accipitur fide, res promissa saepe etiam corpore seu corporali instrumento accipitur, ut sanatio, panis quotidianus etc. Promissio Spiritus sancti fide ab apostolis fuit accepta, interim verum manet, quod Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum sederit super apostolos Actor. 2, v. 3. 3. Ad solidam igitur argumenti explicationem observanda est haec distinctio: Verbo promissionis aut intelligitur ipsa ordinatio Christi et sacrae coenae institutio, ac tum significatio est catachrestica, aliter etiam vox promissionis accipitur in majore, aliter in minore; aut verbum promissionis accipitur stricte, ac tum distinguendum est inter substantiam coenae et ejus fructum. Ad substantiam coenae pertinent panis et vinum, corpus et sanguis Christi eorumve manducatio ac bibitio sacramentalis; ad fructum applicatio beneficiorum Christi, hoc est manducatio et bibitio spiritualis. Promissio respicit fidem seu fructum, propter quem sacra coena est instituta; corpus vero et sanguis Christi, quatenus illud mediante benedicto pane manducandum, hic vero mediante benedicto vino bibendus datur, non pertinent ad fructum coenae, sed ad ipsam substantiam. Hactenus ergo neganda assumtio, quia corpus et sanguis Christi proprie loquendo non offeruntur verbo promissionis, sed verbo institutionis, ordinationis ac dispositionis Christi. 4. Quidam novo schemate idem argumentum induunt: *Nulla est alia communicatio corporis et sanguinis Christi in coena, quam in promissionibus evangelii. Atqui promissiones evangelicae saltem spiritualem corporis et sanguinis Christi communicationem sola fide acceptandam proponunt. Ergo non est alia communicatio corporis et sanguinis Christi in coena, quam spiritualis sola fide acceptanda.* Sed praeter ambiguitatem in phrasi spiritualis communicationis superius expositam latet etiam ambiguitas in verbo evangelii. Etenim si per evangelium intelliguntur promissiones evangelicae proprie sic dictae, in quibus remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti, inhabitatio Christi et vita aeterna vere credentibus offeruntur, tunc concedimus, has promissiones et haec bona coelestia in verbo evangelii oblata non nisi fide accipi; sed si per evangelium in genere intelligitur quidquid in historia evangelica N. T. a Christo institutum ad obsignandas et confirmandas promissiones evangelicas proprie sic dictas, tunc dicimus, sacramentalem manducationem corporis et bibitionem sanguinis Christi non posse a verbo evangelii excludi, cum sit sigillum promissionum evangelicarum. Placuit enim Christo non nudo pane et vino, sed ipsius corporis et sanguinis sui κοινωνίᾳ evangelicas promissiones nobis obsignare, et hac ratione aliquod beneficium evangelii, videlicet sacramentalis κοινωνία corporis et sanguinis Christi, non recipitur fide, sed ore.

187. *9. Quidquid intrat in os, in ventrem vadit et in secessum emittitur*, Matth. 15, v. 17. *Atqui tale quid de corpore et sanguine Christi cogitare nefas.* Respondemus: 1. Christus de externis, corporalibus ac naturalibus cibis loquitur, quos per secessum ejici pronuntiat, usitato scilicet naturae ordine; at corpus et sanguis Christi sunt cibus et potus spiritualis, non ad hanc vitam, sed spiritualem ac coelestem nos nutriens. 2. Ecquis vero dicere audeat, vel si audeat, unde probabit, Christum, qui est Dei virtus et sapientia 1. Cor. 1, v. 24. vel non novisse modum, vel non posse efficere, ut corpus et sanguis ipsius in sacra coena manducetur ac bibatur alia supernaturali ac coelesti ratione? 3. Adde, quod pronuntiatum Christi ne quidem de naturalibus cibis sit universaliter accipiendum. Lombardus quidem 3. sent. dist. 3. lit. N. et O. *negat, alimentum vere in substantiam nutriti converti*, potius tamen cum Thoma part. 1. q. 119. art. 1. Scoto 4. sent. dist. 44. q. 1. atque aliis philosophis ac medicis asserendum, alimentum revera converti in substantiam nutriti, quod docet Aristoteles lib. 1. de generatione et corrupt. c. 5. et probari potest hoc argumento: Major quantitas naturaliter acquiritur vel extensione vel affusione novae materiae. Sed X. 320.
non extenditur tantum, quod nutritur et augmentatur, alias rarefieret. Ergo apponitur ei nova materia, quae necessario speciem nutriti induit. Sensus ergo verborum Christi non est, omne omnino ac totum, quod assumitur, in secessum emitti, *sed aliquid ex omni, quod assumitur*, explicante Lyrano.

9. Quidquid in os intrat, in ventrem abit.

188. *10. Oralis manducatio plane est inutilis. Pii enim jam ante corpus et sanguinem Christi fide participarunt, quod ad salutem illis sufficit; impii vero manducatio illa ad judicium cedit.* Respondemus: argumentum ab inutili petitum exposuimus superius §. 108. argumentum ab absurdo eidem cognatum exposuimus §. 88. hoc loco breviter monemus: 1. Hac methodo totam sacrae coenae institutionem facillime everti posse. Si enim pii ideo non opus habent sacramentali manducatione et bibitione, quia spiritualis manducatio et bibitio ad salutem ipsis sufficit; ergo frustra instituit Christus

10. Oralis manducatio plane est inutilis.

sacram coenam, ergo nec panis et vini perceptione in sacra coena indigebunt. 2. Quamvis spiritualis manducatio etiam extra usum coenae locum habeat et ad salutem sit sufficiens, non tamen inutilis judicanda est manducatio sacramentalis, cum sit medium, quo fides nostra et spiritualis beneficiorum Christi communicatio nobis offertur, exhibetur, confirmatur et obsignatur, qua confirmatione fidei in hac infirmitate carnis nostrae magnopere indigemus. 3. Quod manducatio sacramentalis in indignis finem suum proprium non assequitur, sed ad judicium illis cedit, id fit propter indignorum impoenitentiam atque ἀπιστίαν, ideoque per accidens, neque ob id desinit in se ac per se esse medium fidei confirmandae, licet hunc fructum et effectum in solis credentibus assequatur. Reliqua adversariorum argumenta vel manifeste petunt principium, vel ex absurditate rationis humanae apparente petita sunt, ideoque nullum vere pio negotium facessere possunt, qui vere credit, Christum *esse omnipotentem in factis, veracem in promissis, omnisapientem in suis institutis.*

189. Ex patribus haec potissimum urgent, quod jubeant *manducare corde et spiritualiter*, quod cibum eucharisticum appellent *cibum mentis, non ventris*, quod verba illa praefationis eucharisticae *sursum corda* a vetustissima ecclesia fuerint usurpata, teste B. Rhenano in praefat. ad libr. Tertull. de coron. milit. p. 436. quod *fide sacra symbola intueri* jubeant. Respondemus: 1. In scriptis patrum accurate distinguendum, ubi de essentia vel salutari fructu coenae tractent. Sacramentalis manducatio ad essentiam, spiritualis ad fructum coenae pertinet. 2. Quando cibus eucharisticus vocatur *cibus mentis, non ventris*, haudquaquam excluditur sacramentalis manducatio, sed opponitur hoc furori Capernaitarum atque omnibus terrenis cogitationibus de carnali et naturali manducatione. Commendatur insuper hoc ipso spiritualis et salutaris illa manducatio, quae usum hujus sacramenti respicit, et sine qua sacramentalis nihil prodest. 3. Phrasis illa *sursum corda*, non negat, corpus Christi in sacra coena, quae in ecclesia in his terris celebratur, esse praesens, nec jubet fidem nostram ab actione coenae avertere atque in coelum evolare et ibi corpus Christi quaerere, cum in canone Nicaeno, in quo phrasis illa exstat, *agnus Dei in mensa Dominica dicatur προκείμενος;* sed jubet mentes a terrenis et carnalibus cogitationibus abductas ad Deum elevare, atque hanc coenam, *hanc mensam non graculorum, sed aquilarum* (ut Chrysostomus loquitur) ab omnibus profanis et vulgaribus conviviis discernit. Sic particula *sursum* non de loci, sed mysterii coelestis omnem captum humanum transcendentis sublimitate deque majestatis divinae celsitudine omnis localitatis experte est accipienda, ut ostendimus superius §. 113. 4. Quando canon Nicaenus et alii ex veteribus *fide sacra symbola intuenda* esse dicunt, nequaquam illud opponunt sacramentali corporis Christi manducationi et sanguinis bibitioni ab ipso Christo institutae, sed docent, hoc mysterium non ratione humana, sed fide ac spiritualiter intuendum esse, *cum animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei*, 1. Cor. 2, v. 14. ac proinde religionis nostrae mysteria omnem rationis humanae captum longissime excedentia fide aestimanda, non ratione discutienda esse. X. 321. Haec autem fides veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi praesentiam, ut et sacramentalem corporis manducationem et sanguinis bibitionem nequaquam excludit, sed potius grato corde agnoscit, cum vera fides verbis Christi unice et fortiter inhaereat. Cyprianus serm. de coena p. 450: *Carnalis sensus non penetrat ad intellectum tantae profunditatis, nisi fides accedat.*

Neo-Photinianorum sententia.

190. Iisdem fere argumentis utuntur Neo-Photiniani, qui nec oralem nec spiritualem corporis Christi manducationem et sanguinis Christi bibitionem in coena agnoscunt hisce potissimum nitentes ratiunculis: *1. Corpus hominis nec naturaliter, nec corporaliter, nec spiritualiter manducari potest.* Respondemus: nec unionem nec manducationem naturalem, sed sacramentalem statuimus, ut ex superioribus patere potest, illam vero sacramentalem manducationem in verbis Dominicae institutionis fundatam qui ἀδύνατον existimat, divinae potentiae proterve obloquitur. *2. Summum flagitium est et abominabile facinus comedere hominis, tanti praesertim benefactoris corpus.* Respondemus: Capernaiticam lanienam impugnant, a qua toto pectore abhorremus; sacramentalis manducatio a Christo instituta tantum distat a Capernaitica laniena, quantum distat a Neo-Photinianorum blasphemiis coelestis orthodoxia. *3. Manducatio oralis nihil prodesset, siquidem nihil operaretur.* Respondemus: sane oralis manducatio sine spirituali nihil prodest, ex eo autem non potest inferri, quod non sit a Christo instituta. *4. Manducatio illa pugnat cum reliquis fidei articulis, cum adscensione et natura corporis.* Sed hac de re in superioribus late fuit dictum. Vides tela Photinianorum pleraque deprompta esse ex pharetra Calvinianorum.

CAPUT XVII.

DE REPOSITIONE SACRAMENTALI.

Argumenta contra repositionem panis eucharistici.

191. Tres actus sacramentales, videlicet externorum symbolorum panis et vini consecratio seu benedictio, benedictorum distributio et distributorum manducatio ac bibitio in ipsa coenae Dominicae institutione exprimuntur; sed Pontificii illis nequaquam sunt contenti, cum praeter illos panis consecrati repositionem, circumgestationem et adorationem introduxerint. Repositioni opponimus haec fundamenta: 1. Quod pugnat cum primaeva sacrae coenae institutione. Christus in prima coena panem acce-

1. Pugnat cum Christi institutione.

Digitized by Google

pit, benedixit ac statim discipulis manducandum dedit, nequaquam vero reposuit vel reponendum dedit, sed in ipsa distributione dixit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*, nec mora temporis longior inter consecrationem et distributionem et manducationem intercessit, sed consecrationem immediate secuta est distributio, distributionem manducatio. Quare si juxta Christi institutionem sacra coena administranda est, quod fieri debere nemo inficias ire poterit, utique consecrationem immediate debet sequi distributio, distributionem manducatio.

Exceptiones Bellarmini. Bellarminus lib. 4. de euchar. c. 2. §. ex his solvitur, respondet dupliciter: Primo negando, quod asservatio in pyxide, gestatio et adoratio ullo modo repugnent divinae institutioni. *Dominus enim jussit panem benedici et manducari, sed non jussit continuo post benedictionem manducari, praesertim totum et ab omnibus, unde non repugnat institutioni dilatio manducationis, modo ad eum finem benedictio seu consecratio ordinetur. Atqui hoc facit ecclesia, semper enim consecrat eucharistiam in ordine ad manducationem, sed conservat aliquam partem sacramenti, non ut non manducetur, sed ut tempore opportuno manducetur, nimirum ut deferatur ad aegrotos, quandocunque necesse fuerit.*

I. 322. Respondemus: quaecunque Christus in prima sacrae coenae administratione immediato et indivulso nexu conjunxit, ea et nos in administratione coenae nequaquam temporis tractu separemus, sed conjungamus propter evidens mandatum, *hoc facite*. ** Ne quidem humanae leges permittunt, ut testamentum aliter quam continuo actu conficiatur l. heredes §. fin. ff. qui testam. facere possunt. l. hac consultissima C. de testam. l. cum antiquitas eod. annon multo magis in divinis rebus id observabimus, ut juxta Christi institutionem et exemplum continuo actu sacrum illud testamentum celebretur, omniaque ordine ac decenter peragantur? ** Atqui Christus in prima s. coena administratione immediato et indivulso nexu conjunxit consecrationem et distributionem ad λῆψιν. Ergo et nos in administratione coenae eadem conjungere oportet, modo velimus obsequi mandato ipsius, *hoc facite*. Actus sacramentales sunt invicem subordinati, ut prior sequentem respiciat et sequens ex priore dependeat. Consecratio respicit distributionem, ideo enim panis consecratur, ut distribuatur; distributio respicit manducationem et bibitionem, ideo enim distribuitur panis consecratus, ut manducetur, vinum consecratum, ut bibatur. Pugnat igitur cum institutione Dominica et essentialem actuum sacramentalium subordinationem tollit, si actus illi, quos Christus immediate conjunxit, divellantur ac separentur. Ex verbis institutionis sacra coena sic definitur, quod sit actio sacra ab ipso Christo instituta, in qua mediante benedicto pane corpus et mediante benedicto vino sanguis Christi accipiuntur. Atqui repositio non est actio a Christo instituta, nec continetur in verbis definitionis ex ipsa institutione Dominica petitae. Ergo non debet habere locum in administratione coenae. Christus instituit duntaxat benedictionem, distributionem et sumtionem, per repositionem aliud ac plus fit, quam Christus instituit. An propter aegrotos necessaria sit panis consecrati repositio, videbimus suo loco. Quia vero in ecclesiis Pontificiis finis consecrationis et repositionis non semper est manducatio, ideo addit Bellarminus 2. *Si quis legitimus sacerdos exsistens eucharistiam consecraret, iis servatis, quae ad sacramenti essentiam requiruntur, non tamen in ordine ad manducationem, sed ad quemvis alium finem, is quidem male faceret, tamen verum sacramentum conficeret et perseveraret sacramentum illud, quamdiu species illae perseverarent. Ratio est, quia institutio Domini non complectitur solum essentiam sacramenti hujus, sed etiam sacramenti usum. Benedictio enim seu consecratio ad sacramentum faciendum pertinent, distributio et manducatio ad usum. Porro res non pendet quoad esse suum ab usu. Sicut ergo si quis faciat sedem cujus sedendo usus est, et tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinit esse sedes, imo etiam si quis faciat sedem non ut ibi sedeatur, sed ut in spectaculo exhibeatur, adhuc erit verissima sedes; sic etiam sacrosanctum sacramentum non desinit esse sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum.* Respondemus: Fundamentum hujus exceptionis est transsubstantiatio, quam fingunt fieri vi verborum, *hoc est enim corpus meum*, a sacerdote characterem habente prolatorum, qui ex pane conficiat corpus Christi, sicut scriniarius ex ligno conficit sedile, si vel maxime non fiat id, quod Christus fieri praecepit. Nos autem ex verbis institutionis colligimus, essentiam sacrae coenae, uti etiam aliorum sacramentorum, in actione consistere, proinde ubi omittitur actio a Christo instituta, ibi non habet locum sacra coena. Christus benedixit, distribuit ac dixit, *hoc facite*. Ergo si volumus juxta Christi institutionem administrare coenam, debemus hoc ipsum facere, quod Christus fecit, videlicet externa symbola consecrare et ad manducandum ac bibendum distribuere. Repetenda hoc loco argumenta omnia, quibus suo loco evicimus, sacramentorum genus esse actionem, ac proinde essentiam eorum in actione consistere. Quare ubi cessat actio sacramentalis, ibi desinit esse sacramentum. Notandum vero quod duplex sit sacramenti usus, sacramentalis et spiritualis. X. 323. Usus sacramentalis ad essentiam, spiritualis ad finem et fructum sacramenti pertinet. De usu spirituali recte dicitur, quod esse sacramenti ab eo minime pendeat; sed de usu sacramentali id minime concedi potest, cum verbum institutionis ad essentiam sacramenti requiratur, quae omnia ex sequentibus erunt clariora.

192. Repositioni 2. opponimus, quod repugnet exemplo apostolorum. 2. Pugnat cum apostolorum exemplo. Illi enim panem consecratum a Christo acceptum non recluserunt, aut reposuerunt, sed continuo manducarunt, id quod ex eo apparet, quia non solum probabile est, ipsos magistri sui, a quo audierant *accipite, manducate,*

Digitized by Google

praecepto obsequentes fuisse, sed etiam Marc. c. 14, v. 23. expresse testatur, quod ex poculo eucharistico *omnes biberint*, id ipsum etiam de priore parte coenae accipiendum, quod scilicet panem benedictum omnes acceperint et manducarint. Quare si juxta apostolorum exemplum sacra coena celebranda est, panis consecratus non reponendus vel recludendus, sed sumendus et manducandus est, ac vinum consecratum non reponendum, sed bibendum.

3. Pugnat cum praxi primitivae ecclesiae.

3. Quod repugnet praxi primitivae ecclesiae. Colligitur enim ex Actis apostolicis et priore epistola ad Corinthios, fideles in primitiva apostolica ecclesia juxta Christi institutionem hoc modo celebrasse eucharistiam, ut externa elementa, panem et vinum, consecrarent et consecrationi manducationem ac bibitionem immediate conjungerent, 1. Cor. 10, v. 21: *Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini et mensae daemoniorum participes esse.* 1. Cor. 11, v. 26: *Quoties ex hoc pane manducaveritis et ex hoc calice biberitis, mortem Domini annuntiabitis;* v. 28: *probet se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice illo bibat.* Quare si juxta formam ecclesiae apostolicae s. coena celebranda est, uno eodemque tempore consecratio, distributio et sumtio fieri deberet.

4. Pugnat cum assertione apostolica 1. Cor. 10. v. 16.

4. Quod repugnet assertioni apostolicae 1. Cor. 10, v. 16: *Poculum, quod benedicimus, est communicatio sanguinis Christi; panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, ubi Paulus panem non simpliciter vocat corpus Christi ejusque κοινωνίαν, sed addit, panis *quem frangimus*, ut appareat, eum non de solo pane loqui, sed de illius etiam fractione sive distributione et ei correspondente manducatione. Panis enim, quem frangimus, et poculum, cui benedicimus, idem est, quod panis fractio seu distributio et manducatio et vini benedictio eandemque secuta distributio et bibitio ex poculo. Ergo participatio corporis Christi asscribitur pani non ratione substantiae, nec solius benedictionis respectu, sed ratione etiam fractionis, id est distributionis et sumtionis a Christo institutae. Lutherus tom. 1. Jen. p. 215: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, id est quando panem distribuimus et comedimus, tunc accipimus et comedimus non nudum panem, sed etiam corpus Christi.*

5. Multis laborat incommodis.

5. Quod multis conflictetur incommodis; fit enim repositio hoc fine, ut panis in processione circumgestetur et adoretur, cum tamen consecratio panis juxta institutionem primaevam tantum ob manducationem fieri debeat. Praeterea per hanc repositionem occasio datur divisioni unius ejusdemque mysterii, quam Gelasius pontifex c. comperimus dist. 2. de consecr. *sacrilegam* vocat, cum solus panis consecratus, non autem vinum reponatur. Pugnat insuper repositio cum regula ex verbis institutionis exstructa: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* Denique repositio causa est irreverentiae, cum panis consecratus a muribus corrodatur, fiat mucidus aliisque modis corrumpatur.

6. Repugnat naturae sacramentorum X. 324.

6. Quod repugnet naturae sacramentorum, quippe quorum omnium essentia in actione consistit, ut ex institutione manifeste apparet. Dissimilitudo, quam hac in parte inter baptismum et eucharistiam Bellarminus lib. 4. de euchar. cap. 3. introducere conatur, postea excutietur.

7. Pugnat cum typis V. T.

7. Quod repugnet typis V. T. Exod. 12, v. 10. de agno paschali eucharistiae typo sic praecipit Dominus: *Non relinquetis ex eo usque mane et relictum ex eo usque mane in igne comburetis.* Exod. 16, v. 19. interdicitur, *ne quid ex manna usque ad diem alterum reservetur* (jam vero constat, agnum paschalem et manna fuisse typos eucharistiae). Levit. 7, v. 15: *Caro sacrificii confessionis pacificatorum ejus in die oblationis ejus comedatur, non dimittet ex eo usque mane.* (In sacra coena accipimus verum Christi corpus, quod in ara crucis pro peccatis nostris oblatum, proinde panis consecratus, cui in usu sacramentali corpus Christi unitum est, nequaquam reponendus vel recludendus.)

Dicta veterum contra repositionem.

193. Repositionem et asservationem sacramenti ne quidem post apostolorum tempora fuisse universae ecclesiae consuetudinem D. Chemnicius probat adductis aliquot veterum dictis. c. tribus gradibus dist. 2. de consecr. citatur dictum Clementis episcopi Romani epist. 2: *Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quodsi remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore et tremore clericorum diligentia consumantur.* Bellarminus excipit, *hoc intelligendum esse exceptis partibus illis, quae servandae erant pro communione infirmorum, cum ibidem presbyter, diaconus et minister cum timore et tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire jubeantur, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria.* Respondemus: de partibus pro communione infirmorum servandis nulla ibi fit mentio, sed clerici jubentur residua corporis Domini, quae in sacrario relicta sunt, consumere, ex quo intelligitur, per custodiam non intelligi reclusionem in dies aliquot, sed fragmentorum relictorum cum reverentia conjunctam consumtionem. Quidquid vero sit de hoc Clementis testimonio, non multum ei tribuimus, cum scripta ejus sint supposititia teste Eusebio lib. 3. hist. eccles. cap 35. cumque lib. 8. const. cap. 13. al. 20. idem Clemens jubeat, *peracta communione quod superest corporis Domini a diaconis in pastophorium inferri*, id nisi de oblationibus populi residuis intelligatur, cum priore decreto pugnat.

Pastophoria veterum

Pastophoria sunt Ruffino lib. 2. histor. eccles. c. 23. in descriptione templi Serapidis domus in excelsum porrectae, in quibus vel aeditui, vel hi, quos ἁγνεύοντας appellabant, hoc est qui se castificant, commanere soliti erant; Hieronymo in cap. viges. secundum Esaiae sunt thalamus, in quo habitat praepositus templi, inde Apulejo in Metamorph. 11. lib. pastophori dicti. (At quis credat, Christianos perpetuis persecutionibus tum temporis obnoxios de structuris ejusmodi tunc cogitasse?) Bellarminus argute lib. 4. de sacram. euchar. cap. 4: *Apostoli*

Digitized by Google

vas illud, in quo sacramentum asservatum recondebatur, pastophorion dixerunt, quod in eo sacramento vere Christus sit, qui est verus templi praepositus. Atqui apostolis ignota fuit sacramenti reclusio, quae ab Innocentio III. circa annum Christi 1215. demum introducta. Ex historia Serapionis apud Eusebium lib. 6. c. 43. apparet, sacerdotes in suis aedibus secum habuisse eucharistiam. Apud Chrysostomum epist. 1. ad Innoc. milites ingrediuntur illud sanctuarium, in quo sanguis Domini asservabatur. Ergo per pastophorion non potest nec debet intelligi ciborium, in quo seris et clavibus adhibitis sub custodia sacramentum conservatur, sed vel privatae aedes sacerdotum vel templi sacrarium. Origenes vel Cyrillus in Lev. c. 7. hom. 5: *Nam et Dominus panem, quem discipulis dabat et dicebat eis: accipite et man-*
I. 325. *ducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum.* (Excipit Bellarminus, *Dominum non quidem jussisse, eucharistiam a se consecratam differri in crastinum, non tamen inde colligi posse, non debuisse unquam postea eucharistiam conservari, cum multa Dominus per se non jusserit, quae postea per apostolos jussit, etiam circa sacramentum eucharistiae,* teste Augustino epist. 118. Respondemus: explicat ibidem Origines praeceptum de carnibus sacrificii laudis eodem die comedendis, ita ut non remaneat ex eis quidquam mane, illud velut typum ad sacram eucharistiam accommodat, quae itidem non servari jussa est in crastinum, sed accipi et manducari. Quodsi applicatio typi ad antitypum sibi constare debet, utique prohibitio asservationis utrobique locum habet. Eo ipso, quod Christus non praecepit, asservari panem eucharisticum, sed post consecrationem statim manducandum discipulis praebuit, eo inquam ipso asservari prohibuit, siquidem jussit nos hoc facere, quod ipse fecit. Neque ullum apostolorum mandatum vel exemplum ostendi potest de repositione, nec sufficit, si absque ulla probatione et documento fingatur esse apostolica traditio). Cyprianus serm. de coena Domini pag. 453: *Panis ille non recipitur, non includitur.* Hieronymus in 1. Cor. 11: *Post communionem quaecunque eis de sacrificiis superfuissent, illic in ecclesia communem cibum comedentes pariter consumebant.* Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 10: *Panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur.* Hesychius in Levit. lib. 2. c. 8. explicans illud: *Quidquid reliquum fuerit de carne et panibus, ignis absumet,* indicat sui seculi morem fuisse, ut si quid omnibus communicatis reliquum esset, incenderetur et cremaretur. *Quod nunc* (inquit) *videmus etiam*
I. 326. *sensibiliter in ecclesia fieri ignique tradi, quaecunque remanere contigerit inconsumta.* (Bellarminus excipit, *id consumi debere, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de causa per manducationem consumi nequit.* Respondemus: sit sane, interim tamen ex eo intelligitur, finem repositionis in primitiva ecclesia fuisse manducationem, non autem circumgestationem, ostentationem, adorationem, et huic consuetudini igne absumendi reliquias male convenit transsubstantiationis dogma.) Nicephorus lib. 17. hist. eccles. c. 25. et ante eum Evagrius lib. 4. histor. c. 35. referunt, consuetudinem fuisse in ecclesia Constantinopolitana, *ut cum post communionem plusculum de partibus immaculati divinique corporis reliquum esset, non reservaretur, sed ex ludo literario delecti quidam pueri accerserentur, qui reliquias illas ederent.* Concil. Matisconense 2. can. 6: *Quaecunque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo cujus interest, ad ecclesiam adducantur et indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Bellarminus regerit, hoc intelligendum *de reliquiis, quae nimium superabundabant, non autem de iis, quae pro aegrotorum necessitatibus requiruntur.* At unde probatur haec distinctio? Beda lib. 4. histor. eccles. c. 14. de puero aegrotante loquens, quem apostoli in visione alloqui narrantur. *Exspectare habes* (inquiunt), *donec missae celebrantur, ac viatico Dominici corporis et sanguinis accepto sic infirmitate ac morte simul absolutus ad aeterna in coelis gaudia sublevéris.* Si exspectare jubetur hic puer, utique pro aegrotis ne eo quidem tempore, sexto post Christum seculo, asservata fuit eucharistia. Quod feria quarta vel sexta demum reliquiae a pueris participari jubentur, in eo discessum fuit paululum ab antiquiori consuetudine, quam exponit Clemens epist. 2. ubi dicit, reliquias illas eodem die a clericis consumendas esse. Humbertus episcopus Sylvae candidae contra Nicetam monachum referente Cassandro reprehendit ritum τῶν προηγιασμένων, hoc est praesanctificatorum, apud Graecos non vetustissimos usitatum, nam in quadragesima reliquis quinque diebus excepto sabbatho et dominico non fit consecratio, sed sola ex praesanctificatis, hoc est ex illis quae Dominico die consecrata sunt, distributio et sumtio. Contra hunc morem inter cetera sic scribit Humbertus: *Ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse pane benedicto et mox fracto et distributo. Non enim benedixit tantum et reservavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum et reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde Alexander martyr et papa quintus ab apostolo Petro passionem Domini inserens canoni missae ait: Hoc quotiescunque feceritis, id est benedixeritis, fregeritis et distribueritis, in memoriam Domini facietis, quia si quodlibet horum trium sine reliquis fiat, si aut benedictio sine fractione et distributione, aut fractio sine benedictione et distributione, perfectam memoriam Christi non re-* X. 327.
praesentat, sicut distributio nulla sine benedictione et fractione. Bellarminus dicit, *non asservationem sacramenti, sed quod Graeci sacrificium missae ex illis praesanctificatis celebrarent, ab Humberto reprehendi.* Atqui argumenta ab institutione Christi et conjunctione actuum sacramentalium petita sunt generalia, ut evidens verborum sonus demonstrat. Huc etiam pertinet dictum Bielis, qui lect. 36. in can. allegans Paschasii sententiam inquit:

Digitized by Google

Manducatio et potio hujus sacramenti est usus. Hinc et volens discipulos suos Christus fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, ut honorifice ipsum conservarent, sed dedit in sui usum dicens: Accipite et manducate, et quia per usum manducatio transit et consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem, dum addit: Hoc facite in mei commemorationem. Bellarminus regerit, *Bielem tribus sermonibus celebrare circumgestationem corporis Domini, defendere etiam transsubstantiationem, sacrificium et adorationem eucharistiae* etc. Respondemus: Sufficit nobis, quod Biel agnoscit, asservationem eucharistiae pugnare cum verbis institutionis, quamvis autem eam ut et dogmata complura alia in honorem ecclesiae Romanae defendat, id ipsum tamen veritati minime omnium praejudicat.

Adversariorum de repositione sacramenti sententia.

194. Ostendimus igitur, asservationem eucharistiae non solum destitui exemplo Christi et apostolorum, sed etiam unanimi primitivae ecclesiae consuetudine, ex quo colligitur, ecclesias nostras injuste accusari et damnari propter non observatam eucharistiae reservationem. Videamus, quid adversarii pro ea adferant. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 6. statuit, *retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem.* can. 7. anathema pronuntiat, *si quis dixerit, non licere eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam.* Bellarminus concilii decretum asserturus lib. 4. de euchar. c. 1. contradictionem quandam primum nobis tribuit. *Illyricus* (inquit) *et alii contendunt, tunc solum panem et vinum esse sacramentum, dum comeditur et bibitur, sicut aqua baptismi tunc solum est sacramentum, cum abluit; at Chemnicius, ut eludat testimonia patrum, docet, in tota actione coenae Domini sacramentum et corpus Domini manere, id est dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur et etiam dum ex ipsa coena immediate defertur ad aegrotos vel absentes, ut illum comedant, non ut servent. Quidam etiam eo usque progressi sunt, ut dicerent, toto triduo posse servari eucharistiam propter aegrotos et toto illo spatio temporis esse sacramentum, et in ea re ipsa manere corpus Domini, ut ex Lindano refert Claudius Sanctes repet. 4. de eucharist. c. 12.* Respondemus: Principalis quaestio est, an panis eucharistiae, quando recitatione verborum institutionis benedictus, sanctificatus aut consecratus est, statim sit distribuendus, sumendus et manducandus in commemorationem Christi; an vero post benedictionem omissa distributione, sumtione et manducatione sit reponendus, includendus, asservandus, circumgestandus, ostentandus et ad alios usus accommodandus, ita ut post aliquot vel dies, septimanas, menses vel annos demum sequatur ejus sumtio et manducatio, vel etiam plane omittatur. Ab hac principali quaestione, ad quam ex verbis institutionis expedita est responsio, non patiamur peregrinis disputationibus de momento temporis, quo corpus Christi sub pane esse incipiat vel desinat et quamdiu ibi permaneat, nos dimoveri. Interim quia Pontificii ad stabiliendam repositionem et reliquos hujus sacramenti abusus disputant, panem esse corpus Domini etiam extra usum illum, ad quem divinitus eucharistia instituta est, quando scilicet non distribuitur, non accipitur, non manducatur, sed Deo pro delendis vivorum et mortuorum peccatis certis gestibus et precibus offerri fingitur, quando asservatur, includitur, circumgestatur etc. ideo opponimus illis regulam illam verissimam ex ipsis institutionis verbis deductam: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum divinitus institutum.* X. 32
Usus autem ille rectissime definitur tota seu integra illa actione, quae in verbis institutionis praescribitur et mandatur. Tota enim actio eucharistica est connexa et ad totam illam actionem pertinent haec verba: *hoc est corpus meum.* De illo igitur pane, qui benedicitur, qui frangitur, seu distribuitur, qui accipitur et manducatur, de illo inquam pane Christus dicit: *Hoc est corpus meum;* et Paulus fracto pani tribuit, quod sit *communicatio corporis Domini* 1. Cor. 10, v. 16. Actus sacramentales, videlicet consecratio, fractio sive distributio et sumtio, videlicet manducatio et bibitio, sunt invicem subordinati et in administratione sacrae coenae vi divinae institutionis essentialiter connexi, iidemque simul sumti constituunt actionem a Christo in eucharistiae celebratione praescriptam, requisitam et mandatam, quare si aliquis horum actuum desit, vel illius loco substituatur alius a Christo non requisitus, tum non observatur Christi institutio, ac proinde non fit legitima sacrae coenae administratio. Praesentiam igitur corporis et sanguinis Christi in sacra coena non initio, nec medio, nec fini actionis sacramentalis, multo minus soli pronuntiationi verborum, *hoc est corpus meum*, omnium minime prolationi solius ultimae literae *um* (ut quidam ex Scholasticis nugantur), sed toti actioni a Christo institutae, vel ut rectius loquar, ipsi institutioni et ordinationi Christi, quae per actionem ab ipso praescriptam, id est consecrationem, distributionem, manducationem ac bibitionem observatur, repetitur et quasi renovatur, acceptam ferendam esse dicimus. Quamvis proinde administratio sacrae coenae diversis actibus sive actionibus constet, videlicet benedictione, distributione, manducatione et sumtione, quae simul peragi non possunt, nec in uno momento fieri; illae tamen nequaquam in hac quaestione de praesentia corporis et sanguinis Christi sunt divellendae, cum omnes simul ad actionem genere unam, hoc est legitimam sacrae coenae administrationem a Christo praescriptam concurrant; atque ut Filius Dei in prima coenae administratione nexu indissolubili et immediato eas conjunxit, ita quoque a nobis sine longiori temporis intercapedine in administratione coenae conjungendae sunt ac simul peragendae. Hac de re sic scribit D. Lutherus in epistola ad Wolfferinum pastorem Islebensem, qui reliquum vini ac panis eucharistici miscuerat cum vino ac pane priore,

Digitized by Google

tom. 4. Jenens. Latin. fol. 586: *Sane D. Philippus recte scripsit, sacramentum nullum esse extra actionem sacramentalem, sed vos nimis praecipitanter et abrupte definitis actionem sacramentalem, qua re efficietis, ut nullum prorsus videamini habere sacramentum. Nam stet illa festinata praecisio actionis, sequetur, quod post prolationem verborum, quae est potissima et principalis actio in sacramento, nullus percipit corpus et sanguinem Christi, eo quod desierit actio. Hoc certe non vult D. Philippus, et generaret ista definitio actionis infinitos scrupulos conscientiarum et interminabiles quaestiones, sicut apud Papistas disputabatur, an sub primis, mediis vel ultimis syllabis adesset corpus et sanguis Christi. Spectandus est ergo non tantum motus ipse actionis instantis vel praesentis, sed tempus quoque, non mathematica, sed physica latitudine, hoc est danda est mora actioni huic et mora in justa latitudine, ut dicunt ἐν πλάτει. Sic ergo definimus tempus vel actionem sacramentalem, ut incipiat ab initio orationis Dominicae et duret, donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus et ab altari discessum sit. Ita tuti et liberi erimus a scrupulis ac scandalis quaestionum interminabilium. D. Philippus actionem sacramentalem definit relative ad extra, hoc est contra inclusionem et circumgestationem sacramenti, non dividit eam contra se ipsam, nec definit contra se ipsam*, etc. Idem in refutat. argument. Carolstad. tom. 4. Jen. Germ. fol. 385: *Quaestiones de instante consecrationis excludimus, nec deo τὸ νῦν vel tempus praescribimus, sed simpliciter acquiescimus in hac fide, quod certo fiat, quidquid Christus futurum promisit. Non disceptamus, in quo temporis momento leprosus sit mundatus, ad quem Christus dixit: Volo, mundus esto*, Matth. 8. *sed sufficit, nos credere, ipsum juxta Christi verbum esse mandatum. Ita quoque credimus, filium reguli* Johan. 4. *sanatum esse*
X. 329. *juxta verbum Christi: Abi, filius tuus vivit, nequaquam vero soliciti sumus, cui quasi verborum syllabae sanitas accepta sit ferenda. Lazarum verbis Christi resuscitatum credimus, otiosis rixatoribus relicta quaestione, an vi nominis Lazari, aut verbi* veni *aut adverbii* foras, *miraculum illud factum sit; ita quoque de praesentia corporis et sanguinis Christi certi sumus ex verbis ejusdem, hoc est corpus meum, de momento praesentia parum solliciti sumus.* Haec Lutherus. Proinde in regula illa, nihil habet rationem sacramenti extra usum divinitus institutum, nomine usus intelligitur tota actio sacramentalis a Christo praescripta, videlicet consecratio, distributio, manducatio et bibitio, hi enim actus omnes et singuli constituunt et absolvunt usum illum sacramentalem, de quo regula agit, a qua sententia nequaquam discedunt, qui manducationem tantum et bibitionem requirere videntur, cum enim manducatio et bibitio sint ultimus essentialis actus, ad quem reliqui priores, consecratio scilicet et distributio, certa ratione referuntur, ideo per manducationem et bibitionem priores illos actus sacramentales non excludunt, sed potius includunt, atque ut Lutheri verbis rem explicemus, usum sacramentalem definiunt relative ad extra, hoc est contra inclusionem, circumgestationem et alios peregrinos usus, quorum in verbis institutionis nulla fit mentio, non autem dividunt eum contra se ipsum, nec definiunt ad intra, hoc est non opponunt eum reliquis actibus sacramentalibus in ipsa institutione expressis et sacramentalem manducationem ac bibitionem necessario antecedentibus.

195. Videamus ergo, quomodo Bellarminus probet, *eucharistiae sacramentum esse rem permanentem et in eo corpus Domini permanenter exsistere*, hoc est panem, super quem pronuntiata sunt a sacerdote consecrante illa verba, *hoc est corpus meum*, esse Christi corpus, si vel maxime non distribuatur ad manducationem, sed asservetur, reponatur, includatur, circumgestetur et quacunque ratione tractetur, hic enim est quaestionis sensus et disputationis scopus. Cap. 2. lib. 4. de euchar. provocat ad Dominicam institutionem: *Verba Domini* (inquit) *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, prius dicta sunt, quam fieret actio manducandi et bibendi, ergo ante illam actionem fuit corpus Domini praesens in coena et proinde etiam sacramentum eucharistiae confectum.* Consequentiam probat dupliciter: *Primo quia juxta Augustinum tractat. 80. in Joh. accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, sed ante actionem comedendi et bibendi verbum ad elementum accessit. Ergo ante actionem comedendi et bibendi factum est sacramentum. Secundo verba Domini mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt. Sed prolata sunt ante illam actionem manducandi et bibendi. Ergo ante illam actionem* etc. Respondemus: 1. Quemadmodum Carolstadius referente Luthero tom. 4. Jenens. Germ. fol. 384. disputabat, Christum prius dedisse discipulis manducandum panem, ac discipulos etiam prius manducasse, quam a Christo audirent *hoc est corpus meum*, ut obtineret, corpus Christi non fuisse mediante benedicto pane discipulis datum; ita Bellarminus disputat, Christum prius dixisse, *hoc est corpus meum*, antequam discipulis cibum eucharisticum manducandum daret, ut obtineat, etiam non accedente manducatione panem esse Christi corpus. Sed repetimus verba Lutheri Carolstadio opposita, quae etiam Bellarmino opponi possunt: *In verbis coenae* (scribit loco dicto) *quaedam sunt verba evangelistarum, quibus historica narratio continetur, utpote haec: Accepit panem, benedixit, fregit ac dedit discipulis dicens; quaedam vero sunt Christi verba, quae scilicet ipse in institutione et administratione coenae protulit, videlicet haec: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite in mei commemorationem. Ex verbis evangelistarum manifeste colligitur, Christum dicendo dedisse et dando dixisse,*

Argumenta pro repositione eucharistiae.

Digitized by Google

hoc est corpus meum, ita ut distributio panis eucharistici facta sit una cum prolatione verborum hoc
X. 330. *est corpus meum; Christus enim panem primo in manus suas accipit, benedicit et gratias agit, postea frangit, ac tum demum distribuit dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Ergo in ipsa distributione panis se corpus suum manducandum ipsis dare dixit, si quidem per participium dicens distributio panis et appellatio corporis simul connectuntur.* 2. Regerit Bellarminus, *ipsum sensum verborum postulare, ut dicamus, prius fuisse a Domino prolata illa verba, hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, quam dederit discipulis cibum illum et potum. Nam illa verba, hoc est corpus meum, continent rationem, cur debuerit comedi ille cibus et similiter illa verba, hic est sanguis meus, continent rationem, cur debuerit bibi ille potus, unde Matth. 26. ponitur particula causalis enim; prius autem debuit ratio illa a Domini explicari et etiam percipi ab audientibus, quam eis daretur panis ille comedendus, nimirum ut scirent, quid acciperent. Praeterea si invitantur ad bibendum, quia est sanguis, ergo prius fuit sanguis, quam illi biberent. Ad haec Lucas c. 22. et Paulus 1. Cor. 11. scribunt, hic est calix novi testamenti in meo sanguine; ergo in calice fuit sanguis et non solum in ore sumentium, et sane prius in calice, quam in ore sumentium, nam ex calice ad os pervenit, non contra. Adde verba Pauli 1. Cor. 10: Panis quem frangimus, nonne communicatio est corporis Domini? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini? hic enim aperte Paulus indicat, panem prius consecrari et mutari in corpus Domini, quam frangatur et distribuatur, dicit enim id, quod frangitur, non esse futurum, sed jam esse corpus Domini. Denique in omnibus liturgiis verba Dominica, hoc est corpus, hic est sanguis, multo ante pronuntiantur, quam panis sanctificatus distribuatur et manducetur.* Respondemus: haec omnia eo referuntur, vel ut probent, Dominum prius dixisse, *hoc est corpus meum*, antequam panem manducandum daret, vel ut probent, corpus Domini in eucharistia esse praesens, si vel maxime non accedat manducatio. Si priorem scopum in his praefixum sibi habuerit Bellarminus, dicimus, nos non morose adversari, si quis statuere velit, verba Christi: *accipite, comedite* etc. esse paulo ante prolata, antequam accederet discipulorum manducatio, (illud enim, ut ex sequentibus apparebit, nostrae sententiae non refragatur), interim haec Bellarmini disputatio apodictice id non probat, quamvis enim in verbis, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, exprimatur ratio, cur debeant apostoli cibum illum comedere et potum illum bibere, id tamen minime impedit, quominus in ipsa distributione cibi et potus eucharistici causam illam Christus expresserit, cum natura actionis et enarratio historica eo nos ducant, quod dare et dicere fuerint conjuncta, quod panem dederit et simul dixerit: *hoc est corpus meum, dedit dicens* (scribunt evangelistae) h. e. dando dixit et dicendo dedit. Ita quoque in aliis dationibus comparatum esse solet, ut in ipsa datione simul exprimatur, quid detur et quid ab altero accipiatur. Sic qui alteri in marsupio dat centum florenos, in ipsa datione dicit: Accipe, hi sunt centum floreni. Si vero posteriorem scopum in hac disputatione propositum sibi habuit Bellarminus, dicimus, necessario distinguendum esse inter illam consecrationem, quam statim et immediate sequitur distributio, manducatio et bibitio; ac inter illam consecrationem, a qua distributio, manducatio ac bibitio longissimo temporis intervallo sunt sejuncta, vel etiam nunquam eam sequuntur. Si quaeritur de consecratione, quam statim et immediate sequitur distributio, manducatio et bibitio, dicimus, panem hoc modo consecratum, distributum et manducatum vere esse κοινωνίαν corporis Christi, quia scilicet actus sacramentales a Christo requisiti juxta ejusdem institutionem conjunguntur, ubi vero observatur Christi institutio, ibi juxta ordinationem, institutionem et promissionem suam Christus vere adest et corpus ac sanguinem suum nobis communicat. Sed ex eo non est colligendum, quod per illam consecrationem, ad quam non accedit distributio, manducatio et bibitio, panis sit corpus Christi, si loco distributionis, manducationis et bibitionis adhibeatur ejusdem repositio, inclusio, circumgestatio, quia enim non servatur X. 331.
institutio Christi et quia institutione Christi sacramentum sanctificatur, inde manifestum et certum est, quod ibi non sit sacramentum, ubi non servatur Christi institutio. Concedimus igitur, discipulos ex calice sanguinem Christi bibisse atque ordine naturae prius in calice quam in ore sumentium sanguinem Christi fuisse, id enim requirit relatio inter δόσιν καὶ λῆψιν, nimirum quia discipuli mandato Christi obedientes ex calice consecrato biberunt; sed ex eo non potest inferri, quod in calice consecrato sit sanguis Christi, si non accedat bibitio. Actio eucharistica est genere una et quoddam totum, partes essentiales hujus actionis sunt consecratio, distributio et sumtio in manducatione et bibitione consistens, qui vocantur actus sacramentales. Quemadmodum igitur, quando pars est a toto separata, non licet ex una parte inferre totum; ita quoque ex uno actu sacramentali a tota actione separato non est colligenda eucharistae essentia et corporis et sanguinis Christi praesentia, sed ex actibus omnibus tanquam partibus simul sumtis et invicem conjunctis. Verba apostoli 1. Cor. 10, v. 16: *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Domini?* tantum abest, ut nostram oppugnent sententiam, ut eam validissime potius confirment, quia de pane eucharistico fracto seu distributo asserit, quod sit κοινωνία corporis Domini, loquitur ergo de pane non ratione essentiae, sed usus sacramentalis, evidenter asserens, panem eucharisticum non ratione essentiae in corpus Christi converti, sed in usu sacramentali, quando scilicet distribuitur et manducatur, esse corporis Christi κοινωνίαν. Idem judicium est de regula Augustini, *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Cum enim haec sit generalis regula ad omnia sacramenta pertinens, quod ne ipse quidem Bellarminus negat, alterutrum horum sequetur, aut

omnia sacramenta, et sic ipsum etiam baptismum, extra actionem esse sacramenta, quod cap. seq. Bellarminus negat; aut in ipso etiam coenae Dominicae sacramento praeter verbum requiri actionem a Christo institutam, quod certe est verissimum, siquidem ipsum verbum institutionis requirit actionem, videlicet manducationem et bibitionem. *Accipite, manducate, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* 3. Sed demus, verba illa, *hoc est corpus meus*, a Christo fuisse prolata paulo ante quam panem eucharisticum discipuli manducarent, quid inde contra nos inferre poterit Bellarminus? *Verba Dei*, inquit, *mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt, ergo etiam ante actionem manducandi et bibendi vera fuerunt, ergo fuit vere corpus Domini et proinde sacramentum ante illam actionem.* Respondemus: Christus non dicit absolute et simpliciter, *hoc est corpus meum*, sive accedat manducatio, sive minus; sive includatis, sive reponatis, seu quacunque ratione panem eucharisticum tractetis, erit corpus meum; sed notanter et diserte dicit, *accipite, edite, hoc est corpus meum.* Ergo tunc demum panis eucharisticus est *κοινωνία* corporis Christi, quando juxta ordinationem et mandatum Christi benedicitur, distribuitur et manducatur. Ut in omnibus sacramentis verbum ordinationis ac institutionis divinae requirit certam actionem, absque qua non sunt sacramenta; ita quoque verbum ordinationis et institutionis in eucharistia requirit certam actionem, videlicet consecrationem, distributionem et manducationem, si ab hac actione discedatur, vel omissa ea peregrinus usus accedat, non amplius observatur institutio, et per consequens non amplius locum habet sacramentum. Quo pertinet, quod summa Angelica de euchar. memb. 1. ex Bonav. et aliis Scholasticis recte disputat, *sacerdotem virtute verborum, hoc est corpus meum, panem non consecrare, si eo velit ad veneficia abuti, addita hac ratione, quod praeter intentionem consecrantis requiratur etiam intentio ejus, qui hoc sacramentum instituit.* Atqui quando panis eucharisticus non distribuitur, non manducatur, sed reponitur, ostenditur, circumgestatur etc. tunc itidem non observatur intentio Christi, siquidem verba institutionis testantur, contrariam plane fuisse intentionem Christi, videlicet quod panis eucharisticus non debeat reponi et circumgestari, sed distribui et manducari. Si aliam Christus de usu hujus sacramenti
I 332. habuisset intentionem, utique eam in verbis institutionis manifestasset vel certe apostolo Paulo post adscensionem ad coelos revelasset. Quidquid ergo sit de intentione consecrantis, quando panis eucharisticus non distribuitur nec manducatur, tunc non observatur intentio Christi instituentis. Ergo non adest corpus Christi. Neque tamen hinc inferendum, *sacramentum eucharistiae non confici verbis Christi, sed nostra manducatione,* siquidem institutioni, ordinationi et efficaciae Christi unice et insolidum causam praesentiae corporis et sanguinis ipsius, nequaquam vero ulla ratione nostrae manducationi et bibitioni tribuimus; interim tamen si non accedit distributio et manducatio, non observatur Christi institutio, extra quam et sine qua non habet locum sacramentum. Christus enim non dixit, accipite, reponite et circumgestate, hoc est corpus meum, *sed accipite, comedite, hoc est corpus meum.* In hac simplicitate pius animus acquiescit et quidem necessario, etenim si panis statuatur esse corpus Christi etiam extra usum a Christo institutum, aperitur porta infinitis quaestionum labyrinthis, utpote quo momento incipiat ibi adesse corpus Christi? an mures rodant Christi corpus? an muscae generentur ex sanguine? et quarum quaestionum non inutilium modo, sed et blasphemarum chaos quoddam in scriptoribus scholasticis transsubstantiationis patronis occurrit. Neque est, quod obvertant, *apparatum epularum ipsum convivium ordine temporis antecedere, ac proinde idem in cibo eucharistico locum habere.* Est enim magna diversitas hujus coelestis et terreni convivii. Cibi corporis, ut creaturae reliquae suum *εἶναι* habent ex creatione etiam extra usum, sed sacramentum eucharistiae aestimandum est ex Christi institutione, ubi scilicet tota et integra illa modo a Christo ordinato et praescripto observatur. Ergo quando disceditur ab institutione, non amplius locum habet promissio de vera corporis et sanguinis praesentia. 4. Bellarminus regerit, *verba illa, hoc est corpus meum, non continere promissionem, cum non exprimantur per verbum futuri temporis, et quia hac ratione praesentia corporis esset posterior manducatione.* Respondemus: ostendimus superius §. 177. memb. 8. et §. 186. memb. 3. quo sensu et respectu verba Christi, *edite, hoc est corpus meum*, possint dici verba promissionis. Hoc loco nobis sufficit, quod verba illa contineant talem quandam ordinationem es institutionem Christi, in qua certa actio nobis praescribatur, *accipite, edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* Quando igitur omittitur illud, quod ordinatio et institutio Christi requirit, quomodo eidem sua constabit integritas? Nisi in circumcisione fiat abscissio praeputii, in agno paschali carnium mactatarum et assatarum certis ritibus facta manducatio et sanguinis adspersio; in baptismo aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus s. affusio; non potest dici, quod circumcisio, agnus paschalis ac baptismus administrentur, quia disceditur ab ordinatione et institutione divina. Eadem ratio est sacramenti eucharistici, promissiones omnes, praesertim eas, quae rectius dicuntur ordinationes divinae, semper futuri temporis verbis exprimi, nunquam probabit Bellarminus et sacramentorum institutiones testantur contrarium. Nec sequitur ex nostra sententia, quod praesentia corporis Christi sit manducatione posterior, sed praesentiam corporis et manducationem panis eucharistici propter institutionem Christi et mutuam relationem inter communicatum et communicans dicimus esse simul. Si de ordine naturae quaeritur, praesentiam priorem statuimus manducatione, quia nisi corpus Christi in pane praesens adesset, non posset a nobis sacramentaliter

Digitized by Google

manducari. 5. Quae ex patribus Bellarminus affert, ut probet, *etiam in altari et vasis sacris praesens agnoscendum esse corpus Domini*, nostrae sententiae non adversantur, loquuntur enim illa omnia de usu sacramentali, id est de illa actione, in qua juxta Christi institutionem panis benedicitur, distribuitur, manducatur, ubi corpus Christi vere praesens adesse statuimus, ex eo autem non potest inferri, quod extra usum divinitus institutum, quando panis consecratus non distribuitur nec manducatur, sit praesens. 6. Quae contra Chemnicium Bellarminus affert, ex superioribus facilem habent explicationem.
X. 333. *Si in omnibus* (inquit) *actionibus simul sumtis* (benedictione scilicet, distributione et manducatione) *consistit hoc sacramentum, tunc non erit perfectum et integrum sacramentum nisi peracta manducatione, atque ita falsum erit, quod dicit Chemnicius, ante manducationem esse corpus Domini in mensa. Si in singulis seorsim, ergo quinque erunt sacramenta eucharistiae eaque diversissima. Praeterea vel ita est in singulis, ut sit formaliter quaelibet illarum actionum, aut ut tantum coëxistat singulis. Sed prius dici nequit, quia nec actio accipiendi, quae est prima, nec actio manducandi, quae est ultima, nec actiones intermediae possunt esse formaliter hoc sacramentum.* Item: *Si sacramentum eucharistiae permanet tempore illo, quod est inter has actiones interjecto, manet etiam actione cessante et est res permanens.* His et similibus argutiis simplicitas Christiana opponit institutionem Christi, quae requirit benedictionem, distributionem et manducationem, ac certo statuit, hos actus sacramentales simul sumtos et conjunctos constituere legitimam sacrae coenae administrationem, in qua Christus vere praesens suo corpore et sanguine nos cibet ac potet, de momento, in quo incipiat vel desinat corpus Christi esse praesens, non est sollicita, sed ut modus praesentiae est inpervestigabilis, ita quoque quaestiones illas de momento praesentiae statuit esse inexplicabiles. Christus ut in coena praesens est illocaliter, ita quoque intemporaliter (ut sic loquar), hoc est sine mensura temporis in hoc mysterio operatur. Qui ab hac simplicitate Christiana discedit, curiositati rationis humanae nunquam satisfieri posse intelliget.

Num eucharistia in eo differat a baptismo, quod sit res permanens.

196. Cap. 3. probare conatur Bellarminus, *esse dissimilitudinem inter sacramentum eucharistiae et baptismi, illud esse rem permanentem, hoc vero actionem. 1. Quia nemo unquam vocavit eucharistiam vel corpus Domini fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est panem sanctificatum.* Justinus in apol. 2: *Cibus a nobis vocatur eucharistia.* Irenaeus lib. 4. c. 34: *Panis post benedictionem est eucharistia constans duabus rebus, terrena et coelesti.* Tertullianus de resurr. carn.: *Caro corpore et sanguine Christi vescitur.* Respondemus: verissima ac certissima est illa collatio baptismi et eucharistiae, quae ostendit, utrumque sacramentum in actione consistere. ** (Argumentamur: 1. Quodcunque propter usum institutum est, illud in actione consistit. Nam usus est operatio seu actio circa rem utendam. At coena Domini est propter usum instituta. Ergo. Assumtum probatur, quia actus sacramentales, qui sunt benedictio, distributio, manducatio, bibitio, ostendunt, objectum, circa quod versantur, id est corpus et sanguinem Christi, in actione consistere, ab his enim actibus copulate sumtis ut a forma coena Domini formaliter actio dicitur. Sicut igitur sublata forma formatum non est; ita cessantibus actibus sacramentalibus objectum, qua tale, desinit esse objectum. 2. Si partes formales coenae Dominicae in actione sunt, ergo et ipsum sacramentum logicorum in regula: Quod est partis, qua pars, id etiam totius secundum illam partem. At partes formales coenae Dominicae sunt in actione, fatente Bellarmino lib. 4. de eucharist. c. 16. 3. Johannes Holthusius scriptor Pontificius lib. de modo examinandi candidat. f. 83. coenam ita definit, ut genus statuat *consecrationem corporis et sanguinis Christi.*) ** Quemadmodum enim ex eo, quod institutio baptismi utitur verbo actionem significante *baptizate*, immote colligitur, baptismi formam consistere in actione a Christo instituta et praescripta, ac proinde extra illum usum et actionem non esse sacramentum baptismi, etiamsi verba institutionis millies super aquam quavis intentione pronuntientur; ita quoque pari ratione ex eo, quod institutio eucharistiae utitur verbis actionem significantibus, *accipite, manducate, bibite*, immote colligitur, eucharistiae formam consistere in actione a Christo instituta et praescripta, ac proinde extra illum usum et actionem non esse sacramentum eucharistiae, si vel maxime verba consecratoria, ut vocant, super panem pronuntientur. Si in institutione eucharistiae (quae sunt verba Chemnicii part. 2. exam. cap. de excel. sacram. coenae) X. 334
tantum haec verba exstarent: *Accepit panem, gratias egit et dixit: Hoc est corpus meum*, tunc aliquid dicerent Pontificii; sed insitutio inquit, *fregit, distribuit et dedit discipulis* et jussit, ut acciperent, ut comederent et biberent. Haec verba citra omnem controversiam actionem significant, et quidem expresse utitur verbo faciendi, inquit enim, *hoc facite*, quod scilicet in prima coena factum est. Si igitur juxta institutionem judicandum est, erit sacramentum eucharistiae certa quaedam actio et consistet in usu non minus quam baptismus. Imo consideret et hoc lector, in institutione baptismi unicum tantum est verbum significans actionem *baptizate*, et tamen fortiter demonstrat et convincit, baptismum extra usum divinitus institutum non esse sacramentum. In eucharistiae vero institutione non unum aliquod verbum tale est, sed aliquot ordine ponuntur, quae manifestissime actionem significant: *Accepit, gratias egit, fregit, dedit discipulis, dixit: accipite, comedite, bibite, hoc facite* etc. Breviter: quaecunque argumenta probant, baptismum consistere in actione, nec locum habere sacramentum baptismi extra usum illum divinitus institutum, ea omnia et singula pro-

Digitized by Google

bant, eucharistiam etiam in actione consistere, nec locum habere sacramentum eucharistiae extra usum divinitus institutum. Quod veterum appellationes attinet, quibus panem sanctificatum vocant corpus Domini, illae nostrae sententiae minime omnium adversantur, loquuntur enim de pane eucharistico in usu sacramentali, ut ipse verborum sonus et circumstantiae locorum manifeste ostendunt; ex eo vero non debet inferri, quod panem sanctificatum quacunque ratione tractatum, etiam extra usum a Christo institutum, velint esse corpus Domini. Actor. 2, v. 42. eucharistia vocatur *fractio panis* juxta sententiam Bellarmini lib. 4. de eucharist. c. 24. §. Tertia ratio; id quomodo convenit cum eo, quod Bellarminus h. l. scribit: *Si agamus de modo loquendi, nemo unquam vocavit eucharistiam vel corpus Domini fractionem*, 1. Cor. 10, v. 16. *panis, quem frangimus*, (hoc est panis fractus ac distributus sive quod idem est panis fractio ac distributio) est *κοινωνία* corporis Christi; id quomodo convenit cum eo, quod Bellarminus hic negat, *eucharistiam vel corpus Domini vocari fractionem vel distributionem?* Quanto rectius Cassander in consul. cap. de coena Domini p. 70: *Quamvis sacramentum eucharistiae, ratione praesentiae corporis et sanguinis Christi, ex ipsa consecratione verum sacramentum corporis et sanguinis Christi efficiatur; tamen si virtutem et efficaciam spectes, qua Christo unimur et incorporamur, hoc sacramentum ut reliqua sacramenta in ipso usu et actione, quae est sumtio seu manducatio et potio perficitur, quae externa sumtio sacramentum est internae et spiritualis manducationis et potionis corporis et sanguinis Christi, qua fit, ut Christo uniamur et incorporemur. Hoc idem a theologis quibusdam scholasticis asseritur,* (in margine citatur Henric. de Gorghem de effectu missae prop. 5.) *atque hac ratione a veteribus hoc sacramentum nominibus actionem significantibus appellatur, ut sunt synaxis, communicatio, perceptio corporis et sanguinis Christi. 2. Nulla est actio* (inquit Bellarminus), *cui conveniat tota ratio sacramenti. Praecipua actio juxta adversarios est manducatio. At haec nullo modo est sacramentum. Nam ista est actio solius suscipientis, non Dei aut ministri, nec enim Deus aut minister manducat, sed suscipiens manducat. At sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra, unde in baptismo sacramentum est ablutio, ut a Deo per ministrum datur.* Respondemus: praestigias hasce collatio eucharistiae et baptismi facile evertit. Quemadmodum sacramentum baptismi consistit in actione, videlicet in effusione aquae facta in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, quae non solum est actio baptizantis, sed etiam receptio baptizati; ita quoque sacramentum eucharistiae consistit in actione a Christo praescripta, videlicet in externorum symbolorum consecratione, distributione et sumtione, qui actus non solum sunt ministri ratione consecrationis et distributionis, sed etiam communicantium ratione sumtionis, hoc est manducationis et bibitionis. Quemadmodum vero ex eo, quod baptismus in X. 235.
actione consistit, nequaquam inferri potest, quod hoc sacramentum mutuetur virtutem suam ab usu eorum, qui baptizantur; ita quoque ex eo, quod sacramentum eucharistiae in actione a Christo praescripta consistere dicimus, nequaquam inferri potest, nostrum usum efficere sacramentum eucharistiae. Diximus superius, nec unam, nec plures actiones nostras efficere, ut corpus Christi sit in sacra coena praesens, sed insolidum illud efficaciae et voluntati Christi est acceptum ferendum, Christus autem in institutione voluntatem suam hoc modo patefecit, quod debeamus hoc facere, quod ipse fecit, scilicet benedicere, distribuere, manducare et bibere. Si una harum actionum omittitur, non servatur institutio Christi, ubi vero non servatur Christi institutio, ibi etiam non est sacramentum. Quamvis ergo Bellarminus polypi instar se formas vertat in omnes, nunquam tamen vim argumenti ex similitudine baptismi et eucharistiae effugere poterit. *In eucharistia* (inquit) *nulla est actio, cui tota ratio sacramenti conveniat;* atqui dicimus, non unam, sed plures, videlicet tres distinctas actiones ad legitimam eucharistiae administrationem requiri, consecrationem scilicet, distributionem et sumtionem sive manducationem ac bibitionem; proinde ratio sacramenti non consistit in una tantum actione, sed in omnibus actionibus a Christo institutis et praescriptis. Consecratio sine distributione et sumtione non est eucharistia, sed tres illi actus sacramentales, consecratio, distributio et sumtio, eadem ratione ad essentiam et integritatem eucharistiae concurrunt. *Manducatio* (inquit Bellarminus) *nullo modo potest esse sacramentum, nam ista est actio solius suscipientis, non Dei aut ministri. At sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra.* Respondemus: manducatio eucharistiae est quidem actio manducantis, interim quia objectum hujus manducationis est panis consecratus, cujus distributionem ex natura relatorum praesupponit, ideo est talis actio, quae una cum reliquis ad essentiam et integritatem hujus sacramenti concurrit; neque enim est opus quoddam nostrum proprie et accurate loquendo, sed receptio illius doni, cujus communicationem Christus in sacra coena hoc modo instituit et promisit, id est corporis Christi. Tales actiones in reliquis etiam sacramentis concurrunt, videlicet amputatio praeputii in circumcisione, manducatio in agno paschali, ablutio in baptismo, quae sunt actiones respectu ministri agentis, receptiones autem respectu eorum, qui sacramentis utuntur. Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum ad essentiam baptismi requiritur, ut adsit, qui baptismum suscipiat; ita quoque ad essentiam eucharistiae requiritur, ut sit, qui manducet ac bibat, id est panem et vinum consecratum ore recipiat; interim ut baptismi susceptio non proinde fit causa hujus sacramenti, ita quoque cibi ac potus eucharistici per manducationem ac bibitionem receptio non fit ejusdem causa, sed utrobique satisfit insti-

Digitized by Google

tutioni Christi. *3. Verba sacramentalia, sine quibus sacramentum non fit, non dicuntur a manducante, neque ad manducantem, sed a ministro super panem, illa enim verba, hoc est corpus meum ad panem non ad manducantem pertinent.* Respondemus: Christus in prima coenae institutione et administratione, quae est reliquarum norma ac forma, non ad panem, sed ad discipulos dixit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Repetitio institutionis Dominicae in nostra coena separat quidem externa elementa ab usu vulgari et communi, interim tamen non propter panem, sed propter communicantes instituitur, neque propter panem, sed propter communicantes Christus suo corpore in sacra coena adest. Invertimus igitur argumentum: Verba sacramentalia in baptismo non dicuntur a suscipiente baptismum, sed a baptizante, interim baptismi susceptio necessario requiritur, ut sit sacramentum; ita quoque verba sacramentalia in coena non dicuntur a manducante, sed a distribuente, interim manducatio et bibitio necessario requiritur, ut sit eucharistia. Breviter, nec consecratio, nec distributio, nec manducatio, quatenus sunt actiones nostrae, efficiunt eucharistiam, sed Christi institutio, Christi
X. 336. voluntas, Christi efficacia. Interim quia Christus in verbis institutionis ordinavit, ut faciamus, quod ipse fecit, ideo non solum consecratio, sed etiam distributio et sumtio ad legitimam eucharistiae administrationem requiruntur. *4. Pani consecrato tota definitio sacramenti convenit, est enim signum sensibile et causa internae nutritionis spiritualis, fit a Deo per ministrum ritu et ceremonia a Deo instituta, denique elementum et verbum concurrunt ad hoc sacramentum, ut ad omnia alia.* Respondemus: haec omnia tum demum locum habent, quando observatur Christi institutio; panis consecratus est signum et causa spiritualis nutritionis, nimirum si manducetur, non autem nude adspiciatur; ad ceremoniam a Christo institutam pertinet non solum benedictio, sed etiam distributio, manducatio et bibitio. Verbum quod ad elementum accedens efficit sacramentum, non est aliud quam hoc: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* Ut ergo ex eo, quod verbum baptismi requirit actionem, necessario infertur, quod baptismus in actione consistat; ita quoque idem dicendum de verbo eucharistiae.

Ritus primitivae ecclesiae pro stabilienda repositione.

197. Cap. 4. affert Bellarminus pro stabilienda hujus sacramenti repositione varios primitivae ecclesiae ritus, de quibus sigillatim agere non est operae pretium, sed in genere monemus: 1. in ipso jure canonico dist. 8. multos recenseri canones ex veteribus, qui asserunt, *consuetudinem sine veritate esse vetustatem erroris. Dominum in evangelio non dixisse: ego sum consuetudo, sed ego sum veritas; consuetudinem quantumvis vetustam, quantumvis vulgatam veritati omnino postponendam; non hominis consuetudinem, sed Dei veritatem sequendam; non attendendum, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid prius, qui ante omnes est, Christus fecerit* etc. Jam vero ex verbis institutionis manifestum est, Christum panem consecratum nec reposuisse, nec reponendum apostolis dedisse, sed ad manducandum iisdem exhibuisse, addito generali mandato: *Hoc facite.* Adversarii igitur non debent, nec possunt nobis hoc nomine succensere, quod Christi institutionem consuetudini, licet antiquae, praeferimus. Nunquam enim nobis probari poterit, quod Bellarminus asserit lib. 3. de sacram. in genere c. 26. §. ex quo intelligimus, *clariorem esse consuetudinem quam ipsum verbum et ex consuetudine verbum Dei interpretandum, non ob verbum Dei obscurum et ambiguum consuetudinem abolendam.* 2. Praxis ecclesiae apostolicae omnino praeferenda est consuetudini sequentium temporum, ut alibi confirmatum dedimus. Jam vero in ecclesia apostolica non fuit usitata repositio vel asservatio hujus sacramenti, sed ut ex historia evangelica, Actis apostolicis et epistola ad Corinthios colligitur, apostoli et apostolorum discipuli eo modo administrarunt sacram coenam, ut panem consecratum distribuerent et manducarent. 3. Nec tamen omnes veteres ecclesias, in quibus repositio et asservatio in usu fuit, simpliciter damnamus, sed repetimus regulam Cypriani lib. 2. epist. 3: *Si quis de antecessoribus vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit, quod nos Dominus facere exemplo et magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti et instructi sumus, ut ubique lex evangelica et traditio Dominica servetur et ab eo, quod Christus et docuit et fecit, non recedatur. Ignosci potest simpliciter erranti, post inspirationem vero et revelationem veritatis factam, qui in eo, quo erraverat, perseverat prudens et sciens, jam non in venia ignorantiae peccat, praesumtione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Bellarminus regerit, *Cyprianum loqui de paucis quibusdam sacerdotibus, qui ex simplicitate contrarium morem servabant in sacrificio celebrando ab eo, qui in tota servatur ecclesia; consuetudinem vero asservandae eucharistiae non a paucis, nec pauco tempore, sed a patribus omnium aetatum et ab omni ecclesia servatam.* Respondemus: Verba Cypriani sunt generalia, de omni enim consuetudine, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, ex institutione et traditione Dominica judicandum esse asse- X. 337.
rit, ut c. Consuetudo, et cap. Si solus. dist. 8. ex Cypriano manifeste probant. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 1. de sacram. in gen. c. 26. §. ex quo: *Vetus ecclesia ex consuetudine ducentorum vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quae Cyprianus cum suis afferebat.* Et paulo ante: *Vincentius Lerinensis dicit, tantum valuisse apud ecclesiam catholicam argumentum ductum a traditione et consuetudine ecclesiae, ut hoc uno superata fuerit causa S. Cypriani, qui summa eloquentia et frequentissimo sanctorum episcoporum concilio et multis divinae Scripturae te-

stimoniis contra veritatem pugnabat. Ex quo intelligitur, Cyprianum contra consuetudinem non paucorum, sed multorum regulam illam protulisse. Becanus in disp. de judice controv.: *Cyprianus in epist. ad Jubajanum persuasus, se ex Scripturis demonstrasse, quod haereticorum baptisma non sit validum, hac occasione incipiebat traditionem contemnere, qua firmius oppugnabatur quam a Scriptura.* Quod autem consuetudo asservandi eucharistiam non fuerit universalis, ex superioribus intelligi potest. 4. Exempla asservationis eucharistiae ex veteribus adducta sunt dissimilia, quaedam enim propius ad institutionem accedunt, quaedam vero sunt remotiora. Justinus apolog. 2. commemorat, *per diaconos eucharistiam ad absentes deferri solitam.* Factum id est immediate post consecrationem et reliquorum communicationem in coetu ecclesiastico antegressam. Eodem modo accipiendum est illud Irenaei in epist. ad Victorem papam apud Euseb. lib. 5. hist. c. 24. *quod eucharistia episcopis peregrinis Romam venientibus in testimonium unitatis et concordiae fuerit missa.* Quotidiana tunc in ecclesiis celebrabatur communio, ut ex antiquitate notum est, peracta igitur in coetu publico communione per diaconos ad aegrotos vel peregrinos fuit delata, nequaquam vero per aliquot dies reservata vel ad pompam et spectaculum circumgestata. Frustra igitur propugnat Bellarminus hisce exemplis asservationem, ostentationem et circumgestationem in ecclesiis Pontificiis usitatam. Nam in coetu ecclesiastico, in quo eucharistia celebratur, ad aegrotos, peregrinos atque alios, qui aliqua de causa impediti fuerunt, ne interessent celebrationi mysteriorum, panem et vinum, in quo gratiae actae sunt, transmittere, longissime distat a repositione solius panis per dies aliquot, non manducationis, sed theatricae circumgestationis causa. *At* (inquit Bellarminus) *si non est sacramentum nisi dum fit, quod Christus fecit aut fieri jussit, quomodo erit sacramentum in illa delatione ad absentes?* Item: *certum est, illos, qui deferebant, non consuevisse in domibus eorum ritum coenae celebrare et eo modo eucharistiam consecrare, erant enim diaconi. Ergo fatendum, quod non sit opus repetere consecrationem eucharistiae in domibus eorum, ad quos defertur.* Respondemus: delatio illa ad aegrotos et absentes non separavit tanto temporis intervallo consecrationem et distributionem, sicut in ecclesiis Pontificiis fieri hodie consuevit, in quibus vel nunquam, vel non nisi post aliquot dies distributio succedit, propius igitur ad institutionem Dominicam delatio illa veterum accedit, interim tamen magis consentaneum institutioni et exemplo Christi pronuntiamus, verba coenae recitare et illis benedicere eucharistiam in loco communionis et tempore communionis in praesentia communicandorum, quam alio et loco et tempore illis absentibus, ut postea ostendemus. 5. Quaedam exempla asservationis ab institutione Dominica sunt remotiora, cum non immediate conjunctam habeant manducationem ab ipso Christo in institutione praescriptam et requisitam. Cyprianus serm. de lapsis commemorat, *mulierculas quasdam eucharistiam in arculis et strophiolis domi asservare solitas.* De hac privata reservatione eucharistiae (in qua vel utrumque corporis et sanguinis antitypum ex coetu ecclesiae domum secum deferebant, vel ex calice Domini in ecclesia bibebant, panem vero Dominicum secum portabant domum, ibique et ante cibum vel in periculis vel inchoaturi aliquid eum manducabant) loquuntur etiam Tertullianus lib. 2. ad uxorem, Basilius in epist. ad Caesariam, Nazianzenus orat. in Gorgon. Ambrosius de obitu fratris Satyri c. 7. Hieronymus in apol. pro libris adv. Jovinianum. Sed postea mutata, abrogata et X. 338.
prohibita fuit consuetudo illa privatae reservationis, quantumvis antiqua et late patens in concilio Toletano I. can. 14. et Caesar. Augustano can. 3. Decretum prius Toletanum sic habet: *Si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit, veluti sacrilegus propellatur.* Decretum Caesar. Augustanum tale est: *Eucharistiae gratiam si quis probatur non consumsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum.* Sic ergo patres illius concilii ipso facto ostenderunt, consuetudinem ecclesiae non suffultam Dominica institutione abrogari jure posse. Bellarminus regerit, *non asservationem in ecclesia, sed privatam tantummodo abrogatam esse, ne videlicet aliqui abutantur tanto sacramento ad veneficia et alia hujusmodi scelera.* Respondemus: Eadem est ratio privatae et ecclesiasticae asservationis, neutra gaudet Christi instituto vel mandato; contra vero utraque parit abusus et superstitiones; utraque conjuncta est cum periculo abusus ad veneficia et alia hujusmodi scelera, nisi forte statuamus, inter sacerdotes et templi custodes nullos esse magos, nec perfringi posse cibarium, in quo panis consecratus asservatur. Referunt historici, omnes pontifices a Sylvestro II. usque ad Gregorium VII. inclusive fuisse magos, et de hoc Gregorio VII. scribit Benno cardinalis, *quod ex pane consecrato responsa quaesierit contra imperatorem, quae cum aliquando non redderentur, in ignem eum conjecerit.* Si pontifices sanctissimi asservata eucharistia ad magiam abusi sunt, quid non audebunt minorum gentium dii? At (inquit Bellarminus) *si extra usum coenae non esset sacramentum, nec corpus Domini, posset permitti cuicunque panis ille sanctificatus, neque enim periculum esse ullius sacrilegii, si extra usum coenae nihil esset nisi merus panis. Concilia igitur, quae tam severe propter pericula sacrilegiorum prohibent sacramenti asservationem, manifeste indicant, etiam extra usum coenae verissimum permanere tum corpus Domini, tum etiam sacramentum.* Respondemus: aquam baptismi extra usum a Christo institutum non esse sacramentum ipse Bellarminus concedit; atqui num homines sacrilegi non abutuntur sacri baptismatis aqua ad gravia scelera? praxis ostendit contrarium. Ergo ut abusus aquae baptisticae et prohibitio aquae

Digitized by Google

ad tales abusus asservandae nequaquam probat, aquam baptismi esse sacramentum extra usum a Christo institutum; ita quoque de eucharistia idem omnino dicendum. 6. Quaedam exempla plane sunt contraria divinae institutioni, ideoque nec probari nec excusari possunt aut debent. Ambrosius in orat. de obitu Satyr. testatur, *Satyrum sacramento ad collum appenso usum esse ad naufragium evitandum.* In libro Amphilochii de Basilio refertur, *quod ea hora, qua e vivis excesserit, illam partem hostiae acceperit, quam secum tumulare decreverat.* Alia quaedam legenda de Basilio fingunt, *quod panem consecratum in tres partes diviserit, quarum unam communicarit, alteram in columba aurea, quae super altare pependit, reposuerit, tertiam secum consepeliendam reservarit.* Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 8. scribit, *a quibusdam presbyteris oblatum fuisse Deo sacrificium Dominici corporis ad curandam domum quandam a daemonum vexatione.* Gregorius lib. 2. dialogorum c. 24. de Benedicto refert, *quod cum defunctus quidam monachus sepeliri nequiret, miserit aliquos, qui eucharistiam super pectus mortui ponerent.* In majoribus basilicis sacramentum quotidie cum lampadibus accensis inclusum proponitur adorandum et effertur ad incendia restinguenda et ad similes casus averruncandos. Plures hujusmodi abusus enumeravimus superius §. 60. membr. 2. Atqui illos omnes defendere cogitur Bellarminus et ipso facto etiam defendit in c. 5. §. ad quartam, cum semel discesserit a regula illa verissima et certissima, quippe ex ipsis institutionis verbis deducta: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* Concedere ergo cogitur, panem consecratum esse verum Christi corpus, quocunque modo tractetur et quocunque fine usurpetur. *Falsum est* (scribit), *apud veteres non fuisse alium sacramenti usum quam ad manducandum. Nam Gorgonia soror Nazianzeni ipso Nazianzeno teste in orat. de obitu Gorgon. sacramento eucharistiae usa est ad impetran-*
X. 339. *dam a Deo sanitatem, Christi corpus in sacramento adorando, invocando, oculis applicando; Satyrus Ambrosii frater eodem ad collum appenso usus est ad naufragium evitandum. Cyrillus Hierosolym. catech. 5. mystag. monet communicantes, ut post communionem digito tangant labia sanctificata contactu corporis et sanguinis Domini et deinde eodem digito sanctificent per contactum oculos, frontem et alia membra* etc. At si illi usus eucharistiae defenduntur, defendendi etiam reliqui omnes, longissime etiam ab institutione Dominica recedentes, cum omnium sit par ratio. Brentius in apol. confess. Würtenb. cap. de satisfactione pag. 559. refert quandam fabulam, quam de majoribus audierat. *Quaedam mulier* (inquit) *molitoris uxor, cum magna rerum penuria laboraret, cogitavit, quibus rationibus egestatem suam sustentare posset. Vidit enim vicini molitoris uxorem non solum lautam supellectilem habere et pretiosa veste incedere, verum etiam magnam vim pecuniae possidere. Doluit igitur, se cum in eadem esset professione seu artificio, non etiam in eadem esse fortuna. Ac diu quidem circumferens oculos, quo rebus suis consuleret, tandem visum fuit optimum esse, ut cum sumeret in die paschae panem eucharistiae, clam ex ore subtraheret et lapidi molari subjiceret. Sic enim futurum sperabat, ut Christus, qui hoc pane contineretur, omnem benedictionem suam in domum praesens effunderet. Postquam ergo cogitata perfecisset, ecce tibi rem mirandam. Noctu ad hunc molarem lapidem, sub quo panis eucharistiae jacebat, auditur suavissimus concentus. Itaque et familiares et vicini tanta vocis suavitate excitati concurrunt undique nec possunt aliud judicare, quam hunc esse coelestium angelorum concentum. Sed cum diu attoniti dubitarent, quae hujus novae rei causa esset, vident tandem hostiam sub molari paululum prominentem, et quo propius ad eam aures admovent, eo jucundior et clarior auditur sonus. Itaque judicant, non esse hostiam vulgarem, sed consecratam et ibi Christum ipsum una cum corpore et sanguine, imo et cum cruce, imo et cum universa humanitate et divinitate praesto adesse. Mulier autem horrore propter miraculum correpta significabat trepidatione ipsa, se, quid de hac hostia factum sit, haud ignaram esse, quare comprehenditur a magistratu, fatetur rem gestam et ut rea tanti mysterii profanati traditur igni exurenda.* Atqui si licet sacramento uti ad corporalem sanitatem impetrandam oculis applicando, cur non etiam liceret uti ad divitias et benedictionem acquirendam molari subjiciendo? *In hac causa* (scribit Brentius) *nihil videtur miserae mulierculae defuisse praeter Sotum* (vel Bellarminum) *patronum. Quid enim dicat accusator, mulierem profanasse eucharistiam? sed respondisset patronus, mulierem non solum nihil detraxisse virtuti eucharistiae, verum etiam plurimum tribuisse et gratiam Christi in eucharistia illustrasse, dum non solum petierit ab eo juvari in corde et ore suo, sed etiam in molari et universa domo sua. An enim non est hoc honorare corpus Christi et de majestate ejus praeclare sentire, ut exspectes ab* ipso *gratiam et benedictionem non tantum cum ore sumitur et in humanum ventrem tam foetidum trajicitur, verum etiam cum molari lapidi tam nitido et utili imponitur? Si enim utilitatem molaris expendas, nulla gemma ei anteferenda est, et quid etiam utilius corpore Christi? quare si hae duae res utilissimae convenirent, quid non benedictionis ex ipsis sequeretur? Haec et multa alia potuisset patronus commemorare.* 7. Quemadmodum privata eucharistiae reservatio non solum cessavit, sed etiam in conciliis abrogata est, cum causae, propter quas coeperat, desiissent; ita quoque, cum causae publicae sive ecclesiasticae reservationis itidem desierint iisdemque abusus in circumgestatione, ostentatione etc. successerint, utique etiam publica illa reservatio merito cessare et abrogari debet. Causa privatae reservationis D. Chemnicio potissima videtur

Digitized by Google

haec fuisse, quod tempore persecutionis non poterant, quoties vellent, ad celebrandam coenam Dominicam convenire. Cum igitur nec ubique nec semper copiam communionis habere possent, ne tamen
340. incidentes periculo aliquo penitus privarentur communione, particulas quasdam in coetu ecclesiastico acceptas reservarunt, sed postea judicatum fuit, rectissimum esse praescriptum institutionis servare et sequi. Causas publicae sive ecclesiasticae asservationis idem Chemnicius hasce commemorat. Novatiani contendebant, lapsos et praecipue in persecutione non esse recipiendos et ad communionem ecclesiae admittendos, etiamsi poenitentiam agerent. Ecclesia vero poenitentibus non negabat reconciliationem et communionem, sed tamen ut in lapsis statueretur exemplum deterrens reliquos a simili peccato utque exploraretur, an vera esset poenitentia, disciplina severiori usi sunt. Non enim statim ad communionem admiserunt poenitentes, sed prius per certum temporis intervallum certa disciplina probabant ipsorum poenitentiam. Ne tamen quisquam poenitentium tempore illo canonico nondum expleto sine reconciliatione et communione decederet, statutum fuit, ut in periculo mortis privata absolutione et communione reconciliarentur et in communionem ecclesiae reciperentur, utque receptio illa et communio, licet fieret privatim, non coram tota ecclesia, tamen testimonium esset publicae receptionis et admissionis ad communionem totius verae ecclesiae; ideo de illo ipso pane, qui in coetu ecclesiae benedictus erat, ex quo reliqui credentes participarant, particulam dandam esse censuerunt, ut eo minus dubitarent lapsi, se recipi in communionem mystici corporis, *unus enim panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus*, 1. Cor. 10, v. 17. Cumque, sicut Cyprianus queritur lib. 3. epist. 14. sacerdotes quidam lapsos privatim sine episcopi et ecclesiae consensu absolverent et communicarent, magis placuit hic mos, ut ad communionem poenitentium in periculo mortis usurparentur particulae illae, ex quibus antea ecclesia in coetu communicarat, ut ita infirmus, licet in loco privato a solo presbytero, tamen quasi publice communi testimonio a tota ecclesia ad communionem recipi judicaretur. Item cum haereses et schimata varie turbarent ecclesiam, ita ut peculiares suos coetus cogerent, ubi communionem suam celebrabant, haeretici, ut ostendit Tripart. lib. 3. c. 11. ne igitur infirmi haeretica communione macularentur, utque morituri disjungerent se ab omnibus haereticis et testarentur, se esse et perseverare velle in communione verae ecclesiae; placuit ex illo ipso pane et vino, cujus partem ecclesia in publico coetu sumserat, communionem praebere aegrotantibus, utque illis diebus et horis, quando publice in ecclesia non celebraretur ministerium eucharistiae, succurri posset illis, qui in periculo mortis versarentur, aliquid reservari placuit ab uno die publicae celebrationis eucharistiae usque ad proxime sequentem, quae reservatio fuit simpliciter sine superstitione et sine peculiari cultu extra usum. Haec D. Chemnicius, quae ne verbo quidem Bellarminus attingit. 8. Concilium Tridentinum sess. 13. c. 6. consuetudinem asservandi eucharistiam in sacrario Nicaeni concilii auctoritate potissimum defendit. Id Bellarminus sic explicat can 14. (alias 18. alias 20.): *Jubet synodus, ut in absentia presbyterorum diaconi eucharistiam porrigant; jam vero sine presbyteris non potest celebrari coena, nec diaconis data fuit auctoritas offerendi, ergo eucharistia reservata fuit in ecclesia, ut quovis tempore distribui posset.* Item can. 13: *Jubetur, ut secundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegaretur sacra communio, jam vero aegroti non potuerunt ad ecclesiam venire, nec potuit tota actio celebrari in cubiculis aegrotantium, praesertim secundum opinionem adversariorum, qui damnant missas privatas; ergo necesse fuit, ut eucharistia servaretur consecrata pro aegrotis.* Respondemus: Concilium Nicaenum celebratum fuit anno Christi 325. seculum igitur Nicaenae synodi non est vetustissimum tempus ecclesiae. Praeterea qui et quot sint illi canones, quos patres illius concilii praeter expositionem fidei ediderunt, valde ambiguae sunt opiniones. Gratianus distinct. 16. numerat 70 cano- X. 341.
nes, ex quibus tantum 30 postea in Romana ecclesia relicti sunt. Theodoretus lib. 1. historiarum eccles. c. 8. viginti canones agnoscit de ecclesiastica disciplina, non plures. Et Bellarminus ipse fatetur hoc loco, illam partem canonis non haberi in omnibus editionibus. De illo vero canone, ex quo reservationem probare conantur, res non tantum dubia, sed etiam suspecta est. Posterior enim sententia alludens ad reservationem, ut scilicet ipsi diaconi in absentia presbyterorum proferant et edant, in canone illo nec Graece legitur, nec in decretis dist. 93. c. pervenit, nec in priori editione conciliorum; sed secunda editio, sicut ex canone 14. facit 18, ita etiam alludit ad sententiam illam. Apud Ruffinum lib. 1. c. 6. legitur in illo canone talis quaedam additio, sed non eo modo, sicut in tomis conciliorum. Nihil enim habet de proferendo quasi reservatum fuerit, sed simpliciter dicit: *Diaconi praesentibus presbyteris eucharistiam non dividant, sed illis agentibus solum ministrent. Si vero presbyter nullus sit in praesenti, tunc demum etiam ipsis licere dividere.* Cum ergo de sententia illa canonis alludente ad reservationem res sic se habeat et in sexta Carthaginensi synodo convicti fuerint Romani de falsatis canonibus Nicaenis, cumque assumentum illud non de circumgestatione et ostentatione, sed de distributione loquatur, manifestum est, qualis sit haec probatio. Monuerat isthaec totidem verbis D. Chemnicius, sed Bellarminus sicco pede ea praeterit, tantum dicit, *hunc canonem exstare apud Ruffinum, qui teste Cyrillo in epist. ad conc. Carth. veros et authenticos canones habeat.* Canon 13. nullius plane reservationis mentionem facit. *Nemini poenitentium in mortis articulo sacram communionem denegandam esse* statuitur, ex eo

Digitized by Google

vero sacramenti asservatio minime probatur. Cum enim in primitiva ecclesia plerumque quotidiana celebrata fuerit communio, ut ex historia antiquitatis notum est, ideo propter poenitentium communionem privatam nulla opus divina sacramenti asservatione. *Negari non potest* (scribit Bellarminus libr. 2. de missa c. 9.), *quin olim singulis diebus in multis locis missae celebrarentur, id quod ex Augustino epist. 23. Hieronymo in c. 1. ad Titum Chrysostomo homil. 3. ad Ephes. ibidem probat.* Insigniter autem fallitur Bellarminus, quod scribit, nos privatam aegrotorum communionem improbare, praxis enim ecclesiarum nostrarum contrarium demonstrat.

Quid statuendum de asservatione eucharistiae propter communionem aegrotorum.

198. Ceterum cum pro defendenda asservatione sacramenti potissimum urgeantur exempla veteris ecclesiae, in qua pro aegrotis asservata fuit eucharistia, ideo monemus hoc loco: 1. Pontificios non illam solummodo repositionem, quae fit propter communionem aegrotorum, sed omnem omnino repositionem, quae fit propter circumgestationem, ostentationem, venerationem etc. quamquam nulla sequitur manducatio, contra nos propugnare, a qua reservatio pro communione aegrotorum in veteri ecclesia usitata toto coelo distat. Sic enim scribit Bellarminus lib. 4. de eucharistia c. 2. in fine:
X. 342. *Si quis faciat sedem, cujus sedendo est usus, et tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinit esse sedes etc. sic etiam sacrosanctum sacramentum non desinit esse sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum.* Et c. 5. in fine: *Primarius finis servandi eucharistiam semper fuit et est manducatio, servatur enim potissimum ob viaticum infirmorum, interim autem dum non consumitur, nihil prohibet sumere ex eo alias utilitates.* Et postea: *Ad quaestionem, utrum extra usum manducationis eucharistiae sit sacramentum et corpus Domini, inpertinens est, in quem usum hoc sacramentum conservetur.* 2. Justinus et Irenaeus testantur, eucharistiam in coetu ecclesiastico benedictam statim ex illo ad communionem absentium, aegrotorum scilicet et peregrinorum, fuisse delatam; sic ergo inter consecrationem et communionem aegrotorum non intercessit mora temporis longior. Innocentius de divin. officiis citante Cassandro dicit, *sacerdotem solitum fuisse Dominicum corpus consecratum in tres partes dividere, quarum unam calici immittat, aliam diaconus communicet, tertiam ad viaticum, si opus fuerit, in patina usque ad finem reservet; si autem opus non fuerit eam sacerdos, aut unus ministrorum in communione accipiat;* ex quo apparet, quod nihil fuerit olim reservatum vel repositum, quando nulli aegroti communicandi. Sed Pontificii per aliquot non solum dies, sed etiam per annum integrum hostiam consecratam in usum aegrotorum reponunt. Et quamvis quotidie missas celebrent, tamen pro infirmis ex paschali vel alia solenni communione per totum fere annum particulas reservant. 3. De reservata eucharistia ad communionem infirmorum unicum Serapionis exemplum apud Eusebium lib. 6. c. 43. in vera et veteri antiquitate occurrit, ibi enim ex epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium commemoratur, *quod Serapion in extremis agens miserit puerum ad presbyterum, ut ad se veniret cum sacramento eucharistiae. Presbyterum autem tunc forte aegrotantem non potuisse ipsummet accedere, sed misisse eucharistiam per puerum Serapioni deferendam.* Sed hoc exemplum non est vetustissimum, factum enim est tempore Novatiani schismatis. Nec fuit reservatio illa consuetudo quaedam universalis et perpetua, sicut etiam ea non fuit opus, cum quotidie illis temporibus celebraretur communio, nec solum ante meridiem, sed etiam circa horam tertiam et nonam ad vesperam, praecipue in Sabbatis Paschae et Pentecostes, ut Cassander ex veteribus probat. 4. Causae reservationis, quas veteres habuerunt, hodie cessarunt, quin imo graves abusus iisdem successerunt, ergo ut privata reservatio a veteribus fuit abrogata, ita quoque publica, et ecclesiastica illa reservatio cessare deberet, cum privata illa reservatio et antiquior sit et plura antiquitatis exempla habeat atque latius usurpata fuerit. 5. Utraque olim species ad aegrotos et absentes fuit delata, ut ex Justino apol. 2. et ex historia Serapionis apud Euseb. lib. 6. c. 43. manifeste apparet. Utraque species fuit in privatas aedes deportata, ut ex historia Exuperii apud Hieronymum in epist. ad Rufin. et ex Nazianzeno in oratione de funere Gorgoniae apparet. Apud Chrysostomum in epist. 1. ad Innocentium fuit in sacrario sanguis Christi a militibus effusus. Sed Pontificii unam tantum panis speciem reponunt et ad aegrotos deferunt. 6. Veterum reservatio et deportatio ad aegrotos sine ulla superstitione et peculiari cultu extra usum usurpata fuit, quia presbyter apud Eusebium loco dicto dat puero eucharistiam Serapioni deferendam. Exuperius apud Hieronymum loco dicto corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro; Satyrus apud Ambrosium in orat. de obitu Satyri particulam eucharistiae orario involutam a fidelibus in periculo naufragii accipit. Sed apud Pontificios Innocentius III. primus mandavit, ut eucharistia in ecclesia sub custodia clavibus et seris adhibitis conservetur. Bellarminus X. 3
c. 4. §. 3. dicit, *illud fieri propter abusus, qui paulatim sunt exorti;* atqui praestaret propter illos abusus ad institutionem Dominicam recurrere et reservationem publicam intermittere, sicut ex iisdem causis privata reservatio fuit abrogata. Honorius III. statuit, ut quando reservata eucharistia defertur ad infirmum, plebs se reverenter inclinet, voluit etiam luminaria semper deferri. Sequentes pontifices certum numerum indulgentiarum addiderunt, ducentorum scilicet dierum, pro reverentia, quando ad infirmum cum luminaribus portatur, centum vero, quando sine luminaribus portatur. Haec certe toti antiquitati sunt ignota. Bellarminus loco dicto respondet, *quod creverit honor externus sanctissimi sacramenti, praeser-*

Digitized by Google

tim devotione interna decrescente, *nemini displicere potest*, *nisi hostibus Christi et religionis.* Atqui praestaret internam illam devotionem praedicatione beneficiorum, quae ex legitima hujus sacramenti administratione et fideli ejusdem communicatione ad nos promanant, excitare quam de externo ejusdem honore omisso usu a Christo instituto cogitare. 7. Pontificia reservatio pro aegrotis nititur hac falsa hypothesi, quod benedictio panis non valeat, nisi consecratio fiat in templo et altari pontificaliter consecrato, quodque eucharistia ad communionem non recte consecretur extra actum sacrificii missae, inde asservationem propter usum aegrotorum judicant necessariam; sed vetus ecclesia morem suae reservationis non judicavit esse necessarium ac privatis etiam in aedibus olim consecratum fuisse, multa exempla testantur. Christus ipse eucharistiam instituit et administravit in domo privata; apostoli in aedibus privatis communicabant. Id ipsum adductis aliquot veterum testimoniis probat Bellarminus lib. 2. de missa c. 9. §. igitur primo. 8. Quare cum exempla reservationis in veteri ecclesia usitatae sint dissimilia, cumque privata asservatio decretis conciliorum propter abusus fuerit abrogata, ideo simplicissimum, tutissimum ac rectissimum est ad institutionem Dominicam tanquam normam et regulam respicere, cui magis conforme est et consonum, in communione infirmorum verba coenae, quae sunt ipsa consecratio, in praesentia aegroti recitare, quam ex particulis per plures non solum dies, sed etiam menses reservatis infirmos communicare, quod D. Chemnicius probat hisce fundamentis: Primo quia Christus verbis suis, quae voluit ad elementum accedere, ut fieret sacramentum, usus est illo loco et illo tempore, ubi et quando distributurus erat communionem et in praesentia eorum, quibus volebat communicare corpus et sanguinem suum. Magis igitur consentaneum est descriptioni institutionis et exemplo Christi verba coenae recitare et illis benedicere eucharistiam in loco communionis et tempore communionis in praesentia communicandorum, quam alio loco et tempore absentibus illis, quibus exhibenda est. Secundo verba illa coenae: dixit, *accipite*, *comedite*, *bibite*, *hoc facite*, non diriguntur ad elementa, sed ad communicaturos. Non igitur consentaneum est institutioni verba illa tantum ad panem et vinum dirigere et quidem in absentia communicandorum. Tertio Christus communionem non voluit esse mutam actionem, sicut medicus pharmacum alio loco et tempore praeparatum propinat et applicat, sed quando panem fractum et poculum benedictum discipulis dabat, dixit et addidit mandatum: *Hoc facite in mei commemorationem*, quod Paulus interpretatur, ut fiat annuntiatio mortis Christi, non tantum in benedictione, sed etiam sumtione. Quarto consolatio de usu et fructu eucharistiae imprimis necessaria est aegrotis, illam vero verbis Christi, quibus sacramentum hoc conficitur, comprehendi et
I. 341. proponi non est dubium, et fides eam in verbo quaerit et apprehendit; recte igitur et utiliter fit, quod verba coenae, quibus panis et vinum eucharistiae benedicitur, recitantur praesente et auscultante aegroto. Quinto illa ratione multae quaestiones et disputationes de particulis extra usum reservatis turbantes simplicitatem doctrinae et fidei de eucharistia praecaventur et praeciduntur. Denique quia morem reservationis necessarium faciunt exemplo ostendenda est libertas Christiana, ne veritas eucharistiae ex loco, ubi benedicitur, pendere existimetur, aut quasi actio sacrificii papistici necessaria sit ad veritatem eucharistiae. Haec omnia D. Chemnicius, ad quae cum Bellarmino respondere ἀδύνατον fuerit, sicco pede ea transsilire voluit.

CAPUT XVIII.

DE CIRCUMGESTATIONE SACRAMENTI.

Circumgestatio panis consecrati.

199. Pontificia consecrati panis asservatio et repositio non tam infirmorum communionem, quam ejusdem circumgestationem, ostentationem et cultum extra usum a Christo institutum sibi propositum habet. 1. Quando panis consecratus ad infirmum defertur, praeferuntur luminaria, campanulae sonus auditur et plebs reverenter se inclinare jubetur; quin et pontifices certum numerum indulgentiarum pro reverentia illa constituerunt. Honorius III. lib. 3. decretalium tit. 41. c. 10: *Sacerdos frequenter doceat plebem suam, ut se reverenter inclinet, cum hostiam salutarem presbyter defert ad infirmum. Quam in decenti habitu supposito mundo velamine ferat et referat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore semper lumine praecedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur.* Anno 1220. Gregorius IX. hujus Honorii successor *tintinnabuli seu squillae pulsum*, quo populus ad genu flectendum admoneatur, addidit. **In chronicis Coloniensibus exstat, *sacramentum coenae primum anno 1431. Coloniae circumgestatum et papam Martinum V. primum addidisse indulgentias.*** Concilium Colon. sub imperatore Rudolpho Habspurgensi circa annum 1280: *Statuimus, ut pyxis, in qua corpus Domini ad infirmos defertur, sit aurea, argentea, eburnea vel ad minus cuprea bene elimata. Ad communicandum infirmum corpus Domini allaturus eat sacerdos dicendo septem psalmos, et si via fuerit longior, addat litaniam et alias cantiones. Incedat autem ad communicandum infirmum cum campanula et lucerna. Quilibet autem fidelis, si devote fecerit hanc processionem, decem dies indulgentiae pro eundo et redeundo habeat. Equitantes vero non dedignentur descendere de equis suis ad adorandum eum, qui pro eis descendit de coelis* etc. 2. Urbanus IV. circa annum 1264. (quidam scribunt anno 1260. sed minus

Digitized by Google

recte, quia ex bulla papae intelligitur, quod anno pontificatus 3. institutum sit hoc festum, jam vero Urbanus anno 1261. ad sedem papalem evectus est) festum corporis Christi instituit et quidem ex revelatione Leodiensis cujusdam mulieris, cui nomen Eva, cum qua ante pontificatum familiarem conver-
X. 345. sationem habuerat, quaeque in monasterium reclusa erat, ut referunt Joh. Balaeus in Actis Rom. pontificum ex Arnoldo Bosio et Petro Praemonstratensi in vita Urbani IV. Polydorus Virgil. lib. 6. de rerum invent, c. 8. Exstat etiamnum bulla ad Evam
X. 346. illam data apud urbem veterem sexto idus Septemb. anno pontificatus tertio, quae sic habet: *Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectae in Christo filiae Evae salutem et apostolicam benedictionem. Scimus, o filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum corporis Domini nostri Jesu Christi institueretur in ecclesia Dei a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicae fidei dignum duximus statuendum, ut de tam mirabili sacramento praeter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, specialior et solennior memoria celebretur, certum ad hoc designantes diem, ut ipsa feria quinta (post octavam pentecostes) devotae turbae fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, sitque dies illa universis Christianis nova festivitate jucundus et ampla jucunditate festivus, prout in literis apostolicis, quas per universum mundum super hoc direximus, id plenius continetur, et scias, quod nos hujusmodi festum cum omnibus nostris fratribus, Romanae scilicet ecclesiae cardinalibus, nec non cum omnibus archiepiscopis, episcopis, ceterisque ecclesiarum praelatis tum apud sedem apostolicam commorantibus ad hoc, ut videntibus et audientibus de tanti festi celebritate praeberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum et exsultet spiritus tuus in Deo salutari tuo, quia viderunt oculi tui salutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Laetare insuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui et voluntate labiorum non fraudavit te coelestis gratiae plenitudo. Et quia quaternum, in quo totum ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem praesentium destinamus, volumus et per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias et ejus copiam personis illum petentibus exhibeas liberaliter et libenter instes devotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de se ipso reliquit in terris, ut nobis tribuat ex alto gratiam commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter ad laudem et gloriam sui nominis et salubriter gubernandam.* Datum etc. Porro officium ipsum, cujus mentionem facit bulla, Nauclerus volum. 2. generat. 43. et alii complures a Thoma Aquinate compositum esse scribunt, qui propterea columbam argenteam a pontifice dono accepit, unde columba ad humerum dextrum ejus imagini appingitur. Quamvis autem Urbanus novum illud festum ubique celebrandum mandaret, tamen ut est in glossa decretalium extr. de reliquis et veneratione sanctorum, illa constitutio tanquam novitas a multis spreta fuit per quinquaginta ferme annos usque ad Clementem V. qui anno 1311. in concilio Viennensi constitutionem illam Urbani denuo repetivit et ab omnibus districte servari praecepit, quam postea Johannes XXII. una cum reliquis Clementinis publicavit
lib. 3. Clement. tit. 16. de reliquiis et veneratione X. 347.
sanctorum, ubi legatur, cum sit prolixior, nec commode huc referri possit. Causae institutionis hujus festi ibidem exponuntur quatuor, primo *ad confundendam specialiter haereticorum perfidiam et insaniam* (atqui haereses convincuntur et confunduntur ex verbo Dei, non ex ceremoniis ab hominibus excogitatis); secundo *quia in die coenae Dominicae, quo ipse Christus hoc sacramentum instituit, universalis ecclesia pro poenitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum et aliis quamplurimum occupata plene vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti* (digna hujus sacramenti celebratio consistit in eo, ut Christi institutio ecclesiae proponatur, explicetur, corruptelis opponatur etc. ac juxta eandem hoc sacramentum administretur); tertio *quia ecclesia certum statuit diem, in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum exsisteret, solveretur; ideo multo magis exsequendum erga sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria et corona, ut festivitate ac celebritate praefulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis missarum officiis circa solennitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur* (is honor et cultus Deo placet, quem ipse in verbo praescripsit); denique *quia pontifex* (Urbanus IV.) *in minori officio constitutus olim intellexerat, quod fuerit quibusdam Catholicis divinitus revelatum festum hujusmodi generaliter in ecclesia celebrandum* (suspecta est omnis revelatio, ait Gerson, quam non probat lex cum evangelio). Nec tamen in Clementina illa panis consecratus praecipitur circumgestari et in adorationem populo per plateas proponi, sed finis hujus instituti ita explicatur: jubentur praelati in Dominica dictam feriam quintam praecedente subditos suos sollicite exhortari, *ut per veram et puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas et sedulas orationes et alia devotionis et pietatis opera taliter se studeant praeparare, quod hujus pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die possintque ipsum suscipere reverenter ac ejus virtute augmentum gratiarum consequi.* Ergo non fuit Urbano et Clementi propositum, ut eucharistia circumgestaretur, ostentaretur et spectaretur extra usum distributionis et sumtionis, sicut hodie fit in celebratione illius festi, sed propter usum, participationem seu communionem

Digitized by Google

solenniorem primo institutum fuit, et in illo usu, in quo debita reverentia et devotio requiritur, gratiae Christo agi jubentur, pro immenso hoc beneficio, quod corpus suum in cibum et sanguinem in potum nobis dederit. Anno autem circiter 1360. coeptum papae processiones et tabernacula in hujus festi celebratione usurpare, adeo recens est spectaculum ejus, prout hodie in papatu usurpatur. Notandum etiam, in hujus festi officio utriusque speciei mentionem fieri, vocatur enim festivitas corporis et sanguinis Christi, et in responsorio illius festi canitur: *Omnes qui de uno pane et de uno calice participamus*, sed hodie vocatur *festum corporis Christi*, quia solus panis consecratur, circumgestatur, ostentatur, adoratur etc. cujus consuetudinis origo ad tempus concilii Constantiensis referenda videtur, in quo mutilatio hujus sacramenti definita. Denique ut fideles ad hujus celebrationem eo magis invitarentur, indulgentiae fuerunt additae ab Urbano et Clemente. *Nos* (inquiunt) *Christi fideles ad colendum tantum festum et celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum; qui vero missae, totidem; qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; illis vero, qui primae, tertiae et sextae, nonae ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadra-*
X. 348. *ginta; illis autem, qui per octavas illius festi matutinalibus vespertinis missae ac praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi de injunctis sibi poenitentiis relaxamus.* Sed indulgentiae illae per Martinum V. et Eugenium VI. in immensum postea auctae sunt, ita ut juxta supputationem Juliani Palmerii ad 44000 dies verae peccatorum remissionis assurgant, quibus non minus participet, qui spectat, quam qui communicat. Sed recte monet glossa in Clement. de reliquiis et venerat. sanct. *quod remissiones illas, quibus pauci participant, interpretari velle nec deceat, nec expediat.* Tandem etiam progressu temporis pompae Romani pontificis circumgestatio sacramenti fuit adhibita. Sic enim habetur in pontificali Romano de processione ad Lateranum f. 48. et in cerem. Rom. libr. 3. c. 19: *Ducitur per familiarem sacristiae rubro etiam indutum et baculum in sinistra habentem equus albus, mansuetus, ornatus, portans sacramentum, quod ipsi in pulvino ornato capsa inclusum sacrista imposuit; equus habet ad collum tintinnabulum bene tinniens et supra portatur baldachinum cum insignibus papae et sacramenti; equum praecedunt duodecim familiares papae rubra veste induti portantes duodecim intortitia accensa ante sacramentum corporis Christi pedites; inde duo familiares sacristae equestres etiam rubro induti portantes laternas argenteas cum lumine ante sacramentum.* Quin imo quando pontifex alio profecturus, tunc cum impedimentis, lixis et calonibus sacramentum praemittitur. Vide pontificale et ceremoniale loc. prox. citat. et alibi passim, et intelliges, panem consecratum in pompa pontificis non aliter tractari, quam sicut olim in pompa Persicorum regum sacrum ignem, quem Orimasda appellabant, equo vectum regi praeferebant. Nicolaus Vignerius in historia ecclesiae sub annum 1408. ex Theodorico a Nyem, qui pluribus pontificibus a secretis fuit, recenset, Benedictum XIII. anno circiter 1408. cum multorum principum odium in se concitasset, ut vitae suae incolumitati consuleret, hostiam primum ante se gestari jussisse, quae ei satellitii loco esset.

200. Circumgestationi illi theatricae eadem fundamenta opponimus, quae repositioni fuerunt opposita, utpote 1. quod repugnet institutioni Christi, qui panem consecratum discipulis manducandum praebuit et dixit: *hoc facite.* 2. Quod repugnet exemplo apostolorum, qui panem consecratum nuspiam leguntur circumgestasse et ostentasse, sed juxta Christi mandatum manducasse. Theophylactus in c. 26. Matth. refert ex traditione, *quod Judas acceptum panem occultarit et Judaeis non sine irrisione magistri sui monstraverit*, sed de reliquis discipulis evangelistae testantur, *quod ex calice omnes biberint* ac proinde etiam panem manducarint. 3. Quod repugnet praxi ecclesiae apostolicae et primitivae, fatetur enim concilium Tridentinum sess. 13. c. 5. *quod inductus sit ille mos in ecclesiam, ut in processionibus reverenter et honorifice sacramentum per vias et loca publica circumferatur.* Ergo non habet auctorem Christum, nec apostolos, nec apostolicam ecclesiam. Apud Justinum apol. 2. ex publica synaxi eucharistia sine ulla pompa defertur ad absentes. Apud Eusebium lib. 5. c. 24. testatur Irenaeus, Romanos episcopos hospitibus ex Asia venientibus simpliciter misisse eucharistiam. Apud eundem lib. 6. c. 43. presbyter puero dat eucharistiam Serapioni seni deferendam. Apud Hieronymum in epist. ad Rustic. Exuperius corpus Domini portat canistro vimineo, sanguinem in vitro. Apud Cyprianum serm. de laps. Tertullianum libr. 2. ad uxor. mulierculis datur eucharistia domum deferenda. In quibus exemplis nec de luminaribus, nec de campanulis, nec de reliqua pompa in circumgestatione Pontificia usitata ullum reperitur verbum. 4. Quod occasionem praebeat artolatriae, mutilationi calicis et variis superstitionibus. 5. Quod pugnet cum regula ex ipsis Dominicae institutionis verbis deducta, *nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* 6. Quod fine longe alio ac diverso panis consecratus X. 349.
in circumgestatione usurpetur, videlicet ad incendia restinguenda, ad tempestates prohibendas, ad beneficia alia corporalia impetranda etc. quam est a Christo institutum.

Argumenta contra circumgestationem.

201. Festum corporis Christi quod attinet, nequaquam nobis improbatur, quod certo quodam die singulis annis ecclesia frequentius convenit et in

Festum corporis Christi.

illo conventu doctrina de coena Domini populo explicatur, corruptelae puritatem illius doctrinae contaminantes refutantur, explicantur beneficia, quae Christus in testamento suo nobis legavit, ac homines admonentur, ut pro institutione eucharistiae Christo gratias agant, et praegressa seria poenitentia saepius vera fide hoc sacramento utantur (id quod die viridium in nostris ecclesiis fieri consuevit); sed celebrationem hujus festi, prout in ecclesiis Pontificiis hodie instituitur, nequaquam probare possumus. 1. Ecclesia per annos mille ducentos ac plures hoc festo caruit, nihilo tamen minus debitum honorem ac reverentiam sanctissimo eucharistiae sacramento detulit. Ergo et nostrae ecclesiae propter omissionem hujus festi non possunt, nec debent accusari. Claudius Espencaeus lib. 2. de ador. c. 8. paulo ante finem huic argumento occurrere voluit. *Non obstat* (inquit), *quod circumgestatio eucharistiae videtur res esse nova, quia valet ad devotionem excitandam. Sed Christus, ajunt adversarii, in hoc sacramento cibus est, ut sumatur, non ut ostentetur et circumferatur; sed non sunt audiendi, qui circa Dei et sacramentorum cultum omnia reduci volunt ad vetustum morem, non enim semper melius, quod antiquius.* Sic ergo antiquitatem pro libitu conculcant, qui alibi nil nisi antiquitatem in ore habent. 2. Cum tamen serio in ecclesiam celebratio hujus festi et theatrica panis consecrati circumgestatio sit introducta, ideo pro traditione apostolica haberi vel acceptari nequit. Azorius libr. 8. instit. moral. c. 6. inter traditiones circumgestationem illam refert: *Traditiones nostrae ecclesiasticae* (scribit) *sunt hujusmodi: vota dissolvere, juramentum relaxare, canonizatio sanctorum, asservatio eucharistiae, circumgestatio.* Atqui si haec esset traditio apostolica, non potuisset esse tot seculis occulta, cum concernat publicam et solennem festi celebrationem. 3. Celebratio hujus festi, prout in papatu usitata est, confirmat ποτηριοκλεψίαν, altera enim tantum species, videlicet panis consecratus, contra institutionem Christi proponitur. 4. Theatrica illa panis consecrati circumgestatio et ostentatio in hoc festo usitata transfert sacramentum ex usu divinitus instituto in actionem plane diversam a Christi institutione; panis enim consecratus non distribuitur, non manducatur, sed circumgestatur, ostentatur et ad cultum adorationis proponitur. 5. Celebratio hujus festi nititur unice hac hypothesi, quod Christus in pane illo, quando circumgestatur, ostentatur et adoratur, non minus vere adsit, quam in usu divinitus instituto; jam vero nullum exstat verbum, nulla promissio, quod Christus in tali actione suo corpore et sanguine adesse velit, sicut in usu sacrae coenae se adfuturum promisit. Fides nititur verbo promissionis, institutionis et ordinationis divinae. Jam vero de praesentia Christi in pane circumgestato et ostentato nullum exstat verbum promissionis ac institutionis. Ergo talis actio non procedit ex fide; *quod autem non fit ex fide, Deo placere non potest.* 6. Per illud festum abducuntur homines a crebriori et vero usu coenae Dominicae ab ipso Christo instituto, persuadentur enim, sumtionem cum magno periculo esse conjunctam, cultum vero hujus festi sine periculo esse magis meritorium. Et probe notandum, quod in bulla hujus festi tantundem indulgentiarum promittatur spectatori quantum ei, qui communicat. 7. Celebratio hujus festi est mera ἐθελοθρησκεία, proponit enim Christum in eucharistia colendum, alia ratione et aliis modis, quam ipse in verbo suo praescripsit, ac persuadentur homines, cultum illum ab hominibus excogitatum et extra usum divinitus institutum introductum, esse multo praestantiorem et Deo gratiorem, quam si eucharistia juxta Christi institutionem distribueretur, acciperetur, manducaretur et biberetur.
8. Meritum remissionis peccatorum transfertur in X. 330.
celebratione hujus festi ad actionem a Deo nec mandatam nec praescriptam. Pontifex enim in bulla praelatis ecclesiarum in remissionem peccantium se injungere asserit, ut tam excelsum et tam gloriosum festum singulis annis devote ac solenniter celebretur. Id Pomerius in suis sermonibus sic explicat: Quando homo contritus in illo festo interest missae et processioni et exhibet solennem reverentiam sacramento circumgestato; tunc illo cultu et opere meretur et consequitur plurima bona, scilicet acceptationem Dei, benedictionem, conversionem a peccato, defensationem ab omnibus periculis et malis, fructificationem meritorum et exauditionem, quod tunc magis exauditur oratio, quando sacramentum praesens circumgestatur, ut in incendiis. Et quam praeposterum est, quod Bellarminus disputat l. 4. de euch. c. 18. *sacramentum eucharistiae, quando juxta Christi institutionem vera fide accipitur, manducatur ac bibitur, non conferre remissionem peccatorum mortalium*, cum tamen hoc celebrationi festi ab hominibus excogitatae tribuant. 9. Cum theatrica circumgestatio et ostentatio panis consecrati destituatur mandato Dei, ideo non immerito confertur cum μοσχολατρείᾳ Israëlitarum Exod. 32 per quam vero Deo Israëlis, qui ex Aegypto eos eduxerat, servire voluerunt, sed quia hic cultus divino mandato carebat, ideo fuit idololatria et ad iram Deum provocavit. Item cum historia 1. Sam. 4. ubi arcam Domini praeter verbum et mandatum intentione non mala et consequentia admodum probabili Israëlitae adducunt, ut subsidium sit adversus hostium impetus, sed Deo id minime placuit ac male ipsis cessit. 10. Recte igitur scribit Georg. Cassander (qui Ferdinando et Maximiliano II. imperatoribus carus et gratus fuit) in consultat. cap. de circumgestat. p. 174: *Consuetudo, qua panis eucharistiae in publica pompa conspicuus circumfertur ac passim omnium hominum oculis ingeritur, praeter veterum morem et mentem haud ita longo tempore inducta et recepta videtur, illi enim hoc mysterium in tanta religione et veneratione habuerunt, ut ne ad inspectionem quidem ejus admitterent, nisi fideles, quos Christi membra et tanti my-*

Digitized by Google

sterii participatione dignos esse existimarent. Quare ante consecrationem catechumeni, evergumeni, poenitentes, denique non communicantes diaconi voce et ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic circumgestationis usus citra grave ecclesiae damnum, imo cum ipsius lucro, si modo (NB) *id prudenter fiat, omitti posse, cum et recens sit et diu sine ea circumgestatione sacramento suus honos constiterit et hodie constare possit. Deinde cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompae magis et ostentationi serviat, itaque vir summi judicii Albertus Cranzius in sua metropoli Nicolaum Cusanum legatum per Germaniam laudat, qui abusum sacramenti eucharistiae in nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit et constituerit, ut nisi inter octavas festi sacramento dedicati in publicum non deferretur, additque idem Albertus memorabilem causam, quia, inquit, ejus sacramenti usus a coelesti magistro institutus est ad usum, non ostentationem* (NB), *de ipso vero festo certum est, illud ab Urbano non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum et ut homines per pietatis opera ita se praeparent, quo hujus pretiosi sacramenti eo die participes fieri atque ipsum reverenter suscipere mereantur. Ita enim habent verba decreti, ad quod institutum si redeatur, nil puto fore absurdi.* Haec Cassander et vere et moderate.

202. Concilii Tridentini de hoc festo tale exstat decretum sess. 13. c. 5: *Declarat sancta synodus, pie hunc morem et religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solennitate celebraretur utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur.* Bellarminus lib. 4. de euch. c. 30. fatetur, Urbanum IV. instituisse primum festum corporis Christi et solennem illam processionem, cujus decretum confirmatum sit a Clemente V. in concilio Viennensi, sed addit, *institutionem illam nullo modo reprehendi posse. Nam aut reprehendenda esset, quia nova et sine mandato Dei, vel quia sine justa causa introducta. Novitas non potest reprehendi, omnia enim festa fuerunt nova, nec ulla in N. T. inveniuntur ab ipso Christo instituta vel imperata, exstant etiam exempla V. T. quae probant licere ecclesiae nova festa instituere.* Respondemus: quid in genere de institutione festorum statuendum sit, erudite exponit Dn. Chemnicius part. 4. exam. conc. Trid. cap. de diebus festis; quid vero in festo corporis Christi, prout in papatu hodie celebratur, desideremus, expositum est superius. Non absolute nec tantum propter novitatem festum illud improbamus, sed quia tanquam novus cultus a Pontificiis ecclesiae obtruditur. Disputat enim Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. c. 10. *festa Christianorum esse partem quandam divini cultus*, inter quae festa numerat etiam *festum corporis Christi* lib. ejusdem c. 15. sicque partem quandam divini cultus illud constituit. Nec novum solum, sed et idololatricum est istud festum, ut ex superioribus constare potest. At probat Bellarminus, optimas rationes fuisse ejus festi introducendi, quarum duae sunt praecipuae: *1. ut populus Christianus Deo gratias ageret ob tantum et tam singulare beneficium nobis impensum; 2. ut populus instruatur circa mysteria fidei nostrae et eorum assidue recordetur, praesertim quando ea mysteria ab haereticis oppugnantur.* Respondemus: Si in festo corporis Christi haec tantummodo fierent, nemo nostrum ejus celebrationem improbaret. *Sicut ordinis gratia* (inquit Chemnicius) *totus annus distributus est in certa quaedam festa, quae utiliter ad aedificationem populi apud nos servantur, ut scilicet praecipui articuli fidei ordine aliquo populo per annum proponi, repeti et contra quasvis corruptelas retineri possint, utque fideles moneantur et excitentur ad consideranda Dei beneficia, de quibus articuli illi fidei concionantur et Deo pro illis beneficiis in ecclesia magna gratiae agantur; ita nulli piorum improbaretur, si praeterquam quod semper omnibus diebus illud fieri debet, ordinis gratia certo anni tempore ecclesia frequentius conveniret et in illo conventu doctrina de coena Domini justa tractione simpliciter et clare proponeretur, omnes corruptelae puritatem illius doctrinae contaminantes refutarentur et admonerentur homines, quantum thesaurum ecclesiae Christus in testamento suo legarit, pro beneficiis illis, quae coena Dominica exhibet et confert, Christo salvatori gratiae in ecclesia agerentur, taxata negligentia invitarentur homines ad celebriorem eucharistiae usum per totum annum* etc. *Hoc modo vera ecclesia tanquam victrix de mendacio et haeresi publicum quasi triumphum ageret. Etsi haec esset ratio hujus festi, petulantia quaedam esset; celebrationem ejus odiose exagitare.* Haec omnia Chemnicius praevidens quasi, quid Bellarminus pro defensione hujus festi allaturus esset. Nemo nostrum improbat conciones ex verbo Dei de excellentia hujus sacramenti, invitationem ad gratiarum actionem pro illius institutione et ad frequentem ejusdem usum, refutationem corruptelarum; sed quid sanctis hujusmodi actionibus commune est cum circumgestatione, ostentatione et adoratione panis consecrati, ad quam non accedit usus a Christo institutus? Ad praetextum de recolenda et celebranda memoria Christi in eucharistia jam olim respondit Chemnicius, quod sit persuasio pugnans contra institutionem Christi. Christus enim in eucharistia memoriam sui instituit non quomodo libet, sed certa ratione celebrandam. Illa vero ratio non est, ut panis circumgestetur, populo proponatur et ostentetur, sed Christus *accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens: accipite, comedite, hoc est corpus meum, hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus interpretans hanc commemorationem diserte dicit: *Quotiescunque manducaveritis et biberitis.* In festo vero isto ea, quae Christus instituit et mandavit, distributio scilicet et sumtio, praetermittun-

Digitized by Google

tur et alius usus recens ab hominibus institutus, imo a mulierculis profectus supponitur. Et qualis-
X. 352. cunque sit praetextus bonae intentionis de honoranda eucharistia, semper cogitandum est, *frustra colunt me mandatis hominum.* At inquit Bellarminus: *Facilius discunt rudiores et retinent mysteria incarnationis Domini, passionis, resurrectionis, adscensionis et similia ex celebratione festorum, quae singulis annis recurrunt, quam ex libris vel concionibus; pari ratione melius discunt rudiores, in eucharistiae sacramento vere esse Christum praesentem et proinde falsam esse haereticorum doctrinam, ex publica adoratione totius ecclesiae et honore illo eximio, qui huic sacramento exhibetur, quam ex multis concionibus.* Respondemus: hoc vero est os in coelum ponere et ἐθελοθρησκείας ac ludicras ceremonias praedicationi verbi medio divinitus constituto anteferre. Quando Bellarminus hoc loco asserit, ex celebratione festorum, quae singulis annis recurrunt, facilius rudiores discere et retinere mysteria incarnationis Domini, passionis, resurrectionis, adscensionis et similia, quam ex libris vel concionibus, tum non potest per celebrationem festorum intelligere conciones ex verbo Dei, quae in festis illis solennioribus ad populum habentur, quo fine in nostris ecclesiis festa illa celebrantur, id enim non ferret oppositio, quam constituit inter celebrationem festorum et conciones, intelligit igitur externas tantum et plerumque ludicras illas ceremonias in papatu in celebratione festorum illorum usitatas et cuivis ex publica praxi notas, ex quibus facilius disci et firmius retineri existimat mysteria incarnationis, passionis, resurrectionis, adscensionis, quam ex libris vel concionibus. Item veram corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam ex theatrica circumgestatione post aliquot secula demum in ecclesia introducta et ab usu a Christo instituto plane diversa melius disci et haereticorum corruptelas fortius profligari putat, quam ex concionibus juxta normam verbi divini more apostolicae et primitivae ecclesiae de hoc doctrinae coelestis capite institutis; id vero quam sit praeposterum et absurdum, quilibet vere pius intelligit. Fatetur Bellarminus lib. 4. de euchar. sacram. c. 30. *nulla inveniri festa in N. T. a Christo instituta vel imperata;* fateri igitur cogetur, ex re quapiam a Christo nec instituta, nec imperata melius percipi divina mysteria, quam ex Dei verbo.

Exceptiones Bellarmini adversus nostra argumenta.

203. Historiae de arca foederis in castra ab Israëlitis bona intentione praeter mandatum Dei delata, quam collationis gratia Chemnicius adduxerat, hoc obvertit Bellarminus: *Causam malorum non fuisse adductionem arcae ad castra, sed praeterita Israëlitarum peccata, et praecipue sacerdotum Ophni et Phineas, filiorum Eli,* 1. Reg. 2. et 3. *nam alioquin arca fuit in castris, quando insignem victoriam retulit Saul* 1. Reg. 14. *et quando Joab superavit filios Amon* 2. Reg. 11. *et cum Israëlitae victi sunt ab Amalecitis, Scriptura monendum putavit, arcam Dei non fuisse cum illis, qui proeliabantur. Placuisse autem Deo honorem arcae impensum in solenni processione et circumgestatione, sive ipse id mandasset, sive non, probare conatur ex Josua 6. 2. Reg. 6. et 7. ac 3. Reg. c. 8.* Respondemus: generalis regula est aliquoties in Scripturis sacris proposita, quod ἐθελοθρησκείαι sine verbo ac mandato Dei susceptae ipsi non placeant, Deut. 4, v. 2. c. 12, v. 32. Num. 15, v. 39. Esai. 1, v. 12. c. 29, v. 13. Ezech. 20, v. 19. Matth. 15, v. 9. Rom. 14, v. 23. Coloss. 2, v. 18. etc. hanc regulam declarat Chemnicius exemplo arcae, in castra ab Israëlitis sine verbo et mandato Dei infelici successu adductae, 1. Sam. 4. Quamvis vero non solum temerarium illud et stolidum consilium, quod praeter mandatum ac promissionem arcam Domini in castra adducunt, sed etiam priora scelera, de quibus nullam agebant poenitentiam, cladi isti causam dederint; tamen inclusio unius non est exclusio alterius, atque Israëlitae duplici nomine stulte egerunt, quod nullam faciunt mentionem de vera resipiscentia ab idololatria ac sceleribus, atque interim sibi persuadent, cum arcam in castra adduxerint, se habituros Deum ad auxilium praesentissimum. Circumgestationem arcae sine verbo susceptam Deo placuisse, non concedimus. Josua 6. exstat disertum mandatum de
arca circumgestanda. Quod David 2. Sam. 6. et Sa- X.
lomon 1. Reg. 8. arcam Domini Hierosolymam deportari curarunt, id itidem non fecerunt sine verbo et mandato Dei. Nam 1. uterque fuit spiritu prophetico insignis; 2. uterque in rebus etiam minoris momenti os Domini consuluit; 3. utrique notum erat, cultus sine verbo susceptos Deo non placere; 4. uterque sibi a latere adjunctos habebat sacerdotes Nathanem, Abjathar, Zadocum etc. per quos voluntatem Dei explorare potuerunt; 5. uterque noverat Hierosolymam a Deo electam, ut arca foederis ibidem collocaretur Deut. 12, v. 5. Psalm. 132, v. 13; 6. quod in specie attinet deportationem arcae a Davide susceptam, ea sic describitur 1. Paral. 13, v. 1: *Iniit David consilium cum tribunis et centurionibus et universis principibus Israëlitarum,* v. 2: *et dixit ad omnem coetum Israël: si placet vobis et est a Jehova Deo nostro, mittamus ad fratres reliquos et ad sacerdotes et Levitas* etc. *ut reducamus arcam Dei.* Ex quo apparet, Davidem consilio non solum totius populi, sed etiam ipsius Dei in hac deportatione usum. Ac probe notandum, cum David praetermitteret ordinationem divinam Num. 4, v. 5. et seqq. de arca involuta Levitarum humeris portanda eamque plaustro imponeret, quod Deus hanc incogitantiam gravi casu Ociae puniverit, inde postea David cautior factus dixit 1. Paral. 15, v. 2: *Non est fas, ut portetur arca Dei a quoquam nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam et administrandum sibi;* v. 11: *vocavit itaque David, Sadoc et Abiathar et Levitas,* v. 12: *dixitque eis: Vos estis capita familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris et afferte arcam Domini Dei Israël ad locum, qui ei praeparatus est, ne, ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos Dominus, sic et nunc fiat, quia non quaesivimus*

Digitized by Google

eum juxta judicium; conjung. Psalm. 132, v. 13. 7. Salomonem sine verbo et mandato Dei arcam transtulisse in Jerusalem dici nulla specie potest, cum de structura templi expressum a Deo mandatum acceperit, unde etiam *gloria Domini* replevit domum illam in nube, 1. Reg. 8, v. 11. Magna igitur dissimilitudo inter circumgestationem arcae a piis in V. T. divino auspicio susceptam et inter circumgestationem panis eucharistici humanitus excogitatam. Arcae usus non solum licitus, sed etiam divino mandato comprobatus fuit, ut deportaretur; eucharistiae usus a Christo institutus est, non ut circumgestetur, sed ut manducetur ac bibatur. Idem respondendum est Gretsero, qui in dissertatione de festo corporis Christi prolixe urget exemplum Davidis, *quod constituerit stata lege cantores in organis musicorum lyris et cymbalis, ut coram arca Domini recordarentur operum ejus, glorificarent et laudarent Dominum* etc. Atqui distinguendum inter essentialia et circumstantialia cultus divini. Ordinatio cantorum et instrumentorum musicorum non pertinet ad substantiam cultus divini, sed ad externam εὐσχημοσύνην et ornamentum atque incitamentum cultus divini. Jam vero in festo corporis Christi non solum circumstantialia, sed etiam substantialia cultus praeter, imo contra Dei mandatum instituta sunt, videlicet panis eucharistici inclusio, circumgestatio, adoratio etc. Adde quod David ne quidem externum illud cultus divini ornamentum sine mandato divino instituerit, ut colligitur ex 2. Paral. 29, v. 25. Sed tali mandato in festo corporis Christi instituendo ac celebrando destituuntur Pontificii. Vide papatum acathol. D. Heilbrunn. art. 10. c. 3.

CAPUT XIX.

DE VENERATIONE SACRAMENTI.

Status quaestionis, de veneratione eucharistiae. X. 354.

204. Quando cum Pontificiis de veneratione sacramenti disputatur, non est proprie quaestio, 1. an Christus deus et homo in actione sacrae coenae vere praesens et corpus et sanguinem suum mediante pane et vino nobis distribuens adorandus sit, id enim non solum haud inviti concedimus, sed etiam urgemus et inculcamus, cum ἀνάμνησις et annuntiatio mortis Christi ad salutarem sacrae coenae usum pertinens sine adoratione illa, quae fit in spiritu et veritate, locum non habeat. 2. Neque hoc proprie quaeritur, an huic sacramento interior reverentia juxta normam verbi divini exhibenda sit, ipsimet enim dicimus, corpus et sanguinem Christi, quae in hoc sanctissimo sacramento mediantibus externis symbolis nobis exhibentur, a vulgari potu ac cibo discernenda 1. Cor. 11, v. 29., verbis Christi dicentis: *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, fide firma contra omnes obstreperae rationis insultus innitendum (qua ratione Christo hujus sacramenti auctori honor sapientiae, veritatis et omnipotentiae tribuitur); grato corde agnoscenda et praedicanda coelestia beneficia, quae per κοινωνίαν sacramentalem corporis et sanguinis Christi ad nos promanant; dignam praeparationem usui hujus sanctissimi sacramenti praemittendam; annuntiationem mortis Christi, gratiarum actionem, poenitentiam, fidem ac melioris vitae propositum in usu sacrae coenae adhibendum. 3. Sed nec de externa reverentia, quae in distributione et sumtione eucharistiae adhibetur, proprie hoc loco quaeritur, ipsimet enim dicimus, externis gestibus interiorem reverentiam esse declarandam. Qui vere et ex animo credit, Christum ipsum in actione eucharistiae vere praesentem suo corpore et sanguine nos pascere, is genuflexione et reverentia externa interiorem fidem ac devotionem suam testabitur. Lutherus in c. 47. Genes.: *Nos non tantum orantes, sed et baptizantes, absolventes et absoluti, et accedentes ad sacram synaxin, quin etiam ad recitationem promissionis aut textus evangelii genua flectere vel saltem stare debemus in signum adorationis sive reverentiae et gratitudinis. Et si in coena Dominica nihil aliud porrigeretur praeter panem et vinum, sicut sacramentarii blasphemant, tamen est ibi promissio et vox Dominica et Spiritus sanctus per verbum in coena, ideoque decebat nos cum reverentia accedere; quanto magis id fieri par est, quando credimus, adesse verum corpus et verum sanguinem cum verbo.* De his igitur inter nos et Pontificios non est quaestio, sed monente Dn. Chemnicio tria potissimum sunt hujus controversiae capita: 1. Pontificii statuunt, ipsum sacramentum eucharistiae seu totum illud, quod a Domino, ut sumatur, institutum est, esse cultu latriae adorandum. Nos contra, cum eucharistia constet duabus rebus, terrena et coelesti, ideo adorationem dicimus non esse dirigendam ad terrena elementa panis et vini, ne praeter creatorem etiam creaturam colamus, sed ad Christum deum et hominem, qui in illa actione vere praesens suum corpus et sanguinem nobis distribuit. 2. Pontificii, quando de cultu, adoratione et veneratióne sacramenti disputant, non principaliter huc respiciunt, ut in actione coenae Dominicae sive in usu ejus divinitus instituto Christus deus et homo adoretur, sed laborant stabilire adorationem panis extra usum a Christo institutum et mandatum, quando scilicet panis in processionibus circumgestatur. Nos autem statuimus, X. 355.
panem extra usum a Christo institutum non esse corpus Christi, ideoque committi ἀρτολατρείαν, quando panis in solennibus illis processionibus adoratur. X. 356.
3. Pontificii de externo potissimum eucharistiae cultu sunt soliciti, ut splendida repositione, sumtuosa circumgestatione, auro, argento, serico, inclinatione, genuflexione, prostratione corporis, elevatione manuum, tunsione pectoris, luminaribus, instrumentis musicis, bombardarum strepitu et similibus externis pompis honoretur. Nos autem in usu eucharistiae a Christo instituto de interiori et spirituali cultu potissimum soliciti sumus, ad quem verae significationes externae interioris reverentiae sponte subsequuntur.

Digitized by Google

Contra papisticam eucharistiae venerationem.

205. Religiosae adorationis cultum non esse externis symbolis hujus sacramenti deferendum, confirmamus sequentibus argumentis: 1. Deus nuspiam praecepit panis consecrati adorationem, est igitur ἐθελοθρησκεία, quae ipsi non probatur. 2. Panis post consecrationem eucharisticam manet verus panis, ut superius demonstratum fuit, est igitur creatura Dei. Quisquis proinde adorationem dirigit non solum ad Christum, sed etiam ad panem, is *praeter creatorem* adorat etiam creaturam, Rom. 1, v. 25. 3. Discipuli Christi in prima sacrae coenae institutione audientes a magistro suo: *Accipite, edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, non leguntur externa symbola panis et vini adorasse, sed juxta mandatum Christi manducarunt ac biberunt, Marc. 14, v. 23. 4. Corpus Christi non est localiter in pane, neque est unio personalis inter panem et corpus Christi, sed Christus in actione illa eucharistiae praesentiam suam peculiari modo gratiae instituit ac promisit. Ergo ut Israëlitae non lignum, non aurum, non Cherubim arcae foederis, sed Deum ipsum tantum, qui praesentiam suam ibi promiserat, adorabant; ita quoque adoratio nostra in usu eucharistiae non ad externa elementa, sed ad Christum deum et hominem peculiari modo gratiae praesentem dirigenda est. 5. De pane consecrato extra usum a Christo institutum non habemus verbum aut promissionem, quod sit corpus Christi, quia verba sacramentalia, *hoc est corpus meum*, divina instutione et praeceptione alligata sunt ad actionem in verbis institutionis praescriptam, quod scilicet panis sit accipiendus, benedicendus, distribuendus et manducandus. Ergo panem consecratum extra usum a Christo institutum adorandum proponere est ἀρτολατρείας occasionem praebere. 6. Ipsimet Pontificii fateri coguntur, in panis consecrati adoratione magnum subesse idololatriae periculum. Gabr. Biel lect. 49. in Can.: *Quia non potest esse evidens certitudo, neque celebranti neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impedientem et contingere potentem, ut quod forte celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire, se fore (esse) baptizatum aut legitime ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitae intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia et multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt, sub hostia fore Christum; ideo adoratio fieri*
X. 357. *debet sub conditione habituali tacita vel actuali expressa, tali scilicet, si servata sint omnia ad consecrationem necessaria.* Idem repetit Thomas Salisburiensis de arte praedicandi c. 25: *Nullus* (inquit) *quantumcunque sit simplex vel quantumcunque sit discretus, debet praecise credere, hoc esse corpus Domini, sed cum hac conditione, si in consecratione rite sint acta omnia, aliter enim asseret de creatura, quod ipsa sit creator, et ita esset idololatria.* Nondum ipsi conveniunt in necessariis ad transsubstantiationem requisitis et facile contingere potest, ut aliquod istorum requisitorum desit, quomodo igitur consecratum panem sine idololatriae periculo adorandum proponunt? Bonaventura in breviloq. part. 6. c. 9. praeter animum sive intentionem consecrantis requirit, ut etiam instituentis Christi mens atque intentio attendatur. *Et intentio* (inquit) *requiritur et intentionis regulatio per fidem.* Johannes de Burgo varios casus enumerat, in quibus transsubstantiatio impeditur, utpote *quando per negligentiam ministri aqua non ponitur in calice, quando sola aqua sine vino in eo ponitur, cum panis ex alia quam triticea farina confectus, cum aquae copia vini naturam vincit aut mutat, cum vinum acuit, cum tredecim panes in altari ponuntur, sacerdos autem tantum de duodecim consecrandis cogitavit, quo casu nullus omnino consecratus censetur, cum verba consecrationis aut dissimulantur aut praetermittuntur*, etc. Summa Angelica in verbo *eucharistia* membro 1. plurima omnino consecrationis requisita recenset, quorum uno deficiente non fiat transsubstantiatio. At quis spectatores reddit certos, illa omnia praesto esse, praesertim vero intentionem consecrantis?

Bellarmini de veneratione eucharistiae disputatio.

206. Bellarminus lib. 4. de eucharistia c. 29. §. sed haec etc. ἀρτολατρείας accusationem sibi suisque intentatam depulsurus sic disputat: *Catholici* (Romanenses) *cum negent, panem in sacramento remanere, quomodo possent asserere ἀρτολατρείαν, hoc est panis adorationem? Neque ullus Catholicorum est, qui doceat, ipsa symbola externa per se et proprie esse adoranda cultu latriae, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus sacramentis convenit, cultu autem latriae dicimus per se et proprie Christum esse adorandum et eam adorationem ad symbola etiam panis et vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo, quem continent. Quemadmodum qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant, neque enim jubebant, eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo et cogitatione separabant a vestibus, cum adorarent, sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat, adorabant, tametsi ratio adorandi non erant vestes, imo nec ipsa humanitas, sed sola divinitas. De modo loquendi fatemur, sacramentum ipsum dici adorandum, ut concilium Tridentinum loquitur, sed hoc exponitur dupliciter. Qui enim sentiunt, sacramentum eucharistiae formaliter esse corpus Christi, ut est sub illis speciebus, concedunt etiam, formaliter sacramentum dici adorandum. Qui autem docent, sacramentum eucharistiae esse formaliter species panis et vini, ut Christum continent* (in quorum numero est Bellarminus ipse l. 4. de euch. c. 6. propos. 5.), *illi docent consequenter sacramentum eucharistiae materialiter adorandum. Sed quidquid sit de modo loquendi, status quaestionis non est, nisi an Christus in eucharistia sit adorandus cultu latriae.* Respondemus: 1. quis sit verus quaestionis status, paulo superius exposuimus. Nemo nostrum negat, Christum verum deum et hominem in eucharistia cultu latriae adorandum esse. Bellarminus apud Chemnicium

Digitized by Google

expresse legerat haec verba: *Constat, adorationem non esse alligatam vel loco vel tempori, semper igitur et ubique adorandus est Christus. Si ergo credimus, Christum deum et hominem in actione coenae suae peculiari modo praesentiae et gratiae adesse, ac vere et substantialiter exhibere vescentibus corpus et sanguinem suum, fieri nequit, quin fides Christum in illa actione praesentem veneretur et adoret.* Haec, inquam, Bellarminus apud Chemnicium legerat, cur igitur statum quaestionis hunc esse
K. 358. scribit, an Christus in eucharistia sit adorandus cultu latriae? 2. Ad depulsionem ἀρτολατρείας invalidum est scutum, quod Bellarminus opponit, videlicet *negari a Pontificiis, panem in sacramento remanere.* Atqui affirmatur illud a Christo et Paulo, ut vidimus suo loco, unde complures ex ipsis Pontificiis concedunt, transsubstantiationem ex Scriptura sacra probari minime posse. Quare cum eucharistia constet duabus rebus, terrena et coelesti, quisquis sacramentum integrum cultu latriae adorandum dicit, rem terrenam adorat et ἀρτολατρείας crimen incurrit. 3. Cum Bellarminus alibi operose disputet, *substantiam panis et vini interire per consecrationem,* cur hoc loco rem terrenam vocat symbola externa? Certe nuda accidentia ac nudae species non sunt symbola hujus sacramenti externa, sed ipsa panis et vini substantia, quam in sua proprietate naturae permanere Gelasius asserit. 4. Contradictoria sunt, *quod symbola externa solum veneranda sint cultu minore quodam, quia omnibus sacramentis convenit, et quod ad symbola illa etiam adoratio latriae pertineat, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo, quem continent.* Quaero enim, quo cultu symbola externa hujus sacramenti, quatenus talia, hoc est quatenus sunt organa corporis et sanguinis Christi nobis exhibendi, sint honoranda? Si cultu quodam minore quam latriae, utique non ipso religiosae λατρείας cultu. Si Bellarminus velit obvertere, *quod in se ac per se minore quodam cultu veneranda sint, ipso autem latriae cultu adoranda, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo,* respondeo, hoc loco non quaeri de symbolis externis in se ac per se, id est quatenus sunt substantiae, sed quatenus sunt symbola sacramentalia, sive ut Bellarminus loquitur. *quatenus Christum continent,* ubi Bellarminus quidem dicit, quod hoc respectu sint cultu latriae adoranda, qua ratione velit nolit ἀρτολατρείαν stabilit et cultum latria minorem, qui symbolis illis in se et per se debeatur, evertit. Nos autem strenue negamus, symbola illa sive per se, sive quatenus sunt rerum coelestium organa, esse religiose adoranda. 5. Etenim cum in ipso usu sacramentali symbola externa a corpore et sanguine Christi sint et maneant distincta, nec fiat personalis unio inter panem et corpus, vinum et sanguinem Christi, ideo ne in ipso quidem usu sacramentali, nedum in processionibus theatricis extra usum a Christo institutum symbolis externis cultus latrias debet deferri, sed Christus suo corpore et sanguine vere et substantialiter nos pascens adorandus est, symbola autem externa reverenter ut organa rerum coelestium sunt tractanda. 6. Quis vero ex imperitis in adoratione panis consecrati has subtilitates consectatur, ut symbolum externum per se et proprie non adoret cultu latriae, sed solum veneretur cultu quodam inferiore ac minore, qui omnibus sacramentis convenit, vicissim tamen cultum latriae, qua Christum adorat, etiam ad externa symbola referat, quatenus ea apprehendit ut quid unum cum Christo, quem continent? Ecquis ita distinguit, ut sacramentum, id est species panis et vini ut Christum continent, materialiter tantum, non etiam formaliter adoret? Disputat Bellarminus, ideo statuendam esse transsubstantiationem, quia *absque ea periculum sit, ne simpliciores adorent panem,* lib. 3. de eucharistia c. 22. at bone Deus, an non etiam periculum est, ne accidentia panis adorent? Si panem adorare ipsius Bellarmini judicio est idololatria, cur hoc loco disputat, adorationem ad symbola etiam panis et vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Christo? 7. Idem Bellarminus lib. 2. de imagin. sanctor. c. 24. disputat, *esse de essentia latriae exhiberi propter se, cum latria dicatur summus cultus, qui debetur vero Deo ut primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem* (inquit), *exhiberi summum cultum primo principio et propter aliud, nam si primo principio, non ergo propter aliud, si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriae propter se, et haec est vera idololatria; vel non exhibetur propter se, et tum ille non est cultus verae latriae. Praeterea vel ista latria, quae exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Deo vel alius minor. Si idem, ergo aeque colitur creatura atque ipse Deus, quae certe* X. 359.
est idololatria, nam idololatria non solum est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo. Si est cultus minor, non ergo est latria, nam latria est summus cultus. Haec omnia Bellarminus, contra quem eodem modo argumentamur: Est de essentia latriae exhiberi propter se. Ergo vel symbolis panis et vini exhibetur cultus latriae propter se, et haec est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, et tum ille non est cultus verae latriae. Praeterea ista latria, quae exhibetur symbolis panis et vini, propter aliud (quatenus sunt unum cum Christo, quem continent) est idem cultus cum eo, qui exhibetur Christo, vel alius minor. Si idem, ergo aeque colitur creatura, si est cultus minor, non ergo est latria. 8. Symbola panis et vini esse unum cum Christo ambigue dicitur. Bellarminus c. sequente respons. ad quartam, unionem illam sic explicat: *Longe* (inquit) *aliter est Christus in eucharistia et aliis rebus Deus. Nam in eucharistia unum tantum suppositum est idque divinum, cetera omnia ad illud pertinent et cum illo unum quid faciunt, licet non eodem modo, ideo recte totum illud simul adoratur, ut ante diximus de Christo vestito. At in aliis rebus Deus quidem est, sed non est unum suppositum cum illis, neque dici possunt unum quid Deus et creatura, in qua est Deus.* Statuit igitur

Digitized by Google

Bellarminus, Christum esse unum suppositum cum symbolis sacramenti externis, at hoc asseri non debet, divina et humana natura in Christo constituunt unum ὑφιστάμενον sive suppositum, sed panis et corpus, vinum et sanguis Christi non constituunt unum suppositum, sed unum sacramentum, unde etiam unio non dicitur personalis, sed sacramentalis. Natura humana, quia in ὑπόστασιν τοῦ Λόγου est assumta, ideo una adoratione Christus deus et homo secundum utramque naturam adoratur, sed in sacramento eucharistiae panis non est unum cum corpore Christi suppositum, ideo etiam cultus latriae non debet deferri pani. 9. Bellarminus eodem modo assumtam carnem Filio Dei et panem consecratum Christo unitum esse statuit, quod est vehementer absurdum. Hoc loco sic scribit: *Quemadmodum, qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant* etc. haec comparatio si debet habere locum, procedat oportet ex hac hypothesi, quod panis unitus sit corpori Christi eo modo, quo vestes in diebus carnis ipsi erant unitae; at hac similitudine etiam unionem humanae naturae cum divina in persona Christi declarat. Sic enim scribit lib. 3. de Christo c. 15. §. quae cum ita sint: *Ad declarandum unionis personalis mysterium apposita est similitudo de purpura regis. Cum enim rex induit purpuram et sedet in solio suo, evehit purpuram ad illud solium, non sic ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis et etiam ut dicatur purpuratus rex sedere aut regnare.* Ecquis vero ipsi concedet, eodem modo unitam esse assumtam naturam Λόγῳ et panem consecratum corpori Christi, videlicet quo modo purpura unita est regi, cum unio humanae et divinae naturae in Christo sit personalis, unio panis et corporis Christi in eucharistia sacramentalis, unio purpurae et regis mere extrinseca et accidentalis. Quare cum hypothesis hujus comparationis sit lubrica, ipsam etiam comparationem corruere est necesse. 10. Idem Bellarminus libr. 1. de Christo c. 8. §. Respondent sic scribit contra Arianos: *Quod in Christo Deus habitat, non sufficit, ut ille possit adorari, alioquin totus mundus posset adorari et praecipue sancti angeli et homines, in quibus singulariter Deus habitat.* Aut haec responsio Arianis opposita est infirma, aut concedendum est, peculiarem corporis Christi in pane praesentiam non inferre, ut panis cultu latriae adoretur. 11. Eos, qui Christum in terris vestitum adorabant, Christi vestes adorasse nulla veritatis specie dici potest, alias sequeretur, magos, qui adorarunt ipsum jacentem in praesepi, etiam praesepe adorasse. Distinguendum inter adorationis objectum, quod est Christus deus et homo, et inter objecti adjunctum extrinsecum, quod fuerunt vestes. Ergo si panis consecratus non est alio modo adorandus, quam quo adoratae fuerunt vestes, quibus
X. 360. Christus fuit indutus, nullo modo cultu latriae adorandus erit. Qui Christum vestitum adorabant, non quidem jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, interim tamen objectum adorationis non constituebant vestes, sed Christum deum et hominem. 12. Denique quod nondum convenit inter scriptores Pontificios, *an formaliter, an materialiter sacramentum eucharistiae adorandum sit*, id argumentum praebet consensus toties depraedicati.

Argu tum I tificiu pro s ratio panis chari

207. Ex his facile intelligi potest, quid respondendum sit ad argumentum Bellarmini: *Deo vero debetur adoratio latriae. Christus ut est in eucharistia sive in usu, sive extra, est deus verus. Ergo adorandus est cultu latriae.* Respondemus: Christum in sacra coena vere praesentem corpore et sanguine suo nos pascere statuimus; Christum esse verum deum et cultu latriae honorandum asserimus; sed ex eo nondum sequitur, quod totum sacramentum constans non solum re coelesti, corpore et sanguine Christi, sed etiam re terrena, pane scilicet et vino, sit adorandum; multo minus ex eo sequitur, quod panis consecratus extra usum a Christo institutum in processionibus adorandus sit, siquidem 1. Christus sacramentalem panis et corporis, vini et sanguinis in eucharistia unionem instituit, interim tamen diserto mandato usum hujus sanctissimi sacramenti exposuit, quod videlicet panem consecratum manducare et ex calice benedicto debeamus bibere, proinde quando hae actiones a Christo institutae, videlicet distributio, sumtio, manducatio et bibitio, omittuntur inque earum locum aliae, videlicet circumgestatio et ostentatio adhibentur, non potest dici coena Dominica administrari, cum omittantur ea, quae sunt hujus sacramenti essentialia. 2. Inter panem et corpus Christi non est unio personalis, propter quam non minus cultu latriae adorandus foret panis, quam assumta natura humana adoratur, sed unio sacramentalis in eo consistens, ut mediante benedicto pane corpus Christi manducetur, mediante benedicto vino sanguis Christi bibatur. 3. Quemadmodum igitur Israëlitae non adorabant arcam foederis aut columnam nubis et ignis in deserto, licet essent externa symbola et signa peculiaris praesentiae Dei *habitantis in medio Cherubim super arcam foederis* Exod. 25, v. 22. *et praecedentis Israëlitas in columna nubis et ignis* Exod. 13, v. 21. sed preces et invocationem direxerunt ad Deum in externis hisce symbolis peculiari modo gratiose praesentem; sic Christus in eucharistia adorandus est, sed honor et cultus adorationis non deferendus externis symbolis panis et vini, unde recte scribit Cassander in consult. cap. de adoratione euchar. pag. 173: *De adoratione sacrosancti hujus sacramenti ita ex veterum mente statuendum puto. Cum in hoc sacramento Christus, deus et homo, et corpore et sanguine suo praesentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc quoque mysterio adoretur, quae adoratio non ad ipsum signum, quod exterius videtur, sed ad ipsam rem et veritatem, quae interius creditur, referenda sit, quamvis et ipsi signo, cujus jam virtus intelligitur, tanquam religioso et sacro sua veneratio debeatur.* Idem dicat Bellarminus, et controversia omnis in

Digitized by Google

hoc capite erit sopita. 4. Si liceret hoc modo inferre: Christus in eucharistia est vere praesens, ergo sacramentum ipsum est adorandum; posset eodem modo inferri: Christi corpus jacuit in praesepio Luc. 2, v. 16. in gremio matris Mariae Matth. 2, v. 11. est in coelo; ergo praesepe adoratum fuit a pastoribus Bethlehemiticis, gremium matris a magis orientalibus, coelum adoratur a nobis. Inanem igitur operam Bellarminus sumit, Christum in eucharistia adorandum esse probans, quod nemo nostrum negat, sed panem consecratum adorandum esse, probandum erat, et quidem etiam extra usum a Christo institutum.

[...]cta [...]trum ado- [...]ione [...]chari- [...]se. 208. Idem judicium de dictis patrum, ad quae Bellarminus nos remittit. Dionysius Areopag. de hierarch. c. 3: *O divinissima et sacra ceremonia*, τελετή, *ostende nobis perspicue obducta tibi per signa obscuritatum*, τὰ προκείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα

X. 361. τῶν αἰνιγμάτων, *et singulari lumine mentis nostrae oculos imple.* Pachymeres in illum locum: *Ceremoniam hanc alloquitur ac si animata sit*, αὐτῇ ὡς ἐμψύχῳ διαλέγεται, *et non abs re*, εἰκότως, *ut Gregorius Theologus*: *O sanctum et magnum pascha; et ejusmodi sacra ceremonia Dominus noster Jesus Christus, ad quem sermonem habet.* Dionysius ipse ibid.: *Multi sane in sola divina symbola intuentur, at ipse antistes divino Spiritu in ipsa principia eorum, quae celebrantur, perpetuo fertur.* Eadem προσφωνήσει rhetorica utitur Ambrosius circa baptism. lib. 10. in Luc. c. 22: *O aqua, quae humano adspersum sanguine, ut praesentium lavacrorum figura praecederet, orbem terrarum lavasti. O aqua, quae sacramentum Christi esse meruisti, quae lavas omnia, nec lavaris.* At num propterea aquam adoravit, aut aquam in Christi sanguinem transsubstantiatam credidit? Gregorius Nazianz. in pascha orat. 2. in fine: *O pascha, magnum inquam et sacrosanctum pascha, totiusque mundi piaculum, te enim quasi vita praeditum alloquor*, ὡς ἐμψύχῳ; in quem locum sic commentatur Nicetas Scholiastes: *Haec verba o pascha magnum, ad festum ipsum perinde ac vita praeditum refert. Illa autem o verbum Dei et quae deinceps sequuntur, ad Christum spirituale pascha per acclamationem dirigit.* Eodem modo Dionysius ab externis symbolis ad Christum ipsum vere praesentem tandem animo et spiritu subvehitur atque illum religiosa adoratione honorat. Origenes homil. 5. in divers. loca evang. p. 441: *Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temet ipsum imitare hunc centurionem et dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Non panem consecratum, sed Christum adorat.* Duos modos ibidem proponit, quibus Christus ad nos ingrediatur; *nunc* inquit, *quando sancti et Deo acceptabiles ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur. Et tu sic existimes tanquam Dominum suscipiens. Et aliud quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum* etc. Si voluisset sacramentum adorari, adorandi etiam essent ecclesiarum antistites. Idem hom. 1. in divers.: *Per evangelistarum et apostolorum praedicationem, per sui sancti corporis et sanguinis sacramentum nobiscum Deus et ad nos atque in nobis.* Si propterea adorandum esset sacramentum, quia per illud Christus ad nos venit, adoranda etiam foret praedicatio verbi, per quam itidem ad nos venire asseritur. Cyrillus catech. 5. mystag. jubet, *ut flexo genu et adorantium in morem accedant ad eucharistiam* (nec internam adorationem ad Christum directam, nec externam reverentiam improbamus, ut ex superioribus patere potest). Ambrosius libr. 3. de Spir. s. c. 12: *Adorate scabellum pedum ejus. Scabellum caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus et quam apostoli in Domino Jesu adorarunt.* Huic consonat illud Augustini in Psalm. 98: *Converto me ad Christum et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra scabellum pedum Domini; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini et non solum non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando.* (At quis negat carnem Christi adorandam? adoramus eam in sacramento, sed externa sacramenti symbola non adoramus. Apud Chrysostomum in Marc. hom. 13. *adoratur Christus in baptismo;* apud Hieronymum epist. 10: *Paula cum magis Deum puerum in praesepio adorat;* num vero propterea baptismus vel praesepe adoratur?) Eusebius Emissen. hom. 5. de pasch.: *Cum reverendum altare cibis spiritualibus satiandus adscendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe et maxime toto haustu interioris hominis assume.* (Quis hoc negat? at num idem est sacrum Christi corpus et sanguinem X. 362.
fide respicere, honorare, mente contingere etc. ac panem consecratum etiam extra usum a Christo institutum adorare?) Chrysostomus hom. 24. in 1. Cor.: *Cum timore et summa puritate ad ipsum accedamus. Et quando ipsum videris propositum, dic ei: propter hoc corpus non sum ego amplius terra et cinis, non sum amplius captivus, sed liber, propter hoc spero, me accepturum coelos* (in Graeco est λέγε πρὸς ἑαυτόν, quod Gentianus Hervetus perperam vertit *dic ei*, in margine notans *corpori Christi proposito quid dicendum*, rectius vero Franciscus Aretinus reddidit *dic tecum*, ostendit enim Chrysostomus, ad coenam accessuri quid meditari debeamus, videlicet Christum pro peccatis nostris mortuum et in sacra coena hoc ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, manducandum et hunc ipsum sanguinem, quem pro peccatis nostris effudit, bibendum nobis exhibentem.) Theodoretus

Digitized by Google

dial. 2: *Intelliguntur signa ea esse, quae facta sunt et creduntur et adorantur, ut quae illa sint, quae creduntur.* (Theodoretus ibidem expresse asserit, *symbola externa manere in priore substantia, figura et forma, non recedere a sua natura* etc. quomodo igitur cultum latriae illis deferendum esse doceret? adorantur igitur, *προσκυνεῖται*, non *λατρεύεται*, ita ut adorare nihil aliud sit quam honorare, venerari, reverenter suscipere, id quod subjecta *αἰτιολογία* et similitudo comprobat. Adorantur, ut quae illa sint, quae creduntur, videlicet externa symbola *κοινωνίας* corporis et sanguinis Christi. *Confer ergo*, inquit, *imaginem cum exemplari; videbis similitudinem, oportet enim figuram esse veritati similem* etc. *Si ergo divina mysteria corpus, quod vere est, repraesentant* etc. at Bellarminus ipse disputat lib. 2. de imagin. sanct. c. 24. *imaginibus ne quidem ratione relationis per se et proprie deberi cultum latriae.* Eodem modo voce adorationis utitur Tertullianus adv. Hermog. c. 22: *Adoro Scripturae plenitudinem.* Augustinus epist. 146: *Baptismum Christi, ubicunque sit, veneramur.* de catech. rudib. c. 26: *De sacramento, quod accepit catechumenus, dicendum ei, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendum esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum in usu quolibet.* Lib. de doctr. Christ. c. 9: *Qui aut operatur, aut veneratur utile aliquod signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur et transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt.*

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta. 209. Argumenta, quae pro confirmatione nostrae sententiae superius adduximus, Bellarminus non attingit, ad illud, quod de idololatriae periculo diximus, regerit, *si argumentum hoc valeret, omittendam esse non solum adorationem, sed etiam communionem, quae itidem exposita sit periculo accipiendi merum panem pro corpore Christi sed nullum* (inquit) *est periculum idololatriae in eo, qui simpliciter et bona fide sacramentum adorat, adoratio enim ex intentione potissimum pendet. Quare sicut is, qui panem non consecratum injuria afficeret putans consecratum esse, gravissime peccaret in Christum; sic etiam contra, qui panem eundem adorat, propterea quod certo credat non esse panem, sed Christum, is proprie et formaliter Christum adorat, non panem.* Respondemus: 1. Ex hypothesibus Pontificiis non solum adoratio, sed etiam communio exposita est periculo accipiendi merum panem pro corpore Christi, siquidem ad consecrationem et transsubstantiationem requirunt spiritualem potestatem sacerdotis, quam dicunt *esse occultam et potius egere fide ut credatur inesse, quam ut ipsa fidem aliis rebus faciat,* Bellarminus lib. 4. de euch. c. 16. §. secund. lib. 1. de grat. et lib. arbit. c. 14. §. Sed facilis; requirunt *intentionem ministri non solum in genere faciendi, quod facit ecclesia, sed etiam in specie conficiendi eucharistiam,* Bellarminus lib. 1. de sacram. c. 27; requirunt alia complura, de quibus, cum nemo certus esse possit, an omnia et singula in consecratione adsint, ideo etiam nemo certus esse poterit, consecrationem revera esse factam. Nos contra non I. 36 a spirituali quadam ministri potestate, vel ejusdem intentione, sed a Christi ordinatione et institutione praesentiam corporis et sanguinis ipsius in vero et legitimo usu dependere asserimus, ideoque nostra communio periculo illi minime subjacet. 2. Inter adorationem et manducationem panis consecrati est magna differentia. Illam Christus non instituit nec praecepit, hanc vero instituit ac praecepit addita promissione, quod panis benedictus, distributus ac manducatus sit *κοινωνία* corporis sui; fides igitur certo statuere potest ac debet manducato benedicto pane manducari corpus Christi; sed de adoratione panis consecrati cum nullum exstet verbum, ideo nec fides de illa adoratione potest statuere, quod sit cultus Deo placens. 3. Adoratio non solum ex intentione aestimanda, sed etiam ex verbo Dei Israëlitae vitulum aureum adorantes potuissent hoc schemate et praetextu idololatriam suam defendere, quod haberent intentionem ipsi Deo praestandi hunc cultum, imo gentiles non creaturas, sed Deum in creaturis se adorare praetenderunt. Ergone dicemus, ipsas proprie et formaliter Deum adorasse? 4. Nullum exstat verbum, quod jubeat nos credere, panem eucharistiae non esse panem, sed Christum, etiam extra usum divinitus institutum. Ergo adoratio panis, quae hac hypothesi unice nititur, non potest proficisci ex fide, ac proinde Deo non placet. 5. Frustra bona fides et bona intentio huic adorationi praetexuntur, cum fides et verbum sint relata, proinde quod de sacramento bona fide adorando Bellarminus scribit, daß man auf Treu und Glauben hierinnen handeln soll, id aliis occinat, non nobis, qui fidem certum aliquod verbum et promissionem requirere didicimus.

CAPUT XX.

DE FINE ET FRUCTU SACRAE COENAE.

210. Egimus hactenus de causa efficiente, materia et forma hujus sacramenti, restat, ut de fine, propter quem Christus id ipsum instituerit, porro agamus, ex eo enim promptum erit colligere, quos fructus ex salutari hujus sacramenti usu vere credentes percipiant sibique polliceri possint. **Transitio ad doctrinam de fructu sacrae coenae.** ** Photiniani negant, *finem eucharistiae esse fidei confirmationem.* Vid. Socinum in lib. quod evang. Assurgunt ipsis quidam ex Calvinianis, vel Arminianis potius. Arminius ipse in art. perpend. p. 38: *Perpendendum, an proximus et maxime proprius, ideoque immediatus finis coenae Dominicae tum qua institutus, tum qua usurpatus non sit memoria seu commemoratio vel annuntiatio mortis Domini et quidem cum gratiarum actione pro eo, quod Deus Filium suum pro nobis*

Digitized by Google

in mortem dedit. Venator theolog. verae et merae p. 16: *Coenae Domini est exercitium ad significandam communionem sanctorum, hoc est ad commemorationem dilectonis Jesu erga omnes fideles atque ad praestationem officii debiti et caritatis mutuae.* Ibid.: *Est ritus ad significandam et commemorandam dilectionem Christi erga omnes fideles et ad debitum dilectionis officium erga nos mutuo praestandum.* Simon Episcopius disp. privat. de coena Dom. th. 10: *Finis celebrationis coenae est sola tantum repraesentatio et significatio mortis ac beneficii illius ingentis, quod per mortem nobis partum atque comparatum est, per quam fides etiam ipsa nobis excitari et confirmari solet, animusque noster veluti cibo atque potu quodam nutriri et educari spe vitae aeternae.* ** Notanter vero nos diximus, fructus illos ex salutari hujus mysterii usu a vere credentibus percipi, neque enim omnes, qui quoquo modo atque animo ad hoc sacrum accedunt, beneficiorum illorum coelestium participes fiunt, sed tantummodo vere credentes, hoc est illi qui peccata sua ex lege divina agnoscunt, serio de illis dolent,
X. 364. vera fide Christum et ejus beneficia amplectuntur ac firmum habent propositum Deo in sanctitate et justitia constanter serviendi, contra vero a peccatis contra conscientiam sedulo cavendi, cum verae fidei anteambulo sit contritio, pedissequa vero nova obedientia, ut suo loco plenius docuimus. Sane Christus coelestis hujus convivii hospes obviis, ut ita loquar, ulnis coelestium illorum beneficiorum thesauros omnibus offert, quod vero minus ab omnibus convivis percipiantur, obstat ipsorum impoenitentia, incredulitas, impietas et, ut verbo dicam, indigna manducatio ac bibitio. Ut verbum, ita et sacramenta sunt manus Dei offerens, siquidem per ea coelestium bonorum thesauri ex parte Dei nobis offeruntur; sed vera fides ex parte nostra est manus accipiens et apprehendens, per quam beneficia in verbo et sacramentis oblata acceptamus, qua de re inferius in capite de salutari ac debita praeparatione uberius agetur.

Dicta veterum de fructu hujus sacramenti.

211. Fines et fructus sacrae coenae sunt numero plurimi, utilitate maximi, pondere gravissimi. Cum enim ipsius Filii Dei proprium corpus in mortem pro nobis traditum et ipsius proprium sanguinem in ara crucis pro peccatis nostris effusum in sacra coena accipiamus, ex eo facile apparet, omnia quaecunque Christus traditione sui corporis et effusione sui sanguinis promeruit, in salutari hujus sacramenti usu nobis applicari, conferri et obsignari, unde Chrysostomus hom 83. in Matth. sacram coenam vocat *caput bonorum omnium;* Ambrosius in 1. Cor. 11. appellat *spiritualem medicinam;* Cyprianus serm. de coena non longe a principio: *Panis et calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemque profuit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates et purgandas iniquitates exsistens;* Damescenus ἐν συναθροισμῷ, congerie quadam, multiplicem eucharistiae fructum describit, *quod ad nostram substantiam et conservationem tendat, incommodum quodvis propulset eamque vim exerceat, ut immunditiem omnem abstergat, omnem labem exurat, omnes morbos et calamitates tollat, nosque Christo, hoc est spiritui et corpori ipsius, arctissime uniat, imo nos nobis ipsis etiam majore nexu societ, unde et* μετάληψις, *quod participes reddamur divinitatis Jesu, et* κοινωνία *ob illam fidelium inter se et cum Christo unionem rectissime appelletur et sit delibatio vel* ἀπαρχή, *initium, futuri panis, qui in altero seculo nobis apponetur;* Chemnicius part. 2. exam. Trident. cap. de instit. sacram. coenae pag. 124: *Quia in eucharistia accipimus illud Christi corpus, quod pro nobis traditum est, et sanguinem novi testamenti, qui in remissionem peccatorum effusus est; quis neget, credentes ibi percipere thesaurum omnium beneficiorum Christi? Accipiunt enim illud, in quo peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis communicatur, quo nos sibi Christus tanquam membra adjungit.* Ceterum fructus illos omnes et singulos miranda brevitate Christus in verbis institutionis complectitur, quando asserit, illud ipsum corpus suum nobis manducandum praeberi, quod est pro nobis traditum, illum ipsum sanguinem suum nobis bibendum dari, qui est sanguis novi testamenti, effusus in remissionem peccatorum, et quando jubet nos hoc facere in sui commemorationem; sed haec brevitas latius est evolvenda et explicanda. Dn. D. Menzerus fines eucharistiae recenset hoc ordine, ut eos considerandos dicat vel respectu Dei, vel respectu hominum. Respectu Dei sacra cœna est gratiarum actio pro acceptis a Deo beneficiis, unde fluxit nomen eucharistiae, quae gratiarum actio consistit tum in confessione nostrae miseriae, tum in praedicatione divinae gratiae, insuper etiam in nostra obedientia, dum testamur usu sacrae coenae: 1. nos obedire Deo mandanti sacramentum illud venerari et usurpare; 2. et velle patienter ferre exemplo Christi nostram crucem; 3. et conservare publicos coetus Christianorum, quorum vinculum et nervus est sacrae coenae celebratio, unde manavit appellatio συνάξεως; 4. et ornare nostram professionem vitae integritate. Respectu hominum fines sunt duplices, aut enim referuntur ad nos ipsos, aut ad proximum. Respectu nostri: 1. est applicatio omnium beneficiorum Christi; 2. obsignatio et confirmatio fidei; 3. insitio in corpus Christi; 4. inhabitatio Christi in nobis; 5. tessera resurrectionis ad vitam aeternam. Respectu proximi finis est tum in confessione, tum in operibus caritatis. In confessione, dum usu eucharistiae fatemur: 1. nos peccatis agnitis agere poenitentiam et in Christo quaerere remissionem peccatorum; 2. sumtio coenae est etiam symbolum approbatae a nobis doctrinae. In operibus caritatis hi sunt fines: 1. testamur, nos proximo condonare delicta, 2. et juvare velle pro virili egenos, 3. eosque agnoscere pro fratribus et membris mystici corporis, cujus caput est Christus; hinc profluxit appellatio ἀγάπης. **Breviter fructus coenae Dominicae sunt principales: 1. mortis Domini an-

X. 365.

Digitized by Google

nuntiatio; 2. peccatorum condonatio; 3. fidei obsignatio; 4. spiritualis cum Christo copulatio. Minus principales: 1. foederis in baptismo initi renovatio; 2. ad dilectionem Dei et proximi excitatio; 3. patientiae et spei confirmatio; 4. resurrectionis nostrae testificatio; 5. seria vitae emendatio; 6. confessionis publicatio.**

Fines coenae principales sunt duo.

212. Docendi causa fines eucharistiae constituemus duplices, principales et minus principales. Principales sunt: 1. Obsignatio promissionis evangelicae de remissione peccatorum et fidei nostrae confirmatio; 2. insitio in Christum et spiritualis nutritio ad vitam aeternam. Ad hos fines principales accedunt minus principales complures, quos expositis prius principalibus ordine postea percensebimus.

1. Obsignatio promissionis evangelicae et fidei nostrae confirmatio.

Primo dicimus, eucharistiam hoc fine a Christo institutam et a vere credentibus hoc fine usurpari, ut evangelica de remissione peccatorum promissio ipsis obsignetur et hac ratione fides ipsorum confirmetur, qui est prior finis eucharistiae principalis, ad quem pertinent sequentes considerationes. 1. Sacrae literae passim testantur, quod Christus corpus suum in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus in mortem tradiderit et sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effuderit. Hoc summum redemtionis nostrae pretium, hoc est verum suum corpus propter nostram redemtionem in mortem traditum et verum suum sanguinem propter nostram redemtionem in ara crucis effusum Christus in sacra coena mediante benedicto pane et vino nobis offert, exhibet et distribuit, ut fides nostra de remissione peccatorum gratuita confirmetur. Quia enim illud ipsum Christi corpus pro nobis in mortem traditum mediante benedicto pane manducamus et illum ipsum Christi sanguinem, qui pro peccatis nostris effusus est, mediante vino bibimus, inde certi reddimur, quod ex gratia per fidem nobis donentur, quaecunque traditione sui corporis et effusione sui sanguinis Christi in ara crucis promeruit, quae sunt remissio peccatorum, gratia Dei et vita aeterna. Haec summa consolatio proponitur in ipsis verbis institutionis, quando Christus notanter dicit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur et frangitur; bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ambrosius id ipsum colligit ex verbis apostoli 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat;* sic enim scribit lib. 4. de sacramentis c. 6. tom. 4. p. 440: *Quotiescunque accipimus, mortem Domini annuntiamus. Si mortem annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.* lib. 5. de sacram. c. 3. p. 442: *Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis, et inebriaris Spiritu s.* **Idem Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 5: *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum et non movebitur in aeternum.* de poenit. c. 3: *Quotiescunque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.* Haymo in Psalm. 22: *Non solum Dominico corpore a vitiis mundamur, virtutibus replemur, sed etiam contra omnem persecutionem sustentamur.* Ivo epist. 43: *Corpus et sanguis Domini sunt nostrae reconciliationis sacramenta et vulnerum nostrorum medicamenta ad edendum, bibendum, in sui commemorationem faciendam discipulis commendata.*** Gregorius in hom. paschali et citatur c. Quid sit sanguis X. 366
dist. 2. de consecrat.: *Providens Dominus dedit nobis hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus et ille jam mori non potest, per istud sacramentum peccatorum remissionem consequamur.* Quas vero praestigias circa hunc principalem eucharistiae finem de applicatione remissionis peccatorum et fidei confirmatione Bellarminus veritati offundat, videbimus inferius. 2. Promissio evangelii, *quod omnis, qui in Christum credit, non pereat, sed habeat vitam aeternam*, est quidem universalis, interim tamen, quia anxiae et peccati, irae divinae et propriae indignitatis sensu territae conscientiae saepius dubitant, an ad se quoque in individuo haec promissio pertineat, ut vera fide coram Dei judicio eadem niti seque contra accusationem legis, peccati et Satanae ea erigere queant, ideo Christus ipsis in individuo corpus et sanguinem suum distribuit, ut tanquam ὁ μάρτυρ ὁ πιστός Apoc. 1, v. 5. contra omnes variarum tentationum insultus ipsos confirmet, quod vere ad ipsos quoque evangelii promissio et bona in eadem oblata pertineant, cum corpore Christi in mortem tradito et sanguine ejus pro peccatis effuso (quae sunt evangelicae promissionis fons et fundamentum) in sacra coena cibentur ac potentur. Haec consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Accipite, manducate, bibite.* Quia enim singulos Christus jubet manducare suum corpus et bibere suum sanguinem, ideo ad omnes beneficia evangelii sua passione ac morte parta pertinere testatur. Inde Philippus in exam. recte dicit, quod coena Domini *sit testimonium exhibitae et ad singulos applicatae promissionis evangelicae.* 3. Corpus nostrum est νεκρόν, *morti obnoxium, propter peccatum* Rom. 8, v. 10. *quod in nobis, hoc est in carne nostra, adhuc habitat*, Rom. 7, v. 17. *et legi mentis nostrae repugnat*, v. 23. adeo ut nos etiam feriat illa sententia, 1. Cor. 15, v. 50: *Caro et sanguis non haereditabunt regnum Dei.* Ne igitur propter peccatum in carne nostra adhuc habitans et propter hanc extremam nostram miseriam animo nimis dejiciamur, ideo Christus sanctum suum corpus ab omni fermento peccati liberum et impollutum suum sanguinem (per quae in ara crucis remissionem peccatorum et salutem aeternam nobis peperit) manducandum ac bibendum in sacra coena nobis offert, ne cogitatio de infirmitate, indignitate et impuritate nostrae carnis fidem evertat aut labefactet, sed ut certi simus, impuritatem nostrae carnis umbraculo

Digitized by Google

sanctissimae carnis et purissimi sanguinis Christi coram Dei judicio tegi et abscondi. Haec consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Hoc est corpus meum*, *hoc est sanguis meus*, inde Basilius in oratione ante coenae sumtionem dicenda monet, fideles haec accipere εἰς εὐπρόσδεκτον ἀπολογίαν τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ θεοῦ. Chrysostomus hom. 24. in 1. Cor.: *Quando ipsum videris propositum*, *dic tecum: propter hoc corpus non sum amplius terra vel cinis*, *non sum amplius captivus*, *sed liber; propter hoc spero*, *me accepturum coelos*. 4. Per sacramentum baptismi recipimur quidem in Dei foedus 1. Petr. 3, v. 21. regeneramur et renovamur Tit. 3, v. 5. a peccatis mundamur Ephes. 5, v. 26. et haeredes vitae aeternae scribimur 1. Petr. 3, v. 21. sed quia per peccata ex hoc foedere iterum excidimus, inde dubitare incipimus, an per veram poenitentiam ad primaevum illud foedus in baptismo nobiscum initum redire et peccatorum nostrorum remissionem fide impetrare possimus. Ut ergo huic dubitationi occurreretur, neve ex dubitatione in diffidentiam, ex diffidentia in desperationem, ex desperatione in mortem aeternam prolaberemur, ideo Christus sanctissimum hoc sacramentum instituit, in quo illum ipsum sanguinem suum, quo novum testamentum sanctum et confirmatum est, Zach. 9, v. 11. bibendum nobis offert et exhibet, ut inde certi reddamur, per veram
I. 367. poenitentiam in foedus illud nos iterum recipi et peccatorum remissionem per fidem consequi, cum ad beneficia novi testamenti cumprimis etiam haec promissio pertineat, quod Deus *peccatorum nostrorum non sit in posterum recordaturus*, Jerem. 31, v. 34. Haec consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Bibite*, *hoc est sanguis novi testamenti. Hic calix est novi testamenti in meo sanguine.* Proprium est omnium foederum, ut utraque pars confoederatorum de eadem victima foederali participet. Sic dimidium sanguinis foederalis super altare effusum Deo offerebatur, alterum dimidium crateri inferebatur et populus eodem adspergebatur, Exod. 24. ex carne victimarum instituebantur solennes epulae. Christus igitur inter Deum et nos foedus sanciens corpus et sanguinem suum non solum Deo Patri in ara crucis obtulit, sed etiam in coena manducandum ac bibendum nobis praebet, ut de receptione in foedus illud gratiae certi reddamur. Quemadmodum etiam homo liber in testamento servum haeredem suum instituens libertate eum donat, ut sit capax haereditatis, sic Christus per hoc suum testamentum ejusque applicationem per fidem haeredes suos a servitute peccati, irae Dei ac mortis aeternae liberat. Joh. 8, v. 36: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. 5. Ut beneficiorum morte Christi partorum reddamur participes, vera et firma fide ea apprehendere oportet, sed quia peccati onere et carnis infirmitate pressi ad ipsum in coelum adscendere non possumus, nec coelestem ipsius gloriam ac claritatem ferre, ideo ipse ad nos descendit et in sacra coena corpus suum manducandum et sanguinem suum bibendum exhibet, idque mediantibus externis symbolis panis ac vini, ut hac ratione ipse nos *comprehendat*, Philipp. 3, v. 12. neque cogamur dicere: *Quis adscendet in coelum?* Rom. 10, v. 6. sed certi simus, ipsum in sacra coena nobis praesentem adesse atque in ea a nobis inveniri et apprehendi. Haec consolatio itidem proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Accipite*, *manducate, hoc est corpus meum; bibite*, *hoc est sanguis meus.* 6. Quia cum nuda divinitate in hac peccatricis carnis infirmitate et mortalitate non possumus agere, sumus enim ad eam comparati, sicut stipulae ad ignem Deuter. 4, v. 24. Hebr. 12, v. 29; ideo Christus carnem de carne nostra et os ex ossibus nostris, hoc est veram humanam naturam nostrae carni ὁμοούσιον assumsit Ephes. 5, v. 30. ut in ea ac per eam mediatoris officio fungens sub unum caput redigeret omnia, quae sunt in coelo et super terram. Quia vero Christus adscendit in coelum, nosque inde cogitare possumus, cum nuda divinitate nobis agendum, nosque stipularum instar ab ea consumendos esse, ideo Christus suo corpore et sanguine in sacra coena nos pascit, hoc ipso contestans, assumtam ipsius carnem esse nostrae cum Deo unionis et conjunctionis medium, *nemo enim venit ad Patrem nisi per ipsum* Joh. 14, v. 6. ut Christi humanitas sit nobis via et ingressus ad divinitatem. Haec consolatio ibidem proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Manducate*, *hoc est corpus meum; bibite*, *hoc est sanguis meus.* 7. Quia fides nostra in hac carnis imbecillitate saepius infirmatur, nosque Christi et beneficiorum ipsius facile capit oblivio; ideo Christus hoc sacramentum in sui ἀνάμνησιν et commemorationem instituere voluit, ut per communicationem sui corporis et sanguinis vivam illam et efficacem mortis suae recordationem in nobis operando fidem nostram augeret et confirmaret, quae enim potuit esse magis viva et efficax mortis Christi recordatio, quam ea, quae κοινωνίᾳ corporis in mortem pro nobis traditi et sanguinis pro nobis effusi in nobis efficitur? Hic finis sacramenti eucharistici proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Hoc facite in mei commemorationem* Luc. 22, v. 19. quod apostolus sic exponit 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis hunc panem et bibetis ex hoc calice*, *mortem Domini annuntiabitis*, *donec veniat.* Basilius in asceticis dicit, *proprium esse eorum, qui sumunt eucharistiam, ut memoriam continuam servent ejus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit.* **Haymo in comm. 1. Cor. 11. fol. 64: *Relinquens Dominus hoc sacramentum salutiferum omnibus fidelibus*, *ut illud infigeret cordibus et memoriae eorum*, *more cujuscunque hominis egit*, *qui appropinquans morti aliquod munus pretiosum dimittit alicui amico dicens: Habe hoc cum omni diligentia penes te in memoriam mei et ut*, *quotiescunque illud videris*, *recorderis mei. Qui amicus admittens munus illud amici sui ca-*

rissimi, si eum toto corde dilexit, non potest non condolere et tristari de morte amici, quotiescunque munus sibi dimissum conspicit. Similiter nos quotiescunque accedimus ad consecrandum vel percipiendum sacramentum muneris aeterni, quod nobis Dominus passurus in memoriam sui dimisit tenendum cum timore et compunctione cordis omnique reverentia, debemus accedere recolentes, quanto amore dilexit nos, qui pro nobis se ipsum obtulit, ut nos redimeret. Hoc facite in mei commemorationem, hoc est merita et beneficia mea fiducialiter apprehendite. Nam *meminisse* etiam fidere significat, Psalm. 20, v. 8: *Hi in curribus et in equis, nos autem nominis Domini nostri recordabimur.***

X. 368. 8. Quia primus Adam esu fructuum arboris vetitae thesaurum coelestium bonorum sibi concreditorum amisit, quin et mortem temporalem ac aeternam sibi et posteris omnibus attraxit, Genes. 3. ideo Christus *secundus et coelestis Adamus*, 1. Cor. 15, v. 47. vivifici corporis sui cibo et pretioso sanguinis sui potu amissa bona iterum nobis restituit et vitam coelestem nobis confert, ut certi reddamur, quaecunque in primo Adamo nobis perierunt, ea in Christo esse restituta. Haec consolatio itidem proponitur in verbis illis institutionis, quando Christus dicit: *Edite, hoc est corpus meum.* Ambrosius de iis qui initiantur myster. c. 8: *Ista esca, quam accipis, vitae aeternae substantiam administrat.* Ex quibus omnibus luculenter apparet, quomodo usu sacrae coenae fides nostra confirmetur et promissio evangelii de gratuita peccatorum remissione obsignetur.

2. Nostra in Christum insitio et spiritualis ad vitam aeternam nutritio.

213. Posterior principalis eucharistiae finis est nostra in Christum insitio et spiritualis ad vitam aeternam nutritio. Ad hunc finem pertinent sequentes considerationes: 1. Filio Dei nihil propius atque arctius est conjunctum, quam assumta natura humana, quippe quam personali foedere sibi univit; vicissim nobis nihil propius conjungitur, quam quod manducamus ac bibimus, quippe quod in carnis nostrae substantiam convertitur. Christus igitur arctissime sese nobiscum et nos sibi unire desiderans instituit hoc sacramentum, in quo mediante benedicto pane corpus ipsius manducemus et mediante benedicto vino sanguinem ejus bibamus, quae est Tauleri observatio. Joh. 6, v. 56: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, manet in me et ego in ipso.* Hilarius lib. 8. de Trinit.: *Haec sumta et hausta faciunt, ut nos in Christo et Christus in nobis maneat.* Cyrillus Alexandr. lib. 6. in Joh. c. 17: *Perinde ac si quis liquefactae cerae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiscet, ita necesse est, si quis carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso conjungi, ut Christus in eo et ipse in Christo inveniatur.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. 4. p. 530: *Sic christophori* (Christum ferentes) *erimus, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus atque divinae naturae consortes efficiemur.* ** Cyprianus de coena Domini: *Natura et ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat et confoederat voluntates.* Chrysostomus hom. 60. ad pop. Antioch.: *Exhibuit, et ut teneremus, et ut manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu petimus. Quare Job ut servorum in se amorem ostenderet, dicebat, illos saepenumero ex nimio amore in se dixisse: Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Ita Christus suam carnem dedit nobis, ut ex ea saturemur, quo nos in plurimum sui amorem illexit.* Bernhardus serm. 71. in Cant.: *Pascens Christus pascitur ipse et quidem escis, quibus libenter vescitur profectibus nostris. Nolite mirari hoc, et manducat nos, et manducatur a nobis, quo arctius illi obstringamur. Non sane alias perfecte unimur illi. Nam si manduco et non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quodsi manducor quidem, nec manduco, me in se habet ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta unitio in unoquovis horum, si enim manducet me, ut habeat me in se, et vicissim a me manducetur, ut sit in me, quatenus integra firmaque sit connexio, tum ego in eo et nihilominus ipse in me erit.*** Damascenus orat. 3. de imag.: *ἄνθρωποι μετέχουσι καὶ κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως γίνονται, ὅσοι μεταλαμβάνουσι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ ἅγιον* X. 3
καὶ πίνουσι τὸ αἷμα· ἡ μὲν γὰρ φύσις ἡμῶν εὐδοκίᾳ καὶ συναφείᾳ θεοῦ γέγονεν ἀγγέλων μείζων. C. firmiter extr. de summ. Trinit.: *Christi corpus et sanguis in sacramento altaris veraciter continentur etc. ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro.* Ex hac unione cum Christo provenit, ut novas vires tanquam palmites ex vite consequamur pugnandi contra Satanam, resistendi desideriis carnis, proficiendi in gratia etc. Chrysostomus homil. 45. in Joh.: *Ut leones flammam spirantes, sic ab hac mensa discedamus terribiles effecti diabolo.* Monendum tamen, quod differentia sit inter cibum naturalem corporis et inter hunc spiritualem interioris hominis cibum. Cibus naturalis per alterationem et transmutationem in corporis substantiam convertitur, sed hic spiritualis cibus non alteratur, nec transmutatur in nobis, sed nos potius transmutat et alterat, ut divinae naturae consortes, 2. Petr. 1, v. 4. et membra corporis mystici, cujus caput est Christus, efficiamur, Ephes. 5, v. 30. 2. Caro Christi est vivifica, cum sit *Verbi omnia vivificare valentis propria caro,* ut loquitur concilium Ephesinum can. 11. hoc est Filius Dei, qui est ipsa vita, carnem in unitatem personae suae assumsit eamque coelestium bonorum thesauro implevit. Ut ergo ad nos, *qui in peccatis sumus mortui* Col. 2, v. 13. Ephes. 2, v. 1. ex hoc fonte vitae, coelestis et spiritualis vita promanaret, hoc fine Christus vivificam suam carnem in sacra coena manducandam et sanguinem suum bibendum nobis offert. Joh. 5, v. 26: *Sicut Pater habet vitam in se ipso, ita etiam Filio dedit habere vitam in se ipso;* v. 27: *quia Filius hominis est.* Joh. 6, v. 33: *Panis Dei est, qui de coelo descendit et dat*

Digitized by Google

vitam mundo. v. 35: *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.* v. 48: *Ego sum panis vitae.* v. 50: *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* etc. ** Cyrillus libr. 10. in Joh. cap. 13: *Communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis et nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis haec natura ad incorruptibilitatem et vitam reduci, nisi naturalis vitae corpus ei constringeretur.* ** Huc etiam pertinet quod Christus se ipsum viti, credentes autem palmitibus confert, Joh. 15, v. 4. Quemadmodum enim palmites ex vite succum vitalem et vim fructificandi trahunt, sic ex vivifica Christi carne Spiritus vitae ad nos descendit. Sicut corpus nostrum vivit propter animam inhabitantem; sic spiritus noster vivit propter Christum in nobis habitantem. Sicut medicus letaliter decumbentem periculoso morbo liberans salutarem illi praescribit diaetam, ne in pristinam aegritudinem recidat, sic Christus animarum nostrarum medicus nos ex morte in vitam revocatos saluberrima corporis et sanguinis sui alimonia pascit. 3. Deus *Christum dedit caput super omnia ipsi ecclesiae* Eph. 1, v. 22. *ex quo totum corpus compactum et connexum, συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον* Ephes. 4, v. 16. Ut ergo membra hujus mystici corporis redderemur, derivata ex Christo capite in nos spirituali vita, sensu et motu; ideo Christus *κοινωνίαν* sui corporis et sanguinis in sacra coena instituit, ut ad mystici corporis societatem nos perduceret. 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes, in unum corpus baptizati sumus et omnes in unum Spiritum potati sumus*, hoc est ideo ex uno calice eucharistico bibimus, ut unum Spiritum accipiamus, sicut uno baptismate tingimur, ut unum corpus mysticum reddamur. ** Augustinus serm. 28. ad fratr. in eremo: *Hoc sacramentum ideo nobis datum est, ut corpus ecclesiae Christi in his terris cum capite, quod est in coelis, coadunaretur.* ** 4. Christus per verbum evangelii confert nobis Spiritum s. Galat. 3, v. 2. ut ex eo agnoscamus, *nos manere in ipso et ipsum in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit*
I. 370. *nobis*, 1. Joh. 4, v. 13. Sed quia hi motus et impulsus Spiritus sancti non sentiuntur a nobis in tentationibus, contra vero experimur veritatem illius pronuntiati, *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma*, Matth. 26, v. 41. ideo Christus mediator noster, cui secundum humanam naturam Spiritus *datus est sine mensura* Johan. 3, v. 34. *et super quem requiescit Spiritus Domini* Esai. 61, v. 1. corpus suum manducandum et sanguinem suum bibendum in sacra coena nobis exhibet, *ut ex ipsius plenitudine accipiamus* Joh. 1, v. 16. et dona Spiritus sancti in nobis augeantur. Inde apostolus pronuntiat, *nos omnes una potione potari in unum Spiritum* 1. Cor. 12, v. 13. Joh. 6, v. 56: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, manet in me et ego in ipso.* Jam vero qui manet in Christo et Christus in ipso, is affert fructus copiosos Joh. 15, v. 5. nimirum per Spiritum sanctum, *qui enim Domino adhaeret, est unus spiritus cum eo*, 1. Cor. 6, v. 17. Unde etiam bona opera dicuntur *fructus Spiritus* in nobis habitantis Gal. 5, v. 22. 5. Corpus nostrum *propter peccatum inhabitans morti est subjectum* Rom. 8, v. 10. quod peccatum, quia per carnalem generationem ex primis parentibus in nos propagatur, ideo *in Adamo omnes mori* dicimur 1. Cor. 15, v. 22. Ut ergo de resurrectione corporis ad vitam aeternam certi redderemur, ideo Christus vivifico suo corpore in sacra coena nos pascit, efficaciter confirmans fidem et spem nostram, quo illud ipsum corpus nostrum, in quo peccatum et mors in hac vita habitant, ex pulvere terrae ad vitam aeternam sit suscitandum, quia vivifico Christi corpore est nutritum. Joh. 6, v. 54: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in die novissimo.* Inde in canone Niceno cibus et potus eucharisticus vocantur *σύμβολα τῆς ἡμετέρας ἀνασιάσεως*, in actis concil. Niceni. fol. 43. Ignat. epist. 11. ad Eph. p. 65: *ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Irenaeus lib. 4. c. 34. pag. 263: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae a corpore Domini et sanguine alitur? Quemadmodum qui est e terra panis percipiens invocationem Dei jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti; sic et corpora percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia.* lib. 5. c. 4. pag. 319: *Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore et granum tritici decidens in terram et dissolutum multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quae deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt et percipientia verbum Dei eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi, sic et corpora nostra ex ea nutrita et reposita in terram et resoluta in ea resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circumdat.* Athanasius in apol. pro Dionysio Alexandr. citante Theodoreto dial. 1. c. 22. *ἡμεῖς ὁμογενῆ σώματα ἔχοντες τῷ σώματι τοῦ κυρίου ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ λαμβάνομεν, κἀκεῖνο ῥίζαν ἔχομεν εἰς τὴν ἀνάστασιν καὶ εἰς τὴν σωτηρίαν. Nos habentes corpora cognata corpori Domini ex plenitudine ejus accipimus, et hoc ipsum corpus Domini habemus tanquam radicem resurrectionis et salutis.* Item ad Serapionem de Spiritu sancto: *Corpus et sanguis Christi fit nobis tutamen ac praeservatio ad resurrectionem vitae aeternae.* ** Chrysostomus in 1. Cor. 10. hom. 24: *Ipsa enim mensa animae nostrae vis est, nervi mentis fiduciae vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum adscendemus vestibulum, tanquam aureis quibusdam vestibus undique contecti. Et quid futura commemoro?*

Digitized by Google

nam dum in hac vita sumus, ut terra nobis coelum sit, facit hoc mysterium. ** Cyrillus libr. 4. in Johan. c. 14, v. 20: *Quando carnem Christi in mystica benedictione fide manducamus, hinc vitam habemus in nobis, illi carni conjuncti, quae vita effecta est, ut non solum anima per Spiritum sanctam in beatam vitam adscendat, verum etiam rude* X. 371. *et terrestre hoc corpus cognato sibi gustu, tactu et cibo ad immortalitatem traducatur.* Inde canit ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, memoria passionis ejus recolitur, mens impletur gratia et futurae gloriae pignus nobis datur.* 6. Deus in medio paradisi collocaverat *arborem vitae* Genes. 2, v. 9. cujus fructus in perpetuo juventutis vigore ad immortalitatem primos homines conservassent, nisi per peccatum a Deo voluntarie aversi fuissent. Ut ergo vita spiritualis, *quae est ex Deo* Ephes. 4, v. 18. iterum nobis restitueretur, ideo Christus, vera arbor vitae per illam typicam praesignificata, corpus suum, quod est panis vitae, in sacra coena manducandum et sanguinem suum bibendum nobis exhibet. Joh. 6, v. 35. 48. 58: *Ego sum panis vitae, qui de coelo descendit.* Apoc. 22, v. 2: *Ex utraque parte fluminis erat lignum vitae afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum et folia ligni ad sanitatem gentium.* Augustinus tract. 26. in Joh.: *Quemadmodum integra refectio seu nutritio corporum cibo, qui est alimentum siccum, et potu, qui est alimentum humidum, constat, ita in eucharistia proponitur nobis Christus ut esca et ut potus, ne desse nobis quidquam putemus ad integram alimoniam nostram sive nutritionem spiritualem.* 7. Non solum externa hujus sacramenti symbola, panis et vinum, utiles praebent commonefactiones de mutua et fraterna dilectione, quas exposuimus superius §. 20. membro 4. sed quia insuper Christus mediante hoc pane suum corpus et mediante hoc vino suum sanguinem nobiscum communicat, adeoque juxta eam naturam, secundum quam est nobis ὁμοούσιος et frater noster, nobiscum sese unit; ideo per hanc assumtam nobisque cognatam humanam naturam hanc dilectionem in cordibus credentium operatur, auget et obsignat, ut velut unius mystici corporis membra sub uno capite Christo in nobis per fidem habitante vere et sincere nos invicem diligamus. 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1. Cor. 12, v. 13: *Omnes in unum Spiritum potati sumus.*

Fines sacrae coenae minus principales.

214. Atque hi sunt principales sacrae coenae fines et effectus, quos ex salutari hujus sacramenti usu percipimus. Fines minus principales enumerari possunt complures. 1. Ut excitemur ad gratias Christo agendas pro opere redemtionis 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque panem hunc manducaveritis et ex hoc calice biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Cyprianus serm. de coena: *Pietas dividens se inter data et condonata agit gratias tam uberis beneficii largitori.* Hac de re plura diximus superius §. 7. memb. 1. 2. Ut nostram erga Christi institutionem et ordinationem testemur obedientiam. Neque enim liberum et arbitrarium nobis reliquit hujus sacramenti usum, sed expresso mandato eum nobis injunxit dicens: *Hoc facite!* Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 24. 3. Ut testemur, nos Christi exemplo velle patienter ferre crucem et paratos esse ad fundendum nostrum pro Christi gloria sanguinem, cum in sacra coena bibamus sanguinem illius, qui pro nobis in ara crucis mortuus est. Luc. 14, v. 27: *Qui non tollit crucem suam et sequitur me, non potest esse meus discipulus.* Vide Cyprianum lib. 1. epist. 2. 4. Ut conservemus publicos coetus Christianorum, quorum nervus et vinculum est sacrae coenae celebratio, unde etiam in publicis ecclesiae conventibus eucharistia administratur, 1. Cor. 11, v. 20. 5. Ut ipso facto comprobemus, nos peccatis agnitis seriam agere poenitentiam et in Christo quaerere peccatorum remissionem, haec enim praeparatio ad salutarem eucharistiae usum requiritur. 1. Cor. 11, v. 28: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat.* 6. Ut testemur, nos approbare doctrinam, quae sonat in ecclesia illa, in qua una cum aliis eundem panem eucharisticum manducamus et ex uno calice bibimus. 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* v. 21: *Non potestis simul mensae Domini et mensae daemoniorum participes esse.* 7. Ut publice profiteamur, nos velle proximo condonare suos naevos, pro virili eidem inservire ac pro fratre et membro unius corporis mystici eum agnoscere. Matth. 5, v. 24: *Relinque munus tuum ad altare et reconciliare prius* X. 372. *fratri.* Lutherus in serm. de coena anno 1526. habito monet, *dilectionem, qui est fructus hujus sacramenti, notari non solum figura panis et vini, sed etiam ipsius Christi exemplo.* In serm. anno 1534. dicit, *per usum sacrae coenae interiorem omnium Christianorum aequalitatem conservari, cum in exteriori conversatione sint varii status atque ordines.* **Falsus finis est, si quis eucharistia utatur ad innocentiae suae confirmationem vel alteri eam exhibeat ad criminis alicujus manifestationem, quod tamen approbatur in jure canonico c. Saepe contingit 2. quaest. 5. ex conc. Wormat. *Saepe contingit, ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab abbate celebretur vel ab aliquo ex praesentibus fratribus et sic expleta missa omnes communicentur in haec verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* **

Tridentinorum patrum de fructu coenae dissertatio.

215. De fructu sacrae coenae sic loquitur concilium Tridentinum sess. 13. c. 2: *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, et in illius sumtione colere nos sui memoriam praecepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi*

Digitized by Google

autem voluit hoc sacramentum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput exsistit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, neque essent in nobis schismata. Haec quidem tolerabiliter dicerentur et ad fidei analogiam reduci possent, nisi ὕπουλόν τι lateret in illis verbis, quod eucharistia sit antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, id est venialibus, a mortalibus vero non liberemur per hoc antidotum, sed tantum praeservemur, id quod Colonienses in sua censura sic explicant, *eucharistiam delere quidem levia et minora peccata, aliquando etiam gravia quaedam, illa scilicet, quorum memoria confitentibus exciderit, tunc enim sacramenti virtutem supplere, quod ignorantia desiderabat, mortalia autem peccata vero usu eucharistiae non deleri.* Postea can. 5. anathema dicunt illis, qui statuunt, *vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire.* Atqui num nostra sententia est, in eucharistia remissionem peccatorum accipere eos, qui haerent adhuc in peccatis mortalibus, hoc est qui scientes perseverant in delictis contra conscientiam, retinent propositum malefaciendi, nec afferunt secum timorem Dei, poenitentiam et fidem? Minime vero, sed disertis verbis docemus, impoenitentes et in delictis contra conscientiam perseverantes judicium sibi manducare ac bibere, imo reos fieri corporis et sanguinis Christi. Num nostra haec est sententia, ex salutari usu eucharistiae non provenire alios effectus quam remissionem peccatorum? Minime vero, statuimus enim, in salutari eucharistiae usu fieri in credentibus applicationem et obsignationem omnium beneficiorum Christi, ut ex illis, quae antea dicta sunt, cuivis liquido apparet. Quid ergo est, quod Tridentini damnant, et in quo demum verus controversiae status consistit? Respondemus: Chemnicius part. 2. exam. c. de instit. sacram. coenae p. 126. insidias secundi capituli et quinti canonis hisce verbis patefecit: Nos docemus, Christum in eucharistia dato suo corpore et sanguine tanquam pignore et sigillo certissimo ac praestantissimo testari, se singulis fide hoc sacramento utentibus communicare, applicare et obsignare beneficia sua, quae traditione
X. 378. sui corporis et effusione sui sanguinis ecclesiae acquisivit, et inter illa beneficia dicimus praecipuum et primarium locum obtinere remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, receptionem in gratiam et acceptationem ad salutem et vitam aeternam, non quod reliqua Christi beneficia ab eucharistiae fructu excludamus, sed quia haec sunt quasi fundamenta omnium reliquorum Christi beneficiorum, quae nobis conferenda sunt. Pontificii vero 1. ut satisfactiones suas et reliquas indulgentiarum nundinationes retineant, remissionem peccatorum in novo testamento, de quo verba coenae diserte loquuntur, restringunt tantum ad levia et minora peccata, quasi sanguis Christi in eucharistia vera fide acceptus non habeat vim delendi peccata mortalia et graviora, sed illa dignitas et virtus tribuenda sit nostris satisfactionibus, indulgentiis papalibus, sacrificio missae et reliquis veniarum negotiationibus. 2. Ut dogma de dubitatione retineant, negant, obsignationem remissionis peccatorum fieri in eucharistia, ac damnant nostram doctrinam, quod credentes, qui in vera poenitentia et fide hoc sacramento utuntur, ejus sumtione confirmentur et certi reddantur de reconciliatione cum Deo et de remissione peccatorum. 3. Ut homines a crebriori usu eucharistiae abstractos ad quotidianas missarum nundinationes cupidius invitent, docent, multos quidem eosque insignes esse eucharistiae fructus, eos vero illis tantum contingere, qui ab omnibus gravioribus peccatis ante liberi, immunes et sancti sunt, secus dispositos judicium sibi manducare; contra vero missam esse sacrificium propitiatorium ad delenda quaevis peccata mortalia et gravissima, idque ex opere operato sine aliquo peccatoris vel negotio vel periculo. Huc nimirum spectant, quae Tridentini Areopagitae de fine et fructu eucharistiae contra nos decernunt.

216. Bellarminus lib. 4. de eucharist. c. 17. de effectu eucharistiae disputans 1. ex Luthero probare conatur, quod docuerit, *effectum primarium eucharistiae esse remissionem peccatorum mortalium ac proinde non requiri ad dignam praeparationem eucharistiae poenitentiam et propositum non peccandi.* Atqui contrarium plus centies in scriptis Lutheri occurrit. Quando vero *optimam dispositionem non nisi eam esse dicit, qua quis pessime est dispositus, et e contrario tunc pessime aliquem esse dispositum, quando optime est dispositus* etc. tunc improbat vanam illam fiduciam, quam hypocritae in suas dispositiones, praeparationes et satisfactiones collocant; ac consolatur anxias et peccati sensu territas conscientias, quae agnoscunt, se non satis digne dispositas accedere; negat remissionem peccatorum in perfectione nostrae contritionis, in plenaria enumeratione peccatorum et in propria satisfactione quaerendam; improbat errorem Scholasticorum, quod quaedam peccata sint sua natura venialia, quae inter alia remedia usu coenae deleantur, pro mortalibus autem per propria opera et passiones satisfaciendum esse. Hic scopus si in verbis Lutheri observetur, corruunt illa omnia, quae contra illa male detorta et intellecta Bellarminus disputat. 2. Contra Chemnicium disputat, *quod nullo modo ista cohaerere possint, ut eucharistia accipiatur ad remissionem peccatorum mortalium et tamen nemo accedere permittatur, nisi prius a peccatis fuerit absolutus.* Sed huic cavillo Andradii jamdudum satisfecit Chemnicius sic scribens: Unicum est fun-

Bellarmini disputatio, quod fructus eucharistiae non sit remissio peccatorum.

Digitized by Google

damentum reconciliationis cum Deo et remissionis peccatorum, Christus scilicet mediator cum sua obedientia et merito. Illum vero Deus nobis proponit fide apprehendendum et accipiendum ad remissionem peccatorum et in verbo et in sacramentis. Est autem reconciliatio cum Deo et remissio peccatorum non sicut color seu qualitas haerens immobiliter, indivulse et inseparabiliter in subjecto, ut semel accepta non opus sit amplius de ea cogitare, sed fidei perpetua actio et quotidianum exercitium in hac vita est, Christum magis magisque et firmius apprehendere, in eo manere et perseverare, ne remissio peccatorum amittatur, sed ut firmius et certius retineatur, imo in hac carnis nostrae depravatione inter tam varias diaboli insidias et mundi scandala
X. 374. nullum momentum est, in quo non opus sit nobis quaerere, apprehendere et complecti gratiam Dei, reconciliationem et remissionem peccatorum. Praeterea in tentationibus mens potissimum de eo angitur, cum promissio loquatur in genere, an ad nos in specie pertineat? Christus igitur in eucharistia pretiosissimo et certissimo pignore, videlicet exhibitione corporis et sanguinis sui, testatur, se singulis fide hoc sacramento utentibus remissionem peccatorum et reliqua beneficia traditione sui corporis et effusione sui sanguinis parta certo communicare, applicare et obsignare. *3. Chemnicium immerito de concilio Tridentino conqueri dicit, quod nobis tribuat hanc sententiam, nullum esse alium effectum communionis, quam remissionem peccatorum, cum Lutheranos non nominet et sub distinctione loquatur.* Respondemus: Quos ergo damnant Tridentini Areopagitae in isto canone? Nominent illos, nobis cum illa opinione nihil est commune, neque enim de remissione peccatorum in eucharistia ita disputamus, ut reliquos ejus effectus plane negemus. Res ipsa ostendit, nobis hunc canonem oppositum esse, qui remissionem peccatorum, quae est fundamentum reliquorum beneficiorum Christi omnium, praecipuum eucharistiae fructum esse dicimus, nos igitur hac invidia praegravare voluerunt Tridentini, quod solum et unicum illum fructum exclusis reliquis urgeamus. *4. Impudentissimum mendacium vocat*, quod Chemnicius scripserat, *Romanenses ita dividere gratiam justificationis inter missae sacrificium et sumtionem eucharistiae, ut missae sacrificio tribuant ex opere operato remissionem peccatorum mortalium et sumtioni eucharistiae solum remissionem venialium, etiam non sine periculo sumentis.* Respondemus: Recognoscat Bellarminus sua verba: *Sacrificium missae non solum propitiatorium est pro poenis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus atque adeo mortalibus, id enim significat concilium Tridentinum, cum ait: Crimina et peccata etiam ingentia dimittit*, lib. 2. de missa c. 1. §. Contrarium. *Sarificium missae vim habet praecipue ex opere operato*, lib. eodem c. 4. §. His notatis. De sumtione eucharistiae contra sic scribit: *Catholica ecclesia in concilio Tridentino docet, effectum eucharistiae praecipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animae et praeservationem a peccatis*, libr. 4. de eucharist. c. 17. §. Jam vero. Nec est, quod Bellarminus regerat, missae sacrificium non justificare immediate, sed impetrare donum poenitentiae, per quod homo ad sacramentum accedere velit, et per illud justificetur, lib. 2. de missa c. 4. ex eo enim multo magis confirmatur perversa illa opinio, quod satius sit et minori cum periculo conjunctum interesse missae, quippe quae prosit etiam non recte disposito, quam uti coena Dominica, quippe quae in judicium sumitur, nisi purus et recte dispositus quis accesserit. Quod Bellarminus addit, *nullum esse in ecclesia usum petendi, nedum emendi missas pro remissione peccatorum*, id de vera Christi ecclesia rectissime asseritur, sed de ecclesia Pontificia asseri nequit. Ipse Bellarminus diserte scribit lib. 2. de missa c. 4. §. Atque hinc: *Missae sacrificium dicitur impetratorium, quia impetrat remissionem culpae; satisfactorium, quia impetrat remissionem poenae; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi ac merita acquirendi.* lib. 1. de missa c. 25. dicit, *per sacrificium missae applicari pretium redemtionis a Christo acquisitum.*

217. Hisce praemissis Bellarminus probare conatur c. 18. effectum eucharistiae praecipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animae et praeservationem a peccatis, affert autem haec argumenta: *1. Christus Joh. 6. nusquam docet, eucharistiam institutam esse ad peccata remittenda, sed tantum ad vitam spiritualem conservandam et augendam.* Respondemus: Inclusio unius non est exclusio alterius. In ipsis verbis coenae dicit Christus: *Bibite, hoc est sanguis novi testamenti* jam vero novum testamentum etiam hoc complectitur: *Propitius ero iniquitati eorum et peccati eorum non recordabor amplius*, Jer. 31, v. 34. Praeterea Christus notanter dicit, illum nos in sacra coena bibere sanguinem, qui pro peccatis nostris in ara X. 375.
crucis est effusus. Ergo ipsa institutio Dominica, quae est propria hujus doctrinae sedes, manifeste ostendit, bibitione sanguinis in sacra coena nos confirmari, quod ad nos quoque in specie pertineant beneficia novi testamenti, inter quae praecipuum est remissio peccatorum. De fructu sacrae coenae non ex solo capite 6. Joh. sed etiam et cumprimis ex ipsis verbis institutionis faciendum est judicium. Si quidquam roboris Bellarminus argumento inesset, sequeretur, per eucharistiam ne quidem a culpis quotidianis nos liberari, quod tamen concilium Tridentinum asserit, cum nullius remissionis peccatorum Joh. 6. fiat mentio ex Bellarmini hypothesi. *2. Propria ratio hujus sacramenti est, ut sit cibus spiritualis;* Johann. 6: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus, quod testatur etiam tum externa species panis et vini, tum actio manducandi et bibendi. At absurdissimum est cibum et potum dare mortuis, cum inde non possint nutriri.* Respondemus: caro et sanguis Christi non

Argumenta Bellarmini.

Digitized by Google

solum sunt spiritualis animae cibus et potus, sed etiam pretium nostrae redemtionis. Christus igitur exhibitione sui corporis et sanguinis promissionem de remissione peccatorum suo corpore et sanguine parta credentibus in sacra coena applicat, confirmat et obsignat, cum qua applicatione et obsignatione nutritio ad vitam spiritualem minime omnium pugnat. Nec tamen mortuis, id est qui in peccatis contra conscientiam adhuc haerent et spiritualiter coram Deo mortui sunt, remissionem peccatorum usu coenae contingere dicimus, sed requirimus veram poenitentiam et fidem. *3. Agnus paschalis, panes propositionis, caro sacrificiorum non dabatur nisi mundis; Christus lavat discipulorum pedes, antequam sacramentum eis porrigeret; filius prodigus annullo et vestimentis prius ornatur, antequam ad vitulum saginatum admitteretur.* Respondemus: haec omnia probant, debitam praeparationem usui eucharistiae praemittendam et in vera poenitentia et fide accedendum esse, nequaquam vero probant, usu eucharistiae non obsignari et confirmari in credentibus remissionem peccatorum. 4. 1. Cor. 10. *unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus, id est hoc sacramentum non prodest nisi membris unitis cum capite et aliis membris. Jam vero, qui sunt in peccato mortali, illi non sunt viva Christi membra.* Respondemus: Apostolus αἰτιολογικῶς pronuntiat, *unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* Ergo hoc sacramentum constituit non solum signum, sed et medium conjunctionis nostrae cum Christo capite et aliis corporis mystici membris, quod et superius confirmatum fuit. Non negamus, illis, qui in peccatis mortalibus constituti sine vera poenitentia accedunt, hoc sacramentum non solum non prodesse, sed etiam nocere, interim ex eo inferri nequit, quod fructus sacramenti non possit nec debeat constitui remissio peccatorum. Quemadmodum enim nihilo minus fructus hujus sacramenti constituitur insitio in Christum, conjunctio cum Christo, inhabitatio Christi in nobis, licet salutaris ejus usus praerequirat fidem, per quam Christo inserimur, cum Christo conjungimur, et per quam Christus in nobis habitat, nimirum quia conjunctio illa per hoc sacramentum obsignatur, confirmatur atque arctior redditur; ita quoque inter fructus hujus sacramenti recte numeratur remissio peccatorum, licet salutaris ejus usus praerequirat fidem, per quam peccatorum remissionem consequimur, nimirum, quia promissio de remissione peccatorum per hoc sacramentum obsignatur, confirmatur et in specie ad quemvis fide hoc sacramento utentem pertinere ostenditur. *5. Paulus 1. Cor. 11. requirit sui probationem et indignos judicium manducare ac bibere docet, id est monet, ne quis cum conscientia peccati accedat.* Respondemus: Probationem debitam ante usum sacrae coenae requiri et indignos judicium sibi manducare ac bibere nemo nostrum negat, ex eo vero inferri nequit, quod promissio de remissione peccatorum in usu hujus sacramenti non confirmetur et obsignetur. Cum conscientia peccati accedere dupliciter intelligi potest, vel de iis, qui in peccatis contra conscientiam et in proposito peccandi adhuc haerentes sine vera poenitentia et fide accedunt; vel de iis, qui peccatorum sibi conscii serio de illis dolent et remissionem eorum fide in Christo quaerunt, firmum X. 376. habentes propositum de vita in melius emendanda et fugiendis serio peccatis. Illi judicium, hi vero vitam et salutem ex usu hujus sacramenti reportant.

218. Quae ex patribus Bellarminus profert, nostrae sententiae ne minima quidem ex parte adversantur, id enim solum probant, quod nemo nostrum negat, videlicet poenitentiam et absolutionem usui sacrae coenae salutari praemittendam, finemque eucharistiae esse spiritualem nutritionem etc. qua vero specie ex eo inferri potest, finem eucharistiae non esse obsignationem et confirmationem promissionis de remissione peccatorum? Certe omnes veterum liturgiae mentionem faciunt remissionis peccatorum, ea igitur a salutari hujus sacramenti usu non est secludenda. Denique has rationes profert: *1. Sacramentum eucharistiae a baptismo et reliquis sacramentis est distinctum, ergo finem proprium habet diversum a fine baptismi et aliorum sacramentorum.* Respondemus: Sicut omnia sacramenta conveniunt auctore, sive causa efficiente; ita etiam conveniunt fine generali, qui est confirmatio et obsignatio fidei de remissione peccatorum, ut ostendimus suo loco. Ergo hic finis sacramento eucharistiae non est denegandus. 2. *Consuetudine ecclesiae antiquissima sacramentum eucharistiae datur neophytis immediate post baptismum. Atqui per baptismum homines ita abluuntur a peccatis omnibus, ut sint sancti et immaculati. Ergo eucharistia immediate superveniens post baptismum non invenit peccata, quae tollat.* Respondemus: ex eodem medio inferri posset, etiam baptismi finem non esse remissionem peccatorum, cum catechumeni vera fide eam jamdum fuerint consecuti. Rem ipsam quod attinet, ostendimus suo loco, remissionem peccatorum et eorum absolutionem per baptismum ita comparatam esse, ut reatu peccati soluto et vitiosa ejus qualitate mortificata nihilominus aliquid in nobis perpetuo mortificandum et crucifigendum restet; ac fides in promissionem de remissione peccatorum eget confirmatione, obsignatione et augmento, etiam post baptismi usum. 3. *Catechumeni, energumeni et poenitentes, id est illi, qui poenitentiam agunt, sed nondum absoluti et reconciliati sunt, usu ecclesiae antiquissimo a communione arcentur. At si effectus coenae primarius esset peccata remittere, catechumeni et poenitentes isto pharmaco non essent defraudandi.* Respondemus: Catechumeni, qui in fide Christina nondum plene instituti sunt, merito ab usu eucharistiae arcentur, cum non afferant probationem illam sui, quam apostolus tam serio requirit. Idem judicium de energumenis. Poenitentes quod attinet, notum est ex veteris ecclesiae historia, in articulo

Dicta veterum a Bellarmino adducta.

Rationes.

Digitized by Google

mortis ad communionem admissos esse eos, qui nondum expleverant constituta poenitentiae tempora. Spectacula ergo illa publicae poenitentiae fuerunt exercitia disciplinae ecclesiasticae, propter quae neutiquam salutari hujus sacramenti pharmaco vere poenitentes fuerunt privati, sed ad signa verae poenitentiae edenda et ad praestandam ecclesiae satisfactionem prius compulsi. 4. *Omnes adversarii fatentur, ante communionem requiri fidem, et aliqui eorum requirunt etiam poenitentiam et absolutionem. Iam vero fides etiam sola justificat apud Lutheranos et multo magis poenitentia cum fide et maxime omnium absolutio cum fide et poenitentia, quia tunc annuntiatur remissio peccatorum ex verbo Dei et fide apprehenditur. Quid igitur facit eucharistia? Certe peccata invenit sublata et purgata.* Respondemus: haec omnia facile explicantur, modo verus quaestionis status constituatur. Nequaquam finem eucharistiae constituimus peccatorum remissionem hoc sensu, 1. quasi negemus, finem eucharistiae esse spiritualem nutritionem, haec enim sunt subordinata; 2. vel quasi statuamus, etiam impoenitentibus et in peccatis contra conscientiam haerentibus adeoque sine fide accedentibus per usum eucharistiae contingere remissionem peccatorum; 3. vel quasi negemus, veram et seriam probationem sui ante usum sacrae coenae praemittendam; sed huc respicimus: 1. quod eucharistiae usus in credentibus peccatorum remissionem confirmet et obsignet. Qui enim praegressa seria contritione fidem habet in haec verba, quod corpus, cujus in sacra coena fit particeps, sit in mortem pro
X. 377. nobis traditum et quod sanguis, quem in sacra coena bibit, pro peccatis nostris in ara crucis sit effusus, illi certe promissio de gratuita peccatorum remissione obsignatur et confirmatur. Nequaquam dicimus, bibitionem sanguinis Christi in eucharistia esse causam meritoriam remissionis peccatorum, hoc enim pertinet ad effusionem sanguinis in cruce; sed hoc volumus, quod sanguis Christi in sacra coena sumtus sit medium remissionem peccatorum obsignans et actu exhibitam esse confirmans omnibus cum fide accedentibus. Quemadmodum igitur Bellarminus disputat lib. 1. de missa c. 25. *sacrificium missae ideo remittere peccata, quia applicat pretium redemtionis et remissionis peccatorum;* ita quoque a pari argumentari possumus, usum coenae Dominicae remittere peccata, quia applicat et obsignat credentibus remissionem peccatorum obedientia et passione Christi acquisitam. 2. Quod usus sacrae coenae fidem nostram confirmet, generalem evangelii promissionem de remissione peccatorum etiam ad nos in specie pertinere atque ad foedus illud novi testamenti, quod complectitur remissionem peccatorum, per veram poenitentiam et fidem iterum nobis patere aditum nosque in illud fideli sanguinis Christi bibitione recipi, siquidem bibamus illum sanguinem, quo novum testamentum sancitum est et confirmatum. 3. Quod fides promissionem de remissione peccatorum amplectens non nitatur perfectione nostrae contritionis aut opinione propriarum satisfactionum, sed unice respiciat Christum, qui et merito et efficacia est salvator noster, siquidem non solum in ara crucis corpus suum pro nobis in mortem tradidit et sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit, sed etiam illud ipsum redemtionis et remissionis pretium, id est corpus et sanguinem suum, in sacra coena nobis exhibet et manducandum ac bibendum praebet, ut hac corporis et sanguinis sui exhibitione nos confirmet et certos reddat, quod omnia beneficia sua traditione corporis et effusione sanguinis parta, inter quae eminet remissio peccatorum, nobis donare, exhibere et applicare velit. 4. Quod fides piorum in hac vita perpetuo conflictetur cum infirmitate et variis tentationibus. Quamvis igitur verbum evangelii in absolutione testetur, vere nobis propter Christum remissa esse peccata, tamen fides grata mente etiam in sacramento eucharistiae confirmationem et obsignationem tanti beneficii quaerit, etenim cum in hoc sacramento ex institutione et ordinatione Christi corpus ipsius pro nobis in mortem traditum manducemus et sanguinem ipsius pro peccatis nostris effusum bibamus, ideo in eo de remissione peccatorum firmam consolationis, fiduciae et certitudinis ancoram, adeoque efficax antidotum ad erigendam et sustentandam languidam fidem in luctu et tentationibus habemus. 5. Quod Filius Dei in vero et salutari eucharistiae usu testetur, se credentes sibi ut membra inserere, impuritatem carnis peccatricis suo corpore et sanguine velut umbraculo coram Dei judicio tegere eosque gestare, sustentare et vivificare, ut magis magisque ipsi conjungantur et beneficia fide accepta firmius retineant. Sic ergo conjunctio nostra cum Christo, quae fit per sacramentum eucharistiae, nequaquam opponitur peccatorum remissioni, sed eam potius includit.

219. Haec omnia si prope expendantur, facile apparet, quid roboris insit Bellarmini responsionibus, quas D. Chemnicio opponere voluit. Ex ipsis institutionis verbis hoc modo argumentatur Chemnicius: Ipse Filius Dei eucharistiam nominat novum testamentum et Jeremias affirmat, in novo testamento comprehendi hoc pactum: *Propitius ero iniquitati eorum et peccati eorum non recordabor amplius.* Et quidem in ipsa institutione Christus expressis verbis nominat remissionem peccatorum dicens: *Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Bellarminus varia quaerit effugia: 1. dicit, *testamentum novum variis modis accipi. Primo pro voluntate testatoris, quo modo eucharistia non sit testamentum. Secundo pro haereditate seu bonis a testatore legatis, quo modo eucharistia itidem non sit testamentum. Tertio pro instrumento publico, quod simul sit et signum voluntatis testatoris, et causa instrumentalis applicandae haereditatis, quo modo eucharistia dici possit testamentum novum.* Respondemus: quo sensu eucharistia sit et dicatur novum testamentum, exposuimus superius §. 4. Quando testamentum dicitur *voluntas testatoris*, non intelligitur interior ejus cogitatio, sed expressio voluntatis exterior verbis testamenti facta, X. 378.

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta.

Digitized by Google

sive ut Modestinus loquitur, *voluntatis justa sententia.* Hoc sensu eucharistiae institutio dici potest Christi testamentum, quia Christus in hujus sacramenti institutione paulo ante mortem suam facta voluntatis suae sententiam nobis exposuit. Nec altera significatio testamenti plane aliena est ab hoc sacramento, quia Christus testator discipulis suis et omnibus vere credentibus velut heredibus suis in hoc testamento legavit pretiosissima bona, remissionem scilicet peccatorum, gratiam Dei, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam. Sed demus, eucharistiam tertio tantum modo testamentum dici, videlicet quia simul est signum voluntatis testatoris et causa instrumentalis applicandae hereditatis; ex eo certe immote colligitur, remissionem peccatorum non posse ab hoc testamento excludi, cum ad hereditatem illam pertineat, cujus applicandae instrumentum eucharistiam esse Bellarminus concedit, unde sic colligimus: quod est causa instrumentalis applicandae hereditatis a Christo nobis acquisitae, illud est etiam causa instrumentalis applicandi remissionem peccatorum; ratio est, quia ad hereditatem a Christo nobis acquisitam pertinet remissio peccatorum. Atqui sacramentum eucharistiae est causa instrumentalis applicandae hereditatis a Christo nobis acquisitae. Ergo est etiam causa instrumentalis applicandi remissionem peccatorum. 2. Sed videamus, quomodo vim hujus argumenti infringere conetur. *Si eucharistia dicatur novum testamentum, quia est signum voluntatis testatoris, tamen nulla est difficultas. Quia enim eucharistia est signum et repraesentatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis testatoris et omnium bonorum nobis promissorum atque adeo etiam remissionis peccatorum. Sic ergo in eucharistia continetur remissio peccatorum, quatenus per eam repraesentatur effusio sanguinis Domini, per quam omnia peccata remittuntur, non autem ex eo inferendum, quod bibatur sanguis in remissionem peccatorum.* Respondemus: finis institutionis eucharistiae non est repraesentatio passionis, sed communicatio corporis et sanguinis Christi, ut suo loco plenius docuimus. Quia ergo per calicem eucharisticum non repraesentatur effusio sanguinis Christi in cruce (alias enim calix esset effundendus), sed bibitur ex eo Christi sanguis in remissionem peccatorum effusus, ergo bibitio illa sanguinis ex calice confirmat et obsignat in credentibus remissionem peccatorum. Pertinet huc pulcherrima gradatio Lutheri: *Calix eucharisticus continet vinum. Vinum exhibet Christi sanguinem. Sanguis Christi complectitur novum testamentum, quia est novi testamenti sanguis. Novum testamentum continet remissionem peccatorum. Ergo bibitio ex calice eucharistico applicat, obsignat et confirmat credentibus promissionem de remissione peccatorum.* Sacramentum illud ipsum, quod signat, etiam confert et exhibet. Sacramentum eucharistiae est signum remissionis peccatorum. Ergo eandem confert et exhibet. Utraque propositio est Bellarmini; prior quidem libr. 1. de sacramentis c. 9. membr. 6. posterior vero hoc loco. *3. Si dicatur eucharistia testamentum ut causa instrumentalis applicandae hereditatis, tum respondemus* (inquit Bellarminus), *esse quidem eucharistiam etiam hoc modo testamentum, sed applicari per eam hereditatem alio modo quam per alia sacramenta.* Respondemus: quis vero hoc negat? Promissio de remissione peccatorum in sacramento baptismi applicatur, obsignatur et confirmatur affusione aquae facta in nomine S. Trinitatis; in eucharistia applicatur manducatione corporis et bibitione sanguinis Christi, interim tamen est et manet eadem hereditas, idem beneficium, licet medium applicationis et obsignationis sit diversum. Pergit Bellarminus, *per eucharistiam applicari Christi merita et gratiam Dei, quae est hereditas, non proprie ad peccata remittenda, sed ad animam nutriendam et praeservandam a peccatis.* Respondemus: imo vero in usu eucharistiae statuendum est, fieri in credentibus applicationem et obsignationem omnium beneficiorum Christi mediatoris. Quia enim in eucharistia accipimus illud Christi corpus, quod pro nobis traditum X. 379. est, et sanguinem illum novi testamenti, qui in remissionem peccatorum effusus est, quis neget, credentes ibi percipere thesaurum omnium beneficiorum Christi? accipiunt enim illud, *in quo peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis communicatur,* quae sunt verba D. Chemnicii. Quomodo ergo probat Bellarminus, hereditatem in eucharistia non applicari nobis integram? *In baptismo*, inquit, *applicantur nobis Christi merita per modum lavacri ad abluendas maculas; in sacramento poenitentiae applicantur per modum emplastri vel pharmaci ad curanda vulnera; in eucharistia autem applicantur per modum cibi et potus ad reficiendum et nutriendum et praeservandum a morbis.* Respondemus: tam in eucharistia quam in baptismo credentibus applicantur et obsignantur omnia Christi beneficia, cum fidei confirmatio, augmentum et obsignatio sit finis generalis omnium sacramentorum. Relinquimus quidem et tribuimus cuique sacramento quod cujusquam proprium est (inquit Chemnicius), per baptismum in Christo renascimur, renati verbo et eucharistia alimur; lapsi per poenitentiam et fidem ad promissionem gratiae revertimur et ejus fide propter mediatorem Deo rursus reconciliamur. Et tamen ab hoc etiam usu eucharistiae, quae continet fundamentum remissionis peccatorum, corpus scilicet et sanguinem Christi, non excludimur; Filius Dei enim in eucharistia praestantissimo et certissimo pignore, exhibitione scilicet corporis et sanguinis sui, testatur, se singulis fide hoc sacramento utentibus certo communicare, applicare et obsignare remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo et reliqua sua beneficia, quae traditione sui corporis et effusione sui sanguinis ecclesia ita acquisivit, ut verbo et sacramentis offerrentur et fide acciperentur. 4. Tandem igitur concedit Bellarminus eucharistiam etiam applicare hereditatem, quantum ad remissionem peccatorum. *Posset etiam dici,* inquit, *eucharistiam applicare hereditatem etiam quan-*

Digitized by Google

tum ad remissionem peccatorum (cur ergo toties id negatum ivit? audi vero limitationem), *sed tamen solum cum ea est necessaria* (atqui credentibus quotidie est necessaria peccatorum remissio, cum ex institutione magistri sui quotidie orent, *remitte nobis peccata nostra).* Quando vero Bellarminus judicat, peccatorum remissionem esse necessariam? *cum ii* (inquit) *qui non indigne accedunt, habent aliqua peccata mortalia, quorum tamen conscientiam non habent.* Concedit ergo Bellarminus, etiam mortalium peccatorum remissionem per eucharistiam applicari, eorum scilicet, quorum conscientiam non habent, qui in vera poenitentia et fide accedunt; idem vero et nos dicimus, qui enim in peccatis contra conscientiam adhuc haerent ac sine poenitentia, sine fide, sine proposito melioris vitae accedunt, illis tantum abest, ut remissionem peccatorum mortalium usu eucharistiae applicari statuamus, ut judicium potius illos manducare ac bibere sonora voce profiteamur. Ex his de reliquis, quae contra Chemnicium disputantur, facile potest fieri judicium.

220. Neo-Photiniani itidem negant, fidem nostram usu sacrae coenae confirmari, catech. Racov. p. 217. ** Schmalzius in refut. thes. D. Frantz. p. 332: *Non est dissimulandum, quam graviter errent omnes Lutherani, dum id quod morti Christi tribuere debebant, ceremoniae huic externae* (coenae Domini), *quae est commemoratio istius mortis, tribuunt. Mors enim Christi est, quae nos omnes et singulos certos reddit de divina benignitate* etc. *hoc ergo dum coenae Dominicae asscribit Frantzius, non procul abest ab aliqua idololatriae specie.*** Quod in fanaticis illis mirum non est, cum ipsum fidei fundamentum, Christi scilicet meritum et satisfactionem, negent, cumque Christi corpus vere et realiter in coena praesens esse totis viribus inficientur, contra autem statuant, sacram coenam non esse sacramentum aliquod, in quo Deus
X. 380. coelestia beneficia nobis dispenset, sed nostrum opus, quo Deo aliquid damus, honorem scilicet et obedientiam nostram ipsi probantes. Utuntur autem hisce potissimum rationibus, si modo rationes sint dicendae: *1. Manducatio et bibitio in mente hominis nihil efficere ac procurare potest.* Respondemus: confunditur manducatio naturalis cum sacramentali. Per symbola externa in verbo et sacramentis dispensat nobis Deus bona coelestia, nec per immediatos afflatus, sed mediate per ministerium verbi et sacramentorum regenerationem ac renovationem in animis nostris operari ipsi placuit, qua de re plura suo loco. *2. Ne minimum quidem vocabulum hac de re in sacris literis exstat.* Respondemus: imo vero Christi institutio diserte testatur, exhiberi nobis illud ipsum corpus, quod in mortem pro nobis traditum, et ipsum illum sanguinem, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus, quo pretiosissimo pignore fides nostra de gratia Dei, Christi morte parta, mirifice confirmatur. Repetantur hoc loco ea, quae de fidei confirmatione per usum sacrae coenae ex Scripturis superius fuerunt prolata. *3. Remissio peccatorum non contingit nobis propter recordationem mortis Domini, sed propter mortem ipsam.* Respondemus: turpissime confunduntur et meritum et applicatio meriti. Negant Photiniani ipsum Christi meritum, quid mirum, quod de applicatione illius meriti gravissime errent?

CAPUT XXI.

DE CONVIVIS, QUI AD HOC COELESTE EPULUM ADMITTENDI SUNT.

221. Egimus hactenus de omnibus causis, videlicet de efficiente, materia, forma et fine hujus mysterii; consequens est, ut de objecto ejusdem, hoc est de convivis, quibus coeleste illud epulum a Christo institutum quique ad illud admittendi sint, in posterum disseramus, ubi dicimus, solis Christianis, hoc est illis, qui doctrinam Christi amplectuntur, qui baptismi sacramentum susceperunt et ecclesiae Christianae inserti sunt, eucharistiam esse institutam ac proinde illos solos ad eam esse admittendos. 1. Quia Christo in prima sacrae coenae institutione et administratione res fuit cum suis discipulis, teste evangeliorum ternione. Jam vero ut in V. T. duodecim filii patriarchae Jacobi repraesentarunt totum populum Israëliticum, Exod. 28, 10. Jos. 3, v. 12. cap. 4, v. 1. Apoc. 21, v. 12. ita quoque duodecim apostoli in N. T. repraesentarunt totum populum Christianum et omnes Christi discipulos. Siquidem ut ex duodecim filiis Jacobi patriarchae, Israëlis a Deo appellati, omnes Israëlitae per carnalem generationem descendunt; sic per verbum apostolorum tota ecclesia Christiana spirituali generatione in N. T. est proseminata Johann. 17, v. 20: *Non pro illis tantum rogo, sed etiam pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* 2. Quia sacramenta sunt bona ecclesiae propria, proinde qui sunt extra ecclesiae pomeria constituti, ad eorum usum non sunt admittendi, 1. Cor. 5, v. 12: *Quid mihi de illis, qui foris sunt, judicare? nonne de iis, qui intus sunt vos judicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.* 3. Quia Christus diserte prohibet *sanctum dare canibus et margaritas projicere porcis*, Matth. 7, v. 6. jam vero qui sunt extra coelestem Hierosolymam constituti, vocantur canes Apoc. 22, v. 15. quo etiam referri potest aliquo modo dictum Christi Matth. 15, v. 26: *Non est bonum sumere panem filiorum et projicere canibus.* 4. Quia Ephesii et sub persona eorum reliqui omnes ex gentilitate ad Christum conversi ante suam vocationem dicuntur ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, Ephes. 2, v. 12. jam vero Christus eucharistiam vocat *novum testamentum* Luc. 22, v. 20. unde sic colligimus: Qui sunt alienati a politia Israëlis, hoc est extra ecclesiae pomeria constituti, illi etiam sunt alienati ac peregrini X. 381.
a testamentis promissionis. Qui sunt alieni a testamentis promissionis, illi etiam ad sacramenta testa-

Quibus instituta sit sacra coena.

1. Christianis.

menti et promissionis sigilla non sunt admittendi. 5. Quia ad sacramentale epulum agni paschalis non fuerunt admissi, nisi qui per circumcisionis sacramentum in consortium ecclesiae Israëliticae prius fuere recepti. Exod. 12, v. 43: *Haec est religio Phase: omnis alienigena non comedet ex eo;* v. 44: *omnis autem servus emtitius circumcidetur et sic comedet;* v. 48: *si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit eritque sicut indigena terrae. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Jam vero sacramentum agni paschalis fuit typus eucharistiae, sicut circumcisio baptismi, ut ostendimus superius §. 12. Ergo ad eucharistiam admittendi non sunt, nisi qui baptizati prius fuerint. 6. Quemadmodum prius est nasci quam pasci in vita naturali; ita quoque per baptismum ex aqua et Spiritu prius oportet nos renasci, antequam Christi corpore et sanguine ad vitam aeternam alamur, Johann. 6, v. 54. Quo pertinet praxis veteris ecclesiae, in qua catechumeni a baptismo demum ad mensam Dominicam sunt adducti, ut monuimus statim in principio hujus tractatus. Quotquot igitur sunt extra ecclesiam, hoc est pagani, Turcae et Judaei, ad eucharistiam admittendi non sunt, priusquam Christo dent nomen et in Christum baptizentur.

Qui se ...bare ...sunt. 222. Neque vero promiscue omnes Christiani ad sacram coenam admittendi sunt, sed juxta regulam Paulinam illi solum, *qui sese probant* 1. Cor. 11, v. 28. hoc est *qui se ipsos dijudicant* v. 31. corpus Domini a reliquis vulgaribus cibis *distinguunt* v. 29. *et mortem Domini annuntiant* v. 26. Excluduntur igitur omnes illi, qui se probare vel nolunt vel non possunt, utpote 1. imbuti haeresi, hoc est qui in errore contra fundamentum fidei neglectis admonitionum gradibus pertinaciter et praefracte perseverant, illi enim cum per haeresin a consortio verae ecclesiae se ipsos segregent, ideo etiam ad sacramenta, quae sunt bona ecclesiae propria, neutiquam admittendi erunt, quo in specie pertinent illi, qui veram et substantialem corporis et sanguinis Christi praesentiam in sacra coena pertinaciter negant. Matth. 7, v. 6: *Nolite sanctum dare canibus*, jam vero haeretici vocantur canes Phil. 3, v. 2. 1. Cor. 11, v. 29: *Qui indigne manducat et bibit, judicium sibi ipsi manducat et bibit, eo quod non discernit corpus Domini*, hoc est non credit, corpus Christi in hoc sacramento vere adesse et mediante benedicto pane distribui. Tit. 3, v. 10: *Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita.* 2. Joh. v. 10: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis;* v. 11: *qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Distinguendum tamen inter errores fundamentum fidei et salutis evertentes atque inter dissensiones circa quaestiones quasdam non concernentes ipsum fidei fundamentum, per quas unitas in Christo minime evertitur. Distinguendum etiam inter eos, qui ex ignorantia vel infirmitate errores quosdam amplectuntur et inter eos, qui neglectis omnibus informationibus et admonitionibus in erroribus perseverant. Qui retento fidei fundamento erroneas opiniones quidem fovent, interim tamen paratos se profitentur informationem suscipere et meliora docenti credere, illi spiritu lenitatis et mansuetudinis ferendi, informandi et instaurandi sunt, Gal. 6, v. 1. neque ex consortio ecclesiae vel ab usu eucharistiae morose statim arcendi. Hac de re in constitut. eccles. electorali articul. generali 8. pag. 314. sic statuitur: Die im Glauben vom Heil. Abendmahl irrig worden, sollen die Pfarrer mit dem Geist der Sanftmuth aus Gottes Wort gründlich berichten, und die gradus admonitionum mit denselben, wie auch andern halten, wenn sie aus Gottes Wort nothdürftiglich unterwiesen worden.

223. 2. Notorii peccatores, qui obstinate in publicis delictis et sceleribus contra conscientiam perseverant neque ullam verae poenitentiae significationem edunt. Tales ad sacram coenam admittendi non sunt, tum propter dignitatem hujus sacramenti, Matth. 7, v. 6: *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projicere porcis;* jam vero impoenitentes et in luto peccatorum pertinaciter haerentes dicuntur canes et porci Prov. 26, v. 11. 2. Pet. 2, v. 20. 22. Tum propter praesentissimum periculum, quod ex indigna manducatione ad ipsos redundat, 1. Cor. 11, v. 27: *Qui manducat et bibit indigne, reus est corporis et sanguinis Domini;* v. 29: *ac judicium sibi ipsi manducat et bibit.* Tum denique propter communicationem peccati alieni, cujus sese participem reddit minister ecclesiae notorios et impoenitentes peccatores ad hoc coeleste convivium admittendo, 1. Tim. 5, v. 22: *Ne communices peccatis alienis.* Constit. eccles. electoral. art. gener. 7. p. 311: Das Sacrament unehren nicht allein, die es unwürdig empfahen, sondern auch, die es mit Unfleiß unwürdig geben. Unde graviter pronuntiat Chrysostomus homil. 83. in Matth. *malle se sanguinem et vitam suam profundere, quam cum vulnere conscientiae indignos ad sacram coenam admittere.* Immundi ab usu agni paschalis arcebantur, Num. 9, v. 6. quanto magis illi, qui in immundicie peccatorum graviorum sine vera poenitentia pertinaciter haerent, a communione sacrae coenae arcendi fuerint? *Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum tali non cibum sumite*, praecipit apostolus 1. Cor. 5, v. 11. quanto minus tales ad coeleste hoc epulum cum reliquis admittendi erunt? Huc in specie pertinent illi, qui cum proximo, quem offenderunt, nondum reconciliati sunt, sed ferventes irae atque odii flammas in corde circumgestant, quibus inculcandum illud Christi Matth. 5, v. 23: *Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te;* v. 24: *relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliare fratri tuo et tunc veniens offeres munus tuum.* Distinguendum tamen inter peccata notoria et occulta, quae soli ministro ecclesiae vel paucis quibusdam nota sunt. Itemque inter peccatores im-

X. 382. 2. Peccatores notorii.

...ha- ...star ...tur Hae- ...tici.

poenitentes et inter eos, qui aliquam verae poenitentiae significationem edunt. Certe Christus Judam una cum reliquis ad usum eucharistiae admisit, ut colligitur ex Luc. 22, v. 20. Quanquam enim Judas jam tum in corde constitutum habebat Christum prodere, quin imo mercedem iniquitatis jam tum acceperat, interim tamen gravissimum illud peccatum soli Christo, nequaquam vero ulli ex apostolis eo tempore notum erat, quaerunt enim invicem Luc. 22, v. 23. *quisnam sit proditor ille futurus;* ideo Christus praegressa gravi et seria praemonitione, ut a peccato illo desistat, Judam una cum reliquis ad sacram coenam admittit. Exemplo igitur Christi minister ecclesia illos, quorum peccata adhuc occulta sunt, ab usu sacrae coenae non excludat, sed graviter et serio de exitiali manducatione indignorum ipsos praemoneat et ad veram poenitentiam hortetur. Illos etiam, qui lapsu aliquo praeoccupati sunt, interim tamen peccata sua agnoscunt, serio deplorant et emendationem pollicentur, quin etiam peccata sua notoria et graviora in facie ecclesiae deprecantur, illos, inquam, minister ecclesiae nequaquam ab usu coenae arceat, sed promto animo recipiat et cum ecclesia prius reconciliatos ad sacram coenam admittat. Notorios vero et impoenitentes peccatores, qua moderatione tractare debeat, exponit constit. eccl. elector. artic. generali 7. p. 312. hisce verbis: Die in ihren Sünden unbußfertig verharren und sich nicht bessern wollen, sollen zur Communion nicht zugelassen werden, doch mit ihnen nicht geeilet, sondern die gradus admonitionum vorgenommen, und also niemand allein auf eigne Erkenntniß der Pfarrherrn vom heil. Abendmahl abgehalten werden. Et postea art. gen. 10. p. 320: Es soll niemand vom heiligen Abendmahl abgehalten, viel weniger öffentlich in Bann gethan werden, er sei denn impoenitens, das ist, er erzeige sich denn also, daß
X. 383. er alle Vermahnung verachte, und gänzlich keine Besserung zu hoffen sei. Welches doch weder auf die erste oder andere Vermahnung geschehen soll, sondern wenn gegen ihn vermöge der Lehre Christi die gradus admonitionum, das ist die ordentliche Vermahnungen nach einander gehalten und keine Besserung erfolget, für die Kirchen, das ist für die Verordneten des Consistorii, gestellet und also zum letzten mal ernstlich zur Besserung vermahnet werden, und da er sich noch unbußfertig erweisen, und die Obrigkeit gebührende Strafe nicht gegen ihn vorgenommen, dadurch zur Erkenntniß seiner Mißhandlung gebracht werden möchte, als denn erst auf Erkenntniß des Synodi und zuvor nicht, solcher Ernst gegen ihn vorgenommen werden soll. p. 321: Da sich ein unversehener Casus zutrüge, daß ein Pfarrherr Bedenkniß hätte, deßwegen jemand aus seinen Pfarrkindern zum heil. Abendmahl zuzulassen, soll er, da es Verzug zu leiden mag, solches alsbald an seinen ordentlichen Visitatorn gelangen lassen und seines Bescheides erwarten, damit kein Pfarrherr etwas in solchen Sachen unbedächtig oder unordentlich aus seinem eigenen Kopf vornehme oder handele, ꝛc. Monendum etiam hoc loco eos, quo controversias habent coram magistratu, non esse ab usu coenae temere arcendos, si controversias magistratui et juri permittant, nec exerceant odium erga personas, sed jus suum postulent et urgeant justis modis, quia jus civile est ordinatio divina.

224. 3. Excommunicati ante publicam cum ecclesia reconciliationem, quia tam minor quam major excommunicatio suspensionem ab usu sacramentorum complectitur. Matth. 18, v. 17: *Si quis ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus.* Interim tamen si excommunicati morbo letali oppressi communionem a ministro ecclesiae petant, ad eam omnino admittendi sunt, ubi prius testati fuerint, se ex animo dolere de admissis peccatis et polliciti fuerint reconciliationem cum ecclesia post impetratam a Deo sanitatem. Constat enim ex historia veteris ecclesiae, quod ante expleta poenitentiae tempora moribundis absolutionem et sacrae coenae communionem impertiverint. Sic in concilio Niceno can. 13. statuitur, *nemini poenitentium in mortis articulo sacram communionem denegandam esse.* Idem ostendit historia Serapionis, quam Eusebius l. 6. hist. eccles. c. 44. ex epistola Dionysii Alexandrini episcopi commemorat: *Serapion quidem erat fidelis senex, qui diu quidem inculpate vixerat, in persecutione vero ceciderat. Hic saepenumero recipi petierat, verum nemo illi attenderat, sacrificaverat enim. In morbo autem constitutus totum triduum mutus et sensuum facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die nonnihil convaluisset, nepoti ex filia ad se vocato dixit: Quousque o fili, detinetis me? obsecro properate et velociter absolvite, voca ad me aliquem ex presbyteris. Quibus dictis iterum obmutuit. Currit puer ad presbyterum, erat autem nox, presbyter aegrotabat, adeoque ire cum puero non poterat. Quoniam vero mandaveram morituros, si petant et maxime si etiam ante suppliciter petierant, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum eucharistiae puero dedit jussitque ut id infunderet et in os senis instillaret. Puer redit adferens eucharistiam. Cum autem e vicino esset, antequam ingrederetur, rursus Serapion: Venis, inquit, fili? Presbyter quidem venire non potest, tu vero confestim facito, quod ille praecepit, meque dimitte. Infudit puer ac simul ori senis instillavit. Qui cum parum gustasset, mox spiritum reddidit. An non perspicue hic senex tantisper detentus fuit, donec absolveretur et a peccato liberatus coram multis, quas fecerat, confiteri posset?*

2. Excommunicati.

225. 4. Obsessi, furiosi et rationis usu destituti, illi namque nec se ipsos probare, nec corpus Domini discernere possunt, quod tamen ab omnibus hujus coelestis convivii hospitibus tam graviter et serio apostolus requirit, 1. Cor. 11, v. 28. et 29. Si qui tamen lucida amentiae vel furoris habent intervalla, illos ab usu sacrae coenae excludi fas non erit, si debitam sui probationem indiciis minime dubiis reddiderint manifestam. X. 384. 5. Personae infames, hoc est illi qui talibus artibus dant operam, quibus sine peccato mortali incumbere nequeunt, quales sunt magi, necromantici, lenones, manifesti usurarii, gladiatores,

4. Obsessi, furiosi, dementes.

5. Personae infames.

qui ad mortem usque invicem depugnant, et similes, illi ad sacram communionem admittendi non sunt, priusquam damnabilium istorum artificiorum omissione veram et seriam suam poenitentiam demonstrent. Neque tamen carnifices, lictores et facinorosi supplicio adjudicati, licet pro infamibus personis passim censeantur, ab usu sacrae coenae excludendi sunt. Officium enim lictorum et carnificum in se ac per se nec illicitum est, nec infame, sed justitiae ministerium magistratui politico debitum et publicae tranquillitati serviens. Facinorosi supplicio adjudicati, si vere et serio de admissis peccatis doleant, vera fide Christi beneficia apprehendant et meritas peccatorum poenas patienter sustineant, tam non possunt ab usu coenae excludi, quam poenitens latro in cruce ex paradiso non est a Christo exclusus, Luc. 23, v. 43.

[Qu.] 1: [An] muti eu[ch]ari[sti]am [ad]mit[te]ndi [sin]t.

226. Quaeritur hoc loco 1: *Quid statuendum sit de mutis, an illi ad eucharistiam admittendi sint, nec ne?* Respondemus: Si non potest ex gestibus externis sciri, num debitam sui probationem afferant, arcendi sunt; si vero indiciis et gestibus externis poenitentiam, fidem ac devotionem suam testentur, admittendi. Lutherus in serm. de N. T. circa finem tom. 1. Jen. Germ. f. 318. et tom. 7. Witteberg. p. 38: Es haben etliche gefraget, ob man den Stummen auch soll das Sacrament reichen. Etliche meinen sie freundlich zu betrügen, und achten, man soll ihnen ungesegnete Hostien geben, der Schimpf ist nicht gut, wird Gott auch nicht gefallen, der sie so wohl zu Christen gemacht hat als uns, und ihnen eben das gebührt, das uns. Darum so sie vernünftig sind, und man aus gewissen Zeichen merken kann, daß sie es aus rechter Christlicher Andacht begehren, wie ich oft gesehen habe, soll man dem Heil. Geist sein Werk lassen und ihm nicht versagen, was er fordert, es mag sein, daß sie inwendig höhern Verstand und Glauben haben, denn wir, welchem niemand soll frevel widerstreben. Christus ließ die Kinder zu ihm kommen, wollte nicht leiden, daß ihnen jemand wehret, so hat er auch seine Wohlthat weder Stummen, noch Blinden, noch Lahmen versaget, warum sollte denn sein Sacrament nicht auch denen werden, die sein herzlich und christlich begehren. D. Eberus pastor ecclesiae Wittebergensis in lit. ad quendam ministr. eccles. datis 12. Junii ann. 1561. sic scribit: *Reverende Domine pastor, ego quoque sum in ea sententia tecum, ut putem, sacrosanctam coenam Domini cum summa reverentia et judicio tractandam et non facile admittendos esse, qui vel per aetatem vel alium defectum prorsus non intelligunt verum usum sacramenti, cum Paulus diserte praecipiat, probet se ipsum homo etc. Sed quia scribis, hunc mutum et surdum, de quo consultus es, longo tempore assiduum fuisse spectatorem ceremoniarum et talia signa edere, ex quibus conjectura capi potest, eum aliquid tamen ratiocinari de re, quae ibi exhibetur, et de fine, cur sumatur; ego sane ita cupide expetentem usum coenae nescio an queam arcere a sacra synaxi, si mihi talis casus in hac ecclesia objiceretur. Experimur in ejusmodi imbecillibus, ut in pueris et aliis, interdum lucem et operationem Spiritus sancti mirabiliter efficacis, aliquando per picturas non aliter, quam per vivam vocem auribus haustam. Vellem tamen, si adhibitis picturis posset ejus captus et intellectus de praecipuis partibus catecheseos explorari, ut ad sequentem modum examinaretur. 1. An agnoscat, se peccatorem esse; 2. quis pro peccatis satisfecerit; 3. quem Deum invocet; 4. quot sint personae divinitatis; 5. an credat, se baptizatum; 6. an expetat absolvi a peccatis per ministerium; 7. an corde et mente invocet Deum; 8. an serio expetat eucharistiam; 9. an velit pie vivere et peccata vitare. Et si quid tale monstratione picturarum et gestibus confessionis loco ederet, atque sic conspicerentur signa mentis non prorsus alienae a doctrina funda-* X. 385.
menti, vellem eum in nomine Domini ad coenam Domini admittere. Et audivi talia exempla, ubi tales muti et surdi ab aliis quoque admissi sunt ad communionem. Christus certe ad se admisit et sanavit surdum et mutum, Marc. 7. Et antiquitas, ut Augustinus refert, etiam infantes voluit fieri participes corporis et sanguinis Christi. Puto igitur, in tali casu adhibita prudentia et reverentia debita posse muto et surdo concedi usum sacratissimae coenae Domini. Haec D. Eberus. Johan. Gallus, professor Erphordiensis in methodo doctrinae de coena edita Erphord. ann. 1578. q. 6. sic scribit: *Mutis omnino porrigendum est sacramentum, si tamen ex evidentibus signis animadvertitur, quod se peccatores, Christum vero suum salvatorem agnoscant et toto corde hoc sacramentum appetant, sicut ego hic Exfordiae aliquoties cuidam muto eique simul surdo coenam exhibui, qui eam desiderans oculis sursum ad coelum sublatis manibusque complicatis alte suspirabat et deinde mensam cum Christo adstante et discipulis assidentibus panem et calicem distribuente in scamnum sive parietem pingebat ac postea accepta absolutione devotissime ad altare corpus et sanguinem redemtoris sumturus accedebat.* Haec ille. Cum in aula principis laudatissimi Johannis Casimiri Saxoniae ducis an. 1613. sacris confessionibus audiendis vacante aulici concionatoris munere praeficeret, accedebat inter reliquos quidam mutus et surdus ex principis famulitio, qui non solum mirabilibus gestibus peccatorum suorum agnitionem et fidem in Christum testabatur, sed etiam confessionem peccatorum manu sua scriptam exhibebat, quem una cum reliquis ad usum sacrae coenae admittere non verebar.

227. 2. Quaeritur, *quid cum abstemiis agendum?* Qu. 2: Quid cum abstemiis agendum.
Respondemus: Pontificii propter abstemios unius tantum speciei usum introducere satagunt, ut ex Bellarmino, Becano et aliis apparet; sed cum rarissimi sint tales abstemii, qui ita abhorrent a vino, ut non possint guttulas aliquot exhaurire, ideo praeposterum, iniquum et temerarium est propter unum itemque alterum, qui forte non utitur vino, totam ecclesiam usu sacri calicis privare, ut monuimus superius §. 67. memb. 3. Si qui plane aversantur vinum, ut

Digitized by Google

nec guttulas aliquot sine praesentissimo vomitionis periculo assumere possint, illis quidam suadent panem solummodo consecratum exhibere, sed cum calix sit pars essentialis eucharistiae, ideo praestat tales ab usu coenae abstinere, quam contrarium aliquid divinae institutioni suscipere. Docendi sunt tales abstemii, quorum tamen paucissimi inveniuntur, non privationem, sed contemtum sacramenti damnare; monendi, ut crebro et devote administrationi sacrae coenae intersint atque una cum reliquis ad sacram coenam accedentibus spiritualem corporis et sanguinis Christi communicationem seriis precibus et gemitibus expetant. Johan. Gallus in libro proxime citato q. 2: *Abstemii, quorum natura ita fugit et reformidat usum vini, ut ne primis quidem labris illud gustare possint, omnino a mensa Domini sunt removendi et de spirituali manducatione bene erudiendi, de qua Augustinus inquit: Crede et manducasti. Quanquam enim abstemii non possunt uti sacramento propter naturalem ἀδυναμίαν, tamen vim sacramenti fide percipiunt, qua statuunt, iram Dei placatam esse passione et morte Filii corpus suum offerentis pro nobis et sanguinem suum fundentis in remissionem peccatorum.* Schopperus in disput. de coenae thes. 74: *Quidam statuunt, abstemios sub una specie communicare posse, cui sententiae et meus libellus de coenae ante hoc tempus editus adstipulatur; sed institutioni Christi minus derogare videtur, si abstemius ne guttulam quidem vini (meri) ferre possit, quae sumta in sacra coena sufficeret, ut pauxillo vino consecrato admisceatur aqua ac id exhauriatur, juxta agend. Norinberg.*** Chamierus tom. 4. panstrat. lib. 8. c. 11. n. 9: *Sciunt ipsi Papistae, a nobis tolerari usum unius speciei in iis, qui penitus vini gustum ferre non possunt.***

X. 386. Qu. 3: An etiam mortuis eucharistia instituta.

228. Quaeritur 3. *an etiam mortuis eucharistia instituta.* Respondemus: ex concilio Carthagin. III. can. 9. itemque VI. synodo universali in Trullo can. 84. colligitur, eucharistiam mortuorum ori olim impositam fuisse. Gregorius lib. 2. dial. c. 24. refert, Benedictum eucharistiam pectori cujusdam monachi demortui imposuisse, quod in concilio Altisiodor. can. 12. prohibitum. In libello Amphilochii refertur de Basilio, quod asservatam habuerit hostiam, quam etiam secum contumulari decreverat. Pontificii missas celebrant pro defunctis. Sed his et similibus eucharistiae abusibus opponimus institutionem Christi. Christus in verbis institutionis jussit mediante benedicto pane corpus suum manducare, mediante benedicto vino sanguinem suum bibere, et mortem suam annuntiare Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 26. Jam vero mortui nec manducationem, nec bibitionem, nec mortis Dominicae annuntiationem praestare possunt, Psal. 115, v. 17. Nec sacrificium quoddam pro mortuis, sed sacramentum pro vivis a Christo in eucharistia institutum esse alibi ostenditur.

Qu. 4: An infantibus eucharistia danda.

229. Quaeritur 4. *an infantibus eucharistia exhibenda?* Respondemus: Constat ex Dionysio, Cypriano, Augustino atque aliis patribus, eucharistiam etiam infantibus fuisse olim exhibitam propter locum Joh. 6, v. 53: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* **Augustinus epist. 93. et 106. it. lib. 5. hypognost. Maldonatus in comm. Joh. 6, v. 53. v. 111. et 116. testatur, *hunc errorem sexcentos circiter annos viguisse in ecclesia.* Moscovitae etiam pueros ad coenam admittunt, ut constat ex opere de variis rerum Moscovitic. auctoribus pag. 29.** Innocentius papa in sua summa c. 9: *Quia eucharistia augmentum dat gratiae, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset eucharistia in forma liquida sanguinis Dominici, vel in forma panis comminuta et contrita in aqua, quia si aliquid eis subtraheretur, de gratia aliquid deminueretur et ita minus haberent in coelo praemium, unde peccare dicunt, qui eis eucharistiam subtrahunt. Alii dixerunt, quod non esset parvulis danda eucharistia propter periculum ejectionis et quia nihil eis valeret, nisi deglutirent; sed ad hoc dixerant quidam magni viri, quod non exigitur in eucharistiae sumtione, nisi quod gustus invitetur et sapor sentiatur, sicut fit, cum dicitur baptizando, accipite salem sapientiae. Constat enim, quod non deglutiat sal, et tamen ex solo gustu salis habet effectum exorcismus in parvulo, unde pium esset dare eucharistiam omni parvulo cum tali cautela, quod si post gustum parvulus ejiceret, colligeretur illa rejectio et igne combureretur, sicut dicitur in Exodo, si quid residuum fuerit, igne comburetur.* Haec Innocentius, sed praxis ecclesiae Pontificiae id hodie non observat. Sic enim scribit Maldonatus in c. 6. Joh.: *Missam ego faciam Augustini et Innocentii primi sententiam, eucharistiam etiam infantibus necessariam, quae circiter sexcentos annos viguit in ecclesia multorum seculorum usu tanquam non necessariam, sed ne decentem quidem omissam.* Et Bellarminus libr. 1. de baptismo c. 9. resp. ad nonum argumentum Anabaptistarum: *Eucharistia instituta est, ut vitam spiritualem in baptismo acquisitam conservet ac nutriat, quod facit in rebus corporalibus cibus corporalis, qui vitam animalem conservat. Sicut igitur sine cibo potest aliquandiu vivi, nimirum donec naturalis calor non coeperit humorem vitalem consumere, sic quoque sine eucharistia potest conservari vita spiritualis, donec concupiscentiae calor non coeperit humorem gratiae et virtutum depasci, quod certe non accidit in infantia, sed in adulta demum aetate. Quare ipse etiam Dominus, ut indicaret, eucharistiam non esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte instituere, quod est unicum infantium alimentum, sed in pane et vino, quae ad solos adultos proprie pertinent.* (Sed hae rationes plus subtilitatis, quam X. 387. veritatis habent, inverti enim possunt, cum concupiscentiae calor etiam in puerulis se exserat, cum vita animalis sine cibo diu conservari nequeat, cum infantes paululum aetate progressi etiam ante usum rationis et pane et vino utantur.) Idem lib. 4. de euchar. c. 23. propos. 3: *Parvulis eucharistia gra-*

Digitized by Google

tiam conferret, et tamen, quia non indigent ea necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, non eis datur, neque a Catholicis, neque ab haereticis. Oblitus autem est Bellarminus Hussitarum, quos haereticis annumerat, qui non solum administratione coenae sub utraque, sed etiam communione parvulorum a Pontificiis dissident, neque enim pueris tantum, sed etiam sex septimanarum infantibus praebent eucharistiam diebus purgationis puerperae absolutis. Opinionem illam, quod parvulis exhibenda sit eucharistia, *molliter accipiendam esse* dicunt patres Tridentini sess 21. c. 4. Quod etiam facit Costerus part. 3. apol. p. 286. Quia vero et Bellarminus lib. 1. de eucharist. c. 6. et alii scriptores Pontificii statuunt, Christum Joh. 6. de sacramentali manducatione loqui, ideo mature dispiciant, quid Augustino locum illum vehementer urgenti respondere velint. Wolffgangus Musculus etsi non vult esse ἔξαρχος hujus moris, admittendi scilicet infantes in communione coenae, tamen eandem non improbat in loc. comm. p. 371. Sed enim cum parvuli usu rationis destituti se ipsos probare et corpus Domini discernere per aetatem nequeant, quod tamen ab omnibus hujus coelestis convivii hospitibus apostolus requirit 1. Cor. 11, v. 26. 28. 29. ideo ab usu sacrae coenae merito arcentur. Dictum Joh. 6, v. 53. non de sacramentali, sed spirituali corporis et sanguinis Christi manducatione et bibitione tractat, quae omnibus ad salutem necessaria est, et cujus in baptismo infantes participes facti sunt. Sacramentalis vero manducatio ac bibitio non est absolute ad salutem necessaria, ut ostendit exemplum latronis Luc. 23, v. 43. Atque haec dicta sint de personis ab usu sacrae coenae arcendis, quarum praecipuas canonistae hoc versiculo complectuntur:

Ebrius, infamis, erroneus atque furentes
Cum pueris Domini non debent sumere corpus.

Qu. 5: An Christus ipse eucharistia cum discipulis fuerit usus?

230. Quaeritur *5. an Christus ipse eucharistia cum discipulis usus fuerit?* Respondemus: Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. c. 9. et Chrysostomus hom. 83. in Matth. id colligunt ex verbis Christi Luc. 22, v. 18: *Non bibam amplius de germine vitis, donec regnum Dei veniat.* **Thomas part. 3. qu. 81. art. 1. Suarez tom. 3. disp. 75. sect. 2. Ludovicus a Ponte in c. 5. Cant. p. 305. itidem affirmant. *Qui manducavit agnum typicum legis veteris, multo magis debuit manducare agnum mysticum novae legis, ut legem impleret veterem et novam suo exemplo inchoaret, unde multo magis de hoc quam de illo dixit: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, ut Hieronymus in c. 26. Matth. Tertullianus lib. 4. cont. Marc. c. 40. et Eusebius Emiss. a Thoma citatus testantur. Praeterea accepisse poculum satis insinuat, cum ait: Non bibam de hoc genimine vitis, ut Augustinus lib. 5. de conf. evang. c. 1. et alii deducunt. *Qui autem accepit poculum, utique et panem*, ut Euthymius ac Theophylactus in Matth. 26. inferunt. *Quod*, inquit Chrysostomus hom. 83. in Matth. *oportebat facere, ne apostoli auditis illis verbis, accipite, comedite, perturbarentur dicentes: quomodo carnem comedimus et sanguinem bibimus?* ** Sed Hieronymus in c. 16. Matth. de alio calice, quam de eucharistico ea intelligenda esse admonet, quae ante verba institutionis apud Lucam habentur, Christus enim antequam sacram coenam institueret, ex vetere ritu Judaeorum calicem profanum suis porrigebat ac ut inter se illum dividerent, jubebat. Solent enim Judaei, ut et hodie, maxime in majoribus solennitatibus id observare, ut paterfamilias aut alius, qui ad mensam consedit dignior, panem in manibus sumtum ac deinde per partes fractum distribuat convivis, quo ritu deinde circumferunt et poculum in concordiae symbolum. Hanc interpretationem amplectitur etiam Bellarminus libr. 1. de X. 388.
eucharist. c. 11. ubi dicit, *verba illa, non bibam amplius de germine vitis* etc. *non pertinere ad calicem eucharisticum, sed ad calicem, qui datus fuit post agni paschalis manducationem.* Jansenius vero in harm. evang. c. 131. secutus Augustinum et Euthymium existimat, idem esse poculum, cujus ante panem sacrum et post eum Lucas meminit, qua de re in harmonia evangelica uberius disputabitur. Incertum igitur est, nec ex verbis evangelistarum evidenter colligi potest, quod Christus una cum discipulis suis eucharistia fuerit usus. **Bergius in disp. de coena q. 2. *et Christum et apostolos ex calice eucharistico bibisse statuit.* Idem asserunt Paraeus, Piscator, Vorstius ex Matth. 26, v. 29. At non de calice eucharistico, sed de alio illa verba accipienda, quod probatur: 1. ex Lucae relatione c. 22, v. 18. qui non solum res gestas ut Matthaeus et Marcus descripsit, sed earum etiam ordinem accurate observavit. Is igitur Christum haec verba protulisse dicit in ipsa celebratione agni paschalis, antequam corporis sui sacramentum instituisset. 2. Ex rei ipsius collatione. De calice enim eucharistico dicitur, *quod Christus ipsum acceperit et discipulis dederit* μετὰ τὸ δειπνῆσαι Luc. 22, v. 20. 1. Cor. 11, v. 25. (quo προσδιορισμῷ Lucam voluisse constituere discrimen inter poculum paschale et sacramentale dubium nullum); alter vero calix distributus est in ipsa coena, ut constat ex collatione v. 14. 17. 18. c. 22. Luc. 3. Ex causalis particulae additione. Addita enim apud Lucam particula γάρ v. 18. verba illa indubitanter connectit cum priori illo esu agni paschalis. 4. Ex Judaeorum consuetudine.** Roffensis libr. 5. contra Oecolamp. colligit illud ex historia Luc. 24. Sed nec illum locum de eucharistiae celebratione commode accipi posse ostendimus superius. Probabilius illud colligi posset ex eo, quod Christus baptismum communem nobiscum susceperit et agno paschali eucharistiae typo usus fuerit. Vorstius in Antibellarm. contracto pag. 390. argumentum ex hac opinione ducit contra veram, realem et substantialem corporis Christi in sacra coena praesentiam. **Thomas part. 3. q. 81. art. 1: *Quidam dixerunt, quod Christus in coena corpus et sanguinem suum disci-*

Digitized by Google

pulis tradidit, non tamen ipse sumsit. Sed hoc non videtur convenienter dici, quia Christus ea, quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde et ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret secundum illud Actor. 1: Coepit Jesus facere et docere. Unde et primo ipse corpus suum et sanguinem sumpsit et postea discipulis sumendum tradidit. Bonaventura 4. sent. dist. 9. q. 4. art. 1: *Quidam dicunt, quod Christus nullo modo sumsit, quia sic non competebat; verumtamen nunc communiter dicunt, quod manducavit sacramentaliter.* Vasquez in illum Thomae locum: *Conclusio est affirmans, in qua omnes Catholici, quos ego legerim, plane conveniunt. Et quamvis doctor dicat, aliquos oppositum sensisse, tamen qui illi fuerint, non memorat.* Vide in eund. locum Gregorium de Valentia et Suarez, item Dominicum Soto in 4. sent. dist. 12. q. 2. art. 1. item Johannem de Turrecremata in c. Non Moyses dist. 1. de consecrat. Ex patribus idem conatur probare Chamierus tom. 4. panstrat. lib. 11. c. 17, v. 3.** Sed ubi de re obscurissima quaeritur non adjuvantibus certis et perspicuis verbi oraculis, cohibere se debet humana praesumtio temere in alterutram partem aliquid definiendo. Selneccerus part. 4. exam. in resp. ad argumentum 35. c. 11. pag. 369: *Singulares opiniones patrum non constituunt articulum fidei et cum evangelistae contrarium dicant, credendum est illis et non aliis. Testantur autem evangelistae, Christum ipsum non comedisse panem benedictum coenae, sed discipulis dedisse.*

CAPUT XXII.

DE MANDUCATIONE INDIGNORUM.

Cur de indignorum manducatione agatur.

231. Quamvis sedulo providere debeat ecclesiae minister, ne quis indigne, hoc est sine vera poenitentia et fide, hoc sacramento utatur, *qui enim edit ac bibit indigne, judicium sibi ipsi manducat et bibit, eo quod non discernit corpus Domini*, 1. Cor. 11, v. 29. Interim tamen cum in externa societate ecclesiae (quae societas in auditu verbi, professione
X. 389. doctrinae et usu sacramentorum consistit) vere piis et sanctis intermixti sint hypocritae, qui sine vera poenitentia et fide ad sacratissimum hoc mysterium accedunt, inde nata est quaestio de manducatione indignorum, quid scilicet in sacra coena manducent ac bibant, an nudum panem et vinum, an vero mediante pane corpus et mediante vino sanguinem Christi? Porro quaestio haec de manducatione indignorum multis visa est indigna coetu dignorum sive fidelium, cum hoc sacratissimum mysterium a Christo institutum sit, non ut ab indignis profanetur, sed ut a credentibus digne accipiatur; cumque videatur satius esse in id incumbere, ut digni simus coelestis hujus convivii hospites, quam ut de eo temere quaeramus, quidnam indigni in eo accipiant, denique hac ratione indignis patrocinari videamur, si obtinere velimus, eos non minus quam dignos verum Christi corpus et sanguinem accipere. Alb. Hardenbergius de coena propos. 11: *Cum Christus sacrosanctam hanc coenam discipulis suis in se credentibus instituerit atque in Christianitate, id est in ecclesia sua haec institutio valeat, manducationem impii cum nihil aedificet, nec ad Christi gloriam faciat, praestiterit coram plebe silentio tegere quam sancta et margaritas porcis projicere.* Sed quaestionem de manducatione indignorum non esse silentio involvendam, sequentia fundamenta probant. 1. Apostolus disertis verbis docet, indignos manducando ac bibendo corporis et sanguinis Christi reos fieri, 1. Cor. 11. v, 27. Quaestio igitur illa de manducatione indignorum ex verbis apostoli orta non potest judicari otiosa ac supervacanea. 2. Adversarii substantialem corporis Christi in sacra coena praesentiam ejusque oralem manducationem negantes utuntur inter cetera hoc praetextu, quod indigni non manducent Christi corpus. Invertendum igitur hoc argumentum et ex manducatione indignorum ab apostolo asserta substantialis corporis Christi praesentia, velut antecedens ex suo consequente demonstranda. 3. Explicatio hujus quaestionis securos et impoenitentes excitat, imo quasi fulmine quodam comminationis ferit, ne indigna sumtione iram et judicium Dei sibi cumulent. 4. Hac ratione torpor negligentiae, qui etiam piis quandoque obrepere solet, iisdem magis excutitur, ut in seria ac debita praeparatione sint attentiores, siquidem intelligunt, cum tam gravi ac praesenti periculo indignam manducationem esse conjunctam.

Quaestio de manducatione indignorum explicatur.

232. Nostra sententia est, indignos in sacra coena non solum panem et vinum, sed etiam mediante pane Christi corpus et mediante vino Christi sanguinem sacramentaliter accipere, manducare ac bibere. Id vero ut rectius intelligatur, termini quaestionis prius explicandi sunt, antequam ejusdem fundamenta proferantur. 1. Indignorum nomine intelligimus eos, qui non probant se ipsos, hoc est qui non agnoscunt sua peccata, nec serio de illis dolent, ut hac ratione se ipsos judicent, qui non credunt, verum Christi corpus et sanguinem in sacra coena manducandum ac bibendum nobis dari ad confirmandam et obsignandam promissionem evangelii de gratuita remissione peccatorum; qui non habent serium propositum vitam emendandi et juxta normam legis instituendi; qui non reconciliantur proximo ante usum sacrae coenae etc. atque ut verbo dicam, qui non discernunt corpus Domini a vulgaribus cibis, sed accedunt sine poenitentia et fide, ut in sequenti capite latius expositum dabitur. ** Indignos eo modo describunt Beza resp. 1. ad coll. Momp. p. 61. Piscator in 1. Cor. 11. in apolog. contra Roedern p. 565. Bucanus in loc. p. 252. Beumlerus in Gegenbericht f. 296. 297. Casselenses in antiq. fid. Cattorum p. 34. 35. Embdenses in Bericht

Digitized by Google

p. 157. ubi triplicem faciunt indignitatem: *1. Naturae, quae tamen poenitentes et fideles non arcet a gratia Dei et communicatione corporis et sanguinis Christi; 2. incredulitatis, per quam Christus cum suo merito repudiatur, ideo etiam participatio corporis et sanguinis Christi cum ea non potest consistere; 3. vocationis, quae est in infirmis, qui fidem suam per poenitentiam et dilectionem non tam efficaciter demonstrant, quam fieri oportebat, nec mysterium coenae et debitum suae vocationis satis digne expendunt.* Hanc postremam indignitatem dicunt ab apostolo in Corinthiis argui.** Martin. Bucerus post concordiam ann. 1536. Witteber-
X. 390. gae cum nostris initam, in qua manducatio indignorum diserte statuitur, ut Helveticis ministris gratificaretur, disputare coepit, per indignos in textu apostolico 1. Cor. 11, v. 27. et seqq. intelligendos esse *infirmos in fide, qui magnitudinem hujus mysterii non satis digne perpendunt et quorum fides multis adhuc laborat infirmitatibus*, idque probare conatus est ex eo, quod apostolus de illis pronuntiet, *quosdam ipsorum dormire* v. 30. quae phrasis solis piis et credentibus in Domino mortuis convenire videtur. Sic enim scribit in epist. ad Comandrum anno 1538. Argent.: *Intuens solum locum Joh 6. aliquando non nisi vivificam Christi manducationem admittebam, rebarque Christum, cum sit cibus vivificus, etiam non posse non ad vitam manducari. Sed verbum ipsum Dei etiam in se vivificum est, et tamen in judicium et condemnationem auditur et intelligitur ab indignis, resque ipsa testatur, tria esse genera eucharistiam sumentium. Unum eorum, qui instituto et promissioni Domini plane nihil credunt et sacra symbola non pro symbolis Domini, sed tantum pro pane et vino habent. Hi sicut nec mente plus quam elementa agnoscunt, ita nec amplius aliquid percipiunt. Alterum genus eorum est, qui persuasi divinitus sunt, sibi hisce symbolis ipsa Dei bona offerri, nec tamen ea digna religione excipiunt. Isti sicut ea mente et voluntate sacris symbolis participant, ut etiam ipsis donis Dei, quae agnoscunt, communicent; ita nequaquam sola symbola, sed ipsa quoque dona Dei amplectuntur et percipiunt, quanquam non juste ipsis perfruantur. Sed hi bifariam habent, alii enim nunquam justam fidem senserunt dignamque donorum hujusmodi existimationem fecerunt fide modo temporaria instructi; alii donati sunt fide Christi solida, sed jam, id quod evenit Corinthiis, pravis praepediti cupiditatibus modo non exercent. Tertii generis sunt, qui fide plena et etiam vigente donaque Dei digne aestimante sacramentis communicant.* Eandem sententiam amplectitur Piscator in observat. in 1. Cor. 11: *Errant* (inquit) *qui putant, Paulum loqui de infidelibus; is vero loquitur de fidelibus, sed qui indigne, hoc est irreverenter, coenam Domini percipiunt, ἀναξίως, hoc est secus ac dignum est tam sancto mysterio.* **Pelargus in antithes. apolog. contra D. Balduin. th. 116: *Quid si vero indignos vocasset apostolus non incredulos, sed non satis digne paratos et probatos, numquid et illi omni carebunt fide, numquid et illi non edant ac bibant spiritualiter?* **Respondemus: 1. Hanc interpretationem non admiserunt Helvetii, nec agnoscunt reliqui sectatores Calvini, disputant enim, indignos reos fieri corporis et sanguinis Christi, non manducando et bibendo, sed repudiando et spernendo, abutendo scilicet signis sacramentalibus, sicut in regem ipsum peccat, qui sigilla ejus laedit. Atqui infirmi in fide non repudiant corpus Christi, nec abutuntur sacris symbolis. Ergo illi per indignos non possunt intelligi. Joach. Curaeus in spongia contra confession. Eberi de coena editam Heidelbergae anno 1575. commentum de duobus indignorum generibus vocat *inauditam chimaeram* p. 272. in 1. Cor. 11. indignos definit, *qui non probant se ipsos, qua fide erga Christum accedant ad hoc mysterium celebrandum, quorum animus adhuc aestuat absurdis cupiditatibus pecuniarum, irae, odii et similium. Nam fides ex indignis facit dignos* P. Martyr: *Probatio haec tota in fide et poenitentia consistit.* Andr. Hyperius: *Indigne edit,* X. 391.
qui non commemorat mortem Domini, qui fidem non habet in promissionem divinam. 2. Cum Christus non rejiciat infirmos in fide, sed recipiat et recipi eos jubeat Rom. 14, v. 3. cum *infirmos medico egere* pronuntiet Matth. 9, v. 12. cum *virtutem suam in infirmitate perficiat* 2. Cor. 12, v. 9. cum oneratis refectionem spondeat Matth. 11, v. 28. denique cum hoc fine instituta sit sacra coena, ut infirmitas fidei nostrae hoc sigillo confirmetur et obsignetur, quomodo severum illud apostolicae comminationis fulmen contra infirmos in fide vibrari poterit? ***Non exstinguit linum fumigans nec conterit arundinem conquassatam* Esai. 42, v. 3. Illi sunt gratissimi Christi hospites, quorum corda esuriunt et sitiunt justitiam, ac propter illos sacra coena a Christo instituta est, ut in fide confirmentur.** 3. De illis indignis apostolus agit, qui judicium, hoc est iram Dei, temporales et aeternas poenas sibi ipsis indigne manducando ac bibendo accersunt atque cumulant v. 29. Jam vero *qui credit*, fide etiam languida, quae itidem est fides, *non venit in judicium* Joh. 3, v. 18. 4. De illis indignis apostolus agit, *qui rei fiunt corporis et sanguinis Christi* v. 27. Jam vero qui credit, etiamsi adhuc infirmus sit in fide, salutariter et spiritualiter corpus Christi manducat et sanguinem ejus bibit. Joh. 6, v. 54. 5. Si per indignos intelliguntur infirmi in fide, piis semper erit dubitandum, an ad hoc convivium satis magnum fidei robur adferant, an horribile illud fulmen apostoli ipsis metuendum sit, sicque judicabunt, esse satius propter infirmitatem fidei ab hac salutari ejusdem medicina abstinere. 6. Quin potius infirmis in [illegible] hoc proponendum, quod etiam infirma et exigua fides apprehendat Christum et in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum ac vitam aeternam, quo pertinet simile D. Lutheri de annulo, qui apprehenditur et a puero et a gigante, licet ab hoc fortius, ab illo infirmius. *Credo Domine, sed opem*

fer incredulitati meae, dicit Pater lunatici Marc. 9. *Invoco te Domine fide languida, sed tamen fide*, dicebat Cruciger senior moriturus. Fides etiam infirma *montes* tentationum transponere potest, Matth. 17, v. 20. 7. Per infirmos v. 30. apostolus non intelligit eos, qui in fide sunt infirmi, sed qui corporalibus infirmitatibus laborant, ut ex verbis sequentibus manifestum, habet enim pro aequipollentibus ἀσθενεῖς καὶ ἀῤῥώστους atque illas infirmitates in quibusdam mortem consecutam esse addit. 8. Quod ex indignis illis quidam *dormire* dicuntur, accipi potest de iis, qui morbis admoniti de indigno sacrae coenae usu seriam egerunt poenitentiam, antequam ex hac vita discederent, atque hac ratione beato vitae exitu in Domino obierunt, id quod colligi potest ex v. 31. et 32: *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur; dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*. 9. Adde quod de impiorum etiam morte Scriptura etiam pronuntiat, quod dormiant, 1. Reg. 14, v. 20. et 31. c. 16, v. 6. c. 22, v. 40. Dan. 11, v. 2. et alibi passim, ideo notanter de piis dicitur, quod dormiant in Christo 1. Cor. 15, v. 18. **De illis indignis in textu apostolico agitur, propter quos universales quaedam calamitates Corinthiis immissae. Quare cum ad participationem coenae accesserint non solum infirmi in fide, sed etiam hypocritae vera poenitentia et fide destituti, ecquis credet, calamitates illas propter infirmos in fide et non potius propter hypocritas impoenitentes Corinthiis immissas? Quis patietur sibi persuaderi, apostolum in hac accurata tractatione, in qua ad debitam praeparationem hortatur, solos in fide infirmos hac concione terrere voluisse silentio praetermissis illis, qui sine vera poenitentia ad sacram coenam accedunt eaque vel maxime indigne utuntur? Apostolus eos sic describit, quod non probaverint se ipsos, quod non discreverint corpus Domini, quod mensae daemoniorum et mensae Dominicae simul participes esse voluerint, quod actionem eucharistiae in convivium vulgare transmutarint, quod ebrii ad usum sacrae coenae accesserint. Atqui tales profanatores non fuere tantum in fide infirmi. Digni ea ratione ac modo digni sunt, qua ratione justi censentur, justi videlicet fide; ergo etiam indigni non alia ratione ac modo judicandi sunt indigni, quam injusti censentur, injusti videlicet non fidei infirmitate, sed incredulitate. Accedit testimonium piorum veterum, qui per indignos intelligunt *impoenitentes et incredulos*. Basilius lib. 2. de bapt. Chrysostomus hom. 25. in Joh. ad pop. Antioch. hom. 61. in 1. Cor. hom. 24. Ambrosius in 1. Cor. 11.**

X. 392. 233. 2. Quando dicimus, indignos manducare corpus Christi et bibere ipsius sanguinem, id intelligimus non de spirituali manducatione, quae fit per fidem ad vitam aeternam ac solis vere piis convenit, sed de sacramentali manducatione, quae omnibus hujus coelestis convivii hospitibus communis est et indignis in judicium cedit. Monuimus autem superius, per sacramentalem manducationem nequaquam hoc intelligi, quod solus panis signum corporis Christi absentis ore percipiatur, sed quod mediante benedicto pane praesens Christi corpus manducetur et mediante benedicto vino praesens Christi sanguis bibatur, a piis et fidelibus ad salutem, ab impiis et infidelibus ad judicium. Rationi humanae hoc perquam absonum et absurdum videtur, unde etiam illi, qui rationis tenebras relicta verbi luce sequuntur, varia argumenta contra hanc assertionem nostram proferunt ab absurdo et non necessario petita. Quaerunt, *si indigni corpus Christi percipiant, quorsum veniat? an in ipsis maneat et ita cum ipsis damnetur, an vero otiose ingeratur et egeratur?* Considerator commonef. c. 2. p. 99. Sed in mysteriis fidei *captivandus est intellectus sub obsequium verbi*. Quamvis indigni τὰ οὐσιώδη sacrae coenae percipiant, tamen res coelestis salubriter et salutariter nec ab illis participatur, nec in illis manet, carent enim fide, per quam Christus habitat in cordibus nostris Ephes. 3, v. 17. et in nobis vivit Galat. 2, v. 20. *In indignis tantae gratiae puritas sibi non facit mansionem*, ait Cyprianus serm. de coena. Quod vero de otiosa ingestione et egestione ex penu suae rationis proferunt, idem etiam de Spiritu sancto cogitari posset, quem per peccata contra conscientiam ex habitaculo cordis nostri expelli et per veram poenitentiam iterum recipi sacrae literae testantur.

234. Proferamus sententiae nostrae fundamenta. Fundamenta nostrae sententiae de manducatione indignorum. 1. Indigni percipiunt integrum sacramentum.
1. Quicunque percipiunt integrum sacramentum eucharisticum, illi non solum panem et vinum, sed etiam corpus et sanguinem Christi percipiunt. Ratio est, quia sacramentum coenae constat non solum pane et vino, sed etiam corpore et sanguine Christi, ita ut sacramentalis unio intercedat pani et vino, corpori et sanguini Christi, sive ut Irenaeus loquitur lib. 4. c. 34: *Eucharistia constat* (non una, sed) *duabus rebus, terrena et coelesti*, qua de re suo loco uberius actum fuit. Jam vero indigni percipiunt integrum sacramentum eucharisticum, alias sequeretur 1. indignis in ecclesia partem solum sacramenti dispensari, sicque totum non constare suis partibus; 2. fidem utentis constituere sacramenti substantiam; 3. unionem sacramentalem non pendere a virtute institutionis divinae, sed fidei nostrae; 4. manducationem indignorum non esse sacramentalem; 5. indignos contrahere reatum aeterni judicii solius elementaris panis manducatione. Quae omnia sunt absurda. Ergo indigni percipiunt non solum panem, sed et corpus Christi sacramentaliter eidem unitum, non solum vinum, sed et sanguinem Christi itidem sacramentaliter ei unitum. Omnia sacramenta quoad essentiam ipsam sunt communia vere piis et hypocritis externo coetui ecclesiae sese associantibus, sed quoad salutarem fructum solis piis conveniunt, ut docet apostolus 1. Cor. 10, v. 1. et seqq. Quemadmodum hypocritae non audiunt aliud verbum quam pii, effectu tamen dissimili, piis enim est *odor vitae ad vitam*, hypocritis vero *odor mortis ad mortem;*

Digitized by Google

2. Cor. 2, v. 16. ita quoque non habent alia sacramenta. Atqui sacramentalis manducatio corporis et bibitio sanguinis Christi pertinet ad ipsam eucharistiae substantiam. Ergo communis est piis et hypocritis, sed salutaris ejusdem fructus solis piis
I. 393. convenit. *Panis fractus est communicatio corporis Christi*, *poculum benedictum est communicatio sanguinis Christi* 1. Cor. 10, v. 16. Jam vero panis fractus et poculum benedictum communia sunt dignis et indignis. Ergo. Sanguis foederis in testamento veteri adspergebatur non solum piis, sed etiam hypocritis, Exod. 24, v. 8. Idem ergo de sanguine novi testamenti statuendum, ut antitypus suo typo respondeat. Hypocritae integrum percipiunt baptisma, quamvis salutares ejusdem fructus non percipiant. Ergo etiam integram percipiunt eucharistiam. *Judas proditor bonum corpus et Simon Magus bonum baptisma percepit, sed quia bono bene usi non sunt, mali male utendo deleti sunt.* Si hypocritae non perciperent integrum baptisma, post conversionem suam ad Deum essent rebaptizandi. Quid contra hoc fundamentum adversarii proferant, ex argumentis ipsorum paulo post enumerandis et excutiendis manifestum erit.

2. Judas una cum reliquis apostolis eucharistia usus est.

235. 2. Judas proditor una cum reliquis apostolis interfuit administrationi primae coenae, nec minus quam reliqui benedictum panem accepit et ex benedicto poculo bibit. Jam vero Christus non instituit vel administravit aliam coenam Judae proditori, sed omnibus apostolis, inter quos etiam erat Judas proditor, eandem sacram coenam administravit atque omnibus dixit: *Accipite*, *edite*, *hoc est corpus meum; bibite*, *hoc est sanguis meus.* Ergo Judas non minus quam reliqui apostoli mediante benedicto pane Christi corpus accepit et mediante benedicto vino Christi sanguinem bibit; interim non ad salutem, sed ad judicium. Quodsi Judas proditor non obstante sua incredulitate et impietate sacramentaliter manducavit Christi corpus et sanguinem ejus bibit, utique de reliquis indignis et incredulis externo ecclesiae coetui et sacramenti eucharistiei administrationi sese associantibus idem omnino erit judicium. Quidam ex adversariis negant, Judam proditorem interfuisse primae coenae, cum Joh. 13, v. 30. dicatur *post acceptam buccellam* εὐθέως *continuo exiisse.* Jam vero ex Matthaeo c. 26, v. 23. et Marco c. 14, v. 21. colligitur, quod ante institutionem sacrae coenae buccella illa Judae proditori fuerit tradita. Respondemus: pii veteres magno consensu asserunt, Judam interfuisse primae coenae. Theophylactus quidem in c. 26. Matth. refert, *quosdam statuere*, *quod Judas panem eucharisticum acceperit*, *non autem comederit*, *sed occultarit*, *ut monstraret Judaeis*, *quod Jesus panem corpus suum diceret; poculum autem invitus biberit*, *cum non posset occultare*, *ac propterea a Christo dictum esse: Bibite ex hoc omnes.* Ipse etiam in verbis paulo ante praecedentibus in medio relinquit, an Judas interfuerit sacrae coenae. *Apposuit*, inquit, *vescentibus, ut ostenderet crudelitatem Judae*, *quia in mensa et communione ciborum illius*, *quando si et fera fuisset, mansuetiorem se exhibuisset, tunc neque cum argueretur, intellexit, sed et corpus illius gustans non poenituit. Quidam autem dicunt, quod egresso Juda tradidit sacramentum aliis discipulis.* Idem repetit in c. 14. Marci, sed scriptores vetustiores Judam una cum reliquis discipulis in administratione sacrae coenae praesentem fuisse referunt. Cyprianus serm de ablut. pedum in princ.: *Jam sacramenta corporis suis apostolis Dominus distribuerat, jam exierat Judas.* Hieronymus lib. 2. adv. Jovinianum: *Numquid Judas*, *quia de eodem calice bibit*, *de quo et ceteri biberunt*, *unius cum ceteris erat meriti?* Augustinus epist. 162. circa finem: *Tolerat Dominus Judam diabolum*, *furem et venditorem suum*, *sinit accipere inter innocentes discipulos*, *quod fideles noverunt pretium nostrum.* Lib. 2. contra literas Petiliani c. 40: *Ex una re sancta Judas sibi sumebat judicium*, *Petrus salutem.* Contra Fulgentium Donatistam ante med.: *Et Judas proditor bonum corpus et Simon Magus bonum baptisma percepit*, *sed quia bono bene usi non sunt*, *mali male utendo deleti sunt.* Tract. 6. in Joh. in med.: *Non mala erat buccella, quae tradita est Judae a Domino; absit*, *medicus non daret venenum*, *salutem medicus dedit*, *sed indigne accipiendo ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit.* Tract. 50. in Joh.: *Judas cum sanctis discipulis ad ipsam Dominicam coenam pariter accessit.* I. 394.
Chrysostomus in 1. Cor. 11: *Christus Judam proditorem a coena non depulit*, *quin potius illi cibos detulit et divinorum munerum participem fecit.* In homil. de prodit. Judae: *Praesens erat Judas quoque Christo dicente; hoc est sanguis meus. Affuit Judas et ejusdem sacrificii communicationem meruit.* Theodoretus in 1. Cor. 11: *Non solum undecim apostolis*, *sed et Judae proditori pretiosum corpus et sanguinem impertiit.* Convenit etiam haec sententia cum descriptione evangelistarum, siquidem Lucas, qui a diligenti ordinis observatione historiam evangelicam a se conscriptam commendat c. 1, v. 3. diserte testatur, post administrationem sacrae coenae Christum dixisse: *Ecce manus tradentis mecum est in mensa*, c. 22, v. 21. Nec Matthaeus vel Marcus mentionem faciunt discessus Judae post esum agni paschalis, sed institutionem coenae cum esu agni paschalis continua narrationis serie conjungunt, asserunt enim, vespera facta Christum cum duodecim discipulis discubuisse atque illis coenantibus sacrum hoc mysterium celebrasse. Proinde adverbium εὐθέως apud Johannem ita explicandum, ut includat moram quandam, licet forte non longam, sicut usurpatur Marc. 1, v. 12. Subjungitur enim, *quod fuerit nox*, *cum egrederetur Judas*, jam vero institutio et administratio sacrae coenae facta est *vesperi ipsis coenantibus.* Ergo Judas ei adhuc interfuit. Syrus vocem εὐθέως reddidit *eadem hora*, et talem habet textus distinctionem: *Ipse Judas accepit panem eadem hora et egressus est foras, nox autem facta est, cum egres-*

Digitized by Google

sus esset. Relinquitur igitur, ex Johanne non posse evidenter colligi, quod Judas discesserit ante institutionem sacrae coenae, praesertim cum Lucas evidenter testetur, ipsum adhuc praesentem fuisse, quod agnoscit etiam Calvinus lib. 4. instit. c. 17. §. 34. allegans et probans dictum Augustini homil. 59. in Joh. *reliquos discipulos manducasse panem Dominum, Judam vero panem Domini.* Witakerus in tract. de Scriptura q. 6. c. 12. librum Clementis de constitutionibus apostolicis inter alia reprobat ex hoc fundamento, quod lib. 5. c. 16. asserat, Judam abfuisse, cum Christus coenam celebraret. *Hoc* (inquit) *palam non modo Scripturis, verum etiam patribus ipsis refragatur. Scripturis quidem repugnare, ex Luc. 22, v. 13. 14. et 15. patet, si hi tres versus inter se comparentur. Patribus etiam adversari non minus exploratum est. Dionysius enim c. 3. eccles. hierarch. affirmat, adfuisse. Sic Cyprianus serm. de ablut. pedum, sic Augustinus, sic Chrysostomus, sic denique Thomas Aquinas in part. 3. summae qu. 81. art. 2. Etsi Pachymeres in Dionysium Areopagitam c. 3. eccles. hierarch. abfuisse Judam arbitratur, sed conjecturam suam opinionemque secutus, non Scripturae auctoritatem ista scripsit.* Haec omnia Witakerus.

3. Paulus 1.Cor. 11. indignorum manducationem adstruit.

236. 3. Apostolus 1. Cor. 11. indignorum manducationem diserte adstruit. Postquam enim taxaverat abusus circa administrationem coenae in ecclesiam Corinthiacam receptos et verba institutionis Dominicae tanquam normam et regulam legitimae administrationis repetiverat, subjungit v. 27: *Itaque qui manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini;* v. 28: *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat;* v. 29: *qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini;* v. 30: *ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi;* v. 31: *quodsi nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur;* v. 32: *dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* In his apostoli verbis notandum: 1. Quod assertionem de gravi illo reatu, quem indigni contrahunt, deducat ex verbis institutionis, *ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ, quisquis ergo manducaverit,* inquit q. d. quia Christus Dominus noster in verbis institutionis diserte testatur, non solum panem et vinum, sed mediante benedicto pane corpus suum et mediante benedicto vino sanguinem suum in
X. 596. sacra coena communicantibus distribui; inde fit, ut indigni hujus coelestis convivii hospites rei fiant corporis et sanguinis Domini ac judicium sibi ipsis manducent ac bibant. 2. Quod non simpliciter pronuntiet, quisquis manducaverit et biberit calicem indigne, sed notanter addat pronomen ὁριστικὸν quisquis manducaverit panem *hunc* vel biberit calicem *Domini* indigne, ut remittat nos denuo ad verba institutionis, ex quibus discimus panem, quem in administratione eucharistiae frangimus, esse *κοινωνίαν* corporis Christi et poculum, cui in administratione eucharistiae benedicimus, esse *κοινωνίαν* sanguinis Christi 1. Cor. 10, v. 16. inde adeo fit, ut indigne manducantes ac bibentes rei fiant corporis et sanguinis Christi, nimirum quia juxta assertionem Christi, quae est aeternae et immotae veritatis, panis eucharisticus est communicatio corporis Christi et vinum eucharisticum est communicatio sanguinis Christi. 3. Quod diserte pronuntiat, indignos fieri reos non symbolorum externorum, sed ipsius *corporis et sanguinis Christi,* quibus verbis exprimitur objectum reatus, hoc est res illa, cujus violatione et indigna tractatione obligatio ad judicium contrahitur. Deut. 19, v. 6: *Constitues civitates refugii, ad quas sese conferat, qui causale et involuntarium homicidium admisit, ne forsan proximus ejus, cujus sanguis est effusus, dolore stimulatus persequatur et apprehendat eum et percutiat animam ejus, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur;* v. 7: *ideo praecipio tibi, ut tres civitates aequalis inter se spatii dividas;* v. 10: *ut non effundatur sanguis innoxius in medio terrae* etc. *ne sis sanguinis reus,* Hebr. *et sint super te sanguinei,* hoc est ne contrahas reatum sanguinis innocenter a persecutore in ira effusi. Jac. 2, v. 10: *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, γέγονε πάντων ἔνοχος,* hoc est contraxit reatum transgressionis omnium praeceptorum. Eodem loquendi modo apostolus pronuntiat, *indignos fieri reos corporis et sanguinis Christi,* proinde non externa tantum symbola, sed corpus et sanguis Christi sacramentaliter iisdem unita, sunt objectum et res illa, cujus indigna tractatione judicium sibi attrahunt indigni. Oecumenius in 1. Cor. 11. p. 454: *τὸ ἔνοχος τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, τοῦτο δηλοῖ, ὅτι καθάπερ παρέδωκε μὲν αὐτὸν ὁ Ἰούδας, παρῴνησαν δὲ εἰς αὐτὸν Ἰουδαῖοι, οὕτως ἀτιμάζουσιν αὐτὸν οἱ τὸ πανάγιον αὐτοῦ σῶμα χερσὶν ἀκαθάρτοις δεχόμενοι, ὡς Ἰουδαῖοι κρατοῦντες αὐτὸν τότε καὶ ἐναγεῖ προσφέροντες στόματι, quod ait reus erit corporis et sanguinis Domini, hoc indicat, ut cum Judas tradidit, grassati vero in eum ac debacchati fuere Judaei, ita ipsum contumeliis afficiunt, qui sanctissimum illius corpus impuris manibus uti tunc tenuere Judaei, suscipiunt et exsecrando nefandoque offerunt ori.* Chemnicius lib. de coena c. 9. p. 262. Quando vocabulo ἔνοχος aliquid in constructione additur, illud vel genus supplicii exprimit, ut: *reus est mortis* Deut. 19, v. 6. *reus judicio, concilio, gehennae* Matth. 5, v. 22. *reus aeterni judicii, supplicii* Marc. 3, v. 29. vel rem illam, cujus violatione obligatio ad poenam contrahatur, ut *reus sanguinis* Exod. 22, v. 2. *reus voti* Num. 30, v. 5. *reus caedis* Deut. 21, v. 1. etc. Ita quoque usurpatur apud profanos scriptores vocabulum ἔνοχος. Aristot. lib. 2. oeconom. ἔνοχος ἱεροσυλίας. Quando igitur Paulus inquit *reus erit corporis et sanguinis Domini,* non proprie poenam seu genus supplicii describit, illud enim postea facit, cum inquit: *manducat sibi judicium,* sed causam seu crimen, unde poena judicii

Digitized by Google

contrahatur, describit, ita ut diserte nominet rem illam, cujus abusu et violatione judicium contrahatur. Certe in quo objecto peccat actio, in eo ipsam actionem versari necesse est. Jam vero reatus corporis et sanguinis Christi contrahitur, non quomodocunque, sed indigne manducando et bibendo. Consequens ergo est, ipsum Christi corpus et sanguinem ab indignis in usu sacrae coenae percipi. 4. Quod exprimat etiam modum reatus, qua scilicet ratione indigni rei fiant corporis et sanguinis Christi, nimirum indigne manducando ac bibendo. *Quicunque manducaverit panem hunc indigne, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis*
X. 396. *Christi* v. 29. *Qui indigne manducat et bibit, judicium sibi ipsi manducat et bibit.* Quia ergo indigni *manducando ac bibendo* rei fiunt corporis et sanguinis Christi, ex eo immote sequitur, quod manducent in sacra coena corpus et bibant sanguinem Christi. 5. Quod peculiari et in Scripturis sacris raro loquendi modo pronuntiet, *indignos judicium sibi manducare et bibere*, ut liquido ostendat, indignam manducationem ac bibitionem esse ipsum illud medium, per quod indigni rei fiant corporis et sanguinis Christi ac judicium sibi attrahant. 6. Quod causam et modum exprimat, quare indigni judicium sibi manducent, nimirum *quia non discernunt corpus Domini*, *οὐ διακρίνουσι τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου*, id est non alio animo, nec majori reverentia ad coenam Dominicam accedunt, quam sicut in privatis aedibus cibos communes tractant, non cogitant, praesens adesse ipsum corpus Christi atque illud mediante benedicto pane manducantibus exhiberi. Ostendit igitur, indignos in sacra coena indigne manducare non solum panem, sed ipsum etiam corpus Christi, quod a vulgaribus cibis discernere et debita reverentia tractare debebant. 7. Quod distincte pronuntiet, *indignos fieri reos corporis et sanguinis Christi*, et quidem *indigne manducando et indigne bibendo.* Item indignos *judicium sibi manducare et bibere.* Ostendit igitur, se loqui de tali indigna sumtione, quae non fertur uno actu in unum objectum, sed distincte manducat corpus Christi indigne et bibit sanguinem ejus indigne, ac de tali reatu, qui secundum distinctas eucharistiae partes distinguitur, ita scilicet ut indigna manducatione benedicti panis reatus corporis et indigna bibitione benedicti vini reatus sanguinis contrahatur. Haec omnia si probe observentur, in fumum abeunt nebulae, quas luci textus apostolici offundunt adversarii.

Exceptiones adversariorum. *Etsi* (inquiunt) *indigni fiunt rei corporis et sanguinis Domini, inde tamen non sequitur, quod manducent et bibant corpus et sanguinem Domini; reatus enim ille contrahitur per abusum sacrorum symbolorum, sicut in ipsum regem peccat, qui sigilla ejus irreverenter tractat.* ** Tossanus in notis margin. ad 1. Cor. 11, v. 29: *Reus erit corporis et sanguinis Christi non quidem ideo, quod corpus Christi comederit et sanguinem ejus biberit, hoc enim qui facit habet vitam aeternam, Joh. 6, v. 54; sed quia abusu suo sacra et divina signa corporis et sanguinis Christi inhonoravit. Qui itaque illa inhonorat, is simul inhonorat coelestia dona, quae per illa significantur et confirmantur, quemadmodum si quis literas et sigilla Caesaris irreverenter habet et pedibus conculcat, is irreverenter habet Caesarem ipsum et contemnit bona, quae ipsi per testimonium sigilli exhibentur.* Atqui 1. si indigne manducantes edendo rei fiunt corporis Christi, utique etiam illud comedunt: 2. non potest dari exemplum quod quis reus fiat casu gignendi apud Graecos rei alicujus violatae, quam nunquam indigne tractavit. 3. Qui violat diploma Caesaris non dicitur proprie reus fieri Caesaris, sed criminis laesae majestatis. 4. Si quaeras, an conculcans pedibus diploma Caesaris reus fiat criminis laesae majestatis, respondetur, non quia Caesarem pedibus conculcavit, sed quia diploma Caesaris pedibus conculcavit. Rursus si quaeras, cur indigne manducantes rei fiant corporis Christi, respondet Paulus, *quia non dijudicavit corpus Domini;* contra Tossanus, *quia sacra signa irreverenter habuit.* Idem Tossanus arbitratur, *apostolum loqui proprie de poenis temporalibus credentibus inflictis ob irreverentiam et negligentem coenae tractationem.* Atqui apostolus proponit severam comminationem poenarum temporalium et aeternarum adversus profanatores coenae. Nisi Corinthii illi fuissent morbis emendati, cum impio mundo damnationem incurrissent. ** Edita sunt biblia Latina Francofurti anno 1591. in quibus haec glossa ipsi textui biblico, minoribus tamen characteribus, est inserta, sic enim redditur textus apostolicus: *Qui manducant indigne, rei fiunt spreti corporis* etc. ut significaretur, indignos reatum illum contrahere non manducando, sed spernendo corpus Christi. Sed observentur modo ea, quae paulo ante in medium adduximus et de hoc inani effugio facile judicari poterit. Reatus ille corporis et sanguinis Christi, quomodo contrahatur ab indignis, non ex nostro cerebro, sed ex apostoli verbis definiendum est; qui et modum reatus et objectum manducationis expressit. Non simpliciter dicit apostolus, causam X. 397.
illius reatus esse indignam manducationem, sed notanter exprimit, quidnam illud sit, quod indigne manducent et hac ratione reatum illum contrahant indigni, cum per particulam illativam *ὥστε* ex verbis institutionis dependere ostendit, quae de reatu indignorum adstruit; cum notanter asserit, indignos manducare de pane illo, quem paulo ante dixerat esse communicationem corporis Christi, et bibere ex calice Domini, quem paulo ante dixerat esse communicationem sanguinis Christi; cum causam addit, quare indigni judicium sibi manducent ac bibant, nimirum quia non dijudicant corpus Domini etc. Sic ergo plene effertur argumentum ex textu apostolico petitum. Qui manducando et bibendo rei fiunt corporis et sanguinis et sibi ipsis judicium manducant et bibunt, inde et ideo, quia in illa manducatione et bibitione non dijudicant corpus et sanguinem Domini, illi certe manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini. Sed de indignis testa-

tur apostolus, quod manducando ac bibendo rei fiant corporis et sanguinis Domini, ac sibi ipsis judicium manducent ac bibant inde atque ideo, quia in illa manducatione et bibitione non dijudicant corpus et sanguinem Domini. Ergo indigni manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini. Si quis ergo dicat, indignos quidem reos fieri corporis et sanguinis Christi, ex eo tamen non sequi, quod manducent corpus et bibant sanguinem Christi, cum variis modis reatus ille contrahi possit, illi occurrit apostolus notanter asserens, indigna manducatione panis hujus, de quo Christus testatur, quod sit suum corpus, reatum illum contrahi. Si quis dicat, reatum illum contrahi, quod injuria symbolis illata redundet ad res ipsas, illi occurrit apostolus notanter asserens, indignos ideo judicium sibi manducare, quia non dijudicant corpus Domini. Si quis dicat, indignos reos fieri corporis Christi non accepti, sed repudiati ac spreti, illi occurrit apostolus notanter asserens, non repudiando, sed manducando panem illum, de quo Christus dicit esse suum corpus, reatum contrahi. Denique monemus, hanc exceptionem adversariorum cum propriis ipsorum hypothesibus pugnare; statuunt enim, reprobis non exhiberi Christi corpus et sanguinem, quippe quod pro illis non sit in mortem traditum et qui pro illis non sit effusus. Si ergo corpus et sanguis Christi non offeruntur animo communicandi reprobis (quales multi sunt inter indigne manducantes ac bibentes), quomodo possunt corpus et sanguinem Christi a se rejicere et spernere ac propter hanc rejectionem iram Dei et aeternam damnationem sibi attrahere? ecquis potest accusari rejecti doni, quod serio et animo communicandi non fuit ei unquam oblatum?

4. Fides non pertinet ad substantiam eucharistiae.

237. 4. Fides non pertinet ad substantiam eucharistiae; ergo propter fidem accedentium panis non est communicatio corporis Christi, nec propter incredulitatem accedentis panis desinit esse communicatio corporis Christi. Antecedens in loco de sacramentis late confirmatum dedimus, hoc loco breviter monemus: 1. sacramentorum veritas atque integritas pendet in solidum ex institutione divina, quae per nostram incredulitatem non redditur irrita, Roman. 3, v. 3. 2. Sacramenti essentia tota absolvitur re terrena et coelesti ejusdemque legitima administratione in ipsis verbis institutionis praescripta. 3. Fides ad salutarem usum sacramenti spectat; ergo non ad essentiam. 4. Si fides pertineret ad substantiam eucharistiae, idem de baptismo dicendum foret, ac proinde hypocrita adultus si baptizaretur, post conversionem esset rebaptizandus. 5. Fides sacramento confirmatur et obsignatur; ergo ad ejus essentiam non pertinet. 6. Illa est essentia et forma cujusque rei, per quam est id, quod est, et ab aliis omnibus distinguitur. Per fidem sacramentum non est sacramentum, neque unum sacramentum ab alio distinguitur. 7. Par est ratio quantum ad constitutionem essentialem sacramenti, inter intentionem seu fidem dantis et inter intentionem seu fidem accipientis. Jam vero intentio seu fides dantis non est pars essentialis sacramenti. Ergo nec intentio seu fides accipientis. Recte igitur Augustinus libr. 3. contra Donatist. cap. 14: *Non interest, cum de sacramenti integritate quaeritur atque sanctitate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest, fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum et perversam fidem.* X. 396.

Dicta veterum de indignorum manducatione.

238. Nec destituitur haec assertio de manducatione indignorum testimoniis veterum. Cyprianus serm. 5. de lapsis p. 222: *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt; mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt, cum occurrat Scriptura divina et clamet et dicat: Omnis mundus manducabit carnem; et anima quaecunque manducaverit ex carne salutaris sacrificii, quod est Domini, et immunditia ejus super ipsum et peribit anima illa de populo suo; apostolus item testetur et dicat: Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum, non potestis mensae Domini communicare et mensae daemoniorum; idem contumacibus et pervicacibus comminetur et denuntiet dicens: Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemtis vis infertur corpori ejus et sanguini plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Origenes in Psalm. 37. hom. 2. tom. 1. p. 471: *Cum anima tua aegrotet et peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam* etc. *communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam, quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum et in his omnibus putas, quod effugias Dei judicium?* Hilarius enarr. in Ps. 126. p. 555: *Obtinemus panem vivum panem coelestem ab eo, qui dixit: Ego sum panis vivus de coelo; quem qui indigne secundum mandatum apostoli acceperit, judicium sibi acquirit.* Basilius in serm. quod qui per baptism. regeneratus est, participatione deinceps mysteriorum divinorum nutriri debeat tom. 1. p. 467. circa finem: *Si quis fratrem contristat per cibum, a caritate excidit, sine qua magna quoque charismata et justificationes operanti nihil prosunt, quid de eo dicendum est, qui otiose et inutiliter audet edere corpus et bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi* etc.? serm. 2. de bapt. c. 3. tom. eod. p. 469. quaerit, *an tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis et spiritus edat corpus Domini et bibat sanguinem ejus?* Respondet autem: *Si in lege veteri tales minae adversum eos positae sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quae ab hominibus sanctificantur, quid dicendum de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid est templo secundum Domini vocem, tanto gravius et terribilius est in animae impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel*

tauros dicente apostolo. Itaque qui edit panem, aut bibit poculum indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, imo vehementius ac terribilius judicium per repetitionem exprimitur, cum dicit: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat. Augustinus tom. 6. libr. contra Donatist. post collationem c. 20. non longe a princ.: *Boni a malis corde ac moribus sese separant simul manducantes et bibentes corpus et sanguinem Domini, sed cum magna distinctione, quia isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est fidelissimam sponsi caritatem, ac per hoc etiamsi in uno eodemque convivio isti misericordiam manducant, illi judicium.* libr. 5. contra Donatist. c. 8. circa finem: *Sicut Judas, cui buccellam tradit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo praebuit; sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil* (al. malum) *acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, de quibus dicebat apostolus: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit.*
X. 399. Tract. 26. in Joh. circa finem: *Sacramentum de mensa Dominica sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cujus est sacramentum omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.* Recte notat Lombardus lib. 4. sent. dist. 8. lit. D. et dist. 9. lit. C. rem sacramenti in duplici significatione a veteribus accipi, quandoque enim per eam intelligunt *rem coelestem partem essentialem sacramenti alteram,* quandoque vero *salutarem sacramenti fructum.* Augustinus quoniam hoc loco negat, rem sacramenti ad exitium sumi posse, intelligit hoc de spirituali fructu, sic enim habent verba antecedentia: *Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur et accipiendo moriuntur! unde dicit apostolus: Judicium sibi manducat et bibit etc. Videte ergo fratres, panem coelestem spiritualiter manducate.* Serm. 2. de verb. apost. in princ.: *Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam et integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.* (ubi τὸ quod refertur ad corpus Christi, quia panis spiritualiter non potest manducari. Ideo autem de corpore Christi pronuntiat Augustinus, quod visibiliter accipiatur, quia cum visibili pane in sacramento accipitur. Idem vult etiam in ipsa veritate spiritualiter manducari, ubi τὸ *in veritate* nudae sacramentali manducationi opponitur et ad spiritualem refertur. Sic lib. 21. de civ. Dei c. 20. *quia non solum sacramento, sed re ipsa manducarunt corpus Christi.*) Chrysostomus homil. 60. ad pop. Antioch. in princ.: *Non parva poena proponitur indigne sumentibus; considera quantum adversus proditorem indignaris, contra eos, qui crucifixerunt eum. Itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis et sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus jugularunt, tu vero polluta suscipis anima post tot beneficia.* in 1. Corinth. 11. super verba quicunque comederit indigne, reus erit corporis etc.: *Quamobrem? quia effundit sanguinem, et non sacrificium, sed jugulationem prae se fert, quemadmodum enim hi, qui eo tempore Christum punxere, non ut biberent ejus sanguinem, sed ut effunderent, idem sane facit, qui Christi sanguinem bibit indigne et nullum ex ejus potione fructum recipit.* serm. 3. in c. 1. Ephes.: *Multos video temere quomodocunque et ex consuetudine magis quam legitime aut consideratione ac mente de corpore Christi participantes.* Theodoretus in 1. Corinth. 11: *Non solum apostolis, sed et Judae proditori pretiosum corpus et sanguinem suum impertiit Dominus.* Gregorius lib. 4. dial.: *Est quidem in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, sed essentia non salubri efficientia.* Bernhardus de modo bene viv. serm. 28: *Alius carnem Christi spiritualiter manducat et sanguinem bibit, alius vero non, sed tantum sacramentum, hoc est corpus Christi sub sacramento et non rem sacramenti. Qui cum Juda tradit, ore corpus Christi accipit, cum Juda condemnatur.* Serm. de cöena: *Comestio sacramentalis quantum ad visibilem speciem et ad corpus Christi veritatem convenit bonis et malis communiter.* **Idem Bernhardus serm. de coena: *Qui secundum carnem vivunt et post carnalia evagantur, re vera accipiunt corpus Christi, sed essentia, non salubri efficientia.*** Anselmus in 1. Cor. 11: *Corpus et sanguis Domini nihilominus est, sed ille accipit hoc non ad vitam, sed ad judicium, quia non dijudicat corpus Domini, id est non discernit, quam sit dignius omnibus creaturis hoc corpus.* In prosa de sacramento eucharistiae, cujus initium: Lauda Sion salvatorem etc. quam quidam Thomae Aquinati tribuunt:

Sumunt boni, sumunt mali
Sorte tamen inaequali
Vitae et interitus:
Mors est malis, vita est bonis,
Vide, paris sumtionis
Quam sit dispar exitus.

239. Qui veram, realem et substantialem corporis et sanguinis Christi in sacra coena praesentiam negant, illi etiam corpus et sanguinem Christi ab indignis manducari et bibi negant, sed diversimode. [Antithesis adversariorum. X. 400.] 1. Quidam concedere se dicunt, indignos manducare corpus Christi, nimirum *sacramentaliter* et *sacramentotenus*, id vero sic explicant, quod panem, qui sit corporis Christi signum, tantummodo manducent. Aretius part. 1. probl. 82. f. 1006. recitat Graecos versiculos:

Θειουργὸν αἷμα φρίξον, ἄνθρωπε βλέπων,
Ἄνθραξ γάρ ἐστι τοὺς ἀναξίους φλέγων.

O homo intuens sanguinem divinum horresce, nam carbo est exurens indignos; ibidem tamen indignorum manducationem sic exponit, quod nudum pa-

Digitized by Google

nem objecti loco habeat. Sadeel in libr. de sacram. manduc.: *Sigillum corporis Christi potest aliquando sine ipsius veri corporis perceptione manducari.* Quidam vero aperte negant, indigne manducantes accipere corpus et sanguinem Domini, ac dicunt, tales externa tantum symbola, panem scilicet et vinum, accipere. Belgici ministri ad auctores Form. conc. pag. 18: *Minime censemus, fieri posse, ut quis carnem Christi manducet, qui sit vitae aeternae expers.* Beza part. 2. quaest. et resp. quaest. 56. scribit, *hac indignorum manducatione nihil magis esse falsum.* **Pelargus in comp. suo theol. correcto pag. 505. *sacramentaliter Christi corpus comedi ab impiis* scribit, *non vere et re ipsa, sed signotenus.* Consid. commonef. p. 802: *Indigni nihil accipiunt nisi externa symbola, non minus quam canis aut porcus vorans panem consecratum, sive profiteantur nomen Christi, sive non profiteantur.*** 2. Vicissim externa illa symbola, quae indigni in sacra coena percipiunt, quidam vocant sacramenta, Ant. fides Cattorum pag. 34. et 57. unde profluxerunt hae phrases: *indigni accipiunt sacramentum corporis, non ipsum corpus; edunt corpus Christi sacramentotenus;* alii vero negant, esse indignis sacramenta, sed nuda tantum elementa. Calvinus in instit. lib. 4. c. 14. §. 25: *Impii inania signa, imo ne signa quidem accipiunt, quia in nihilum redigitur quidquid est signorum, ubi res signata tollitur.* Beza part. 2. resp. ad colloq. pag. 119: *Increduli signa tantum percipiunt, quae tamen ipsis ne signa quidem sunt gratiae, sed exitii illorum sigilla.* Grynaeus in disput. de duob. sacram. N. T. probl. 1. in consect.: *Sacramenta fidelibus sunt sacramenta. Ea si quis opinetur et infidelibus sacramenta esse, sequetur absurdum, videlicet illa et perfidiae et incredulitatis esse sacramenta.* Idem repetit Bucanus in locis p. 753. 764: *Sacramenta non nisi fidelibus sacramenta sunt, infidelibus autem nequaquam.* Piscator resp. ad dictata Hoffman. pag. 80, v. 146: *Cum in sumente non est fides, non sumit iste sacramentum, sed tantum elementum, quia sacramentum quatenus sacramentum non nisi fide percipitur.* Keckermannus syst. theol. pag. 446: *Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum formale sacramentorum, sed tantum materiale.* 3. Alii fatentur, quosdam indigne manducantes percipere corpus Domini, quos definiunt homines vera fide non destitutos, sed de praeparatione animi non cogitantes et fratribus, quos offenderint, non reconciliatos ac dissolutius quam oportet viventes. Ita statuit Bucerus, cujus verba adduximus superius, quem sequuntur Beza resp. 1. ad collop. Mompel. p. 61. et Cassell. in ant. fide Cattor. p. 34. 35. ubi distinguunt inter illa, *fidem non habere et sine fide uti sacra coena.* Indignos vocant infirmos in fide, eosque dicunt, *sine fide uti sacra coena*, et nihilominus *accipere corpus Christi.* Piscator etsi concedit Bezae et aliis, apostolum 1. Cor. 11. loqui de fidelibus, sed qui indigne, hoc est irreverenter, coenam Domini usurpant, tamen negat, eos percipere corpus et sanguinem Christi, quia inquit, *corpus et sanguis Christi indigne seu irreverenter edi ac bibi non possunt*, in anal. 1. Cor. 11. observ. ex v. 27. At rursum Bucanus pag. 752. *quosdam indigne manducantes* dicit *fidem habere admodum languidam et infirmam, ac proinde non admodum efficacem per caritatem et poenitentiam, qui non discernunt panem Domini mysticum a cibo communi, sed irreverenter hunc* X. 401. *tractant, nec eo modo, quo Dominus instituit; non tamen audet negare, eos edere et bibere carnem et sanguinem Domini.* Curaeus in spongia contra conf. Eberi de coena edit. Heidelb. anno 1527. commentum de duobus generibus indignorum vocat *inauditam chimaeram* p. 272. Sic ergo Cadmaei fratres inter se proelia miscent.

Argumenta contra manducationem indignorum. 1. Caro Christi est vivifica.

240. Videamus potiora argumenta, quae contra manducationem indignorum proferunt. *1. Caro Christi est cibus vivificus, Joh. 6, v. 54: Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam.* Jam vero *indigni non habent vitam aeternam nec vivificantur ex usu sacrae coenae. Ergo non manducant carnem Christi.* Hoc argumento utuntur Scholastici Witebergenses, uti se indigitant, in scripto contra Schachtium. Calvinus illud format hoc modo: *Salutaris Christi Spiritus non separatur ab ipsius carne. Sed Spiritus Christi non datur indignis. Ergo nec caro Christi iisdem datur.* Respondemus: 1. Adversarii alias strenue negant, carnem Christi esse vivificam, siquidem realem idiomatum divinorum communicationem assumtae carni Christi factam impugnant, ut constat. Quomodo igitur ex hoc principio contra nos argumentari poterunt? 2. Sunt in argumento quatuor termini. Major propositio loquitur de spirituali carnis Christi manducatione et sanguinis ejus bibitione. Conclusio, si nostrae sententiae opposita est, accipienda erit de sacramentali manducatione et bibitione. Ostendimus autem superius, caput sextum Johannis de spirituali manducatione et bibitione intelligendum esse, a qua multis modis sacramentalis manducatio ac bibitio distat. 3. Carnem Christi esse vivificam dupliciter intelligitur, primo absolute et respectu sui, hoc modo semper est et manet vivifica, secundo relate et respectu hominum, hoc modo vivifica dicitur vel ratione potentiae vel ratione actus. Ratione potentiae Christus potest et vult omnes vivificare, scilicet potentia absoluta et voluntate antecedente; ratione actus vivificat tantum credentes, indigni cum destituantur instrumento receptionis, scilicet fide, ideo vitam ex vivifica Christi carne non participant. 4. Ergo caro Christi in se ac per se semper est et manet vivifica, interim tamen, ut ex illa vitam spiritualem et coelestem participemus, ad illud non sufficit sacramentalis manducatio et bibitio, sed requiritur insuper spiritualis illa manducatio et bibitio, de qua Joh. 6. late agitur. Breviter, ut ex hoc perenni fonte vitae et gratiae vitam et gratiam haurire possimus, requiritur situla fidei. 5. Distinguendum enim inter naturaliter et libere agentia. Vivificatio

Digitized by Google

in carne Christi est actio non naturalis, sicut ustio in igne, sed libera Joh. 5, v. 21: *Filius quos vult, vivificat;* illos vero vult vivificare, qui vera fide ipsum amplectuntur, teste tota Scriptura. 6. Quod impoenitentes et indigni ex usu sacrae coenae non vivificantur, ex eo non potest colligi, quod sacramentaliter non manducent corpus Christi, sed hoc tantum ex eo sequitur, quod spiritualiter et salutariter non manducent corpus Christi, nec sanguinem ejus bibant, ut sacramentalis manducatio ad vitam ipsis cedat. Indigni non propterea statuendi sunt non manducare corpus Christi, quia non vivificantur, sed quia indigne manducant, ideo non vivificantur. 7. Christus non solum est vivificator credentium, sed etiam judex incredulorum et impoenitentium, ideo caro ipsius a credentibus manducatur ad vitam et salutem, ab incredulis ad judicium. 8. Evangelium in se ac per se est verbum vitae et gratiae, Joh. 6, v. 68. interim tamen quibusdam *est odor mortis ad mortem* 2. Cor. 2, v. 16. impoenitentibus scilicet et incredulis propria ipsorum culpa; sic caro Christi in se ac per se est cibus vivificus, interim tamen a quibusdam manducatur ad judicium propter impoenitentiam et incredulitatem ipsorum.

Vita piis erit atque eadem mors sontibus esca,
Uno eodemque salus fluit atque ex fonte venenum.

vid. in hymm. de euchar[illegible]. pag. 72.

X. 402. *Gratus odor cerebro est quem mollis amaracus edit,*
Sed necat immundas illius aura [illegible].

Ex rosa apis mel colligit, aranea suum virus. Sic sacramenta indignis non prosunt, sed illis, quorum corda fide sunt purgata. Augustinus libr. 3. de bapt. contra Donat. c. 13. circa finem: *Idem odor erat, de quo dicit apostolus, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, et tamen in iis, qui salvi fiunt, inquit, et in iis, qui pereunt: aliis quidem odor vitae in vitam, aliis vero odor mortis in mortem. Quod etsi de alia re dixit, ad hoc ego posui, ut intelligatur, aliquod bonum non solum vitam posse bene operari utentibus, sed etiam mortem male utentibus.* Tract. 6. in Joh. circa med.: *Et sancta possunt obesse, in bonis enim sancta ad salutem insunt, in malis ad judicium. Certe enim, fratres, novimus, quid accipiamus, et utique sanctum est, quod accipimus, et nemo dicit, non est sanctum. Et quid ait apostolus? Qui autem manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non ait, quia illa res mala est, sed quia ille malus male accipiendo ad judicium accipit bonum, quod accepit. Non enim mala erat buccella, quae tradita est Judae a Domino; absit; medicus non daret venenum, salutem medicus dedit, sed indigne accipiendo ad perniciem accepit.* Chrysostomus homil. de prodit. Judae circa finem: *Sicut corporalis cibus cum invenerit ventrem adversis humoribus occupatum, amplius laedit, magis nocet et nullum praestat auxilium; ita et iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet non sua natura, sed accipientis vitio.* 9. Deus est ipsa vita essentialiter, et tamen impii non vivificantur vita spirituali, quae est *ex Deo* Ephes. 4, v. 18. quamvis in *Deo sint, vivant ac moveantur,* Actor. 17, v. 28. quinimo hominibus perversis est perversus, Psalm. 18, v. 27. sic est et manet corpus Christi vivificum, licet impoenitentes et incredulos non vivificet. Brentius de duab. nat. pag. 47. 10. Marc. 5, v. 31. turba comprimit Christum, et tamen ad solam haemorrhousam ex ipso *virtus exibat* v. 30 ipsa quippe sola fide tetigerat v. 28. Judaei non solum tetigerunt, sed etiam crucifixerunt Christum manibus nefariis, neque tamen ex contactu vivificae carnis vivificati sunt, nimirum quia fide destituti fuerunt. Quod ad argumentum Calvini attinet, respondemus: 1. per spiritum aut intelligitur Spiritus s., aut spiritus vitalis, aut spiritualis carnis Christi efficacia nobis communicata. Jam vero de nullo horum dici potest, quod sit perpetuus et indissolubilis inter ea nexus. Post factam incarnationem caro Christi est et manet perpetuum Spiritus sancti habitaculum, interim tamen ante factam incarnationem patres habuerunt *Spiritum Christi* 1. Petr. 1, v. 11. non autem carnem Christi. In cruce et sepulcro Christi destituta fuit spiritu vitali. Judas, servi pontificum, milites Pilati contrectarunt carnem Christi, nec tamen spiritualis ejusdem efficaciae facti sunt participes. 2. Ergo quod indigni manducant carnem Christi, nec tamen spiritum vitae ex ea participant, id fit ex accidenti, quia destituuntur fide, qua sola *promissio Spiritus accipitur,* Galat. 3, v. 2. 3. Spiritus Christi itidem non debet separari ab ipsius divinitate, et tamen in impiis est sua quadam ratione divinitas Christi, ubi non adest donum Spiritus sancti. Spiritus non est separandus a verbo et sacramentis, et tamen multi audiunt verbum et utuntur sacramentis sine Spiritu. 4. Distinguendum igitur inter actum primum et secundum, inter inhabitationem Spiritus in carne Christi interiorem et operationem ejus exteriorem. 5. Spiritus Christi non in omnibus eadem operatur, siquidem Christus eum *interficit impium spiritu oris sui,* Esa. 11, v. 4. 2. Thess. 2, v. 8. Quemadmodum igitur Augustinus olim respondit Donatistis (hoc urgentibus, quod verum baptisma non possit esse sine Spiritu): *Si baptisma sine Spiritu esse non potest, habent et Spiritum haeretici, sed ad perniciem, sicut Saul,* lib. 5. contra Donatist. de bap. c. 24; ita nos id ipsum Calvini argumento reponimus.

241. 2. *Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum* 1. Cor. 10, v. 21. *Jam vero indigni sunt in societate daemoniorum. Ergo non possunt corpus et sanguinem Domini in coena bibere.* Respondemus: 1. Apostolus loquitur de impossibilitate non facti, sed juris; Lyranus: *Non potestis calicem Domini et daemoniorum bibere, scilicet digne et cum effectu*

2. Non potestis calicem X. 403. Domini bibere et calicem daemoniorum. 1. Cor. 10, v. 21.

Digitized by Google

gratiae. Id ipsum enim taxat apostolus, quod de facto praestabant utrumque. Huc pertinet mos loquendi jurisconsultis usitatus: *Quae facta laedunt pietatem, honestatem, bonos mores etc. ea nec nos posse arbitremur.* 2. Ergo apostolus non agit de eo, quod simpliciter et nulla prorsus ratione fieri nequit, sed docet, quid pie et sine offensione Dei et bona cum conscientia fieri nequeat. 3. Calix Domini in sacra coena complectitur non solum sanguinem Christi, sed et vinum; mensa Domini complectitur non solum corpus Christi, sed et benedictum panem. Quodsi de tali bibitione et participatione apostolus loqueretur, quae cum societate calicis et mensae daemoniorum nulla prorsus ratione subsistere posset, sequeretur, ne quidem benedicti panis et benedicti vini indignos fieri participes, cum tamen c. seq. v. 27. expresse asserat, indignos ex calice Domini bibere. Ibidem etiam diserte testatur indignos *reos fieri corporis et sanguinis Domini,* inde et ideo quia *non dijudicant corpus Domini.* 4. Immotum igitur et invictum perstat, apostolum loqui de eo, quod bona conscientia et sine gravi peccato fieri nequit, atque hic mos loquendi in Scripturis sacris etiam alibi occurrit, Genes. 34, v. 14. Deut. 16, v. 5. c. 17, v. 15. c. 21, v. 16. Actor. 4, v. 20. etc. Idem colligitur ex eo, quod paulo post in illo ipso capite apostolus subjungit v. 24: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 5. Bibere calicem daemoniorum et mensae eorum esse participem aliter accipitur in textu apostolico quam in argumento adversariorum. Corinthii ad Christum ex gentilitate conversi intererant conviviis, quae parabant gentiles ex eis, quae diis suis sacrificaverant, ac putabant, illud tanquam externum quid sine laesione conscientiae et sine ulla pietatis jactura fieri posse. Sed cum *dii gentium sint daemonia* Psalm. 96, v. 5. ideo apostolus pronuntiat, hoc esse bibere calicem daemoniorum et mensae daeminiorum participem esse nec ulla ratione cum salutari et legitimo sacrae coenae usu posse subsistere. Hac ratione indigni in ecclesia non bibunt calicem daemoniorum, nec participant mensae eorum, sed tantum certo quodam intellectu et respectu, spiritualiter scilicet, unde in argumento exsistunt quatuor termini.

3 Accipere et rejicere sunt contraria. Indigni rejiciunt corpus Christi.

242. 3. *Accipere et rejicere sunt contraria. Indigni sua incredulitate Christum cum suis beneficiis rejiciunt. Ergo nec corpus ipsius participant.* **Pelargus in comp. suo theol. correcto p. 474: *Utrisque* (dignis et indignis) *quando accedunt, idem exhibetur sacramentum et Christus ipse generaliter omnibus corpus et sanguinem suum offert; sed quia infideles januam ejus liberalitati claudunt, non recipiunt, quod offertur.*** Respondemus: 1. Distinguendum inter coenae substantiam et salutarem efficaciam, sive ut Gregorius loquitur lbr. 4. dial. *inter essentiam et salutarem efficientiam.* Indigni rejiciunt salutarem coenae efficaciam, cum destituantur spirituali carnis Christi manducatione et sanguinis ejus bibitione, interim tamen accipiunt coenae substantiam atque omnia ejusdem essentialia, ad quae omnino pertinent corpus et sanguis Christi. 2. Ergo ex negata manducatione et bibitione spirituali non protinus inferri debet negatio manducationis et bibitionis sacramentalis. Illa dependet ex fide, quam cum indigni non afferant, ideo non ad vitam sed ad judicium manducant; haec vero unice et insolidum dependet ex Christi institutione, quam *incredulitas hominum non evertit nec abolet,* Rom. 3, v. 3. 3. Verbum Dei praedicatur incredulis et impoenitentibus, qui illud repellunt, Act. 13, v. 46. *Vobis nuntiatum est, quemadmodum et illis, sed non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei,* Hebr. 4, v. 2. X. 404. Quemadmodum igitur obstinati impoenitentes auribus verbum percipiunt, corde vero rejiciunt; sic indigni corpus et sanguinem Christi in sacra coena ore accipiunt, sed corde repudiant. 4. Quando igitur ab adversariis toties ingeminatur, panem esse communicationem corporis Christi, non nisi in vero usu coenae, quo cum destituantur indigni, ideo eos non fieri participes corporis Christi, respondendum est, usum coenae aliquando sumi pro actione a Christo instituta, in qua observantur omnes actus sacramentales ad integritatem et essentiam sacramenti pertinentes, aliquando vero accipi pro usu salutari et fructuoso, qui consistit in fide. Indigni carent vero usu coenae in sensu posteriori, nequaquam vero priori.

4. Pro solis credentibus Christus in cruce mortuus.

243. 4. *Illi solum accipiunt corpus Christi, pro quibus in mortem est traditum. Illi solum bibunt sanguinem Christi, pro quibus in ara crucis est effusus. Jam vero pro solis credentibus Christus in cruce mortuus est.* Respondemus: Ostendimus in tractatu de electione et reprobatione §. 107. et seqq. Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, cum sit *agnus Dei tollens peccatum mundi* Johan. 1, v. 29. cum sit *propitiatio non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis* 1. Johan. 2, v. 2. cum illos etiam pretioso corporis et sanguinis sui λύτρῳ emerit, *superinducunt sibi celerem perditionem* 2. Petri 2, v. 1. Invertimus igitur argumentum: Cum Christus in sacra coena etiam hypocritis et incredulis corpus suum manducandum et sanguinem suum bibendum offerat, eo ipso clarissime testatur, pro illis etiam in ara crucis esse mortuum ac corpus suum pro illis tradidisse et sanguinem suum pro peccatis ipsorum effudisse. Manducatio igitur indignorum manifestum praebet testimonium contra figmentum absolutae reprobationis et particularitatis meriti a Christo praestiti. Quibus Christus corpus et sanguinem suum offert, illis etiam offert beneficia traditione corporis et effusione sanguinis in ara crucis parta. Quibus Christus offert beneficia traditione corporis et effusione sanguinis sui in ara crucis parta, pro illis etiam corpus suum in mortem tradidit et sanguinem suum pro peccatis ipsorum effudit. Pro quibus Christus corpus suum in mortem tradidit et sanguinem suum pro peccatis eorum effudit, illi non sunt absoluto Dei odio et decreto a salute aeterna exclusi, sed illorum conversionem et vitam Deus serio quaerit, vult atque expetit, ut vere

Digitized by Google

a peccatis conversi beneficiorum Christi et vitae aeternae per fidem participes reddantur. Quemadmodum igitur ex universali praedicatione evangelii recte colligitur, beneficia Christi omnibus offerri; ita quoque ex institutione sacrae coenae recte colligitur, quia Christus mediante benedicto pane suum corpus et mediante benedicto vino suum sanguinem omnibus hujus coelestis convivii hospitibus manducandum ac bibendum exhibet, ideo neminem illorum absoluto Dei odio a beneficiis Christi exclusum esse. Si dicas, ut beneficia evangelii offeruntur quidem impoenitentibus, nequaquam vero applicantur, ita corpus et sanguinem Christi in sacra coena indignis quidem offerri, non tamen ab ipsis manducari ac bibi; respondemus, de spirituali manducatione ac bibitione, quae fit fide, rectissime id asseri, interim tamen ut praeter auditum evangelii internum cum fide et assensu conjunctum est auditus externus, ita praeter internam et spiritualem manducationem ac bibitionem est sacramentalis manducatio ac bibitio omnibus sacrae coenae hospitibus communis.

5. Nemo potest aliquid accipere ex testamento Romano nisi sit civis Romanus. X. 405.

244. 5. *Nemo potest aliquid accipere ex testamento Romano, nisi sit civis Romanus. Impii non sunt cives reipublicae Christianae. Ergo non accipiunt aliquid ex testamento Christi.* Alii argumentum sic informant: *Nemo accipit legata testamenti, nisi expressis verbis sit nominatus heres. Indigni et increduli non sunt in foedere gratiae, nec heredes coelestium bonorum. Ergo non accipiunt legata testamenti Dominici, corpus scilicet et sanguinem Christi.* Witakerus de eccles. q. 1. c. 9. arg. 4. Respondemus: 1. propositio deducta est ex jure fori humani, quod non praejudicat institutioni divinae. 2. Indigni etiamsi non sint vera et viva corporis Christi mystici membra, tamen sunt cives ecclesiae visibilis. 3. Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum habetur pro cive Romano et legata testamenti Romani accipit, qui utitur jure et legibus Romanis, etiamsi non sit probus civis, ita indigni etiamsi non sint vera et viva invisibilis ecclesiae membra, tamen quia sunt cives ecclesiae visibilis, verbum et sacramenta cum veris Christianis habent communia. 4. Verbi auditus exterior communis est bonis et malis, verbi auditus interior et salutaris solis credentibus convenit; ita manducatio sacramentalis corporis Christi, quae ad eucharistici sacramenti administrationem pertinet, non minus omnibus hujus coelestis convivii hospitibus est communis, sed manducatio spiritualis ac salutaris solis credentibus convenit. 5. Idem jus obtineret in baptismo, et sic adulti hypocritae non perciperent integrum baptisma ac proinde essent rebaptizandi. 6. Legata testamentorum de jure pertinent ad eos solum, qui in testamenti tabulis sunt nominati, sed de facto saepe transferuntur ad alios. Legat quis in testamento pecuniam suis liberis aut propinquis. Jam si praedo pecuniam illam intercipit, non desinit esse pecunia, etiamsi illi non fuerit destinata. 7. Sacramentalem corporis sui manducationem ac sanguinis sui bibitionem instituit Christus omnibus Christianis, qui panem benedictum manducant et ex calice eucharistico bibunt. Sed spiritualis corporis Christi manducatio et sanguinis ipsius bibitio pertinet ad solos credentes, qui vera fide salutariter manducant et bibunt, ac proinde accurate et proprie loquendo, legata in hoc testamento fidelibus promissa, sunt beneficia evangelii propria, videlicet remissio peccatorum, gratia Dei, salus aeterna etc. Corpus et sanguis Christi sunt sigilla promissionem illam obsignantia et confirmantia. Vide ea quae diximus superius §. 5. qu. 3.

6. Christus prohibet sanctum dare canibus Matth. 7, v. 6.

245. 6. *Quod Christus prohibet, ipse non facit. Atqui prohibet dare margaritas porcis et sanctum canibus Matth. 7, v. 6. Ergo corpus suum non dabit indignis.* Respondemus: quid indigni in sacra coena mandicent ac bibant, de eo non judicandum est ex consequentiis aliunde petitis, sed ex institutione Dominica et assertione apostolica 1. Cor. 11. Christus propter hominum incredulitatem atque indignitatem non mutat suam institutionem, sed abusum sanctissimi hujus mysterii in indignis gravissime vindicat. Sic Christus noverat, Judam esse indignum, neque tamen ab usu eucharistiae eum arcet, vel aliam coenam nudo pane et vino constantem pro illo instituit, sed praemissa gravi et seria dehortatione a concepto scelere una cum reliquis eum admittit, indignam vero manducationem ac bibitionem gravissime postea vindicat. Sic Christus se ipsum tradit in mortem, Pilatus et Judas itidem eum in mortem tradiderunt. Si quis colligere velit: Pilato et Judae prohibitum fuit Christum utpote innocentem in mortem tradere, ergo non est verisimile, quod Christus se ipsum in mortem tradiderit; quilibet videbit argumenti infirmitatem. ** Ursinus in catech. p. 593. ex historia Cananaeae Matth. 15. argumentum format: *Non est honestum panem filiorum projicere canibus. Corpus Christi est panis filiorum, impii vero sunt canes. Ergo impii et indigni non participant corpus et sanguinem Christi in coena.* Respondemus: 1. Canes proprie hoc loco non dicuntur impii in ecclesiae gremio constituti, sed gentiles, qui sunt extra ecclesiam; 2. panis non notat corpus Christi in coena vescendum, sed miraculorum gratiam; 3. canes vere edunt panem licet immerito objectum et filiis praereptum; 4. rem ipsam habemus in s. literis expressam, quam non potest evertere argumentum ex his verbis male applicatis sumtum. Consid. commonef. p. 803. atque Ursinus in catech. p. 594. sic concludunt: *Indigni edunt judicium. Ergo non corpus Christi.* Respondemus: subordinata non sunt opponenda. Edere corpus Christi sacramentaliter et edere judicium teste apostolo non sunt contraria. At edere corpus Christi spiritualiter et edere judicium contrarie opponuntur, quae simul consistere nequeunt.** Ex his de reliquis argumentis facile potest fieri judicium. Sic quando dicunt: *7. Ad infideles non pertinet promissio gratiae. Ergo nec sigillum promissionis coena Dominica;* respondemus: adversarii sigillum promissionis statuunt non corpus et sanguinem Christi, sed externa tantum elementa, ut constat. Ergo vi

X. 406. 7. Ad infideles non pertinet promissio gratiae.

Digitized by Google

hujus argumenti indigni ne quidem panem et vinum in sacra coena percipient. Dicimus autem, in sacramento coenae proponi duplicem promissionem (si vocabulum promissionis in sensu latiori accipiatur): unam vocare possumus absolutam de substantia, scilicet et praesentia corporis ac sanguinis Christi, haec ex aequo pertinet ad omnes coena utentes, rectius autem vocatur Christi institutio et ordinatio, ut monuimus superius; altera est relativa promissio, scilicet gratiae, quae quidem ratione juris (ut ita loquar) sive meriti Christi communis itidem ad omnes ex aequo pertinet, sed ratione facti, seu eventus, seu propriae culpae excluduntur ab ea increduli, quippe qui promissionem illam gratiae fide sibi non applicant. Sic ergo sacramenta pro omnibus Christianis sunt instituta, sed non omnibus sunt salutaria. Quemadmodum promissio evangelii eadem manet, sive quis fide eam amplectatur, sive minus; sic est idem sacramentum, sive dignus eo utatur, sive indignus.

Dicta patrum contra manducationem indignorum.

246. Ex Augustino etiam quaedam contra manducationem indignorum proferunt, sed quae parum roboris habent, si attendantur ea, quae ex ipso Augustino pro nostra sententia superius adduximus. 1. Tract. 59. in Joh. non longe a princip. dicit, *Judam manducasse panem Domini, reliquos apostolos manducasse panem Dominum.* Respondemus: τὸ *manducare panem Domini* exprimit sacramentalem manducationem phrasi deducta ex 1. Corinth. 11, v. 27: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne* etc. Ut apostolus poculum eucharisticum vocat *calicem Domini;* ita Augustinus panem eucharisticum vocat *panem Domini.* τὸ *manducare panem Dominum* notat spiritualem et salutarem manducationem phrasi deducta ex Johann. 6, v. 32. ubi Christus se vocat *verum panem* et v. 35. *panem vitae.* Quemadmodum igitur apostolus per calicem Domini non intelligit nudum vinum, sed totum illud, quod in calice eucharistico nobis exhibetur, a quo sanguis novi testamenti non potest excludi; ita quoque Augustinus per *panem Domini* non intelligit nudum panem, sed illum panem, qui est κοινωνία corporis Christi. Sensus ergo dicti hic est: reliqui apostoli ita manducabant panem eucharisticum, ut Christum ipsum panem vitae, qui de coelo descendit, fide simul amplecterentur et sacramentali manducationi spiritualem conjungerent. Judas vero manducavit panem Domini, id est panem eucharisticum, qui cum constet re terrena et coelesti, ideo non est solum panis, sed etiam Christi corpus, nec tamen fide amplexus est Christum, ut sacramentali manducationi exemplo reliquorum apostolorum spiritualem conjungeret. 2. Libr. 21. de civ. Dei c. 25: *Non sunt dicendi manducare corpus Christi, qui non in membris Christi computandi sunt.* Respondemus: disserit contra eos, qui sibi liberationem ab aeterno igne promittebant, ideo quia de corpore et sanguine Christi participarunt, quomodolibet vixerint et in quacunque impietate fuerint, quia scriptum sit: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem, habet vitam aeternam.* Docet autem, quinam sint dicendi re vera, id est salutariter, manducasse corpus Christi, non qui solo sacramento aut sacramentotenus manducaverunt, possunt enim hoc facere etiam impii, sed qui in fide Christi perseverant. De spirituali igitur et utili, non de sacramentali manducatione tractat, nec substantiam cibi sacramentalis, sed modum solummodo manducationis X. 407. in his et similibus dictis distinguit, ut ex clarissimis ejusdem pronuntiatis, quae superius adduximus, satis manifeste elucet.

CAPUT XXIII.

DE VERA ET SALUTARI PRAEPARATIONE AD DIGNUM SACRAE COENAE USUM.

Necessitas probationis.

247. Cum illi, qui indigne manducant et bibunt in sacra coena, rei fiant corporis et sanguinis Domini, adeoque judicium sibi manducent ac bibant 1. Cor. 11, v. 27. et 29; ideo vera et salutaris praeparatio ante usum sacrae coenae summe necessaria erit, ne illud, quod ad vitam institutum est, ad mortem et exitium nobis cedat, neve medicina convertatur nobis in venenum. Hanc veram et salutarem praeparationem usui sacrae coenae praemittendam unico vocabulo apostolus exprimit v. 28: *Probet se ipsum homo,* δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτόν. Indefinite pronuntiat, *homo* se ipsum probet, ut ostendat, ab omnibus omnino probationem illam requiri, qui volunt esse coelestis hujus convivii hospites, neque quemquam ad illud sanctitatis culmen pervenisse, in quo probatione illa minime indigeat. Est autem δοκιμάζειν exacte explorare et singulari studio inquirere naturam, proprietates omnesque adeo recessus illius objecti, circa quod probatio versatur. Sic Deus dicitur *probare corda hominum, probare corda et renes,* hoc est interiorem cordis fundum perspicit atque exacte intuetur abditissima quaeque in corde hominis, quia renes etiam aperto inferiore ventre non sunt oculis nostris obvii, sed latent adipe tecti. Psalm. 11, v. 5: *Dominus probat justum;* in Hebr. est בָּחַן, quod usurpatur de probatione auri, Zach. 13, v. 9: *Probabo eos, sicut probant aurum.* unde LXX Proverb. 17, v. 3. utuntur δοκιμάζειν pro צָרַף, quod est probare metalla, igne ea excoquere et a scoriis purgare. Psalm. 17, v. 3: *Probasti cor meum, visitasti nocte, conflasti me, non invenies.* Psalm. 139, v. 1: *Domine investigasti me,* חָקַר, perscrutatus est, remota et abstrusa exploravit. Proverb. 17, v. 3: *Sicut conflatorium argento et caminus auro, sic corda probans Dominus.* Jerem. 17, v. 9: *Supplantativum est cor prae omnibus et perversum, quis cognoscet illud?* v. 10: *Ego Dominus scrutans cor, probans renes,* ubi conjunguntur חָקַר et בָּחַן. Sic

Digitized by Google

probare jubemur *Dei voluntatem* Rom. 2, v. 18. c. 12, v. 2. Ephes. 5, v. 10. Phil. 1, v. 10. hoc est ex verbo diligenter inquirere et discere, quae sit bona Dei voluntas, quid ipsi gratum et acceptum. *Probare* jubemur *spiritus* 1. Joh. 4, v. 1. *omnia probare, quod bonum est tenere* 1. Thess. 5, v. 21. hoc est summo studio in doctrinam inquirere, an sit conveniens verbo Dei; *probare* et tentare jubemur *nos ipsos, an in fide simus* 2. Cor. 13, v. 5. *probare nostrum opus* Galat. 6, v. 4. hoc est solicite cavere, ne qua hypocrisis fidei et operibus nostris admixta sit. Rom. 1, v. 28. *νοῦς ἀδόκιμος, mens reproba est*, quae vitam ita instituit, ut nec consideret, nec curet, etiamsi Deo, hominibus et propriae conscientiae improbentur, quae agit. Quando igitur jubet apostolus, *ut probet se ipsum homo, antequam panem illum edat et ex calice Domini bibat*, hoc vult, quod accessurus ad sacram coenam diligenti et accurato studio suam naturam, vitam, propositum, cogitationes, actiones adeoque intimos cordis sui recessus explorare et juxta normam legis divinae examinare debeat, cum non vulgare epulum, sed coeleste convivium in hac sacra coena sibi habeat propositum, ad quod qui indigne accedit, judicium sibi manducat ac bibit. Complectitur igitur haec *δοκιμασία* partes verae et salutaris poenitentiae, videlicet primo peccati agnitionem ac seriam ejusdem deplorationem, ubi expendenda est ira Dei adversus peccata ac poenae temporales et aeternae iisdem promeritae; deinde fiducialem misericordiae divinae implorationem, ubi expendendae
X. 408. promissiones evangelii, quas confirmat et obsignat usus sacrae coenae, ex quibus efflorescit propositum a peccatis desistendi et vitam juxta normam legis divinae instituendi, reconciliatio fraterna, precatio seria, gratiarum actio devota, reverentia erga hoc mysterium debita etc.

Quid sit se ipsum probare.

248. Sed jucundius est ex ipsis verbis apostoli inquirere, quidnam ad veram et salutarem illam probationem usui sacrae coenae conjungendam requiratur, cum non in genere solum apostolus pronuntiarit, probationem sui esse necessariam, sed etiam in specie exposuerit, in quibus partibus illa probatio consistat. *1. Si nos ipsos dijudicaremus*, ait v. 31. *non utique judicaremur*. Innuit igitur, quod is, qui velit se ipsum recte et legitime probare, se ipsum etiam debeat dijudicare. *διακρίνειν* alias significat discernere, ambigere, dubitare, certare etc. sed hae significationes sunt ab hoc loco alienae. Matth. 16, v. 3. *faciem coeli* dicuntur *διακρίνειν, dijudicare,* qui ex rubedine vespertina serenitatem, ex rubedine vero matutina tempestatem colligunt. 1. Cor. 6, v. 5. *inter fratres διακρίνειν* dicitur, qui de causis ipsorum cognoscit et aequo judicio lites eorum componit. 1. Cor. 14, v. 29: *Prophetae duo vel tres loquantur, reliqui vero dijudicent*, ubi *διακρίνειν* ponitur pro *δοκιμάζειν*, eodem enim sensu Johannes jubet probare spiritus, *δοκιμάζειν τὰ πνεύματα* 1. epist. 4, v. 1. quo Paulus hoc loco jubet dijudicare prophetas, et Judas v. 9. *διακρίνειν* pseudodoctores. LXX utuntur pro בחן probavit, exploravit Joh. 12, v. 11. c. 23, v. 10. pro ברר purificavit, expurgavit Eccles. 3, v. 19. pro דין judicavit, potestatem judiciariam exercuit, sententiam ex fundamento juris et justitiae pronuntiavit 2. Reg. 19, v. 9. Psalm. 49, v. 5. Prov. 31, v. 9. etc. pro שפט judicavit, judicium tulit Exod. 18, v. 16. 1. Reg. 3, v. 9. Psalm. 81, v. 1. etc. hae significationes omnes huc quodammodo accommodari possunt. Ideo enim vocabulo forensi apostolus utitur, ut ostendat, probationem illam non debere esse superficiariam, sed maxime seriam. Quia enim propter peccata nostra a Domino judicamur, hoc est in jus vocamur et propter ea poenis temporalibus et aeternis affligimur, ideo nos ipsos debemus judicare, hoc est coram Dei judicio multorum peccatorum reos agnoscere, severitatem judicii divini deprecari et a throno justitiae ad thronum misericordiae appellare. Debemus etiam hoc modo nos ipsos judicare, ut ad normam legis divinae omnes nostras actiones ac vitam omnem examinemus, ut hac ratione verum et infucatum judicium de extrema naturae nostrae per peccatum corruptione ferre possimus et agnoscentes iram Dei adversus peccata coram ipso humiliemur. Et quia in hoc ipso versiculo apostolus eos divinitus judicari pronuntiat, qui se ipsos non dijudicant, hoc est poenis a Deo affligi atque corripi, ut in seq. versu explicatio additur; ideo *διακρίνειν* illud commodissime refertur ad interiorem illum cordis dolorem et ad morsus conscientiae, qui in vera et seria contritione propter peccatum sentiuntur. Chrysostomus homil. 28. in 1. Cor. 11. super verba *εἰ ἑαυτοὺς ἐκρίνομεν*, si nos ipsos judicaremus: *οὐκ εἶπεν, εἰ ἐκολάζομεν ἑαυτοὺς, εἰ ἐτιμωρούμεθα, ἀλλὰ μόνον εἰ ἐπιγνῶναι τὰ ἁμαρτήματα ἐβουλήθημεν, εἰ καταδικάσαι ἑαυτοὺς, εἰ καταγνῶναι τῶν πεπλημμελημένων, ἀπηλλάγημεν ἂν καὶ τῆς ἐνταῦθα καὶ τῆς ἐκεῖσε τιμωρίας, non dixit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo, quod et hic et illic est supplicio.*

249. 2. *Qui manducat indigne*, ait v. 29. *judicium sibi manducat, μὴ διακρίνων, non discernens corpus Domini.* Innuit, ad veram et legitimam probationem sui sacrae coenae conjungendam etiam hoc requiri, ut disernamus corpus Domini. *Διακρίνειν* hic significat discernere, secernere, quo sensu usurpatur Actor. 10, v. 20. c. 15, v. 9. 1. Cor. 4, v. 7. Hebr. 5, v. 14. Ergo *διακρίνειν* corpus Domini et cibum eucharisticum eo modo a vulgaribus cibis separare, ut statuamus, vere adesse et mediante pane nobis exhiberi in sacra coena corpus Christi. X. 409.
Quemadmodum igitur *διάκρισις* sui ipsius juxta normam legis divinae instituenda, ita haec *διάκρισις* corporis Dominici juxta normam verborum institutionis fieri debet, siquidem ea manifeste ostendunt, non vulgare aliquod epulum, sed coeleste convivium in hac coena nobis proponi, in qua Christus

Digitized by Google

ipse praesens adsit, atque ipsemet suo corpore et sanguine nos alat ad confirmandam promissionem de remissione peccatorum atque ad spiritualem unionem capitis et corporis mystici perficiendam. Haec διάκρισις et consideratio fidem nostram confirmare poterit, ut certo statuamus, in sacra coena vere adesse corpus et sanguinem Christi et exhibitione hujus pretiosissimi thesauri nobis offerri, exhiberi, applicari et obsignari ea, quae Christus traditione sui corporis et effusione sui sanguinis in ara crucis nobis promeruit. Ut ergo διάκρισις sui ipsius ad priorem poenitentiae partem, ad veram scilicet et seriam contritionem; ita διάκρισις corporis Dominici ad posteriorem poenitentiae partem, ad fidem scilicet referri potest, siquidem Christus in verbis institutionis notanter pronuntiat, illud ipsum corpus in sacra coena nobis manducandum dari, quod pro nobis in mortem tradidit, illum ipsum sanguinem nobis bibendum exhiberi, qui in remissionem peccatorum in ara crucis est effusus; haec ergo verba firma fide amplectamur et promissionem de remissione peccatorum usu sacrae coenae nobis confirmari et obsignari statuamus. Et quia fundamentum fidei et omnis consolationis ex sacra coena petendae consistit in eo, ut de vera corporis et sanguinis Christi praesentia certi simus, ideo apostolus revocat Corinthios ad verba institutionis, in quibus praesentia illa diserte stabilitur, atque hoc nomine eos objurgat, quod non accedant ad sacram coenam majori reverentia quam ad vulgares epulas 1. Cor. 11, v. 20. et 21. Augustinus tract. 62. in Joh.: *Cum apostolus diceret, reus erit corporis Domini, de iis erat sermo, qui Domini corpus veluti quemlibet alium cibum indiscrete negligenterque sumebant.* Oecumenius in 1. Cor. 11: *Non dijudicans, hoc est non perpendens magnitudinem eorum, quae in coena Dominica praesentia et proposita sunt, nec considerans doni amplitudinem. Si enim diligenter didiceris, quis sit ὁ προκείμενος, qui propositus est, et quis exsistens, cui se ipsum donet, non opus erit alia exhortatione, sed hoc sufficiet, nisi prorsus sis desperatus.* Damascenus libr. 4. c. 14. orth. fid. dignos vocat τῇ πίστει ἀξίως μεταλαμβάνοντας, indignos autem τῇ ἀπιστίᾳ ἀναξίως μετέχοντας. Huc pertinet locus apostolicus 2. Cor. 13, v. 5: *Vosmet ipsos tentate, an sitis in fide, ipsi vos probate, δοκιμάζετε* etc.

250. *3. Quotiescunque manducabitis* (inquit v. 26.) *panem hunc et calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ostendit igitur, ad salutarem praeparationem et legitimum coenae usum requiri annuntiationem mortis Dominicae. Καταγγέλλειν est publice annuntiare, praedicare, laudare, et ut plurimum tribuitur ministris ecclesiae verbum Dei publice praedicantibus et annuntiantibus Act. 4, v. 2. c. 13, v. 5. c. 15, v. 36. etc. Et quia per particulam αἰτιολογικὴν γάρ haec verba de annuntiatione mortis Dominicae prioribus conjungit apostolus, ideo ostendit, ex sede institutionis Dominicae ea petita esse et complecti ἀνάμνησιν illam Christi in verbis institutionis ab ipso Christo expressam. *Edite, hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem; bibite, hic calix est novi testamenti in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.* Haec ἀνάμνησις mortis Dominicae erit simul ἀνάμνησις nostrorum peccatorum et mortis aeternae peccatis nostris promeritae, siquidem Christus *mortuus est propter peccata nostra* Rom. 4, v. 25. quorum *stipendia sunt mors* temporalis et aeterna Rom. 6, v. 23. ergo meditatio mortis Christi ob oculos nobis statuet magnitudinem peccatorum nostrorum, quod nullo alio λύτρῳ quam ipsius Filii Dei morte et sanguine eadem expiari potuerint, et gravitatem irae divinae adversus peccata, cujus ignis non nisi ipsius Filii Dei sanguine exstingui potuit, Esa. 43, v. 24. c. 53, v. 5. 1. Cor. 15, v. 3. Gal. 1, v. 4. 1. Petr. 2, v. 24. Hac ratione ἀνάμνησις mortis Dominicae adminiculatur legi divinae, quae peccata nostra et iram Dei adversus peccata nobis X. 410.
manifestat, Rom. 3, v. 20. c. 4, v. 15. ut vera et seria contritio in cordibus nostris inde excitetur, augeatur atque crescat. Eadem ἀνάμνησις mortis Dominicae etiam fidem nostram confirmat et auget, quia enim *sanguis Christi mundat nos ab omnibus peccatis* 1. Joh. 1, v. 7. ideo in conspectu Dei cor nostrum quietum reddere possumus, 1. Joh. 3, v. 19. et quae major fidei confirmatio esse possit, quam quod ipsum illud corpus pro nobis in mortem traditum manducamus et ipsum illum sanguinem pro peccatis nostris effusum bibimus? Ad hanc vero ἀνάμνησιν interiorem accedere debet exterior et publica mortis Dominicae annuntiatio, praedicatio et gratiarum actio, ita enim sumitur cognatum ἀναγγέλλειν Hebr. נָגַד Psalm. 9, v. 12. Psalm. 51, v. 16. etc. ut in ecclesiae coetu et congregatione sanctorum gratias Christo agamus, quod adeo nos dilexerit, ut in mortem sese nostri loco tradiderit Gal. 2, v. 20. Quia vero non verbis solum, sed re et factis Christus nos honoravit, ideo haec praedicatio et gratiarum actio non nudis verbis, sed re ipsa et operibus etiam peragi debet, eo scilicet modo: 1. ut ex animo detestemur peccata et serium concipiamus propositum eadem tanquam venenum, imo mortem animae sedulo cavendi. Quomodo enim id gratum et jucundum nobis esse poterit, quod Christo tantos dolores peperit? Quomodo id delectaret nos in vita, quod Christo fuit causa mortis? An non aequissimum est, illi nos vivere et servire, qui propter nos mori voluit? 2. Cor. 5, v. 15. Qui vero peccatis adhuc delectatur et secure eis indulget, is tantum abest, ut salutariter mortis Dominicae recordetur eamque annuntiet, ut potius Filium Dei pedibus conculcare et sanguinem ejus polluere judicandus sit, Hebr. 10, v. 29. 2. Ut ex animo condonemus proximo sua παραπτώματα ac fraterne eidem reconciliemur. Qui enim vere credit, Deum propter Christi mortem ac satisfactionem ex gratia tot ac tanta nobis condonare delicta, is proximo longe minora errata promte condonabit. Col. 3. v. 13: *Induite viscera misericordiae donantes, χαριζόμενοι, vobis invicem, si quis adversus aliquem ha-*

Digitized by Google

bet querelam, sicut Christus donavit nobis, ita et vos. Matth. 5, v. 23. c. 6, v. 14. etc. 3. Ut vitae emendatione pro Christi morte et beneficiis ejus nos gratos exhibeamus, ideoque seriis gemitibus precemur gratiam et donationem Spiritus sancti ac spiritualem inhabitationem Christi, ut fructus Spiritus in nobis augeantur et crescant, nosque in vero Dei timore in fide et dilectione, in omnibus virtutibus Christianis ad finem usque vitae conservemur et quotidie incrementum capiamus. 1. Pet. 2, v. 24: *Christus peccata nostra sustulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus.* 1. Joh. 3, v. 5: *Christus apparuit, ut peccata nostra tolleret, omnis qui in eo manet, non peccat, et omnis qui peccat, non vidit eum,* nec cognovit eum. Apoc. 1, v. 5: *Christus lavit nos a peccatis suo sanguine,* v. 6: *et fecit nos coram deo reges* (ut dominemur pravis carnis nostrae concupiscentiis) *et sacerdotes* (ut exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum Rom. 12, v. 1.)

Adminicula istius probationis. 251. Probatio igitur illa quam apostolus requirit, in vera et seria poenitentia consistit, cui in cordibus nostris excitandae et augendae quid inservire possit, late expositum est sub finem tractatus de poenitentia. Ac pertinent huc exercitia poenitentiae et salutaris praeparationis adminicula, quorum quaedam etiam in veteri ecclesia ante usum sacrae coenae praemitti solita, utpote: 1. Publica ἐξομολόγησις et post expleta poenitentiae tempora reconciliatio cum ecclesia requisita ab iis, qui publicis scandalis eam offenderunt. Si enim fratri a nobis offenso reconciliari debemus, antequam dona nostra ad altare feramus, Matth. 5, v. 24. quanto magis communioni fratrum, hoc est ecclesiae, publicis scandalis offensae reconciliari debemus, antequam ex mensa Dominica symbolum unionis et fraternitatis accipiamus. Cyprianus serm. de lapsis ante med. p. 222: *Contra evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio.*

1. Publica ἐξομολόγησις.

X. 411. *Irrita et falsa pax periculosa dantibus et nihil accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam* etc. *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus corpus Domini invadunt* etc. *Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Vide etiam lib. 3. epist. 14. 15. 16. 2. Privata peccatorum confessio facta ministro ecclesiae, ut explorari possit, an accessurus ad sacram coenam se ipsum probet, hoc est an peccata sua ex lege agnoscat, serio de illis doleat, fide Christum amplectatur et serium habeat vitam emendandi propositum. Hac ratione impoenitentes emendari, negligentes excitari, rudes informari, consternati

2. Privata peccatorum confessio.

evangelica consolatione erigi et indignus sacrae coenae usus praecaveri poterit. Chrysostomus homil. 60. ad pop. Antioch. circa med.: *Nullus Judas assistat, nullus avarus. Si quis est discipulus adsit* etc. *Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis et immisericors, nemo prorsus immundus, haec ad communicantes dico et ad vos ministrantes. Nam et ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio haec dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quem cujuspiam conscium nequitiae hujus mensae participem esse concedatis, sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiae sit, sive praefectus, sive princeps diademate coronatus, indigne autem accedat, prohibe, majorem illo potestatem habes. Tu vero si tibi quidem aquae fons traditus fuisset purus gregi custodiendus et pecudem multum ore fimum habentem vidisses, deorsum inclinari non permisisses et fluentem turbare; nunc vero non aquae, sed sanguinis et Spiritus fontem habens creditum et coeno foedius habentes peccatum videns accedentes non indignaris, nec arces* etc. 3. Scrutinium conscientiae postpositis per aliquot dies negotiis mundanis ante usum sacrae coenae institutum, ut peccatorum agnitio ex praeceptis decalogi omnibus et singulis accurate pensitatis in cordibus excitetur, desiderium hujus coelestis cibi et debita erga hoc mysterium reverentia accendatur. 4. Reconciliatio fraterna cum proximo. Ad salutarem enim usum coenae requiritur fides, vera fides exserit se per dilectionem, dilectio exserit se per fraternam reconciliationem; proinde sine antegressa fraterna reconciliatione non habet locum salutaris sacrae coenae usus. Chrysostomus homil. de prodit. Judae circa finem: *Si tibi contra inimicum tuum dolor est, solve iram, inimicitias laxa, ut remedium de mensa percipias. Ad sanctum et terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcanae, occisus propositus Christus est, et cur occisus est, videamus, ut coelestia pacificet, ut in terra reconciliet universa, ut amicum te constituat angelorum, ut Deo societ habenti omnium potestatem. Animam suam pro te Dominus dedit, et tu inimicus conservo perduras et cum hoc animo ad mensam pacis accedis? Ille ne mori quidem pro tua utilitate recusavit, et tu nec iram tuam conservo pro tua liberatione concedis? Sed forsitan dicis, ab inimico fraudatus sum, multis me laesit dispendiis, magnis me detrimentis oneravit. Quidquid dixeris, pecuniarum vertitur causa; non te crucifixit sicut Judaei Christum, et tamen ille effusum sanguinem ad salutem eorum, qui effuderunt, larga pietate concessit* etc. 5. Jejunium vel abstinentia unius vel plurium dierum, ut ad peccata agnoscenda ac deploranda humiliores, ad salutarem sacrae coenae usum paratiores et ad preces serias fundendas attentiores essent. Chemnicius part. 4. exam. concil. Tridentini de jejunio cap. quae et qualis sit Pontific. doctrina de jejunio pag. 196: *Jejunium paedagogicum, quod in testimoniis et exemplis Scripturae describitur et in veteri priori ecclesiae usitatum fuit, eccle-* X. 412.

3. Scrutinium conscientiae.

4. Reconciliatio cum proximo.

5. Jejunium.

Digitized by Google

siis nostris proponimus et ad talia exercitia, sicut in Scriptura proponuntur; quando carnis vel petulantia vel inertia hoc postulat, ad studium seriae poenitentiae, orationis, meditationis verbi et sacramentorum, auditores nostros exhortamur. Ac multi sunt, qui accessuri ad meditationem verbi, ad exercitia precum communium et ad communionem sacramentorum, pridie vel a coena abstinent, vel certe parcissime coenant. Exercitia vero talia Scripturis consentanea non magis vigere et florere dolemus, utque juxta Scripturae normam et exempla sine superstitionis legibus et impiis opinionibus publice et privatim restitui aliquando possint ex animo optamus. 6. Publica ἔντευξις ecclesiae pro iis, qui ad sacram communionem accedunt, ut Deus Spiritu suo veram poenitentiam ac salutarem praeparationem ad usum hujus sanctissimi mysterii in cordibus ipsorum operetur, ne indigna manducatione ac bibitione reatum divini judicii sibi contrahant. Jac. 5, v. 16: *Orate pro vobis invicem, ut sanemini, multum enim valet deprecatio justi efficax.* Haec poenitentiae exercitia et salutaris praeparationis adminicula non sunt negligenda aut parvi pendenda, sed pro ratione cujusque ecclesiae ac singulorum communicantium diligenter observanda, ut indignus hujus coelestis cibi ac potus usus, quantum fieri potest, praecaveatur; ubi tamen monendum, dignam illam praeparationem indignorum manducationi oppositam nequaquam consistere in omnimoda infirmitatum humanarum carentia et plenaria accessuri ad hoc sacramentum dignitate, ita ut sit comparatio quaedam seu proportio praestantiae sumentis ad praestantiam hujus sacramenti, sed in vera poenitentia, cujus pars est propriae indignitatis agnitio ac deploratio, ut scilicet cum patriarcha Jacobo dicamus Gen. 32, v. 10: *Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis;* cum centurione Capernaitico Matth. 8, v. 8: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* cum prodigo converso et reverso Luc. 15, v. 19: *Non sum dignus vocari filius tuus.* Si majestatem hospitis, qui est Christus Dei Filius, et dignitatem cibi ac potus in hoc coelesti convivio nobis propositi, qui est Christi corpus et sanguis, intueri atque expendere velimus, omnes fateri cogimur, nos indignos esse; sed quemadmodum ex gratia Deus dignatur pios vitae aeternae donatione, Luc. 20, v. 35. 2. Thess. 1, v. 5. Apoc. 3, v. 4. ita quoque ex gratia dignos coelestis hujus convivii hospites judicat ac pronuntiat, qui in vera poenitentia et fide ad illud accedunt, qui se ipsos judicant, corpus Domini discernunt et mortem Domini grato pectore annuntiant.

6. Ἔντευξις ecclesiae.

Pontificiorum sententia de praeparatione.

252. Bellarminus lib. 4. de eucharist. c. 17. adductis quibusdam Lutheri dictis probare conatur, Lutherum docuisse, *non requiri ad dignam praeparationem communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis, imo quo plurium et majorum sibi conscius est, eo esse aptiorem ad eucharistiam.* Item, *ad praeparationem eucharistiae non requiri, ut quis per confessionem et poenitentiam a peccatis justificetur, sed satis esse fidem, qua certo credat, sibi in eo sacramento nostra peccata omnia esse remittenda.* Sed ostendimus superius §. 216. et ipsae locorum circumstantiae manifeste ostendunt, quomodo illa Lutheri pronuntiata, quae in alienum plane sensum detorquet Bellarminus, sint intelligenda. Ex illis, quae hactenus dicta sunt, sententia nostrarum ecclesiarum de salutari praeparatione ad dignum sacrae coenae usum omnino necesaria, satis est conspicua. Praeparationem, quae adhibenda est, ut digne quis sanctam eucharistiam percipiat, non habemus pro re adiaphora et indifferente, sed cum apostolo pronuntiamus, eos qui non probant se ipsos atque ob id indigne manducant, judicium sibi manducare, ita ut rei efficiantur violati corporis et sanguinis Christi. Quod concil. Trident. sess. 13. can. 11. et ex eo Bellarminus h. l. damnant Lutheri propositionem in lib. de captiv. Babylon. *dignam praeparationem non esse nisi fidem, qua creditur divinae promissioni, quae in coena Dominica proponitur et offertur*, illud jam ante diligenter expositum est a D. Chemnicio in examine illus canonis. *Quando* (inquit) *Tridentini dicunt, se illos damnare, qui sentiunt, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam, verba ita posita sunt, ut videantur nobis tribuere hanc sententiam, etiamsi quis sine poenitentia in sceleribus perseveret et pergat et retineat propositum malefaciendi, modo tantum historicam fidem de substantia sacramenti habeat, vel concipiat Epicuream perversionem de impunitate impoenitentiae satis paratum esse ad dignam manducationem in coena Dominica; sed falso hoc nostris ecclesis tribui ex iis, quae de vera probatione diximus, manifestum est.* Et postea: *Lutherus non excludit agnitionem peccatorum nostrorum, contritionem seu poenitentiam, sed pugnat contra Pontificios, qui et ipsi habent et aliis proponunt multa et varia praeparatoria opera, quibus expletis existimant, se satis digne paratos ad celebrandam vel audiendam missam et ad ipsam etiam communionem, ita ut de fide petente, quaerente, apprehendente et accipiente promissionem N. T. in coena nihil soliciti sint. Ipsam etiam poenitentiam hac ratione requirunt, ut ejus operibus et merito tribuant dignam praeparationem, ita ut salutaris manducatio nostra dignitate et puritate, nostris operibus praeparatoriis et meritis nitatur.* Haec et plura ibidem Chemnicius, quae Bellarminus non attingit, sed disputat, praeparationem ad eucharistiam includere veram poenitentiam, quod nemo nostrum unquam negavit, aut in Pontificiis improbavit; illud vero in doctrina Pontificia de praeparatione ad eucharistiam improbamus: 1. quod non faciunt mentionem fidei, quae petit, apprehendit et accipit promissionem novi testamenti, quam Filius Dei singulis vescentibus exhibitione corporis et sanguinis sui in sacra coena offert, communicat et obsignat. 2. Quod per fidem, quam ad salutarem usum sacrae coenae vel maxime requiri dicimus, intelligunt historicam tantum fidem, sicque

X. 413.

Digitized by Google

nostram sententiam depravant. 3. Quod fidei opponunt poenitentiam, cum tamen vera fides non habeat locum nisi in cordibus vere poenitentium. 4. Quod praeparatoriis nostris operibus meritoriam quandam salutaris communicationis dignitatem tribuunt, cum tamen promissio de remissione peccatorum, quam usus sacrae coenae confirmat et obsignat, non sit nostrorum operum meritum, nec operibus nostris, sed sola fide applicetur. 5. Quod per confessionem, quam ad dignam praeparationem requirunt, intelligunt plenariam peccatorum enumerationem, ita ut in ipso opere confessionis dignitas illa statuatur. 6. Quod propositum satisfaciendi pro peccatis ac promtam susceptionem operum satisfactionis, quae in confessione injunguntur, praeparationi includunt. 7. Quod statuunt, neminem posse esse certum de digna praeparatione, ideoque perpetuas dubitationes in cordibus hominum alunt. Disputant enim, esse quandam praeparationem sufficientiae et veritatis, quae consistat in peccati omnis expulsione, in reverentia et dilectione; aliam dicunt esse praeparationem probabilitatis, quando homo faciendo, quod in se est, judicio propriae conscientiae existimat se esse paratum; hanc posteriorem praeparationem saepe secundum veritatem non esse sufficientem addunt. Quare cum incertum sit, quando habemus praeparationem veritatis, quando probabilitatis, semper incerta erit conscientia, an digne vel indigne manducet, atque ita eripitur piis mentibus consolatio, quam ex usu sacrae coenae percipere debebant. 8. Quod sanctitatem illam, cum qua ad sacram eucharistiam accedendum sit, ita interpretantur, ut nostris operibus et satisfactionibus ante communionem talem mundiciem ac puritatem nobis acquiramus, ut non opus sit eucharistia uti, ad obsignationem promissionis de remissione peccatorum, sed quod nostra puritas jam digna sit, cui Christus suo corpore et sanguine sese conjungat. Haec sunt, quae in doctrina Pontificia de praeparatione ad eucharistiam desideramus, sed veram poenitentiam a communicantibus requiri, ut eos, qui in peccatis contra conscientiam sine poenitentia adhuc haerent, ab usu sacrae coenae arceri, id vero fieri non solum non improbamus, sed etiam debere fieri totis viribus propugnamus.

X. 414. Dicta veterum de praeparatione.

253. Nequaquam igitur improbamus, sed urgemus et inculcamus auditoribus nostris dicta piorum veterum, quibus poenitentiam, puritatem, innocentiam, sanctitatem etc. requirunt ab accessuris ad coenam Dominicam. Justinus apol. 1. pro Christ. circa finem: *Hoc alimentum apud nos appellatur eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti et lavacro propter remissionem peccatorum et regenerationem abluto et ita, ut Christus tradidit, viventi.* Basilius lib. 2. de baptismo c. 3. probat, *quam periculosum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento corporis et spiritus edat corpus Domini ejusque sanguinem bibat*, quem locum adduximus superius §. 237. Ambrosius lib. 7. c. 66. comment. in Luc.: *Nemo ad eucharistiam admittatur, nisi signaculum justitiae vel custodierit vel receperit.* Chrysostomus homil. 3. ad Ephes.: *Cum tali puritate accede semper, sine hac ne praesumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, et regem coelorum impudens oscularis anima tua vitiis olente* etc. Augustinus de eccles. dogmat. c. 53: *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico eucharistiae perceptione quam purificari.* Tract. 26. in Joh.: *Innocentiam ad altare portate peccati, et si sunt quotidiana, non vel sint mortifera.* Serm. dom. 1. adv. tom. 10: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur et magis occiditur, quam vivificatur.* Hesychius lib. 6. in c. 22. Levit.: *Polluti non sunt admittendi, nec mundati prohibendi. Qui semet ipsum probat, si peccati sibi conscius est et pollutionem animae habere se sentit, poenitet sine dubio et post poenitentiam de pane comedere et de calice sancto et impolluto bibere potest.* Bernhardus sermon. de coena hac similitudine utitur: *quod sicut serpens aquas ingressurus venenum deponit, ita quoque accessuri ad coenam Dominicam peccati venenum deponere debeamus.* Nequaquam vero his et similibus dictis vel fidem in usu coenae confirmationem promissionis de remissione peccatorum quaerentem excludunt, vel omnimodam omnis infirmitatis carentiam et meritoriam quandam in nobis dignitatem requirunt, ut enim pars perfectionis Christianae est imperfectionem suam agnoscere et deplorare, ita etiam pars dignitatis est indignitatem suam in vera poenitentia agnoscere et profiteri, inde Augustinus inquit: *Sacramentum hoc interioris hominis esuriem quaerit, ideo ad participandum illud ineptus est, qui peccatum et infirmitatem suam non sentit.* Tract. 26. in Joh. disputat: *Qui credit in Christum, manducat ipsum, ut et in Christo maneat et Christum manentem in se habeat; qui vero hac fide vacuus accedit, foris manducat, non intus, premit dente, non capit mente.* De Monica matre sua inquit, *quod ad victimam illam, quae in coena Dominica dispensatur, vinculo fidei animam suam alligarit, ne vel leo vel draco eam inde divellat.* Chrysostomi haec sententia: *Quia bene habentibus non opus est medico, sed male habentibus, ideo ab hujus sacramenti virtute excluditur, qui de se praesumens resolutus cum nausea accedit.*

CAPUT XXIV.

DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS.

254. Egimus hactenus de causa efficiente, materia, forma, fine et objecto hujus sacramenti, restat ut de circumstantiis ejusdem, videlicet de tempore,

Digitized by Google

loco et ceremoniis, quae circa administrationem hujus mysterii observantur, in posterum agamus sicque huic tractatui finem imponamus. Ante omnia temporis circumstantia triplex explicanda, nimirum tempus Tempus institutionis. *institutionis*, *administrationis et durationis.* 1. Institutio hujus sacramenti facta est anno mundi 4004. X. 415. (vel ut alii computant anno 3995) post institutionem agni paschalis 1550. post natum Christum anno 34. currente, die Aprilis 3. vel ut alii colligunt 24. Martii, quae erat dies Jovis. Circa hoc institutionis tempus observandum: 1. quod immediate eam praecesserit agni paschalis celebratio, quae juxta legem divinam incidebat in diem decimam quartam primi mensis, Exod. 12, v. 6. Huic primo mensi Nisan apud Judaeos partim Martius, partim Aprilis apud nos respondet. Ostendimus autem in tractatu de circumcisione et agno paschali §. 39., Christum die divinitus constituta et praescripta cum discipulis suis manducasse agnum paschalem, Judaeos vero propter traditiones majorum postridie. Bellarminus lib. 4. de eucharistia c. 8. et 9. disputat, Christum et Judaeos eodem die celebrasse pascha, sed hoc cum descriptione evangelistarum difficulter conciliari potest, qua de re in continuatione harmoniae evangelicae, si Deus vitam et vires concesserit, latius disseremus. ** Embdenses in Bericht p. 93. objiciunt *esse figuratam locutionem, quando dicitur, Christum instituisse coenam noctu, cum non noctu, sed vesperi sit instituta.* Respondemus: agnus paschalis celebrari debuit inter duas vesperas post solis occasum. Jam vero post esum agni paschalis Christus instituit coenam, utique ergo noctu eam instituit. Absque omni igitur tropo accipiendum, quod 1. Cor. 11, v. 23. *noctu* dicitur instituta. Quodsi noctu fuit instituta, cur tanto conatu negant Berolinenses reformatores in dial. contra D. Hoë p. 144. Christum luminaribus in primae coenae administratione fuisse usum? ** Ideo vero post agni paschalis manducationem sacratissimum hoc mysterium Christus instituit, quia sacramentum agni paschalis fuit typus eucharistiae, ut ostendimus superius §. 12. Sic ergo *umbrae successit veritas et consumto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum Christus discipulis apposuit*, ut loquitur Cyprianus serm. de coena c. 1. *Per hoc quod Christus agnum paschalem edit, aliud majus beneficium monstrabatur* (ait Chrysostomus homil. de prodit. Judae), *quo ille agnus futuri agni typus et ille sanguis Dominici sanguinis monstrabat adventum, et ovis illa spiritualis ovis erat ad exemplum. Ille agnus umbra erat, hic veritas. Ideo in ipsa mensa utrumque pascha et typi et veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueverunt et tum colorum varietate perficere, ita et Christus fecit in mensa, et typum paschae descripsit et pascha veritatis ostendit.* 2. Quod paulo ante passionem, sive ut apostolus loquitur 1. Cor. 11, v. 23. *nocte ea, qua traditus est*, institutio hujus sacramenti a Christo facta. Id vero ideo factum esse constat, ut ostenderet, primo beneficia passionis et mortis suae in hoc sacratissimo mysterio vere credentibus distribui, cum in eo manducandum nobis detur illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem traditum, et bibendus nobis exhibeatur ille ipse sanguis, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus. Deinde ut doceret, hanc esse testamentariam suam dispositionem summa reverentia a nobis tractandam. Gal. 3, v. 15: *Hominis testamentum confirmatum*, *διαθήκην κεκυρωμένην* (morte scilicet testatoris Hebr. 9, v. 16.) *nemo spernit*, *neque quidquam superordinat.* Quemadmodum maritus bona, donationis propter nuptias causa, in conjugio acquisita conjugi suae per testamentum iterum legat sic Christus carnem et sanguinem a nobis susceptum in hoc suo testamento iterum legare nobis voluit. Augustinus epist. 118: *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad mortem progressurus erat.* 3. Quod vesperi post vulgarem coenam Christus hoc sacramentum instituerit et discipulis administrarit, quia celebratio agni paschalis institutionem eucharistiae praecedere debuit, jam vero agnus paschalis non nisi sub imminentem noctem ex praescripto legis erat manducandus; ideo etiam eo differre voluit institutionem coenae, atque ut ostenderet, se non dare cibum aliquem terreum alendo X. 41
ventri destinatum, sed et coelestem. Postea tamen, ut scribit Augustinus, *placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi*, loco proximo citato.

255. 2. Quamvis vero circa tempus paschatos Tempus administrationis. et quidem vespera diei institutio hujus sacramenti facta sit, nequaquam tamen hoc ipso ad certum anni ac diei tempus administratio ejusdem alligata censeri debet, sicut olim Tesseradecaticae, Quartodecimani et Paschalitae statuerunt, qui referente hist. tripartita lib. 9. c. 38. et 39. diem decimum quartum Martii ad coenae Dominicae usurpationem requirebant, sed quoties vere pius consolatione in hoc mysterio proposita indiget seque probare potest, toties citra superstitiosum temporis discrimen ad illud accedere et potest et debet. 1. Quia in verbis institutionis non exprimitur certum tempus, quo celebratio hujus mysterii fieri debeat. Verba evangelistarum, quod Christus vesperi coenantibus discipulis sacrum hoc epulum instituerit, historicam tantummodo relationem, nequaquam vero determinatum de tempore administrationis mandatum continent. 2. Quia Christus dicit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem* 1. Cor. 11, v. 25. ubi particula *ὁσάκις* opponitur observationi certi temporis circa agni paschalis celebrationem necessariae, ea enim ad decimum quartum diem primi mensis divino mandato fuit adstricta. Ne igitur existimaretur, administrationem eucharistiae, quae in locum agni paschalis in N. T. successit, itidem ad illud tempus necessitate quadam

Digitized by Google

mandati adstrictam esse, ideo Christus notanter dixit: *Hoc facite, quotiescunqne biberitis* etc. et
X. 417. Paulus ex eo colligit 1. Cor. 11, v. 26. *ὁσάκις, quotiescunque, manducabitis panem hunc et ex hoc calice bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 3. Quia tempus, locus et reliquae circumstantiae non pertinent ad essentialia sacramentorum, nisi divino mandato in verbis institutionis fuerint expressa. 4. Ex Actorum apostolicorum c. 20, v. 7. colligitur, discipulos Christi in primitiva ecclesia prima sabbatorum, hoc est die Dominica, eucharistiam administrasse. Regula igitur illa, *quod omnis Christi actio sit nostra institutio*, verissima quidem est, sed recte accipienda. Omnis Christi actio est nostra institutio, hoc est quidquid Christus egit, utilem aliquam doctrinam nobis praestat, sed tamen non est omne ad imitationem nobis propositum, alias sequeretur, non nisi discumbendo cum duodecim hospitibus et quidem in privatis aedibus coenam administrari posse. Distinguendum proinde inter essentialia et circumstantias; inter ea, quae una cum exemplo Christi certum habent mandatum, et ea, quae solo exemplo probantur; inter facta heroica et virtutes communes etc. Augustini tempore in multis Africae ecclesiis die Jovis ante pascha nocte et post coenam eucharistia fidelibus dabatur, ut eo magis Christi actio referretur; sed haec consuetudo per VI. synodum, quae habita est Constantinopoli in Trullo, sublata est. Hodie in publicis ecclesiae conventibus mane celebramus coenam, quo tempore magis sobrii et attenti sumus.

An semel duntaxat ad eucharistiam accedendum.

256. Neque vero judicandum, quod semel tantum ad eucharistiam, sicut ad baptismum, accedendum sit, **(sicut Carolstadius teste D. Albero docuit, *posse aliquem salvari, quamvis nunquam utatur eucharistia;* ita et Musculus Dusanus: *Non peccant, qui rarius, sed qui indigne ad sacram coenam accedunt*) ** sed saepius a vere piis hic cibus vitae quaerendus et usurpandus, 1. quia Christus usum ejus non reliquit nobis liberum et adiaphorum, sed certo mandato eum nobis praescripsit, *hoc facite*, Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 25. 2. Quia apostolus ex hoc mandato Christi colligit, non semel, sed aliquoties sacram coenam ursurpandam. 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et ex calice hoc bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* 3. Quia multiplex necessitas repetitae communionis nobis incumbit, siquidem quotidianis peccatis legem Dei transgredimur. 4. Quia multiplex fructus et consolatio in hoc sacramento nobis proposita ad frequentiorem ejusdem usum merito nos invitare debet, ut in fide confirmemur, ut promissio de peccatorum remissione nobis obsignetur, ut Christo conjungamur, ut ad serias preces et ardentem gratiarum actionem pro beneficiis Christi excitemur, ut confessionem fidei nostrae aliquoties edamus. 5. Quia apostoli et reliqui fideles in primitiva ecclesia usum sacrae coenae frequenter repetiverunt, Actor. 2, v. 42. 46. c. 20, v. 7. 6. Quia hac in parte inter usum baptismi et eucharistiae magnum est discrimen. De baptismi repetitione nullum exstat mandatum, sed de eucharistia Christus dicit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis.* Circumcisio in V. T. semel tantum suscepta, sed agnus paschalis quotannis celebrari solitus. Jam vero baptismus in locum circumcisionis, eucharistia in locum agni paschalis successit; per baptismum renascimur, in sacra coena pascimur, jam vero semel tantum in hunc mundum nascimur, sed postea saepius alimur; per baptismum investitura Christianismi nobis contingit, per usum sacrae coenae in ecclesia conservamur; per baptismum in foedus Dei recipimur, per usum sacrae coenae de receptione in illud foedus confirmamur. Quae omnia probant, repetitionem non baptismo, sed eucharistiae convenire.

Quoties accedendum sit.

257. Quoties autem singulis annis hoc sacramento utendum sit, non potest certa et generali quadam regula praescribi, sed cujusque conscientiae, probationi et pietati hoc relinquendum est liberum. Vere pios obsequium et reverentia erga Christum, conscientiae anxiae impulsus et devotio a Spiritu sancto accensa ad celebriorem hujus coele- X. 418.
stis mysterii usum plus cogent, quam externa praecepta. In primitiva ecclesia apostolicae vicina flagrante persecutionum incendio singulis diebus Christiani communicabant. Ambrosius lib. 5. de sacram. c. 4. tom. 4. p. 443: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in oriente facere consueverunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere, quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quod quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur et remissio peccatorum, et panem istum vitae non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est coeleste et venerabile sacramentum.* Postea singulis Dominicis communicari coeptum. Augustinus libr. de eccles. dogm. c. 53: *Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor.* Idem epist. 118. ad Januar. c. 2: *Alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbatho tantum et Dominico, et si quid aliud hujusmodi animadverti potest.* Defervescente pietatis zelo Fabianus referente Sabellico et Volaterrano praecepit, *ut quisque Christianus singulis annis tribus vicibus eucharistiam sumeret,* X. 419.
scilicet in tribus praecipuis festis, quod institutum postea confirmatum fuit can. 18. concilii Agathensis. Soter adjecit illis diem viridium. Innocentius III. coenae usum ad pascha adstrinxit c. omnis utriusque sexus dist. 2. de consecrat. Lutherus in praefat. catech. minoris statuit, *eum non esse in numero vere Christianorum habendum, qui non ad mini-*

X. 420. *mum singulis annis quater aut ter ad eucharistiam accesserit.* **Chrysostomus homil. 5. in 1. Tim. 1: *Non est audaciae saepius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam in toto vitae tempore accedat.***

Tempus durationis.

3. Denique tempus durationis ex 1. Cor. 11, v. 26. colligitur futurum usque ad diem novissimum et Christi adventum. Quotiescunque manducabitis panem hunc et ex hoc calice bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Forte etiam ideo circa vesperam Christus hoc coeleste epulum instituit, ut ostenderet illud duraturum usque ad mundi finem, neque alterius cujusdam institutionem post hanc coenam exspectandam esse, sed fideles in hujus vitae tenebris ejus usu ceu quodam baculo sese sustentare debere.

CAPUT XXV.

DE CIRCUMSTANTIA LOCI.

Locus, in quo administranda sit sacra coena.

258. Quo in loco administranda sit coena sacra, expresso aliquo Christi mandato nuspiam invenitur definitum. Quod non in templo Hierosolymitano, sed in privatis aedibus prima eucharistiae institutio et administratio facta, per id nequaquam usus sacrae coenae privatis locis adstringitur, sed factum Christi historice tantummodo commemoratur. Quare cum in ecclesia Christiana more receptum sit, ut in publicis conventibus post praedicationem et auditum verbi hoc mysterium celebretur, ideo sine urgente necessitate ab hac consuetudine non est discedendum: 1. quia sacramenta sunt sigilla promissionum evangelicarum. Jam vero praedicatio evangelii, quod est verbum ἀκουστόν, ordinarie in publicis ecclesiae conventibus peragitur. Ergo etiam administratio sacramentorum, quae sunt verbum ὁρατόν, in iisdem peragi debet. 2. Quia administratio baptismi extra casum necessitatis in publico ecclesiae conventu per-
X. 421. agitur. Ergo etiam administratio eucharistiae, quae est alterum N. T. sacramentum, ibidem peragi debet. 3. Quia Paulus testatur, in ecclesia Corinthiaca συνερχομένων αὐτῶν ἐπὶ τὸ αὐτό, *convenientibus illis in unum*, coenam Dominicam fuisse celebratam, 1. Cor. 11, v. 20. et 33. Id ipsum Troade usitatum fuisse colligitur ex Actor. 20, v. 7: *Una sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat eis.* 4. Quia sacra coena propterea dicitur σύναξις, quia ejus administratio in publica ecclesiae congregatione olim peracta.

An in privatis aedibus celebranda coena.

256. Neque tamen ex eo inferendum, quod in casu necessitatis in privatis aedibus sacra coena administrari nequeat. Sane Beza part. 2. quaestion. et resp. qu. 242. aliquot ratiunculas profert, ob quas valde se ambigere dicit, *an quo tempore coena Domini in ecclesia non administratur, expediat apud aegrotos eam celebrari.* Et postea audentior factus addit: *Illud videtur nescio quomodo cum institutione coenae Dominicae pugnare, ut tota cessante ecclesia reliqua, domus aliqua extra ordinem illa mysteria celebret.* Danaeus etiam scribit, *privatim extra totius ecclesiae coetum ac conventum extraque publicam praeparationem celebrari coenam nec debere, nec pie posse.* Aretius part. 1. probl. 82. f. 1002: *Illud omni defensione justa caret, quod ad aegrotos defertur tanquam viaticum morituris, qui mos inolevit, ut opinor, tum demum, cum persuasum esset plebi, quosdam pie mori non posse, nisi prius coenam Domini sumsissent, hinc accessit spes lucri et species religionis splendidior.* Idem statuunt Bullingerus hom. 1. de coena edita anno 1553. Musculus in locis theolog. p. 369. Calvinianis assensum in hac quaestione praebent Photiniani, unde Andreas Reuchlinius (hoc est Valentinus Schmaltzius) in paraenesi ad Isaacum Casaubonum circa finem inter naevos ecclesiis reformatis adhuc adhaerentes refert *morientibus coenam Domini pro viatico porrigere.* Nos contra statuimus, aegrotis quocunque loco ac tempore eucharistiae communionem petentibus eam nequaquam denegandam esse, quin etiam in aliis necessitatis casibus, etiam in privatis quoque locis sacram coenam rite celebrari posse dicimus. Serio quidem monemus auditores nostros, ut incolumes ac valentes non segregent se a publicis ecclesiae conventibus, in quibus ordinarie hoc sacramentum administratur, Hebr. 10, v. 25. neque contemtu quodam ac culpabili negligentia perceptionem eucharistiae ad extremum usque mortis articulum differant; interim tamen si quid humani ipsis contingat, ut morbo praepediti publico ecclesiae coetui interesse nequeant ac nihilominus in vera poenitentia perceptione corporis et sanguinis Dominici fidem suam confirmari expetant, haudquaquam in privatis aedibus sacram coenam celebrari nefas esse dicimus, 1. quia prima coena non in templo Hierosolymitano, sed in privatis civis cujusdam aedibus a Christo instituta et discipulis administrata fuit, ut ex historia evangelica colligi potest. Nicephorus lib. 1. c. 28. testatur, *in domo Johannis Evangelistae* coenam a Christo celebratam. 2. Ut temporis circumstantia non pertinet ad essentialia hujus sacramenti, ita nec locus ad integritatem ejus essentialem spectat, cum de neutro disertum exstet mandatum. 3. In verbis institutionis non fit mentio certi alicujus loci, in quo celebrari debeat et extra quem celebrari non possit hoc mysterium. 4. Apostoli ac viri apostolici non dubitarunt in privatis aedibus eucharistiam celebrare, cum in templo ac locis publicis per furorem hostium illud haudquaquam fieri liceret, Actor. 2, v. 46. c. 20, v. 7. 5. In veteri quidem testamento sacrificia et totus cultus Leviticus divino mandato ad certum locum adstrictus fuit, sed in N. T. Leviticum illud et ceremoniale discrimen locorum est sublatum Col. 2, v. 16. 6. Ut in omni loco preces nostrae Deo sunt acceptae, si ex vera poenitentia et fide proficiscantur, Joh. 4, v. 21. 23. 1. Tim. 2, v. 8. ita quoque circumstantia loci nec addit nec demit quid-

Digitized by Google

quam eucharistiae integritati et dignitati. 7. Etiam duorum ac trium congregatio sancta est Christo grata et ecclesiae nomine digna, Matth. 18, v. 20. 8. Consolatio evangelii non denegatur iis, qui corpore et animo sunt afflicti, quippe quos Christus
X. 422. amice ad se vocat, Matth. 11, v. 28. quomodo igitur communicatio eucharistiae ad fidei confirmationem instituta illis denegari poterit? 9. Morbi et calamitates sunt adminicula poenitentiae, incitamenta precum, exercitia patientiae etc. inde adeo fit, ut aegroti quandoque paratiores sint ad salutarem sacrae coenae usum quam valentes. 10. Accedit consensus ecclesiae primitivae. Apud Justinum apol. 2. pro Christ. circa fin. eucharistia ex publico ecclesiae coetu *defertur ad absentes*, id est vel morbis impeditos, vel in carcere detentos, quo minus publicae administrationi eucharistiae interesse possent. Apud Eusebium lib. 6. c. 43. defertur eucharistia *ad Serapionem aegrotum*. Augustinus lib. 2. de visit. infirmor. vocat *viaticum saluberrimum*. Gaudentius tract. 2. in Exod. f. 1803: *Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitae alimur et nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc seculo recedentes.* Apud Nicephorum lib. 13. c. 37. Chrysostomus legitur privatim *τῶν θείων κοινωνῆσαι ἁγιασμάτων*. Apud Hieronymum in epist. ad Rusticum Exuperius panem eucharisticum ad aegrotos defert *in canistro vimineo*, vinum eucharisticum *in vitro*. Hieronymus in agone mortis dixisse scribitur: *O sacrum convivium et peregrinationis viaticum, quo de hoc mundo nequaquam pervenitur ad coeli consortium. Eja ergo fidelis anima hoc fruere convivio, in quo salvatoris tui corpus sumendum proponitur.* Ecclesia Graeca hoc sacramentum vocat ἐφόδιον τῆς ζωῆς. Polydorus Virgilius lib. 5. de rer. invent. c. 6: *A Christi statim adscensu in coelum Judaei coeperunt humanos crudeliter persequi, deinde Nero princeps, deinde Domitianus, deinde alii et postremo Diocletianus ac Maximianus acerbissime afflictarunt. Quo fere toto temporis intervallo tantum aberat, ut aliquod templum a nostris Christianis publice aedificaretur, ut etiam omnia essent occulta et sacella potius atque eadem abdita et plerumque subterranea quam apertis locis ac publicis fierent.* Gabriel Biel lect. 13. in can. missae: *Ab episcopatu apostolorum principis usque ad tempus Sylvestri saeviente persecutorum rabie certa non erat episcopalis statio, sed ubicunque necessitas compulit, sive in cryptis, sive domibus religiosorum, sive aliis quibusdam locis missam celebrabant super altare ligneum in modum arcae concavum, quod portabatur a sacerdotibus, ubicunque Romanus episcopus latitabat.* 11. Agnoscunt hoc quidam ex ipsis adversariis, utpote Calvinus in epist. p. 26. Oecolampadius in 1. epist. Joh. f. 86. Petrus Martyr in 1. Cor. 10. f. 143. Cureus in exeg. p. 192. etc. Marloratus in c. 1. Luc.: *Quamvis olim domi circumciderent infantes, non tamen id facere soliti fuerunt sine hominum frequentia et conventu, cum esset ecclesiae bonum* (si circumcisionis sacramentum nihilominus est et manet bonum ecclesiae, etiamsi in privatis aedibus administretur, utique de eucharistia idem dici potest ac debet). Hemmingius in 1. Cor. 11. p. 219: *Augustinus sacramentum coenae appellat viaticum salutis innuens, admoneri ante mortem sumentes hanc coenam, quod Christus ipsis sit via ex his aerumnis et morte ad fruitionem Dei in vita aeterna.* Zanchius lib. 1. epist. fol. 155. ad Joh. Crat. med. Caesar.: *Quod Christus nemini discipulorum suorum denegat, cur nos recusemus aegrotis, qui antequam hinc discedant, illud expetunt, idque non ex aliqua superstitione, sed animi magis ac magis con-* X. 423.
solandi erigendique causa? Et postea: *Probari non possunt ecclesiae, quae ut abusum hujus rei tollerent, consuetudinem etiam antea receptam sustulerunt.* Isaacus Casaubonus in resp. ad epist. card. Perronii nomine regis Angliae scripta p. 36: *Ecclesia Anglicana non solum in communi conventu panem mysticum fidelibus dividit, sed etiam morientibus hoc viaticum, ut appellant patres concilii Niceni et tota antiquitas, administrat.* ** Idem Casaub. exerc. 16. ad annal. Baron. c. 26: *Scimus, eucharistiam a Graecis patribus non raro dictam δῶρον ἐξιτήριον, quia discedentibus ex hac vita communicabatur.***

260. Bezae et complicum ipsius fundamenta potiora sunt: *1. Coena Domini non est privata familiae alicujus actio, sed mere ecclesiastica.* Respondemus: Si administratio sacrae coenae hoc sensu ac modo esset ecclesiastica actio, ut in privatis aedibus nulla ratione legitime administrari posset, cur Christus in domo privata potius quam in templo Hierosolymitano hoc mysterium cum suis discipulis celebrasset? Concedimus quidem, coenae administrationem esse actionem ecclesiasticam, sed addimus, ecclesiam non esse conclusam illis templorum parietibus, in quibus ad ordinarium cultum divinum peragendum Christiani conveniunt, cum sint etiam *domesticae ecclesiae* piorum Rom. 16, v. 5. Philem. v. 2. ad quos omnes sive publice in magna frequentia, sive privatim in angustiori coetu congregatos pertinet illud Christi Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Jam vero ubi Christus est ecclesiae caput, ibi quoque membra sive corpus mysticum esse oportet. Tota ratio temporum ac basilicarum in N. T. est mere ceremonialis, quomodo igitur divino aliquo mandato administratio sacrae coenae ad templa illa adstricta dici potest? Sane publica et solennis hujus mysterii celebratio ordinarie in publicis et frequentioribus piorum conventibus peragi debet, interim tamen major habenda est ratio aegroti confirmatione fidei indigentis eamque in usu sacrae coenae quaerentis, quam externae illius circumstantiae nullo mandato divino expresse definitae. *2. Agnus paschalis mactabatur in conventu ecclesiae Israëliticae. Phase domesticum*, ait Beza, *sic mactabatur in Israële, ut tamen non alio tempore id fieret, quam quo totus Israël hoc my-*

Argumenta adversariorum.

Digitized by Google

sterium celebrabat. Jam vero agnus paschalis fuit figura eucharistiae. Respondemus: ex figuris non ducuntur firma argumenta, nisi ipsa Scriptura applicationem earum ostendat. Et cur non respicimus potius ad exemplum Christi in privatis aedibus eucharistiam instituentis et administrantis, quam ad typum agni paschalis? num ex typo argumentum duci potest contra ἀντίτυπον? Si propter typum agni paschalis necessario in publicis templis et solennibus totius ecclesiae conventibus sacra coena celebranda, cur ipse Christus et sacramentum agni paschalis, et eucharistiam in privatis aedibus administravit? Adde quod ex c. 12. Exod. v. 4. haud obscure colligitur, in privatis potius Israëlitarum aedibus quam in tabernaculo vel templo agnum paschalem fuisse mactatum, assatum et manducatum. Deut. 16, v. 6. expresso Dei mandato certus locus sacramento agni paschalis, ut et toti cultui Levitico determinatur; tale aliquod mandatum de eucharistia certo tantum loco celebrando proferri non poterit. Ac probe notandum, quod phase Judaicum etiam alio tempore celebratum, quam quo totus Israël ceremoniae isti solenniter vacaret, ut apparet ex Numer. 19, v. 10. ubi immundis et illis, qui peregre abfuerant, divinitus concessum alio tempore, videlicet die 14. mensis secundi, agnum paschalem mactare. *3. Nisi apud aegrotos omnes celebretur coena Domini, quomodo vitabitur προςωποληψίας suspicio; sin apud omnes aegrotos celebranda, viderint pastores, quomodo possit ejus profanatio vitari et ipsi tantis laboribus sufficere?* Respondemus: praxis ecclesiarum nostrarum hoc argumentum evidenter refellit. In crebro sacrae coenae usu per se non est profanatio, modo observetur divina institutio; multo minus erit profanatio coenae, quando aegroti, hoc est illi, qui ad spiri-
X. 424. tualem hujus coelestis cibi esuriem vi morborum compulsi in vera poenitentia et fide eandem percipiunt. Sed nec opus est apud omnes aegrotos eucharistiam celebrare, vel quod non omnes eam desiderant, invito autem hic salutaris cibus non est obtrudendus, vel quod multi ex illis ante morbi paroxysmum in publico ecclesiae conventu hac medicina animae usi sunt, vel quod plerique sperant, ad publicam σύναξιν post restitutam sanitatem sese redituros. Quodsi omnes urbis alicujus aegroti adeundi essent, tamen hic labor fideli et industrio mysteriorum divinorum dispensatori tam non debet videri gravis et intolerabilis, quam non recusat evangelica consolatione eosdem erigere. *4. Nihil tribuendum consuetudini quamvis veteri, quia rationibus non exemplis judicandum.* Respondemus: Haec consuetudo nec rationibus, nec exemplis destituitur. Ut enim reliqua sententiae nostrae fundamenta praetermittamus, quid ad Christi et apostolorum exemplum ulla veritatis specie responderi poterit? *5. Eucharistia dicitur σύναξις. Ergo non nisi in publico ecclesiae coetu celebranda est.* Respondemus: ex appellatione nuda non potest apodicticum argumentum exstrui; dicitur enim coena, at num propterea tantummodo vesperi celebranda erit? dicitur fractio panis, at num propterea in media eucharistiae actione panis necessario frangendus? Synaxis vocatur, quia ordinarie in publico ecclesiae conventu celebratur, et quia tota Christi ecclesia *de uno pane* participat, uno, inquam, non ratione massae, sed ratione usus sacramentalis, 1. Cor. 10, v. 17. *6. Christus nuspiam praecepit, ut privatim administretur coena. Ergo illud prohibuisse judicatur.* Respondemus: in rebus adiaphoris ac mediis non habet locum immediata oppositio inter id, quod a Deo praeceptum ac quod ab eodem prohibitum, alias uno impetu omnia adiaphora, quippe quae nuspiam inveniuntur praecepta, ex ecclesia eliminabuntur. Ita quoque in externis circumstantiis oppositio illa non potest urgeri, alias eodem argumenti robore inferrem: Christus nuspiam praecepit mane eucharistiam celebrare, ergo id ipsum prohibuisse censendus est? Imo vero Levitica illa temporum et locorum discrimina in N. T. sunt sublata et Christianae libertati relicta, quae tamen simul hoc complectitur, ut in externis cultus divini exercitiis, ac proinde etiam in administratione sacramentorum omnia κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως fiant 1. Cor. 14, v. 40.

261. Ad circumstantiam loci pertinet quaestio: *An in mensis illis lapideis quadratis, quae altaria vulgo dicuntur, coena Dominica celebrari legitime possit?* Quidam ex adversariis Calvinianis hac in parte satis rigidi sunt, ut testantur secures et bipennes, quibus in suis, quas ita vocant, reformationibus altaria aggrediuntur; negant enim, legitime in illis sacram coenam celebrari et administrari posse, cum missaticum sacrificium in eis olim fuerit celebratum. ** Johan. Wolffius in explic. Deuter. p. 80. *etiam templa, in quibus idololatriam Pontificii exercuerunt, diruenda* censet, addita paroemia: *Si nolis ciconias, nidos tolle.* Sed illi contradicit Calvinus in comm. Mosaic. p. 286: *Nobis hodie religio non est templa retinere, quae polluta fuere idolis et accommodata in meliorem usum.* Idem nos respondemus adversariorum objecto de altaribus. Observa. 1. ad ministros N. T. accommodari illud 1. Cor. 9, v. 13: *Qui altari serviunt, ex altari vivunt. 2. Si idolum nihil est* sublata falsa opinione 1. Cor. 8, v. 4. utique etiam altare nihil est. 3. Mundis omnia munda in externis illis rebus Tit. 1, v. 15. Roman. 14, v. 14. 4. Christus conqueritur de profanatione templi et reformationem instituit, interim nec templum, nec altaria diruit, sed in templo docet Matth. 21, v. 23. Luc. 19, v. 46. 5. Apostolus non diruit nec dirui jubet aram Atheniensium, cui inscriptum: *Ignoto Deo* Act. 17, v. 23. 6. Beza in coll. Momp. f. 338. 349. 350. et Zanchius in volum. tract. theol. p. 144. concedunt, altaribus tanquam rei indifferenti in administratione coenae locum dari posse. 7. Quidam Calviniani adhuc hodie in altaribus coenam administrant, quin et altaria erigunt.** Nos altaria removeri posse non negamus, modo non urgeatur ut simpliciter neces-

An in altaribus coena Domini possit administrari.

Digitized by Google

425. sarium, modo fiat per magistratum consentiente et recte prius instituta ecclesia, adeoque ratione ea, quae faciat ad aedificationem; modo ceremoniarum mutatio obliquam verae doctrinae labefactationem non spectet vel sibi conjunctam habeat. Potest autem ex Christiana libertate remotis ceteris unum altare retineri et ad coenae Dominicae celebrationem adhiberi: 1. quia cessante sacrificio altaria illa nihil aliud sunt quam mensae lapideae, sublato enim relativo formali manet absolutum et materiale tantum. Tempore apostolorum primi Christiani ad sacrae coenae celebrationem non sunt usi altaribus, sed mensis, unde apostolus τραπέζης τοῦ Κυρίου mentionem facit 1. Cor. 10, v. 21. Imo tempore Origenis, sicque ducentis post Christum annis lapidea et fixa altaria nondum fuerunt in generali et publico ecclesiae usu, siquidem libr. 8. cont. Celsum p. 794 refert, *Celsum Christianis objecisse, quod aris templisque careant*, cui objectioni respondet: *Non videns, pro aris nobis esse mentem suam cuique, ex qua sursum feruntur vere et intelligibiliter suaveolentes suffitus preces e pura conscientia.* Postea vero temporis progressu sacras illas mensas, ad quas eucharistia celebrata fuit, vocarunt altaria, quia teste Justino, Irenaeo, Tertulliano et aliis veteribus illi, qui in primitiva ecclesia hoc sacramento usuri erant, offerebant super mensas istas donaria, cumprimis panem et vinum; illa conferebantur in sustentationem ministrorum ecclesiae et pauperum, segregabantur de illis oblatis panis et vinum in usum sacrae coenae, instituebantur etiam de illis ἀγάπαι, quae juxta coenam Domini in signum mutuae fraternitatis agitabantur, inde postea altaris appellatio mansit in ecclesia. Voluerunt insuper hac appellatione Judaeos ad conversionem invitare phrases T. V. ad cultum Christianum applicando et criminationibus ethnicorum obviam ire, qui perpetuo hoc ingeminabant, Christianos altaribus destitui. In papatu erecta sunt altaria propter sacrificium missae, id vero nihil quidquam impedit, quominus ea in posterum sublato sacrificio missatico ad celebrationem eucharistiae adhiberi possint, cum non amplius sint altaria sensu ad sacrificium relato, sed mensae lapideae. Optatus Milevit. lib. 6. contra Parmen. Ambrosius lib. 5. epist. 33. Augustinus homil. 50. de utilit. poenitent. ac tract. 26. in Johan. altarium appellationem mensis illis tribuunt, in quibus sacra coena fuit administrata, cum tamen missaticum sacrificium ipsis fuerit ignotum. 2. An mensa sit lignea vel lapidea, in qua sacra coena celebratur, nihil addit vel detrahit integritati hujus sacramenti. Fuerint sane altaria missatico sacrificio olim contaminata, interim tamen per verbum, preces et legitimum eucharistiae usum jam pridem sunt repurgata, sanctificata et consecrata, 1. Tim. 4, v. 5. Idolothytum ethnicis fuit immundum: Vasa sacra ex templo Hierosolymitano abrepta turpiter fuerunt profanata, cum rex Belsazer ex illis compotationes institueret, 2. Reg. 25. 2. Paral. 36. Dan. 5. nihilo tamen minus ad cultum sacrum fuerunt iterum adhibita et sanctificata. Esr. 1. 3. Apologia Augustanae confess. art. 11. mensas illas lapideas ad sacrae coenae celebrationem adhiberi posse nòn negat, quinimo easdem altaria vocat; nihilominus tamen sacrificium missaticum improbat. 4. Beza in colloq. Mompel. f. 425. non solum fassus est, altaria tolerari posse, sed insuper testatus, quod Lusanna Bernam usque marmoreum altare translatum et in eo coena Domini hactenus celebrata fuerit.

Argumenta adversariorum.

262. Ex his facile apparet, quid ad argumenta adversariorum respondendum sit. *1. Altaria V. T.* (inquiunt) *fuerunt typi altaris illius, in quo Christus se ipsum victimam Deo obtulit, hoc est crucis; jam vero veniente imagine perit σκιά*, Hebr. 10, v. 1. Respondemus: nos exemplo patrum primitivae ecclesiae mensas illas lapideas vocamus altaria, non sensu proprio ad sacrificium relato, sed improprio et metaphorico; non sensu Mosaico, sed evangelico; non sensu papistico, sed orthodoxo. *2. 1. Cor. 9, v. 13. et 14. oppositio est inter τὸ servire altari et praedicare evangelium.* Respondemus: Missaticis sacrificulis haec et similia recte opponuntur, nos repudiato missae sacrificio altaris nomen ex primitiva ecclesia deductum sano sensu retinemus, quia enim olim in mensa Domini offerebantur panis, vinum X 426.
et alia munera partim ad usum sacrae Dominicae, partim ad sustentationem ministrorum verbi et pauperum, quae eleemosynae erant *hostiae Deo gratae* Phil. 4, v. 18. inde id nominis sacris mensis jam olim tributum. *3. Est perpetua relatio inter altare et sacrificium.* ** Petrus Martyr class. 4. loc. comm. c. 12. §. 21. p. 897. Anhald. in Bericht p. 74. Nahum in Bericht p. 11. Joh. von Münster in postill. p. 443. ** Respondemus: imo vero et sacrae et profanae historiae testantur, erecta fuisse olim altaria etiam propter alios fines, quam ut sacrificia in illis peragerentur. Josuae 22, v. 26. Rubenitae et Gaditae erigunt altare *non ad sacrificium, sed ad memoriale.* Herodotus lib. 1. c. 132: *Persae sacrificaturi nec aras erigunt, nec ignem incendunt prorsus, sed neque libamentis utuntur aut tibiis, infulisve aut molis, verum ut quisque divis sacra facere statuit, in locum mundum victimam sistens deum illum implorat.* Sit sane perpetua relatio inter sacrificium et altare proprie sic dictum, quid hoc ad mensas lapideas, quae solam nominis appellationem vel ex usu, quem in oblatione munerum in primitiva ecclesia habuerunt, vel ex abusu, ad quem in papatu per sacrificium missae adhibitae fuerunt, adhuc retinent? ** Alia etiam ratio altarium in V. T. in quo ad sacrificia ut plurimum fuere exstructa, alia in N. T. in quo nihil aliud sunt quam mensae ligneae. Vide omnino Mornaeum lib. 2. de miss. p. 372. ** *4. Altaria illa fuerunt olim missis destinata.* Respondemus: sublato abusu retineri potest verus ac pius usus. Etiam templa et suggestus olim profanati, ipsa bona ecclesiastica celebrationi missarum destinata fuere, ergo etiam templa diruenda et bona ecclesiastica non possent converti in sustentationem ministro-

Digitized by Google

rum ecclesiae. 5. *Reformatio in illis est necessaria.* Respondemus: Per verbum fit optima reformatio, ut jam olim contra Carolstadium monuit D. Lutherus, si scilicet corda hominum liberentur errore et superstitionibus ac recte instituantur de libertate Christiana. Postea demum, si requirit necessitas, legitimo modo ac processu in externis etiam reformatio quaedam suscipi potest. 6. *Deus jussit subvertere aras ethnicorum* Exod. 34. Deut. 12. Respondemus: Deus in culto Levitico unum saltem altare instituerat in tabernaculo, reliqua igitur dirui jubet, sed haec dispositio in N. T. cessat. Praecipit ibidem Moyses, omnia loca destrui, in quibus ethnici diis suis sacrificarunt, imo gentes idololatricas exstirpari. Si hoc obtineret in N. T. omnia templa, in quibus celebratae sunt missae, fuerint diruenda et omnes missatici sacrificuli occidendi. Christus in N. T. dedit nobis libertatem in talibus externis rebus, quae sua natura non pugnant cum vera doctrina, fidei confessione et pietate. Ipse conqueritur de profanatione templi, vendentes et ementes ex eo pellit ac mensas nummulariorum evertit, non tamen ipsam templi fabricam diruit; nec Paulus Actor. 17. Atheniensium altare dirui mandat. Pugnat igitur cum Christiana libertate conscientias hominum in usu illorum per se indifferentium captivare. **Sunt, qui ita argumentantur: *1. Sacra coena vocatur mensa Domini,* 1. Cor. 10, v. 21. *Ergo non debet in altari celebrari.* Respondemus: 1. Altaria nostra nihil aliud sunt quam mensae lapideae. In lapideis illis mensis aeque potest s. coena celebrari atque in ligneis. 2. Quodsi adversarii nolint eas vocare altaria et hac ratione suam ab Augustana confessione, quae in Apolog. ad art. 11. eadem sic vocat, secessionem testatam facere, appellent *mensas ligneas,* sicut Augustinus tract. 26. in Joh. hom 50. de poenit. Chrysostomus 1. Cor. 11. modo *altaris*, modo *mensae* faciunt mentionem. *Altarium* appellatio in sano sensu etiam usurpatur ab Ambrosio lib. 5. ep. 33. Optatio Milev. lib. 6. contra Parmen. Hieronymo in c. 1. Malach. 3. inde Mornaeus de missa p. 377. Dicamus vero seu altaria, seu mensas, nihil interest, modo usum teneamus. 4. Origo appellationis non descendit a sacrificio missatico, sed a donis in primitiva ecclesia circa administrationem coenae ad sustentationem ministrorum ecclesiae et pauperum conferri solitis. Veteres, ut apparet ex Contracto de tempore l. 3. qui liber excusus Coloniae per Johannem Kolhoff, dicebant, quatuor dari mensas in N. T. mensam corporalem, altarem, (ut vocabant) sacrae Scripturae et gloriae futurae. De prima dixerunt sumi panem materialem, de secunda panem sacramentalem, de tertia panem doctrinalem, de quarta panem aeternalem. 2. *Apostoli in administratione coenae usi sunt mensis, non altaribus.* Respondemus: facile concedimus, per primos 300 annos non fuisse in usu tales mensas ligneas fixas et immobiles, ut constat ex Clemente Alex. lib. 7. strom. p. 793. Origene tom. 2. oper. lib. 8. contra Celsum p. 794. Minucio Felic. in Octav. p. 44. Arnobio lib. 6. contra gent. p. 150. Concedimus, in usu potius fuisse mensas ligneas portatiles linteo tectas, ut ex Optato Milev. lib. 6. adv. Parmen. Athanasio ad solitar. vitam agent. p. 656. constat; sed ex eo non potest inferri, illicitum esse altaribus, h. e. mensis lapideis, uti. Quaestio enim est de libertate Christiana, an ex eo possint tolerari, sicut ipsos apostolos ea tolerasse videmus. *3. Christus in diversorio, non in templo, nec in altari coenam administravit.* Respondemus: Christus in domo celebravit coenam, in qua non erant altaria; nos in templo eam celebramus, in quo cum sint altaria, libere illis utimur. Ex Christi exemplo recte infertur, in privatis aedibus etiam absque altari coenam posse celebrari. Nec certo possunt affirmare adversarii, quod Christus in mensa celebraverit sacram coenam, quia veteres fuerunt soliti accumbere.**

CAPUT XXVI. X. 427.

DE CEREMONIIS HUJUS SACRAMENTI.

263. De ceremoniis eucharistiae facile transigi poterit, si attendantur sequentes regulae: 1. *Quaecunque ceremoniae a Christo in institutione et administratione hujus sacramenti tanquam peculiares actus sacramentales sunt adhibitae, eae ad essentiam et integritatem hujus mysterii pertinent, nec possunt salva ejusdem integritate omitti.* Tales ceremoniae sunt, accipere panem, benedicere, distribuere, manducare; accipere calicem, in quo sit genimen vitis, benedicere, distribuere, bibere et mortem Domini annuntiare. Luc. 22, v. 19. 1. Cor. 11, v. 24: *Hoc facite.* 2. *Quaecunque ceremoniae ad salutarem communicantium probationem et gratam mortis Dominicae annuntiationem excitandam, promovendam et augendam faciunt, eae quamvis non sint expresso aliquo Christi mandato requisitae, tamen ob salutarem illum finem adhiberi possunt ac debent.* Tales ceremoniae sunt admonere communicantes de digna eucharistiae perceptione, orationem Dominicam aliasve preces analogiae fidei et institutioni hujus mysterii congruas recitare, psalmos in administratione sacramenti decantare, gratias pro Christi morte et institutione hujus mystici convivii publice agere, benedictione sacra totum hunc actum claudere. 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc et ex hoc calice bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* 3. *Quaecunque ceremoniae in se ac per se sunt adiaphorae, neque pugnant cum fide, sed ad excitandam reverentiam erga hoc mysterium aliquo modo spectant, sine laesione conscientiae retineri possunt, modo observentur hae conditiones, ne priori ceremoniarum generi exaequentur vel praeferantur, ne nimis cumulentur et hac ratione utiliores ritus iisdem opprimantur, ne cum opinione cultus aut necessitatis usurpentur, denique ut erudiantur auditores dignam praeparationem et perceptio- Regulae de ceremoniis eucharistiae.

Digitized by Google

nem eucharistiae nequaquam in usu harum ceremoniarum, sed in vera poenitentia et fide inque diligenti observatione institutionis divinae consistere. Tales ceremoniae sunt aureis vel argenteis patinis ac calicibus in administratione coenae uti, mensam sacram tapetiis ornare, vestibus peculiaribus indui, lampades et candelas accendere, musica Gregoriana et organis musicis uti, verba institutionis decantare etc. Galat. 5, v. 1: *State in libertate, ad quam Christus vos vocavit.* Vide Lutherum tom. 3. Jen. pag. 26. 4. *Quaecunque ceremoniae parum vel nihil*
X. 428. *faciunt ad aedificationem, contra vero sacrum hoc mysterium in externum quoddam spectaculum transformant, quibus insuper pars cultus divini et peculiaris quaedam efficacia citra Dei verbum transscribitur, eae praegressa diligenti auditorum informatione commode abrogari possunt.* Tales ceremoniae sunt casula sacerdotis elevata tintinnabulo sonum edere, pani inhalare, lingua ignota consecrare, verba Christi *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus* tacite demurmurare, brachia attollere, eadem mox demittere etc. 1. Cor. 14, v. 26: *Omnia fiant εἰς οἰκοδομήν.* v. 40: *εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν.* 5. *Quaecunque ceremoniae in se ac per se sunt idololatricae, superstitiosae, verbo Dei et institutioni Christi repugnantes etc. nulla habita scandali ratione abrogari statim debent.* Tales ceremoniae sunt laicis panem tantum consecratum, non etiam calicem exhibere, sacrificium pro vivorum et mortuorum peccatis offerre, sanctos invocare, missas privatas celebrare etc. Joh. 8, v. 31: *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis.* Hae generales regulae de quibusvis ceremoniis in specie judicium

Δεῖξις eucharistiae. formare possunt. Sic δεῖξιν sive ostensionem satius est omittere quam adhibere, cum sit additio in verbo institutionis non expressa, fomentum opinionis de transsubstantiatione et locali inclusione, causa ἀρτολατρείας et ignota antiquitati ceremonia. Christus non simpliciter dixit: *hoc est corpus meum,* multo minus dixit: *videte, hoc est corpus meum,* sed *accipite, edite, hoc est corpus meum,* quibus verbis προστακτικοῖς ab ὄψει et δείξει ad χρῆσιν nos revocat. Quod Dionysius de eccles. hierach. *abdita in conspectum agi, εἰς ὄψεις ἄγειν ac divina munera reverenter ostendi* jubet, id juxta normam verborum institutionis accipiendum de tali ὀψαγωγῇ, qua sacerdos post ὑμνολογίαν et recitationem verborum Christi elementa profert et quasi conspicienda reverenter exhibet, quando communicantibus eadem participat.

Usus hujus loci. 264. Atque haec dicta sint de eucharistia, quorum omnium verus ac salutaris usus consistit in eo, ut pro institutione hujus mysterii Christo gratias agamus, ὀρθοδοξίαν hujus articuli repudiatis omnibus contrariis erroribus fideliter tueamur, in vera poenitentia ex debito erga Christum obsequio saepius hoc sacramento utamur atque ex salutari ejusdem usu percipiamus divinos illos fructus, propter quos

Definitio eucharistiae. a Salvatore nostro fuit instituta. Ex superioribus omnibus talis colligi potest hujus sacramenti definitio: Sacra coena sive eucharistia est sacramentum N. T. alterum, sacra scilicet et solennis actio, in qua Christus ejusdem auctor mediante benedicto pane corpus suum pro nobis in mortem traditum manducandum et mediante benedicto vino sanguinem suum pro peccatis nostris in ara crucis effusum bibendum per ministrum nobis exhibet, ad sui recordationem, ut hoc pignore fides nostra de remissione peccatorum confirmetur, nosque in ipso et ipse in nobis maneat ad vitam aeternam. Ex verbis institutionis colligitur talis definitio. Sacra coena est corporis Christi mediante benedicto pane manducatio et sanguinis Christi mediante benedicto vino bibitio ab ipso Christo ad sui recordationem instituta. Cum qua consentit catechetica D. Lutheri definitio, in qua generis loco (D. Ignatii exemplo, de quo Theodoretus dial. 3.) ponitur *corpus et sanguis Christi* non absolute et simpliciter, sed quatenus manducatur ac bibitur, hoc est ipsa corporis manducatio et sanguinis bibitio. ** Keckermannus in syst. logic. lib. 1. sect. 1. flagellat Lutherum, quod in definitione eucharistiae generis loco posuerit *corpus et sanguinem Christi.* Respondemus: genus in definitione Lutheri non ponitur, sed subauditur. Sacramentum altaris est sacramentum N. T. in quo verum corpus et verus sanguis Christi sub pane et vino nobis Christianis ad manducandum et bibendum ab ipso Christo sunt instituta et legata. Omittitur autem illud genus, quia jam ante in proposita definitione expressum erat. Vide infra. **

265. Coronidis loco quasdam precationes veterum in sacra concione usitatas recensebimus. ** In liturgia Marci: *εὐχαριστοῦμέν σοι, δέσποτα, κύριε, θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων ὧν ἔδωκας ἡμῖν, gratias agimus tibi, dominator, domine, Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium et coelestium mysteriorum tuorum, quae dedisti nobis.* In liturgia Jacobi oratio est sacerdotis πρὸ τῆς μεταλήψεως, ante participationem: *Domine Deus noster, panis coelestis, vita universi, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκ εἰμὶ ἄξιος μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, peccavi in coelum et coram te, nec sum dignus, qui fiam particeps impollutorum tuorum mysteriorum, ἀλλ' ὡς εὔσπλαγχνος θεὸς ἀξίωσόν με τῇ χάριτί σου ἀκατακρίτως μετασχεῖν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον, verum tanquam misericors Deus dignare me per gratiam tuam, ut absque condemnatione communicem sacro corpori et pretioso sanguini in remissionem peccatorum vitamque aeternam.*** Clemens in constit. apostol. lib. 8. cap. 21: *Percepto pretioso corpore et sanguine Christi gratias agamus ei, qui nos dignos reddidit percipiendi sancta ejus mysteria, ac rogemus, ut non judicium, sed in salutem nobis fiant, in utilitatem animi et corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri seculi.* In horologio ecclesiastico Graecorum exstant hae preces: *Qui das in cibum mihi carnem tuam volens; qui ignis es et uris in-*

X. 429. Precationes veterum in usu eucharistiae.

Digitized by Google

dignos, ne combure me conditor, πλαστουργέ μου, veni magis in compaginem membrorum meorum, in omnes articulos, in renes, in cor, exure aculeos peccatorum meorum, animam emunda, sanctifica mentem, juncturas robora cum ossibus simul, illumina quinque sensus, totum me tibi tuo agglutina timore, semper muni, defende, custodi me ab omni opere et sermone animae meae noxio, purga, munda et dirige me, orna, edoce et illustra me, fac me tuum templum Spiritus solius et non habitaculum peccati, ut ceu domum tuam introitu communionis factam omnis impius et omne malum me fugiat ut ignem etc. *Panis vitae aeternitatis fiat mihi corpus tuum sanctum, misericors Domine, cum pretioso tuo sanguine, et morborum variorum remedium. Contaminatus operibus absurdis timidus et improbus ego illibato tuo corpore et divino sanguine indignus sum; Christe, tu me participatione tui dignum fac. In petra fidei firmans me dilatasti os meum super inimicos meos. Exsultavit enim spiritus meus, dum psallit: non est sanctus nisi Deus noster, et non est justus praeter te, Domine. Da mihi Christe lacryma-*
X. 430. *rum guttas, sordes cordis mei detergentes, ut bona conscientia mundatus fide accedam et cum timore ad perceptionem divinorum tuorum munerum. In remissionem peccatorum fiat mihi immaculatum corpus tuum et divinus sanguis in Spiritus sancti communicationem et in vitam aeternam, o benignissime, inque passionum et calamitatum mutationem. Voluisti propter nos, o misericors, assumta carne mactari, ut agnus propter peccata hominum, propterea supplex oro, ut mea et deleas peccata. Sana animae meae vulnera, Domine, et totum sanctifica meque dignum fac, Domine, ut particeps fiam mysticae tuae divinae coenae, infelix ego. Ut praedixisti, Christe, fiat sane vilissimo servo tuo, et in me mane, ut pollicitus es. Ecce enim corpus tuum manduco divinum et bibo sanguinem tuum. Verbum Dei et Deus, pruna sive flamma corporis tui sit mihi tenebricoso illuminatio et purgamentum contaminatae animae meae, simul et sanguis tuus. Intellectum, animam et cor et corpus meum sanctifica, servator, et dignum fac, Domine, sine condemnatione ad tremenda accedere mysteria. Novos consequar affectus et incrementum gratiae tuae capiam vitaeque munimentum participatione mysteriorum tuorum, Christe. O verbum Dei sanctum, ipse Deus, totum me sanctifica accedentem nunc ad divina tua mysteria. Ne despicias me, Christe, dum panem sumo, qui est corpus tuum, et dum jam divini sanguinis tui, Domine, purissimorum nempe et tremendorum mysteriorum tuorum, particeps fio miser, ne mihi in judicium fiat, fiat vero in vitam aeternam atque immortalem. Fons bonorum, Christe, perceptio immortalium tuorum mysteriorum fiat mihi lux et vita et vitiosorum affectuum vacuitas, atque virtutis divinioris profectum et augmentum conferat, o solus bone, ut te glorificem. Liberer a passionibus, hostibus, necessitatibus atque ab omni afflictione, cum tremore et desiderio nunc accedens reverenter, o benigne, ad immortalia et divina mysteria, ut psallam tibi: Benedictus es Deus patrum nostrorum coelestibus tremendis sanctisque, Christe, mysteriis tuis et coena divina ac mystica frui posse etiam me dignare desperantem alioquin, o Deus salvator, sub tuam confugiens misericordiam, o bone, clamo ad te cum timore; in me servator mane, et ego, ut promisisti, in te, ecce enim confidens misericordiae tuae vescor corpore tuo et bibo sanguinem tuum. Tremo suspiciens ignem, ne comburar, ut cera et velut gramen. O tremendum mysterium, o misericordiam Dei, quomodo divini corporis et sanguinis particeps fio, ego lutum et reddor incorruptibilis? Christus est, gustate et videte. Dominus propter nos et secundum quondam factus ac semel offerens se oblationem Patri suo quotidie adoratur, sanctificans communicantes. Anima simul ac corpore sanctificer, Domine, illumina, salver, fiam domus tua mysteriorum tuorum sacrorum participatione, incolam te habens, cum Patre et Spiritu benefactor misericors. Ut ignis et tanquam lux fiat mihi corpus tuum et sanguis tuus pretiosissimus, salvator, comburens peccati materiam et succendens affectuum spinas meque totum illuminans, ut tuam adorem deitatem. Iniquitates meas ne observa Domine ex virgine natus, et cor meum munda templum id efficiens immaculati corporis et sanguinis tui; ne me totum abjicias a facie tua, qui misericordiam habes immensam. Ad perceptionem sanctificationum tuarum, quomodo indignus inverecunde accedam? Si enim ausus fuero accedere ad te cum dignis, vestis me arguit, quod non sit coenae (nuptialis), et condemnationem conciliavero multum peccanti animae meae. Purga ergo, Domine, immundiciem animae meae et salva me, tu hominum amantissime.* **In canone Romano: *Domine Jesu Christe etc. libera me per hoc sanctum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis et fac me tuis semper obedire mandatis et a te nunquam separari permittas. Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere propono, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, Domine, non sun dignus, ut intres sub tectum meum. Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.* Postea ad calicem: *Quid retribuam Domino meo pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.* Paulo post: *Corpus tuum, Domine, quod sumsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem sancta et pura refecerunt sacramenta.* Et statim: *Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Amen.***

Digitized by Google

X. 431. ORATIO AMBROSII.

Fac me, Domine Jesu, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter retinere, dicere et cogitare, quod tibi placeat et animae meae expediat. Doce me quaeso per Spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reverentia et honore eaque devotione et timore, quibus oportet et decet!

PRECATIO BASILII.

Jesu Christe Domine omnipotens, Deus noster, fons vitae et immortalitatis, conditor omnis creaturae visibilis et invisibilis, qui es Patris aeterni aeternus Filius, qui propter copiam bonitatis in ultimis temporibus carnem assumsisti et crucifixus ac traditus pro ingratis et impiis nobis in proprio tuo sanguine restaurasti corruptam a peccato naturam nostram! Rex aeterne, suscipe etiam me peccatorem poenitentia ductum et inclina aurem tuam ad me et exaudi vocem orationis meae. Inique enim feci, Domine, peccavi in coelum et coram te et non sum dignus, ut oculos intendam in altum majestatis tuae; ad iram enim bonitatem tuam concitavi mandata tua violans et legibus tuis locum non relinquens. At tu, Domine, cum sis clemens, longanimis et multum misericors, non tradidisti me, ut in peccatis meis perirem, meam omnino exspectans conversionem. Tu enim dixisti benigne per prophetam tuum: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Non enim vis, Domine, opus manuum tuarum interire, nec gaudes interitu hominum, sed vis omnes salvari et ad agnitionem veritatis pervenire. Quocirca et ego, quamvis indignus sim coelo et terra et ipsa aeterna vita, dum me totum subjeci peccato, et membra mea serva concupiscentiae praebui et tuam parvipendi imaginem, sed opus et figmentum tuum formatus sum, ego miser in salute mea procuranda non occupatus exerceor, accedo autem animi fiduciam collocatam habens in misericordia tua infinita. Recipe igitur me, Domine benignissime, ut meretricem, ut latronem, ut publicanum et ut filium prodigum et aufer grave onus peccatorum meorum, qui tollis peccata mundi et medicinam infirmitatibus hominum adhibes, qui laborantes et oneratos ad te vocas et reficis, qui non venisti justos vocare ad poenitentiam, sed peccatores; munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus et erudi me, ut in timore tuo sanctioris vitae cursum amplectar, ut sincero conscientiae meae testimonio partem tuarum sanctificationum accipiens ἑνωθῶ τῷ ἁγίῳ σώματί σου καὶ αἵματι, uniar sancto tuo corpori et sanguini et habeam te in me habitantem et manentem cum Patre et Spiritu sancto. Domine Jesu Christe Deus meus, non cedat mihi in judicium participatio sacrorum tuorum vitam largientium mysteriorum, ne etiam fiam infirmus anima et corpore accipere illa indigne; sed concede mihi usque ad ultimum vitae meae spiritum digne sumere partem tuarum sanctificationum in Spiritus sancti communicationem, in viaticum aeternae vitae et in acceptabilem defensionem coram tremendo tuo judicio, ut et ego cum electis tuis particeps fiam bonorum tuorum incorruptibilium, quae apparasti omnibus diligentibus te Domine, in quibus benedictus es in secula. Amen.

PRECATIO CHRYSOSTOMI.

Domine Deus meus, scis, quod non sum dignus, ut intres sub tectum meum domus animae meae, propterea quia tota derelicta et conturbata est et fere concidit prorsus. Nec habes apud me dignum locum, quo caput reclines; sed quemadmodum ex alto propter salutem nostram humiliasti te ipsum, sic respice humilitatem meam. Et quemadmodum passus es in spelunca et praesepi brutorum recli- X. 432.
nari; sic non recusa etiam in praesepe animae meae nihil spirituale intelligentis et in commaculatum corpus ingredi. Et quemadmodum non dedignatus es ingredi et una cum peccatoribus cibum capere in domo Simonis leprosi; sic ne graveris conferre te in domum animae meae humilitatae, lepra et peccatis infectae. Et quemadmodum non repulisti similem mihi meretricem et peccatricem accedentem et tangentem te; sic eodem intimae misericordiae affectu erga me peccatorem accedentem et tangentem te commovere. Et quemadmodum non abominatus es impurum et detestandum illius os, quo osculabatur te; sic noli aversari os meum impurius et turpius illius peccatricis ore, nec odio digna, impura et spurca mea labia, nec sordidam linguam. Sed cedat mihi rutilans carbo sanctissimi tui corporis et venerandi tui sanguinis in sanctificationem, in illuminationem et sanitatem animae meae afflictae et corporis in levationem oneris multorum peccatorum meorum in praesidium adversus omnes molitiones et actiones diabolicas, in aversionem et obstaculum pravae consuetudinis meae, in mortificationem concupiscentiae, in conservationem mandatorum tuorum, in augmentum coelestis tuae gratiae et inhabitationem regni tui. Non enim ut contemtor accedo te, Christe Deus, sed ut fiduciam fixam habens in bonitate tua ineffabili, ne a communicatione tua longe remotus a lupo intellectuali (tanquam a bestia raptus) capiar. Quocirca precibus tibi insto, quemadmodum solus es sanctus Dominus, sic sanctifica animam meam et corpus, mentem et cor, renes, viscera et totum me renova et ratifica ac confirma timorem tuum in membris meis et effice, ne sanctificatio tua a me eximatur et deleatur. Praesta mihi auxilium et sis defensor dirigens cursum vitae meae in pace, dignum me faciens assistentia a dextris cum sanctis tuis. Amen.

Digitized by Google

PRECATIO DAMASCENI.

Omnipotens Domine Jesu Christe, Deus noster, qui solus habes potestatem dimittendi hominibus peccata, quia bonus et clemens es, dimitte omnia peccata mea, quae sciens et ignorans commisi, et fac me dignum accipere divina et veneranda et incontaminata et vivifica tua mysteria, non in gravamen, non in poenam, non in accretionem peccatorum, sed in purificationem et sanctificationem et pignus futurae vitae et regni, in munimentum et auxilium et aversionem eorum, quae mihi sunt contraria (adversantur) *in ablutionem multarum mearum praevaricationum. Tu enim es Deus misericordiae et miserationum et clementiae (benignitatis), et tibi gloriam tribuimus cum Patre et Spiritu sancto et semper et in secula seculorum. Amen.*

ORATIO THOMAE AQUINATIS ANTE COMMUNIONEM.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, coecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae, nudus ad regem gloriae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus (ut) *meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare coecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem angelorum, regem regum, dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi quaeso Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria sic suscipere, ut corpori suo* (ejus) *mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi Filium tuum dilectum, quem nunc hic velatum in hac vita suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari, qui tecum vivit et regnat in secula seculorum. Amen.*

x. 433. ## ORATIO EJUSDEM POST COMMUNIONEM.

Gratias ago tibi, Domine sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis; sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio; caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta; per Christum Dominum nostrum. Amen.

HYMNUS EJUSDEM.

Adoro te devote, latens deitas,
Quae sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit;
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto in te creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Verbo veritatis nihil verius.
In cruce latebat sola deitas,
Sed hic latet simul et humanitas,
Utrumque tamen vere credens ac confidens
Peto, quod petivit latro poenitens.
Plagas sicut Thomas non intueor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus vitam praestans homini.
Praesta meae menti de te vivere
Atque illi semper dulce sapere.
Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum possit omni scelere.
Jesu pie, quem nunc velatum adspicio,
Quando fiet illud, quod jam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

** Laurentius Medices dux Florentinus, paulo ante vitae finem in usu sacrae coenae: *Tune mitissime Jesu, tu nequissimum hunc servum tuum dignaris invisere? At, quid dixi servum? imo vero hostem potius et quidem ingratissimum, qui tantis abs te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquam audiens fuerim et tuam toties majestatem laeserim. Quod ego te per illam, qua genus omne hominum complecteris, caritatem, quaeque te coelitus ad nos in terram deduxit nostraeque humanitatis induit in-*

Digitized by Google

volucris; quae famem, quae sitim, quae frigus, aestum, labores, contumelias, flagella et verbera, quae postremo etiam mortem crucemque subire te compulit. Per hanc ego caritatem te, salutifer Jesu, quaeso obtestorque, avertas faciem a peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum constitero, quo me jamdudum citari plane sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuae crucis meritis condonetur. Valeat, valeat in causa mea sanguis ille tuus, Jesu, pretiosissimus, quem pro afferendis in libertatem hominibus in ara illa sublimi nostrae redemtionis effudisti. **

HYMNUS ECCLESIAE

O panis dulcissime
O fidelis animae
Vitalis refectio,
In te ut nos unias
Et virtute munias,
Da te digne sumere;
Et carnales furias
Propellens, nos facias
Tecum pie vivere;
Sic refecti poculis
Sanguinis et epulis
Tuae carnis optimis,
Seculorum seculis,
Epulemur sedulis
Veritatis azymis.
Amen.

Digitized by Google

LOCUS VICESIMUS SECUNDUS

DE ECCLESIA.

I.

XI. 1. **Connexio cum loco praecedente.** Benignissimus Deus ex immensa bonitate hoc fine doctrinam evangelii hominibus in peccatum et aeternum exitium jam prolapsis ex arcana divinorum suorum consiliorum abysso revelavit et doctrinam legis natura quodammodo adhuc notam solenni promulgatione in monte Sinai repetivit, ut per praedicationem legis et evangelii ex perdito et aeternis inferorum flammis devoto genere humano ecclesiam sibi colligeret, a qua in hac et aeterna vita recte agnosceretur, coleretur ac celebraretur, quam ex peccati, mortis, diaboli et infernorum faucibus extractam ad aeternae suae felicitatis et gloriae participationem eveheret. Idem etiam verbo addidit sacramenta, ut essent promissionum gratiae in evangelio oblatae signacula, fidei excitandae, augendae et confirmandae media ac coetus illius ex genere humano in communionem sanctorum evocati externa visibilia signa. Convenienti igitur ordine articulos de lege, evangelio et sacramentis sequitur locus de ecclesia.

Loci hujus dignitas et necessitas. 2. Apprime vero necessaria est hujus loci diligens tractatio. Quamvis enim Photiniani hodie disputent, *quaestionem de ecclesia*, *quaenam sive apud quos sit*, *vel inutilem propemodum*, *vel certe non esse necessariam*, ut apparet ex tractatu Fausti
XI. 2. Socini de ecclesia edito Racoviae anno 1611. et ex institut. Germ. Ostorodi c. 42. p. 402. res ipsa tamen ostendit, non utilem solum, sed et necessariam esse quaestionis hujus explicationem. Omnes enim fidei Christianae articuli diligenti omnino ex Scripturis sacris explicatione indigent. Jam vero esse unam sanctam, catholicam ecclesiam, communionem sanctorum, est fidei Christianae articulus. Testamur enim in Symbolo apostolorum, *nos credere in Spiritum sanctum*, *qui a Patre ac Filio procedens ex genere humano ecclesiam per verbum colligit*, *in qua credentibus datur peccatorum remissio et in fide perseverantibus vitae aeternae participatio.* Praeterea cum extra ecclesiam non sit salus, *nec in coelis Deum habeat patrem*, *cui ecclesia non est in terris mater*, ideo certos nos esse oportet, cui coetui verae ecclesiae nomen et definitio competat, ut eidem nos associemus, ab ecclesia vero malignantium nos separemus. Eandem hujus doctrinae pernoscendae necessitatem imponunt nobis Pontificiorum disputationes, qui in hoc loco praecipuam spem victoriae collocant et titulum catholicae ecclesiae sibi solis vindicant; statuunt enim, solam Romanam ecclesiam, quae pontifici ut Christi vicario, Petri successori et capiti ministeriali in terris unico obsequitur, esse ecclesiam catholicam, ex quo fundamento porro inferunt, quidquid haec ecclesia et illius caput, Romanus pontifex, statuit, ratum ac firmum esse habendum, sive ex Scripturis sacris illud petitum sit, sive extra eas, imo etiam contra eas statuatur, quo compendio intentatam sibi litem de variis iisdemque gravissimis corruptelis coelesti doctrinae in Romana ecclesia superioribus seculis illatis, quae adhuc magna contentione defenduntur, velut uno ictu repelli ac finiri et posse et debere existimant. Sunt et alii complures hominum fanaticorum de ecclesia errores, utpote quod quidam jactitant suas inspirationes et revelationes contemto verbi et sacramentorum ministerio, ac se esse veram Christi ecclesiam gloriantur, quod aliqui de ecclesia cogitantes circumspiciunt, ubi sit major pars, et quo inclinent potentiores et eruditiores, atque hunc coetum judicant esse ecclesiam, quod quidam ethnicis extra ecclesiam constitutis et salvifica Christi cognitione destitutis salutem tribuunt, quod quidam fingunt, ecclesiam esse colluviem quarumvis sectarum, modo Christianorum nomen prae se ferant, quod quidam nulli coetui se adjungunt, nullam ecclesiam curant, sed singularibus suis opinionibus indulgent ac nihilominus salutem sperant, quod propter malos ecclesiae in hac vita admixtos quidam ab ecclesia discedunt etc. Propter has et alias hujus loci corruptelas necessarium est, ut ex fundamentis Scripturae sacrae doctrina de ecclesia diligenter explicetur. Videmus, quanto studio de limiti-

Digitized by Google

bus agrorum ac terrenis possessionibus filii hujus seculi invicem contendant, probrum igitur foret, ecclesiae filios de coelesti illa possessione et agri ecclesiastici limitibus non esse solicitos.

CAPUT I.

DE 'ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑι VOCABULI.

3. Ecclesia vox est Graeca, deducta a secunda persona praeteriti passivi verbi ἐκκαλέω, quia a κέκλησαι est κλῆσις vocatio, inde porro ἐκκλησία *quod denotat evocationem;* ex quo apparet, quod ecclesiae appellatio connotet tum separationem vi particulae ἐκ ratione termini a quo; tum collectionem sive congregationem vi verbi καλεῖσθαι ratione termini ad quem. Danaeus derivationem ἐκκλησίας ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, ab evocando, improbat. *Si ecclesia* (inquit) *ab evocando deducitur, coetus erit extra Deum vocatus. Atqui Deus contra ad se vocat, non a se amandat suam ecclesiam.* Sed particula ἐκ respicit
XI. 3. terminum a quo, id est colluviem generis humani, ex qua evocantur ecclesiae filii, non autem terminum, ad quem, sive Deum, ad cujus regnum vocantur. Notanda vero differentia in cognatis vocabulis; συγκλησία dicitur de senatoribus, ἐκκλησία vero de populo, ut ergo significaretur, non primates solum, sed etiam populum ad communionem illam sanctorum pertinere, ideo apostoli maluerunt ἐκκλησίας quam συγκλησίας appellatione uti. Ammonius in l. de similibus et differentibus vocabulis (qui libellus exstat in tom. 4. thesaur. Graec. ling. Henric. Steph.) ἐκκλησία καὶ κατάκλησις διαφέρει· ἐκκλησίαν μὲν γὰρ ἔλεγον οἱ 'Αθηναῖοι τὴν σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν, κατάκλησιν δὲ, ὁπότε καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀγρῶν συνεκάλουν, πρὸς ἐπίσκεψιν μείζονα τῶν πραγμάτων. D. Chemnicius, notat σύγκλησιν dici de primoribus, magnatibus, consulibus et eorum conventu; διάκλησιν de colluvie promiscuae multitudinis, quando fit congregatio ab agris; ἐκκλησίαν vero de civibus, quando σύνοδος τῶν κατὰ τὴν πόλιν celebratur, eorum scilicet, qui certis legibus sibi invicem devincti unius reipublicae cives sunt. Appellatio igitur ecclesiae ad populum Dei translata ostendit, ecclesiam non esse colluviem promiscuae multitudinis, sed eorum, qui certis legibus a Deo vocati et sibi invicem sunt obstricti. Athenis usitati erant duplices conventus, ἐκκλησίαι καὶ ἀγοραὶ vel ἀγοραῖαι. Illae significabant conventus, ordinatos, quando universitas civium, eorum scilicet qui jus civitatis seu σύνοδον πολιτῶν habebant, ordine justo a magistratu convocati congregabantur; hae vero significabant congregationes promiscuas et inordinatas ab ἀγείρεσθαι, congregari, colligi, quando promiscua multitudo hominum in civitatibus et oppidis sine observatione ordinis in unum coibat, Joach. Steph. lib. 4. de eccles. c. 1. ex Polluce lib. 8. et aliis. ** Cyrillus Alexand. lib. 4. in Esa. orat. 4: *Cum ecclesiam dicimus, non circuitui murorum vim hujus distinctionis accommodamus, sed piorum potius in ea multitudinem sanctissimam significamus.* Gerson de potest. eccles. consid. 13: *Non sumitur ecclesia pro templo materiali quod aedificare melius potest latomus quam theologus, sed consideratur ecclesia, ut est constituta a Christo super petram fidei.* ** Appellationi igitur ecclesiae ad populum Dei translatae inest significatio εὐταξίας καὶ ἐννομίας, qualis est in aristocratia civili, cui opponitur δημοκρατία ἀκαταστασίας καὶ ἀταξίας plenissima. Monendum tamen, hoc discrimen non esse perpetuum, quia utrumque vocabulum in genere accipitur pro quorumvis hominum congregatione sive concione. Sic Act. 19, v. 32. erat ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, *concio confusa;* v. 39. ἐν τῇ ἐν νόμῳ ἐκκλησίᾳ *in legitima concione poterit absolvi;* v. 40. ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν, *dimisit concionem.*

4. In V. T. septuaginta interpretibus usitatum est vocabulum συναγωγῆς. Est autem prima origine vocabulum generale ipsum congregandi sive colligendi actum et quamvis congregationem significans. Thucyd. lib. 2. hist. συναγωγὴ τοῦ πολέμου. Genes. 1, v. 9. *congregentur aquae in unam* συναγωγήν. Genes. 28, v. 3. συναγωγαὶ ἐθνῶν. Job. 8, v. 17. συναγωγὴ λίθων. Esa. 19, v. 16. συναγωγὴ ὕδατος. Jerem. 44, v. 15. *dicebant omnes viri et omnes mulieres, quarum stabat* συναγωγὴ μεγάλη, *coetus magnus.* c. 50, v. 9. *adducuntur adversus Babylonem* συναγωγαὶ ἐθνῶν. Ezech. 38, v. 4. συναγωγὴ μεγάλη *de exercitu* dicitur. In specie vero usurpatur de ecclesia Israëlitica Exod. 16, v. 3. *interficere* πᾶσαν τὴν συναγωγήν. Levit. 14, v. 3. ἐὰν δὲ πᾶσα συναγωγὴ ἀγνοήσῃ etc. eodem modo ab evangelistis et apostolis in N. T. accipitur pro congregatione, scilicet populi Judaici, Matth. 4, v. 13. etc. ac metonymice pro loco, in quo singulis sabbatis conveniebant Judaei, audituri praelectionem scriptorum Mosaicorum ac propheticorum. Act. 15, v. 21: *Moyses. ab antiquis temporibus habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Sic Luc. 7, v. 5. de centurione Capernaitico dicitur, quod *aedificaverit Judaeis synagogam.* Actor. 18, v. 7. *domus Justi erat* συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ, *contermina synagogae.*

Συναγωγή quid significet.

5. Disputat Bellarminus lib. 3. de eccles. milit. c. 1. *populum V. T. proprie dici synagogam, id est congregationem; populum N T. nusquam dici synagogam, sed semper ecclesiam, id est evocationem. Congregari enim* (inquit) *commune est homini cum bestiis, at evocari proprium est hominum.* Catechism. Trident. in expos. symb. pag. 111. multo immodestius asserit, *populum V. T. synagogam dici, quod terrena et caduca bona tantum spectaret.* Respondemus: 1. Jac. 2, v. 2. vocabulum synagogae diserte usurpatur de congregatione Christianorum. *Si introierit* εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, *in conventum vestrum, vir aureum habens annulum.* Heb. 10, v. 25. exstat appellatio ἐπισυναγωγῆς, *non deserentes* τὴν

XI. 4. Num synagogae appellatio ecclesiae Israëliticae duntaxat conveniat.

Digitized by Google

ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν, quae videtur deducta ex Matth. 23, v. 37: *Quoties volui congregare, ἐπισυναγαγεῖν, filios tuos.* Quidam etiam huc referunt locum 2. Thess. 2, v. 1. ubi vox ἐπισυναγωγῆς de universali piorum congregatione in die judicii accipitur. Irenaeus lib. 3. adv. haeres. c. 6. p. 175: *Hi qui adoptionem acceperunt, sunt ecclesia, haec enim est synagoga Dei, quam Deus, h. e. filius, ipse per semetipsum collegit.* 2. Populo V. T. et ἐκκλησίας et συναγωγῆς nomen tribuitur, quia קָהָל, quod de congregatione fidelium V. T. usurpatur, LXX promiscue reddiderunt per συναγωγήν Exod. 16, v. 3. Levit. 4, v. 13. Num. 10, v. 7. etc. et per ἐκκλησίαν Deut. 31, v. 30. Jos. 8, v. 35. Jud. 20, v. 2. etc. alicubi etiam hae duae appellationes conjunguntur, Lev. 8, v. 4. Num. 20, v. 10. ἐξεκκλησίασε τὴν συναγωγήν. Prov. 5, v. 14. ἐν μέσῳ ἐκκλησίας καὶ συναγωγῆς. Neve quis obvertat, nuspiam in N. T. populum V. T. vocari ἐκκλησίαν, observetur locus Actor. 7, v. 38: *Moyses fuit in ecclesia in solitudine.* Turrianus lib. 1. de ecclesia et ord. minist. c. 1. scribit, *ecclesiam Israëlitarum non prius fuisse aut appellatam fuisse ecclesiam, quam Aaron factus est sacerdos.* Sed vocabula Hebraica קָהָל et עֵדָה, quae LXX per ἐκκλησίαν verterunt, etiam antea de Israëlitico populo usurpata inveniuntur Exod. 12, v. 3. et seqq. 3. Bellarminus lib 1. de pontif. Rom. c. 10. probat, *nihil discriminis esse inter Petrum et petram apud Matthaeum c. 16, v. 18. quia Christus Syriace locutus sit, in Syriaco autem testamento utrobique haberi vocem* כאפא. Si Christus haec verba Syriace protulit, ergo etiam integram sententiam, at ibi pro ecclesia habetur vox עדתא, quae descendit a nomine Hebraeo עֵדָה, quod Bellarminus ipse dicit significare synagogam, ergo Christus suam ecclesiam vocavit synagogam. 4. Conjugata συναγωγῆς, *congregationis*, tribuuntur populo Christiano, ergo non potest tale discrimen statui inter congregari et evocari, quod illud sit commune hominibus cum bestiis, hoc vero hominum proprium. Matth. 13, v. 2. συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ὄχλος πολύς. c. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres fuerint* συνηγμένοι, *congregati, in nomine meo.* Joh. 11, v. 52. dicitur *Christus moriturus, ut omnes filios dispersos* συναγάγῃ εἰς ἕν. Joh. 20, v. 19: *Ubi erant discipuli* συνηγμένοι. Actor. 4, v. 31. c. 11, v. 26. c. 14, v. 27. c. 15, v. 6. c. 20, v. 7. etc. Quid quod ipsi patres Tridentini conventum suum vocant *congregationem* sess. 9. et 10. concil. Num vero dicent, se pecudum more fuisse congregatos? 5. Evocari proprium esse hominum non est absolute affirmandum. Joh. 10, v. 3: *Pastor oves vocat*, καλεῖ κατ' ὄνομα. Atqui evocari nihil aliud est quam vocari, unde ecclesia definitur *coetus vocatorum* et fideles dicuntur *vocati sancti;* jam vero vocatio, κλῆσις, et veteris et novi testamenti populo communis est. 6. Inter קָהָל et עֵדָה potest quidem aliquid dis-
XI. 5. criminis statui, ut postea monebitur, sed non tale, ut illud sit commune homini cum bestiis, hoc vero homini proprium, quia ut exempla Scripturae ostendunt et Mercerus probat, vox קָהָל convenit hominibus tantum ad concionem aggregatis. Bellarminus pro sua sententia allegat Augustinum in Psalm. 81. sed idem ἐπανόρθωσιν quandam in enarr. Psalm. 77. addit. *Quanquam* (inquit) *dicatur proprie synagoga Judaeorum, ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio magis hominum intelligi solet; tamen et illam dictam invenimus ecclesiam et nobis fortasse potius convenit dicere: Salva nos Domine Deus noster et congrega nos de gentibus* etc. Ibidem duas Augustinus hujus nominis causas proposuit: *Nostram* (inquit) *apostoli nunquam dixerunt synagogam, sed semper ecclesiam, sive discernendi caussa, sive quod inter congregationem, unde synagoga, et convocationem, unde ecclesia nomen habet, distet aliquid, quod scilicet congregari pecora soleant proprie, quorum et greges proprie dicimus, convocari autem magis est ratione utentium.* Bellarminus igitur non debuisset unam causam arripere praetermissa altera vero magis consentanea. 8. Populum V. T. terrena et caduca tantum spectasse nemo dixerit, nisi ex eo porcorum quendam gregem efficere voluerit. Quid enim fiet sanctissimis patriarchis, quos Christus *in regno coelorum accubituros* dicit Matth. 8, v. 11. quos epistola ad Hebraeos c. 11, v. 14. *coelestem patriam expetivisse* pronuntiat? Nec uspiam dicit Augustinus, populum V. T. tantum terrena et carnalia spectasse, sed contrarium late probat lib. 10. de civ. Dei c. 15. in Psalm. 77. et alibi passim.

6. Quamvis vero improbemus Bellarminianam illam discriminis hujus rationem, propter quam apostoli populo N. T. noluerint synagogae appellationem tribuere, tamen cum perpetuo fere nomen ecclesiae in scriptis evangelistarum et apostolorum tribuatur Christianis ex Judaeis et gentibus in N. T. collectis, nomen autem synagogae Judaeorum congregationi, dubium nullum est, quin ex certis quibusdam causis illud fuerit factum. 1. Voluerunt apostoli ipso nomine coetum Christianorum distinguere a synagogis et congregationibus Judaeorum. Cum enim illi pergerent Christo et verbo evangelii reluctari ac synagogae nomen sibi quasi proprium vindicarent, visum est Spiritui sancto et apostolis ecclesiae appellationem Christianorum populo tribuere. 2. Vocabulum ecclesiae videbant apostoli usitatum esse etiam apud alias gentes de convocationibus civium voce praeconis factis et de ordinatis conventibus, ut ostendunt exempla apud Aristotelem, Demosthenem ac Thucydidem. Voluerunt igitur usitatam illam apud gentes appellationem jure Christianae civitatis donare. 3. In V. T. ecclesia angustis Judaeae limitibus fuit inclusa, et quotquot verum Dei cultum et viam consequendae salutis aeternae discere voluerunt, illos oportuit isti populo accedere et conjungi; sed in N. T. ex omnibus linguis et gentibus voce evangelii ubique locorum sonante, Christo colligitur ecclesia καθολικὴ sive universalis. In V. T. gentes ad consortium populi sancti vocatas oportuit congregari ad tabernaculum et templum; sed in N. T.

Digitized by Google

regnum Christi per universalem evangelii praedicationem in omnes gentes propagatur ac dilatatur. 4. Ecclesiae appellatio etiam ideo significantior est et illustrior, quia complectitur utrumque terminum a quo et ad quem ac includit κλῆσιν sive vocationem, qua veluti divina quadam tuba homines ex mundo in ecclesiae consortium evocantur, cum synagogae nomen duntaxat terminum ad quem complectatur et congregationem significet. 5. Ipsa ecclesiae sive evocationis appellatio admonet nos de immensa Dei bonitate, qua nullis meritis intercedentibus ex damnato genere humano per praedicationem verbi homi-
XI. 6. nes evocantur ad consortium ecclesiae, in qua, velut arca Noaitica, a diluvio irae divinae conserventur. Quemadmodum enim quidam evocantur e domo mox collapsura vel incendio peritura, ne una cum reliquis intereant; ita Deus ex humano genere propter peccatum perdito et damnato fideles evocat, ne cum idololatris et impiis aeterno exitio maneant obnoxii. Typi hujus evocationis sunt Noa cum familia sua in arcam divino mandato a se exstructam ingredi jussus Genes. 6, v. 19. Abrahamus ex terra sua, ex cognatione sua, ex domo patris sui egredi jussus Genes. 12, v. 1. etc.

Quid קָהָל et עֵדָה significent.

7. Hebraei duo potissimum habent vocabula, quibus ecclesiae coetum denotant, קָהָל et עֵדָה. קָהָל et per metathesin לַהֲקַה (1. Sam. 19, v. 20.) est congregatio, coetus et collectio hominum a rad. קָהַל congregavit, collegit. LXX interpretes indiscriminatim verterunt per συναγωγήν et ἐκκλησίαν, saepius tamen per ἐκκλησίαν. Exod. 12, v. 6. 2. Paral. 31, v. 18. per τὸ πλῆθος, Proverb. 26, v. 26. per συνέδριον. עֵדָה significat conventum statis horis ac locis congregari solitum a rad. יָעַד, constituit certum conveniendi tempus ac locum. LXX interpretes ut plurimum verterunt per συναγωγήν Exod. 12, v. 3. et alibi passim. Num. 16, v. 46. per παρεμβολήν. Num. 16, v. 40. per ἐπισύστασιν, congregationem. Potest igitur inter קָהָל et עֵדָה hoc discrimen statui, quod עֵדָה sit specialius vocabulum, significat enim coetum hominum, qui ad certam rem aliquam transigendam solenni ritu et publica auctoritate ad certum locum tempusque indictum conveniunt; קָהָל vero generalius, significat enim congregationem hominum non habentem certum tempus, nec locum indictum; ex quo fundamento apparet, cur appellatio συναγωγῆς respondens Hebraeo עֵדָה populo Israëlitico cumprimis fuerit attributa, nimirum quia certas a Deo leges acceperat de diebus festis, de locis sacris et aliis Leviticis ceremoniis, et quia cultus divinus in V. T. ad certa loca ac tempora fuit divina auctoritate adstrictus, id quod in ecclesia N. T. non amplius locum habet, quae est καθολική, hoc est toto terrarum orbe diffusa interprete Augustino epist. 170. Usurpatur

Vocabulum מִקְרָא

etiam de ecclesia vox מִקְרָא, convocatio, conventus Exod. 12, v. 16. Levit. 23, v. 2. a rad. קָרָא vocavit, convocavit, inde LXX verterunt κλητήν, in forma substantivi, quae appellatio respicit vocationem, per quam Deus in his terris sibi ecclesiam colligit, quia vocatio est primum beneficium, quod in filios ecclesiae divina gratia confertur. Joël. 2, v. 15. usurpatur vox עֲצָרָה, coetus, collectio, quam LXX interpretes ibidem reddunt θεραπείαν, Symmachus σύνοδον, Aquila ἡμέραν συλλογῆς, alibi verterunt πανήγυριν Amos 5, v. 21. a rad. עָצַר, praevaluit, detinuit, significat igitur עֲצָרָה collectionem hominum in unum locum, ubi aliquandiu detinentur, ac magis convenit statis ac particularibus conventibus quam totius ecclesiae congregationi. 2. Reg. 10, v. 20. LXX vertunt ἱερείαν, cui respondet vocabulum πρεσβυτήριον, collegium seniorum, senatus ecclesiasticus 1. Tim. 4, v. 14. in qua significatione vox ἐκκλησίας usurpari videtur Matth. 18, v. 17: *Si non audierit illos, dic ecclesiae.* Sed vox קָהָל generalis est totius multitudinis universalem congregationem significans sine temporis, loci ac personarum determinatione. Germanicum Kirche videtur descendere ab appellatione Graeca κυριακή. Quia enim ecclesia dicitur κυρίου et κυριακή, ut apparebit postea, ideo Germani suum illud nomen inde videntur sumsisse.

עֲצָרָה

Kirche.

CAPUT II. XI. 7.

DE VOCABULI ὉΜΩΝΥΜΙΑι.

Ἐκκλησίας vox quot modis accipiatur.

8. Ecclesia in genere significat coetum et congregationem, unde tribuitur politicis ac profanis coetibus, Aristoph. μὴ ποιεῖν ἐκκλησίαν τοῖς Θρᾳξί. Thucyd. συλλέγειν ἐκκλησίαν. In hac significatione usurpatur etiam Ezech. 32, v. 3. ἐν ἐκκλησίᾳ λαῶν πολλῶν et Act. 19, v. 32: *Erat ecclesia confusa.* v. 40: *Dimisit ecclesiam.* Ut ergo ecclesiae coetus sacer distingueretur a profanis coetibus, ideo vocatur ecclesia Dei ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ Nehem. 13, v. 1. Act. 20, v. 28. 1. Cor. 1, v. 2. c. 20, v. 32. c. 11, v. 16. et 22. c. 15, v. 9. 2. Cor. 1, v. 1. Gal. 1, v. 13. 1. Thess. 2, v. 14. 2. Thess. 1, v. 4. 1. Tim. 3, v. 5. et 15. Item ἐκκλησία ἐν θεῷ 1. Thess. 1, v. 1. etc. ἐκκλησία τοῦ Κυρίου Deuter. 23, v. 1. et seq. 1. Paral. 28, v. 8. Mich. 2, v. 5. Quia vero etiam haeretici gloriantur de ecclesia, ideo differentiae et honoris causa vera ecclesia vocatur ἡ ἐκκλησία τῶν ἁγίων, *ecclesia sanctorum* Psalm. 89, v. 6. Psalm. 149, v. 1. 1. Cor. 14, v. 33. cui opponitur ἡ ἐκκλησία πονηρευομένων, *ecclesia malignantium* Psalm. 26, v. 5. קְהַל מְרֵעִים, quasi dicat *congregatio amaricantium*, (quia inobedientia et falsis cultibus Deus amaricatur i. e. exacerbatur. Ps. 106, v. 33. 1. Reg. 13, v. 26. Ezech. 2, v. 8.) quae vocatur *synagoga sive congregatio Satanae* Apoc. 2, v. 9. c. 3, v. 9. Denique quia ecclesia V. et N. T. dicitur *Dei et Domini ecclesia*, ideo ad differentiam ecclesia N. T. vocatur *ecclesia Christi* Matth. 16, v. 18. Rom. 16, v. 16. Coloss. 1, v. 24. quae scilicet in Christum in carne exhibitum credit et fidem ejus confitetur. Quamvis si rem ipsam spectare velimus, etiam V. T. ecclesia recte dici possit Christiana.

Digitized by Google

Ecclesia pro loco conventus.

9. Ut autem concio apud Latinos pro ipso conventu et pro loco conventus usurpatur; ita quoque ecclesia utroque modo accipitur tum pro coetu convocato, tum etiam pro loco, in quo coetus ille cogitur. Demosth. pro coron. *οἱ μὲν πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον, ὑμεῖς δὲ εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε.* Lucian. in Dial. Merc. et Majae: *σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ καὶ διαστρώσαντα τὴν ἐκκλησίαν* etc. **Pro structura vel aedificio, in quo sacrorum celebrandorum causa conveniri solet, accipitur nomen ecclesiae in titt. Cod. de sacrosanctis ecclesiis, de iis qui ad ecclesiam confugiunt etc. in novellis constit. Justiniani.** In sacris literis haec significatio ecclesiae pro loco congregationis non facile occurrit, **(Judith. 6, v. 20: *Postea vero convocatus est omnis populus et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt petentes auxilium a Deo Israël.* Hic nomen *ecclesiae* ponitur pro ipso loco, in quo congregatur populus. Verum haec significatio rarior est in sacris literis, Alph. de Castro lib. 6. ad v. haereses verbo *ecclesia.)*** sed progressu temporis factum, ut a scriptoribus ecclesiasticis tandem reciperetur, sicut Gallico nomine templum vocatur eglise, et Germanicum Kirche, tum pro ipsa congregatione fidelium, tum pro loco congregationis accipitur. In jure canonico l. 3. decretal. titulus 40. agit de *consecratione ecclesiae.* tit. 48. *de ecclesiis aedificandis vel reparandis*, ubi manifestum est, nomen ecclesiae accipi pro aede sacra, in qua particularis aliqua ecclesia ad auditum verbi et cultus divini exercitium convenit. Hebraei vocant בֵּית מִדְרָשׁ, *domum praedicationis.* Haec significatio vocabuli ecclesiae occurrit etiam in scriptoribus veteribus. Eusebius lib. 3. de vita Const. cap. 47. ex vers. Christophori: *Imperator Constantinus in omnibus provinciis ecclesias novas exstruxit easque fecit prioribus longe praestabiliores.* Augustinus epist. 157. circa med.: *Sicut appellamus ecclesiam basilicam, qua continetur populus, qui vere appellatur ecclesia, ut nomine ecclesiae, i. e. populi, qui continetur, significemus locum, qui continet; ita quod animae corporibus con-*
XI. 8. *tinentur intelligi corpora filiorum per nominatas animas possunt.* lib. 2. de civ. Dei cap. 28: *Populi confluunt ad ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione,* etc. Sed quilibet videt, hanc appellationem esse impropriam et *καταχρηστικήν*, inde Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus, qui Augustini *σύγχρονος* fuit ac paulo post Augustini mortem scriptis claruit, hanc nominis significationem ex professo refellit lib. 2. epist. 246. p. 210. edit. Rittersh. *Discat* (inquit) *Eusebius Pelusiotarum antistes, quid sit ecclesia. Est enim absurdissimum et perquam grave, ipsum ne hoc quidem cognitum habentem in hac opinione versari, ut episcopum se esse existimet. Nam quod sanctorum coetus ex recta fide atque optima vivendi ratione collectus ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustarunt. Quod autem ille hoc ignorans τὴν ὄντως ἐκκλησίαν eam, quae vere est ecclesia, evertat, dum multis offendiculi causam praebet, τὸ δὲ ἐκκλησιαστήριον, templum autem, exstruat atque illam quidem ornatu spoliet probos viros expellens, hoc autem magnificis marmoribus exornet, hoc quoque nemini obscurum est. Quod si ille certo cognoscat, aliud ecclesiam, aliud templum esse, ὅτι ἄλλο ἐστὶν ἐκκλησία καὶ ἄλλο ἐκκλησιαστήριον (nam ea ex immaculatis animis constat, hoc autem ex lapidibus et lignis exaedificatur), sic existimo, eum finem facturum esse illam evertendi, hoc impensius quam necesse sit, πλέον τῆς χρείας, exornandi. Neque enim parietum, sed animarum causam coelestis Rex huc venit. Quodsi ignorare fingat, quod dico, etiamsi vel tardissimis quam maxime clarum ac conspicuum sit, exemplis hoc declarare conabor. Ut enim aliud est sacrificium, aliud altare; aliud thymiamatis locus, θυμιατήριον, aliud thymiama; aliud βουλευτήριον, senaculum, aliud senatus (illud enim locum, in quem coëunt, significat; hic autem viros eos, qui consilium ineunt, ad quos et periculum et salus pertinet); eodem modo de templo et ecclesia statuendum. Quod si ne sic quidem se intellexisse dicat, illud ex me discat, quod apostolorum tempore, cum ecclesia et spiritualibus gratiis abundaret et vitae splendore afflueret, nulla templa erant, at nostra templa plus quam par sit, exornata sunt, ecclesia autem, ne quid gravius dicam, κωμῳδεῖται, comicis cavillis incessitur. Ego vero si mihi optio daretur, temporibus illis fuisse mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, ecclesia autem divinis ac coelestibus gratiis undique cincta et redimita erat, quam his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus cohonestata sunt, ecclesia autem spiritualibus illis gratiis nuda est et vacua.* Haec omnia Pelusiota, quae merito opponuntur Pontificiis Eusebii illius vestigiis adhuc hodie insistentibus. Cum Pelusiotae disputatione convenit illud Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Esaiam orat. 4: *Cum ecclesiam dicimus, non circuitui murorum vim hujus dictionis accommodamus, sed piorum potius in ea multitudinem sanctissimam significamus.* Inde Gers. de potest. eccles. consid. 13: *Non sumitur ecclesia pro templo materiali, quod aedificare melius potest latomus quam theologus, sed consideratur ecclesia, ut est instituta a Christo super petram fidei.* Bellarminus lib. 3. de cultu sanct. c. 4. §. secundo probare conatur, *Christianos apostolorum temporibus habuisse templa a privatis domibus distincta, eademque ecclesias fuisse appellata;* quo fine adducit locum 1. Cor. 11, v. 18: *Convenientibus vobis in ecclesiam* et c. 14, v. 35: *Mulieres in ecclesiis taceant.* Sed res ipsa ostendit, non aedificium templi, sed ipsam populi Christiani congregationem sive concionem ecclesiae nomine utrobique intelligi. Ut enim ex Actis apostolicis et scriptoribus vetustioribus adeoque ex Pelusiotae testimonio modo allato constat, Christiani apostolorum tempore nondum habuerunt publica templa, sed in privatis domibus convenerunt. Roman. 16, v. 23. apostolus Cajum vocat suum et *τῆς ἐκκλησίας ὅλης hospitem*, procul dubio quia in aedibus hujus

Digitized by Google

Caji fideles convenerunt. Idem Bellarminus ut probet, *ecclesiam quandoque significare locum, in quo fideles congregantur* lib. 3. de eccles. c. 1. adducit alium locum ex Judith. 6, v. 20: *Convocatus est omnis populus et per totam noctem intra eccle-*
XI. 9. *siam oraverunt*, sed Graecus textus aliter habet: *παρέλαβεν αὐτὸν Ὀζίας ἐκ τῆς ἐκκλησίας (ex coetu populi) εἰς οἶκον αὐτοῦ καὶ ἐποίησε πότον τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ ἐπεκαλέσαντο τὸν θεὸν Ἰσραὴλ εἰς βοήθειαν ὅλην τὴν νύκτα ἐκείνην.*

Ἐκκλησίας distinctio. 10. Porro nomen ecclesiae coetui hominum verae religionis nomine convocatorum attributum in Scripturis accipitur. 1. Universaliter idque proprie principaliter, *ἐξοχικῶς* et *κατὰ πρῶτον λόγον* pro toto coetu vere fidelium sive electorum, qui ab origine mundi usque ad illius finem ex omnibus populis, gentibus et linguis a Spiritu sancto per verbum vocantur, colliguntur, illuminantur et sanctificantur. Matth. 16, v. 18. dicit Christus: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* (Quamvis enim verbum futuri temporis ostendat, de illa ecclesiae parte Christum proprie et principaliter loqui, quae in N. T. adhuc aedificanda restabat; tamen cum unum idemque sit ecclesiae in V. ac N. T. fundamentum, ideo nomen ecclesiae recte accipi potest universaliter positum) Ephes. 1, v. 22: *Dedit ipsum* (Christum) *caput super omnia ipsi ecclesiae;* v. 23. *quae est corpus ipsius plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet.* (Quamvis enim illa gloria et dignitas, quod Christus secundum humanam naturam ecclesiae caput constitutus est, sit consequens exaltationis ad dextram divinam, atque eo respectu ad ecclesiam N. T. locus hic peculiariter pertinere videatur, tamen cum non minus in V. quam in N. T. Christus fuerit unicus mediator et ecclesiae caput, ideo commode nomen ecclesiae etiam hoc loco universaliter positum accipi potest.) Eph. 5, v. 23: *Christus est ecclesiae caput et ipse est salvator illius sui corporis;* v. 24: *ecclesia subjecta est Christo;* v. 25: *Christus dilexit ecclesiam et dedit se ipsum pro ea;* v. 26: *ut illam sanctificaret mundans eam lavacro aquae in verbo.* 1. Tim. 3, v. 15: *Ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei versari, quae est ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis.* Huc etiam pertinent verba symboli apostolici: *Credo unam, sanctam, catholicam ecclesiam, communionem sanctorum.* Quia vero ut in corpore humano non solum sunt viva membra, sed etiam inutiles et excrementitii humores, ac in *domo magna sunt non solum vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia, et illa quidem in honorem, haec vero in ἀτιμίαν,* 2. Tim. 2, v. 20; ita quoque coetui sanctorum et electorum, qui sunt vera et viva ecclesiae membra, ac vasa divinae gratiae in honorem, admixti sunt in hac vita non sancti, ratione externae societatis, professione scilicet fidei et usu sacramentorum, ecclesiae conjuncti, inde nomen ecclesiae populariter *γενικῶς* et minus exquisite accipitur pro toto coetu vocatorum, in quo sunt quidam sancti, quidam vero non sancti, interiori scilicet renovatione destituti. Actor. 20, v. 28: *Deus redemit ecclesiam suo sanguine.* 1. Cor. 12, v. 28: *Quosdam posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* etc. 1. Cor. 14, v. 4: *Qui prophetat, ecclesiam Dei aedificat;* v. 23: *si conveniat universa ecclesia in unum* etc. Augustinus lib. 3. de doctrina Christ. c. 32. recitat Ticonii regulam *de corpore Domini bipertito*, monet autem, illud non ita debuisse appellari, *cum revera non sit Domini corpus, quod cum illo non erit in aeternum. Sed dicendum fuit* (inquit) *de Domini corpore vero atque permixto, aut vero atque simulato, vel quid aliud, quia non solum in aeternum, verum etiam nunc hypocritae non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur ecclesia, unde poterat ista regula et sic appellari, ut diceretur de ecclesia permixta, quae regula vigilantem lectorem requirit, quando Scriptura cum ad alios jam loquatur, tanquam ad eos ipsos ad quos loquebatur, videatur loqui, vel de ipsis cum de aliis jam loquatur, tanquam unum sit utrorumque corpus propter temporalem commixtionem et communionem sacramentorum.* Porro quia humanis oculis non est obvium, quinam in coetu vocatorum sint vere credentes, sancti et electi, inde promanavit divisio ecclesiae *in visibilem et invisibilem.* Visibilis est vocatorum, invisibilis sanctorum et electorum; de qua divisione postea pluribus agetur.

11. Ex descriptione universalis ecclesiae colligi potest, ecclesiam duplici ratione universalem dici; *ratione scilicet loci et ratione temporis*, ubi universalitas temporis includit universalitatem loci, sed non contra. Ratione loci omnes illi, qui uno tempore ex diversis populis per universum terrarum orbem ad ecclesiae consortium et beneficiorum Christi participationem per verbum convocantur, dicuntur universalis ecclesia. Augustinus lib. 2. contra lit. Petil. c. 103: *Ecclesia Dei vivi est columna et firmamentum veritatis, toto orbe terrarum diffusa propter evangelium, quod praedicatur, sicut dicit apostolus: In omni creatura, quae sub coelo est.* Serm. 99. de temp.: *Sancta ecclesia nos sumus, sed non sic dico nos, quasi ecce qui hic sumus, qui me modo auditis, sed quotquot sumus Christiani fideles in hac ecclesia, id est in hac civitate, quotquot sunt in ista regione, quotquot sunt trans mare, quotquot sunt in universo terrarum orbe, quoniam a solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. Sic se habet ecclesia catholica mater nostra.* Ratione temporis omnes illi, qui diversis temporibus ab origine mundi usque ad illius finem per totum terrarum orbem ad ecclesiae consortium et beneficiorum Christi participationem per verbum convocati sunt et adhuc convocantur et imposterum convocabuntur, dicuntur ecclesia universalis. Augustinus in Psalm. 56: *Corpus autem ejus est ecclesia, non autem ista aut illa, sed toto orbe diffusa. Nec ea, quae nunc est in homini-*

XI. 10. Quot modis ecclesia dicatur universalis.

Digitized by Google

bus, qui praesentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam iis, qui fuerunt ante nos usque in finem seculi. in Psalm. 62: *Non solum autem fideles, qui modo sunt, sed et qui fuerunt ante nos et qui post nos futuri sunt, usque in finem seculi, omnes ad corpus ejus pertinent, cujus corporis ipse est caput, qui in coelum adscendit.* in Psalm. 92: *Corpus hujus capitis ecclesia est, non quae hoc loco est, sed quae hoc loco et per totum orbem terrarum; nec illa, quae hoc tempore, sed quae ab ipso Abel usque ad eos, qui nascituri sunt usque ad finem et credituri sunt in Christum, totus populus sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quae civitas corpus est Christi, cujus caput est Christus.* Huc pertinent libri Augustini de civitate Dei, in quibus ecclesiam describit ut civitatem Dei, ad quam pertinent omnes fideles, quocunque mundi tempore vixerunt, vivunt aut victuri sunt, a qua distinguit civitatem seculi, ad quam pertinent omnes reprobi; utriusque civitatis principium in Abele et Caino constituit.

Quare toti fidelium multitudini tribuatur nomen ecclesiae.

12. Quia vero tota multitudo fidelium nec in unum locum, nec uno tempore congregatur, merito aliquis quaerat, cur ecclesiae nomen illi fuerit attributum? Respondendum est, illud fieri propter spiritualem unitatem, quae in hac vita omnibus ecclesiae membris invicem intercedit, in quo vero unitas illa consistat, paulo post demonstrabitur. Accedit quod, quemadmodum ecclesia aliqua particularis congregari solet in terra, ut ex verbo Dei erudiatur et cultui divino vacare possit; ita post hanc vitam tota electorum multitudo in coelo olim congregabitur, ut aeternis Deum laudet praeconiis et perpetua fruatur laetitia. In hac vita tota fidelium multitudo est *una ecclesia vinculo fidei et caritatis, post hanc vitam una erit consortio aeternitatis*, ut loquitur Augustinus in enchir. ad Laur.

Ecclesia militans et triumphans.

c. 56. Quin imo cum quaedam ecclesiae universalis membra coelesti illa gloria et laetitia jamdum perfruantur, inde factum, ut ecclesia universalis dividatur in *militantem* et *triumphantem.* (Bellarminus et alii Pontificii falso addunt tertiam speciem, videlicet ecclesiam *laborantem*, in subterraneis locis purgandam). Militans dicitur, quae sub vexillo Christi contra Satanam, mundum et carnem in hac vita adhuc pugnat (ubi observa, electorum ecclesiae hanc descriptionem unice competere, si vero coetui vocatorum accommodari debet, addendum erit, quod militans ecclesia in hoc vocata et constituta sit, ut contra adversarias illas potestates viriliter depugnet, id quod omnibus ad ecclesiam vocatis commune est.) **Augustinus tract. 123. in Joh.: *Duas vitas divinitus praedicatas et commendatas novit ecclesia, quarum una est in fide, altera in spe; una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una cum hoste pugnat, altera sine hoste triumphat* etc. *Una bona et mala discernit, altera quae sola bona sunt, cernit; una bona est, sed adhuc misera, altera melior et beata.*** Ratio appellationis petita est ex sequentibus potissimum Scripturae locis Ephes. 6, v. 10: *Fratres confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus;* v. 11. *induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli;* v. 12: *quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates* etc. 1. Petr. 5, v. 8: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret;* v. 9: *cui resistite fortes in fide.* 1. Joh. 5, v. 4: *Haec est victoria, quae mundum vincit, fides nostra.* Rom. 7, v. 23: *Video aliam legem in membris meis ἀντιστρατευόμενον, repugnantem, legi mentis meae.* Job. 7, v. 1: *Militia perpetua est hominis vita super terram.* Triumphans ecclesia dicitur, quae ad coelestem quietem translata a pugnandi labore et succumbendi periculo liberata, contra omnes adversarias potestates in coelo triumphat. Ephes. 5, v. 27: *Ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* (hoc Hieronymus in cap. 31. Jerem. Augustinus lib. de perfect. justit. et alibi de ecclesia in coelis triumphante recte accipiunt.) Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum angelorum frequentiam;* v. 23: *et ecclesiam primitivorum, πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων, qui conscripti sunt in coelis, et ad judicem omnium Deum et ad spiritus justorum perfectorum*, ubi ecclesia in terris militans et in coelis triumphans velut unus coetus atque una congregatio describitur. Ratio appellationis petita est ex sequentibus dictis Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae.* v. 26: *Qui vicerit et qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes;* v. 27: *et reget eas in virga ferrea.* Apoc. 4, v. 4: *In capitibus eorum coronae aureae.* c. 7, v. 9. *palmae in manibus eorum*, in signum scilicet victoriae. Quidam divisionem ecclesiae in militantem ac triumphantem deducunt ex Ephes. 1, v. 10: *Deus proposuit ἀνακεφαλαιώσασθαι, instaurare, sub unum caput redigere, omnia in Christo, quae sunt in coelis et quae sunt super terram*, et Coloss. 1, v. 20: *Placuit Deo per Christum ἀποκαταλλάξαι, reconciliare, omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris sunt, sive quae in coelis sunt.* Sed per τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς videntur potius intelligendi angeli (ut exponunt Chrysostomus et Theophylactus) quam beatorum animae in coelis, ut exponunt Beza et Piscator. Et angeli et homines primitus conditi erant, ut essent una societas, unum corpus, una ecclesia, sed fraude diaboli genus humanum per peccatum ex hoc corpore est avulsum; Christus igitur passione sua reconcilians genus humanum Patri coelesti pacificavit et sub unum caput vicissim redegit angelos et homines etc. Quamvis enim Christus non sit angelorum mediator proprie sic dictus,

XI. 11.

ut quidam ex Calvinianis statuunt et ex illis locis probare nituntur, tamen ex reconciliatione generis humani cum Deo per Christum facta illa utilitas ad nos redundavit, ut societatis pristinae instauratio fuerit facta, absque qua si esset, angeli nos fuissent aversati. Quidam ecclesiam militantem statuunt *in fieri* secundum generationem et progressum, triumphantem *in facto* esse secundum perfectam ipsius constitutionem, quod commode accipiendum ratione scilicet incrementi, quod ecclesiae militanti in donis et personis adhuc competit, militanti vero post judicii diem non amplius competet. Photiniani divisionem ecclesiae in militantem et triumphantem repudiant, sic enim scribit Smaltzius in refutat. thesium D. Frantzii disp. 8. de ecclesia p. 273: *Error est, dum ecclesiam invisibilem partitur Frantzius in*
I. 12. *triumphantem et militantem. Nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura est, cum Jesus Christus venerit redditum unicuique secundum opera ipsius.* Quod profluit ex hypthesi illa Anabaptistica, animas piorum dormire usque ad diem judicii.

Ecclesiae particularis distinctio.

13. Particulariter accipitur ecclesiae appellatio tum temporis, tum loci ratione. Temporis ratione alia est ecclesia veteris, alia novi testamenti. Quamvis enim omnes omnino fideles, sive in V. sive in N. T. vixerint, ad unum catholicae ecclesiae corpus pertineant, tamen cum illi crediderint in Messiam promissum, hi vero credant in exhibitum, inde appellatio ecclesiae specialiter accepta tribuitur: 1. Populo veteris testamenti ante Christum exhibitum. Num. 20, v. 4: *Eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem.* Deuter. 23, v. 1: *Non intrabunt in ecclesiam Domini.* Actor. 7, v. 38: *Moyses fuit in ecclesia in solitudine.* Haec vocatur *ecclesia Israël* 1. Reg. 8, v. 14. 22. etc. 2. Populo novi testamenti post Christum exhibitum. Actor. 5, v. 11: *Factus est timor magnus in universa ecclesia.* c. 8, v. 1: *Facta est persecutio magna in ecclesia* etc. Haec vocatur *ecclesia Christi* Rom. 16, v. 16. Coloss. 1, v. 24. ac distinguitur inter *primitivam*, quae ab apostolis et eorum discipulis constituta, ac *successivam*, quae primitivae illi successit. Loci ratione alia est ecclesia magna sive frequens, alia parva. Magna sive frequens est, quae in aliqua vel natione, vel provincia, vel civitate *Deo* colligitur; sic *ecclesiae gentium* dicuntur Rom. 16, v. 4. quae ex gentibus sive gentilium regionibus Christo collectae, *ecclesiae Asiae* 1. Cor. 16, v. 19. *ecclesiae Macedoniae* 2. Cor. 8, v. 1. *ecclesiae Galatiae* Gal. 1, v 2. *ecclesia per totam Judaeam, Galilaeam et Samariam* Act. 9, v. 31. *ecclesia in Hierosolymis* Act. 8, v. 1. cap. 11, v. 22. *ecclesia in Antiochia* Act. 13, v. 1. *ecclesia Dei in Corintho* 1. Cor. 1, v. 2. *ecclesiae Thessalonicensium* 1. Thess. 1, v. 1. *ecclesia Ephesina* Apoc. 2, v. 1. *ecclesia Smyrnensium* v. 8. *ecclesia in Pergamo* v. 12. *ecclesia Thyatirae* v. 18. *ecclesia in Sardibus* c. 3, v. 1. *ecclesia in Philadelphia* v 7. *ecclesia Laodicensium* v. 14. Coloss. 4, v. 16. etc. Parva est domestica, quae *κατ' οἶκον*, per singulas domus, colligitur, quam vocare possis ecclesiolam. Rom. 16, v. 5: *Salutate τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν, domesticam eorum (Aquilae et Priscillae) ecclesiam.* 1. Cor. 16, v. 19: *Salutant vos Aquila et Priscilla σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ.* Coloss. 4, v. 15: *Salutate Nymphan et eam quae in domo ejus est ecclesiam.* Epist. ad Philem. 2: Archippo *συστρατιώτῃ ἡμῶν καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ.* Observandum hoc loco, ecclesiae nomen particulariter acceptum numero multitudinis poni, quia nimirum plures sunt particulares ecclesiae, quae conjunctim sumtae constituunt unam catholicam sive universalem ecclesiam, quae cum una duntaxat sit, ideo nomen ecclesiae pro ea acceptum semper ponitur in numero singulari. In notis ad lib. 1. Euseb. cap. 1. admonetur, *Eusebium promiscue usurpare vocabula παροικίας et ἐκκλησίας, cum tamen παροικία proprie notet particularem aliquam ecclesiam, quidam vertunt provinciam*, sed Ruffinus ecclesiasticorum scriptorum morem secutus ecclesiam transferre maluit. Vi nominis *παροικία* est ecclesia domestica.

Synecdochicae ἐκκλησίας significatio.

14. Synecdochice nomen ecclesiae pro parte ejus accipitur. Cum enim ecclesiae coetus juxta Cyprianum in epist. ad Florent. Pupianum lib. 4. epist. 9. *in gregem et pastorem* dividatur *(ecclesia*, inquit, *est plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens, unde scire debes, et episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo)*, inde accidit, ut ecclesiae appellatio per figuram synecdoches tribuatur: 1. Presbyterio sive senatui ecclesiastico. Matth, 18, v. 17: *Si non audierit eos, dic ecclesiae.* (Quamvis nulla absurditate laboret, totam fidelium congregationem etiam hoc loco ecclesiae nomine intelligere, sicut Paulus id videtur eo modo exponere 1. Tim. 5, v. 20: *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.* Atqui haec posterior significatio priori praeferenda est propter strophas Pontificiorum, XI. 13.
qui praelatis auctoritatem quidvis statuendi ex hoc loco tribuunt iisque solis ecclesiae nomen arrogant, quam vocant *ecclesiam repraesentativam*, perinde ut Aristot. lib. 9. ethic. c. 9. dicit, *civitatem id maxime esse, quod in ea principale est.)* 2. Gregi, hoc est ovibus sive auditoribus. Actor. 20, v. 28: *Spiritus sanctus posuit vos episcopos regere ecclesiam Dei;* id Petrus 1. epist. 5, v. 2. sic exponit: *Pascite eum, qui inter vos est, gregem Dei ἐπισκοποῦντες* etc. 1. Cor. 6, v. 4: *Contemtibiles qui sunt in ecclesia, illos constituitis ad judicandum.* Apoc. 2, v. 1: *Angelo ecclesiae Ephesinae scribe* etc. Nuspiam vero ecclesia notat unam aliquam singularem personam, sicut Pontificii ecclesiae nomine papam Romanum unice quandoque intelligunt, ut in tract. de interp. Script. demonstratum fuit, cum sit nomen collectivum, quod non potest uni tribui. Justin. in dial. cum Tryph. p. 202: *Et populus et ecclesia permulti numero mortales perinde atque una res forent, una voce vocantur et appellantur.* Bellarminus ipse lib. 3.

Digitized by Google

de eccles. cap. 17. circa finem: *Una persona non potest dici ecclesia, cum ecclesia sit populus et regnum Dei.*

CAPUT III.

DE ΣΥΝΩΝΥΜΙΑι VOCABULI SIVE DE ALIIS ECCLESIAE APPELLATIONIBUS.

Ecclesia est congregatio sanctorum.

15. Ecclesiae vocabulum in hac tractatione accipimus proprie et exquisite de congregatione sanctorum sive vere fidelium, quae proprie dicitur ecclesia catholica, sicut Augustana confessio art. 7. eam definit: *Ecclesia est congregatio sanctorum, in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta,* ubi observandum, confessionem maluisse uti voce *sanctorum* et *credentium* quam electorum sive praedestinatorum, ne quis vocem electorum in alienum trahat sensum, quasi intelligendi hoc nomine veniant, qui absoluto quodam Dei decreto sint electi. Omnes enim vere credentes sunt vera et viva ecclesiae membra, cum per fidem uniantur Christo et fiant membra corporis illius mystici, quod est ecclesia. Ex his credentibus quidam in fide perseverant et finem fidei, salutem scilicet animarum, reportant, qui proprie dicuntur electi; quidam vero frena laxantes concupiscentiis carnis et peccato regnum concedentes iterum a gratia excidunt ac desinunt esse vera ac viva Christi membra et Spiritus sancti domicilia, ac nisi iterum convertantur aeternae salutis naufragium. Latior igitur est appellatio sanctorum et credentium quam electorum, proinde cum ecclesia catholica ambitu suo complectatur non solum electos proprie et exquisite sic dictos, sed etiam sanctos et credentes, qui postea iterum excidunt, ideo satius est ecclesiam definire congregationem sanctorum et vere credentium quam electorum, quamvis sano sensu, phrasi scilicet ecclesiastica et generali, vox electorum usurpata neminem offendere debeat. Ceterum quia sanctis ac vere credentibus in ecclesia conjuncti sunt non sancti, destituti quidem interna regeneratione ac renovatione, externa tamen societate (quae in professione fidei et usu sacramentorum consistit) sanctorum coetui in hac vita conjuncti, inde est, quod ecclesia quandoque populariter accipitur pro toto coetu vocatorum, cui honorifica illa praeconia, quae ecclesiae in Scripturis tribuuntur, non nisi per synecdochen usitatam in Scripturis figuram competunt, nimirum propter electos qui sunt in hoc coetu, perinde ac si quis civitati praeclara encomia tribuat propter honestos ac moratos cives, quibus tamen intermixti sunt mali ac perversi, vel si quis agrum egregiis epithetis ornet propter triticum, cui tamen intermixta sunt zizania, quo pertinent parabolae salvatoris
XI. 14. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. De hac synecdoche Augustinus epist. 59. ad Paulinum sic scribit: *Mos est Scripturae ita loqui de parte tanquam de toto, sicut Corinthios in primis suae epistolae partibus ita laudat apostolus, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum, et postea in nonnullis epistolae ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter advertit, multa dissolvit, quae inter se videntur esse contraria.*

Ecclesia quo sensu dicatur communio sanctorum.

16. Appellationes ecclesiae quaedam sunt *propriae*, quaedam *metaphoricae*, ad quas etiam pertinent typicae. Propria appellatio est, quando in symbolo apostolico ecclesia vocatur *communio sanctorum, κοινωνία τῶν ἁγίων*. Quidam conantur hunc articulum de communione sanctorum a proxime praecedente de ecclesia Catholica distinguere, ita ut per communionem *τῶν ἁγίων* in genere neutro intelligatur eorundem sacramentorum participatio, absonum enim illis videtur, articuli de sacramentis nullam in symbolo mentionem fieri. Et sane explicatio illa non pugnat cum fidei analogia, interim concinnius videtur particulam illam de communione sanctorum *ἐπεξηγητικῶς* accipere, quod sancta illa catholica ecclesia, quam credimus, sit communio sanctorum, per quam interpretationem doctrina de sacramentis ex his verbis nequaquam excluditur, sed potius includitur, communio enim illa sanctorum est duplex, externa et interna; externa consistit in professione ejusdem fidei et usu eorundem sacramentorum, haec communio non solum sanctis erga se invicem intercedit, sed etiam non sanctis sive hypocritis, qui in hac vita illis intermixti sunt; interna communio spiritualis est in vera fide, caritate et Spiritus sancti participatione consistens, haec solis sanctis invicem intercedit. Intelliguntur autem sanctorum nomine in Scripturis non solum illi, qui vera fide donati in terris adhuc sub cruce contra Satanam militant, sed etiam et cumprimis illi, qui exantlato certandi labore in coelis beati gloriose triumphant. Utriusque significationis exempla passim obvia sunt in Scripturis, prioris Psalm. 16, v. 3. Act. 9, v. 32. Rom. 1, v. 7. etc. posterioris Matth. 27, v. 52. Luc. 1, v. 70. 1. Cor. 6, v. 2. etc. Ephes. 1, v. 18. utraque significatio conjungitur: *Ut sciatis, quae sunt divitiae gloriae hereditatis ipsius in sanctis,* hoc est ut sciatis, quam gloriosam hereditatem Christus peperit et donaturus sit sanctis partim in hac, partim in aeterna vita. Ephes. 2, v. 19: *Estis cives sanctorum et domestici Dei.* 2. Thess. 1, v. 10: *Cum venerit Christus glorificari in sanctis suis.* Quando igitur ecclesia vocatur *communio sanctorum*, id intelligendum est non solum de veris et vivis ecclesiae in hac vita adhuc militantis membris, sed etiam de ecclesia triumphante in coelis, uterque enim coetus unam ecclesiam constituit. Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam et ad ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et ad judicem omnium Deum*

Digitized by Google

et ad spiritus justorum perfectorum. Huc pertinet, quod Hierosolyma modo militantis, modo triumphantis ecclesiae typus in Scripturis proponitur. Valde autem consolatorium est, sanctos et vere credentes non solum in hac vita eorundem bonorum participes esse, sed etiam pertinere ad societatem illorum sanctorum, qui jam sunt gloriosi in coelis. Actor. 26, v. 18: *Mitto te, ut gentibus aperias oculos, ut convertantur a tenebris ad lucem, de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem salutis et vitae aeternae inter eos, qui sanctificantur per fidem, quae est in me.* Ephes. 2, v. 6: *συνεκάθισεν, consedere nos fecit, in coelestibus in Christo Jesu.* Coloss. 1, v. 12: *Gratias agimus Deo, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Ex his locis desumta est descriptio illa ecclesiae in symbolo apostolico, quod sit *communio sanctorum,* sicut etiam Psalm. 89, v. 6. et 1. Cor. 14, v. 33. vocatur *ecclesia sanctorum,* item Psalm. 149, v. 1. קְהַל חֲסִידִים *ecclesia ac coetus piorum.*

XI. 15. Metaphoricae appellationes ecclesiae. 1. Corpus Christi.

17. *Metaphoricae* appellationes ecclesiae in Scripturis occurrunt complures. Vocatur enim: *1. Corpus Christi,* Rom. 12, v. 1. 1. Cor. 6, v. 15. c. 10, v. 17. c. 12, v. 13. et 27. Ephes. 1, v. 23. c. 5, v. 23. et 30. Coloss. 1, v. 18. et 24. c. 3, v. 15. Cumprimis notanda sunt de hac appellatione duo Scripturae testimonia. Ephes. 4, v. 11: *Christus dedit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios autem pastores et doctores,* v. 12: *ad coagmentationem sanctorum, per opus ministerii ad aedificationem corporis Christi;* v. 13: *donec evadamus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei in virum adultum ad mensuram staturae plenitudinis Christi, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ;* v. 14: *ut ne simus amplius pueri* etc. v. 15: *sed sincere nos gerentes in caritate adolescamus in eum, qui est caput, videlicet Christum;* v. 16: *ex quo totum corpus συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, congruenter coagmentatum et compactum, per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius exstructionem per caritatem.* Coloss. 2, v. 19: *Non tenens caput, ex quo totum corpus per commissuras et compages ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, suppeditatum et compactum, augescit in Dei augmentum.* Potest autem duplex statui hujus appellationis ratio, vel enim comparari potest ecclesia cum corpore humano in genere, vel cum corpore Christi personali in specie. Prior comparatio varias complectitur partes, quas late prosequitur apostolus Paulus variis in locis, praesertim vero 1. Cor. 12. per integrum caput.

Collatio ecclesiae cum corpore humano.

Ut cujuslibet corporis recte conformati unicum tantum est *caput;* sic Christus solus est ecclesiae caput, nec indiget ecclesia vicario quodam capite, quale statuunt Pontificii. Solus enim Christus non absens, sed praesens virtute Spiritus sui vitam, vigorem, sensum ac motum spiritualem communicat membris suis, solus *καταρτισμόν,* nexum et compagem membrorum cum capite et inter se invicem efficit, solus praesidet, dominatur et eminet in ecclesia, sicut haec omnia capiti in corpore conveniunt. Christus est ecclesiae caput: *1. ratione conditionis* sive praestantiae et eminentiae, Ephes. 1, v. 22. Coloss. 1, v. 18; *2. ratione communicationis,* quia dat corpori suo mystico vitam, sensum ac motum; *3. ratione regiminis* ac *gubernationis,* quia ipsi soli competit monarchica potestas; *4. ratione conjunctionis,* quia nexu indivulso adhaeret suis membris; *5. ratione defensionis,* quia prospicit incolumitati et saluti sui corporis. Ut corpus unum plura habet membra; sic credentes, licet multi sint, tamen unum corpus constituunt in Christo, Rom. 12, v. 5: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem membra alterius.* 1. Cor. 12, v. 12: *Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem corporis unius membra, licet multa sint, tamen unum corpus constituunt; ita et Christus.* Sicut membrorum sunt variae ac diversae operationes, ac proinde membrum unum licet ignobilius sit, non invidet alteri, nec licet praestantius sit, despicit alterum; ita in corpore Christi mystico sunt diversa piorum charismata, proinde unus nec alteri invideat, nec alterum contemnat. 1. Cor. 12, v. 15: *Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num propterea non est de corpore?* v. 16: *Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num propterea non est de corpore?* etc. Ut membra omnia uno spiritu animantur, reguntur ac vivificantur, ita omnes vere pii participes sunt Spiritus sancti, per quem reguntur, vivificantur et mystici corporis membra redduntur. 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus.* Ephes. 4, v. 4: *Unum corpus et unus Spiritus.* Ut membra invicem compatiuntur ac mutuum auxilium sibi invicem praestant; ita quoque vera et viva ecclesiae membra caritatis vinculo invicem conjuncta *συμπαθεῖν, συγχαίρειν* et *συνωφελεῖν* sibi invicem debent. 1. Cor. 12, v. 25: *Membra idem curant alia pro aliis.* v. 26: *sive patitur unum membrum, simul dolent omnia membra; sive honore afficitur unum membrum, congratulantur omnia membra.* XI. 16. Sicut membra putrida et emortua spiritu vitali destituta a corpore resecantur; ita quando credentes non amplius patiuntur se regi a Spiritu sancto, sed peccato regnum concedunt, desinunt esse vera et viva mystici hujus corporis membra. Sicut in corpore humano sunt non solum vera et viva membra, sed etiam inutiles et excrementitii humores, qui corpus gravant; sic coetui vere credentium et sanctorum in hac vita admixti sunt hypocritae vera fide et sanctitate destituti. Augustinus in brevicul. coll. 3. paulo aliter applicat hanc similitudinis partem, eodem tamen sensu: *Ecclesia* (inquit) *est corpus vivum, in qua est anima et corpus.* Animam dicit significare *interna dona Spiritus sancti, fidem, spem et caritatem;* corpus vero *externam fidei professionem et sacramentorum communionem.*

Digitized by Google

Posterior comparatio ecclesiae cum corpore Christi personali itidem varias complectitur partes. Ut Christus personale suum corpus assumsit ex virgine; sic ecclesia spiritualis piorum mater itidem virgo est. 2. Cor. 11, v. 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Augustinus lib. de S. virgin. c. 2: *Ecclesia et virgo et mater est, cujus enim integritati consulimus, si virgo non est? aut cujus prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter caput hujus corporis peperit, ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas foecunditatem non impedit, in utraque foecunditas virginitatem non adimit.* Serm. 50. de verb. Dom.: *Ecclesiae concessit Christus in Spiritu, quod mater ejus habuit in corpore, ut et mater et virgo sit.* In serm. 16. de temp. sic exponitur, *mater est visceribus caritatis, virgo integritate fidei.* Quemadmodum Filius Dei non attulit e coelo corpus suum neque ex sideribus illud formavit, sed ex substantia Mariae virginis illud assumsit, ita tamen ut Spiritus s. illam sanguinis humani massam in Maria prius mundarit et sanctificarit, ex qua corpus illud sanctum formatum est; sic ad mysticum corpus suum non eligit angelos, sed ex genere humano illos facit mystici sui corporis membra, qui a Spiritu sancto per lavacrum aquae in verbo mundantur. Ut personale Christi corpus statura crevit, donec ad perfectam aetatem, virilem scilicet, perveniret, Luc. 2, v. 52: *Jesus proficiebat* ἡλικίᾳ, sic mysticum Christi corpus spiritualia quotidie capit incrementa, Eph. 4, v. 12: *Ad aedificationem corporis Christi;* v. 13: *donec evadamus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum adultum ad mensuram staturae plenitudinis Christi,* εἰς μέτρον ἡλικίας. Quemadmodum corpus Christi personale variis afflictionibus ac passionibus in hac vita subjectum fuit; sic ecclesia corpus Christi mysticum sub cruce laborare cogitur, Coloss. 1, v. 24. ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία. Sed quemadmodum Christus corpus suum personale ex morte et sepulcro in vitam revocavit atque in summam gloriae coelestis sublimitatem tandem extulit; sic etiam membra corporis sui ex omnibus adversis tandem liberata et ex terrae pulvere erecta in consortium coelestis claritatis et gloriae transferet. Phil. 3, v. 21: μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, *transformabit corpus nostrum humile, ut fiat* σύμμορφον, *conforme, corpori suo glorioso.* Huc pertinet collatio inter annos vitae et ministerii, quos Christus in his terris exegit cum jubilaeis ecclesiae N. T. quam collationem suo loco plenius tractavimus. Siccut in corpore Christi personali *tota plenitudo deitatis habitat* σωματικῶς, *personaliter,* Coloss. 2, v. 9. sic in corpore Christi mystico et omnibus illius veris ac vivis membris tota Trinitas habitat μυστικῶς et spiritualiter, Joh. 14, v. 23. 1. Cor. 6, v. 19. 2. Cor. 6, v. 16. ideo ecclesia vocatur τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, *plenitudo ejus qui omnia in omnibus implet.* Sicut corpus Christi personale tempore passionis exterius habuit contemtam speciem, Esa. 53, v. 2: *Non erat ei forma nec decor, vidimus eum, et non erat adspectus, ut desideraremus eum;* sic X. 17.
mysticum Christi corpus, quod est ecclesia, in hac vita exterius contemtam et abjectam habet speciem, Psalm. 45, v. 14: *Tota gloriosa est filia regis,* sed פְּנִימָה, *intrinsecus.* Cant. 1, v. 5: *Nigra sum, sed formosa,* nigra exterius in oculis hominum, formosa interius in oculis Dei. Ut corpori Christi alia fuerunt mitiora, alia saeviora tempora; sic ecclesia alias magis, alias minus tranquilla est etc.

Collatio ecclesiae cum corpore Christi personali.

18. 2. *Christi sponsa.* Appellatur autem hoc nomine tum ecclesia piorum in terris adhuc militans, tum ecclesia beatorum in coelis triumphans. Prioris significationis exempla habentur Esa. 61, v. 10. Joh. 3, v. 29. Apoc. 22, v. 17. quo etiam pertinet Psalm. 45. qui est epithalamium spiritualium illarum nuptiarum et totum Canticum Canticorum, de quo Augustinus lib. 17. de civ. Dei c. 20. recte scribit, *quod sit spiritualis quaedam sanctarum voluptas mentium in conjugio illius regis et reginae civitatis, quod est Christus et ecclesia, sed haec voluptas allegoricis tegminibus involuta est, ut desideretur ardentius videaturque jucundius.* Ipsi etiam saniores Hebraei de eo dicunt, nam: *Absit, absit, ut Canticum Canticorum sit de rebus obscoenis, sed est metaphora quaedam, alioquin enim nisi magnae dignitatis esset, non scriberetur in catalogo sanctarum Scripturarum.* Huc etiam referendae sunt parabolae Christi Matth. 9, v. 15. c. 22, v. 2. c. 25, v. 1. et seqq. Posterioris significationis exemplum habetur Apoc. 21, v. 2: *Vidi sanctam civitatem, Hierosolymam novam, descendentem de coelo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quia vero et militans et triumphans ecclesia est una societas et communio sanctorum, ideo sponsae nomine in plerisque Scripturae locis utraque ecclesia intelligitur. Ut enim una eademque virgo prius sponso suo despondetur et postea ab eodem domum deducitur, ut fiat uxor; sic una eademque ecclesia in hac vita Christo prius despondetur, 2. Cor. 11, v. 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* postea ab eodem ad coelestium nuptiarum gaudia et in coelestia tabernacula introducitur, Apoc. 19, v. 7: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni et uxor ejus praeparavit se* etc. Huc pertinent omnia Scripturae dicta, in quibus Christus dicitur sponsus et maritus ecclesiae, ecclesia autem ipsius sponsa et uxor. Psalm. 68, v. 13. ecclesia vocatur נְוַת בַּיִת, *decus domus,* Luther. die Hausehre. Esa. 54, v. 5: *Maritus tuus est factor tuus, Dominus Sebaoth nomen ejus.* Esa. 62, v. 5: *Ut est gaudium sponso super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus.* Jerem. 3, v. 4: *Dux adolescentiae meae es.* Hos. 2, v. 7: *Dicet, revertar ad virum meum priorem;* v. 16: *in die illa vocabit me maritus meus.* Pos-

2. Christi sponsa.

sunt autem varia comparationis membra institui, nos recensebimus potiora. Sicut nuptias antecedunt sponsalia, ita coelestes nuptias, in quibus sponsa Christi in domum coelestem deducetur Apoc. 19, v. 8. praecedit spiritualis desponsatio, quae fit per fidem. Hos. 2, v. 19: *Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et in miserationibus;* v. 20: *et desponsabo te mihi in fide, et cognosces Dominum.* Quemadmodum sponsus per proxenetas sponsam sibi conciliari et adduci curat; sic Christus per ecclesiae ministros animas hominum sibi despondet. 2. Cor. 11, v. 2: *Despondi vos uni viro.* Sicut in desponsatione utrinque dantur arrhae, sic ecclesia loco arrhae dat Christo humanam naturam, quam ipse ex hominibus assumsit, vicissim arrhae loco a Christo accipit Spiritum sanctum. 2. Cor. 1, v. 22: *Dedit τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος in cordibus nostris.* Ephes. 1, v. 14: *Spiritus sanctus est ἀῤῥαβὼν hereditatis nostrae.* Tertullianus de resurr. carn. p. 80: *Quemadmodum nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit et vexit in coelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae.* Ut enim arrha sponsam confirmat, quod a sponso sit olim in conjugem adsciscenda ac domum deducenda, sic Spiritus sanctus confirmat piorum animos de introductione ad coe-
XI. 18. lestes nuptias. Et pulchra est Augustini observatio in c. 1. Ephes. quod Spiritus sanctus dicatur dari *non ut pignus, sed ut arrha*, quia reddita pecunia mutuo accepta redditur pignus; arrha autem soluto integro pretio non redditur, quia est pars pretii, quod non est auferendum, sed complendum, sic gratia et dona Spiritus sancti non auferentur a piis in vita aeterna, sed augebuntur ac cumulatiora reddentur. Sicut sponsus suam sponsam et maritus uxorem suam ardenter diligit eamque ornat, vestit, defendit, prospicit illi de necessariis etc. sic et Christus ecclesiae suae haec omnia praestat. Esa. 61, v. 10: *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento justitiae operuit me, quasi sponsum sacerdotali ornatu et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* c. 62, v. 5: *Ut est gaudium sponso super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus.* Ezech. 16, v. 10: *Vestivi te discoloribus, calceavi te hyacintho, operui te serico* etc. Eph. 5, v. 25: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam.* v. 29: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam.* Sicut sponsa particeps fit nominis, honoris, dignitatis et bonorum sui sponsi, sic a Christo dicimur Christiani, ab eodem in consortium justitiae et omnium coelestium bonorum recipimur. Potest etiam haec comparatio utiles commonefactiones praebere. Ut enim fidelis sponsa uni suo sponso adhaeret, fidem illi servat, sincere eum diligit, promte eidem obsequitur, ita quoque ecclesia haec omnia Christo sponso suo coelesti debet. Quin imo Christus plura in nos impendit et ardentius nos dilexit, quam sponsus in suam sponsam impendere eamque diligere potest. Non invenit dilectam sponsam, sed facit, quia pro nobis mortuus est, cum adhuc essemus inimici; non invenit formosam, sed facit; non invenit divitem, sed facit etc. Sicut Samson ex Philistaeis exitio devotis sponsam sibi quaerit Jud. 14, v. 1. sic Christus ex genere humano propter peccatum damnato sponsam sibi elegit. Quae omnia latissime deduci et explicari possunt, nobis sufficit fontes similitudinis digito indice tantum demonstrasse. Potest autem hoc loco observari, 1. ecclesiam non solum sponsae, nec solum uxori, sed et sponsae et uxori comparari; sponsae quidem propter amoris magnitudinem, quia sponsae ardentius solent amari quam uxores; uxori vero propter indissolubile conjunctionis vinculum, quod tamen spirituali adulterio (perinde ut in conjugio) dissolvi iterum potest. 2. In parabola Matth. 22, v. 2. juxta D. Chemnicium potius intelligendas esse nuptias personales inter Filium Dei et assumtam humanam naturam, quam spirituales inter Christum et ecclesiam, cum ab illis postea distinguatur convivium nuptiale, per quod proprie intelliguntur beneficia, quae Deus in ecclesia distribuit, quaeque Christus personalibus illis nuptiis fidelibus promeruit. 3. Spiritualem desponsationem quandoque distingui a nuptiis spiritualibus, ita ut illa ad hanc vitam, hae vero ad futuram vitam referantur Apoc. 19, v. 7. quandoque vero et spiritualis desponsatio et spirituales nuptiae ad hanc vitam referuntur, unde ecclesia etiam in hac vita et sponsa et uxor Christi vocatur. Huc etiam pertinet, quod ecclesia dicitur *mater fidelium* Gal. 4, v. 26. Quia enim ecclesia est Christi sponsa et uxor, quae spirituales filios ipsi gignit per verbum eosque alit et nutrit, ideo ecclesia dicitur *fidelium mater.* Ambrosius in comment. ad Galat. 4: *In ecclesia renascimur ad libertatem filiorum Dei.* Augustinus serm. 109. de temp.: *Quemadmodum duo nos parentes ad mortem genuerunt Adam et Eva, sic nos duo ad vitam gignunt, Christus et ecclesia.* ** Cyprianus de simpl. praelator. p. 164: *Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno, quos generavit, assignat* etc. *Habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem.*** Duo illa ubera, quibus ecclesia fideles nutrit, sunt duo testamenta. Gal. 4, v. 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur.*

19. *3. Regnum coelorum;* quae appellatio potissimum tribuitur ecclesiae novi testamenti post plenam Christi in evangelio manifestationem colligi coeptae. ** Ecclesia comparatur *coelo:* 1. ratione dignitatis; 2. ratione unitatis; 3. ratione puritatis; 4. ratione firmitatis; 5. ratione amplitudinis. ** Matth. 3, v. 2. summa concionum Johannis Baptistae sic describitur: *Agite poenitentiam, appropin-* XI. 19. 3. Regnum coelorum.

Digitized by Google

quat enim regnum coelorum, quod Christus Matth. 4, v. 17. postea repetit. Dicitur autem ecclesia praesertim N. T. regnum coelorum, non quod fidelibus in V. T. terrena duntaxat bona fuerint promissa, sicut Anabaptistae statuunt, qui ex sanctissimo patriarcharum, prophetarum et reliquorum fidelium V. T. coetu mundanam quandam politiam fabricant; sed 1. respectu habito ad vaticinia T. V. de Messiae regno; 2. Samuel. 7, v. 12: *Firmabo regnum ejus;* v. 13: *ipse aedificabit domum nomini meo et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*, quae promissio repetitur 1. Paral. 17, v. 11. c. 22, v. 10. c. 28, v. 7. 2. Paral. 7, v. 18. Psalm. 89, v. 30. quo pertinent etiam sequentia vaticinia: Psalm. 2, v. 6: *Constitui regem meum super Sion.* Psalm. 45, v. 4: *Accingere gladio suo super femur tuum o heros;* v. 7: *virga directionis, virga regni tui.* Psalm. 72, v. 1: *Deus judicium tuum da regi et justitiam tuam filio regis.* Psalm. 110, v. 2: *Sceptrum fortitudinis tuae emittet Dominus ex Sion.* Dan. 2, v. 44: *Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur* etc. 2. Quia est regnum gratiae, quod per praedicationem evangelii sibi Christus colligit et cives hujus sui regni per verbum et Spiritum sanctum regit eosdemque contra omnes adversarias potestates tuetur; ac subditi hujus regni vicissim ipsi ut regi debent obsequia et obedientiam, inde evangelium vocatur *evangelium regni* Matth. 9, v. 15. ac sceptrum *sive virga hujus regni* Psalm 45, v. 4. fideles vocantur *filii hujus regni* Matth. 13, v. 38. *et regale sacerdotium* 1. Petr. 2, v. 9. potestas remittendi peccata vocatur *claves hujus regni* Matth. 16, v. 19. Sic ergo appellatione regni coelorum comprehenduntur omnia Christi beneficia, quae in ecclesia distribuit, et ratio appellationis exponitur Luc. 11, v. 20. quod scilicet tunc regnum Dei ad nos perveniat, quando Christus digito Dei Satanam expellit et regnum ejus destruit. Diabolus enim est fortis, armatus et ipsa lege divina munitus, detinens nos propter peccata in regno suo captivos, ex quo nullius creaturae viribus liberari possumus, sed Christus merito et efficacia suae passionis ac mortis regnum Satanae destruxit et haec beneficia sua distribuit in verbo et sacramentis, per quae poenitentiam et fidem in cordibus nostris efficaciter agente Spiritu s. operatur, sicque potentia et gratia sua ex regno tenebrarum *in regnum lucis*, ex regno Satanae in suum regnum, ex regno irae in regnum gratiae nos transfert, Col. 1, v. 13. 3. Vocatur etiam regnum coelorum, quia non est temporale, mundanum ac politicum aliquod regnum, non administratur more regnorum mundanorum, non affert bona terrena, sed spiritualia ac coelestia. Luc. 17, v. 20: *Regnum Dei non venit cum observatione;* v. 21: *ecce enim regnum Dei intra vos est.* Joh. 18, v. 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sic ergo haec appellatio destruit opinionem Pontificiorum, quod ecclesia Christi *sit coetus hominum ita visibilis et palpabilis, ut est coetus populi Romani vel regnum Galliae vel respublica Venetorum*, ut loquitur Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 2. §. Atque hoc. 4. Denique vocatur hoc regnum coelorum, quia ad regnum coelestis gloriae nemini patet aditus nisi ex regno gratiae, et beneficia hujus regni tunc demum plene et perfecte fidelibus distribuentur, quando in regnum coeleste translati fuerint, inde est quod appellatio regni coelorum non solum tribuitur regno gratiae in hac vita, sed etiam regno gloriae in vita aeterna Matth. 5, v. 20. c. 8, v. 11. c. 18, v. 3. etc. quo pertinet, quod regnum coeleste dicitur *hereditas in regno Christi* Ephes. 5, v. 5. et electi dicuntur *heredes regni*, *quod Deus promisit se diligentibus* Jac. 2, v. 5. XI. 20.

20. 4. *Civitas Dei;* quae appellatio cum priori ferme consentit. Tributur autem tum ecclesiae militanti, Cant. 3, v. 2: *Surgam et circuibo civitatem* etc. Apoc. 11, v. 2: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* c. 20, v. 9: *Circuiverunt castra sanctorum et civitatem dilectam* (quo pertinet, quod vera ecclesiae membra Domini συμπολῖται τῶν ἁγίων Ephes. 2, v. 19.) tum ecclesiae triumphanti, Hebr. 11, v. 10: *Abraham fide exspectavit civitatem habentem fundamenta, cujus artifex et conditor Deus est;* v. 16: *non erubescit Deus vocari deus ipsorum, paravit enim illis civitatem.* c. 12, v. 22: *Accessistis ad civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem.* c. 13, v. 14: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Apoc. 3, v. 12: *Qui vicerit, super eum scribam nomen Dei mei et nomen civitatis Dei mei novae Hierosolymae, quae descendit e coelo* etc. Apoc. 21, v. 2. et seqq. haec civitas graphice depingitur, quales muros, quales portas, qualia fundamenta, quale templum etc. obtineat. Ratio appellationis deducta est: 1. ab Hierosolyma Judaeae metropoli, quae vocatur *civitas Dei* Psalm. 46, v. 5. Psalm. 48, v. 2. Psalm. 87, v. 3. *civitas regis magni* Psalm. 46, v. 3. Matth. 5, v. 35. in qua fuit *ignis Domini et caminus ejus* Esa. 31, v. 9. nimirum quia in templo super arcam propitiatorii inter duos Cherubin Deus habitabat et nominis sui memoriam eo in loco instituerat Exod. 20, v. 24. jam vero Hierosolyma fuit typus ecclesiae, ut postea dicetur. 2. A comparatione cum civitate. Ut enim civitas est communio multorum certis legibus devincta et certo magistratui subjecta; sic ecclesia est fidelium congregatio certis legibus et Christo regi suo et sibi invicem devincta. Quemadmodum cives unius ejusdemque civitatis communibus bonis ac privilegiis gaudent; sic omnes sancti eorundem spiritualium ac coelestium bonorum sunt participes. *Ut civitas non consistit ex medico et medico, aut ex rustico et rustico, sed ex medico et rustico*, sicut Aristoteles in Ethicis loquitur; ita quoque ecclesia non constat ex pastore et pastore, seu ex auditore et auditore, sed ex docentibus et discentibus, atque inter ipsos auditores sunt varii vitae status atque ordines. Quemadmodum civitas muris ac moenibus contra hostium impetus munita est; sic Deus circa

4. Civitas Dei.

Digitized by Google

ecclesiam suam *est murus igneus* Zach. 2, v. 5. *is custodit* hanc civitatem Psalm. 127, v. 1. Quemadmodum civitas una manet diversis civibus sibi invicem quasi ordine quodam succedentibus; sic una manet ecclesia, licet diversi homines ad eam accedant vel ex ea decedant.

5. Domus Dei. 21. *5. Domus Dei.* Psalm. 27, v. 4: *Unum petii a Domino, ut inhabitem in domo Dei.* Psalm. 55, v. 15: *In domo Dei ambulavimus conjunctim.* Psalm. 84, v. 5: *Beati qui habitant in domo tua Domine* etc. 1. Tim. 3, v. 15: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei versari, quae est ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis.* Hebr. 3, v. 2: *Christus pontifex nostrae confessionis fidelis est ei, qui constituit eum, sicut et Moyses in omni domo ejus;* v. 3: *ampliori enim gloria prae Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam* etc.; v. 5: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus;* v. 6: *Christus vero tanquam filius in domo sua, cujus domus sumus nos, si fiduciam et gloriationem spei usque ad finem firmam retinuerimus.* Hebr. 10, v. 21: *Christus est sacerdos magnus super domum Dei.* 1. Petr. 2, v. 5:
XI. 21. *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis.* (Pulchra et jucunda est haec pictura, inquit Chemnicius in loc. part. 3. p. 305. Beata urbs Jerusalem, quae in coelis est, construitur ex vivis lapidibus. Lapides illi natura sunt impoliti, sed tunsionibus et pressuris ac varia cruce in his terris expoliuntur, suis singuli locis aptantur et per manus artificis disponuntur. Angularis autem lapis et fundamentum est ipse Christus a coelesti Patre missus, ut lapides per se emorturi ipsi impositi vitam et spiritum accipiant, utque firmum ecclesiae fundamentum contra ipsas inferorum portas praestet. Et quia est lapis angularis, ideo sua compage parietes firmiter nectit, ut aedificium non fatiscere nec rimas unquam in perpetuum agere possit.) 1. Petr. 4, v. 17: *Tempus est, ut judicium incipiat a domo Dei;* quo pertinet etiam illud, quod cives ecclesiae dicuntur *οἰκεῖοι, domestici, Dei* Ephes. 2, v. 19. Ratio appellationis deducta est: 1. a tabernaculo deserti Mosaico et templo Salomonis Hierosolymitano, quorum utrumque dicitur *domus Dei* Exod. 23, v. 19. c. 34, v. 26. Deut. 23, v. 18. etc. 1. Reg. 2, v. 36. c. 3, v. 1. etc. jam vero utrumque fuit ecclesiae typus. 2. Quia Jacobus patriarcha locum, in quo Deus ex arcana sua luce prodiens se ipsum in visione nocturna ei manifestaverat, vocat *domum Dei et portam coeli.* Gen. 28, v. 17: *Hic nihil est nisi domus Dei et porta coeli*, unde nomen illius loci vocat *Bethel*, quod est *Dei domus.* Jam vero in ecclesia Deus per verbum se hominibus manifestat, januam et iter ad coelum illis monstrat, imo fores coeli omnibus credentibus aperit, merito igitur ecclesia vocatur Dei domus. Augustinus qu. 83. in Genes. 3. Quia coelum, in quo Deus plena luce electis et sanctis angelis sese manifestat, vocatur *Dei domus.* Joh. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* 2. Cor. 5, v. 1: *Si terrestris domus nostra hujus tabernaculi dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, οἰκίαν ἀχειροποίητον, aeternam in coelis.* Jam vero ad domum Dei in coelis nemini patet aditus, nisi ex domo Dei in terris, id est ex ecclesia. 4. Sicut domus habitaculum praebet patrifamilias, qui in domo sua merito quaeritur, sic Deus in ecclesia praesentia suae gratiae habitat, in qua etiam a nobis quaerendus est. Levit. 26, v. 12. 2. Cor. 6, v. 16: *Inhabitabo in illis et ambulabo inter eos.* Augustinus in enchir. ad Laurent. c. 56: *Rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subjungeretur ecclesia, tanquam habitatori domus sua et Deo templum suum et conditori civitas sua.* Huc pertinet, quod ecclesia dicitur *Dei facies.* Gen. 4, v. 16: *Egressus est Cain a facie Domini*, id est ab ecclesiae contubernio, ubi Deus in verbo se audiendum et per sacrificiorum inflammationem conspiciendum exhibebat. Psalm. 42, v. 3: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* id est quando potero accedere ad templum Dei, ubi Deus in congregatione ecclesiae praesentiam suam peculiari modo revelat. Jon. 1, v. 3: *Jonas fugit a facie Domini*, id est ex ecclesia ad congregationem gentium, in qua non sunt patefactiones divinae. In creaturis apparent aliqua Dei vestigia, sed in ecclesia conspicitur amica Dei facies, quia in evangelio gratiam suam ostendit et sacramentis velut signis visibilibus de ea nos confirmat, unde fanum deducunt e פָּנִים, facies, quia in ecclesia apparet Dei facies. *5. In domo magna sunt vasa non solum aurea, sed etiam lignea et fictilia, quaedam ad decus, quaedam ad ignominiam*, 2. Tim. 2, v. 20; sic in visibili ecclesiae coetu electis mixti sunt reprobi ac bonis mali. *Servus non manet in domo in aeternum* Joh. 8, v. 35. sic *servi peccati* e domo Dei tandem ejiciuntur. *Oeconomi* in hac domo sunt ministri ecclesiae, 1. Corinth. 4, v. 1. etc.

22. *6. Vinea Domini.* Matth. 20, v. 1: *Simile est regnum coelorum patrifamilias summo mane exeunti, ut conducat operarios in vineam suam.* 6. Vinea Domini. Matth. 21, v. 33: *Homo quidam paterfamilias plantavit vineam et sepem circumdedit ei et fodit in ea torcular et aedificavit turrim et locavit eam agricolis* etc. Haec appellatio parabolica desumta est ex V. T. Psalm. 80, v. 9: *Vitem de Aegypto transtu-* XI. 22.
listi, ejecisti gentes et plantasti eam; v. 10: *expurgasti in conspectu ejus et plantasti radices ejus et implevit terram*, etc. Esai. 3, v. 14: *Depasti estis vineam meam.* cap. 5, v. 1: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei;* v. 2: *et sepivit eam et lapidibus construxit eam, consevit eam vitibus nobilissimis et aedificavit turrim in medio ejus et torcular exstruxit in ea et exspectavit, ut faceret uvas* etc. v. 7: *Vinea Domini exercituum domus Israël est et vir Juda germen ejus delectabile.* Jer. 2, v. 21: *Ego plantavi te in vineam electam, quomodo conversa es mihi in palmites degeneres.* In Cantico Canticorum aliquoties nomine vineae intelligitur ecclesia, c. 2,

Digitized by Google

v. 13. c. 6, v. 10. c. 7, v. 12. c. 8, v. 11. Gregor. homil. 19. in evang.: *Conditor noster habet vineam universalem, scilicet ecclesiam, quae ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, tot palmites misit.* Membra comparationis varia institui possunt. Natura sumus vites sylvestres et degeneres, Deut. 32, v. 32. Jerem 2, v. 21. nulli usui nisi ut simus materia ignis infernalis Ezech. 15, v. 4. Sed Deus transfert nos in vineam suam hoc est in ecclesiam, inserit nos ut palmites Christo verae illi viti, Johan. 15, v. 1. ut succum ac spiritum vitae ex eo trahamus et dulces fructus feramus; qui non manserit in hac vite, exarescet et in ignem aeternum conjicietur. Augustinus tract. 81. in Johan.: *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis.* Vinea inter omnes arbores et frutices est nobilissimum terrae germen; sic ecclesia est coetus nobilissimus et Deo gratissimus, in quo habet suum beneplacitum, sicut de vino dicitur Psalm. 104, v. 15. *quod laetificet cor hominis. Nulla pretiosior possessio quam vinea,* inquit Cato de re rust. *nulla plus operae et laboris requirit, nulla praestantiores fructus profert*, quae omnia ad ecclesiam pulcherrime accommodari possunt. Vinea tempore hiemis non habet externum aliquem splendorem, pruinis enim ac nivibus contecta latet, sed in aestate demum floret; sic ecclesiae filii in hac vita sunt contemti et abjecti, sed quando *aestas* gloriae aeternae appropinquat, Luc. 21, v. 30. tunc ipsorum *vita* et gloria *apparebit*, Coloss. 3, v. 4. Nobilissimus ille succus vitis ex calore solis et pinguedine terrae provenit; sic foecunditas piorum in operibus bonis desuper descendit. Labor in cultura vineae adhibendus per totum fere annum durat; sic ecclesiae ministris in vinea Domini laborantibus perpetuo sudandum. Tempus persecutionis et tribulationis vocatur *tempus putationis*, Cant. 2, v. 12. hac enim falce resecantur putrida ecclesiae membra, quae foliis verborum duntaxat luxuriant, nullos autem fructus ferunt. Vites alligantur palis, sic piorum *virga et baculus* est verbum Dei Psalm. 23, v. 4. Inutiles stolones folia luxuriantia et sarmenta arefacta ex palmitibus amputantur, ut fructus maturescere possint; *sic coelestis Pater omnem palmitem non ferentem fructum in Christo, tollit eum et omnem, qui fert fructum, purgat eum, ut copiosiorem fructum afferat*, Joh. 15, v. 2. Palmites erigendi sunt, ne terrae adhaereant, alias uvae putredinem contrahunt; sic ecclesiae filii cor suum a terrenis avertere atque *ea, quae sursum sunt, quaerere debent*, ne in mundi inquinamentis putrescant, Coloss. 3, v. 1. Hanc vineam Deus plantat per vocationem, sepem et murum illi circumdat per angelicam custodiam, turrim in ea aedificat, per quam denotatur oculus divinae providentiae, qui super hanc vineam semper vigilat Psalm. 121, v. 4. torcular in ea fodit, per quod significatur pressura crucis, cui vere pii in hac vita sunt subjecti. Huc referendum, quod Noachus vineam plantasse dicitur, Genes. 9, v. 20; sic Chritus est verus ille Noachus et consolator, qui vineam spiritualem plantat. Nabothus propter vineam suam occiditur 1. Reg. 21. sic Christus propter ecclesiae vineam se occidi passus est. *Vinea fuit Salomoni*, dicitur Cant. 8, v. 11; hic coelestis Salomon vineae possessor ac Dominus est Christus Matth. 21, v. 40. Vulpes et apri vineis cumprimis sunt molesti, illae eas demoliuntur Cant. 2, v. 15. hi vero devastant Psalm. 80, v. 14. per vulpes intelliguntur haeretici, per apros persecutores tyranni. Plura comparationis membra excogitare in XI. 23
proclivi est, sufficit nobis fontes monstrasse. Ambrosius in Lucam c. 9. p. 145: *Recte vinea Christi populus nominatur, vel quod crucis in fronte praetexat indicium, vel quod fructus ejus postrema anni legatur aetate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis in ecclesia Dei aequa dimensio, nulla sit discretio; ut vitis maritatur arboribus, ita corpus animae, anima quoque corpori conjungatur. Ut vinea dum ligatur, erigitur et recisa non minuitur, sed augetur; ita plebs sancta dum ligatur, exuitur; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur* etc. Vide etiam Irenaeum lib. 4. cap. 70. Athanasium q. 491. etc. **Exod. 7, v. 4. ecclesia vocatur *exercitus Dei:* 1. propter dignitatem hujus coetus, cum quo nullius imperatoris exercitus comparari potest; 2. propter conditionem ecclesiae militantis sub vexillo Christi; 3. propter nobilissimas victorias, quas Christo duce obtinet, Psal. 84. 2. Corinth. 10. 4. ad excitandos fideles, ut memores sint stationis et periculorum; 5. ad terrendos persecutores, ut meminerint, sibi non cum hominibus, sed cum invicto Dei exercitu rem esse, Actor. 9.**

7. In Cantico Canticorum vocatur lilium inter spinas, amica Christi, columba, soror Christi etc.

23. 7. In Cantico Canticorum variis appellationibus honoratur ecclesia. 1. Vocatur *lilium inter spinas* Cant. 2, v. 2. quia quantum lilium a spinis, tantum ecclesia a reproborum distat conventiculis; sicut lilium a spinis pungitur, sic ecclesia a reproborum congregatione persecutionem patitur. Hos. 14, v. 6: *Israël germinabit sicut lilium. 2. Amica Christi* Cant. 1, v. 15. c. 2, v, 13. etc. non solum ratione dilectionis, sed etiam ratione cognationis, quae propter humanam naturam personaliter Filio Dei unitam ecclesiae cum ipso intercedit. 3. *Columba* Cant. 2, v. 14. quia *oculos habet columbarum* Cant. 1, v. 15. columbinam scilicet mentis simplicitatem Matth. 10, v. 16. et judicium Spiritus sancti, qui in columbae specie apparuit Matth. 3, v. 16. hic est simplex ille oculus, quo totum corpus nostrum, omnes scilicet affectus atque opera fiunt lucida. **Vocatur columba, *quod eo nomine caritas et simplicitas designetur* censente Fulgentio de passion. Domini ad Thrasim. lib. 3. p. 421.** Luc. 11, v. 34. columba illa habitat *in foraminibus petrae, in cavernis maceriae* Cant. 2, v. 14. quia ecclesia in vulneribus Christi, qui est salutis nostrae petra 1. Cor. 10, v. 4. tutum habet receptaculum. Ac conveniunt illi versus de columba.

Est sine felle, gemit, rostro non laedit et ungues
Possidet innocuos granaque pura legit.

Digitized by Google

4. *Soror Christi* Cant. 4, v. 9. et 10. quia enim ecclesia est Dei filia, ideo etiam est Christi soror, soror est, quia de sanguine ejus; amica, quia per mortem ejus reconciliata. Bernhardus serm. 8. in Cant.: *Soror Christi est, quia ex uno patre, sponsa, quia in uno Spiritu.* *5. Hortus conclusus* Cantic. 4, v. 12. quia hortus paradisiacus fuit ecclesiae typus. Ut in horto plurimae arbores fructiferae conspiciuntur, sic pii in ecclesia sunt arbores bonae ac fertiles Psalm. 1, v. 3. Psalm. 92, v. 13. et seqq. Matth. 7, v. 17. In hoc horto sunt *areolae aromatum* Cant. 16, v. 1. hoc est divisiones charismatum, gratiarum ac donorum Spiritus sancti, quando aquilo tribulationis hortum perflat, tunc fluunt et jucundissimum odorem spargunt illius aromata, Cant. 4, v. 16. Est *hortus nucum* Cant. 6, v. 10. quia dulces illius fructus sub dura adversitatum testa absconditi latent. Conclusus hortus dicitur, quia Christus muro angelicae defensionis eum munit; ac velut horti conclusi amoenitatem ac pulchritudinem nemo videt, qui extra eum positus est, sic interiorem ecclesiae ornatum nemo videt, nisi qui est civis et membrum verae ecclesiae. *6. Fons signatus.* In ecclesia fluunt *fontes Israëlis* Psalm. 68, v. 27. *flumina aquae vivae* Johann. 7, v. 38. hoc est consolationes verbi, charismata Spiritus etc. de quibus Psalm. 46, v. 5. dicitur, *rivuli fluminis laetificant civitatem Dei.* Sed hic fons signatus est omnibus incredulis, credentes enim ex eo hauriunt et bibunt, in quibus fit *fons aquae salientis in vitam aeternam.* Joh. 4, v. 14. Cyprian.
XI. 24. lib. 1. epist. 6. p. 25: *Si hortus conclusus est, sponsa Christi, quae est ecclesia, patere res clausa alienis et profanis non potest. Et si fons signatus est, neque bibere inde, neque consignari potest, cui foris posito ad fontem accessus non est.* Augustinus libr. 2. contra Crescon. c. 21: *Absit ut* (impii) *intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est, qui non potest falli; qui tamen si confitentur et corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus horti conclusi, tunc in membris unicae columbae numerantur.* Gregor. in comment. Cantic. 4: *Hortus sanctae ecclesiae exsistit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus tamen esse dicitur, quia caritatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* *7. Terribilis ut castrorum acies ordinata,* Cant. 6, v. 3. quia ecclesia in hac vita perpetuo pugnat contra Satanam et ipsius squamas, neque est confusa quaedam multitudo et colluvies ἄτακτος, sed certi in ea constituti sunt ordines. *8. Conspicitur quasi aurora, pulchra est ut luna, electa ut sol,* Cant. 6, v. 9. Aurora est, quia nondum habet lucis suae plenitudinem, quam in vita aeterna demum consequetur, 2. Petr. 1, v. 19. Lunae confertur, quia a Christo justitiae sole illustratur, quia luce verbi tenebrosa hominum corda illuminat, sicut luna noctis tenebras dispellit, et quia sua habet incrementa ac decrementa, sicut luna mutat suas φάσεις.** Augustinus epist. 119. ad Januar. c. 5. Arnobius in Psalm. 135. Gregorius lib. 17. moral. c. 10. eo accommodat locum Job. 25, v. 5: *Ecce luna non splendet et stellae non sunt mundae in conspectu ejus. Quia* (inquit) *nec sancta ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hanc praevenientis gratiae dona perfundant; nec singulorum bene viventium mentes a peccatorum maculis mundae sunt, si remota pietate judicentur.* Hieronymus in c. 66. Esai. dicit, *ecclesiam apellari lunam Cantic. 6, v. 9. quia pace et persecutionibus crescit atque decrescit, et oppressa tentationum tenebris rursus pristinum lumen assumit habetque splendorem a sole justitiae.*** Ambrosius lib. 4. hexaëmer. c. 8. circa medium: *Luna typum dilectae habet ecclesiae, quod significat propheta dicens: orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis donec extollatur luna. Et in Canticis Dominus de sponsa sua ait: Quaenam est haec prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut luna, electa ut sol? Et merito speciosa sicut luna ecclesia, quae toto mundo refulsit, et tenebras hujus seculi illuminans dicit: Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Pulchre ait prospiciens, quasi suos de superiore prospectans, sicut habes: Dominus de coelo prospexit super filios hominum. Prospiciens ergo ecclesia sicut luna defectus habet et ortus frequentes, sed defectibus suis crevit et his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur et confessorum martyriis coronatur. Haec est vera luna, quae de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis et gratiae mutuatur. Fulget enim ecclesia non suo, sed Christi lumine et splendorem sibi arcessit de sole justitiae* etc. *Postea refellit figmentum poetarum, quod luna carminibus magicis coelo* deduci possit et addit: *Multi tentant ecclesiam, sed magicae artis ei carmina nocere non possunt, nihil incantatores valent, ubi Christi canticum quotidie decantatur.* Philo episcopus Carpathius in Cant. Cantic.: *Lunae comparatur ecclesia, propterea quod quidquid habet divini luminis, id a justitiae sole illo immobili atque divino accipit.* Soli confertur propter splendorem veritatis in ea lucentis. Esai. 60, v. 19: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam; v. 20: non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apoc. 21, v. 23: *Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus est agnus.* c. 22, v. 5: *Nox ultra non erit et non egebunt lumine lucernae, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos.* *9. Sulamitis,* שׁוּלַמִּית, Cantic. 6, v. 12. quasi dicas *Salomonaeam,*
est enim coelestis Salomonis sponsa, est pacifica ad XI. 25.
exemplum regis sponsi sui pacifici. 1. Cor. 11, v. 16: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesiae Dei.* Quidam exponunt Hierosolymitana, quae habitet in Jerusalem, quod itidem ad ecclesiae spiritualis Hierosolymae cives accomodari potest. *10. Filia principis* Cant. 7,

Digitized by Google

v. 1. quia est ex Deo per verbum genita Joh. 1, v. 13. erit etiam heres regni coelestis Rom 8, v. 17. etc.

Typi ecclesiae in V. T. 1. Paradisus. 24. Ad metaphoricas appellationes pertinent etiam typi V. ac parabolae N. T., quibus ecclesiae conditio ac status pulcherrime declaratur. Typi sunt complures ac varii. 1. Paradisus Genes. 2, v. 8. Augustinus lib. 13. de civ. Dei c. 21: *Possunt haec in ecclesia intelligi, ut ea accipiamus tanquam prophetica indicia praecedentia futurorum, paradisum scilicet ipsam ecclesiam; quatuor paradisi flumina, quatuor evangelia; ligna fructifera, sanctos; fructus eorum, opera eorum; lignum vitae, sanctum sanctorum, utique Christum; lignum scientiae boni et mali, proprium voluntatis arbitrium.* Ut Adamus aliquandiu in terrestri paradiso vixisset, postea vero in coelestem fuisset translatus, si in statu integritatis permansisset; sic ex societate ecclesiae militantis electi transferuntur ad societatem ecclesiae triumphantis. Sicut Adamus in paradiso audire potuit Deum loquentem; sic in ecclesia Deus nobiscum loquitur per verbum. Sicut paradisus fuit *omnis laetitiae et voluptatis promtuarium et universae sensibilis venustatis intelligentiam excedens*, definiente Damasceno lib. 2. de orth. fid. c. 11. sic in ecclesia piorum animae spirituali dulcedine perfunduntur, *anima eorum quasi hortus irrigatus* Jer. 31, v. 12. In paradiso erat vitae arbor, infirmitatis ac mortis προφυλακτικόν, aeternae beatitudinis ac immortalitatis symbolum; sic Christus beatissimum illud *lignum vitae* Apoc. 22, v. 2. in ecclesia nos pascit ad vitam aeternam etc. In paradiso ecclesiae spirituali est itidem *arbor scientiae boni et mali*, hoc est propria voluntas, caro cum suis fructibus Galat. 5, v. 19. qui ex hac arbore comederit, transgreditur Dei praeceptum et fit aeternae mortis reus. Per quatuor flumina ex uno fonte orta intelliguntur scripta Moysis, prophetarum, evangelistarum et apostolorum, quae ex fonte aeternae veritatis orta ad unum Christum nos ducunt. Psalm. 36, v. 10: *Apud te est fons vitae.* Esai. 12, v. 3: *Haurietis cum gaudio aquas ex fontibus salutis.* Hieronymus tom. 6. in epist. ad Euseb.: *Quemadmodum unus fluvius erat paradisi, qui in quatuor capita dividitur; ita unica Christi evangelica doctrina per quatuor ministros ad irrigandum et foecundandum ecclesiae hortum est distributa.* De his canitur in ecclesia:

Paradisus his rigatur,
Viret, floret, foecundatur,
His abundat, his laetatur
Quatuor fluminibus.
Fons est Christus, hi sunt rivi,
Fonis est altus, hi proclivi,
Ut saporem fontis vivi
Ministrent fidelibus.
Horum rivo ebrietatis
Sitis crescat caritatis,
Ut de fonte deitatis,
Satiemur plenius.
Horum trahat nos doctrina,
Vitiorum te sentina,
Sicque ducat ad divina
Ab imo superius.

25. 2. Arca Noae Genes. 6, v. 14. et seqq. eam enim fuisse ecclesiae typum passim docent patres. 2. Arca Noae.
Augustinus lib. 15. de civ. Dei c. 27: *Procul dubio* (arca Noae) *figura est peregrinantis in hoc seculo civitatis Dei, hoc est ecclesiae, quae fit salva per lignum, in quo pependit mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* ** Hieronymus in epist. ad XI. 26.
Damas. ecclesiam Romanam confert arcae Noahi, sed rectius lib. 1. adv. Jovin. ait, per arcam significari ecclesiam catholicam. Conferatur Gregorius homil. 16. in Ezech. Ferus in 6. c. Genes. Cyprianus de simpl. praelat. p. 164: *Si potuit evadere, qui extra arcam Noae fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit, evadet.* ** Membra comparationis constitui possunt varia: 1. Quemadmodum omnes homines extra arcam constituti diluvio perierunt, soli autem illi, qui in arcam divino jussu ingressi fuerant, sunt conservati; sic in sola ecclesia adversus diluvium irae divinae conservari possumus, extra eam nil nisi mors et interitus, quo pertinet dulcissimus versiculus Nazianzeni ad Episc.: ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω. 2. Quemadmodum Deus ipse Noahum cum familia in arcam vocavit ac figuram et materiam arcae ipsi praescripsit; sic Deus est domus suae, quae est ecclesia, τεχνίτης καὶ δημιουργός Hebr. 11, v. 10. ac de ecclesia judicandum est ex verbo non ex nostra ratione, ministri ecclesiae spirituales hujus arcae architecti sequantur normam verbi divinitus sibi praescriptam. 3. Quemadmodum arca Noaitica undiquaque et ex omnibus partibus fuit coangustata et afflicta desuper pluviis, inferius fluctibus, a latere ventis; sic ecclesia in hac vita persecutionum fluctibus oppugnatur, Matth. 7, v. 27. 4. Quemadmodum Deus ipse fuit summus nauclerus, qui arcam Noaiticam in mediis fluctibus rexit, Sap. 14, v. 6: ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου ἐπὶ σχεδίας καταφυγοῦσα ἀπέλιπεν αἰῶνι σπέρμα γενέσεως τῇ σῇ κυβερνηθεῖσα χειρί, *tua manu gubernata;* sic Deus ecclesiam in tantis persecutionum fluctibus regit, tuetur et conservat. 5. Quo magis aquae crescebant, eo magis elevabatur arca Genes. 6, v. 18; sic in persecutionibus ecclesia non solum conservatur, sed etiam augetur Psalm. 93, v. 4. 6. Arca nullis usa fuit remis aut velis, nec clavo fuit recta et tamen evasit salva; sic ecclesia non nititur humanis praesidiis, sapientia, potentia, opibus etc. Dei tamen gubernatione ac defensione ad portum salutis evadit salva. 7. Arcae exstructio impiis hominibus antediluvianis fuit risus ac cachinnorum materia; sic ecclesia in hac vita est abjecta et contemta. 8. Quemadmodum arca varias habuit mansiunculas cuivis animanti accomodatas, quae mirifice exornarunt arcam; sic in ecclesia varii sunt status, ac singuli in ecclesia sua habent χαρίσματα unius Spiritus diversa ac distincta dona 1. Cor. 12, v. 4. in ecclesia triumphante sunt va-

Digitized by Google

riae mansiones Joh. 14, v. 2. 9. Quemadmodum in arcam recipiebantur animalia munda ac immunda; ita in ecclesiam militantem recipiuntur Judaei ac gentiles, prout in visione Petrina per omnis generis animalia hoc denotatur Actor. 10, v. 12. possunt etiam per animalia immunda intelligi hypocritae, qui externo visibilis ecclesiae coetui sese immiscent. 10. Sicut Noah cum familia sua inter leones, ursos tigrides, lupos aliasque ferocissimas bestias divino miraculo incolumis conservatur; sic exilis grex Domini in medio tyrannorum et haereticorum agmine tutus manet Esa. 11, v. 6. 11. Quemadmodum arca habuit ostium in medio lateris; sic Christus est ecclesiae ostium Joh. 10, v. 7. per quem ad militantem et triumphantem ecclesiam ingredimur; per hoc ostium ingredimur, quando per baptismi sacramentum ecclesiae incorporamur. Augustinus lib. 12. contra Faustum c. 16: *Nemo intrat in ecclesiam, nisi per sacramentum remissionis peccatorum, hoc autem de Christi latere aperto manavit.* 12. Quemadmodum arca lucis aliquid habuit, cui tamen multum caliginis fuit admixtum, siquidem unam tantum habuit fenestram; sic in hac vita *cernimus per speculum et in aenigmate* 1. Cor. 13, v. 12. attendendum igitur verbo *velut lucernae lucenti in loco caliginoso*, *donec dies illucescat* 2. Petr. 1, v. 19. 13. Quemadmodum in arca fuit cibus, quo conservati sunt homines usque dum ingrederentur novum mundum; sic in ecclesia per verbum et sacramenta nutrimur, donec coelum novum ac nova terra succedat 2. Petr. 3, v. 13. 14. Quemadmodum arca intus et exterius bitumine fuit oblita; sic corda nostra interius munita sunt fide, exterius caritate. Augustinus in 65. qq. quaest. 52: *Bitumen significat caritatem per*
XI. 27. *quam sancti nec illis scandalis, quae fiunt ab his, qui intus sunt, cedunt, nec illis, quae fiunt ab his, qui foris sunt.* Epiphanius contra Alogos bitumen exponit *de virtute ecclesiae*, *quam obtinet contra serpentinas et letiferas doctrinas*, incenso enim bitumine serpentes fugari dicit. Augustinus lib. 12. contra Faustum Manich. c. 14. et in lib. 65. qq. quaest. 51. per ligna τετράγωνα illius arcae (ita enim Hebraeum copher exponunt LXX interpretes, quos secutus est) *sanctos ecclesiae cives* intelligendos esse dicit. *Arca* (inquit) *de lignis quadratis fabricatur*, *sicut ecclesia de sanctis construitur ad omne opus bonum paratis. Quadratum enim quacunque verteris*, *semper stat firmiter*, *et sancti in quibuslibet tentationibus stabiles permanent*, *non adversitatibus*, *non prosperitatibus cedunt.* 15. Fabri arcae, qui Noaho in exstruenda illa operam locant, ipsi vero non ingrediuntur, typum praebent illorum mercenariorum, qui aliis monstrant salutis viam, cui ipsimet insistere nolunt; reliqui ex familia συνεργοί, qui arcam ingressi fuerunt, repraesentant fideles et pios ecclesiae ministros. Per corvum cadaveribus inhiantem et ad arcam redire oblitum intelliguntur apostatae, qui carnalibus hujus mundi desideriis seducti ab ecclesia discedunt. Thomas Aquin. in comm. 1. Petr. 3: *Sicut arca fuit de lignis levigatis et dolatis*, *ita ecclesia constat de sanctis per angustias et tribulationes afflictis; et sicut arca ex lignis imputribilibus*, *ita ecclesia constat ex hominibus incorruptis; deinde in arca pauci*, *scilicet octo animae*, *salvabantur*, *ex hoc significatur paucitas salvandorum*, *postremo sicut multiplicavit*, *undis elevabatur arca*, *sic per tribulationes crescit ecclesia.* Vide Origenem, Isidorum et alios in Genesin. **Quemadmodum arca ex multorum lignorum coaptatione seu conglutinatione coalescit in unum corpus; sic ex multis variarum gentium et ordinum hominibus ecclesia colligitur in unum corpus.**

26. 3. Vocatio Abrahae ex Ur Chaldaeorum illustrem praebet ecclesiae typum Genes. 12, v. 1. 3. Vocatio Abrahae.
Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, *quam monstravero tibi.* Quemadmodum terra, ex qua Abrahamus egredi jubetur, fuit idololatriis repleta, terra caliginis et tenebrarum; sic ante vocationem in ecclesiam *ambulamus in tenebris et habitamus in regione umbrae mortis* Esai. 9, v. 2. *sumus tenebrae* Ephes. 5, v. 8. Quemadmodum vocatio illa Abrahae fuit gratuitum omnino beneficium, cum ipse quoque *servierit diis alienis* Jos. 24, v. 2. ita quoque est opus merae gratiae, nequaquam vero praecedentibus meritis debetur, quod ex tenebris ad lucem et sortem sanctorum in lumine, ad Christi scilicet salvificam agnitionem et beatam ecclesiae societatem, vocamur. 2. Tim. 1, v. 9: *Vocavit nos Deus vocatione sancta*, *non secundum opera nostra*, *sed secundum propositum suum et gratiam*, *quae data est nobis in Christo ante tempora secularia.* Sicut Abrahamus promte secutus est Deum vocantem, non contulit cum carne et sanguine, non disceptavit cum Deo, reliquit patriam, domum, fundos, agros, cognatos etc. quibus in hac vita nihil carius esse potest; sic et nos vocati ad ecclesiae consortium absque ulla tergiversatione sequamur. Justinus in dial. cum Tryphone pag. 272: *Quid amplius prae ceteris per gratiam hic Abrahae tribuit Deus? quod persimili vocationis verbo ipsum vocavit exire jubens e terra*, *quam incolebat. Ille vero et nos omnes voce illa vocavit et eximimus jam ex ea vitae conversatione, in qua viximus communibus aliorum terrae habitatorum moribus male vitam agentes et una cum Abrahamo jure hereditario accipiemus terram sanctam*, *hereditatem cernentes in aevum infinitum*, *quippe qui liberi Abrahae propter parem fidem sumus. Quo enim modo ille voci Dei credidit et reputatum est ei ad justitiam; eodem et nos modo voci Dei*, *qua per apostolos Christi denuo promulgatae*, *qua per prophetas olim nobis annuntiatae credentes ad mortem usque rebus mundanis omnibus renuntiavimus.*

27. 4. Rubus ardens in deserto, qui tamen igne 4. Rubus ardens in
non absumebatur, Exod. 3, v. 2. quo procul dubio XI. 28.
significatum fuit, ecclesiam Israëliticam uri quidem deserto.
igne tribulationum in Aegypto, non tamen consum-

Digitized by Google

tam iri. Theodoretus quaest. 6. in Exod.: *Ego arbitror, significari Israëlem Aegyptorum insidiis appetitum non esse subjugandum, sed adversariis superiorem futurum.* Rubus est sylvestris et abjectus frutex; sic ecclesia in hac vita est humilis myrica in oculis mundi et humanae rationis. Rubus est frutex spinosus et senticosus, quem, ut Hebraei loquuntur, avis citra deplumationem ingredi non potest; sic qui ecclesiam hostiliter oppugnant, se ipsos magis laedunt quam istam. De rubo illo Mosaico scribit Philo in libr. de vita Moysis: *Rubus erat plantula spinosa et debilissima atque ea nemine ignem admovente repente tota accendi visa est, quam cum ignis radicitus occupasset et ingenti flamma omnes ramos ac cacumen complexus esset; ea tamen perinde manebat illaesa, ac si superne fons delaberetur incendiumque reprimeret et velut materia esset incorruptibilis, non ignis pabulum, sed contra nutriretur ab igne.* Sic ecclesia non consumitur ab incendio irae divinae adversus peccata, quia tegitur umbraculo gratiae in Filio Dei nobis propositae, is enim ex rubo ad Moysen locutus, ut ex Deuter. 23, v. 16. docent Justinus in dial. cum Tryph. Augustinus lib. 2. de Trinit. c. 3. Hilarius lib. 4. de Trinit. Potest etiam per ignem, quo rubus accenditur, sed non consumitur, intelligi ignis tribulationum et persecutionum, qui ecclesiam non absumit, sed purgat solum et excoquit. Augustinus tract. 3. in Johan. hoc ὅραμα interpretatur de synagoga Judaica resistente multis Dei admonitionibus et rebellante prophetis, quorum vox instar luculenti ignis splendentis in obscuro loco 2. Petr. 1, v. 19. quotidie in synagogis legebatur. Act. 15, v. 21.

5. Domus Israëlitarum in Aegypto. 28. 5. Domus Israëlitarum in Aegypto. Cum tenebrae horribiles et palpabiles totam Aegyptum operirent, in domibus Israëlitarum habitantium in *terra Gosen erat lux* Exod. 10, v. 23. *Sanctis tuis maxima erat lux et quia non ipsi eadem passi erant, magnificabant te* Sap. 18, v. 1; sic totus mundus in tenebris ignorantiae, errorum, peccatorum et damnationis haeret, sed in ecclesia Dei est lux divinae cognitionis, gratiae et salutis. Esai. 60, v. 1: *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est;* v. 2: *quia ecce tenebrae operient terram et caligo populos; super te autem orietur Dominus et gloria ejus in te videbitur;* v. 3: *et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui.* Eph. 5, v. 8: *Eratis quondam tenebrae, nunc autem lux in Domino.* Phil. 2, v. 15: *Credentes sunt velut luminaria in mundo lucentia in medio nationis pravae et perversae.* Quemadmodum etiam sanguinem agni paschalis super utrumque postem et in superliminaribus domorum suarum ponebant Israëlitae Exod. 12, v. 7. per quem ab angelo interfectore omnia Aegypti primogenita percutiente tuti erant v. 13; sic Christi sanguis ecclesiae filios ab aeterno exitio liberos praestat, si vera fide illius adspersionem suscipiant, siquidem *ut regiae statuae quamvis inanimatae sint, confugientes ad se tamen servare solent, non quia statuae sunt, sed quia regem repraesentant; similiter et agni illius sanguis homines salvos facere debuit, non quia sanguis erat, sed quia sanguinem Christi referebat,* quae est Chrysostomi similitudo. *Hic sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Gregorius homil. 22. in evang. In excidio primogenitorum Aegypti significatum fuit, judicium et iram Dei non posse sustineri, ne ab illis quidem, qui in mundo sunt praestantissimi, primogenitus enim *vocatur fortitudo et principium roboris* Gen. 49, v. 3. Quod Israëlitarum primogeniti non laedebantur, id non fiebat propter eorum praestantiam, sed ex gratia propter Christum mediatorem unicum illum agnum Dei, cujus typus fuit agnus paschalis 1. Corinth. 5, v. 7. In hujus beneficii memoriam omnes Israëlitarum primogeniti Deo erant consecrandi, redimebantur autem pretio quinque siclorum Num. 18, v. 15. Sed ut aliud λύτρον atque alia redemtio quam quinque siclorum significari intelligeretur, dicit Dominus Num. 3, v. 12. quod pro *primogenitis filiorum acceperit* Levitas, quodque ideo redimi possint primogeniti hominum, quia Levitae loco ipsorum consecrati sunt Domino, jam vero ex epistola ad Hebraeos manifeste constat, sacerdotium Leviticum fuisse figuram Christi, significatur igitur praestantissimos in mundo esse irae et judicio Dei obnoxios, Christum autem sese *sanctificasse pro nobis* Joh. 17, v. 19. *ac dedisse animam suam λύτρον pro multis* Matth. 28, v. 28. illius beneficia distribuuntur in ecclesia, cujus typi fuerunt domus Israëlitarum sanguine agni paschalis adspersae, a qua non debemus nos separare, sicut Israëlitae severe prohibentur domo sua egredi, ne ab angelo vastatore percutiantur Exod. 12, v. 22. Agnos paschalis non comedebatur nisi in domibus Israëlitarum Exod. 12, v. 7; sic in sola *ecclesia,* quae est domus Dei, *fructus passionis invenitur,* Cyprianus lib. 1. epist. 6.

6. Tabernaculum in deserto. 29. 6. Tabernaculum Mosaicum in deserto Exod. 26, v. 1. et seqq. descriptum. Esai. 33, v. 20: *Respice Sion civitatem conventus nostri, oculi tui videbunt Jerusalem habitationem securam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum et omnes funiculi ejus non rumpentur, quia ibi magnificus est Dominus noster* (ecclesia tam firmiter est fundata et stabilita, ut nulla vi Satanae et organorum ejus everti queat Matth. 16, v. 18). Esai. 54, v. 1: *Lauda sterilis, quae non paris,* etc. *quoniam multi filii desertae magis quam ejus, quae habebat virum, dicit Dominus:* v. 2: *dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum expande, longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida* (ecclesia, quae in N. T. per praedicationem evangelii Christo colligitur, est copiosissima et multo feracior quam synagoga V. T.). Jerem 30, v. 18: *Haec dicit Dominus: ecce ego convertam captivitatem tabernaculorum Jacob et tectis ejus miserebor, et aedificabitur civitas in excelso suo et templum juxta ordinem suum fundabitur* (ubi non

Digitized by Google

solum restauratio urbis et templi Hierosolymitani sub Cyro, sed etiam imo cumprimis ecclesiae per praedicationem evangelii in N. T. collectio, firmitas et amplitudo praenuntiatur). Ezech. 37, v. 26: *Percutiam cum illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis et fundabo eos et multiplicabo et dabo sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum;* v. 27: *et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus et ipsi erunt mihi populus* (haec transferuntur ad ecclesiam N. T. 2. Cor. 6, v. 16.). Ezech. 41, v. 1. in descriptione prophetica novae urbis ac novi templi itidem fit mentio *tabernaculi.* Amos. 9, v. 11: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo scissuras murorum ejus* (hic locus ad regnum Christi in N. T. refertur Actor. 15, v. 16). Zach. 12, v. 7: *Salvabit Dominus tabernacula Juda sicut in principio.* Apoc. 13, v. 6: *Bestia aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus et tabernaculum ejus;* v. 7: *et datum est illi bellum facere cum sanctis.* Quomodo autem tabernaculum Mosaicum typus fuerit ecclesiae militantis et triumphantis (cui itidem tabernaculi appellatio tribuitur Luc. 16, v. 9. Hebr. 8, v. 2. c. 9, v. 11. Apoc. 21, v. 3.) late exponunt Augustinus lib. 7. de civ. Dei. c. 32. Rupertus lib. 4. c. 12. Gregorius lib. 28. moral c. 9. Beda lib. de tabernac. 2. c. 6. et 7. Hrabanus, Isidorus et alii in Exodum.

XI. 30. Quemadmodum in tabernaculo erat arca foederis, tabula legis et propitiatorium, ex quo Dominus inter duos Cherubim oracula reddebat; sic in ecclesia docetur lex et evangelium, Christus unicum illud propitiatorium sua gratia in ea praesens est, Deus per verbum nobiscum loquitur. Quemadmodum in tabernaculo offerebantur sacrificia; sic in ecclesia spiritualia sacrificia Deo offeruntur. Quemadmodum in tabernaculo conservabatur ignis coelitus delapsus, quo sacrificia absumebantur; sic coelestis ignis Spiritus sanctus datur in ecclesia, per quem grata redduntur Deo spiritualia piorum sacrificia. Quadruplex tabernaculi operimentum mirabilem ecclesiae protectionem contra omnis generis tempestates significat, Esa. 4, v. 5: *Dominus erit tabernaculum in umbraculum diei ab aestu et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.* Laqueoli, ansulae et uncini aurei, quibus cortinae colligabantur, significant ecclesiae unitatem per spiritualem συνάφειαν et παναρμονίαν. Ephes. 4, v. 16. *ex Christo capite totum corpus est* συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας. Plurimae cortinae, aulaea et saga, ex quibus tabernaculum fuit constructum, significant varia ecclesiae membra, varios hominum status et ordines, ex quibus colligitur, ecclesia per fidei et caritatis unitatem consociata, numerum illorum denarium Augustinus accommodat *ad praecepta decalogi,* Beda *ad caritatem Dei et proximi* decem praeceptis comprehensam. Quemadmodum tabernaculum fuit portatile; sic ecclesia in deserto hujus mundi est ambulatoria. Tabulae et columnae significant vere pios, qui sunt columnae in templo Dei Apoc. 3, v. 12. nituntur enim firma fide et confessione sua aliis praelucent, unde ipsa ecclesia dicitur *columna et firmamentum veritatis* 1. Tim. 3, v. 15. Bases argenteae denotant Christum unicum illud ecclesiae fundamentum, cui tota ejusdem structura innititur, Matth. 16, v. 18. 1. Cor. 3, v. 11. Arias Montanus observat, asseres illos cedrinos tabernaculi latera contegentes repraesentasse humanam staturam longa veste indutam; cardines crura sive crurum ossa, bases humani corporis pedes retulisse, (quo pertinet, quod in vulgata versione de tabulis in templo Salomonis dicitur 1. Reg. 7, v. 36. quod *quasi in similitudinem hominis stantis fuerint factae*) ut ipso statim intuitu admonerentur Israëlitae, ligneas illas columnas viventium columnarum esse σκιάσματα et effigies. Per vectes denotantur ecclesiae ministri, quorum opera tabernaculum ecclesiae ex uno loco in alium defertur. Erigi jubetur tabernaculum non ad humani arbitrii placitum, sed juxta ideam ac figuram in monte divinitus ostensam; sic ecclesiae οἰκοδομή ad praescriptum coelestis architecti et ad normam verbi accommodanda, non ad hominum placita et commenta. Sanctum sanctorum velo distinctum a sancto typum praebet ecclesiae militantis a triumphante carnis velo distinctae, Hebr. 9, v. 8. Figura sanctuarii τετράγωνος ad firmitatem, soliditatem et perfectionem coelestis Hierosolymae accommodatur, Apoc. 21, v. 16. Per lucernas tabernaculum illuminantes lucem verbi significari docet psalmographus Psalm. 119, v. 105: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ornamenta columnarum ac cortinarum denotant varia Spiritus sancti charismata, quibus pii, praesertim ecclesiae ministri, ad aliorum aedificationem ornantur. Atrii capacitas ecclesiae amplitudinem denotat, constat enim ex multis animarum myriadibus etc. Possunt haec omnia paucis solum mutatis applicari ad comparationem ecclesiae cum XI. 31.
templo Hierosolymitano a Salomone exstructo et 1. Reg. 8. late descripto, quod itidem fuit ecclesiae typus, unde templi appellatio ei tribuitur. Zach. 6, v. 12: *Ecce vir, germen nomen ejus et sub eo germinabit et aedificabit templum Domino;* v. 13: *et ipse exstruet templum Domino et ipse gestabit decorem et sedebit et dominabitur super solio suo et erit sacerdos super solio suo.* (Sicut Salomon aedificavit templum Domino, sic Christus princeps pacis spirituale templum exstruit Deo) 1. Cor. 3, v. 16: *Nescitis, quia templum Dei estis* etc. 2. Cor. 6, v. 16: *Vos estis templum Dei.* 2. Thess. 2, v. 4: Antichristus *sedebit in templo Dei,* hoc est dominatum in ecclesia geret.

30. 7. Domus Rahabis Jos. 2, v. 18. et c. 6, v. 23. 7. Domus Rahabis.
Quemadmodum enim omnes Jerichuntis cives percussi fuerunt ore gladii, solis illis, qui in Rachabis domum recepti fuerant, servatis; sic Jericho hujus mundi aeterno exitio subjecta est, sed qui in ecclesiam se conferunt, ab illo servabuntur. Funiculus ex filis coccineis, quem Rahab in fenestra ligavit, denotat Christi sanguinem, qui ecclesiae domum ab exitio immunem praestat. Justinus in dial. cum Tryph. p. 265: *Funiculi coccinei symbolum sanguinis Christi signum prae se tulit,* τὸ σύμβολον τοῦ

Digitized by Google

αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἴδηλον, *per quem vetusti fornicatores et iniqui homines ex gentibus omnibus salvantur remissionem peccatorum accipientes et ulterius non peccantes. Qui ostium domus tuae egressus fuerit* (dicunt exploratores ad Rahabem Jos. 2, v. 19.), *reus sibi erit, sanguis ipsius erit in caput ejus;* sic qui ab ecclesia exeunt, ipsimet sui exitii sibi sunt auctores. Cyprianus libr. 1. epist. 6. non longe a princ.: *Rahab typum portabat ecclesiae, cui mandatur et dicitur: Patrem tuum et matrem tuam et fratres tuos et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et omnis qui exierit ostium domus tuae foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur, in unam domum solam, hoc est in ecclesiam, victuros et ab interitu mundi evasuros colligi oportere, quisquis autem de collectis foras ejecerit, id est si quisquam in ecclesia gratiam consecutus recesserit et ab ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est ipsum sibi quod pereat, imputaturum.* Hieronymus in epist. ad Nepotianum de vita cleric. non longe a princ.: *Rahab meretrix in typo ecclesiae resticulam mysterium sanguinis continentem, ut Hiericho pereunte domus ejus salvaretur, appendit.* Gloss. ordin. h. l.: *Ipsa pannum coccineum ponit in domo sua, per quod salvetur ab excidio civitatis coccineum, scilicet quod sanguinis formam gerebat, sciebat enim, quod nulli esset salus, nisi in sanguine Christi. Si quis salvari vult, veniat in hanc domum, in qua Christi sanguis signum est redemtionis. Nemo ergo extra ecclesiam salvatur. Qui foras exit, mortis suae reus fit, hoc est sanguinis signum, quia haec est sanctificatio, quae per sanguinem constat. Quod in fenestra dependet hoc signum, illud arbitror indicare, quod fenestra domum illuminat et per quam tantum luminis capimus, quantum sufficiat oculis nostris et visui, et incarnatio salvatoris non nobis integrum deitatis adspectum ingessit, sed tanquam per fenestram per incarnationem suam fecit nos lumen deitatis adspicere, ideo mihi videtur signum salutis per fenestram datum, quo salutem consequantur omnes, qui in domo ejus sunt.*

8. Hierosolyma.

31. 8. Hierosolyma, sub cujus nomine de ecclesia N. T. passim vaticinantur prophetae Esai. 41, v. 27. c. 60, v. 1. Zach. 8, v. 3. etc. ipsa quoque triumphans in coelis ecclesia appellatur coelestis et nova Hierosolyma, Galat. 4, v. 26: *Illa quae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater omnium nostrum.* Hebr. 12, v. 22: *Accessitis ad Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam.* Apoc. 3, v. 12: *Scribam super eum nomen novae Jerusalem, quae descendit de coelo a Deo meo.* Apoc. 21, v. 2: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de coelo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Habet autem nomen Hierosolymae in Hebraeo dualem formam יְרוּשָׁלַיִם
XI. 32. ob duas urbis partes: una fuit urbs שָׁלֵם Salem in monte Sion sita; altera יִרְאֶה mons Moria, urbi postea junctus et inclusus. Id ipsum apostolus mystice exponit Gal. 4, v. 26. quod significet duplicem Hierosolymam: unam quae est *ἡ ἄνω*, *sive superior*, יְרוּשָׁלַםִ שֶׁל מַעְלָה, alteram quae est *ἡ κάτω*, יְרוּשָׁלַםִ שֶׁל מַטָּה. Quemadmodum Hierosolyma terrena fuit metropolis Palaestinae ac proinde mater Israëlitarum secundum carnem; sic ecclesia est spiritualis mater omnium credentium Israëlitarum secundum Spiritum, Galat. 4, v. 26. Quemadmodum Hierosolymam singulis annis tribus vicibus omnes Israëlitae conveniebant Exod. 23, v. 14. et 17. Deut. 16, v. 16. *Jerusalem aedificatur ut civitas, ut illuc adscendant tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini* Psalm. 122, v. 3. et 4. sic ecclesia est congregatio omnium sanctorum. Quemadmodum Hierosolyma fuit sedes regni et sacerdotii; sic in ecclesia Christus regnum et sacerdotium administrat, quin et cives ecclesiae facit *reges ac sacerdotes* Apoc. 1, v. 6. Quemadmodum Hierosolyma fuit sita in montibus Psalm. 87, v. 1. et in meditullio *τῆς οἰκουμένης*, ut notat Rabbi Aben-Ezra, ut odor coelestis doctrinae ex ea in gentes vicinas propagari posset; sic ecclesia est civitas Dei supra montem posita Matth. 5, v. 14. ut omnibus ad illam pateat accessus. Quemadmodum ex omnibus Israëlitarum civitatibus Hierosolymam Deus elegit, ut ibi habitaret ac sacrificiis coleretur; sic in sola ecclesia est vera Dei agnitio, verus cultus, vera sacrificia Psalm. 87, v. 2: *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob;* v. 3: *gloriosa dicuntur in te civitas Dei.* Quemadmodum de Hierosolyma dicitur, quod *ignis et caminus Dei in ea fuerit* Esa. 31, v. 9. sic in ecclesia Deus habitat gratiosa sua praesentia. Possunt etiam aliae figurae ex V. T. huc adduci, utpote candelabrum in tabernaculo ac templo Esa. 25, v. 31. Zach. 4, v. 2. myrtetum Zach. 1, v. 8. etc. quarum comparationum membra exponit Dn. D. Balduinus in comment. Zachar. etc.

Allegoriae, similitudines ac parabolae N. T.

32. Typis V. T. allegoriae, similitudines ac parabolae N. T. conjungendae sunt. *1. Mons*, in quo Christus legem moralem in principio ministerii sui explicat Matth. 5, v. 1. allegorice significat ecclesiam, siquidem in illa ipsa concione Christus eam comparat *civitati supra montem positae* Matth. 5, v. 14. ostendit igitur haec figura, doctrinam legis in ecclesia sonare debere. Sicut mons altus est et firmus, sic ecclesia eminet virtutibus et stabilitate fidei firma est; sicut mons evehitur supra colles, sic ecclesia tendit ad superiora et inferiora despicit. Procul dubio etiam Christus respexit ad vaticinia V. T. in quibus montis appellatione ecclesia denotatur Psalm. 2, v. 6. Psalm. 15, v. 1. Psalm. 68, v. 61. etc. Veteres statuunt, concionem illam habitam esse in monte Thabor, qui deflectentibus a mari Galilaeae primum occurrit et inter praecipuos Galilaeae montes numeratur Psalm. 89, v. 13. Jerem. 46, v. 18. cumque in eodem monte postea audita fuerit vox patris coelestis de Christo, *hunc audite*, Matth. 17, v. 5. inde colligitur, ecclesiam alligatam esse ad vocem sponsi sui, hoc est ad doctrinam Christi. Jucunda etiam est haec pictura. In V. T.

Digitized by Google

tam terribilis erat legis promulgatio, ut populus non posset in montem Sinai adscendere, sed clamabat: *Vocem illam non possumus audire* Exod. 20, v. 19. hoc est quando sola lex in ecclesia sonat, tum nihil aliud quam terrores conscientiae in animis hominum exinde oriuntur, sed quando Christus mediator in monte explicat legem addens suam impletionem, hoc est quando ministerio legis in ecclesia conjungitur doctrina evangelii, tunc accedunt turbae et de efficacia doctrinae ejus mirantur Matth. 7, v. 28. sicut in monte Thabor, ubi Christus adest, apostoli faciem ejus non tantum ferre possunt, sed etiam ibi manere cupiunt Matth. 17, v. 3. cum filii Israël non potuerint in faciem Moysis ἀτενίσαι 2. Cor. 3, v. 13. *2. Navis*, in qua Christus vehitur Matth. 8, v. 23. Marc. 4, v. 36.
XI. 33. Luc. 8, v. 22. quam procellae ventorum et fluctuum oppugnant, itidem praebet ecclesiae picturam. *Navigat ecclesia*, ait Chrysostomus in Matth. *instructa fidei gubernaculo felici cursu per hujus seculi mare habens Deum gubernatorem*, *angelos remiges*, *portans choros omnium sanctorum erecta in medio ipsa salutari arbore crucis*, *in qua evangelicae fidei vela suspensa flante Spiritu sancto ad portum paradisi et securitatem quietis aeternae deducitur*. Quemadmodum in hanc navim Christus colligit suos apostolos et reliquos discipulos relictis ingratis Capernaitis; sic ecclesia est coetus fidelium, qui per mare hujus mundi Christum sequuntur. Quemadmodum haec navis oppugnatur a procellis ventorum et fluctibus maris Satanae impulsu excitatis Job. 41, v. 22. sic adhuc Satanas contra ecclesiam varias persecutionum procellas et fluctus excitat, quam ad rem promtos invenit impios, qui sunt quasi *mare fervens*, *quod quiescere non potest* Esa. 57, v. 20. sed quia Christus vehitur in ecclesiae navi, ideo nec vis tempestatum, nec turbo ventorum, nec impetus fluctuum eam submergere possunt. Psalm. 46, v. 4: *Sonent sane et turbidae fiant aquae;* v. 6: *Deus in medio ejus non commovebitur*. Videtur quidem Christus aliquantisper dormire, hoc est non exercere iram et vindictam contra hostes ecclesiae, sed *cor* ipsius interim *vigilat* Cantic. 5, v. 2. *non dormitat neque dormit*, *qui custodit Israël*, Psalm. 121, v. 4. nostrum est ingruentibus persecutionum fluctibus piis precibus eum excitare, ut respondeat nobis ex Jeremia c. 31, v. 26: *Super hoc de somno suscitatus sum et vidi et somnus meus dulcis mihi.* Thomas part. 3. qu. 72. art. 8. Epiphanius lib. 2. tom. 1. haeres. 61. p. 422. contra Apostolicos hanc similitudinem ad diversos status in ecclesia accommodat. Sancta Dei ecclesia, inquit, navi similis est. Navis autem non ex uno ligno constat, sed diversis. Et carinam quidem ex uno ligno habet, sed non uno modo; ancoras autem ex alia materia; mali item et tabulata et puppis partes, parietumque ac transtrorum, velorum item ac remorum gubernaculorumque ac aliorum omnium ex diversis lignis compactionem habet. 3. Johann. 10. comparatur ecclesia *ovili*. Quemadmodum oves extra ovile vagantes cedunt lupis in praedam, sic nisi ecclesiae conjungamur, paratum est nobis exitium. Quemadmodum ovile non est firmiter arcis instar munitum, sed sola pastoris vigilantia custoditur; sic ecclesia in hac vita plerumque caret humanis praesidiis, sed Christi ἀρχιποιμένος custodia conservatur. Quemadmodum ovile non habet exterius augustum quendam splendorem; sic ecclesia in hoc mundo est contemta. Quemadmodum ovile complectitur omnes oves teneras et adultas, sanas et morbidas; sic ecclesia est congregatio Christianorum, inter quos quidam fide sunt robusti, quidam infirmi, quidam fide et moribus integri, quidam vero erroribus et peccatis sunt infecti. Quemadmodum lupi et alia animalia rapacia ovile circumeunt eique insidiantur; sic ecclesia versatur in medio luporum, tyrannorum et haereticorum etc. 4. Domus, in qua congregati apostoli acceperunt Spiritum s. Act. 2, v. 2. denotatur ecclesia. Ut enim et in illa domo unanimiter congregati fuerunt apostoli, sic in ecclesia nos decet esse concordes; ut apostoli in ea acceperunt Spiritum s. sic in ecclesia sunt Spiritus s. dona. 5. In concione, quam Christus ad turbas juxta mare in navicula habuit, variis parabolis sors ecclesiae in hoc mundo declaratur, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Comparatur enim regnum coelorum sive collectio ecclesiae per praedicationem verbi *semini* in quadruplicem terram cadenti, *sementi* sua sponte ad copiosam messem exsurgenti, *agro*, in quo nascuntur triticum et zizania, *grano sinapis*, quod in arborem magnam excrescit, *fermento*, quod totam farinae massam fermentat, *thesauro* in agro abscondito, *margaritae* pretiosae omnibus bonis a mercatore antelatae, *sagenae* omnis generis pisces concludenti; quarum parabolarum praecipuus scopus est, ut doceamur, in ecclesia bonis admixtos esse malos, sanctis conjunctos esse hypocritas, sed in novissimo die separationem futuram; accurata illarum explicatio peti potest ex Harm. evang. D. Chemnic. c. 61. et 62. **Apoc. 1, XI. 34.
v. 20: *Septem candelabra aurea sunt septem ecclesiae.* Ecclesia comparatur candelabro 1. propter visibilitatem, quia ecclesia est visibilis et excellenti splendore conspicua Matth. 5. 2. propter luciditatem, quia instar candelabri lucem mundo praefert, quod lumen est ipse Christus candelabro impositus Joh. 8, v. 12. 3. propter firmitatem, Richardus de Victore: *Sicut magna candelabra tribus ferme pedibus sustinentur, ita ecclesia in sacrosanctae Trinitatis fide per caritatem operanti fundata erectaque consistit.* Comparatur autem candelabris aureis: 1. Ut aurum per ignem probatur, malleis extenditur et in formam candelabri productum instrumentum luminis efficitur; sic ecclesia tentationibus probata et tunsionibus persecutionum extenuata ardet igne sapientiae coelestis et lucet opere caritatis 1. Petr. 1, v. 7. 2. Ob caritatem, quae ob excellentiam et praestantiam auro omnium metallorum pretiosissimo comparatur, et cui per ignem tribulationis nihil decedit.** 6. Apoc. 12, v. 1. et seqq. egregia ecclesiae pictura proponitur: *Signum magnum conspectum est in coelo. Mulier amicta sole* (Christo justitiae

Digitized by Google

sole per fidem induta Malach. 4, v. 2. ac coelesti gloria solis instar olim fulsura Matth. 13, v. 43.) *et luna sub pedibus ejus* (terrena omnia lunae instar variabilia magno animo conculcans ac despiciens, constans etiam est in vera doctrina et calcat lunam, hoc est haereses, quae instar lunae mutantur ac variantur) *et in capite ejus corona duodecim stellarum* (fulgore propheticae et apostolicae doctrinae coruscans); v. 2: *illa uterum ferens, clamabat parturiens et cruciabatur, ut pareret;* (ecclesia est spiritualis piorum mater, quos ὠδίνει, non sine summis doloribus et angustiis tempore persecutionum *parturit, donec Christus in illis formetur* Galat. 4, v. 19.); v. 3: *draco magnus et rufus*, v. 4: *stetit ante mulierem parituram, ut cum peperisset, filium ejus devoraret* (serpens ille antiquus, qui vocatur diabolus v. 9. Christum in cordibus credentium exstinguere conatur fidem et confessionem ejus exterminando), sed v. 5: *mulier peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes virga ferrea* (hoc est Christum, de quo vaticinium illud Psalm. 2, v. 9. unice agit), *et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus* (Christus peracto in terris ministerio per fidem in cordibus piorum spiritualiter conceptus adscendit in coelum et ad thronum paternae dextrae consedit); v. 6: *mulier vero fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo* (Satan nec Christo nocere, nec ecclesiam evertere potest, licet horrendis persecutionum fluctibus eam oppugnet et ποταμοφόρητον facere cupiat v. 15. 7. Pictura coelestis Hierosolymae Apoc. 21. et 22. proprie exprimit statum ecclesiae triumphantis, interim quia ecclesia militans cum triumphante societatem quandam habet, ideo quaedam illius picturae membra ad ecclesiam militantem accommodari possunt, vocatur enim *et ipsa civitas sancta Hierosolyma nova, descendens de coelo* (quia caput ejus Christus est dominus de coelo 1. Cor. 15, v. 48. ipsa quoque nata est ἄνωθεν Joh. 3, v. 7. et cum Christo in coelestibus collocata Ephes. 2, v. 6.) est *Christi sponsa*, est *tabernaculum Dei, in quo Deus sua gratia habitat, habet claritatem Dei in verbo relucentem, angelorum praesidio est munita; super fundamentum doctrinae apostolicae exstructa, est stabilis et ampla civitas, pretiosis donis exornata* etc. sed haec bona in altera vita multo erunt praestantiora et ampliora, tunc enim perfecte implebuntur omnia hujus visionis et picturae apocalypticae membra.

Appellationes et encomia ecclesiae ex patribus. 33. In scriptis veterum exstant variae appellationes, periphrases et encomia ecclesiae. Justinus in dialog. cum Tryph. p. 223. vocat eam *Dei filiam, Christi sponsam et conjugem.* Irenaeus lib. 3. c. 6. p. 175. *Dei synagogam.* lib. ejusd. c. 4. p. 172. *depositarium dives, in quod plenissime contulerunt apostoli omnia, quae sunt veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitae.* Lib. ejusd. c. 40. *matrem nostram, cujus mamillis nutrimur ad vitam.* lib. 5. c. 17. p. 341. ἑπτάμυχον *lucernam Christi lumen bajulantem, cui creditum lumen Dei et per hoc sapientia Dei.* Clemens Alexandrinus lib. 7. stromat. *congregationem sanctorum.* Tertullianus lib. de coron. milit. *Christi curiam.* Cyprianus lib. 2. epist. 3. *coetum Christo credentium, cui per fidem copulantur et uniuntur.* Lactantius lib. 4. cap. 13. circa finem: *Verum Dei templum, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum ac vocantur fideles.* C. 30. circa finem: *fontem veritatis, domicilium fidei et templum Dei, quo si quis non intraverit vel a quo si quis exiverit, a spe vitae et salutis aeternae alienus sit.* Ambrosius lib. 2. in Luc. c. 3. *matrem viventium, quam Deus aedificavit in ipso summo lapide angulari Christo Jesu, in quo omnis structura compaginata crescit in Dei templum.* Augustinus lib. 17. de civ. Dei c. 12. *domum Dei et templum Dei de hominibus factum, non de lapidibus, ubi habitat in aeternum populus cum Deo et in Deo suo et Deus cum populo atque in populo suo* etc. c. 16. *civitatem regis magni, Sionem spiritualiter sic dictam, quod nomen Latinis est speculatio, quia speculatur futuri seculi magnum bonum, illic enim dirigitur ejus intentio, Hierosolymam spiritualem.* Chrysostomus serm. 10. in c. 4. epistolae ad Ephes. *ex animabus nostris constructam domum.* Smaragdus in 1. Petr. 2: *Domus spiritualis ecclesia est justorum de lapidibus vivis et animabus aedificata sanctorum.* Beda in Levit.: *Corpus Christi ex multis membris velut ex multis granis collectum, per legis et evangelii molam contritum, per aquam baptismatis tinctum et Spiritu s. solidatum.* Leo et Anshemius Imperatores vocant *religionis et fidei perpetuam matrem* lib. 1. tit. 5. l. 14. Codicis. Bernhardus serm. 53. de mod. bene viv. col. 1726. *scalam Jacobaeam*, quia generalis ecclesia ex parte adhuc militat in terris et ex parte jam regnat in coelis. Eucherius vocat *Dei nidulum* etc. Lutherus tom. 1. lat. p. 36. *filiam Dei verbo Dei genitam* etc. Possumus etiam vocare ecclesiam Spiritus sancti ἐργαστήριον, officinam et scholam, etc. X. 23.

Epitheta ecclesiae ex symbolo apostolico. 1. Una. 34. In symbolo Apostolico et Nicaeno ecclesia praesertim N. T. vocatur: *1. una; 2. sancta; 3. catholica* et *4. apostolica.* Una vocatur ex Cant. 6, v. 8. propter spiritualem unitatem, quam verbis emphaticis exponit apostolus Ephes. 4, v. 3: *Soliciti estote servare unitatem spiritus in vinculo pacis,* v. 4: *unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocati estis in una spe vocationis vestrae,* v. 5: *unus Dominus, una fides, unum baptisma;* v. 6: *unus Deus et pater omnium nostrum.* Una igitur dicitur, quia ab uno Domino per unum baptisma in unum corpus mysticum sub uno capite redacta, uno Spiritu regitur, fidei, spei et caritatis unitate constringitur, unam fidem profitetur et una vocatione ad unam haereditatem coelestem vocatur. Unitas illa fidei nititur uno doctrinae propheticae et apostolicae fundamento, unde dicitur *superaedificata super fundamentum apostolorum et prophetarum*, Ephes. 2, v. 20. De hac ecclesiae unitate pulcherrime scribit Irenaeus lib. 1. c. 3. p. 39: ταύτην τὴν πίστιν (cujus

Digitized by Google

brevem summam ex symbolo apostolico in praecedentibus recitaverat) *ἡ ἐκκλησία καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη.* Sicut una anima diversa corporis membra vivificat; sic totam ecclesiam unus Spiritus animat et vegetat. Sicut in malo Punico uno cortice multa grana capsulis distincta uniuntur; sic innumeros populos fidei unitas in ecclesia continet. Sicut fasciculus aliquis uno vinculo colligatur; sic coetus sanctorum una eademque fide, spe et caritate constringitur, atque uno divinae protectionis munimine circumdatur. **Cyprianus tract. 3. de simpl. praelatornm in princ. p. 164: *Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescet: sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput est et origo una et una mater foecunditatis successibus copiosa.*** Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 5. circa med. haud inscite philosophatur de ecclesiae unitate. *Multiplex* (inquit) *unitas in ecclesia invenitur.* XI. 36. *Prima est unitas ratione ejusdem principii, id est Dei vocantis; secunda unitas ratione ejusdem ultimi finis, salutis scilicet aeternae; tertia ratione eorundem mediorum, id est fidei, sacramentorum, legum; quarta est ratione ejusdem Spiritus s. a quo tanquam externo et separato rectore universa ecclesia gubernatur; quinta ratione ejusdem capitis tanquam interni et conjuncti rectoris, Christi scilicet* (cui Bellarminus addit vicarium caput pontificem Romanum); *sexta est ratione connexionis membrorum in se et praecipue cum capite. Inter has unitates illae, quae faciunt proprie ecclesiam unam, sunt duae ultimae, nam per primam ecclesia non tam est una, quam ex uno; per secundam non tam est una, quam per unum; per tertiam non tam est una, quam sub uno; per quartam non tam est una, quam ad unum; per quintam et sextam proprie est una, id est unum corpus, unus populus, una societas.* 2. Sancta. Sancta dicitur ex 1. Cor. 14, v. 33. et Apoc. 11, v. 2. quia Christus caput illius sanctum est, Hebr. 7, v. 26. qui sanctitatis suae ecclesiam facit participem, Joh. 17, v. 19. quia *sancta vocatione vocatur* et a mundo separatur 2. Tim. 1, v. 9. quidquid enim a communi et profana ratione separatum ad usum et honorem Dei separatur et consecratur, in Scriptura vocatur sanctum Levit. 10, v. 10. quia *sanctum Dei verbum illi est concreditum*, Rom. 3, v. 2. quia Spiritus sanctus in hoc coetu credentes sanctificat Christi sanctitatem per fidem illis applicando, interiorem renovationem et sanctitatem in cordibus ipsorum operando et perfectae sanctitatis desiderium in illis excitando. Joh. 17, v. 17: *Pater sanctifica eos in veritate.* Rom. 1, v. 7. *vocatis sanctis.* 1. Cor. 3, v. 17: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sicut Christus, qui ecclesiae caput est, de Spiritu sancto conceptus est; sic sancta ecclesia, quae ipsius corpus est, eodem Spiritu sancto repletur, ut vivat. Distinguitur igitur hoc encomio ecclesia non solum a conventiculis impiorum et haereticorum, quae vocantur *synagoga Satanae* Apoc. 2, v. 9. et c. 3, v. 9. sed etiam ab hypocritis externo ecclesiae coetui intermixtis. Catholica vocatur 1. respectu ecclesiae V. T. 3. Catholica. Nam in V. T. ecclesia ordinarie alligata erat ad unam aliquam gentem, videlicet Israëliticam, et ad certum locum, videlicet tabernaculum et templum, ita ut ad illum coetum conjungere se oportuerint, quicunque volebant ecclesiae esse membra. Psalm. 76, v. 1. Psalm. 147, v. 19. Esai. 31, v. 9. Rom. 3, v. 2. c. 4, v. 4. etc. sed in N. T. sine discrimine populorum, locorum et personarum per universalem evangelii praedicationem inter omnes gentes ex omnibus hominum nationibus et linguis ecclesia colligitur Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Luc. 24, v. 47. Actor. 1, v. 8. Coloss. 1, v. 6. etc. Chrysostomus in c. 2. Esaiae: *Ecclesia expassis finibus et reclinatis manibus universas undecunque terrarum gentes excipit.* 2. Respectu particularium ecclesiarum, quarum in toto orbe sunt complures, ex quibus ceu membris una constituitur ecclesia, quae est et dicitur *καθολική*. XI. 37. Sic Petri, Jacobi et Johannis epistolae, quia non inscriptae sunt certis particularibus ecclesiis, nec additur nomen regionis vel urbis, ad quam in specie sint directae, vocantur catholicae seu universales. Augustinus epist. 170: *Catholica ecclesia dicitur, quia per totum terrarum orbem diffunditur.* 3. Respectu catholicae fidei, quae aestimanda est ex communi omnium piorum ac fidelium quocunque tempore et loco vixerint, vel adhuc vivunt, vel porro victuri sunt, consensu. Consensum autem illum catholicis prophetarum et apostolorum scriptis, quae sunt unicum ecclesiae fundamentum, Ephes. 2, v. 20. unice niti oportet. Vincentius Lerin. adv. haeres. c. 3. dicit, *catholicam fidem constare universitate, antiquitate, consensione.* 4. Respectu haereticorum, qui a catholico illo catholicae fidei in Scripturis fundatae consensu nefarie discedunt et a vere catholica ecclesia sese separant. Tertullianus lib. 4. adv. Marc.: *Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae.* Pontificii Lutherum flagellant, *quasi hanc voculam* (catholicam) *ex symbolo Germanico expunxerit et quidem hoc fine, ut suo quoque coetui ecclesiae nomen tribuere posset.* Sed monet

Digitized by Google

Dn. Chemnicius, in vetustis codicibus inveniri etiam ante Lutheri tempora articulum illum fuisse ita recitatum: Ich glaube eine heilige christliche Kirche, per Christianam autem idem intelligitur quod per catholicam, quia Christianorum nomen dispersum est per totum orbem, falso igitur Lutherum accusari, quod dolo malo vocem catholicam expunxerit, cui vero ecclesiae, nostrae scilicet an pontificiae, nomen catholicae *κατ' ἀλήθειαν* conveniat, suo loco
4. Apostolica. apparebit. Apostolica vocatur non solum quia ab apostolis in N. T. per evangelii praedicationem plantata est et fundata, sed etiam quia doctrinam apostolicam (quae cum prophetica quoad ipsam substantiam una atque eadem est) fideliter conservat et per eandem adhuc hodie propagatur et conservatur usque ad finem seculi, quo sensu dicimur *aedificati super fundamentum prophetarum et apostolorum*, Ephes. 2, v. 20. et murus novae Hierosolymae dicitur *habere fundamenta duodecim et in illis nomina duodecim apostolorum agni* Apoc. 21, v. 14. Irenaeus lib. 3. adv. haeres. c. 1. in princ.: *Non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos apostolos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* Tertullianus de praescript.: *Illae ecclesiae, quae licet nullum vel ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instruuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur propter consanguinitatem doctrinae.* Sed hac de re, uti etiam de ecclesiae unitate sanctitate et universalitate postea plenius dicendum erit. ** Alias *apostolicae ecclesiae* dicuntur duobus modis: 1. illae quas apostoli ipsi condiderunt praedicando tam viva voce quam per literas; 2. quae licet nullum vel ex apostolis vel apostolicis viris auctorem suum proferunt, ut multo posteriores, tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicae dicuntur propter consanguinitatem doctrinae. Tertullianus de praescript. c. 32. Neutro modo Romana sibi soli hanc appellationem vendicare potest: non priore, quia et aliae sunt ab apostolis fundatae; nec posteriore, quia orthodoxae potius ecclesiae habent illam doctrinae consanguinitatem. Quatenus papae obtemperat Romana ecclesia, non apostolica est, sed apostatica. Quamvis tractu temporis in occidente circa quartum seculum, ut ex Augustini et Vincentii Lerinensis scriptis apparet, *κατ' ἐξοχὴν* soli Romanae ecclesiae *ἀντωνυμικῶς* fuerit haec appellatio tributa, tamen *ἐξοχὴ* illa et praerogativa fuit duntaxat ordinis et celebritatis, non monarchicae potestatis. Quin et in oriente titulis hic reliquis ecclesiis mansit, quia Synesius epist. 56. tribuit illum Alexandrinae sedi; et initio actor. synod. Nic. II. ubi legati patriarchalium ecclesiarum recensentur, non tantum nominantur locum tenentes Hadriani archiepiscopi apostolicae sedis Romae, sed et postea eodem titulo insigniuntur Johannes et Thomas presbyteri *τοποτηρηταὶ τῶν ἀποστολικῶν θρόνων τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως*, locum tenentes apostolicarum sedium ejus quae est in oriente dioeceseos.

CAPUT IV. XI. 28.

AN SIT ECCLESIA.

35. Donatistae referente Augustino de haeresibus ad Quodvultd. haeres. 69. statuerunt, *ecclesiam Christi de toto terrarum orbe periisse atque in Africa Donati parte remansisse, in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis exstincta.* Quod sit ecclesia. Negarunt igitur illam partem symboli: *Credo ecclesiam catholicam.* Sed esse veram Dei ecclesiam, adeoque ab orbe condito fuisse et perpetuo etiam mansuram esse demonstrant: 1. evidentia Scripturae testimonia, quae continent divinas promissiones de collectione et conservatione ecclesiae perpetua. 1. Sam. 2, v. 10: *Dominus judicabit fines terrae et dabit fortitudinem regi suo et sublimabit cornu Christi sui.* Psalm. 45, v. 7: *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.* Psalm. 46, v. 5: *Rivuli fluminis laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes Altissimi;* v. 6: *Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane.* Psalm. 72, v. 15: *Orabunt coram ipso semper, tota die benedicent ei,* v. 17: *erit nomen ejus in secula.* Psalm. 89, v. 36: *Semel juravi per sanctitatem meam, si David mentiar;* v. 37: *thronus ejus firmabitur in aeternum.* Psalm. 94, v. 14: *Non deseret Dominus plebem suam et haereditatem suam non derelinquet.* Esai. 59, v. 21: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus a modo usque in sempiternum.* Jer. 31, v. 36: *Si defecerint leges istae* (solis et lunae) *coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israël deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus;* v. 37: *haec dicit Dominus, si mensurari potuerint coeli sursum et investigari fundamenta terrae deorsum, et ego abjiciam universum semen Israël propter omnia, quae fecerunt, dicit Dominus;* v. 40: *sanctum Domini non evelletur et non destruetur ultra in perpetuum.* Joël. 2, v. 32. Obad. v. 17: *In monte Sion erit salvatio.* In N. T. itidem exstant manifesta testimonia. Matth. 16, v. 18: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam, et portae inferorum non praevalebunt adversus illam.* Matth. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Joh. 10, v. 16: *Oves meae vocem meam audiunt, donec erit unus pastor et unum ovile;* v. 28: *nemo rapiet eas de manu mea.* 1. Cor. 11, v. 26: *Quotiescunque manducabitis ex* XI. 29.
hoc pane et bibetis ex hoc poculo, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 2. Efficax Christi ora-

Digitized by Google

tio. Joh. 17, v. 11: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos;* v. 20: *non pro eis tantum rogo, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ad has preces accedit Christi ad dextram Patris sedentis quotidiana pro ecclesia intercessio ad sacerdotium ipsius aeternum pertinens Psalm. 110, v. 4. Rom. 8, v. 34. 1. Joh. 2, v. 1. Jam vero fieri nequit, ut coelestis Pater preces hasce non exaudiat. Joh. 11, v. 42: *Scio quod semper me audis.* Hebr. 5, v. 7: *Obtulit in diebus carnis suae preces et supplicationes Patri suo et exauditus est pro reverentia sua.* 3. Κλῆσις seu vocatio ecclesiae in genere et cujusque in specie, inde enim dicitur ἐκκλησία. Esai. 65, v. 2: *Expando manus meas tota die.* Rom. 8, v. 30: *Quos praedestinavit, hos et vocavit.* Unde cives ecclesiae dicuntur vocati sancti Rom. 1, v. 7. 1. Cor. 1, v. 2. Haec vocatio per verbum nunquam redit inanis et vacua, sed in quorundam cordibus locum invenit, Esa. 55, v. 10: *Quemadmodum descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, nisi inebriaverit terram;* v. 11: *sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Ergo ex vocatione per verbum perpetuo durante recte colligitur ecclesiae perpetua collectio et conservatio. 4. Mutua relatio inter Christum et ecclesiam. Christus est aeternus rex et dominus Psalm. 2, v. 6. Psalm. 72, v. 19. Dan. 7, v. 14. Luc. 1, v. 34. Ergo etiam semper habet subditos ac servos, qui in hoc regno suo ipsi serviant et debita obsequia praestent. Christus est aeternus sacerdos Psalm. 110, v. 4. sacerdotium ejus est sempiternum ἀπαράβατον Hebr. 7. v. 24. Ergo etiam semper habet populum, pro quo intercedat. Christus est aeternus ecclesiae sponsus Hos. 2, v. 19. Ergo semper habet aliquam in terris sponsam. Joh. 3, v. 29: *Qui habet sponsam, sponsus est.* 5. Denique diserta sunt symboli Apostolici a tota ecclesia unanimi consensu recepti verba: *Credo ecclesiam catholicam.*

Quemlibet salvandum oportere esse membrum ecclesiae.

36. Ad hunc locum pertinet etiam doctrina illa, quod unumquemque salvandorum necesse sit esse vivum membrum et verum civem ecclesiae catholicae et apostolicae, et quod illi, qui sunt extra ecclesiam, sint alieni a Deo, a Christo, a beneficiis regni coelestis et spe aeternae salutis, unde vulgo dicitur: *Extra ecclesiam non est salus.* Probant hoc 1. expressa Scripturae testimonia, Eph. 2, v. 12: *Cum essetis extra ecclesiam, illo tempore eratis sine Christo, abalienati a politia Israëlis, peregrini a testamentis promissionis, spem non habentes et sine Deo in hoc mundo;* v. 13: *nunc vero in Christo Jesu vos qui aliquando eratis, longe facti estis prope in sanguine Christi.* v. 19: *jam non amplius estis peregrini et advenae, sed* συμπολῖται, *cives, sanctorum et domestici Dei* etc. Eph. 4, v. 16: *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum et coagmentatum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensura uniuscujusque membri incrementum corporis facit in aedificationem sui ipsius in caritate.* Eph. 5, v. 8: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino;* ac de illis, qui sunt extra ecclesiam, ibidem v. 6. dicitur, *venit ira propter haec* (peccata) *in filios incredulitatis.* 1. Petr. 2, v. 9: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabilem lucem;* v. 10: *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* Apoc. 22, v. 15: *Foris* (extra civitatem sanctam) *sunt canes et venefici et impudici et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* c. 21, v. 8: *Timidis et incredulis et exsecratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igni et sulphure.* 2. Typi et picturae ecclesiae, sicut a diluvio nemo liberabatur, nisi qui erat in arca Noae, sic irae divinae diluvium omnes opprimit, qui sunt extra ecclesiam. Sicut vasa tabernaculi portatilis in templum Hierosolymitanum XI. 40.
transferebantur; sic ex sola ecclesia militante in his terris peregrina et ambulatoria accessus patet ad ecclesiam triumphantem. Sicut omnes Hierichuntos cives, qui extra domum Rahabis erant, gladio et incendio peribant; sic qui sunt extra ecclesiae domum exitio aeterno manent obnoxii. Sicut primogeniti in Aegypto, qui extra Israëlitarum domos erant, omnes interficiebantur; sic qui non sunt *concives sanctorum, spiritualium scilicet Israëlitarum et domestici Dei,* hoc est qui non sunt in domo Dei, quae est ecclesia, ab angelo interfectore percutiuntur. Qui in navi vehuntur, si ex ea in mare prosiliant, perire eos necesse est; sic qui ecclesiae navem deserunt, in mari hujus mundi pereunt. 3. Beneficia ecclesiae propria, utpote regeneratio, renovatio, illuminatio, sanctificatio, peccatorum remissio, Spiritus sancti donatio, haereditatis aeternae promissio etc. haec enim cum extra ecclesiam sive extra coetum vocatorum per verbum et sacramenta non habeant locum, ideo etiam extra ecclesiam non potest esse salus. *Haec conjuncta sunt et intime connexa* (inquit Chemnicius in enchirid.) *Deus, verbum, fides, ecclesia, salus et vita aeterna.* 4. Huc referenda sunt dicta veterum. Irenaeus libr. 3. c. 40. p. 266: *Operationis Spiritus non sunt participes omnes qui non concurrunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus, et ubi Spiritus Domini, illic ecclesia et omnis gratia, Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis et de coeno putridam bibunt aquam, effugientes fidem ecclesiae, ne traducantur, rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur. Illam vero ecclesiae praedicationem ibidem sic describit Irenaeus, quod undique constans et aequaliter perseverans testimonium habeat a prophetis et aposto-*

Digitized by Google

lis et ab omnibus discipulis. Lactantius lib. 4. instit. c. 30: *Ecclesia est domicilium fidei et templum Dei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est.* Augustinus libr. 4. de symb. ad catech. c. 10. ex Cypriano lib. de unit. eccles.: *Non habet Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem.* Quod repetit serm. 109. de temp. Idem epist. 50. extra hoc corpus Christi (ecclesiam) neminem vivificat Spiritus sanctus. Epist. 152: *Quisquis ab ecclesia separatus fuerit, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Vide etiam serm. 181. de temp. Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. c. 2: *Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum ejus, in corpore uno Spiritus unus, nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum.* Atque inde est, quod quilibet vere pii exoptarunt esse cives ecclesiae ac domestici Dei, Psalm. 26, v. 8: *Domine, diligo habitaculum domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.* Psalm. 27, v. 4: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* etc. Psalm. 42, v. 3: *Sitivit anima mea ad Deum, Deum vivum, quando erit ut appareum ante faciem Dei.* Psalm. 84, v. 2: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* etc. v. 5: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabant te.* Inde etiam profluunt sedulae illae cohortationes, quibus monemur, ut ecclesiae nos aggregemus. Psalm. 122, v. 6: *Rogate, quae ad pacem sunt Jerusalem.* Matth. 6, v. 33: *Quaerite primum regnum Dei.* Hebr. 10, v. 25: *Non deserentes congregationem vestram* etc.

XI. 41.

CAPUT V.

DE CAUSA EFFICIENTE, PRINCIPALI ET INSTRUMENTALI ECCLESIAE.

Causa efficiens principalis.

37. Causa efficiens principalis ecclesiae est Deus sive tota sacrosancta Trinitas, *Pater, Filius et Spiritus sanctus.* Cum enim collectio ecclesiae sit opus Trinitatis ad extra, ideo omnibus tribus personis competit, servato tamen ordine et discrimine personarum. Pater una cum Filio et Spiritu sancto aeternum fecit decretum de colligenda sibi ecclesia ex genere humano, atque hoc decretum in tempore exsequitur per ministerium ecclesiasticum divinitus institutum et conservatum, hoc est per praedicationem verbi et administrationem sacramentorum. Filius statim post lapsum promissionem evangelicam de mediatore adeoque arcanum illud Dei consilium de salute hominum protoplastis revelavit et in plenitudine temporis humanam naturam personaliter sibi univit, in qua redemtionis opus perficiens jussit in nomine suo praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum inter omnes gentes, ut ecclesiam ex toto genere humano sibi colligeret. Spiritus sanctus per verbum est efficax in cordibus hominum ad illuminationem, sanctificationem, regenerationem ac renovationem eorum ad vitam aeternam, sicut haec beneficia totius sacrosanctae Trinitatis pulcherrime comprehenduntur in sequentibus dictis. Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* v. 16: *Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* v. 34: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur.* Johan. 10, v. 2: *Qui per ostium intrat, pastor est ovium;* v. 3; *huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt et proprias oves vocat nominatim et educit eas;* v. 4: *vadit ante eas, et oves illum sequuntur* etc. v. 7: *Ego sum ostium ovium;* v. 12: *ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ovibus;* v. 16: *alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, illas oportet me adducere et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor;* v. 17: *propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam;* v. 27: *oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me;* v. 28: *et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea;* v. 29: *Pater meus, qui dedit mihi eas, major omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Roman. 8, v. 28: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti;* v. 29: *quos enim praescivit, etiam praedestinavit conformes fieri imagini filii Dei* etc. v. 30: *quos autem praedestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Ephes. 1, v. 3: *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo;* v. 4: *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus;* v. 5: *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae;* v. 6: *in laudem gloriosae gratiae suae, in qua gratos et dilectos nos habuit in dilecto;* v. 7: *in quo habemus redemtionem, per sanguinem ejus remissionem peccatorum* etc. 2. Tim. 1, v. 9: *Deus liberavit nos et vocavit vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora secularia,* v. 10: *manifestata autem nunc per illuminationem salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit mortem et illucescere fecit vitam et ἀφθαρσίαν per evangelium,* v. 11: *in quo positus sum ego praedicator et apostolus.* In his et similibus dictis conjunguntur amplissima illa et inenarrabilia beneficia, quae tota sacrosancta Trinitas in ecclesiam impendit et quae in ecclesia distribuuntur, videlicet XI. 42.
electio, redemtio, vocatio, regeneratio, illuminatio, justificatio, sanctificatio, glorificatio etc. Quamvis

Digitized by Google

vero collectio ecclesiae, cum sit opus ad extra, tribus divinitatis personis sit communis, tamen ut in aliis operibus ad extra, ita quoque in hoc ipso discrimen et ordo personarum quoad distinctum operandi modum elucet. Pater ecclesiam ceu sponsam Filio suo adducit ac nuptias illi apparat, quo sensu quidem accipiunt nomen sponsae, Matth. 22, v. 2. Filius est sponsus, cui ecclesia despondetur, 2. Cor. 11, v. 2. Spiritus sanctus per ministerium verbi et sacramentorum ecclesiam mundat et ornat tanquam sponsam viro suo Eph. 5, v. 27. Apoc. 21, v. 2. estque arrha, quam coelestis sponsus dat ecclesiae tanquam sponsae. Ephes. 1, v. 14 etc. Filius est ecclesiae fundamentum, Ephes. 2, v. 20. Spiritus sanctus architectus, 1. Corinth. 3, v. 9.

Deus gratiose praesens est in ecclesia.

38. Nec solum construit sibi Deus ecclesiae domum, sed etiam sua gratia in ea habitat, quae est praecipua ecclesiae dignitas, unde etiam vocatur *Dei domus*, οἶκος θεοῦ ab οἰκέω, inhabito 1. Tim. 3, v. 15. ac nomen ejus est אַךְ בְּךָ אֵל *tantum in te Deus*, Esai. 45, v. 15. יְהוָה שָׁמָּה *Dominus ibi*, Ezech. 48, v. 35. quo pertinent suavissimae promissiones Exod. 20, v, 24: *In omni loco, in quo memoriam nominis mei instituero, veniam ad te et benedicam tibi.* Levit. 26, v. 11: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri et non abjiciet vos anima mea;* v. 12: *ambulabo inter vos et ero Deus vester, vosque eritis populus meus.* Psalm. 46, v. 5: *Rivuli fluminis laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes altissimi;* v. 6: *Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam ante auroram.* Esai. 59, v. 21: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui.* Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum.* c. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Johan. 14, v. 18: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Nequaquam igitur Deus a spirituali ecclesiae domo abest sicut architectus ac ναυπηγὸς ab aedificio domus et navis a se exstructo discedit et injuriis tempestatis marinisque fluctibus illud expositum relinquit, sed sua gratia perpetuo praesens est ecclesiae, eandem regit ac tuetur contra omnes persecutionum et adversitatum tempestates. Pater est *dominus hujus domus*, est *paterfamilias* operarios conducens Matth. 20, v. 1. Hebr. 3, v. 4. Filius est *lapis angularis et fundamentum hujus domus* Matth. 21, v. 42. Ephes. 2, v. 20. Spiritus sanctus est *dispensator et oeconomus* in hac domo per ministros verbi recludens et distribuens thesauros Christi passione ac morte promeritos et in eam repositos Act. 20, v. 28. 1. Cor. 4, v. 1.

Causa impulsiva vocationis divinae ad ecclesiam.

39. Causa impulsiva movens Deum, ut ecclesiam sibi ex genere humano colligat, est immensa ipsius bonitas, paterna clementia et gratuitus favor, in toto salutis negotio regnans. 2. Tim. 1, v. 9: *Vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora secularia;* inde vocatio ad consortium ecclesiae notatur verbo κληροῦσθαι, in sortem adsciscí Ephes. 1, v. 11. quia cives ecclesiae in sortem sibi Deus adsciscit, *ut sint ejus funiculus sive haereditas, possessio ac peculium*, ut de populo Dei loquitur Moyses Deut. 32, v. 9. Quemadmodum igitur solenniter protestatur Deus de populo Israëlitico, quod nequaquam propter merita ipsorum, sed ex mera gratia et gratuita bonitate Israëlitas sibi in populum peculiarem elegerit, Deut. 7, v. 6: *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt supra terram*, v. 7: *non quia cunctas gentes numero vincebatis, vos concupivit Dominus et elegit vos, cum sitis omnibus populis pauciores*, v. 8. *sed quia dilexit vos Dominus;* ita quoque collectio ecclesiae est opus merae gratiae et indebitae bonitatis. Quo pertinent parabolae de invitatione ad coenam magnam, in qua omnia sunt parata Luc. 14, v. 17. de invitatione XI. 43.
ad nuptias filii regis, in quibus itidem omnia parata Matth. 22, v. 4.

Causa instrumentalis collectionis ecclesiae.

40. Causa instrumentalis, qua Deus in collectione ecclesiae utitur, est ministerium ecclesiasticum complectens praedicationem verbi et administrationem sacramentorum. Quemadmodum enim *homo ille, qui paravit coenam magnam, mittit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent* Luc. 14, v. 17. et quemadmodum *rex ille, qui fecit nuptias filio suo, mittit servos suos vocare invitatos ad nuptias* Matth. 22, v. 3. sic coelestis paterfamilias, rex regum et dominus dominantium ad ecclesiae consortium et participationem coelestium bonorum per servos suos, hoc est per praecones verbi, homines vocat et invitat, quo fine statim post lapsum per Filium in prima evangelica promissione voluntatem suam de salute hominum revelavit, postea misit sanctos patriarchas et prophetas, per quos tempore V. T. ecclesiam sibi collegit; in N. T. misit Johannem Baptistam, Christum ipsum Filium suum et apostolos, per quos verbum salutis hominibus annuntiavit, Hebr. 1, v. 1: *Multifariam multisque modis Deus olim locutus est patribus per prophetas, novissimis diebus his locutus nobis est per Filium.* Et Christus ad dextram Patris exaltatus *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi* Ephes. 4, v. 11. et 12. Quemadmodum igitur Noa in aedificatione arcae usus est ministrorum opera; sic Deus in exstructione ecclesiae, spiritualis suae domus, utitur ministerio praeconum verbi, qui propterea dicuntur הַבּוֹנִים, *aedificantes* Psalm. 118, v. 22. οἰκοδομοῦντες Matth. 21, v. 42. συνεργοὶ ἐν τῇ οἰκοδομῇ τοῦ θεοῦ 1. Cor. 3, v. 9. Quemadmodum apud Athenienses coetus civium jussu magistratus convocabatur per praecones, quod proprie dicebatur ἐκκλησιάζειν; sic coetum ecclesiae suae Deus convocat per ministros verbi, qui propterea dicuntur κήρυκες sive praecones 1. Tim. 2, v. 7. 2. Tim. 1,

Digitized by Google

v. 11. 2. Pet. 2, v. 5. et praedicatio evangelii vocatur *κήρυγμα* sive praeconium Roman. 16, v. 25. 1, Cor. 1, v. 21. c. 2, v. 4. c. 15, v. 14. 2. Tim. 4, v. 17. Tit. 1, v. 3. Haec assertio nostra, quod verbum et sacramenta sint media ecclesiae colligendae et propagandae, opponitur: 1. Pontificiis, qui non ad ministerium verbi sine loci discrimine, sed ad solam sedem Romanam et episcoporum in ea successionem absolute ecclesiam alligant; 2. sapientibus hujus mundi, qui non ex verbo et doctrinae puritate, sed ex splendore externo de ecclesia judicant; 3. Enthusiastis et Suenckfeldianis, qui peculiares raptus extra verbum exspectant; 4. Anabaptistis, qui externo verbi et sacramentorum ministerio omnem efficaciam spiritualem derogant; 5. Tannero, Latomo, Erasmo, Zuinglio, Gualtero et aliis, qui fingunt, etiam in coetu gentilium luce doctrinae de Messia destitutorum esse ecclesiam; 6. Schismaticis, qui a coetu ecclesiae, in quo viget ministerium verbi et sacramentorum, propter quorundam scandala vel ex propriae sapientiae et sanctitatis admiratione sese segregant.

41. Ceterum hoc opus Dei et ministrorum ipsius vocatur *κλῆσις*, *vocatio*, unde ipsum nomen *ἐκκλησίας* descendit. Rom. 11, v. 29: *Non poenitet Deum suae vocationis.* 1. Cor. 1, v. 26: *Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* etc. 2. Tim. 1, v. 9: *Vocavit nos Deus vocatione sancta.* De hac vocatione tria membra potissimum sunt notanda, quod scilicet sit vocatio 1. catholica sive universalis; 2. gratuita; 3. seria. Circa primum

1. Universalis. membrum notandum est, quod vocatio sit universalis respectu Dei mandantis, ut evangelium annuntietur omnibus hominibus, ac volentis, ut illud ab omnibus audiatur, et oblata in eo beneficia vera fide ab omnibus recipiantur; fiat autem particularis culpâ hominum, primo quatenus quidam Epicuraeo contemtu verbum aspernantur, quidam etiam ministros ejus persequuntur et violenter a se repellunt; deinde quatenus culpa majorum amissum verbum, non semper in omnibus ubique locis actu

XI. 44. praedicatur, qua de re late egimus tom. 2. locor. tract. de elect. et reprob. §. 134. et seqq. ubi ostendimus, Deum tribus vicibus omnibus omnino hominibus verbum suum revelasse, atque ut ad posteros illud transmitterent incorruptum, serio illis mandasse, videlicet in Adamo, post diluvium et tempore apostolorum. Ex Adamo propagatum est totum genus humanum; ex filiis Noae propagatae sunt omnes gentes; ex populis, quibus apostoli praedicaverunt evangelium, omnes familiae nationum, linguarum et gentium sunt propagatae, debuissent igitur majores illi sinceritatem verbi, praeclarum illud depositum ad posteros, propagare, quod vero illud non fuerit factum, id cum hominum culpa contigerit, nec vocationis universalitati nec divinae liberalitati quidquam praejudicat. Quamvis vero in V. T. cum populo Israëlitico peculiare foedus gratiae Deus inierit illumque in funiculum haereditatis ac peculium sibi adsciverit, ita ut apud Israëlitas fuerit sedes verae ecclesiae usque ad Messiae tempora Psalm. 147, v. 19. attamen nec hoc quidem universalitatem vocationis labefactat. Praeterquam enim quod in N. T. secuta est universalis vocatio omnium gentium, quando *evangelium praedicatum est omni creaturae*, Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Coloss. 1, v. 6. accurate notandum, gentiles tempore V. T. nequaquam fuisse absolute ab ecclesiae aditu rejectas et exclusas, siquidem perpetuae et immotae veritatis sunt axiomata illa universalia ad omnes omnium temporum homines pertinentia Ezech. 18, v. 23. c. 33, v. 11: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* 1. Tim. 2, v. 4: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* 2. Pet. 3, v. 9: *Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, id quod ipso etiam V. T. tempore exemplis quamplurimis demonstravit, Gen. 17, v. 12. in ipso mandato foederali circumcisionis praecipitur, non solum filios et vernaculos, sed etiam emtitios ac alienigenas circumcidendos, ex quo facile intelligi potest, circumcisionis sacramentum nequaquam eo modo pertinuisse ad Abrahae posteros, ut gentiles ab eo et consequenter etiam ab ecclesia simpliciter exclusi fuerint. Exod. 12, v. 48. peregrini ad sacramentum agni paschalis admittuntur atque eodem cum indigenis loco censentur, si prius fuerint circumcisi. v. 38. commemoratur, quod cum Israëlitis ex Aegypto adscenderit עֵרֶב רַב *mixtio multa* sive copiosa populi multitudo, quae quidem ex posteritate Abrahae non fuit nata, interim tamen Israëliticae ecclesiae incorporata et beneficiorum huic populo promissorum particeps facta. Levit. 17, v. 10. advenae et peregrini ad offerenda sacrificia admittuntur. 1. Reg. 8, v. 41. etiam alienigenis ad templum Hierosolymitanum aditus conceditur, *insuper et alienigena* (inquit Salomon), *qui non est de populo tuo Israël, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum;* v. 42: *(audietur enim nomen tuum magnum et manus tua fortis et brachium tuum extentum); cum venerit ergo et oraverit in hoc loco;* v. 43: *tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi, ut timeant te, sicut populus tuus Israël* etc. Huc pertinent exempla conversorum ex gentilismo ad verum Deum Israëlis non solum quorundam hominum particularium, utpote Melchisedeci, Jethronis, Rahab, Jobi et amicorum ejus, Ruth, Hirami regis Tyrii, reginae Austri, Nahamanis Syri, Nabuchodonosoris, Cyri et aliorum, quos partim nominat, partim reticet Scriptura; sed etiam integrarum urbium, regionum, nationum ac populorum, utpote Gibeonitarum, Ninivitarum, Aegyptiorum, Syrorum, Chaldaeorum, Persarum, Medorum ac Graecorum, nec dubitari potest, varias illas profectiones patriarcharum, captivitatem Babylonicam, dispersiones Israëlitarum in totum orbem fuisse medium aliquod, per quod multi gentiles ad cognitionem veri Dei et

Digitized by Google

ecclesiae societatem sunt vocati, unde Act. 2, v. 5. dicitur, *quod in Jerusalem fuerint habitantes viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est.* Ubi notandum, quod tria distincta hominum genera fuerint in ecclesia Israëlitica, primo Judaei ex posteritate Jacobi oriundi; deinde proselyti, qui non solum doctrinam ecclesiae Israëliticae receperunt, sed etiam iisdem cum ea ceremoniis ac legibus usi sunt; Suidas illos sic describit, quod fuerint προσεληλυθότες ἐξ ἐθνῶν καὶ κατὰ θείους νόμους πολιτευόμενοι, denique εὐλαβεῖς, religiosi, qui solius doctrinae professione, non autem ceremoniarum observatione Judaeis conjuncti fuerint. Hujus etiam loci est observatio illa, quod Hierosolyma Judaeae metropolis in ipso meditullio οἰκουμένης fuerit posita, ut odor doctrinae in gentes circumquaque jacentes facile inde propagari potuerit, et quod Deus ecclesiam Israëliticam miraculis et prodigiis in conspectu omnium gentium illustrem ac celebrem reddiderit, ita ut apud omnes populos constaret, esse in Palaestina populum, cujus cultus divinis miraculis ac prodigiis sit confirmatus, quem finem miraculorum ostendit Deus ipse Exod. 9, v. 16. inde etiam apostolus pronuntiat, *Deum definivisse statuta tempora et terminos habitationis gentibus* ζητεῖν τὸν θεόν, *ut quaerant Deum*, Actor. 17, v. 26. quia ex luce naturae potuissent discere, esse aliquem Deum, qui quomodo coli velit ac debeat, in verbo suo revelaverit, quod in ecclesia Israëlitica sonare convinci debuissent ex constanti fama de Deo Israëlis, ex celebritate miraculorum, ex conservatione hujus populi contra omnes hostes, potissimum vero ex ipsa oraculorum divinorum lectione, notum enim est, libros V. T. in Graecam linguam jussu Ptolemaei Philadelphi regis Aegyptiaci conversos ab omnibus fere gentibus fuisse lectos, unde recte scribit Lutherus in c. 17. Genes. *hoc esse caput theologiae, quod Deus sit deus Judaeorum et gentium dives in omnes etiam illo tempore, quo lex et circumcisio floruit.*

Tria hominum XI. 45. genera in ecclesia Israëlitica.

Vocatio et modus vocationis sunt distinguenda.

42. Distinguendum igitur inter ipsam vocationem et vocationis modum atque ordinem. Vocatio ipsa est ex se et sua natura respectu gratiae divinae universalis, sed modus atque ordo vocationis ac mensura gratiae plurimum variatur. Prosper lib. 2. de vocat. gent. c. 3: *Altitudo divitiarum sapientiae ac scientiae Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia et impervestigabiles viae, sic semper misericordiam suam et justitiam temperavit, ut secretissima aeterni consilii voluntate noluerit in omnibus super omnes generationes aut super omnes homines aequales donorum suorum esse mensuras, siquidem aliter eos juverit, quos ad cognoscendum se coeli et terrae testimoniis conveniebat; aliter illos, quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis et angelorum cooperationibus consulebat; et multo magis aliter misericordiam suam universis hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est filius hominis, ut inveniretur ab his, qui eum non quaerebant etc. et quanta in praeteritis seculis super ceteras nationes, tanta nunc esset in Judaea parcitas gratiae, cum tamen introducta plenitudine gentium etiam ipsorum ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quae itaque causae sint harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quaeve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus quis loquetur?* Augustinus lib. 10. de civ. Dei c. 32: *Haec est animae liberandae universalis via, id est universis gentibus divina miseratione concessa, cujus profecto notitia ad quoscunque jam venit et ad quoscunque ventura est, nec debuit, nec debebit ei dici, quare modo et quare sero, quoniam mittentis consilium non est humano ingenio penetrabile.* Quamvis ergo non eadem ubertas gratiae contigerit gentibus sub V. T. quae Israëlitis contigit, non tamen plane et simpliciter Dei vocantis gratia ipsis fuit denegata; quamvis non fecerit Deus *taliter* omni nationi Psalm. 147, v. 20. hoc est, quamvis non *eo modo* concrediderit verbum suum gentibus, quo modo Israëlitis fuit concreditum Rom. 3, v. 2. tamen gentiles a cognitione verbi et ecclesiae aditu nequaquam simpliciter exclusit. Recepit populum Israëliticum in filios suos in hac domo, interim tamen ad familiam hujus domus non fuit aditus gentilibus interclusus. *Variata est per populos ac tempora Dei vocantis gratia, nemini tamen absoluto quodam odio ac decreto reprobatorio simpliciter denegata.* XI. 46.

Vocatio gentium in N. T.

43. Tandem vero in N. T. secuta est universalis gentium vocatio, sive ut Christus loquitur Joh. 4, v. 35. *plena messis*, quando scilicet sublato inter Judaeos et gentes τῷ τοῦ φραγμοῦ μεσοτοίχῳ Eph. 2, v. 14. apostoli mandato Christi *in orbem universum exeuntes praedicaverunt evangelium omni creaturae*, Matth. 28, v. 19. Marci. 16, v. 15. *ita ut in universo mundo illud creverit ac fructificaverit*, Coloss. 1, v. 6. ex quo tempore vocatio totius plenitudinis gentium toto terrarum orbe dispersarum inchoata continuata est usque ad haec nostra tempora et durabit usque ad mundi finem, ante quem notabilem quandam plurimorum Judaeorum conversionem exspectandam esse quidam veterum, ut Hieronymus, Chrysostomus, Lyranus in c. 11. Rom. et Augustinus lib. 2. qq. evang. q. 33. statuunt, idque ex Rom. 11, v. 25. se colligere posse existimant, qua de re alibi plenius disputabitur. Porro universalis illa gentium vocatio, non Israëlitis solum, sed ipsis etiam apostolis post acceptum Spiritum sanctum mirabilis fuit visa, unde Petro ad Cornelium centurionem Caesariensem abire formidanti in visione ostenditur, sublatum esse in N. T. illud Judaeorum ac gentilium discrimen atque omnes omnino populos sine ullo discrimine ad regnum Christi vocandos esse Actor. 10, v. 11. quod audientes fideles ex circumcisione dicebant: *Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam*, Actor. 11, v. 18. Notandum igitur, quod universalis illa gentium vocatio jam olim in V. T. sit *praedicta vaticiniis, praefigurata typis et praenuntiata exemplis.* Vaticinia sunt complura, Genes. 9, v. 27:

Digitized by Google

Persuadeat Deus ipsi Japhet et habitet in tabernaculis Sem. Praedicit Noah ex revelatione Spiritus sancti, posteros Semi, id est Israëlitas recipiendos esse in peculiarem Dei populum atque exstructum illis iri tabernaculum, hoc est sedem verae ecclesiae, et veri cultus divini notitiam apud ipsos fore, tandem vero Japheti posteros sive gentiles in illud tabernaculum recipiendos esse. Genes. 12, v. 3. promittit Deus Abrahae, Messiam *ex ipsius semine* sive posteritate nasciturum, interim tamen additur, *etiam gentes adeoque omnes tribus terrae in eo benedicendas esse*, quod repetitur c. 18, v. 18. c. 22, v. 18. c. 26, v. 4. c. 28, v. 4. Genes. 49, v. 10. cum Jacobus patriarcha praediceret, ex posteritate Judae nasciturum Siloh sive Messiam, diserte addit: *et ipsi erit aggregatio populorum*, id est gentiles recipient ejus verbum et fide ipsi adhaerebunt. Deut. 32, v. 43: *Jubilate gentes populus ejus* (hic locus ad vocationem gentium refertur Rom. 15, v. 10.) Ejusdem capitis v. 21: *Provocabo eos in eo, qui non est populus et in gente stulta irritabo illos* (confer Rom. 10, v. 19.). Davidi promissum erat *ex ipsius lumbis* sive posteris nasciturum Messiam 2. Sam. 7, v. 12. Psalm. 89, v. 37. idem tamen instinctu Spiritus sancti, per quem locutus est, promissionem illam sic declarat, quod beneficia Messiae etiam ad gentes pertineant. Psalm. 2, v. 8: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Psalm. 18, v. 44: *Constitues me in caput gentium*; v. 45: *populus, quem non cognovi, serviet mihi, in auditu auris obedivit mihi;* v. 50: *confitebor tibi Domine in gentibus* (confer. Rom. 15, v. 9.). Psalm. 22, v. 28: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.* Psalm. 72, v. 8: *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum;* v. 11: *adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.* Psalm. 117, v. 1: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* (Hoc vaticinium Rom. 15, v. 11. ad vocationem gentium refertur.) Esaias testatur, Christum nasciturum ex virgine Israëlitica, Esa. 7, v. 14. unde eum vocat *patruelem suum* Esa. 5, v. 1. interim tamen ad consortium regni et participationem beneficiorum Messiae etiam gentes admittendas praedicit Esa. 2, v. 2: *Et erit in novissimis diebus, firmus fiet mons domus Domini in vertice montium et fluent ad eum omnes*
X. 47. *gentes*, v. 3: *et ibunt populi multi et dicent: Venite, adscendamus ad montem Domini, ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus*, (quod vaticinium repetitur Mich. 4, v. 1.) Esa. 9, v. 2: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*, hoc vaticinium Matth. 4, v. 16. ad vocationem gentium refertur. Esa. 11, v. 10: *Radix Jessae*, (hoc est Christus ex genere Isai natus) *stabit in vexillum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Esa. 42, v. 4. dicit Pater coelestis de Messia filio suo: *Ponet inter gentes judicium et legem ejus insulae exspectabunt;* v. 7: *dedi te in foedus populi et in lucem gentium, ut aperires oculos coecorum et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris*, (hoc vaticinium Matth. 12, v. 18. ad Christum refertur.) Esa. 49, v. 6: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et desolationes Israël convertendas, ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae, haec dicit Dominus.* (Hoc vaticinium Actor. 13, v. 47. de gentium vocatione exponitur.) Esa. 55, v. 4: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus;* v. 5: *ecce gentem, quam nesciebas, vocabis et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum.* (Hoc vaticinium Act. 13, v. 34. de gentium vocatione explicatur.) Esa. 60, v. 3: *Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore vultus tui* etc. Esa. 65, v. 1: *Quaesiverunt, qui ante non interrogabant; invenerunt, qui non quaesiverunt me; dixi: Ecce ego ad gentem, quae nesciebat me.* (Hoc vaticinium de vocatione gentium interpretatur Paulus Roman. 10, v. 20). Hos. 1, v. 10: *Erit numerus filiorum Israël* (spiritualium Israëlitarum) *quasi arena maris, quae sine mensura est et non numerabitur; et erit in loco, ubi dicebatur eis, non populus meus vos, dicetur eis: filii Dei viventis.* (Hic locus ad gentium vocationem refertur Rom. 9, v. 25. et 26.) Hos. 2, v. 23: *Dicam non populo meo: populus meus es tu, et ipse dicet: Deus meus es tu.* (Confer cum hoc loco Rom. 9, v. 26. 1. Petr. 1, v. 10.) Hagg. 2, v. 8. Messias vocatur *deliciae omnium gentium.* Typi, quibus gentium vocatio praefigurata fuit, itidem sunt complures ac varii. David dominabatur non solum Israëlitis, sed etiam Philistaeis, Moabitis, Edomitis, Psalm. 60, v. 10. Psalm. 87, v. 4. denotatum fuit, quod ad regnum Christi, cui dedit Deus solium patris sui Davidis Lucae 1, v. 33. etiam gentes pertineant. Idem David habebat duas uxores Ahinoam Israëliticam et Abigail Carmelitanam 1. Sam. 25, v. 43. quo denotatum fuit, Christum Davidis filium sponsam, id est ecclesiam, ex Judaeis et gentibus sibi collecturum. Regina Arabiae ex longinquo venit ad Salomonem, ut audiret ipsius sapientiam 1. Reg. 10, v. 1. 2. Paral. 9, v. 1. quo denotatum fuit, ad Christum coelestem Salomonem Matth. 12, v. 42. etiam gentes venturas, ut coelestem sapientiam ab eo discant. Huc pertinet etiam illud quod in genealogia Christi non solum Israëliticae feminae, sed etiam gentiles ut Rahab, Ruth et Bathsabea connumerantur, Matth. 1, v. 5. et 6. quo denotatur, etiam gentes per fidem Christo inserendas et ad spiritualem cum eo cognationem evehendas. Exempla et quasi praeludia hujus vocationis universalis, non solum in certis quibusdam personis, sed integris etiam civitatibus ac populis ex gentilismo ad verum Deum Israëlis conversis enumerata sunt superius. Grato autem corde agnoscamus hoc beneficium nostrae vocationis ex gentilismo ad ecclesiae consortium, cujus magnitudinem Christus et apostoli saepius exponunt, ut

Digitized by Google

perpetuo illius memores digne hac vocatione nostra nos geramus. Matth. 8, v. 11: *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum*, v. 12: *filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 15, v. 26: *Non est bonum sumere panem filiorum et projicere catellis*, ibi comparantur Israëlitae filiis mensae admotis, gentiles autem catellis micas coram mensa exspectantibus; quantum igitur beneficium est quod Deus filios suos Israëlitas propter inobedientiam repulit et nobis miseris catellis non micas, sed thesaurum coelestium beneficiorum suorum dis-
XI. 48. tribuit. Lucae 14, v. 16. Christus tali parabola id declarat: *Coelestis paterfamilias ad coenam a se paratam*, id est ad participationem beneficiorum Christi, primo loco *invitavit Israëlitas* tanquam filios et cives, qui erant hospites primarii et honoratiores, sed cum illi vocationem repudiarent, *vocavit nos gentes, qui eramus in plateis et vicis civitatis pauperes, debiles, coeci ac claudi.* Paulus Roman. 11, v. 17. alia similitudine beneficii hujus magnitudinem declarat. Israëlitae erant *paradisus Domini*, sie waren Gottes Lustgarten, plantaverat illos Deus velut arbores frugiferas, miserat prophetas, ut hortum illum colerent. Sed gentiles erant *oleastri* steriles et silvestres, arbores infrugiferae, aeterno igni mancipatae; quantum ergo beneficium, quod Deus silvestrem oleastrum contra naturam fertili oleae inseruit, ut particeps radicis et pinguedinis fuerit facta? Rom. 15, v. 8. Christus fuit *minister circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum;* v. 9: *gentes autem propter misericordiam honorent Deum*, hoc est Messias peculiariter promissus erat Israëlitico populo, quod gentiles ad ejus regnum vocantur, est indebita omnino gratia. Eph. 2, v. 11: *Memores estote, quod aliquando eratis gentes in carne*, v. 12: *quo tempore eratis sine Christo, alieni a politia Israëlis, peregrini a testamentis promissionis, spem non habentes et sine Deo in hoc mundo;* v. 13: *nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi;* v. 14: *ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum et medium parietem maceriae solvit.* Israëlitae parietis intergerini septo a gentilibus erant distincti, ex parte Israëlitarum erant adoptio filiorum, gloria, testamenta, legislatio, cultus, promissiones Roman. 9, v. 4. gentiles ab hisce omnibus exclusi erant, sed Christus parietem illum removit gentes ad participationem illorum beneficiorum et consortium regni sui vocando. 1. Petri 2, v. 9: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui ex tenebris vocavit vos in admirabile suum lumen;* v. 10: *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.*

2. Vocatio est gratuita. 44. Atqui hoc primum est, quod de vocatione ad ecclesiam notandum, eam scilicet esse catholicam sive universalem; alterum est, quod sit vocatio mere gratuita, id quod conditio et qualitas vocatorum manifesta comprobat. Gentiles quod attinet, de eorum vocatione dubitari plane nequit, esse eam modis omnibus gratuitam et plane indebitam, siquidem ante vocationem suam *sedent in tenebris et habitant in regione umbrae mortis* Esa. 9, v. 2. Matth. 4, v. 16. *imo sunt tenebrae* Eph. 5, v. 8. *sunt sine Deo, sine promissionibus* Eph. 2, v. 12. ergo nullum omnino locum hic habet cogitatio de meritis vocationem antegressis. Israëlitas quod attinet, illorum vocatio non minus gratuita plane censeri debet. Quamvis enim Deus illos elegerit in populum peculiarem et hac ratione ab omnibus gentibus reliquis separaverit, tamen electio illa est opus merae gratiae et exuberantis misericordiae Deuter. 7, v. 7. Quamvis egregiae promissiones illis fuerint datae, propter quas primi omnium ad beneficiorum et regni Christi consortium sunt vocati Actor. 13, v. 46. tamen cum illae ipsae promissiones ex gratia fuerint datae, ideo meritum ac debitum aliquod proprie sic dictum neutiquam inferunt, sed tam Judaeorum quam gentilium respectu perpetuae et immotae veritatis manet illud apostolicum 2. Tim. 1, v. 9: *Deus vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Itemque alterum illud Rom. 9, v. 16: *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei.* Proinde quod Rom. 15, v. 9. gentes jubentur *Deum glorificare propter misericordiam, Israëlitae propter veritatem suam*, id nequaquam accipiendum est exclusive, quasi gentilium duntaxat vocatio sit opus divinae misericordiae, non Judaeorum; sed comparate, quod scilicet in vocatione gentilium longe uberius et manifestius divi- XI. 49.
tias suae bonitatis et misericordiae Deus notas fecerit. Cum enim promissiones Israëlitis factae ex mera gratia processerint, ideo ipsorum quoque vocatio est et manet gratuita; vicissim cum vocatio gentilium vaticiniis V. T. itidem fuerit praenuntiata, ideo etiam ipsi propter veritatem illarum promissionum Deum glorificare et possunt et debent.

45. Tertium mebrum erat, quod vocatio ad ecclesiam sit seria, de quo dubitare nemo poterit, 3. Vocatio est seria.
nisi 1. ipsam Dei veritatem in dubium vocare velit. Extreme enim veracitati Dei in Scripturis toties depraedicatae Deut. 32, v. 4. Joh. 3, v. 33. Rom. 3, v. 4. Apoc. 6, v. 10. etc. repugnat fucata illa hypocrisis, quae ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶ, ἄλλο δὲ εἶπεν, *Ore aliud profert, aliud sed pectore condit.* 2. Neve ulla dubitatio restaret, quod Deus ad ecclesiam et regnum gratiae serio vocet, quoscunque vocat, ideo solenni juramento id confirmat. Ezech. 33, v. 11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, non delector morte impii, sed ut convertatur a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, quare moriemini domus Israël?* Propter nos, propter nos inquam, jurat qui est ipsa veritas, *abundantius enim ostendere volens haeredibus promissionis immobilitatem consilii sui interposuit juramentum, ut per duas res immobiles (in quibus impossibile est Deum mentiri) fortissimum solatium habeamus*, Hebr. 6,

Digitized by Google

v. 17. et 18. 3. Id ipsum etiam comprobant parabolae salvatoris. Matth. 21, v. 41. paterfamilias perdit illos vineae colonos, qui et servos et filium ipsius fructum exigentes occiderant, utique ergo serio voluit, ipos in vinea copiosos fructus facere. Matth. 22, v. 7. rex irascitur, cum invitati ad nuptias filii comparere detrectarent, utique ergo serio voluit, ipsos in nuptiis comparere et propositis epulis perfrui, nec fuerunt solum verba honoris. Luc. 14, v. 21. paterfamilias irascitur, quod vocati ad coenam frivolas excusationes obvertunt, quominus ad eam veniant, utique ergo venire eos serio voluit, alias ira illa esset hypocritica et simulatoria, cujus contrarium illius effectus et consequens, poenae scilicet gravitas ostendit. 4. Consideremus etiam lacrymas Christi, quae non fuerunt in ore solum natae, sed ex imo cordis fundo profusae, quarum causas ipse verbis disertis exponit Luc. 19, v. 41: *Cum appropinquaret videns civitatem flevit super eam*; v. 42. dicens: *si cognovisses et quidem hac die tua, quae ad pacem tuam pertinent* etc. Quid? num ex Christi lacrymis crocodili lacrymas faciemus? de eo enim referunt naturae consulti, quod conspecto homine lacrymas prius emittat, mox tamen eundem devoret. 5. Maxime vero omnium seriae vocationis veritatem probat pretiosa passio et mors Christi salvatoris. Quia enim Deus Filium suum dedit toti mundo Joh. 3, v. 16. et quia Filius se ipsum dedit pretium redemtionis pro omnibus 1. Tim. 2, v. 6. ideo etiam beneficia Filii in verbo evangelii serio omnibus offeruntur, qua de re alibi latius fuit actum.

Antithesis Calvinianorum.

46. Serio igitur detestamur errores Calvinianorum, quos de hoc doctrinae coelestis capite, de vocatione scilicet ad ecclesiam, fovent et multos et magnos. Quia enim fabricam absoluti decreti reprobatorii potenter hac doctrina everti vident, ideo pestilentissimis corruptelis eandem depravant. 1. Negant, *vocationem hominum ad ecclesiam esse universalem*, id quod sic interpretantur, partem hominum maximam esse a Deo absoluto quodam odio a salute rejectam atque illos vel plane non vocari, vel non efficaciter a Deo vocari. 2. Unde distinguunt *inter vocationem internam et externam;* inter *vocationem efficacem et inefficacem*, quam distinctionem sic interpretantur, quod multi vocentur per verbum, quos tamen Deus venire nolit, quippe quos absoluto decreto rejecerit, causam enim illius praeteritionis atque illius (ut sic loquar) inefficaciae statuunt in absoluto decreto reprobatio-
XI. 50. nis. 3. Quando opponuntur illis universalia Scripturae pronuntiata, quod Deus omnes invitet ac vocet, distinguunt *inter voluntatem signi et beneplaciti*, inter *voluntatem revelatam et absconditam*, quam distinctionem sic exponunt, quod Deus in verbo quidem testetur, se omnes vocare et omnes velle venire, atque hanc esse voluntatem signi et voluntatem revelatam; interim tamen absconditae voluntatis respectu ipsum nolle, ut veniant, ut convertantur, ut salventur. 4. Quando ad comprobandam seriae vocationis veritatem opponuntur illis Scripturae dicta de universali Christi merito, **distinguunt** *inter meriti sufficientiam et efficaciam*, quam distinctionem sic exponunt, quod non quidem defecisset morti Christi vis satisfaciendi pro omnibus omnium hominum peccatis, si ad hoc fuisset a Deo destinata; sed hoc consilium et hanc voluntatem Deo et Christo nunquam constitisse. 5. *Πρῶτον ψεῦδος* illius opinionis, quod Deus nequaquam serio omnes vocet, quoscunque vocat, in eo consistit, quod a ministerio verbi et sacramentorum externo interiorem efficaciam Spiritus sancti separant et ad solos eos, quos absoluto decreto electos fingunt, eam restringunt, cum tamen praedicatio verbi et usus sacramentorum sit efficax illud medium, per quod Deus in cordibus omnium, qui Spiritui sancto non repugnant, serio velit conversionem ad salutem operari. 6. Quando opponuntur illis dicta Scripturae de efficacia verbi et sacramentorum, respondent, per *phrasin sacramentalem ministerio verbi externo cohonestandi illius causa effectum interni ministerii tribui.* 7. Denique *internam et efficacem vocationem electorum duntaxat propriam esse statuunt*, et eos, qui hoc modo semel vocati sunt, postea nunquam ex gratia Dei excidere ac fidem amittere posse. Quos errores omnes et singulos doctrinae de vocatione diserte repugnantes propriis Calvinianorum doctorum verbis alibi expositos ad orcum usque damnamus.

CAPUT VI.

DE MATERIA ECCLESIAE, HOC EST EX QUIBUS HOMINIBUS ECCLESIA CONSTET.

Duo hominum genera in ecclesia congregantur.

47. Qui per vocationem in ecclesiae coetum congregantur, sunt in duplici differentia. Quidam enim interius per Spiritum sanctum regenerantur, renovantur, vera fide donantur, illuminantur, sanctificantur, Christo inseruntur et hac ratione fiunt vera et viva ecclesiae membra. Quidam vero externa tantum societate, quae in professione fidei et usu sacramentorum consistit, coetui vocatorum, hoc est ecclesiae visibili sese conjungunt interna, regeneratione et sanctitate destituti. Illi sunt vera et viva ecclesiae membra, quae a Christo capite vitam ac spiritum hauriunt; hi sunt membra putrida et emortua; illi pertinent ad ecclesiam, interne hi externe duntaxat; illi simpliciter, proprie et univoce, hi secundum quid, improprie, *καταχρηστικῶς* et *ὁμωνύμως;* illi respectu interioris et spiritualis cum Christo conjunctionis, hi respectu externae consuetudinis, professionis et societatis cum coetu vocatorum; illi in corde, hi in externa specie; illi *ὄντως*, hi *οἰομένως;* illi judicio Dei, hi judicio hominum; illi ut de anima et corpore ecclesiae pariter; hi de corpore et non de anima; illi ut verae et sanae corporis partes, hi ut scabies et mali

Digitized by Google

in corpore humores etc. Id Christus in parabola de invitatis et comparentibus ad nuptias declarat similitudine *vestis nuptialis* Matth. 22, v. 11. Quidam inter hospites nuptialis convivii induti sunt veste nuptiali, quidam vero ea carentes reliquis hospitibus nihilominus sese intermiscent, hoc est in externo ecclesiae coetu, in numero vocatorum sunt quidam *boni*, quidam *mali*, ut Christus ibidem loquitur, siquidem *in hoc uno*, *qui veste nuptiali caret*, *grande corpus figuratur omnium malorum ante Domini judicium convivio Dominico permix-*
XI. 51. *torum*, interprete Augustino contra Donatist. post collat. c. 20. Inde Augustana confessio, cum art. 7. ecclesiam definivisset, esse *congregationem sanctorum*, *in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta*, art. 8. subjungit: *Quanquam ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium*, *tamen cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint*, *licet uti sacramentis*, *quae per malos administrantur* etc.

Esse in externo ecclesiae coetu quosdam non sanctos.

48. Duo igitur demonstranda nobis sunt hoc loco, primo, quod in coetu ecclesiae externo multi sint non sancti; secundo, quod ecclesia proprie et principaliter sic dicta sit congregatio sanctorum. Circa primum membrum notat D. Chemnicius, quod libentius uti debeamus particula *non sancti* quam alia. Si enim diceretur, in illo coetu multos esse impios, posset hoc intelligi de manifestis doctrinae falsariis et manifeste sceleratis, quos ab ecclesia excludendos et rejiciendos scimus; item de abjicientibus, persequentibus et obstinate negantibus Verbum, quos ecclesiae membra esse nemo dixerit. Si diceretur, in illo coetu multos esse non renatos, tum intelligi potest de iis, qui non sunt baptizati, baptismus enim est ordinarium membrum regenerationis, Tit. 3, v. 5. ideo dicendum, in externo ecclesiae coetu esse multos non sanctos sive hypocritas. Notandum igitur, quod illi non-sancti ecclesiae coetui intermixti professioni doctrinae consentiant atque iisdem sacramentis utantur, quia obstinatos haereticos et manifeste sceleratos excommunicatione a sese separat ecclesia. Veritas prioris illius membri demonstratur 1. manifestis Scripturae testimoniis, Matth. 7, v. 21: *Non omnis*, *qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum*, *sed qui facit voluntatem Patris mei*, *qui in coelis est*. Matth. 18, v. 7: *Necesse est*, *ut veniant scandala* (in ipso regno coelorum, hoc est in ecclesia, de eo enim Christus ibidem tractat). Parabolae de distinctis operariis in vinea Matth. 20, v. 16. Christus hoc epiphonema subjicit: *multi sunt vocati*, *pauci vero electi*. Idem repetit Matth. 22, v. 14. post parabolam de nuptiis filii regis, in quibus quidam comparet non indutus veste nuptiali. Joh. 8, v. 39: *Si filii Abrahae essetis*, *opera Abrahae faceretis*. Actor. 20, v. 30: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa*. Rom. 2, v. 28: *Non qui in manifesto, Judaeus est*, *neque quae in manifesto*, *in carne circumcisio est;* v. 29: *sed qui in abscondito*, *Judaeus est*, *et circumcisio cordis in spiritu*, *non litera*, *cujus laus non ex hominibus*, *sed ex Deo est*. Rom. 9, v. 6: *Non omnes*, *qui ex Israël*, *ii sunt Israëlitae ;* v. 8: *non qui filii carnis*, *hi sunt filii Dei*, *sed qui filii sunt promissionis*, *aestimantur in semine*. 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet esse haereses inter vos*. 2. Variis Christi salvatoris parabolis. Confert enim regnum coelorum Matth. 13, v. 24. *agro*, in quo non solum crescit triticum, sed etiam zizania, quae penitus inde eradicari non possunt ante tempus messis, hoc est ante extremum judicium (hanc parabolam Christus ipse exponit hoc modo v. 37: *Qui seminat bonum semen*, *est filius hominis;* v. 38: *ager est mundus*, *bonum semen sunt filii regni*, *zizania autem sunt filii nequam* etc. ac late eam explicant Cyprianus in epist. ad Antonian. de Novatiano et Augustinus tract. 61. in Joh. de fide et operibus c. 5.). v. 47. *verriculo*, quod attrahit et capit omnis generis pisces, bonos et malos, ac segregatio fit demum in littore (hanc parabolam itidem exposuit ipse Christus v. 49: *In consummatione seculi exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum*. Gregorius homil. 11. in evang.: *Nunc bonos et malos communiter quasi permixtos pisces fidei sagena nos continet*, *sed littus indicat*, *ecclesiae sagena quid trahebat*. Chrysostomus sermon. 47: *Pisces congregat captura confusos*, *sed in vase discretio dat electos; sic vocatio Christianos justos et injustos*, *malos bonosque congregat*, *sed bonos malosque electio divina discernit.)* Matth. 3, v. 12. ecclesia dicitur similis *areae*, in qua et triticum et paleae deponuntur, sed in extremo judicio permundabitur area tritico in horreum coeleste congregato, paleis vero igne inexstinguibili combustis. Augustinus tract. 6. XI. 52.
in Joh.: *Nos fatemur in ecclesia catholica*, *et bonos et malos esse*, *sed tanquam paleas et grana*. Fulgentius de fide ad Petrum c. 43: *Firmissime tene et nullatenus dubites*, *aream Dei esse catholicam ecclesiam*, *et intra eam usque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri*, *hoc est bonis malos sacramentorum communione misceri*. Matth. 22, v. 10. regnum coelorum simile est *convivio nuptiali*, in quo conveniunt boni et mali non habentes vestem nuptialem. Matth. 25, v. 1. ad nuptias invitatae sunt *virgines fatuae et prudentes;* Joh. 10, v. 1. ecclesia assimilatur *ovili*, in quo sunt oves et hoedi; et licet Dominus *judicet inter pecus et pecus*, *inter arietes et hircos*, Ezech. 34, v. 17. tamen plena segregatio demum futura est in die novissimo, quando Christus electos a reprobis separabit, *sicut pastor segregat oves ab hoedis*, Matth. 25, v. 32. Joh. 15, v. 1. et seqq. utitur Christus parabola *vitis*. Ut autem in vite quidam palmites virent et succum ex vite trahunt, quidam vero arescunt; sic in corpore ecclesiae quidam Spiritum vitae a Christo trahunt, quidam vero sunt aridi et infrugiferi palmites. 3. Similitudinibus aliis a Spiritu sancto propositis. Ecclesia est *magna domus Dei*, 1. Tim. 3, v. 15: *In magna autem domo sunt non solum vasa aurea et argentea*, *sed et lignea*

Digitized by Google

ac fictilia, quaedam quidem in honorem, quaedam vero in ignominiam. Ecclesia est *hortus Dei* Cant. 4, v. 12. in hoc horto sunt non solum arbores frugiferae, vere pii et credentes, qui vocantur *arbores justitiae* Esa. 61, v. 11. *quae plantatae secus decursus aquarum ferunt fructum in tempore suo* Psalm. 1, v. 3. sed etiam steriles et infrugiferae, quibus parata est excisio, Matth. 3, v. 10. Luc. 13, v. 7. imo ut una arbor alios ramos habet virides et fructum ferentes, alios vero aridos; sic ecclesia aliqua membra habet viridia ferentia fructum bonorum operum; aliqua vero putrida et emortua, verborum foliis duntaxat luxuriantia. Ecclesia est *Dei civitas*, ut ostensum fuit superius; jam vero in civitate mali commixti sunt bonis etc. 4. Typis et exemplis. *Ut in arca Noae fuerunt omnia animalium genera, pardus et hoedi, lupus et agni; sic in ecclesia sunt peccatores et justi*, Hieronymus adv. Lucifer. ultra medium. In familiis patriarcharum, hoc est in domestica ecclesia Adami, Noae, Abrahami, Isaaci et Jacobi invenies Cainum et Abelem, Semum et Chamum, Isaacum et Ismaëlem, Jacobum et Esavum, Josephum et Rubenem etc. Augustinus in epist. ad Vincent. Donatist. et citatur can. 9. dist. 47: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meae, homo sum et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noae, ubi inter octo homines unus reprobus inventus est; aut melior sit, quam domus Abrahae, cui dictum est: ejice ancillam et filium ejus; aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi, Esau vero odio habui* etc. Jos. 15, v. 63: *Jebusaei habitarunt cum Israëlitis in Jerusalem usque in praesentem diem.* Imo in sanctissimo apostolorum collegio fuit Judas Christi proditor, quem *diabolum* vocat Joh. 6, v. 70. Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 49: *Habuit Christus inter discipulos unum, quo malo utens bene et suae passionis dispositionem impleret et ecclesiae suae tolerandorum malorum exemplum praeberet.* In ecclesiis Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Sardensium et Laodicensium non-sanctos fuisse vere piis intermixtos ex epistolis ad Galat. Corinth. Ephes. et ex Apoc. 2 et 3. capp. constat. 5. Huc pertinent libri Augustini contra Donatistas et Pelagianos ac disputationes veterum contra Novatianos sive Catharos. *Huc* (in hac vita) *cum Hierosolymitanis habitat Jebusaeus, hic in horto patrisfamilias simul sunt saliunca et abies, urtica et myrtus; in grege Jacobi animalia alba et nigra, agni et hoedi; in reti Petri pisces boni et mali; in agro Domini lilia inter spinas; in area Domini granum cum palea; in cella Christi vinum cum agresta, oleum cum amurca; in arca Noae animalia munda et immunda.*

XI. 53. 49. Opponendum est hoc membrum *1. Audaeanis*, quorum factio magnam vitae innocentiam ac castitatem simulans a communitate ecclesiastica se propterea recedere dicebat, quod in illa ferrentur foeneratores et impuri, ut dicitur in catalogo haeresium Theodoreti historiae subjecto. Theodoretus lib. 4. hist. c. 10. de illis sic scribit: *Ipsum institutum arrogantiae plenum et quaedam pharisaicae doctrinae posteritas est Nam Pharisaei accusabant animorum et corporum medicum dicentes sanctis apostolis: Cur magister vester cibum capit cum publicanis et peccatoribus? Et per prophetam quoque de talibus ait Deus: Qui dicunt, purus sum, ne me attingas, hic est fumus irae meae. 2. Novatianis*, a Novato sic dictis, qui nefariam ab ecclesia secessionem fecerunt propter quorundam apostasian tempore persecutionis. Epiphanius lib. 2. tom. 1. haeres. 59: *Novatus Romae fuit tempore persecutionis, quae ante Maximinum prima fuit, is ab occasione eorum, qui in persecutione lapsi sunt, arrogantia elatus cum sociis sibi allectis noluit societatem habere cum poenitentiam agentibus a persecutione* etc. Cyprianus lib. 4. epist. 2. paulo ante finem: *Quantus arrogantiae tumor est, quanta humilitatis et lenitatis oblivio, arrogantiae suae quanta jactatio, ut quis aut audeat aut facere se posse credat, quod nec apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi* (Novato) *paleam ferre et aream purgare concessum sit, paleas a tritico conetur separare, cumque apostolis dicat: in domo autem magna non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; aurea et argentea vasa videatur eligere, lignea vero et fictilia contemnere et abjicere, cum non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur et fictilia ab eo, cui data est virga ferrea, frangantur.* Iidem dicti fuerunt Cathari. Augustinus de haeres. ad Quodvuld. c. 38: *Cathari, qui se ipsos isto nomine quasi propter mundiciem superbissime atque odiosissime nominant, Novatum sectantur haereticum,* XI. 54. *unde etiam Novatiani appellantur. 3. Donatistis*, de quibus Augustinus de haeres. c. 69: *Donatiani vel Donatistae primum propter Caecilianum contra suam voluntatem ordinatum ecclesiae Carthaginensis episcopum schisma fecerunt objicientes ei crimina non probata* etc. *Postea in haeresin schisma verterunt, tanquam ecclesia Christi propter crimina Caeciliani de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est atque in Africa Donati parte remanserit in aliis terrarum partibus quasi contagione communionis exstincta. 4. Anabaptistis*, qui negant, coetum illum esse ecclesiam, cui admixti sunt non-sancti; negant etiam, Spiritum sanctum esse efficacem per ministerium eorum, quorum vita non respondet doctrinae professioni. Schmaltzius in refut. thesium Frantzii disp. 8. p. 274. contendit, *partem illam definitionis, quod mali et hypocritae sint ecclesiae in hac vita admixti, plane omitti posse, cum non sit necesse tales esse in visibili ecclesia, sine talibus saltem natura ejus inspecta esse possit.* Atqui nequaquam hoc sensu in definitione ecclesiae dicimus, quod mali et hypocritae sint ei admixti, quasi hoc sit ecclesiae essentiale, ita ut plane non sit ecclesia, nisi tales sint admixti, sed quia mixtio

hypocritarum vix potest ab ecclesia separari, per quam tamen ecclesiae veritati nihil decedit.

Ecclesiam proprie esse congregationem sanctorum.

50. Posterius membrum, quod ecclesia proprie sit congregatio sanctorum, contra Pontificios demonstratur hisce fundamentis: 1. Ecclesia in Scripturis sacris dicitur *corpus Christi mysticum*, Rom. 12, v. 5. 1. Cor. 10, v. 17. c. 12, v. 27. Ephes. 1, v. 23. Coloss. 1, v. 18. etc. Ut ergo in corpore humano unumquodque verum membrum animatur et regitur spiritu vitae, et vicissim quidquid in corpore humano non animatur ac regitur spiritu vitae, illud non est membrum corporis nisi ὁμωνύμως ac aequivoce; sic quicunque est verum et genuinum corporis illius mystici membrum, regitur a Spiritu sancto, et vicissim quicunque non habet inhabitantem Spiritum sanctum, a quo regitur, ille non est verum et genuinum corporis mystici membrum. 1. Cor. 6, v. 15: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* v. 19: *Nescitis, quoniam corpus vestrum est templum Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* Augustinus lib. 2. contra Crescon. c. 34: *Mali cum sint a bonis vita moribusque spiritualiter separati, corporaliter tamen cum iis in ecclesia videntur esse permixti usque in diem judicii, quo etiam die corporaliter debitas separabuntur ad poenas.* (Ecclesia catholica est corpus mysticum et spirituale. Ergo omnia ejus membra vinculo Spiritus sunt conjuncta, quod cum de malis dici non possit, non erunt corporis hujus membra proprie sic dicta.) lib. 3. de doctr. Christ. c. 32: *Non est revera corpus Domini, quod cum illo non manet in aeternum.* Regerit Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 9. *malos esse membra mortua et arida, nihilo tamen minus vera ecclesiae membra.* Sed manifestum est, membra arida et mortua aequivoce tantum esse membra, sicut homo pictus aequivoce tantum homo est. Spiritus s. membra hujus corporis sic describit, ut malis non possit descriptio illa convenire. Eph. 1, v. 22. ecclesia vocatur non solum *corpus Christi*, sed etiam πλήρωμα, *complementum, corporis*; jam vero membra arida et mortua non complent aut perficiunt corpus, sed potius illud onerant. Ephes. 4, v. 16. totum ecclesiae corpus dicitur *congruenter coagmentatum et compactum per omnem subministrationis juncturam juxta vim intus agentem pro mensura uniuscuiusque membri;* sed de mortuis et aridis membris hoc dici nequit, illa enim non sunt corpori per Spiritum vitae coagmentata, in illis non est ἀφή nec ἐνέργεια, eadem etiam nullum capiunt
XI. 55. incrementum. Col. 2, v. 19. de hoc mystico corpore dicitur, quod *per commissuras et compages suppeditatum et compactum augescat augmento Dei;* atqui arida et mortua membra nec cum capite, nec cum reliquis corporis membris sunt coagmentata, nec augescunt augmento Dei etc. Vera igitur ac viva Christi et ecclesiae membra non sunt, qui non reguntur Spiritu Christi, quod vi veritatis coactus agnoscit ipse Costerus in apolog. part. 3. c. 12: *Ex hoc loco pius Doctor Hugo alludens ad corpus humanum, cui est simile corpus ecclesiae, dicit, qui non habet Spiritum Christi, eum non esse Christi membrum. Nihil in hoc corpore mortuum, nihil extra corpus vivum. Verum est, si enim Christiani justi in membris soli habeantur, non mirum; tum quia in illis solis est Spiritus sanctus, sicut scriptum est: Qui Spiritum Christi non habet, is non est ejus; tum quia omnia ad illorum commoda referuntur* etc. Anglo-Remenses annot. 1. Joh. 2. sect. 10. agnoscunt, *impios in ecclesia potius esse tanquam humores pravos et superflua excrementa in corpore, quam ulla illius viva membra sive partes.* 2. Vera ecclesiae membra sunt etiam filii Dei, quia ecclesia est mater omnium vere credentium. Jam vero filii Dei sic describuntur, quod sint *ex Deo nati* Johan. 1, v. 12. quod sint *Dei haeredes et cohaeredes Christi*, Rom. 8, v. 17. quod *ducantur Spiritu Dei* v. 14. quod *imitentur opera Patris sui coelestis* Matth. 5, v. 45. ac manifeste additur oppositio Rom. 8, v. 9: *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Matth. 7, v. 23: *Nunquam novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Manifestum autem est, proprietates illas filiorum Dei non convenire omnibus vocatis, qui sunt in externa ecclesiae societate. Ergo non omnes vocati pertinent ad coetum filiorum Dei, hoc est ad ecclesiam proprie et principaliter sic dictam. Bellarminus l. d. regerit, *filii nomen tripliciter sumi, primo ratione productionis, secundo ratione imitationis, tertio ratione doctrinae; malos esse Dei filios, non quidem ratione regenerationis, sed tamen ratione doctrinae, idque sufficere, ut possint dici ecclesiae filii.* Respondemus: quando dicitur, non habere ecclesiam matrem, qui non habet Deum patrem, intelligendum id est de filiis, qui regeneratione tales sunt, non sola doctrina, qui enim nec regeneratione nec imitatione, sed sola doctrina filii sunt, illi sunt filii diaboli, non autem filii Dei et ecclesiae catholicae proprie sic dicti. 3. Veri ecclesiae cives sunt etiam Christi oves. Jam vero Christi oves sic describuntur Joh. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me;* v. 28: *et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Haec descriptio non competit omnibus illis, qui sunt in coetu vocatorum sive externa societate ecclesiae conjuncti, sed solis vere credentibus, siquidem in coetu vocatorum ovibus intermixti sunt foetidi hirci, quos coelestis ἀρχιποιμὴν in die novissimo invicem separabit Matth. 25, v. 32. Ergo non omnes vocati, sive quod idem est, non omnes illi, qui sunt in externa ecclesiae societate, sunt verae oves Christi ac vera ecclesiae membra. Toletus Jesuita in comm. Joh. 10: *Animadvertendum est, quamvis generaliter sint oves Christi, qui in Christum credunt, tamen particulariter hic Christus loquitur de praedestinatis atque electis, qui oves in aeternum sunt futurae.* Probat hanc Toleti explicationem ipse textus, qui de ovibus Christi asserit, quod Christum sequantur in fide et vita, quod vitam aeternam accipiant etc. Frustra igitur distinguit Bellarminus inter significationem voca-

Digitized by Google

buli ovium. *Oves* (inquit) *aliquando promiscue sumuntur tam pro bonis quam malis, ut Johan. 21: pasce oves meas*; *aliquando pro praedestinatis tantum, ut Joh. 10: oves meae vocem meam audiunt.* At sufficit nobis, quod concedit Johan. 10, v. 27. pro praedestinatis tantum vocabulum hoc accipi, additur enim v. 16: *Fiet unus grex et unus pastor.* Ergo praedestinati ad gregem catholicae ecclesiae duntaxat pertinent. 4. Prophetae et apostoli saepius ita loquuntur de ecclesia, ut illa encomia non possint referri ad totum coetum vocatorum, qui complectitur bonos et malos, triticum et zizania, pisces bonos et
XI. 56. putres etc. juxta salvatoris parabolas; necessario igitur vera quaedam ecclesia proprie ac κυρίως sic dicta statuenda est, cui πρώτως et ἀμέσως illa encomia et attributa competant, omne enim praedicatum requirit subjectum, cui per se, proprie et immediate tribuatur, reliquis vero non nisi κατ' ἄλλο et propter primum ac principale illud subjectum tribuitur. Antecedens ex multis Scripturae testimoniis confirmari potest. Psalm 45, v. 14: *Omnis gloria filiae regis est intrinsecus* sive interna; jam vero non omnes qui sunt in externa ecclesiae societate, interius decorati sunt virtutibus et Spiritus sancti charismasi. Cant. 4, v. 7: *Tota pulchra es amica mea et macula non est in te.* Esa. 52, v. 1. *Consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriae tuae Jerusalem civitas sancta, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Ezech. 44, v. 9: *Haec dicit Dominus Deus: omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum.* Joël. 3, v. 22: *Ego Dominus Deus vester habitans in Sion in monte sancto meo et erit Jerusalem sancta et alieni non transibunt per eam amplius.* Jam vero in externa ecclesiae societate sunt multi incircumcisi corde et auribus. Matth. 16, v. 18: *Portae inferorum non praevalebunt adversus ecclesiam.* Jam vero contra multos externa societate ecclesiae conjunctos praevalent inferorum portae, id est Satanas eos evertit et perdit suis tentationibus. Ferus in c. 16. Matthaei: *Non loquitur de ecclesia, sicut communiter sumitur pro his, qui Christiani dicuntur, sive boni sint sive mali, sed de ecclesia secundum Spiritum, quae solos electos complectitur.* Cajetanus in comm. ejusd. loci: *Adversus ecclesiam, quae constat ex congregatione fidelium una fide, spe et caritate.* 1. Tim. 3, v. 15. ecclesia est *domus Dei.* Jam vero tum demum sumus domus Dei, si *fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus* Hebr. 3, v. 6. Ecclesia in V. ac N. T. passim dicitur *Christi sponsa* Cant. 4, v. 10. Esa. 61, v. 10. Johan. 3, v. 29. 2. Corinth. 11, v. 2. Jam vero ut in V. T. sacerdotum sponsae erant virgines Levit. 21, v. 13. Ezech. 44, v. 12. sic Christus summus N. T. sacerdos illas solum animas in sponsam et ecclesiam eligit, quae fidei virginitate praestantes ab adulterinis Satanae, mundi et carnis amplexibus abstinent. Unde Joh. Wiclefus in tract. contra fratres sive monachos c. 39. sic scribit: *Fratres hunc articulum fidei Christianae destruunt: Credo ecclesiam catholicam. Docent enim, homines damnandos esse membra ecclesiae sanctae et sic diabolum cum Christo connubio jungunt.* 5. Apostolus Rom. 8, v. 29. et 30. sic describit veram ecclesiam et vera ecclesiae membra, ut descriptio illa non possit tribui omnibus, qui ad externam ecclesiae societatem pertinent: *Quos Deus praescivit, illos etiam praedestinavit conformes fieri imagini filii sui; quos praedestinavit, hos et vocavit; quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Jam vero non omnes vocati sunt praedestinati, non omnes justificantur et glorificantur, ergo non omnes vocati pertinent ad ecclesiam proprie et principaliter sic dictam. Toletus Jesuita in illum locum: *Praedestinatos Deus vocavit in tempore, vocatos justificavit a peccatis, justificatos glorificavit et ad regnum coeleste perduxit.* 6. Idem Rom. 2, v. 28. et 29. distinguit inter *Judaeum in manifesto et Judaeum in abscondito*, illum aestimandum dicit ex circumcisione externa, hunc vero ex circumcisione interna. Quemadmodum igitur is demum est verus Judaeus, qui in abscondito Judaeus est corde circumcisus; sic is demum est verus Christianus et verum ecclesiae Christianae membrum, qui in abscondito Christianus est et spiritualis circumcisionis particeps. Quo pertinet, quod Petrus 1. epist. 3, v. 4. Christianas mulieres, quae partem ecclesiae Christi in his terris constituunt, graviter admonet, dent operam, ut *ornatus earum sit absconditus homo cordis,* etc. 7. Idem Petrus spirituale aedificium ecclesiae sic describit, 1. epist. 2, v. 5: *Accedentes ad lapidem vivum etiam ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum.* Jam vero XI. 57.
non omnibus vocatis competit haec descriptio, neque enim omnes ut lapides superaedificantur Christo, neque omnes offerunt Deo spirituales hostias. Ergo non omnes vocati pertinent ad aedificium ecclesiae κυρίως et proprie sic dictae. 8. Ecclesia catholica dicitur mater nostra et *quae sursum est Jerusalem* Galat. 4, v. 26. Sed ea, quae sursum est Jerusalem, *nihil habet aut abominandum, sed eos qui scripti sunt in libro vitae agni* Apoc. 21, v. 27. Ergo ecclesia catholica nihil habet abonimandum, sed sanctos tantum et scriptos in libro vitae agni. 9. Ecclesia eo nomine appellatur, quia est ex mundo *evocata.* Ergo qui adhuc sunt *de mundo,* hoc est qui nondum regeniti, sanctificati et renovati, sed in mundanis et carnalibus concupiscentiis toti adhuc immersi sunt, illi non sunt vera ecclesiae membra. Roman. 8, v. 9: *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Qui non est Christi, ille etiam non est ecclesiae catholicae verum membrum, quia caput ecclesiae est Christus. Ergo qui non habet Spiritum Christi, non est ecclesiae catholicae verum membrum. 1. Cor. 12, v. 13: *In uno Spiritu in unum corpus nos omnes baptizati sumus.* Ergo in quibus non est Christi Spiritus (sive ut Bellarminus loquitur, in quibus nulla est interna

Digitized by Google

virtus), illi non pertinent ad corpus mysticum, quod est ecclesia; patrum dicta paulo post subjicientur, §. scilicet 78.

Antithesis Bellarmini. 51. Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 2. definiturus ecclesiam ac ostensurus, quinam ad ecclesiam pertineant, quinque sententias, quas *haereticas* vocat, primo loco recenset, quibus suam, quam *catholicam* appellat, postea subjungit. Inter haereticas sententias primam ponit eam, *quod ecclesia sit congregatio tantum praedestinatorum*, quam tribuit Wiclefo et Husso; secunda est, *quod ecclesia sit hominum perfectorum tantum et nullum peccatum habentium multitudo*, quam tribuit Pelagianis et Anabaptistis; tertia est, *quod ecclesia sit justorum tantum*, *hoc est eorum*, *qui nunquam lapsi sint circa fidei confessionem*, quam tribuit Novatianis et Donatistis; quarta est, *quod ecclesia sit congregatio sanctorum, qui vere credunt et obediunt Deo*, quam tribuit Confessionistis, hoc est illis, qui Augustanam confessionem amplectuntur; quinta est, *quod ecclesia constet ex solis justis praedestinatis*, quam tribuit Calvino. Respondemus: 1. Nostra sententia in confessione Augustana satis perspicue exposita est, quod scilicet vere et proprie sic dicta ecclesia sit congregatio sanctorum et vere credentium, cui tamen in hac vita multi hypocritae et non sancti externa societate sint admixti. Statuimus igitur, hypocritas, impios, occultos infideles ac omnes omnino reprobos, quamdiu tales sunt et manent, non esse vera verae ecclesiae membra, quamvis exterius eandem cum sanctis fidem profiteantur et iisdem sacramentis utantur; in externo ecclesiae coetu locum illis quandoque relinqui concedimus, sed ad internam et spiritualem ecclesiae proprie sic dictae societatem eos pertinere negamus. 2. Cum Pelagianis, Donatistis, Novatianis et Anabaptistis nihil nobis commune est, ut probe constat Bellarmino. 3. Quando quidam nostrorum dicunt, *ecclesiam esse coetum praedestinatorum sive electorum*, tunc termino illo non utuntur proprie et stricte pro solis in fide perseverantibus ad finem usque vitae, prout Scriptura electos proprie sic dictos definit, nec utuntur eo pro electis absoluto quodam Dei decreto, prout Calviniani electos definiunt, sed late et improprie pro *omnibus vere credentibus*, *renatis ac sanctis*, et sic nullum est discrimen inter has duas sententias, quod ecclesia sit congregatio sanctorum et quod ecclesia sit coetus praedestinatorum. 4. Idem judicium est de appellationibus justorum et perfectorum, quae itidem non accipiuntur a nobis sensu Pelagiano, Novatiano, Donatistico et Anabaptistico, sed prout Scriptura justos et perfectos definit, illos scilicet, qui vera fide justitiae Christi participes facti et per Spiritum sanctum regeniti justitiae operum student atque ad perfectionem quotidie contendunt; falsum igitur est, quod *nostra sententia conflata sit ex haeresi Pelagianorum*, *Novatianorum et Donatistarum*, ut audacter Bellarminus
XI. 58 hoc loco calumniatur. 5. Videamus vero, quomodo calumniam suam probare conetur. *Tria*, inquit, *docent Confessionistae*: *primo nullum esse peccatum sua natura veniale*, *sed omnia esse mortalia ex se*, *venialia autem ex Dei misericordia*, *qui credentibus ea non imputat*, *qua in parte convenit eis cum Pelagianis*. Respondemus: De tota hac re in tractatu de peccatis actualibus late fuit dictum et nostram sententiam a Pelagianorum haeresi toto coelo distare demonstratum. *Secundo in Apologia Confessionis docetur*, *peccatores non pertinere ad ecclesiam nisi nomine*, *qua in parte iterum cum Pelagianis ipsis convenit*. *Neque enim obstat, quod malos bonis admixtos esse dicunt*, *nam ipsi duas ecclesias fingunt*, *unam veram et ad quam pertinent privilegia*, *quae narrantur in Scripturis*, *et hanc esse sanctorum congregationem*, *qui vere credunt et obediunt Deo*, *et hanc non esse visibilem*, *nisi oculis fidei; alteram externam*, *quae nomine tantum est ecclesia*, *et hanc esse congregationem hominum convenientium in doctrina fidei et usu sacramentorum et in hac bonos et malos inveniri*. *Itaque malos nunquam volunt esse partes ecclesiae vel de ecclesia*, *sed saltem in ecclesia et bonis misceri*. *Lutherus etiam in lib. de concil. et ecclesia dicit*, *ecclesiam esse populum sanctum Christianum*, *et ut ostendat*, *se loqui de sanctitate singulorum membrorum*, *inde probat*, *papam et cardinales non esse de ecclesia*, *quia non sunt sancti*. *Si ergo soli justi sunt partes verae ecclesiae et omnia peccata*, *quantumvis levia*, *sunt peccata mortalia et faciunt hominem injustum*, *sequitur*, *solos perfectos et omni peccato carentes esse de ecclesia*, *quae erat opinio Pelagianorum*. Respondemus: nequaquam statuimus duas ecclesias, unam veram et internam, alteram nominalem et externam, sed dicimus, ecclesiam unam eandemque totum scilicet coetum vocatorum dupliciter considerari, ἔσωθεν scilicet et ἔξωθεν, sive respectu vocationis et externae societatis in fidei professione et usu sacramentorum consistentis, ac respectu interioris regenerationis, et internae societatis in vinculo Spiritus consistentis; priori modo ac respectu etiam hypocritas et non-sanctos ad ecclesiam pertinere concedimus, sed posteriori modo ac respectu solos vere credentes et sanctos ad eam pertinere dicimus, quae omnia ex sequentibus praesertim ex disputatione de visibilitate et invisibilitate ecclesiae postmodum erunt clariora. Distincte igitur de ecclesia loquimur, cum ipse Spiritus s. in Scripturis sacris distincte de ea loquatur; interdum enim accipitur nomen ecclesiae pro toto coetu vocatorum, in quo omnes, qui externa professione sese aggregant ad auditum verbi et usum sacramentorum, pro ecclesiae illius membris habentur; interdum vero accipitur pro coetu vere fidelium et sanctorum, qui vera fide cordis et interiori regeneratione sunt donati, atqui hi ipsi non sunt extra coetum vocatorum, ut peculiarem et separatam ecclesiam constituant, sed sunt in ipso coetu vocatorum, quibus externa societate sunt conjuncti. Ideo autem tam diligenter inter has duas (non dico *ecclesias*, sed) vocabuli ecclesiae

Digitized by Google

acceptiones distinguimus, ne illi, qui sunt in coetu vocatorum, qui eandem profitentur cum vere credentibus fidem iisdemque utuntur sacramentis fide vera et viva interim destituti, ne (inquam) illi de honorifico ecclesiae nomine sibi blandiantur et ad se pertinere statuant insignes illas promissiones ac honorifica encomia, quae verae ecclesiae sive congregationi sanctorum in Scripturis tribuuntur, neve existiment, se damnari non posse, cum sint membra visibilis ecclesiae, si vel maxime in impoenitentia et hypocrisi secure pergant ab omni verae pietatis studio interim alieni; sed ut intelligant, praeter externam cum ecclesia societatem in professione fidei et usu sacramentorum consistentem, ad illud, ut quis sit verum et vivum ecclesiae membrum, insuper hoc requiri, ut interiori regeneratione ac renovatione per Spiritum sanctum sit donatus. Ideo etiam definimus ecclesiam *congregationem sanctorum*, ne quis existimet, ecclesiam esse tantum externam quandam politiam bonorum et malorum, cum proprie et accurate loquendo sit sancta societas eorum, qui vinculo Spiritus in vera fide et caritate sunt
XI. 59. conjuncti. Nequaquam vero sensu Anabaptistico vel Pelagiano sanctorum appellatione utimur, nec fingimus, veros ecclesiae cives in huius vitae infirmitate esse plane et omnino ἀναμαρτήτους, nec transformamus ecclesiam in ideam Platonicam et inane quoddam φάντασμα mathematica ἀφαιρέσει aestimatum; sed distinguimus inter peccata infirmitatis, cum quibus vera fides, poenitentia et studium sanctitatis consistere possunt, et inter peccata contra conscientiam, per quae desinunt renati esse vera et viva ecclesiae membra, falso enim Bellarminus nobis tribuit, quod statuamus, *omnia peccata, quantumvis levia, esse in renatis actu mortalia et facere eos coram Deo injustos*, cum discrimen inter peccata venialia et mortalia in ecclesiis nostris diligenter urgeamus. Tertia hypothesis, ex qua sententiam nostram Pelagianismi convincere nititur Bellarminus, haec est: *Dicunt Confessionistae* (inquit), *omnia opera hominis, etiam justificati, esse peccata mortalia, ex quo videtur sequi, nullum hominem esse de ecclesia.* Respondemus: Bellarminus tam novit, quam digitos suos, quo sensu a Luthero fuerit dictum, *justum in omni opere bono peccare*, nimirum propter operis imperfectionem et carnis corruptionem renatis perpetuo adhaerentem, nequaquam vero statuimus, omnia bona opera etiam hominis justificati esse peccata mortalia. Cum enim ne quidem omnia peccata renatorum dicamus esse actu mortalia, sed quaedam concedamus esse venialia, qua fronte tribui nobis potest, quod omnia renatorum bona opera statuamus esse peccata mortalia? De tota hac re in tract. de bonis operibus dictum, quantum sufficit. Regerit Bellarminus, *si vel maxime statuamus, propterea renatis non imputari peccata et infirmitates adhuc adhaerentes, quia per fidem sunt in Christo, tamen ne sic quidem a syncretismo cum Donatistis et Novatianis nos liberari. Ut enim illi non excludebant ab ecclesia omnes peccatores, sed tantum eos, qui idololatriam commiserant; sic nos pari modo non excludere omnes peccatores, sed tantum eos, qui non vere credunt, cum statuamus, nullum crimen imputari credentibus.* Respondemus: non imputet tibi Deus hoc crimen, quod per calumniam contra propriam conscientiam nobis φορτικὰ illa ἀκούσματα tribuis, quasi statuamus, veram ac salvificam fidem cum peccatis contra conscientiam consistere posse ac nullum crimen credentibus imputari, cum alibi scilicet lib. 1. de justific. c. 3. lib. 3. de justific. c. 6. lib. 4. de justific. c. 1. et 4. agnoscat, cum vera fide poenitentiam et studium bonorum operum a nobis indiviso et perpetuo nexu conjungi. Magnam igitur injuriam Bellarminus nobis facit et sententiam nostram tot tantarumve haeresium ream facere frustra laborat, cum ipse Stapletonus in relect. princ. controv. 1. q. 2. art. 5. p. 17. laudet illa Augustanae confessionis verba, *quod mali sint membra ecclesiae secundum externam societatem per sacramenta, ipsam tamen ecclesiam principaliter esse societatem fidei et Spiritus sancti.* Ac Joh. Hoffmeisterus in art. 8. August. confess. ex Augustino notat, *esse in ecclesia dici bifariam: uno modo esse in ea tanquam membrum in compage justitiae particeps videlicet spiritualis vitae, hoc est cohaerens ceteris membris in Spiritu caritatis. Alio modo, inquit, esse in ecclesia, est adhaerere membris ecclesiae, sicut palea tritico. Et approbat sententiam Philippi Melanthonis in locis, ecclesiam interdum in genere significare congregationem omnium, qui profitentur evangelium, proprie autem et principaliter significare congregationem justorum, qui vere credunt Christo et sanctificantur Spiritu Christi. Et haec fatetur dici juxta fidem catholicae ecclesiae*, quod diligenter notandum.

52. Huic nostrae sententiae opponit Bellarminus suam, quam appellare ei libuit catholicam, *quod ecclesia sit coetus hominum ejusdem Christanae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani pontificis*; cuius definitionis tres constituit partes, quas omnes et singulas requiri dicit, ut quis ad ecclesiam pertineat, *professionem scilicet verae fidei, sacramentorum communionem et subjectionem ad pontificem Romanum.* Ratione primae partis dicit excludi *omnes infideles, tam eos, qui nunquam fuerunt in ecclesia, ut Judaeos, Turcas et paganos, quam illos, qui recesserunt, ut haereticos et apostatas;* ratione secundae partis dicit excludi *catechumenos et excommunicatos;* ratione tertiae partis excludi *schismaticos;* includi autem omnes alios, etiam si reprobi, scelesti et impii sint. Eodem fere modo definiunt ecclesiam Lindanus lib. 4. panopl. c. 4. Canisius c. 2. de praec. eccles. art. 9. Respondemus: multa possent in hac definitione desiderari, utpote 1. Si communio eorundem sacramentorum requiritur in ecclesia, cur igitur clerici Pontificii aliquod sacramentum (ordinis puta) sibi solis;

Definitio ecclesiae ex sententia Bellarmini.

XI. 60.

Digitized by Google

aliquod. (eucharistiae puta) sibi solis integrum vindicant; aliquod (matrimonii puta) solis laicis tribuunt atque a se prorsus repudiant? 2. Si professio fidei requiritur, ut quis sit ecclesiae membrum, tum infantes baptizati, cum fidem exterius profiteri per aetatem nondum possint, plane erunt ab ecclesia exclusi. 3. Si per veram fidem intelligitur doctrina fidei a Christo apostolis tradita et per apostolos literis consignata (ut oportet intelligi) ac si per sacramenta intelliguntur ea, quae a Christo instituta sunt et ecclesiae commendata (ut oportet intelligi, cum non identitas, sed veritas sacramentorum ecclesiam devinciat); tunc vi definitionis illius facile probari potest, coetum Papisticum non esse veram ecclesiam, cum doctrinam illam fidei variis modis corruperit, Christo in officio mediatoris sanctos conjunxerit et nova sacramenta duobus a Christo institutis addiderit, ea vero, quae a Christo instituta sunt, mutilarit, corruperit et in actiones toto genere diversas transformarit. 4. Si subjectio ad Romanum pontificem necessario requiritur, ut quis sit membrum ecclesiae, quid fiet de ecclesia veteris testamenti, quid fiet de ecclesia in coelis triumphante, imo quid fiet de ecclesia tempore Christi et apostolorum collecta, cum ne nomen quidem Romani pontificis in terris esset notum? Ecclesiae Asiaticae tempore Victoris, Africanae tempore Augustini, Anglicanae ante adventum Augustini monachi in Britanniam sub regimine papae non comprehendebantur. Secundum canonem Nicenum *regimen episcopi Romani ultra suburbicas ecclesias non extendebatur*, Rufinus lib. 1. c. 5. num vero tot ac tantas ecclesias Asiaticas, Africanas, Anglicanas etc. a corporis unitate rescindemus? Bellarminus ipse fatetur lib. 4. de pontif. Roman. cap. 14. tempore concilii Constantiensis incertum ac dubium fuisse, quisnam esset verus pontifex, *erant* (inquit) *eo tempore tres, qui Pontifices haberi volebant, Gregorius XII. Johannes XXIII. et Benedictus XIII. nec poterat facile judicari, quis eorum verus ac legitimus esset pontifex, cum non deessent singulis doctissimi patroni.* Quodsi ergo subjectio ad pontificem necessario requiritur, ut quis sit membrum ecclesiae, imo etiam *est de necessitate salutis*, ut definitur c. Unam sanctam Extra de majoritate. Vae miseris illis Christianis, qui eo tempore vixerunt! 5. Subjectio illa ad Romanum pontificem, (quae licet ultimo loco in definitione collocetur, tamen prima fuit in Bellarmini intentione) nimis generaliter ponitur, restat enim quaestio, an in spiritualibus solummodo, an vero etiam in temporalibus subjectio illa sit necessaria; itemque an requiratur subjectio absoluta, an vero limitata et restricta. Bellarminus dubio procul omnimodam et absolutam in spiritualibus et temporalibus subjectionem requirit, sed recognoscat sua verba lib. 4. de pontif. Roman. c. 2: *Secunda sententia est, pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum et docere haeresin, si absque generali concilio aliquando definiat et de facto aliquando ita accidisse. Hanc opinionem sequuntur Nilus et aliquod Parisienses, ut Gerson, Almain, Alphonsus de Castro et Adrianus VI. papa;* de hac sententia postmodum subjungit suam ἐπίκρισιν, *quod non sit proprie haeretica, cum ab ecclesia adhuc tolerentur, qui illam sequuntur.* At illi, qui ita statuunt, nunquam probabunt absolutam in spiritualibus subjectionem. In temporalibus absolutum pontificis imperium longe plures Catholici improbant, ut ex scriptis Barclaii et theologorum Parisiensium constat, illi ergo multo minus omnimodam et absolutam subjectionem agnoscent. 6. Si ex mente Bellarmini verba definitionis spectanda, tunc omnia verborum significata erunt inversa et Scripturis contraria. Per Christianam fidem intelligit verbum scriptum et non scriptum, traditiones, concilia, decreta pontificis etc. per sacramenta intelligit septem illa, quae in ecclesia Romana numerantur sacramenta, per pastores intelligit eos, qui certo rituum praescripto et sub conjugii abjuratione ab episcopis ordinantur etc.; sed haec omnia veris verborum significationibus in Scriptura usitatis, verae inquam doctrinae Christi, veris sacramentis et veris pastoribus sunt adversa.

XI. 61.

53. Haec et similia in definitione Bellarmini jure meritoque desiderari possunt, sed praetermissis illis omnibus unicum illud hac vice urgemus, quod praetermittantur in hac definitione illi, qui vel maxime ad ecclesiam pertinent, scilicet qui internis Spiritus sancti donis et virtutibus praediti sunt. Neque id diffitetur Bellarminus, sic enim porro scribit: *Hoc interest inter sententiam nostram et alias omnes, quod omnes aliae requirunt internas virtutes ad constituendum aliquem in ecclesia et propterea ecclesiam invisibilem faciunt, nos autem et credimus, in ecclesia inveniri omnes virtutes, fidem, spem, caritatem et ceteras, tamen ut aliquis aliquo modo dici possit pars verae ecclesiae, de qua Scripturae loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantum externam fidei professionem et sacramentorum communionem, quae ipso sensu percipitur.* Videmus ergo, qualem ecclesiam constituat Bellarminus. Verbis quidem profitetur, esse in ecclesia internas virtutes, interim tamen, ut quis sit verum ecclesiae in Scripturis depraedicatae membrum, negat illas requiri, cum etiam sine his possit aliquis esse ecclesiae membrum, modo professione fidei, sacramentorum usu et subjectione ad pontificem ecclesiae sese conjungat. Sed ostensum fuit superius et res ipsa manifeste demonstrat, magnifica illa encomia et illustres promissiones, quae de ecclesia in Scripturis exstant, non pertinere nisi ad bonos et electos internis virtutibus praeditos. Porro praetermitti in Bellarmini definitione potiorem ecclesiae partem atque eos, qui vel maxime ad ecclesiam pertinent, adhuc manifestius constat ex iis, quae postea ex Augustino illustrationis gratia subjungit. Augustinus in breviculo collationis collat. 3. *ecclesiam esse* ait *corpus vivum, in quo est anima et corpus, et quidem anima sunt interna Spiritus sancti dona, fides, spes, caritas* etc. *corpus sunt*

Bellarminiana definitio omittit vera ecclesiae membra.

Digitized by Google

externa professio fidei et sacramentorum communicatio. Ex quo fit, ut quidam sint de anima et de corpore ecclesiae, et proinde uniti Christo capiti interius et exterius, et tales sunt perfectissime de ecclesia, sunt enim quasi membra viva in corpore, quamvis inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent etc. *Rursum aliqui sunt de anima et non de corpore, ut catechumeni et excommunicati, si fidem et caritatem habeant, quod fieri potest. Denique aliqui sunt de corpore et non de anima, ut qui nullam habeant internam virtutem et tamen spe aut timore aliquo profitentur fidem et in sacramentis communicant sub regimine, et tales sunt, sicut capilli aut ungues aut mali humores in corpore humano.* Haec omnia Bellarminus ex Augustino verissime, sed quae sententiae ipsius vehementer adversentur. Si enim ecclesia est corpus vivum, in quo est anima et corpus, hoc est non solum externa fidei professio et usus sacramentorum, sed etiam dona spiritus interna, utique ergo ecclesia *non est coetus hominum ita visibilis et palpabilis, ut sunt coetus populi Romani vel regnum Galliae aut respublica Venetorum*, quod tamen paragrapho proxime antecedente totidem verbis Bellarminus asserit. Si Augustinus ecclesiam diceret esse tantum corpus, non autem animam, tunc locum haberet illa collatio. Ut enim quis sit civis Romanus, subditus
XI. 62. regni Galliae ac membrum reipublicae Venetae, sufficit externa dominii Romani vel Gallici vel Veneti recognitio ac legum earundem observatio; sed in vero verae ecclesiae membro non requiritur duntaxat externa fidei professio et sacramentorum usus externus, sed etiam interior renovatio per Spiritum sanctum, quia ecclesia non est corpus solum, sed etiam anima, hoc est corpus vivum et animatum, proinde ut quis ad corpus ecclesiae vere pertineat, requiritur, ut Spiritu sancto regatur, ducatur et quasi animetur. Sed Bellarmini definitio praetermittit illos, qui perfectissime sunt de ecclesia, qui sunt de anima et corpore ecclesiae, qui sunt viva membra in hoc corpore, id est qui internis Spiritus sancti donis praediti sunt; imo etiam plane excludit quosdam ex illis, qui sunt de anima ecclesiae, ut catechumenos et excommunicatos fidem veram habentes, contra vero includit illos, qui sunt tantum de corpore ecclesiae, qui sunt sicut capilli aut ungues in corpore humano, id est qui exterius duntaxat profitentur fidem sine ulla renovatione interiori. Neque hoc dissimulat Bellarminus, disertis enim verbis subjungit: *Definitio nostra* solum (nota exclusivam) *comprehendit hunc ultimum modum exsistendi in ecclesia.* At hoc perinde est, ac si quis velit hominem definire ex capillis, unguibus, aut malis humoribus et excrementis, aut si quis definiturus vinum faeces ejus definiat, definiturus navim sentinam et saburram duntaxat nominet. Magnum omnino definitionis vitium est, si eo modo comparata sit, ut excludat quippiam ad definitum vel maxime pertinens. Definitio Bellarmini excludit eos, qui magis ad ecclesiam pertinent, videlicet catechumenos et excommunicatos fidem veram habentes, quos fatetur esse de anima ecclesiae; contra vero includit eos, qui infimo modo ad ecclesiam pertinent, eos scilicet qui spe aut timore aliquo temporali profitentur fidem, qui sunt tantum de corpore ecclesiae et non de anima, imo sunt sicut ungues et mali humores in corpore humano, quos cum solos definitione sua Bellarminus comprehensos asserat, fatetur ejusdem excrementa et malos humores sese definisse. Concedimus et nos, malos pertinere ad ecclesiam visibilem sive ad externam ecclesiae societatem, sed diserte addimus, illos non esse vera et viva invisibilis ac κυρίως sic dictae ecclesiae membra, qua in parte sententia nostra a Bellarminiana toto coelo distat, ut in disputatione de ecclesia visibili et invisibili clarius elucebit.

SECTIO I.

DE NON BAPTIZATIS, AN AD ECCLESIAM ILLI PERTINEANT.

54. Hisce accurate praenotatis facile intelligi potest, quinam ad ecclesiam pertineant. Bellarminus a generali definitione ad specialia membra descendens demonstrare conatur, excludi ab ecclesia catholica *1. non baptizatos* lib. 3. de eccles. c. 3. *2. haereticos et apostatas* c. 4. *3. schismaticos* c. 5. *4. excommunicatos* c. 6. 5. pertinere vero ad eam *non solos praedestinatos, sed etiam malos et reprobos* c. 7. item *non perfectos* c. 8. et *magnos peccatores* c. 9. et *infideles occultos* c. 10. de quibus omnibus breviter videndum. Quod attinet *non baptizatos*, illi sunt in duplici differentia; quidam enim a religione Christiana prorsus alieni sunt ac gentilium superstitiones sequuntur repudiato Christianorum baptismo, ad quos etiam pertinent infantes in gentilitate nati. De illis hoc loco non est quaestio, utraque enim pars disceptantium concedit, eos esse extra ecclesiam, cum apostolus illos appellet τοὺς ἔξω 1. Cor. 5, v. 12. Quidam vero etsi sacramentum baptismi non receperunt, tamen interna et vera fide praediti sunt, ut latro in cruce, catechumeni, martyres ante susceptum baptismum ad supplicia XI. 63.
rapti, infantes ex parentibus Christianis nati et per preces parentum atque ecclesiae Christo oblati etc. Catechumenorum etiam duo sunt genera, ut docet Hrabanus lib. 1. de instit. cleric.: *Unum eorum, qui audiunt conciones et volunt fieri Christiani, sed nondum petierunt baptismum, illi dicuntur audientes seu auditores; alterum eorum, qui petunt baptismum et dicuntur competentes seu electi.* Augustinus lib. 9. confess. cap. 6. de fide et operibus cap. 6. serm. 116. de temp. qui est ad competentes, Hieronymus in epist. ad Pammach. etc. Bellarminus de solis catechumenis hoc loco tractat, quos in ecclesia esse negat, nos contra et catechumenos et omnes alios vera fide interna praeditos in ecclesia esse dicimus, si vel maxime ba-

Quosdam non baptizatos ad ecclesiam pertinere demonstratur.

Digitized by Google

ptismum actu nondum susceperunt. Argumenta sententiae nostrae potiora haec sunt: *1. Extra ecclesiam non est salus*, quod axioma etiam adversariis perpetuo in ore. At catechumeni, si vera fide praediti sunt, salutis fiunt participes, si vel maxime sine baptismo ex hac vita decedant. Ergo catechumeni vera fide interna praediti nondum sunt extra ecclesiam. Bellarminus respondet, *auctorem libri de eccles. dogmatibus. cap. 74. statuere, quod catechumeni non salventur*, sed interim fatetur, *hanc opinionem esse nimis duram*, cum Ambrosius in orat. de obitu Valentiniani disertis verbis affirmet, *catechumenos posse salvari*, de quorum numero erat Valentinianus, cum ex hac vita migraret. Cur ergo auctorem illum adduxit? Scriptura certe ubique veram fidem et salutem perpetuo nexu conjungit, ut alibi, in quaestione scilicet de infantibus nonbaptizatis, plenius fuit ostensum. Adducit Bellarminus secundo loco responsionem Melchioris Cani, *catechumenos licet non sint de ecclesia, quae proprie dicitur Christiana, tamen esse de ecclesia, quae comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem, ideoque eos salvari posse.* At hoc ipsum etiam nos dicimus, scilicet catechumenos fideles esse de ecclesia catholica, quae comprehendit omnes eos, qui salvantur ab Abel usque ad mundi finem; in eo vero dissentimus a Cano, quod negat, *hanc esse Christianam ecclesiam*, quia etiam veteris testamenti ecclesia, si rem ipsam spectare velimus, fuit Christiana ecclesia, cum illius caput itidem ut ecclesiae N. T. fuerit Christus, cum pii V. T. itidem crediderint in Christum, scilicet venturum, unde recte colligit Bellarminus contra Canum, *catechumenos, si non sint de ecclesia Christiana, de nulla omnino ecclesia esse, cum praeter Christianam nulla sit alia vera ecclesia.* Quam ergo ipse tandem adhibet responsionem? respondet, *catechumenos, si non re ipsa, tamen voto ac desiderio esse in ecclesia, atque id sufficere ipsis ad salutem.* Atqui certum est, quotquot servantur, illos non solum voto et potentia, sed etiam re ipsa et actu esse de ecclesia, nulli enim servantur nisi prius e mundo actu in ecclesiam vocentur; nulli servantur nisi Christo fide prius inserantur; atqui per talem vocationem actu transitur in ecclesiam et qui per fidem fit membrum Christi, ille actu est in ecclesia. Quemadmodum enim nemo potuit in diluvio servari, nisi actu esset in arca Noae, ita quoque nemo potest salvari, nisi actu sit de ecclesia. Dubium nullum, quin plurimi aquis diluvii obruti serio desiderarint et exoptarint, se in arca esse, sed hoc desiderium et votum parum illis profuit. Bellarminus respondet, *similitudines non convenire in omnibus.* At interim convenire debent in illo tertio, in quo instituitur collatio, jam vero quilibet videt, ecclesiam in loco apostolico et in dictis piorum veterum in hoc ipso comparari cum arca Noae, quod nemo salvetur extra ecclesiam, sicut nemo ab aquis diluvii incolumis fuit conservatus extra arcam. Id ipsum ex aliis argumentis pro confirmatione sententiae nostrae adducendis erit manifestius. 2. Sic igitur concludimus: Quicunque sunt membra Christi, sunt etiam membra ecclesiae; ratio est manifesta, quia ecclesia est corpus mysticum, cujus caput est Christus, quotquot igitur sunt membra sub Christo ecclesiae capite, illi etiam sunt membra in mystico Christi corpore. Catechumeni fideles sunt membra Christi, quia Scri- XI. 64.
ptura fidei passim hoc tribuit, quod Christo nos inserat, ut palmites viti eidemque nos arctissime conjungat, Johan. 15, v. 5. Roman. 6, v. 5. Gal. 2, v. 20. etc. nec potest Bellarminus hoc diffiteri, cum in capite praecedente asserat, illos qui internis Spiritus sancti donis, fide, spe et caritate praediti sunt, esse interius Christi capiti unitos. Ergo catechumeni fideles sunt membra ecclesiae. Nec cogitari potest, catechumenos fideles voto duntaxat et potentia esse Christi membra, quia nullum membrum vivit, animatur ac movetur, nisi actu et re ipsa cum capite conjungatur et ab illo sensum ac motum hauriat; nullus palmes succum vivificum trahit et fructum profert nisi actu et re ipsa sit in vite; jam vero catechumeni fideles reguntur et vivificantur a Spiritu sancto ac proferunt fructus bonorum operum, ergo re ipsa et actu sunt Christi membra, cui actu et re ipsa inserti sunt sicut palmites viti. 3. Qui sunt filii Dei, iidem etiam sunt filii ecclesiae, quia in spirituali regeneratione Deum agnoscimus patrem, ecclesiam vero matrem, inde apostolus pronuntiat Galat. 4, v. 26. *illam quae sursum est, Jerusalem esse matrem omnium nostrum*, scilicet vere credentium. Jam vero catechumeni fideles sunt filii Dei, siquidem scriptura ubique fidei tribuit *υἱοθεσίαν* Johann. 1, v. 12. Gal. 3, v. 26. etc. Ergo catechumeni fideles sunt etiam filii ecclesiae. 4. Remissio peccatorum et donatio Spiritus sancti non habent locum nisi in illis, qui sunt in ecclesia et de ecclesia. Jam vero catechumenis fidelibus contingit remissio peccatorum et donatio Spiritus sancti, alias enim non possunt salvari. Ergo catechumeni fideles sunt in ecclesia et de ecclesia. Promiscue enim hisce terminis Bellarminus hoc loco utitur, ut cuivis legenti hoc caput tertium apparet. 5. Infantes nonbaptizati in ecclesia nati, qui precibus parentum et ecclesiae Christo offeruntur, sunt filii Dei, membra ecclesiae et haeredes salutis, ut in tractat. de baptismo demonstratum fuit. Jam vero catechumenorum fidelium conditio non est deterior, quam infantum illorum non-baptizatorum, cum fides eorum exserat se per externam confesionem et externos fructus bonorum operum, quod de infantum fide dici nequit. Ergo etiam catechumeni fideles pro filiis Dei, membris ecclesiae et haeredibus salutis sunt censendi. 6. Latroni converso licet nondum baptizato a Christo dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso* Luc. 23, v. 43. Jam vero nemo potest esse cum Christo in paradiso, nisi prius fuerit membrum verae ecclesiae, quia ad ecclesiam triumphantem non patet aditus nisi ex ecclesia militante. Ergo latro conversus et vere credens etiam ante baptismum fuit membrum ecclesiae. 7. Martyres complures ante susce-

Digitized by Google

ptum baptismum ad supplicia sunt abrepti. Quid? num illos negabimus esse cives ecclesiae? at hac ratione purpurantes illae rosae ex ecclesiae horto evellentur, eadem etiam ratione a paradiso coelesti excludentur? Veteres, qui baptismi necessitatem tanto conatu propugnant, baptismum sanguinis illis tribuerunt, ne ab ecclesia et salute eos excludere cogerentur. 8. Huc pertinent dicta veterum. Cyprianus epist. 73. ad Jubajanum: *Sciant, catechumenos illos primo integram fidem et ecclesiae unitatem* (nota) *tenere et ad debellandum diabolum de divinis castris cum plena et sincera Dei Patris et Spiritus sancti cognitione procedere, deinde nec privari baptismatis sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis sacramento, sanguine autem baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi in evangelio declarat Dominus.* Augustinus lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 21: *Non dubito catechumenum catholicum divina caritate flagrantem haeretico baptizato anteponere, sed etiam in ipsa intus catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus.* Ibid.: *Nec sacramento baptismatis facimus injuriam, cum aliquem catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremque cognoscimus,* etc. *Melior est Cornelius centurio nondum baptizatus Simone mago baptizato, iste enim et ante baptismum repletus fuit Spiritu sancto, ille et post baptismum im-*
XI. 65. *mundo spiritu inflatus.* tract. 4. in Johan.: *Futuri erant aliqui in ecclesia excelsioris gratiae catechumi. Fit enim aliquando, ut videas catechumenum abstinentem ab omni concubitu, valefacientem seculo, renuntiantem omnibus quae possidebat, distribuentem pauperibus, et catechumenus est, instructus est etiam forte doctrina salutari supra multos fideles.* (Quod vero Augustinus tali catechumeno, nisi ad baptismum veniat, ibidem salutem denegat, hoc intelligendum de contemtu baptismi, si enim simpliciter de privatione baptismi in casu necessitatis acciperetur, et Scripturae et veritati et sibi ipsi, imo etiam ipsi Bellarmino repugnaret. Sic enim scribit Augustinus libr. 4. contra Donatist. c. 22: *Invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex baptismo deerat, supplere posse, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et postea: *Quantum valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait apostolus, corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem, in illo latrone declaratum est, sed tum impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemtus religionis, sed articulus necessitatis excludat.* Bellarminus etiam hoc loco concedit, *catechumenos esse fideles et salvari posse, si moriantur in eo statu.*

Bellarmini antithesis, omnes non baptizatos exclusos esse ab ecclesia.

55. Videamus, quibus argumentis omnes non baptizatos ab ecclesia excludat Bellarminus. *Certum est* (inquit), *catechumenos non esse in ecclesia actu et proprie, sed tantum in potentia, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus et natus non dicitur homo nisi in potentia. Nam legimus Act. 2: Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.* Respondemus: 1. Catechumeni fideles aut actu sunt in ecclesia, aut non salvantur, tertium non datur, ut ostendimus superius, quia extra ecclesiam non habet locum insertio in Christum ecclesiae caput donatio Spiritus s. et salus aeterna. Si ergo Bellarminus concedit, catechumenos fideles salvari, concedat oportet eos esse actu in ecclesia, non in potentia tantum. 2. Catechumeni fideles per verbum veritatis et fidem in Christum sunt ex Deo nati, ergo minus recte conferuntur embryoni nondum formato ac nato. Antecedens patet ex eo, quod non solum baptismatis sacramentum dicitur *lavacrum regenerationis* Tit. 3, v. 5. sed etiam verbum *est semen illud incorruptibile, ex quo renascuntur credentes* 1. Pet. 1, v. 23. Jacob. 1, v. 18. et qui vera fide Christum recipiunt, *ex Deo nati sunt* Joh. 1, v. 12. et 13. Invertimus igitur comparationem. Quemadmodum infans formatus et natus est actu homo, sic catechumeni fideles actu sunt ex Deo renati ac proinde etiam actu sunt in ecclesia. 3. Ecclesia est coetus evocatorum scilicet ex mundi colluvie ad Christi communionem et salutem. Jam vero fideles catechumeni actu sunt evocati ex mundo ad Christi cognitionem ac communionem, ex tenebris ad lucem, ex regno diaboli ad regnum coelorum. Ergo etiam actu sunt in ecclesia. 4. Illi qui ecclesiae aggregantur, sunt in duplici differentia. Quidam enim uno eodemque tempore et verbum vera fide recipiunt, et baptismatis sacramentum suscipiunt; quidam vero postquam verbum fide receperunt, tamen baptismum non suscipiunt vel necessitate coacti, ut latro in cruce, martyres ante baptismum susceptum ad supplicia rapti etc. vel libera voluntate ducti, ut catechumeni, quorum baptismus in primitiva ecclesia differebatur usque ad paschatos festum, ut Ambrosius, qui nondum baptizatus a populo Mediolanensi ad episcopatum vocatus est referente Socrate l. 4. c. 25. ut Valentinianus, qui praereptus est, antequam susciperet baptismum referente Ambrosio in oratione de ipsius obitu. Illi, de quibus Lucas Act. 2, v. 41. dicit, quod appositi fuerunt ad ecclesiam Hierosolymitanam, pertinent ad priorem classem, diserte enim de illis dicitur, *quod receperint sermonem et baptizati sint,* praedicatum igitur illud προσετέθησαν referendum est ad utrumque membrum praecedens, ad receptionem scilicet sermonis apostolici per veram fidem et ad baptismi sus- XI. 66.
ceptionem, per quem et fides in cordibus illorum obsignata et receptio illa in coetum ecclesiae confirmata fuit. 5. Quod vere attinet illos, qui vera fide interna praediti sunt neque tamen baptismatis sacramentum statim suscipiunt, illi si citra contemtum hoc sacramento vel aliquandiu vel usque ad finem vitae priventur, non sunt dicendi esse extra ecclesiam, quia verbum Dei audiunt, in Christum credunt, ore eum confitentur, debitam reverentiam ministerio praestant, quidam etiam eorum confessionem suam sanguine obsignant, quos proinde in ecclesia esse nemo negare poterit. 6. Notanda etiam haec distin-

Digitized by Google

ctio, quod aliter statuendum sit de effectu baptismi in infantibus et in adultis fidelibus. Respectu infantum baptizatorum baptismus est unicum illud ordinarium regenerationis medium et unica ad ecclesiam janua, sed in adultis fidelibus baptismus non operatur demum regenerationem, cujus jam ante per verbum et fidem facti sunt participes, sed regenerationem obsignat, confirmat ac Spiritus sancti dona in illis auget. 7. Si obvertat Bellarminus *catechumenos fideles non conjungi ecclesiae communione sacramentorum ac proinde non esse dicendos in ecclesia esse*, respondemus, membra illa definitionis Bellarminianae, *quod ecclesia sit coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus*, vel accipienda sunt conjunctim vel separatim. Si separatim, non potest ex defectu communionis sacramentorum colligi, quod catechumeni fideles non sint in ecclesia, sufficit enim illis, quod professione fidei illi sint conjuncti. Si conjunctim haec membra accipienda sunt, eadem ratione inferri poterit, infantes baptizatos non esse in ecclesia, cum professionem fidei edere per aetatem nondum possint. Si dicas, *professionem fidei per patrinos et per ipsam sacramenti susceptionem illis sufficere, ut dicantur esse in ecclesia*, promtum erit respondere, desiderium et votum baptismi catechumenis fidelibus itidem sufficere, ut ecclesiae communione sacramentorum conjuncti et proinde in ecclesia esse dici possint. 8. Denique locus apostolicus agit de ecclesia particulari, quae Hierosolymis illo tempore erat, cui professione fidei et susceptione baptismi nomina sua dederunt illi ter mille homines, nos vero hoc loco proprie agimus de ecclesia catholica, quae est congregatio sanctorum. Per baptismum recipimur in ecclesiam particularem, sed ex eo non est inferendum, quod nullum aliud supersit medium, per quod in ecclesiam recipiamur, restat enim adhuc aliud, videlicet professio fidei, quae per baptismatis sacramentum obsignatur; multo minus ex eo inferendum, quod ad ecclesiam catholicam nemo pertineat, nisi baptismatis sacramento tinctus sit, quia sancti veteris testamenti ad ecclesiam catholicam pertinent, licet baptismatis sacramentum non habuerint. Neve quis dicat, *circumcisionem illis fuisse loco baptismi*, notandum, quod complures ante susceptam circumcisionem mortui fuerint nihilominus vera catholicae ecclesiae membra et salutis aeternae haereditatem adierint, ut alibi immotis argumentis fuit ostensum.

Argumenta ex scriptoribus ecclesiasticis.

56. Quae ex scriptoribus ecclesiasticis Bellarminus affert, facilem habent explicationem. *1. Concilium Florentinum in instruct. Armenorum docet, homines fieri membra Christi ac de corpore ecclesiae, cum baptizantur.* Respondemus: Concedimus, per baptismum homines fieri membra Christi et ecclesiae, sed ex eo non potest nec debet inferri, nullos esse membra Christi et ecclesiae, nisi baptizentur, quia restat adhuc aliud medium, per quod fides in cordibus hominum accendatur, qua fiunt membra Christi et ecclesiae, videlicet praedicatio verbi. Sic Cornelius Act. 10, v. 1. fuit membrum Christi et ecclesiae etiam ante susceptum baptismum, quia particeps fuit Spiritus sancti, qui non datur nisi Christi et ecclesiae membris. Paulus 1. Cor. 10, v. 17. docet, *unum corpus* mysticum esse eos, qui *de uno pane* sacramentali *participant*, et 1. Cor. 12, v. 13. inquit, nos XI. 67.
in unum Spiritum potari, hoc est esse unum corpus mysticum et spirituale illos, qui ex eodem sacramentali poculo bibunt; num vero licet ex eo inferre, illos, qui non comedunt de pane sacramentali, nec bibunt ex poculo eucharistiae, esse ab unitate illa corporis mystici penitus exclusos? at hac ratione per membrum utrumque a societate Christi et ecclesiae excluderentur omnes infantes baptizati, per posterius membrum in ecclesia Pontificia excluderentur ab hac communione omnes laici. Breviter, in infantibus baptismus est medium, per quod fiunt membra Christi et ecclesiae, in adultis est sigillum et signaculum nostrae per Christum adoptionis et in ecclesiam receptionis. Intelligendum autem hoc de illis, qui vera fide baptismum suscipiunt, quia Simon Magus fuit baptizatus, qui tamen nec Christi, nec catholicae ecclesiae membrum fuit. *2. Nazianzenus in orat. de sancto bapt. dicit, catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum.* Respondemus: intelligendum hoc de ecclesia visibili et particulari, cui catechumeni se aggregant, hoc est professione fidei se vere aggregatos esse publico testimonio suscepti baptismi confirmant, interim tamen si vera fide interna praediti sunt, pro membris ecclesiae catholicae a Deo censentur, quod negari nequit, si praecedentia sententiae nostrae fundamenta expendantur. Cornelius Act. 10, v. 2. fuit *pius et timens Deum* etiam ante susceptum baptismum, utique ergo ultra vestibulum pietatis progressus et fidelis fuit, *fide enim venit ad opera, non operibus ad fidem*, ut Beda eum in locum commentatur. Quod ergo Nazianzenus negat, catechumenos posse vocari fideles, nisi ingrediantur per baptismum, id si absolute et simpliciter dictum accipiatur, ipsi Bellarmino repugnat, qui in hoc ipso capite concedit, *catechumenos esse fideles et salvari, si moriantur in eo statu*, ac praecedente capite docet, *catechumenos internis Spiritus sancti donis praeditos esse de anima ecclesiae*, quomodo igitur de illis dici potest, quod non sint fideles et quod nondum sint ecclesiam ingressi? Loquitur enim Nazianzenus de variis ordinibus ecclesiae visibilis, qui tunc temporis usitati erant, quod aliqui fuerunt catechumeni, alii perfecti Christiani, alii poenitentes, alii orantes, alii energumeni etc. hoc respectu dici possunt catechumeni esse in ecclesiae vestibulo. *3. Chrysostomus hom. 24. in Joh. catechumenum esse alienum a fideli et nihil habere commune cum eo, non civitatem, non mensam.* Respondemus: secundum externam ecclesiae visibilis ac particularis politiam catechumeni a reliquis fidelibus baptizatis erant distincti, interim si interna ac viva fide praediti fuerunt, a spirituali cum Christi communione, non poterunt excludi ac proinde etiam fuerunt fideles et

Digitized by Google

catholicae ecclesiae membra. Si enim catechumenus est omnino a fideli alienus, cur ipse Bellarminus eum fidelem esse et salvari posse concedit? Ad mensam Domini non licuit catechumenis accedere, nisi prius baptismatis sacramento fuerunt tincti, perinde ut in V. T. ad esum agni paschalis non fuerunt admissi nisi circumcisi Exod 12, v. 44. sed ex eo non potest inferri, quod a societate spirituali cum Christo, quae per usum sacrae coenae obsignatur et confirmatur, plane fuerunt exclusi, alias vero non potuissent salvari, cum tamen salutem illis concedat Bellarminus. *4. Tertullianus libr. de praescript. reprehendit in haereticis, quod non distinguant catechumenos a fidelibus.* Respondemus: nomen fidelium est ambiguum, vel enim accipitur de illis, qui vera fide interna praediti sunt, et hoc sensu non potest denegari catechumenis illis, de quibus hoc loco agimus; vel accipitur εἰδικῶς de illis, qui baptismi susceptione velut publico quodam testimonio fidem suam professi sunt, quo sensu posteriore catechumeni a fidelibus in scriptis veterum recte distinguuntur, ac haeretici distinctionem illam rejicientes merito a Tertulliano reprehenduntur. Quodsi Bellarminus fidelium nomen simpliciter derogat catechumenis, deleat verba paragraphi proxime praecedentis: *Catechumeni sunt fideles et salvari possunt, si moriantur in eo statu.* (XI. 68.) Notandum etiam, quod Tertullianus non tam verborum quam rerum confusionem in haereticis improbet, quod scilicet ad baptismum admiserint catechumenos nondum in articulis fidei sufficienter instructos etc. *5. Cyrillus lib. 12. in Joh. docet, catechumenos esse apud Christianos id, quod erant incircumcisi apud Judaeos, qui propterea non poterant vesci agno paschali.* Respondemus: nos libenter hoc amplectimur, neque enim catechumenos ad usum sacrae coenae admittimus, antequam baptismum suscipiant, interim ut in V. T. multi incircumcisi fuerunt fideles et membra verae ecclesiae, ut docent exempla eorum, qui ex gentilismo ad verum Deum Israëlis conversi sunt, sic catechumeni fideles etiam ante baptismi susceptionem et usum sacrae coenae sunt membra verae ecclesiae et salvari possunt, si in eo statu moriantur. *6. Augustinus tract. 4. in Joh. distinguit inter catechumenum et fidelem.* Respondemus: de eo ex praecedentibus judicium fieri potest. In externa ecclesiae societate catechumeni a fidelibus sunt distincti sensu eo, quem paulo ante exposuimus, interim tamen fidelium appellatio non potest simpliciter denegari catechumenis, unde Augustinus ibidem quosdam catechumenos praefert illis, qui in externa ecclesiae politia fidelium appellatione veniunt et a catechumenis distinguuntur.

Ratiocinatio Bellarmini contra catechumenos.

57. Tandem addit Bellarminus argumentum: *Catechumeni non habent jus ad ulla sacramenta, neque ad alia, quae sunt communia universae ecclesiae. Non igitur actu et proprie sunt de ecclesia.* Respondemus: 1. Catechumenos non habere jus ad ulla sacramenta, est aperte falsum; si enim in religione Christiana sufficienter instructi sunt, habent jus ad baptismum prius N. T. sacramentum, ab eucharistiae sacramento non sunt absolute et simpliciter exclusi, cum ad illud etiam aditum ac jus habeant mediate, scilicet si baptismum prius suscipiant. 2. Falsum etiam est, quod catechumeni non habeant jus ad alia, quae sunt universae ecclesiae communia, sive de ecclesia visibili, sive de invisibili et catholica hoc intelligatur. Auditus verbi est bonum commune universae ecclesiae visibili, ab illo non possunt nec debent excludi catechumeni. Remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, salus et vita aeterna sunt bona universae ecclesiae catholicae, hoc est omnibus vere piis et credentibus communia, ab his beneficiis catechumeni fideles non sunt exclusi, *salvantur enim*, inquit Bellarminus, *si in eo statu moriantur.* Atqui non possent salvari, si remissionis peccatorum et Spiritus sancti non essent participes et si non haberent jus ad bona ecclesiae catholicae propria. 3. Inter catechumenos multi sunt martyres, quos suo sanguine baptizari veteres asserunt; si ergo catechumeni non habent jus ad ea, quae sunt ecclesiae universae communia, etiam illi martyres a regno coelorum excludendi erunt. 4. Finis praesupponit media ad finem ducentia. Salus sive regnum coelorum est finis; bona ecclesiae propria tam externa, praedicatio scilicet verbi et administratio sacramentorum, quam interna, scilicet illuminatio Spiritus sancti, regeneratio, justificatio, peccatorum remissio etc. sunt media ad regnum coelorum ducentia. Jam vero Bellarminus catechumenis concedit finem, salutem scilicet sive regnum coelorum; ergo etiam concedat illis oportet jus ad media illa, quae ad finem ducunt, videlicet ad bona ecclesiae tam interna, quam externa.

SECTIO II.

DE HAERETICIS, AN ILLI AD ECCLESIAM PERTINEANT.

An haeretici ad ecclesiam pertineant. (XI. 69.)

58. Thomas Stapletonus scriptor Pontificius in princ. fid. doctrinalibus demonst. part. 1. c. 13. p. 14. sequentem in modum scribit: *Lutheri sententia est, veram ecclesiam vocari haereticam.* p. 15: *Itaque Lutheri sententia est, omnium aetatum haereticos, qui quidem ejus dogmatibus aliqua ex parte suffragati sunt, veram ecclesiam fuisse.* Respondemus: 1. haeretici licet sint in ecclesia, non tamen sunt de ecclesia; 2. aliud est haereticum esse, aliud haereticum a Pontificiis haberi. Alphonsus de Castro scriptor pariter Pontificius lib. 2. de justa haeret. punit. c. 24. statuit, haereticos esse partes et membra ecclesiae, sic enim scribit dicto loco: *Ego fateor quidem et meo quidem judicio negari non potest, haereticum esse partem ecclesiae et membrum illius et non esse omnino ab illa separatum, quia etsi fidem non habeat, habet tamen characterem baptis-*

Digitized by Google

malem, quo durante semper erit membrum ecclesiae. Contra illum disputat Bellarminus c. 4. ac opponit illi sequentia Scripturae dicta: 1. Tim. 1, v. 19: *Quidam circa fidem naufragium fecerunt, id est fracta una parte navis ecclesiae ex ea in mare deciderunt. Tit. 3, v. 10: Haereticum hominem post unam et alteram correptionem devita; v. 11: sciens, quia subversus est, qui talis est, et delinquit proprio judicio condemnatus. 1. Joh. 2, v. 19: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quia si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Adducit etiam *concilium Nicenum ac Lateranense*, uti etiam quaedam *dicta patrum* et respondet argumentis contrariis.

59. Nos hac de re sic statuimus: 1. Distinguendum esse inter illos, qui Romanae ecclesiae, qualis est hodie (hoc est pontificis Romani), judicio sunt haeretici, et inter eos, qui revera et judicio Dei sunt haeretici. Pontifex haereticos esse pronuntiat eos, qui traditionibus humanis valere jussis verbum Dei scriptum unice amplectuntur et in uno Christo fide apprehenso omne justitiae ac salutis suae perfugium quaerunt, illis anathema dicit in concilio Tridentino eosque a Romano-Catholica ecclesia excludit; sed propterea non sunt exclusi a vera catholica ecclesia, quae ambitu suo complectitur omnes vere fideles, qui ab initio mundi vixerunt et usque ad finem illius victuri sunt, quorum omnium fides fuit, est atque erit eadem. 2. Distinguendum esse inter eos, qui occulte haeresin fovent et inter eos, qui sunt manifesti haeretici, id est qui dogmata contra fundamentum fidei pugnantia pertinaciter defendunt, quorum quidam ab ecclesia ipsimet secessionem faciunt, quidam vero legitimo ecclesiae judicio ab ea per excommunicationem separantur. (Neque enim probari nobis potest illa assertio Bellarmini, *quod haeretici occulti non tam haeretici quam errantes censeri debeant;* rectius definiunt haereticum Thomas et Occamus referente Alphonso de Castro libr. 1. advers. haeres, c. 6: *Haereticus est, quisquis a fide catholica quomodolibet recedit.)* 3. Occultos haereticos, antequam per obstinationem et pertinaciam ab ecclesia separentur in ecclesia (visibili puta) adhuc esse probat Augustinus lib. 3. de bapt. c. 19. Id ipsum etiam docet parabola zizaniorum Matth. 13, v. 25. et disertum apostoli pronuntiatum 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet esse haereses inter vos, ἐν ὑμῖν.* Ac res ipsa ostendit, quosdam in corde foventes haeresin eandem cum ecclesia fidem ore profiteri iisdemque sacramentis uti, ac proinde locum illis adhuc esse in ecclesia visibili, licet ad catholicam ecclesiam, quae est sanctorum congregatio, neutiquam pertineant. Unde Colleg. Anglo-Remense in annot. 2. Tim. 2. contra Bellarminum scribit: *Haeretici, qui in externa communione sacramentorum et professione persistunt, in conspectu Dei ab ecclesia separantur et re ipsa et proprie domus Dei finibus exterminantur.* Definitio ecclesiae, quam Bellarminus proposuit, multis haereticis convenit. Definit enim ecclesiam quod sit *coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine pontificis Romani.* Atqui in hoc coetu sunt aliqui foventes haeresin et aliquamdiu tolerantur., donec vel ipsi sese separent, vel per excommunicationem expellantur. Id ipsum disertis verbis concedit Bellarminus c. 10. hujus libri, ubi asserit, *haereticos externa fidei professione esse in ecclesia, antequam ipsi exeant*, adducit etiam locum Augustini tract. 3. in epist. Joh.: *Multi intus sunt, non exierunt et tamen antichristi sunt.* Ergo non potest simpliciter affirmari, haereticos esse extra ecclesiam. 4. Capite praecedente tertio Bellarminus dicit, *homines fieri de corpore ecclesiae, cum baptizantur.* Sed in coetu baptizatorum sunt haeretici. Ergo quidam haeretici pertinent ad corpus ecclesiae, scilicet visibilis. 5. Denique enim pertinaces haeretici quandoque retinent aliquid ecclesiae, videlicet sacramentum baptismi et partem quandam verbi incorruptam, unde etiam per haereticum et corruptum ministerium Deo generantur filii et filiae Ezech. 16, v. 20. et c. 23, v. 37. ubi pretiosum a vili, aurum a scoriis, divinum ab humano accurate discernendum. Conversio hominum per verbum ac regeneratio per baptismum in coetu haereticorum non est tribuenda opinionum haereticarum fermento, sed ipsi verbo, quod ex libris biblicis auditoribus praelegitur, et baptismo, qui efficax est, etiamsi per haereticos administretur, modo institutionis formam observent et de substantialibus hujus sacramenti recte sentiant. Inde Augustinus lib. 3. de bapt. c. 19. disputat, posse dici, *haereticos esse adhuc aliquo modo in ecclesia, etiam postquam ab ea exierunt, propter sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quaedam sacramenta vere administrant.* Pontificii haereticos nos esse pronuntiant, nec tamen negare audent, recte et secundum Christi institutionem baptizatos esse, quicunque in ecclesiis nostris baptizati sunt, unde non solent eos rebaptizare, qui ex nobis ad ipsos transeunt (exceptis paucis quibusdam exemplis in Belgicis persecutionibus sub Duce Albano, quae cordatioribus Pontificiis non probantur), utique ergo baptismum nobis relinquunt; jam vero quam late patet coetus legitime baptizatorum, tam late etiam patet ecclesia catholica vocatorum, ut invictis argumentis demonstrari potest. Ergo haeretici secundum quid et certo respectu adhuc sunt in ecclesia.

II. 70.

SECTIO III.

DE SCHISMATICIS, AN ILLI PERTINEANT AD ECCLESIAM.

60. Cap. 5. disputat Bellarminus, *schismaticos nec esse in ecclesia, nec de ecclesia, ac statuit, eos esse schismaticos, qui nolunt subesse Romano pontifici.* Respondemus: 1. qui ab episcopis in haeresin An schismatici sint in ecclesia.

Digitized by Google

prolapsis secessionem faciunt, schismatici non sunt, quia ad ecclesiam catholicam hac ratione transeunt. 2. Pontificis Romani in universam ecclesiam dominatus ex Scripturis sacris probari nequit. Ergo non sunt statim schismatici, qui nolunt subesse Romano pontifici, praesertim ad haereses et idololatriam cogenti. 3. Quandoque integri coetus adhaerentes suis pastoribus a se mutuo avelluntur, nec tamen statim fiunt schismatici. De Victore episcopo Romano memorat Euseb. lib. 5. hist. c. 23. quod propter controversiam de tempore paschatis totius Asiae paroecias una cum vicinis ecclesiis tanquam aliena sentientes a communionis unitate abscindere conatus fuerit. Sed episcopi Europae, ut Irenaeus et alii, nec Romanam nec Asiaticam ecclesiam judicabant statim esse schismaticam, quia et cum
XI. 71. Victore communionem colebant et ab Asiaticorum communione non abstinebant, quod non fecissent, si alterutram schismaticam judicassent. 4. Qui ob alicujus ritus differentiam vel dogmatis fundamentum salutis non concernentis discrepantiam a se invicem dissident, non protinus habendi sunt schismatici, modo fidei et caritatis unitate maneant conjuncti. Glorianus lib. de schismate pag. 181: *In schismate simplici, quod sine ulla depravata doctrina fit, ita ut ambiguum sit, a quo schisma fiat, antequam legitime judicetur, dubium non est, quin ejus sectatores ad ecclesiam pertineant, ut Gerson testatur.* 5. Qui destinata opera ab ecclesia se avertit, ut schisma excitet, sicut Marcion apud Epiphanium haer. 42. dixisse scribitur: *Ego scindam ecclesiam vestram et mittam schisma in eam in aeternum*, illum utpote unitatis hostem ad ecclesiam non amplius pertinere libenter concedimus, sicut Epiphanius l. d. de Marcione subjungit, quod *non ecclesiam, sed se ipsum et sequaces suos sciderit.* ** Antiquitas haereticos a schismaticis distinxit non ex alia causa, quam quod haeresis errando fundamentum fidei et salutis evertat; schisma in illis delinquat, quae fundamentum integrum circumstant. D. Hunnius. **

SECTIO IV.

DE EXCOMMUNICATIS, AN ILLI PERTINEANT AD ECCLESIAM.

An excommunicati ad ecclesiam pertineant.

61. Excommunicatos in ecclesia non esse Bellarminus c. 6. probare conatur ex Matth. 18, v. 17: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus*, ac 1. Cor. 5, v. 12: *Tollatur de medio vestrum, qui opus hoc fecit;* v. 13: *auferte malum ex vobis ipsis.* Respondemus: 1. distinguendum est inter excommunicationem justam et injustam. Si excommunicatio fuerit injusta, ejicit quidem hominem ex ecclesia particulari, sed talis propterea non desinit esse membrum ecclesiae catholicae, Luc. 6, v. 22: *Beati estis*, ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς. Joh. 16, v. 2: *Facient vos* ἀποσυναγώγους. Augustinus de vera relig. c. 6: *Saepe sinit divina providentia, expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros, quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro ecclesiae pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel haeresis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu et quanta sinceritate caritatis Deo serviendum sit.* Hieronymus in c. 16. Matth.: *Hunc locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur.* C. comperimus c. 24. q. 3: *Qui illicite alium excommunicat, se ipsum non illum condemnat.* Lombardus lib. 4. sent. dist. 18. §. H: *Quos secundum merita sententia ecclesiae percellit, laedit; et illi foris sunt apud Deum; qui autem non meruit, sententia ecclesiae non laeditur, nisi condemnat.* Unde Origenes: *Exiit quis a veritate, a fide, a caritate, per hoc exit de castris ecclesiae, etiamsi episcopi voce non abjiciatur. Sicut e contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereatur exire, non laeditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, et qui foris est, intus videtur retineri.* 2. Excommunicationem, sive justa, sive injusta sit, a communione visibilis et particularis ecclesiae hominem separare nemo nostrum negat, quod solum cum Bellarmini argumenta probent, nobis minime adversantur, quia hoc loco disputamus de ecclesia catholica, quae est congregatio sanctorum et vere fidelium, a qua per excommunicationem nemo separatur, nisi prius se ipsum impoenitentia et incredulitate ab ea separaverit. 3. Dictum Christi et apostoli loquitur XI. 72.
de excommunicatione justa ac de separatione ab ecclesia particulari. 4. Bellarminus adducit exemplum relegationis civilis, quod tamen ipsi adversatur. Quemadmodum enim in relegatione civili sunt certi gradus, siquidem aliqui ad certum tempus duntaxat relegantur, quo exacto jus habent in urbem revertendi, qui non perdunt omne commercium, quod cives inter se habent; aliqui vero relegantur sine spe restitutionis, quorum quidam jus civitatis adhuc retinent, quidam vero plane illud amittunt; sic in excomunicatione etiam sunt certi gradus, quidam ad tempus duntaxat a sacris mysteriis arcentur, qui non statim privantur omni commercio, quod est inter ecclesiae cives. 5. Qui injuste excommunicantur, illos salvari posse concedit Bellarminus, ergo non desinunt esse ecclesiae membra. Obstrepit quidem, *illis ad salutem sufficere quod desiderio et animo sunt in ecclesia*, sed haec responsio est insufficiens, nemo enim servatur, nisi re ispa et actu sit de ecclesia, ut demonstratum fuit superius. Injuste excommunicati actu et re ispa sunt membra Christi. Ergo etiam actu et se ipsa sunt membra ecclesiae. Dicit Bellarminus, *externam communicationem proprie facere hominem de ecclesia visibili*, tacite igitur concedit, animo et interna communicatione esse membrum invisibilis ecclesiae eum, qui injuste excommunicatur. Si enim datur duplex communicatio in ecclesia, utique etiam

Digitized by Google

dabitur duplex modus exsistendi in ecclesia, videlicet secundum communicationem externam et secundum communicationem internam. At hoc ipsum etiam nos volumus, quando inter ecclesiam visibilem et invisibilem distinguimus. 6. Excommunicatio cum ultimo supplicio certa quadam ratione comparari potest, non tamen simpliciter et in omnibus partibus, quia mors semper est ultimum supplicium in republica, sed excommunicatio, minor scilicet, non est ultimum judicium in ecclesia; a supplicio mortis non datur reditus in hanc vitam, sed ab excommunicatione datur reditus in ecclesiam. 7. Fatetur Bellarminus *injuste excommunicatum posse esse et manere Dei amicum et esse de anima ecclesiae*, quando scilicet retinet dona interna, fidem, spem, caritatem etc. quomodo igitur in genere statui potest, per excommunicationem privari aliquem omni commercio spirituali, quod habent homines ecclesiae inter se? num enim in donis illis internis nullum est commercium spirituale inter homines ecclesiae? Debuisset Bellarminus distinguere inter communicationem internam et externam; excommunicatio separat hominem a communicatione externa (quamvis ne hoc quidem perpetuo verum sit, siquidem Asiaticis a Victore excommunicatis Irenaeus et alii Europaei episcopi communicabant, quod et Aegyptiaci et Palaestini et Africani faciebant, teste Euseb. lib. 5. hist. eccl. c. 24.), sed ab interna ecclesiae communione neminem separat, nisi prius se ipsum separaverit. 8. Concedit Bellarminus, *excommunicationem non separare hominem a numero salvandorum*, *sed ab ecclesia visibili;* re ipsa igitur concedit, excommunicationem non separare ab ecclesia catholica et invisibili, extra quam non est ullus salvandus et intra quam sunt omnes salvandi, hoc est re ipsa approbat distinctionem nostram inter ecclesiam visibilem et invisibilem. 9. In capite superiore 5. §. penult. scribit Bellarminus, *ecclesiam triumphantem esse unitam, imo potius unam cum militante*, *ac proinde neminem posse vel separari ab una*, *quin separetur ab altera;* ex eo sic colligimus: Injuste excommunicati non separantur ab ecclesia triumphante *(quia manent amici Dei*, ut Bellarminus in hoc capite concedit). Ergo nec separantur ab ecclesia militante (consequentiae ratio apparet ex ipsis Bellarmini verbis); ex quo immote colligitur, quod qui per excommunicationem injustam ab externa militantis ecclesiae societate separatur, non tamen penitus ab ecclesia militante, id est ab interna ejusdem societate, separetur. At hoc ipsum etiam nos dicimus, quando inter ecclesiam visibilem et invisibilem distinguimus, ut postea plenius apparebit.

SECTIO V. XI. 73.

DE ELECTIS, AN ILLI SOLI AD ECCLESIAM CATHOLICAM PERTINEANT.

62. Cap. 7. Bellarminus probat *ad ecclesiam non solos praedestinatos*, *sed etiam reprobos pertinere*, ubi adducit *parabolas Christi* Matth. 3. 13. 22. 25. *exemplum incestuosi* 1. Cor. 5. *et dictum apostolicum* 2. Tim. 2, v. 20: *In magna domo sunt vasa aurea et argentea, et lignea et fictilia.* Anglo-Remenses annotat. in 1. Tim. 3. sect. 10. negant, *electos nondum natos vel vocatos ad ecclesiam Christi pertinere*, contra vero asserunt, *ipsos impios et reprobos in publica ecclesiae professione remanentes vera corporis Christi membra exsistere* annot. in Joh. 15. sect. 1. Nos hac de re sic statuimus: 1. Distinguendum est inter ecclesiam *visibilem* ac *particularem;* et inter ecclesiam *invisibilem* et *catholicam.* In ecclesia visibili et particulari boni ac mali, praedestinati ac reprobi sunt commixti, sed ad ecclesiam catholicam et invisibilem boni duntaxat pertinent. Ad ecclesiam visibilem et particularem pertinent omnes, qui eandem profitentur religionem et iisdem utuntur sacramentis, sive boni sint, sive mali, sive renati, sive hypocritae; sed ad invisibilem et catholicam ecclesiam non pertinent nisi boni ac renati, qui sunt vera ac viva Christi membra, a quo Spiritum vitae hauriunt. Omnia Bellarmini argumenta hoc solum probant, quod in ecclesia visibili et particulari bonis mali, praedestinatis reprobi sint permixti, sed hoc nemo nostrum unquam negavit. 2. Appellatio *electorum* vel sumitur specifice et proprie juxta phrasin Scripturae pro illis omnibus et solis, qui in vera fide perseverant et vitae aeternae participes redduntur; vel generaliter et improprie juxta phrasin ecclesiae pro omnibus vere renatis, quorum aliqui fide et salute interum excidunt. Quando catholicam ecclesiam dicimus esse *congregationem electorum*, tunc appellatio electorum sumitur in significatione posteriore, quia ad catholicam ecclesiam pertinent non solum electi proprie ac specifice sic dicti, sed omnes vere renati, quamdiu tales manent. (Bellarminus id effert hoc modo, *posse aliquem dici filium Dei et membrum Christi duobus modis: uno modo veritate essentiae sive formae*, *altero modo veritate permanentiae sive finis*, membrum prius intelligit de renatis, membrum posterius de electis.) Calviniani electos definiunt a decreto quodam Dei absoluto et tales absolute electos negant fidem semel acceptam amittere posse, unde renati et electi illis sunt termini aequipollentes; sed in hac parte ab illis dissentimus, ideo quando in scriptis nostrorum ecclesia catholica dicitur congregatio electorum, id non accipiendum est sensu calviniano, sed sensu illo, qui in Augustana confessione exponitur, quod ecclesia catholica sit *congregatio sanctorum.* 3. Duplici respectu potest quispiam dici *membrum Christi et ecclesiae:* primo respectu divinae praescientiae; se-

An soli electi pertineant ad ecclesiam.

Digitized by Google

cundo respectu praesentis status, quae distinctio colligitur ex sequentibus Scripturae dictis Rom. 8, v. 9: *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus.* Gal. 5, v. 24: *Qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum concupiscentiis.* Et tamen 2. Tim. 2, v. 19. dicitur: *Firmum stat fundamentum Dei habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sint sui.* Sic Paulus cum adhuc esset persecutor, fuit membrum Christi et ecclesiae respectu divinae praescientiae sive praedestinationis; idem vero nondum fuit Christi et ecclesiae membrum respectu praesentis illius status. Augustinus tract. 45. in Joh.: *Secundum praescientiam et praedestinationem quam multae oves foris? quam multi lupi intus?* Illud postea sic declarat: *Quam multi luxuriantur casti futuri? quam multi blasphemant Christum credituri in Christum? et hi oves sunt, veruntamen modo alienam vocem audiunt, alienos sequuntur.* Item: *Quam multi intus lau-*
XI. 74. *dant blasphematuri? casti sunt fornicaturi? stant casuri? et non sunt oves, de praedestinatis enim loquimur.* Hanc distinctionem probat ipse Bellarminus, sic enim hoc loco scribit: *Notandum est, hominem posse esse filium et membrum Christi duobus modis: uno modo secundum praedestinationem, altero secundum praesentem justitiam;* et postea; *Ostendit apostolus eos, qui sunt tantum secundum praedestinationem filii, non actu esse, sed potentia; eos vero, qui sunt secundum praesentem justitiam filii, actu et simpliciter esse.* Quando igitur catholica ecclesia dicitur *congregatio electorum*, id in posteriore significatione proprie intelligitur, quia electi secundum praesentem statum sic dicti sunt actu et simpliciter catholicae ecclesiae membra, electi vero secundum praescientiam non actu, sed potentia in actum suo tempore deducenda et secundum quid ecclesiae membra dicuntur. Ac πολυθρήλλυτον illud, *extra coetum vocatorum non sunt quaerendi electi, extra visibilem ecclesiam non est quaerenda invisibilis,* intelligendum est de electis non solum respectu divinae praescientiae, sed etiam respectu praesentis justitiae sic appellatis. Haec omnia si memori mente teneantur, facile apparebit, quid de prolixa hac Bellarmini dissertatione sit statuendum.

SECTIO VI.

DE NON PERFECTIS, AN ILLI SINT IN ECCLESIA.

An ad ecclesiam pertineant non perfecti.

63. Quae c. 7. contra Pelagianos et Anabaptistas *ecclesiam ex solis perfectis constare* docentes Bellarminus disputat, ea ad nos haudquaquam pertinent. 1. Fatemur enim, neminem in hac vita absolute esse perfectum et sine omni peccato; 2. si vero nomen *perfectorum* accipiatur eo modo, quo in Scripturis accipitur Gen. 6, v. 9. Phil. 3, v. 15. etc. pro illis, qui imperfectionem suam humiliter agnoscunt, in solo Christo perfectionem quaerunt, in studio perfectionis quotidie progrediuntur et ad veram in vita aeterna perfectionem adspirant, tunc dicimus, tales perfectos et quidem solos esse de ecclesia, hoc est solos illos pertinere ad ecclesiam invisibilem, quae definitur *congregatio sanctorum*, sed in ecclesia visibili, sive quod idem est in externa ecclesiae societate, talibus perfectis intermixti sunt hypocritae et homines non-sancti nec perfecti. Chrysostomus in Psalm. 39: *Nec ex perfectis constat ecclesia, sed habet etiam otio et socordiae deditos, qui mollem et dissolutam vitam amplectuntur et libenter serviunt voluptatibus.* 3. Distinguendum etiam est inter ecclesiam *militantem* in terris et *triumphantem* in coelis. Qui sunt in ecclesia triumphante, illi ad veram perfectionem devictis omnibus suis hostibus pervenerunt; qui vero sunt in ecclesia militante, illis adversus Satanam, mundum et carnem adhuc pugnandum, ex quo certamine raro sine vulnere abeunt. 4. Quod Bellarminus hoc loco concedit, *neminem in hac vita absolute esse perfectum, justos non solum humiliter, sed etiam veraciter dicere non solum pro aliis, sed etiam pro se, dimitte nobis debita nostra, neminem in hac carnis infirmitate sine peccato esse* etc. ea opponi debent hypocrisi monachorum de operibus supererogationis somniantium, uti etiam disputationi de perfectione et meritis operum. 5. Quod vero Bellarminus addit, *peccata illa justorum cum sint sua natura venialia, non tollere justitiam ac b. Virginem ab omni peccato fuisse immunem*, ea de re alibi, quantum satis est, dictum fuit.

SECTIO VII. XI. 75.

DE MAGNIS PECCATORIBUS, AN ILLI SINT IN ECCLESIA.

An mag[ni] peccato[res] ad ecclesiam pe[r]tineant

64. Cap. 9. probare instituit Bellarminus, *in una, vera et catholica Christi ecclesia non solum imperfectos, sed etiam graves peccatores esse et non solum occultos, sed etiam manifestos.* Respondemus: 1. distinguendum inter ecclesiam *militantem* et *triumphantem.* In ecclesia militante ratione externae societatis locum habent peccatores manifesti, sed ab ecclesia triumphante erunt exclusi. 2. Distinguendum inter *externam ecclesiae* militantis societatem et inter *internam* ac spiritualem sanctorum in ea communionem, sive quod idem est, inter ecclesiam *visibilem* et *invisibilem.* Hypocritae et mali sunt in externa ecclesiae societate bonis intermixti, sed ad interiorem cum Christo communionem haudquaquam pertinent. Sicut Christus de discipulis suis dicit Joh. 17, v. 14. quod sint *in mundo, non autem de mundo* (in mundo esse et *visibiliter in mundo conversari*, de mundo esse est *mundi malitiam et incredulitatem amplecti*, docente Toleto in comm. illius loci), sic et nos dicimus e contrario,

Digitized by Google

impios esse in ecclesia, non autem de ecclesia. 3. Distinguendum inter manifestos peccatores, quidam eorum adhuc in ecclesiae coetu externo *tolerantur*, quidam vero per excommunicationem ab ea *separantur;* peccatores manifesti nondum excommunicati locum adhuc habent in ecclesia visibili, sed ab invisibili ecclesia, quae est sanctorum congregatio, etiam ante excommunicationem sunt separati. 4. Distinguendum inter peccatores eos, qui magnis peccatis onerati per veram poenitentiam iterum *convertuntur*, et inter eos, qui in peccatis *sine poenitentia* perseverant; illi etiam ante publicam et solennem receptionem, statim ut ex corde admissorum peccatorum eos poenitet et fide in Christum remissionem eorum consecuti sunt, sunt de ecclesia invisibili; hi quamvis in visibili ecclesia tolerentur, tamen ad invisibilem ecclesiam neutiquam pertinent. Haec omnia si probe observentur, facile judicari potest de illis, quae a Bellarmino hoc loco disputantur. Argumenta quae affert, id solum probant, esse in ecclesiis particularibus, in ecclesia visibili, in externa ecclesiae societate una cum sanctis etiam magnos peccatores, impios gerere officia in ecclesia, posse nos uti sacramentis, quae per malos administrantur, Deum per ministerium etiam impiorum esse efficacem ad salutem, propter quorundam peccata non esse discedendum ab ecclesia etc. sed quis nostrum, quos *Confessionistas* vocat, unquam quidquam illorum negavit? id vero dicimus et immotis argumentis adstruimus, ad ecclesiam *invisibilem et catholicam* proprie sic dictam, quae est *sanctorum congregatio*, non pertinere illos, qui in peccatis gravioribus sine poenitentia secure pergunt, si vel maxime eandem fidem profiteantur, iisdem sacramentis utantur et in externa ecclesiae societate locum adhuc obtineant.

65. Nec potest hoc negare Bellarminus, modo sibi ipsi constare velit, sic enim scribit in hoc ipso capite §. addit: *Augustinus in breviculo collationum refert, quod cum calumniarentur Donatistae, Catholicos duas ecclesias facere, unam in terris, quae haberet bonos et malos; alteram in coelis, quae non haberet nisi bonos; responderunt Catholici, se non duas ecclesias facere, sed distinguere duo tempora. Eandem ipsam unam et sanctam ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus.* (Sicut Donatistae propter distinctionem ecclesiae in militantem et triumphantem per calumniam tribuebant Catholicis, quod duas statuerent ecclesias; sic Pontificii propter distinctionem ecclesiae in visibilem et invisibilem per calumniam nobis tribuunt, quod duas
II. 76. fingamus ecclesias. Sed ut Catholici Donatistis olim respondebant, se non duas ecclesias facere, sed duo tempora ecclesiae distinguere; sic et nos Pontificiis respondemus, nos non fingere duas ecclesias, sed distinguere externam et internam ecclesiae societatem.) §. Ad ultimum concedit, *malos non esse membra viva corporis Christi;* sic dicatur: *ergo sunt aequivoce membra*, respondet, *a multis Catholicis hoc concedi solere, quod mali non sint membra vera nec simpliciter corporis ecclesiae, sed tantum secundum quid et aequivoce. Ita* (inquit) Joh. de Turrecremata libr. 1. cap. 57. *ubi id probat ex Alexandro de Ales, Hugone et Thoma. Idem etiam docent Petrus a Soto, Melchior Canus et alii, qui tametsi dicant, malos non esse membra vera, dicunt nihilominus, vere esse in ecclesia sive in corpore ecclesiae et esse simpliciter fideles seu Christianos. Neque enim sola membra sunt in corpore, sed etiam humores, dentes, pili et alia, quae non sunt membra. Neque fideles aut Christiani dicuntur tales a caritate, sed e fide seu fidei professione.* (At haec eadem est nostra sententia, concedimus, malos esse in corpore ecclesiae ratione externae societatis, interim non sunt vera et viva hujus mystici corporis membra, sed sunt in ecclesia, sicut vitiosi humores in corpore humano. Nostram igitur sententiam probant Turrecremata, Sotus, Canus et alii scriptores Pontificii. Idem enim cum Turrecremata, Soto, Cano etc. dicit Costerus in apol. part. 3. c. 12: *Ut phlegma, sanies, saliva, sanguis abundans viventis hominis neque membrum sunt neque partes, et tamen non sunt extra corpus; ita impii ad superfluos humores referuntur, qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus ejiciuntur.* Toletus in comm. Rom. 8: *Christiani non sunt, qui non vivam Christi fidem habent.* Idem dicit Lombardus lib. 1. sent. dist. 37. lit. C: *Illi ad templum Dei non pertinent, qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificant.* Idem dicit jus canonicum part 2. decret. caus. 24. q. 3. c. 8: *Ad ecclesiam non pertinent illi, qui in ejus unitate corporaliter permisti per pessimam vitam separantur.* caus. 33. q. 3. dist. 1. de poenit. c. 70: *Qui peccator est et aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi appellari non potest.* Proinde ante Bellarminum et concilium Tridentinum fuit communis et consentiens ecclesiae Romanae doctrina, malos non nisi aequivoce esse membra ecclesiae, nec aliter nisi ut humores excrementitii sunt in corpore.) In responsione ad arg. sextum Bellarminus porro sic scribit: *Hieronymus in c. 1. Gal. exponens illud, Paulus apostolus ecclesiis Galatiae, volens explicare, quomodo cohaereant inter se verba apostoli, qui nunc totas ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare ac reprehendere, dicit, ecclesiam dupliciter accipi, id est non duas esse ecclesias, sed de una diversimode Scripturas loqui, interdum enim Scriptura tribuit toti ecclesiae id, quod est proprium perfectorum, ut carere macula et ruga, interdum id quod est proprium peccatorum, ut peccare et correptione indigere.* (Idem et nos dicimus, *tribui scilicet per synecdochen toti ecclesiae, quod uni parti convenit*, quae sunt verba Bellarmini capite proximo. Scriptura loquitur de ecclesia diversimode, primo populariter et synecdochice et sic totum coetum vocatorum hoc nomine intelligit;

Digitized by Google

deinde exquisite, proprie et principaliter, et sic solos electos sive sanctos in illo coetu numerat.) In resp. ad arg. octav. conqueritur, *etiam aliquos Catholicos fingere duas ecclesias*, hoc est amplecti distinctionem in ecclesiam visibilem et invisibilem, quos cum ibidem refutare instituit, sententiam eorum vel maxime confirmat. *Cum Donatistae* (inquit) *calumniarentur, Catholicos duas ecclesias facere, unam quae solos bonos, aliam quae bonos cum malis contineret, responderunt Catholici, se nunquam duas ecclesias somniasse, sed tantum distinguere partes vel tempora ecclesiae; partes quidem quia aliter boni, aliter mali ad ecclesiam pertinent, boni enim sunt pars interior et quasi anima ecclesiae, mali sunt pars exterior et quasi corpus et dabant exemplum de homine interiore et exteriore, qui non sunt duo homines, sed duae partes ejusdem ho-*
XI. 77. *minis. Tempora autem distinguentes dicebant, aliter esse nunc, aliter futuram post resurrectionem, nunc enim habet bonos et malos, tunc non habet nisi bonos.* Atqui eadem etiam est nostra sententia, malos ad externam ecclesiae societatem pertinere concedimus, sed ab interna ac spirituali communione exclusos esse dicimus, quod ipsum confirmant similitudines, quas ex Augustino Bellarminus adducit, sic enim porro scribit: *Hanc doctrinam idem Augustinus alibi saepe confirmat et variis similitudinibus explicat. Nam lib. 7. contra Donatist. c. 51. dicit, bonos sic esse in domo Dei, quae est ecclesia, ut ipsi sint domus Dei constructa ex vivis lapidibus, malos sic esse in eadem domo, ut ipsi tamen non sint domus. Lib. de unitat ecclesiae c. ult. dicit, malos esse praecisos ab ecclesia animo, non tamen corpore, quod est dicere, pertinere ad hominem exteriorem ecclesiae, non tamen ad interiorem. Lib. 3. de doctr. Christ. c. 32. explicans illud Cant. 1. nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, notat, non esse dictum nigra fui, sed nigra sum et formosa, quia ipsa una et eadem ecclesia nunc est nigra, sicut tabernacula Cedar propter peccatores, quos in se habet, et simul est formosa, sicut pelles Salomonis, id est sicut tentoria regis propter bonos, quos in se habet. Idem August. tract. 3. in epist. Joh. docet, malos esse in ecclesiae corpore, non ut membra, sed ut humores corruptos, qui revera sunt in corpore et tamen sunt etiam vere separati a membris corporis.* Non potest evidentius ac clarius sententia nostra exponi, quam hisce similitudinibus ab Augustino factum, quas cum Bellarminus probet, sententiam nostram improbare non poterit.

Antithesis Bellarmini.

66. Sed profert Bellarminus quandam distinctionem, qua putat obtineri posse, malos esse vera membra ecclesiae catholicae. *Membra* (inquit) *considerari possunt duobus modis: uno modo, ut sunt res quaedam secundum se sive secundum essentiam ac substantiam suam; altero modo, ut sunt instrumenta operativa.* Illud postea sic applicat: *Dico, episcopum malum, presbyterum malum, doctorem malum esse membra mortua et proinde non vera corporis Christi, quantum attinet ad rationem membri, ut est pars quaedam vivi corporis; tamen esse verissima membra ratione instrumenti, id est papam et episcopos esse vera capita* etc. Respondemus: 1. Bellarminus excogitavit hanc distinctionem, ut obtinere posset, etiam malum pontificem esse adhuc ecclesiae caput, licet non sit ejus verum et vivum membrum. Sic enim scribit hoc loco: *Si ita est,* (hoc est, si mali non sunt membra vera, nec simpliciter corporis ecclesiae, sed tantum secundum quid et aequivoce, ut docent multi Catholici) sequitur, *pontificem malum non esse caput ecclesiae.* Sed male cavet pontifici suo hac nugatoria distinctione, ut ex sequentibus apparebit. 2. Concedimus enim malum pontificem ac malos episcopos esse instrumenta, per quae Deus in ecclesia agit, sed negamus eos esse vera corporis mystici, id est ecclesiae catholicae proprie sic dictae, membra. Distinguenda enim externa ecclesiae administratio ab interna ejusdem communione. Mali episcopi externam administrationem ecclesiasticorum officiorum sustinere possunt, sed ad internam ecclesiae communionem non pertinent, ideoque nec membra sunt. 3. Sane membra humani corporis sunt certo respectu ejusdem instrumenta, sed ex eo non sequitur, omnia instrumenta esse etiam membra; calamus, charta, atramentum fuerunt instrumenta Bellarmini, cum haec scriberet, num vero ipsius membra fuerunt? Deus utitur opera diaboli in puniendis hominibus, num vero dicemus, diabolum esse verum Dei membrum? Quando ergo Bellarminus dicit, *malum episcopum non esse verum membrum ratione membri, ut est pars quaedam vivi corporis, sed tantum ratione instrumenti*, re ipsa dicit, malum episcopum non esse membrum, sed duntaxat instrumentum. 4. Quaestio est generalis, utrum mali sint vera membra ecclesiae catholicae, proinde etiam probatio debebat esse generalis. Sed Bellarmini distinctio duntaxat de malis episcopis ac malis praelatis agit, quorum XI. 78.
opera Deus in ecclesia utitur, quasi vero nulli mali sint in ecclesia Romana praeter solos episcopos et praelatos malos? Disputat Bellarminus, *non ex malis episcopis tantum, sed etiam ex populo malo ecclesiam constare;* oportebat ergo talem afferri distinctionem, quae omnibus omnino malis in ecclesia conveniret, talis non est, quam Bellarminus adducit, non enim convenit malis laicis, qui non possunt dici instrumenta ac proinde nec membra ecclesiae. 5. Si mali praelati, quia sunt instrumenta operativa, judicandi ac dicendi sunt vera membra ecclesiae, consequetur, unum eundemque hominem esse verum membrum Christi et verum membrum diaboli, quod est absurdum. *Damnati non sunt in corpore Christi. Non enim potest Christus habere membra damnata*, inquit Augustinus lib. 2. contra Cresconium c. 21. Connexio patet, quia verum membrum ecclesiae catholicae est etiam verum membrum Christi. Ut enim spiritualis est conjunctio inter caput et membra in mystico Christi corpore, ita quoque spiritualis est conjuntio membrorum inter se invicem, proinde qui est verum

Digitized by Google

membrum ecclesiae catholicae, est etiam verum membrum Christi. Jam vero praelati mali ex hypothesi Bellarmini sunt vera membra ecclesiae, ergo etiam erunt vera membra Christi. At ex Scripturae sententia praelati mali sunt membra diaboli, ergo erunt simul membra Christi et diaboli, quod est absonum et blasphemum. *Quae enim societas luci cum tenebris, quae communio Christi cum Belial, quae participatio justitiae cum injustitia?* 2. Cor. 6, v. 14. 15. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 2. de justif. c. 7. §. septimo: *Si Christus per injustitiam nostram sibi imputatam vere dicitur peccator, dici etiam poterit, quod horret animus cogitare, filius diaboli. Sed Scriptura ubique eum vocat filium Dei.* Praesupponit igitur, neminem simul dici, nedum esse posse simul filium Dei et filium diaboli. 6. Membra mortua non sunt vera, sed aequivoce sic dicta membra. Unde Aristoteles dicit lib. 2. de anima c. 1. *mortuum membrum non aliter esse membrum quam membrum pictum.* Praelati mali *sunt membra mortua,* quod concedit Bellarminus et ostendit res ipsa, neque enim Spiritus vinculo Christo ecclesiae capiti sunt conjuncti, nec incrementum capiunt corpori conveniens ad aedificationem sui pro caritate. Ergo non sunt vera, sed aequivoce sic dicta membra. Non obstat, quod Deus eorum ministerio adhuc utitur, id enim non efficit eos vera membra, sed instrumenta duntaxat operativa. Christus multis in ecclesia utitur instrumentis, quae tamen non statim sunt ejus membra. Vir malus potest esse utilis architectus, ut ostenditur exemplo eorum, quorum opera Noa in exstructione arcae usus.

SECTIO VIII.

DE OCCULTIS INFIDELIBUS, AN ILLI SINT ECCLESIAE MEMBRA.

An occulti infideles sint membra ecclesiae.

67. Cap. 10. Bellarminus disputat, *occultos infideles esse veras partes exteriores atque etiam membra licet arida et mortua corporis ecclesiae.* Definit autem occultos infideles, quod sint ii, *qui nec fidem internam, nec ullam Christianam virtutem habent et tamen exterius propter temporale aliquod commodum fidem catholicam profitentur et communione sacramentorum veris fidelibus permiscentur.* Respondemus: 1. Bellarminus ipse agnoscit, *quosdam Catholicos hic in negantem concedere sententiam* ac nostras partes tueri. 2. Distinguendum inter ecclesias *particulares et catholicam* proprie ac κυρίως sic dictam; occulti infideles sunt in ecclesiis particularibus, sed ad catholicam proprie sic dictam minime pertinent. 3. Nec potest hoc diffiteri Bellarminus, cum in hoc ipso capite sic scribat, *occultos haereti-*
XI. 79. *cos non esse Catholicos animo ac voluntate, sed tantum externa fidei professione* (atqui ut aliquis sit membrum ecclesiae catholicae, requiritur, ut animo ac voluntate Catholicus sit, non externa duntaxat professione, quia Deus cor et animum magis respicit quam verba et speciem exteriorem); item *occultos haereticos non esse unitos ecclesiae, nisi conjunctione externa* (atqui ut quis ad ecclesiam catholicam pertineat, requiritur interna conjunctio, cum vinculum communionis in ecclesia catholica sit spirituale ac internum); denique *illos, qui se simulent esse Christianos et Catholicos, non esse de ecclesia, nisi secundum apparentiam exteriorem et putative, non vere* (atqui ut ad ecclesiam catholicam quis pertineat, non sufficit, ut secundum exteriorem apparentiam et putative, sed secundum interiorem conjunctionem et vere sit de ecclesia). 4. Haereticos occultos *in ecclesia* esse concedimus, sed *de ecclesia* eos esse negamus. Augustinus tract. 3. in Johan. epist.: *Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali quando evomuntur, tunc relevatur corpus; sic et quando mali exeunt, tunc ecclesia relevatur et dicit, quando eos evomit atque projicit corpus, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea praecisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent* (ut ergo humores mali licet sint in corpore, tamen non sunt ex corpore, nec sunt corporis membra, sic haeretici et infideles occulti, licet sint in ecclesia, tamen de ecclesia non sunt, neque inter illius membra computari debent). 5. Episcopos haereticos in ecclesiis particularibus esse posse ac per ministerium illorum Deum adhuc efficacem esse, praesertim si haeresin suam nondum publice evomant, libenter concedimus, sed ex eo nondum sequitur, quod propterea sint ecclesiae catholicae membra. Ostendimus enim paulo superius, plura omnino requiri, ut quis sit verum catholicae ecclesiae membrum quam ut sit instrumentum operativum. Testimonia patrum, quibus probamus, nec manifestos peccatores, nee occultos infideles ad ecclesiam catholicam proprie sic dictam pertinere late recenset Witakerus controv. 2. de eccles. qu. 1. c. 14.

SECTIO IX.

DE ANGELIS, AN ILLI SINT ECCLESIAE MEMBRA.

68. Bellarminus lib. 4. de Christi anima c. 5. An angeli sint membra ecclesiae.
§. prima: *Angeli continentur etiam in corpore Christi, quod est ecclesia.* ** Idem tamen lib. 2. de grat. et lib. arb. c. 17. prop. 10. scribit: *Quamvis angeli quoque sancti gratis praedestinati sint ad vitam aeternam partim ex sola Dei voluntate, partim ob praevisa peccata reprobati, tamem divitiae gratiae et justitiae Dei magis ostenduntur in electione et reprobatione hominum.* ** Franciscus Junius lib. de eccles. c. 3. *partes generales ecclesiae* constituit *duas, angelicum et humanum genus.* ** Ravensperg. decad. 3. globor. sacr. quaest. 6: *Ecclesia sumitur vel late, vel stricte et proprie. Late pro*

omni praeordinatione et decreto gloriae, et sub hoc coetu dicit contineri etiam angelos. Si vero stricte et sensu Scripturae vocabulum electionis accipiatur, nequaquam dici posse, angelos esse electos. ** Tossanus in notis ad c. 12. Hebr. v. 22. ex verbis apostoli, *accessistis ad μυριάσιν ἀγγέλων* collegit, *etiam angelos ad ecclesiam Dei et congregationem sanctorum pertinere.* Guil. Becanus instit. theol. loco 41. pag. 466: *Angeli beati sunt etiam verae ecclesiae pars materialis.*** Argumenta Becani sunt: 1. *Christus est angelorum caput. Ergo illi sunt ecclesiae membra.* Respondemus: Christus est caput super omnia *Eph. 1, v. 22. nec tamen omnes omnino creaturae sunt membra ecclesiae. 2. Homo pius resipiscendo venit ad angelorum coetum. Ergo angeli sunt materialis pars ecclesiae.* Respondemus: homo pius accedit ad Deum. Ergone Deus materialis pars ecclesiae? ** Idem statuunt Trelcatius in locis p. 293. Ursinus in catech. p. 343. Polanus part. 3. thes. p. 93. Qua in parte videntur sequi Origenem, qui homil. 23. in Luc. *duplicem* statuit *ecclesiam,*
XI. 80. *angelorum et hominum congressu.* Quid hac de re statuendum? Respondemus: 1. certum est, angelos et homines ante lapsum fuisse unam ecclesiam, unum corpus mysticum, unam beatam societatem Deum laudantium et praedicantium, sed per lapsum genus humanum ex hoc corpore est avulsum. 2. Quamvis vero per Christum mediatorem facta *ἀνακεφαλαίωσις eorum, quae in coelis sunt et quae super terram sunt* Ephes. c. 1, v. 10. tamen id demum perfecte complebitur in vita aeterna, in qua ex angelis et electis iterum una societas, unum corpus atque unus chorus Deum glorificans constituetur. 3. Angelos igitur ecclesiae *triumphantis* cives ac sano sensu etiam partes esse concedimus, Hebr. 12, v. 23. sed si de *militante* ac visibili ecclesia sermo sit, ea definienda est, quod sit coetus hominum e mundo evocatorum etc. Sic enim describuntur membra visibilis ecclesiae in hoc mundo, quod sint in peccatis concepta et nata, sed per Christum a peccatis liberata ac per verbum et sacramenta ecclesiae inserta, fide Christo adhaerentia ac per mortem ad vitam transeuntia, quorum nihil competit angelis. ** Si angeli sunt verae ecclesiae membra, omnia etiam ecclesiae bona ad ipsos pertinent, adeoque etiam meritum ipsius Christi; qui autem fit, quod angeli lapsi plane ab illo ecclesiae beneficio exclusi sunt, cum illud ad lapsos homines pertineat? Phil. Caesar. in disp. de ult. Christi advent. th. 71: *Angelis Christus non est redemtor, sed tantum servator, et servator quidem non ex malo, in quo nunquam fuerunt, sed in bono, in quo ipsius gratia steterunt, qua ratione ipsorum quoque tanquam verae ecclesiae membrorum caput dicitur 1. Tim. 5, v. 21. Eph. 1, v. 22. Col. 1, v. 18. et c. 2, v. 20.* Idem habet Zanchius lib. 3. de operibus Dei c. 21. Wendelinus lib. 1. theol. c. 28. p. 561: *Materia ecclesiae sunt homines per verbi praeconium ad aeternae salutis participationem vocati. Alias ita late solet accipi ecclesia, ut angelos quoque complectatur. Nobis vero hoc loco sermo tantum est de ecclesia hominum, quibus destinata sunt hactenus explicata Christi beneficia.* ** 4. Angeli ergo non sunt proprie dicta ecclesiae visibilis ac militantis membra, cum nec externa societate, quae in professione fidei et usu sacramentorum consistit, ecclesiae conjuncti sint, nec internam cum ea communionem proprie loquendo habeant, siquidem vinculo illius communionis, vera scilicet et viva illa fide, quae Christi justitiam apprehendit et per eam Christo nos incorporat, destituti sunt, nec contra Satanam, mundum et carnem eo modo pugnant, quo renati verae ecclesiae membra in acie contra illos hostes consistunt. 5. Interim non negamus, angelos interesse conventibus ecclesiasticis 1. Cor. 11, v. 10. Intersunt autem non ut partes, sed ut custodes ac vigiles, inde coelestis Hierosolyma sic describitur, *quod super portas habeat duodecim angelos* Apoc. 21, v. 12. intersunt etiam ut *desiderantes παρακύψαι in mysteria illa, quae in evangelii praedicatione hominibus annuntiantur* 1. Petr. 1, v. 12. 6. Non est, quod objicias, *Christum esse caput sanctorum et angelorum, ac proinde illos esse ecclesiae membra,* est enim Christus angelorum caput, non ratione ὁμοουσίας seu communionis ejusdem naturae Hebr. 2, v. 16. nec respectu effectorum spiritualium et gratiae, ut praestet illis liberationem a peccatis et omnia ad salvationem necessaria, eo enim modo solius ecclesiae ex hominibus collectae caput est; sed respectu dominii divini et generalis Eph. 1, v. 22. Col. 2, v. 10. 1. Petr. 3, v. 22. quo modo est caput non solum angelorum, sed etiam *super omnia,* unde etiam angeli *ipsum adorant* Psalm. 103, v. 20. Hebr. 1, v. 6. 7. Nec validum et efficax est argumentum Thomae part. 3. q. 3. art. 4. ubi inquit: *Unum corpus similitudinarie dicitur una multitudo ordinata in unum secundum distinctos actus seu officia. Manifestum autem est, quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli, unde corpus ecclesiae mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam angelis.* Respondendum enim, non ex solo fine res definiendas esse, sed addendas causas internas et essentiales, nec entia consociata semper esse ejusdem generis. Multa enim sunt conjuncta et conjunctim ad unum finem ten- XI. 81.
dunt, nec tamen illorum conjunctio est connexio membrorum sub uno capite. 8. Recte igitur Becanus l. d. cum primum affirmasset, angelos esse partem verae ecclesiae materialem, quasi correctionis loco postea subjungit: *Sed quoniam de ecclesia loquimur, quatenus eam Deus suo sanguine acquisivit et eandem verbo suo colligit, Deus vero angelos beatos, qui nunquam exciderunt, non redemit, sicut nec eos assumsit Hebr. 2, v. 16. nec ministerio verbi ad ecclesiae suae communionem vocat, sed in prima sua origine duntaxat eos stabilivit, ideo ecclesiam ex hominibus tantum colligi asserimus, juxta promissionem Patris Filio factam Hebr. 2, v. 8.* Et de his quidem hactenus; proximum est, ut ad distinctionem inter ecclesiam visibilem et invisibilem

Digitized by Google

descendamus, ex qua omnia, quae hactenus de ecclesiae membris disputata sunt, erunt clariora.

CAPUT VII.

DE DISTINCTIONE INTER ECCLESIAM VISIBILEM ET INVISIBILEM.

69. Appellatio ecclesiae invisibilis valde exosa est Pontificiis. Eccius hanc vocabuli acceptionem ridet et dicit, esse *ecclesiam mathematicam et ideas Platonicas*. Alii vocant *stigmaticam*, *utopicam*, *imaginariam ecclesiam*. Bellarminus ex Frider. Staphylo lib. 3. de eccl. c. 11. scribit, *Lutheranos initio ecclesiam invisibilem fecisse, deinde tamen cum viderent absurda, quae inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut ecclesia visibilis diceretur, coepisse igitur omnes docere, ecclesiam esse visibilem, sed sic tamen, ut nomine visibilis, re invisibilis esset*. C. 9. resp. ad arg. 8. scribit, *nos duas ecclesias fingere, quarum una sit visibilis, altera invisibilis*. Idem repetit Becanus tract. de ecclesia q. 1. concl. 1. pag. 20. Pistorius in hodoget. pag. 134. et 135. affingit nobis *oppositionem ecclesiae visibilis et catholicae*. pag. 145. nobis hanc opinionem tribuit, quod statuamus, *ecclesiam non semper fuisse visibilem, ut sub papatu*. Diligenter igitur notandum, qua occasione, quove sensu, fine ac respectu ecclesia dicatur visibilis et invisibilis. 1. Nequaquam introducimus duas ecclesias ἀντιδιῃρημένως sibi invicem oppositas, ita ut visibilis et invisibilis ecclesiae sint species contradistinctae, sed unam eandemque ecclesiam respectu diverso visibilem et invisibilem esse dicimus. 2. Non approbamus furores Anabaptistarum, qui hoc praetextu in abscondito latitantes circumeunt domos et in iis clam ecclesiolas constituere cupiunt, quia scilicet ecclesia sit invisibilis, contra quos exstat gravis commonitio Lutheri tom. 2. Witeb. fol. 210. Vult enim Deus nos quaerere, scire et agnoscere debere, quae et ubi sit vera ecclesia, ut ad eam tanquam membra et cives nos adjungamus, ideo etiam definitur, quod *sit visibilis coetus amplectentium evangelium Christi et recte utentium sacramentis*. 3. Non patrocinamur Enthusiastarum fanaticis opinionibus, qui contemto visibili verbi et sacramentorum ministerio raptus internos exspectant et hoc fine in angulos se concludunt, ut extra hominum conspectum positi divina alloquia audiant. 4. Nec solo nomine et ἀλληγορικῶς ecclesiam dicimus esse visibilem, ut Pontificii calumniantur, sed vere et re ipsa, ut ex sequentibus apparebit. 5. Nec hoc fine ecclesiam dicimus invisibilem, ut sub papatu ecclesiam conservatam fuisse obtinere possimus, quia veram, sanctam et catholicam ecclesiam semper invisibilem esse dicimus, etiam hoc ipso tempore, quo reaccensa lux evangelii in multis regnis et provinciis clarissime splendet. 6. Nec agimus hoc loco tantum de ecclesia *triumphante*, quam esse oculis humanis nondum glorificatis invisibilem, ne ipsi quidem Pontificii negare possunt; sed etiam de ecclesia in terris militante. Turrianus lib. 1. contra Sadeel. c. 4. concedit, *partem illam ecclesiae, quae cum Christo in coelis triumphat, esse invisibilem, partem autem* XI. 82.
in terris degentem visibilem esse dicit. 7. Quando in extremo judicii die oves separabit Christus ab hoedis et electos ad dextram statuet Matth. 25, v. 32. tunc ecclesiam catholicam, quae est sanctorum congregatio, visibilem fore non negamus, sed agimus hoc loco de ecclesia in statu hujus vitae a nobis considerata.

70. Quid ergo tandem distinctione illa nobis volumus? Respondemus: 1. ecclesiae appellatio interdum generaliter accipitur pro coetu promiscuo vocatorum, in quo omnes, qui externa professione se aggregant ad auditum verbi et usum sacramentorum, pro ecclesiae membris habentur; interdum specialiter et proprie accipitur pro coetu vere renatorum et electorum in illo coetu, qui Deo cordium et renum scrutatori cogniti sunt. Respectu vocatorum ecclesia dicitur visibilis, respectu electorum invisibilis. Stante igitur discrimine electorum et vocatorum, stabit etiam nostra sententia, quod vera ecclesia, quae est congregatio sanctorum, sit invisibilis. Nam in coetu visibili vocatorum sunt electi, quibus proprie debetur ecclesiae titulus, utpote qui sunt vera, viva et genuina illius membra. Jam vero, qui sint vere renati ac electi, non apparet exterius, nec beneficio oculorum comprehendi potest. *Deus novit, qui sint sui*, 2. Timoth. 2, v. 19. nobis autem hoc invisibile est. Quamvis enim effecta fidei et pietatis in renatis appareant exterius juxta dicta Matth. 5, v. 16: *Luceat lux vestra coram hominibus* etc. Jacob. 2, v. 18: *Ostende mihi fidem ex operibus* etc. tamen ex illis de fide hominum non potest apodicticum et infallibile a nobis proferri judicium, quia hypocritae ad speciem similia opera facere possunt et faciunt. Lege caritatis pro renatis et electis habemus omnes illos, qui externo ecclesiae coetui sese aggregant, audiunt verbum, utuntur sacramentis et ab externis delictis gravioribus abstinent, interim tamen solus Deus fontem omnium bonorum operum, videlicet cor, intuetur, an scilicet illud recte se habeat. Nullum est vere bonum opus, quod non proficiscitur ex vera in Christum fide et sincera caritate. Jam vero etiam hypocritae opera fidei et caritatis simulare possunt; *nemo majorem habet caritatem, quam ut vitam ponat pro amicis* Joh. 15, v. 13. interim tamen apostolus expresse asserit 1. Cor. 13, v. 3: *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil sum.* Ergo potest quis maximum caritatis opus aemulari exterius sine interiore caritate. Spiritus sanctus opus regenerationis ac renovationis non perficit visibili aliqua et manifesta, sed arcana ratione Joh. 3, v. 8. exserit quidem sese interior regeneratio et renovatio per *fructus Spiri-*

Digitized by Google

tus Gal. 5, v. 22. interim tamen etiam hypocritae illos aemulari possunt, soli igitur Deo cordium scrutatori infallibilis illa cognitio vel potius notitia competit, qua vere pios ac renatos ab hypocritis piorum simiis discernere potest. Refero huc verba Bellarmini lib. 3. de eccl. c. 10. §. sed neutra: *Cognitio vere fidelium ex fidei effectis non est certa, sed conjecturalis.* **Piscator in resp. ad 3. rat. Camp. p. 43: *Si quis credentium numerus est, cujus debita praeceptorum Christi obedientia soli Deo nota, negabis ecclesiam invisibilem? Actiones quidem hominum externae non incerti vitiorum sunt indices, at non pietatis et virtutum. Simulatur quandoque virtus et specie sua decipit alios. Dictum ab apostolo: Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus. Hic Spiritus ubi est, ibi et ecclesia Christi. Cui vero notum, ubi Spiritus ille Dei, nisi scrutatori renum et cordium, imo cognitori? Antequam ex operibus, quae sunt Spiritus, de hominis corde judicas, ipsa cordis integritas cognoscenda. Sitne verum, simplex, sincerum, an simulatum, fucatum, ex quo tanquam fonte pietas emanat, quis novit nisi sapientissimus ille cordium explorator?*** 2. Ecclesia igitur pro toto vocatorum coetu accepta dupliciter consideratur, ἔσωθεν scilicet atque ἔξωθεν, id est respectu internae et externae societatis. Interna ecclesiae societas consistit in unitate fidei salvificae, spei et caritatis, qua Christo capiti et reliquis mystici corporis membris vere pii sunt conjuncti. Externa ecclesiae societas consistit in professione fidei et usu sacramentorum, cui disciplinae ecclesiasticae exercitium addi potest.
XI. 83. Visibilis est ecclesia respectu societatis externae, sed invisibilis est respectu societatis internae. Quinam enim ad externam ecclesiae societatem pertineant, oculis hominum est obvium; sed quinam ad internam ecclesiae societatem pertineant, non item, quia fides et spiritualis novitas, quae est proprium et internum verae ecclesiae decus, infirmitatibus carnis obtecta latet; ipsa quoque *vita* et beatitudo, verae fidei immediate conjuncta, adhuc *abscondita est cum Christo in Deo* Col. 3, v. 3. *cum Christus, vita nostra, apparuerit, tunc demum cum ipso in gloria apparituri sumus* v. 4. sed in hac vita scandalo crucis et mortis velut crasso ac denso velamine tegitur et absconditur, quominus oculis hominum sit conspicua, 1. Joh. 3, v. 2: *Filii Dei sumus et nondum apparuit, quid erimus;* inde vere pii et renati vocantur *absconditi et occulti homines* Psalm. 83, v. 4. Rom. 2, v. 29. 1. Petr. 3, v. 4. 3. Ecclesia ex vocatione aestimata ac pro toto coetu vocatorum accepta dicitur visibilis, non solum respectu hominum vocatorum, sed etiam respectu *externorum mediorum et instrumentorum,* per quae in his terris Deo colligitur ecclesia; ut etiam respectu externorum religionis exercitiorum, quae sunt professio doctrinae, usus sacramentorum ac disciplina ecclesiastica. Praedicatio verbi et administratio sacramentorum in oculos et aures incurrunt, uti etiam reliqua externa ecclesiae officia, horum igitur omnium et singulorum respectu ecclesia dicitur visibilis. Vicissim invisibilis dicitur primario quidem et potissimum respectu fidei et internorum donorum Spiritus sancti in renatis, quae humanis oculis perspici nequeunt; deinde etiam respectu capitis in mystico illo corpore, quod jam non videmus et quia discretio bonorum ab hypocritis, quibus in visibili ecclesia intermixti sunt, soli divinae notitiae est relicta. 1. Reg. 8, v. 39: *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* 2. Tim. 2, v. 19: *Dominus novit, qui sint sui.* 4. Accurate autem observandum, ecclesiam visibilem et invisibilem non esse contrarie opposita, sed subalterna ac subordinata. Nam invisibilis electorum coetus continetur sub visibili congregatione vocatorum, *quia extra coetum vocatorum non sunt quaerendi electi* et ecclesia vocatorum latior est, quam electorum, quia *multi vocati, pauci electi* Matth. 20, v. 16. Quicunque igitur pertinent ad ecclesiam invisibilem, illi etiam ad visibilem, id est quotquot sunt electi, illi etiam sunt vocati, sed non contra; proinde ut ecclesia militans et triumphans non opponuntur sibi contrarie nec constituunt duas ecclesias, qui enim hodie est membrum ecclesiae militantis, cras potest esse membrum ecclesiae triumphantis, et quicunque ex hominibus aggregatur ecclesiae triumphanti, is prius fuit membrum ecclesiae militantis; sic ecclesia visibilis et invisibilis itidem non opponuntur sibi contrarie nec duas constituunt ecclesias, idem enim homo diverso respectu est membrum ecclesiae visibilis et invisibilis, et quicunque est membrum ecclesiae invisibilis, illum etiam oportet esse membrum ecclesiae visibilis. 5. Notetur etiam illud, ecclesiam electorum dici invisibilem, non quod illi per orbem dispersi pii ratione suae personae non veniant sub conspectum hominum, sed quia fides et divina electio, ratione quarum ad ecclesiam ut viva membra pertinent, in illis non apparent, videntur ut homines corporei, non videntur ut homines electi; nec ideo ecclesiam electorum dici invisibilem, quod piis et electis cum visibili ministerio verbi ac sacramentorum et cum exercitio divini cultus externo nihil plane sit commercii, sed quia dona Spiritus sancti interna, quibus ipsi tanquam viva ecclesiae membra a putridis et mortuis membris in oculis Dei discernuntur, hominum adspectui minime sint obvia. ** Ecclesia materialiter accepta, hoc est de hominibus in ea versantibus, ex parte est visibilis, nimirum quatenus de militante hoc intelligitur, triumphans enim est nobis invisibilis; formaliter vero accepta, nempe de fidelibus, est invisibilis.** 6. Opposita igitur est distinctio ecclesiae in visibilem et invisibilem disputationibus Pontificiorum. Illi enim definitionem ecclesiae, quae sit audienda et a qua non sit discedendum, exstruunt ex tali similitudine. Sicut respublica Veneta, regnum Gallicum, imperium Germanicum etc. certo ordine gubernatorum et subditorum, certis legibus et mori- XI. 84.
bus constant; ita apud Romanum pontificem ac praelatos, qui sunt in ordinaria successione, eccle-

siam Christi sic esse quasi alligatam, ut quodcunque illi statuant et sentiant, necessario sit ab omnibus recipiendum ac nullo modo et praetextu ab illis discedendum, quia ecclesia *sit columna et firmamentum veritatis* 1. Tim. 3, v. 15. Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 2. §. atque hoc: *Ecclesia est coetus hominum ita visibilis et palpabilis, ut est coetus populi Romani vel regnum Galliae, aut respublica Venetorum.* C. 5. resp. ad ob. 2: *Nemo potest, etiamsi velit, subesse Christo et communicare cum ecclesia coelesti, qui non subest pontifici.* C. 10. resp. ad 2: *Ut episcopos ac pastores illos, quos videmus, pro veris episcopis habeamus, non requiritur ad hoc in illis fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum ut habeantur pro talibus ab ecclesia* etc. *quod idem est ac si diceremus, eos non esse quidem in se veros episcopos, tamen donec pro talibus habeantur ab ecclesia, deberi illis obedientiam; item tenere eos locum Christi de facto, non de jure, denique non posse ab illis ecclesiam decipi, cum ecclesia non possit errare, et tamen eos teneatur sequi, quos pro veris pastoribus habet, quod postremum sano modo accipiendum, si videlicet hujusmodi episcopi in doctrina omnes conveniant, aut summi pontifices sint* etc. Lib. 4. de pontif. c. 2: *Quarta sententia certissima est et asserenda, pontificem, sive haereticus esse possit sive non, non posse ullo modo definire aliquod haereticum ac a tota ecclesia credendum.* Et postea: *Non potest fieri, ut pontifex temere definiat.* Haec omnia Bellarminus, sed huic politicae imaginationi opponendum est verissimum illud pronuntiatum, quod ecclesia illa, cui praeclara ista encomia in Scripturis tribuuntur, sit invisibilis, id est quod sit grex talium ovium, quae a Christo cognitae et eum vicissim ex verbo agnoscentes ex manibus ejus in aeternum eripi nequeunt, sicut Christus ecclesiam suam definit Joh. 10, v. 14. et 28. Ergo ecclesia non quaerenda est in solio et corona aurea pontificis, in galero purpureo cardinalium, in mitris bicornibus episcoporum, in infulis abbatum, in cucullis monachorum, in rasura sacrificulorum, in cilicio Benedictinorum, in funibus Franciscanorum; sed gloria filiae regis seu ecclesiae est ad intra Psalm. 45, v. 14. in Christo Domino gloriae, in evangelio gloriae, in spe gloriae, ut scribit D. Lobechius disp. 10. in August. confess. th. 12. inde Augustinus lib. 3 de bapt. c. 18. lib. 1. c. 21. et 22. lib. 6. c. 3. lib. 7. c. 51. et alibi passim docet, *solos sanctos et electos esse illam ecclesiam, quae est fundata super petram, contra quam portae inferorum non possint praevalere et cui datae sint claves regni coelorum, quaeque sit columna et firmamentum veritatis*, cui frigide respondet Bellarminus lib. 3. de eccles. cap. 9. *Augustinum hoc duntaxat velle, quod omnia privilegia, quae sunt a Deo ecclesiae universae concessa, propter solos sanctos concessa sint, id est in utilitatem et commodum eorum, qui salutem aeternam consequuntur;* res ipsa enim ostendit, hanc responsionem esse violentam, siquidem aliud est, solos sanctos esse illam ecclesiam, quae dicitur fundata super petram, aliud est ecclesiae universae, id est toti vocatorum coetui, in quo sunt aliqui nonsancti, hoc esse datum. Augustinus de unit. eccles. c. 18: *Profecto in bonis est illa ecclesia, de qua dicitur: sicut lilia in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his est enim, qui aedificant supra petram, id est qui audiunt verba Christi et faciunt, quia et Petro confitenti se Christum Filium Dei sic ait: super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Non est ergo in eis, qui aedificant super arenam, id est qui audiunt verba Christi et non faciunt*, etc. 7. Opposita quoque est haec invisibilis ecclesiae a visibili distinctio persuasionibus illorum, qui in delictis sibi blandiuntur seque non posse damnari putant, cum sint membra visibilis ecclesiae. Contra illos recte docetur et urgetur, non sufficere ad salutem, ut quis in visibili ecclesiae coetu verbum audiat, fidem profiteatur et sacramentis utatur, nisi interiori regeneratione per Spiritum sanctum donatus viva fide Christo capiti adhaereat et caritatis XI. 85.
glutine reliquis mystici hujus corporis membris sit conjunctus. 8. Atqui hi sunt primarii fines ac scopi, propter quos ecclesia vera dicitur invisibilis et a visibili vocatorum coetu certo modo ac respectu distinguitur. Accedit autem secundarius quidam scopus et minus principalis termini hujus significatio. Quia enim non solum regna mundana externo splendore ecclesiam antecellunt, sed etiam coetus haeretici opibus potentia, gloria, eruditione, auctoritate, multitudine, specie operum etc. saepius eminent, ideo ne ab externa illa specie de ecclesia judicetur, dictum est, ecclesiam esse invisibilem, hoc est quod miser, contemtus et exiguus ille coetus, in quo multae sunt infirmitates, quique non tantum persecutionibus et cruce premitur, sed etiam offendiculis et scandalis deformatur, sit ecclesia, de qua non ab externa specie, sed ex verbo sit statuendum et juxta verbi normam judicandum. Et hoc sensu ac respectu concedimus, ecclesiam in hac significatione non esse perpetuo *eodem modo* invisibilem, hoc est non semper eodem modo pressam, contemtam et abjectam latere, sed lunae instar externum ejus splendorem variari, augeri ac minui, quandoque enim persecutionibus premitur et haeresium nebulis obscuratur, quandoque vero tranquillitate fruitur et doctrinae sinceritate clarissime fulget. 1. Reg. 19, v. 18: *Remansi ego solus*, dicit Elias, sed respondit Dominus: *reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua coram Baal*, quem locum Paulus Rom. 11, v. 3. et 4. repetit et ad disputationem de rejectione Judaeorum applicat. Erat eo tempore miser status ecclesiae in populo Israëlitico, cessaverat ministerium publicum, nihilo tamen minus reliquerat sibi Deus septem millia piorum, qui licet Eliae oculis non essent obvii, tamen Dei oculis erant manifesti. Luc. 17, v. 20: *Regnum Dei non venit μετὰ παρατηρήσεως, cum observatione*, v. 21: *neque dicent: ecce hic aut ecce illic, regnum Dei intra vos est.* Sed haec significatio visibilitatis et invisibilitatis proprie pertinet ad quaestionem, an ecclesia pos-

Digitized by Google

sit deficere. 9. Denique removenda est ambiguitas, quae latet in voce ecclesiae catholicae. Dicitur enim catholica ecclesia primo *congregatio sanctorum et electorum*, in qua significatione proprie a nobis in hac disputatione usurpatur. Secundo *congregatio ecclesiarum particularium*, quae fidem catholicam profitentur, in qua significatione dicit Augustinus tract. 6. in Joh. *bonos et malos esse in ecclesia catholica, sed tanquam grana et paleas.* Juxta utramque significationem ecclesia catholica dici potest invisibilis, siquidem quinam inter vocatos vere sancti et electi sint, oculis hominum non apparet; nec ecclesia catholica vocatos omnium temporum et locorum complectens oculorum intuitu conspicitur ante judicii diem, quo pertinet illud Tertulliani de praescript, quod *catholica sit temporalibus aeterna, locis infinita, personis innumera.* Pontificii in posteriori solum significatione ecclesiam catholicam concedunt non videri totam, negant autem, ex eo inferri posse, quod per se et simpliciter loquendo ecclesia sit invisibilis, *cum partes ejus videri possint, licet tota non appareat*, quod Pistorius in hodeg. p. 136. declarat exemplo Rheni, cujus etsi singulae et omnes partes uno intuitu conspici nequeunt, non tamen inde sequi, Rhenum esse invisibilem; negant etiam, priori significatione ecclesiae catholicae nomen accipi pro congregatione sanctorum et electorum, ideoque simpliciter negant, ecclesiam esse invisibilem. Nos contrarium asserimus sensu eo, qui ex hactenus dictis manifestus est.

Argumenta, quae probant ecclesiam invisibilem. 1. Jer. 31, v. 33: XI. 86. Dabo legem meam in cordibus eorum.

71. Argumenta potiora, quibus probamus, ecclesiam certo modo ac respectu invisibilem esse, Bellarminus non attingit, leviora quaedam profert lib. 3. de eccles. c. 15. iisque respondere conatur; videamus quid praestet: 1. Jerem. 31., v. 33: *Dabo legem meam in cordibus eorum et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum*, ubi Deus distinguit ecclesiam N. T. ab ecclesia T. V. quod illa fuerit coetus quidam externus et propterea habuerit legem scriptam in tabulis externis et lapideis; ista autem sit populus quidam interior et propterea legem scriptam habeat in cordibus. Bellarminus respondet, *Jeremiam non conferre synagogam cum ecclesia, sed testamentum novum cum testamento veteri, et quamvis testamentum novum proprie sit caritas, quae est lex in corde scripta, testamentum vetus proprie sit doctrina exterior sive lex scripta in lapidibus, tamen non sequi, quod ecclesia N. T. sit invisibilis. Ut enim corpus cujuslibet animalis visibile est et tamen habet multa intus quae non videntur, ut cor, hepar, spiritus vitales et similia; ita ecclesia visibilis habet multa invisibilia, fidem, spem, caritatem etc. et quamvis haec dona invisibilia sint necessaria in ecclesia, et in sola ecclesia, non tamen in omnibus ejus partibus, sicut sensus est necessario in animali et in solo animali, et tamen non est in omnibus ejus partibus.* Respondemus: 1. debuisset Bellarminus ostendere, quis nostratium hoc argumento ea ratione formato utatur. 2. Ipse ἐργασίαν hujus loci ex nostra sententia proponit talem, quasi statuamus, ecclesiam V. T. fuisse coetum externum et visibilem; ecclesiam N. T. coetum internum ac invisibilem. Atqui nos non minus ecclesiam V. T. quam N. T. certo respectu invisibilem fuisse dicimus. 3. In eo quidem differentiam aliquam inter ecclesiam Israëliticam V. T. et ecclesiam Christianam N. T. agnoscimus, quod ecclesia in T. V. ordinarie alligata fuerit ad unam aliquam nationem, certam gentem et populum, adeoque ad unum locum, sed in N. T. sine respectu seu discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum et personarum per praedicationem evangelii in universo orbe inter omnes gentes ecclesia Christo colligitur, unde etiam catholica sive universalis dicitur, sed ex eo nondum potest inferri, veram electorum ecclesiam in V. T. fuisse visibilem, siquidem non minus in V. quam in N. T. oculis humanis obvium non est, quinam in coetu vocatorum sint electi. 4. Si id, quod in veris ecclesiae membris requiritur, videri nequit, utique ecclesia respectu vivorum ac verorum membrorum erit invisibilis. Sed caritas, quae proprie est novum testamentum et lex in corde piorum scripta, exterius videri nequit. Ergo ecclesia respectu verorum et vivorum membrorum est invisibilis, hoc est quinam sint vera et genuina ecclesiae membra, humanis oculis non est obvium. Bellarminus ipse c. 2. asserit *tres modos existendi in ecclesia, videlicet corpore tantum, anima tantum, et utroque simul.* Atqui ille modus exsistendi in ecclesia, qui fit anima tantum, videri nequit. 5. Simile Bellarmini huc non quadrat. De invisibilibus enim illis in animali, de corde scilicet, hepate, spiritibus vitalibus etc. judicium infallibile fieri potest ab externis actionibus, uti etiam in anatomiis interna illa viscera apparent; sed de fide, spe et caritate, in quibus interna ecclesiae societas consistit et ratione quorum donorum vere quis ad ecclesiam pertinent, non potest certum et infallibile judicium fieri ex actionibus externis. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, quando c. 10. §. sed neutra diserte scribit: *Cognitio fidei ex illius effectis non est certa, sed conjecturalis.* 6. Sic igitur ex hoc loco concludimus. Illi duntaxat sunt vera et genuina ecclesiae membra, atque illis proprie honorificus ecclesiae titulus debetur, in quorum corda Deus legem suam scripsit, et quorum ipse est Deus, et qui ejus sunt populus. Jam vero quinam ὄντως et vere tales sint, externo intuitu cognosci nequit. Ergo vera ecclesiae membra, quatenus talia non videntur, quod idem est, ecclesia respectu verorum suorum membrorum est invisibilis.

2. Luc. 17, v. 20: Regnum Dei non venit cum observatione. XI. 87.

72. 2. Luc. 17, v. 20: *Regnum Dei non venit* μετὰ παρατηρήσεως, v. 21: *neque dicent: ecce hic aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est.* Vera ecclesia est Dei regnum. Jam vero exterius videri nequit, quinam proprie pertineant ad regnum Dei. Ergo etiam exterius videri nequit, quinam proprie pertineant ad veram ecclesiam. Assumtum probatur ex dicto Christi, quia *regnum Dei non venit cum observatione, sed est intra hominem.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 9. cum dixisset, *ecclesiam militantem dici regnum Dei et regnum coe-*

Digitized by Google

lorum, quia nunc etiam cum Christo regnat et triumphat, etsi non sic ut olim regnabit; postea subjungit: *nec tamen cum illo regnant zizania, etsi in ecclesia cum tritico crescant* (ergo ad hoc regnum zizania sive impii non pertinent). Postea addit: *Hi regnant cum Christo, qui eo modo sunt in regno ejus, ut etiam ipsi sint regnum ejus. Quomodo autem sunt regnum Christi, qui suum quaerunt, non quae sunt Jesu Christi?* Bellarminus excipit, *per regnum Dei intelligi vel gratiam, per quam Deus in cordibus hominum regnat, ut exponit Theophylactus, vel ipsum Christum, ut Beda exponit.* Respondemus: nos libenter acceptamus Theophylacti interpretationem, quae nostram sententiam apertissime confirmat, neque enim humanis oculis manifestum est, in quorum cordibus per fidem Christus habitet et per gratiam in illis regnet. Opponit Christus hoc pronuntiatum Pharisaeis, qui persuasi erant, regnum Dei, hoc est regnum Messiae, a prophetis praedictum fore mundanum et temporale, sed Christus illorum persuasioni hoc opponit, quod *regnum Dei non veniat μετὰ παρατηρήσεως, cum observatione*, id est cum splendore externo et illustri pompa, sicut regna hujus mundi, sed quod sit regnum spirituale et internum, cujus initia, progressus et incrementa hominum oculos lateant. Glos. ord. h. l. *non poterit observari, quia regnum meum non est temporale, sed spirituale, quod fide jam coepit.* Quomodo vero cum hoc dicto Christi convenit assertio Bellarmini, *quod ecclesia sit coetus hominum ita visibilis ac palpabilis, ut est coetus populi Romani, vel regnum Galliae, aut respublica Venetorum?* Negari certe nequit, haec regna et imperia venire cum observatione, hoc est externo splendore gloriari, et initia atque incrementa eorum observari posse, sed de regno Dei, hoc est vera ecclesia, Christus illud negat.

3. Joh. 4, v. 23: Veri adoratores in Spiritu et veritate adorant.

73. 3. Joh. 4, v. 23: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.* Ergo ecclesia N. T. non consistit in signo aliquo exteriore, nec est alligata locis et ceremoniis corporalibus. Ita Bellarminus pro nostra sententia concludit et respondet, *eo loco doceri, praecipuum cultum Dei in ecclesia internum futurum, sed propterea non sequi, ecclesiam ipsam esse invisibilem, neque etiam sequi, externum cultum esse rejiciendum et externa templa esse destruenda, cum Dominus non agat de loco orationis, sed de modo ac ritu.* Respondemus: 1. Argumentum nostrum tale est: Vera et proprie sic dicta ecclesia consistit in veris adoratoribus. Jam vero qui sint veri adoratores oculis humanis conspici nequit, quia *veri adoratores adorant in Spiritu et veritate;* qui vero id faciant, oculus dijudicare nequit, cum hypocritae quoad speciem externam idem faciant. Ergo vera et proprie sic dicta ecclesia videri nequit. 2. Acceptamus ergo, quod dat Bellarminus, *praecipuum cultum ecclesiae esse spiritualem et internum*, ergo propter illum et respectu illius proprie est et dicitur ecclesia. Habet quidem externum cultum et externas ceremonias, sed hic non est ejus praecipuus cultus ac proinde ex cultu externo et externis ceremoniis in oculos incurrentibus non potest judicari, quisnam proprie sit civis ecclesiae catholicae ac verum illius membrum, sed judicium faciendum est ex cultu interno et spirituali. Sed is oculis hominum non est obvius, ergo nec illi possunt videri, qui spiritualem et internum cultum sectantur. 3. Christus non solum de modo et ritu, sed etiam de loco orationis agit, ut verba ipsa diserte testantur. *Venit hora, quando neque in hoc monte neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.* Samaritani in monte Garizim, Judaei in templo Hierosolymitano adorabant, sed Christus docet, pios in N. T. citra XI. 88.
discrimen locorum in Spiritu et veritate Deum adoraturos. Regerit Bellarminus: *Si Christus voluisset dicere, veros Dei cultores non amplius adoraturos Deum in Jerusalem, neque in monte Garizim, falsum dixisset, constat enim, Petrum et Johannem post acceptum Spiritum sanctum adscendisse in templum Hierosolymitanum ad horam orationis nonam Act. 3. constat etiam, semper fuisse in Palaestina Christianos, qui Deum adoraverint in Jerusalem et in monte Garizim* etc. At frivola haec est exceptio. Christus non simpliciter negat, pios in Jerusalem et monte Garizim tempore N. T. Deum adoraturos, sed cum opinione illa necessitatis et peculiaris sanctitatis ex loco sperandae, qua Samaritani in monte Garizim, Judaei in Jerusalem adorabant, ac si exauditio orationis ad certum locum alligata sit, eos adoraturos negat, hoc est sine ullo locorum discrimine in Spiritu et veritate Deum adoratum ab ipsis iri asserit. 4. Inde nascitur alia observatio contra Bellarminum. Statuit ipse, ecclesiam N. T. esse Romano pontifici ac urbi Romae alligatam, unde catholicam et Romanam ecclesiam habet pro terminis ἰσοδυναμοῦσι, sed Christus hoc loco negat, adorationem praecipuam cultus divini in ecclesia partem esse certo loco alligatam, ergo negat, ecclesiam esse loco alligatam; jam vero eadem est ratio locorum, temporum, personarum et reliquarum circumstantiarum, proinde ut ecclesia N. T. non est alligata certo loco, ita quoque non est alligata certis temporibus, certis personis, certae nationi, certo populo et per consequens *non est coetus ita visibilis ac palpabilis, ut est populus Romanus* etc.

4. Hebr. 12, v. 22: Accessistis ad montem Sion.

74. 4. Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad montem Sion et ad civitatem Dei viventis* etc. ubi ecclesia vocatur mons Sion spiritualis. Bellarminus regerit, *apostolum per montem Sionis et civitatem Dei viventis non intelligere ecclesiam militantem, sed triumphantem, quae ex beatis spiritibus constat.* Respondemus: 1. Bellarminus cap. praeced. 5. sub finem sic scribit: *Ecclesia triumphans unita est, imo potius una est cum militante,* unde sic concludimus: Cujus pars una est invisibilis, illud respectu partis illius est invisibile. Catholicae ecclesiae pars una, videlicet ecclesia in coelis triumphans, est invisibilis. Ergo catholica ecclesia respectu illius partis est invisibilis, et per consequens secundum quid dunta-

Digitized by Google

xat, non autem simpliciter est visibilis. 2. Monti Sionis corporalis opponit auctor epistolae montem Sionis spiritualem; Hierosolymae terrenae opponit Hierosolymam spiritualem, quam vocat civitatem Dei viventis, ubi per Sionem spiritualem et civitatem Dei viventis non intelligit ecclesiam duntaxat triumphantem, sed totam catholicam ecclesiam, cujus pars in terris adhuc militat. Ostendit enim, esse unam societatem et arctissimam conjunctionem ecclesiae in terris militantis et ecclesiae in coelis triumphantis; atque utramque velut unum quoddam mysticum corpus considerandam esse ostendit. *Accessistis* (inquit), non accedetis demum ad *πανήγυριν*, ad *universalem conventum, et ecclesiam primogenitorum.* Ergo non loquitur de triumphante duntaxat ecclesia. 3. Sic ergo concludimus: Omne spirituale est invisibile. Ecclesia est Sion spiritualis et civitas spiritualis. Ergo invisibilis. 4. Eo ipso quoque quando ecclesia N. T. Sioni corporali et Hierosolymae terrenae opponitur, manifeste ostenditur, ecclesiam N. T. non amplius ita esse loco alligatam, in una regione conclusam, et propter externos ritus ac ceremonias ita visibilem, sicut fuit ecclesia V. T., sed esse a ceremoniis illis legalibus liberam et in toto orbe propagatam, quamvis de hac ecclesiae catholicae invisibilitate proprie hoc loco non agamus.

5. 1. Petr. 2, v. 5: Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis. XI. 89.

75. 5. 1. Petr. 2, v. 5: *Et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes hostias spirituales Deo.* At haec domus est ecclesia. Bellarminus regerit, *duobus modis aliquid dici spirituale, uno modo secundum substantiam, quo modo angeli dicuntur spirituales; altero modo secundum ordinationem ad spiritum, sicut corpus dicitur spirituale et bona opera dicuntur hostiae spirituales. Ecclesiam dici domum spiritualem modo secundo, cum apostolus hoc velit, ecclesiam non esse domum ex lignis et lapidibus, sed ex hominibus Deo consecratis aedificatam.* Respondemus: 1. concedimus, ecclesiae domum constitui ex hominibus spiritualibus, hoc est qui Spiritu Dei regeniti sunt et Spiritu Dei reguntur; concedimus etiam, homines illos videri posse, sed quia videntur ut homines corporei, non autem ut homines spirituales ad ecclesiae domum pertinentes, ideo firmum adhuc manet, ecclesiam, utpote *domum spiritualem*, ex hominibus spiritualibus aedificatam esse invisibilem. Sola Spiritus regeneratione ac renovatione fiunt homines domus Dei spiritualis et vera ecclesiae membra, jam vero illa operatio Spiritus est interior et oculis hominum nequaquam exposita. 1. Cor. 2, v. 11: *Quis hominum scit, quae sint hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso.* Ergo etiam videri nequit, quinam homines sint vere spirituales. Homines quidem constituunt hanc spiritualem domum, non autem quatenus homines corporei ac visibiles, sed quatenus homines spirituales, id est quatenus in unam structuram mysticam per Spiritum s. coalescunt. 2. Illi vere et proprie pertinent ad ecclesiam, *qui Deo offerunt spirituales hostias acceptas per Christum.* Jam vero qui tales revera sint, oculis hominum non apparet. Ergo sanctorum ecclesia ex illis constans est invisibilis. 3. Idem apostolus 1. epist. 3, v. 4. Christianas mulieres hortatur, operam dent, *ut ornatus earum sit occultus homo cordis*, *ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος*, agnoscit igitur, ornatum illum, per quem sumus veri ecclesiae cives, in interiori homine et in occulto cordis quaerendum esse. Jam vero ornatus ille cum sit interior et occultus, externo adspectui neutiquam est obvius. 4. Si ecclesia est domus spiritualis, non erit *coetus ita visibilis ac palpabilis*, *sicut est coetus populi Romani*, *aut regnum Galliae*, *aut respublica Venetorum.* Haec enim regna non sunt spiritualia primo vel secundo modo, sed ecclesiae hoc vere competit, quod sit domus spiritualis, non solum quia pars ejus, videlicet ecclesia triumphans, constat ex beatis spiritibus, sed etiam quia pars illius altera ecclesia, scilicet militans, constat ex hominibus spiritualibus, qui velut vivi lapides aedificantur fide super lapidem angularem et fundamentalem Christum. Jam vero non solum beati illi spiritus sunt invisibiles, sed etiam illa tota structura hominum spiritualium est invisibilis. Ergo etiam ecclesia est invisibilis. Augustinus epist. 57. dicit, *congregari fideles in unum spiritum et in unum corpus*, *cujus caput est Christus;* postea subjungit: *Talis congregatio est aedificatio templi Dei*, *talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit.* Lib. 2. contra liter. Petiliani cap. 118: *Impii non sunt in illa ecclesiae Christi compage, quae in membris Christi per connexum et contactum crescit in incrementum Dei*, *illa quippe ecclesia in petra est* etc.

76. 6. In symbolo profitemur, nos *credere ecclesiam catholicam.* Ergo eam non videmus. Bellarminus varie sese torquet. Primo respondet, *dici posse, in symbolo non poni tantum, Credo ecclesiam, sed credo sanctam ecclesiam, sanctitatem autem ecclesiae esse sine dubio invisibilem.* Sed hanc responsionem ipse deserit, et recte, utrumque enim nos profitemur credere, esse ecclesiam et eam esse sanctam; si ecclesiae sanctitas duntaxat, non autem ipsa ecclesia esset fidei articulus, dicendum fuisset, credo sanctitatem ecclesiae, non autem *credo sanctam ecclesiam;* adde quod ex hypothesi adversariorum pars duntaxat ecclesiae catholicae, eaque minima sit sancta, ergo minus recte profitentur, se credere totam catholicam ecclesiam esse sanctam. Sed, uti dixi, Bellarminus huic responsioni non multum tribuit, addit ergo aliam. *Melius* inquit *dico, in ecclesia aliquid videri et aliquid credi. Videmus enim eum coetum hominum, qui est ecclesia, sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim ecclesia est, quae profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Christi, id quod firma ac certissima fide credimus? sed aliud est credere, aliud videre, imo ipsum credere definitur ab apo-*

6. Credimus ecclesiam catholicam. Ergo eam non videmus.

XI. 90.

stolo argumentum non apparentium. Id declarat postea quibusdam exemplis. *Hominem illum, qui est Christus Dei Filius, apostoli videbant et tamen illum esse Christum Dei Filium non videbant, sed credebant. Et in symbolo dicimus, Credo unum baptisma, licet videamus et sentiamus baptisma, hoc est aquae adspersionem et verborum prolationem, non enim videmus, sed credimus illam aquae adspersionem et verborum prolationem esse baptisma Christi, hoc est sacramentum quoddam.* Eodem responso utitur Costerus in enchir. c. de eccl. Idem etiam repetit Becanus de ecclesia q. 1. concl. 1. p. 24: *Licet* (inquit) *externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata est visibilis ecclesia; tamen quod in ea multitudine sit vera Christi et apostolorum doctrina, hoc non videmus, sed credimus* (addere debebat Becanus ex Bellarmino, *quod ille coetus, sive illa hominum multiudo sit ecclesia, non videmus,* sed quilibet videt, quo consilio illud omiserit). Respondemus: non potuisset Bellarminus melius causam nostram agere et clarius sententiam nostram exponere, idem enim per omnia dicimus. Videmus illum coetum hominum, qui est ecclesia, sed an illi homines sint ecclesia, non videmus. Ut Christum hominem non soli apostoli, sed omnes promiscue videbant, sic homines ecclesiae filios promiscue omnes vident, sed ut illum hominem Christum esse Dei filium, oculi non ostendebant; sic illos homines esse ecclesiae filios, nec sensus nec oculi renuntiant. Aquae adspersionem in nomine Trinitatis factam omnes vident, sed illam adspersionem esse baptisma Christi et sanctam aliquod sacramentum, oculi non renuntiant; sic homines, qui ad ecclesiam pertinent, videntur et conspicui sunt, sed homines illos esse vera et viva ecclesiae membra, exterius non apparet. Notat Pererius in comm. Roman. 8. ex Cajetano, *duo esse in fidei objecto consideranda, quorum alterum sit materiale, alterum formale. Materiale objectum fidei videri posse, sed formale objectum esse invisibile.* Subsumo: Ecclesia respectu sui materialis videri potest, sed quatenus est formale fidei objectum non videtur, sed creditur. Firmo igitur talo stat nostrum argumentum: ecclesiam credimus. Ergo non videmus, quae enim credimus, non oculis, sed fide percipiuntur, Hebr. 11, v. 1: *Fides est ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων.* 2. Cor. 5, v. 7: *Per fidem incedimus, non per adspectum,* ubi fides et adspectus sibi invicem opponuntur. Augustinus tract. 10. in Joh.: *Hoc est fides credere quod non vides.* Gregorius hom. 26. in evang.: *Quae apparent, jam non fidem habent, sed cognitionem.* Homil. 32. in evang.: *Quod videri potest, melius dicitur sciri quam credi.* Bellarminus concedit, *non videri, sed credi, quod ille coetus hominum, qui profitetur fidem Christi, sit vera ecclesia, quia scilicet evidenter sciri, id est videri nequit, an illa fides sit Christi.* At quanto fortius argumentari possumus, quia fides interna et salvifica, per quam homines redduntur vera et viva ecclesiae membra, et sine qua sunt arida et putrida, id est aequivoce dicta membra; quia, inquam, fides illa interna videri nequit, ideo etiam veram ecclesiam, quae est vere credentium et sanctorum congregatio, esse invisibilem? *Quis certo novit* (scribit Bellarminus c. 10. §. ad haec necesse est), *in quibus sit ista fides interna?*

Plura sententiae nostrae argumenta.

77. Atque haec sunt argumenta nostra, quibus Bellarminus respondere voluit, supersunt vero alia plura. Nam 1. huc pertinent omnia Scripturae dicta, quibus superius §. 50. demonstravimus, ecclesiam proprie esse *congregationem sanctorum,* unde sic colligimus: Ad ecclesiam proprie et κυρίως sic dictam non pertinent nisi sancti et vere credentes. Jam vero quinam sint vere credentes et sancti, non est oculis humanis obvium. Ergo etiam vera et proprie sic dicta ecclesia oculis humanis non est obvia. 2. In quibus splendor et ornatus verae ecclesiae dicitur interior et absconditus. Psalm. 45, v. 14: *Omnis gloria filiae regis est interior.* Haec filia regis coelestis et sponsa Christi est ecclesia, ornatus illius dicitur interior, scilicet in virtutibus et donis Spiritus sancti. Si ergo verus et proprius ecclesiae splendor est interior et invisibilis, utique etiam ecclesia hactenus et hoc respectu est invisibilis. Augustinus lib. 5. de bapt. contra Donat c. 27: *Omnis pulchritudo filiae regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum praedestinatorum ante mundi constitutionem.* Rom. 2, v. 28: *Non qui in manifesto, Judaeus est, neque quae in manifesto, in carne, est circumcisio;* v. 29: *sed qui in abscondito, Judaeus est et circumcisio cordis in Spiritu, non litera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Quod est in occulto, id etiam invisibile. Ecclesia κατὰ πρῶτον λόγον est in occulto, quia ut apostolus pronuntiat, eum demum esse verum Judaeum, qui in occulto sive abscondito cordis sui talis est, atque eam demum esse veram circumcisionem, quae est in corde et Spiritu, non in carne; ita pari modo pronuntiare possumus, non eam, quae se in manifesto pro ecclesia venditat ac visibili splendore oculos hominum perstingit, agnoscendam esse pro vera ecclesia, sed eos, qui in occulto sunt Christiani, esse veros Christianos et veram ecclesiam. Ergo ecclesia κατὰ πρῶτον λόγον est invisibilis. 3. In quibus soli Deo vendicatur notitia illorum, qui sunt vera et viva ecclesiae membra. Invisibilis est ecclesia, id est congregatio sanctorum, non in oculis hominum, sed in oculis Dei clarissime patet. Ecclesia Israëlitica decem tribuum temporibus Eliae in promiscua idololatrarum turba sic latebat, ut ne quidem sanctissimi perspicacissimique prophetae Eliae oculis esset obvia. Cum enim conquereretur, *se esse relictum solum* interfectis omnibus veri Dei cultoribus, respondebat ei divinum oraculum: *Reliqui mihi in Israël septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua coram Baal* 1. Reg. 19, v. 18. fuit ergo coetus ille piorum Eliae invisibilis, Deo cordium scrutatori notissimus. Neve quis excipiat, *aliam esse rationem ecclesiae in V. aliam in N. T.*

1. Ecclesia proprie est XI. 91. congregatio sanctorum.

2. Proprius ecclesiae splendor est internus.

3. Soli Deo nota sunt verae ecclesiae membra.

Digitized by Google

notandum, quod apostolus hoc exemplum diserte accommodet ad statum ecclesiae in N. T. Rom. 11, v. 4. Sic cum apostolus de apostasia Hymenaei et Phileti ac multorum per illos facta subversione conquestus esset 2. Tim. 2, v. 18. subjungit statim v. 19: *Sed firmum stat fundamentum Dei habens hoc signaculum, cognovit Dominus, qui sint sui*, q. d. licet in ecclesia visibili per falsos doctores multi subvertantur, tamen ecclesia vera et invisibilis conservatur in illis, qui vera fide Deo adhaerent, quos ipse solus novit. Quinam sint vera et viva ecclesiae membra, ejus judicium non potest esse aliud, quam ex interna cordis renovatione. Jam vero soli Deo haec notitia competit 1. Sam. 16, v. 7: *Homo vidit ea, quae oculis patent, Dominus autem cor intuetur.* 1. Reg. 8, v. 39: *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Jerem. 17, v. 9: *Pravum cor hominis et perversum, quis cognoscet illud?* v. 10: *Ego Dominus cognoscens corda et probans renes.* Inde etiam Christus sibi soli notitiam ovium suarum transscribit Joh. 10, v. 14: *Ego cognosco oves meas.* Ergo vera et viva ecclesiae membra solius Dei oculis sunt obvia, vel quod idem est, vera ecclesia sanctorum est invisibilis.

4. Sponsam suam solus Christus novit.

4. Vera ecclesia Ephes. 5, v. 25. 26. 27. 2. Cor. 11, v. 2. et alibi passim sic describitur, quod sit *sponsa Christi*, quae in Spiritu Christo adhaeret, vera fidei obedientia ipsi subjecta est, sincere ipsum diligit, quam Christus vicissim amat, fovet, sanctificat, mundat ac gloriosam reddere incipit. Jam vero quinam ex hominibus tales sint, oculis non cogno-
XI. 92. scimus nec cognoscere possumus. Ergo vera ecclesia est invisibilis. Augustinus lib. 4. contra Donatist. c. 3: *Isti ecclesiae non sunt devoti, qui videntur esse intus et contra Christum vivunt, hoc est contra Christi mandata faciunt, nec omnino ad illam ecclesiam pertinere judicandi sunt, quam sibi ipse mundat lavacro aquae per verbum, ut exhibeat sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi. Quodsi in ista ecclesia non sunt, ad cujus membra non pertinent, non sunt in ecclesia, de qua dicitur, una est columba mea, una est matri suae, ipsa enim est sine macula aut ruga. Aut asserat, qui potest, hujus columbae membra esse, qui seculo verbis, non factis renuntiant.* Huc pertinet, quod Apoc. 21, v. 10. Johannes *in spiritu* ab angelo abductus est, ut videret *sanctam civitatem e coelo descendentem a Deo*, quae v. 9. vocatur *νύμφη καὶ γυνή, sponsa et uxor agni.* Si visibilis oculis corporeis fuisset illa ecclesia, quorsum opus fuisset Johannem in spiritu abduci, ut eam videret?

5. Oves suas solus pastor novit.

5. Vera ecclesia sic describitur, quod sit coetus eorum, qui sunt *oves Christi audientes vocem pastoris sui* eidemque obsequium praestantes Joh. 10, v. 27. *qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud in corde bono et sincero ac fructum afferunt in patientia* Luc. 8, v. 15. *qui non in arena, sed in petra aedificant* Matth. 7, v. 24. Jam vero non possumus externo adspectu cognoscere, quinam vere sint tales quive ad coetum illum vere pertineant. Ergo vera ecclesia est invisibilis. Augustinus lib. 5. contra Donatist. c. 27: *Numerus ille justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est, novit Dominus, qui sint ejus, ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae viventis, paradisus cum fructu pomorum.* Constat autem, per hortum conclusum, fontem signatum etc. ecclesiam catholicam in Cantico canticorum intelligi. Ergo ecclesia catholica est numerus justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum: novit Dominus, qui sint sui.

6. C[...] my[...] est [...] sibi[...]

6. Omne corpus mysticum est invisibile. Ecclesia est corpus Christi mysticum. Ergo ecclesia est invisibilis. Caput ecclesiae catholicae in hac vita est invisibile. Ergo ipsa ecclesia est invisibilis. Antecedens patet, quia Christum, qui est mysticum ecclesiae caput, in hac vita *non videmus* 1. Petr. 1, v. 8. Consequentia etiam manifesta est, quia caput est primarium corporis membrum, qui ergo caput non videt, is nec corpus videt. Gregorius lib. 35. moral. c. 9: *Christus et ecclesia, id est caput et corpus una persona est.*

7. Ec[...]siae [...]litia [...] invisibilis.

7. Ecclesia militans et triumphans est invisibilis. Ergo tota ecclesia catholica est invisibilis. De triumphante res est manifesta, quis enim videt patriarchas, prophetas, apostolos, martyres etc. cum Christo in coelis triumphantes? De militante probatur hoc modo. Dicitur ecclesia militans propter militiam, quam exercet. Sed haec militia est spiritualis et invisibilis, hostes sunt invisibiles, arma sunt invisibilia, agonotheta est invisibilis etc. Ephes. 6, v. 12: *Non est nobis lucta adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales nequitias, quae sunt in sublimi.*

Dicta [...]trum [...] eccles[...] invisibili.

78. Ex patribus huc referenda sunt testimonia, 1. in quibus ecclesiam definiunt esse *congregationem sanctorum*, quis enim externo adspectu agnoscit, quinam sint vere sancti? Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornel. (al. est epist. 59.): *Illi sunt ecclesia, qui in domo Dei permanent; plantatio vero plantata a Deo Patre non sunt, quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari.* Origenes homil. 3. in Jer. in princ.: *Thesaurus Domini est ecclesia ejus et in isto thesauro, hoc est ecclesia, saepe homines latitant, qui sunt vasa irae. Veniet igitur tempus, quando aperiat Dominus thesaurum ecclesiae, nunc* XI. 93.
enim clausa est ecclesia et vasa irae cum vasis misericordiae inhabitant et paleae cum frumento sunt et pisces perdendi et projiciendi cum bonis piscibus, qui in retia inciderant, continentur. Idem homil. 1. in Gen.: *Ipsi, qui non habent maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sunt vera ecclesia.* Basilius in Psalm. 44: *Ecclesia una, perfecta, columba, quae in dextrum Christi locum eos accipit, qui benefaciendo sunt exercitati ac velut pastor oves ab hoedis probos separat ab improbis.* ** Cyrillus Alexandrinus Glaphyr. libr. 4. p. 114: *ἐκκλησίαν ὅταν ἀκούσῃς, τὴν τῶν πιστευόντων ἁγίαν*

Digitized by Google

πληθυν ἴσθι τοι λέγειν. Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. p. 514: *οὐ γὰρ νῦν τὸν τόπον, ἀλλὰ τὸ ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν ἐκκλησίαν καλῶ, non locum, sed electorum congregationem appello ecclesiam.*** Chrysostomus homil. 5. in 2. epist. ad Timoth. super verba *in magna domo* etc.: *Non refert eam similitudinem ad ecclesiam, sed ad mundum universum, quippe in ecclesia nullum est vas fictile, aut ligneum, sed argentea et aurea omnia. Ibi enim est corpus Christi casta virgo non habens maculam aut rugam.* Hieronymus in c. 26. Jobi: *Ipsa ecclesia est sanctorum omnium congregatio.* In c. 5. Ephes.: *Qui peccator est et aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.* Neve quis cum Sixto Senensi lib. 6. biblioth. annot. 305. regerat, *Hieronymum loqui de ecclesia triumphante*, notandum, quod paulo post subjungat: *Si curentur ejus vulnera, tum potest fieri pars ecclesiae, quae corpus Christi.* In Psalm. 87: *Ecclesia Christi non est alia nisi anima credentium in Christum* (fide interna, viva, salvifica, ut ostendit contextus.) Ambrosius in Psalm. 35: *Sicut sancti sunt membra Christi, ita impii sunt membra diaboli.* Augustinus saepissime illud repetit et Donatistis inculcat, lib. 7. de bapt. c. 51: *Omnibus consideratis puto, me non temere dicere, alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quae dicitur aedificari super petram, quae unica columba appellatur, quae sponsa pulchra sine macula et ruga et hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vitae, paradisus cum fructu pomorum; alios autem ita constat esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaeque justitiae, sed sicut esse palea dicitur in frumentis.* Lib. 1. c. 17: *Reprobi sive intus esse videantur, sive aperte foris sint, semper ab ecclesiae, quae sine ruga et macula est, unitate divisi sunt.* Lib. 4. c. 2: *Ipsa ecclesia incorrupta et casta et pudica est, et ideo non ad eam pertinent avari, raptores, foeneratores, non qui tantum foris, sed et qui intus sunt.* Similia habet lib. 3. c. 18. lib. 5. c. 16. et 27. lib. 6. c. 24. et 31. lib. 7. c. 8. etc. epist. 57. docet, *congregari fideles in unum Spiritum et in unum corpus, cujus caput est Christus, et hanc congregationem dicit esse aedificationem templi Dei et fieri per spiritualem regenerationem.* In Psalm. 37. dicit, *ecclesiam esse corpus Christi mysticum*, et addit: *Nos in corpore ipsius sumus, si tamen fides nostra sit sincera in illo, et spes nostra certa et caritas nostra accensa.* De catech. rudib. c. 20: *Coelestis Jerusalem cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt et qui sunt et qui futuri sunt.* De unit. ecclesiae c. 12: *Impias turbas ecclesiae in ecclesia non deputari dici.* c. 18: *Profecto in bonis est ecclesia illa, de qua dicitur, sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his est enim, qui aedificant super petram, id est qui audiunt verba Christi et faciunt* etc. *non est ergo in eis, qui aedificant super arenam, id est qui audiunt verba Christi et non faciunt.* Lib. 2. contra literas Petiliani c. 118: *Non ideo putandi sunt* (impii) *esse in Christi corpore, quod est ecclesia, quia sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt* etc. *ipsi non sunt in illa ecclesiae Christi compage, quae in membris Christi per connexum et contactum crescit in incrementum Dei, illa quippe ecclesia in petra est* etc. Gregorius Magnus tract. 45. in Joh.: *Ecclesia est ovile Christi et oves sunt quas nemo rapiet, habent enim nomina inscripta in libro vitae.* Homil. 38. in evang.: *Regnum coelorum est ecclesia justorum, quia dum eorum corda in* XI. 94.
terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna suspirant, jam in eis Dominus quasi in coelestibus regnat. Hugo lib. 2. de sacram. c. 2: *Qui non habet Spiritum Christi, non est membrum ejus, in corpore uno Spiritus unus, nihil in corpore mortuum, nihil extra corpus vivum.* Huc pertinent verba Stapletoni et Hoffmeisteri recitata superius §. 51. circa finem. Concil. Wormatiense in praefat.: *Ecclesiam catholicam pretio sui sanguinis redemtam credimus cum eo in perpetuum regnaturam.* (Atqui non nisi sancti cum Christo regnabunt in perpetuum.) Joh. Picus theorem. 13: *Ecclesia primo et principaliter dicitur catholica, quae omnes rectae et apostolicae fidei et non fictae caritatis homines complectitur.* 2. In quibus statuunt, ecclesiam esse coetum electorum, quis enim externo adspectu agnoscit, quinam sint electi? Clemens lib. 7. strom.: *Ecclesia est coetus electorum, in quem colliguntur fideles et justi, quos Deus ante conditum orbem praedestinavit.* Augustinus lib. 5. de bapt. contra Donat. c 27: *Hortus conclusus, fons signatus, lilium, soror, sponsa Jesu Christi de solis intelliguntur sanctis et justis, qui sunt Judaei in occulto, circumcisione cordis, in quibus est numerus certus sanctorum praedestinatus ante mundi constitutionem.* Prosper in Psalm. 106: *Ecclesia catholica est in electis praecognitis a Deo, filiis promissionis, membris corporis Christi.* Gregorius in Jobum lib. 28. c. 5: *Omnes electi intra mensuras ejus continentur, extra stant omnes reprobi.* Idem in Cantic.: *Hortus sancta ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene dicitur, quia caritas vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur.* Bernhardus serm. 68. in Cant.: *Ecclesia est coetus electorum ante secula praedestinatus.* Huc referenda est confessio ipsorum adversariorum. Bielis in can. miss. lect. 22: *Ergo accipitur ecclesia pro tota multitudine praedestinatorum.* **Idem l. c.: *Forma mystica corporis Christi, quod est ecclesia, est vera fides, propter quod ecclesiam definientes ajunt, ecclesia est corpus Christi mysticum fide Christi animatum.* Catech. Roman.: *Ecclesia militans est, quae cum immanissimis hostibus, Satana, carne et mundo, perpetuum bellum gerit. Item ecclesiam electorum appellat piorum numerum, qui non solum fidei professione et communione sacramentorum, sed etiam Spiritu*

Digitized by Google

*gratiae et caritatis vinculo inter se conjuncti et colligati sunt. Item ecclesiam domum Dei appellari ait, quia sit velut una familia, quam unus paterfamilias moderatur et in qua est bonorum omnium spiritualium communio.*** Erasmus in symb. catech. 4. p. 145: *Ecclesia proprie dicta est arcana societas ad vitam aeternam praedestinatorum, cujus magna pars jam agit apud Christum, quae vero superest, in hoc vocata est, ut ad summam puritatem enitatur, et recte negatur habere maculam aut rugam, vel per synecdochen, vel a scopo seu fine, unde sumi denominationem fatentur dialectici; interdum tamen ecclesiae vox ita dilatatur, ut omnes baptismo tinctos complectatur, sive pie vivant sive secus.* Enchir. christ. instit. Colon. de sacram. ordinis p. 171: *Ut autem contendant quidem ecclesiam, invisibilem esse, quod de ecclesia praedestinatorum non negamus, nihilo secius, ut opinamur, nobis concedent, ecclesiam esse visibilem, quae bonis admixtos habet malos visibili fidei professione et sacramentorum communione sociatos.* (Nos vero libenter id concedimus, ut apparet ex August. confess. art. 7. et 8.) 3. In quibus dicunt, ad ecclesiam catholicam pertinere omnes sanctos, qui ab origine mundi usque ad haec tempora vixerunt, quis enim in hac vita illos externo adspectu intuetur? Augustinus in Psalm. 90. conc. 2: *Corpus hujus capitis ecclesia est, non quae hoc loco est, sed quae hoc loco et per totum terrarum orbem, nec illa quae hoc tempore, sed ab ipso Abel usque ad eos qui nascituri sunt usque in finem et credituri in Christum, totus populus sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quae civitas corpus Christi est, cujus caput est Christus.* Lib. 1. de bapt. contra Donat. c. 16. scribit, *duas esse civitates, hoc est duas ecclesias, quarum una peperit Abelem, Enoch,*
XI. 95. *Noë et Abrahamum, Moysen etiam et prophetas, apostolos, martyres et omnes bonos Christianos; altera vero Cainum, Cham, Ismaëlem, Esau, Judam, Simonem Magum et ceteros pseudo-christianos ad haec usque tempora in affectione animali pertinaciter obduratos, sive in unitate permixti sint, sive aperta praecisione dissentiant.* Beda in cap. 6. Cantic.: *Sicut unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium; ita est una ecclesia electorum omnium multitudo per omnia et mundi loca, et seculi tempora eidem uni Deo et Patri subjecta.* Gregorius homil. 19. in evang.: *Conditor noster habet vineam, universalem scilicet ecclesiam, quae ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in mundo nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* 4. In quibus ad ecclesiae catholicae societatem etiam triumphantem ecclesiam pertinere docent, quis enim societatem beatorum in coelis triumphantem vidit? Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 56. cum exponit articulum symboli *Credo ecclesiam catholicam, docet, non solum de militante, sed etiam de triumphante ecclesia* hoc esse intelligendum. *Quae tota* (inquit) *hic accipienda est non solum ex parte, qua peregrinatur in terris a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, et post vetustatis captivitatem cantans canticum novum; verum etiam ex illa, quae in coelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo nec ullum sui casus malum est experta.* Et postea: *Utraque una erit consortio aeternitatis et nunc una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum unum Deum.* Idem libr. 10. de civ. Dei c. 7: *Cum ipsis* (beatis angelis) *sumus una civitas Dei, cui dicitur in Psalmo: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur.* Huc referenda est confessio Bellarmini libr. 3. de eccles. c. 5. §. penult.: *Ecclesia triumphans unita est, imo potius una est cum militante.* Si ergo triumphans ecclesia est invisibilis, negari nequit, ecclesiam catholicam esse invisibilem, quod enim parti convenit, toti etiam propter illam partem tribui debet. Turrianus tract. 2. lib. 3. c. 4. hoc agnoscere videtur, quando scribit: *Una tota ecclesia partim visibilis est, partim invisibilis.* 5. In quibus praecipuum Dei cultum et ornatum ecclesiae agnoscunt esse internum. Justinus in epist. ad Diogn. p. 384: *Invisibilis anima in visibili corpore tanquam praesidio constituta est; sic et Christiani cognoscuntur, dum in mundo commorantur, sed invisibilis est eorum cultus divinus.* Origenes hom. 23. in Num. circa med.: *Sol justitiae Christus est, huic si luna, id est ecclesia sua, quae lumine illius repletur, juncta fuerit et penitus ei adhaeserit, festivitatem neomeniae agit* etc. *tunc est, quando neque videri neque comprehendi humanis adspectibus potest.* Augustinus in Psalm. 44: *Intus pulchram novit, qui speciem ejus amavit. Quae sunt interiora pulchritudinis? conscientia; ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus.* Huc pertinet quod Bellarminus c. 2. concedit, *quosdam esse de anima ecclesiae, licet non sint de corpore;* c. 6. *quosdam esse in ecclesia animo, non autem corpore seu externa communicatione, quod sufficiat illis ad salutem;* et c. 15. *quod multa invisibilia, fides scilicet, spes, caritas* etc. *sint in ecclesia,* jam vero externo adspectu dijudicari nequit, quinam sint de anima ecclesiae et in quorum cordibus dona illa interna, fides, spes, caritas etc. locum habeant, et tamen illi ipsi peculiarem aliquam societatem constituunt, quia vinculo Spiritus sunt conjuncti, et in illis proprie ac principaliter consistit ecclesia. Ergo negari nequit, ecclesiam illam, quae est congregatio sanctorum, esse invisibilem. Idem concedit liber *Interimisticus* c. 9: *Ecclesia quatenus constat membris talibus, quae secundum caritatem vivunt, sanctorum est tantum et eatenus spiritualis et invisibilis.* Sic ergo ex ore adversariorum veritas testimonium recipit.

79. Bellarminus demonstraturus, ecclesiam esse visibilem, praesupponit c. 9. resp. ad arg. 8. *nos duas ecclesias fingere,* et c. 11. §. 1. *nos ecclesiam nomine visibilem, re autem invisibilem statuere.* Sed Antithesis Pontificiorum ecclesiam XI. 96. esse visibilem.

Digitized by Google

nos haec praesupposita non agnoscimus. Diverso enim respectu unam eandemque ecclesiam visibilem et invisibilem dicimus, visibilem ratione societatis externae, quae in professione fidei et usu sacramentorum consistit; invisibilem ratione societatis internae, quae in donis Spiritus sancti internis quaerenda est. Distinguimus etiam inter ecclesiam particularem et catholicam. Particulares ecclesias visibiles esse non negamus, catholicam autem invisibilem esse asserimus, sive nomen catholicae accipiatur pro congregatione sanctorum, sive pro complexu omnium particularium ecclesiarum, sicut haec superius late sunt exposita. Rectius de nostra sententia disserit Bellarminus c. 10. rat. 4: *Lutherani* (inquit) *signa visibilia quaedam et externa ecclesiae statuunt, nimirum praedicationem verbi Dei et sacramentorum administrationem, et constanter docent, ubicunque haec signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi ecclesiam; quia tamen solos justos et pios ad ecclesiam veram pertinere statuunt, et nemo potest certo scire, qui sunt vere justi et pii inter tam multos, qui justitiam et pietatem exterius prae se ferunt, cum certum sit, multos ubique esse hypocritas et falsos fratres, idcirco nostri concludunt, eos facere ecclesiam invisibilem.* Haec Bellarminus, quae facile possunt ad sanum sensum reduci, modo conclusio ex praemissis fiat non simpliciter, sed secundum quid, ecclesiam scilicet dici invisibilem propter fidem et reliqua dona interna, quae oculis humanis perspici nequeunt; interim tamen ecclesiam esse et dici visibilem propter praedicationem verbi et administrationem sacramentorum, quae in oculos et aures exterius incurrunt. Definimus enim ecclesiam, quod *sit coetus hominum doctrinam divinam profitentium et sacramentis divinitus institutis utentium, in quo coetu sunt sancti, hoc est verè credentes et electi, qui sunt vera et viva ecclesiae membra, quibus in hac vita mixti sunt non-sancti, sed tamen in doctrina consentientes, qui ad externam duntaxat ecclesiae societatem pertinent.* Sed expendamus argumenta Bellarmini, quibus robare conatur, ecclesiam esse visibilem.

1. Non potest proferri dictum Scripturae pro invisibilitate ecclesiae.

Primo dicit, illud *probari ex omnibus Scripturae locis, in quibus nomen ecclesiae invenitur, cum semper nomine ecclesiae visibilis congregatio intelligatur, nec proferri posse vel unicum locum, in quo nomen hoc tribuatur congregationi invisibili.* Respondemus: imo vero ubicunque nomen ecclesiae proprie ac specifice accipitur et pro catholica ecclesia ponitur, invisibilem sanctorum et vere credentium coetum denotat, quia vera catholicae ecclesiae membra non sunt, nisi vere credentes et sancti, ut superius fuit demonstratum. Neve sit necesse multa Scripturae dicta cumulare, repetimus articulum symboli apostolici: *Credo sanctam catholicam ecclesiam, congregationem sanctorum.* Affert Bellarminus quaedam Scripturae dicta, quibus probet, nomine ecclesiae semper intelligi visibilem congregationem, sed illa non sunt ejusdem generis. Quaedam enim agunt de ecclesiis particularibus, quas visibiles esse concedimus, quaedam vero de ecclesia catholica, quae est invisibilis congregatio sanctorum. Num. 20, v. 4: *Cur eduxistis ecclesiam in solitudinem; ubi ecclesia vocatur populus ille notissimus Israël, qui exierat ex Aegypto.* Respondemus: Nemo nostrum negat, particularem illam ecclesiam Israëlitarum fuisse visibilem, sed ex eo nondum efficitur, catholicam ecclesiam fuisse visibilem, quia ad catholicam ecclesiam, id est ad sanctorum congregationem, pertinebant non omnes illi, qui in externo et visibili illo coetu versabantur, sed pii duntaxat et vere credentes, ut Moyses, Aaron, Josua, Caleb etc. Atqui non poterat externo adspectu dijudicari, quinam in illo coetu essent vere pii et sancti. Praeterea ad ecclesiam catholicam pertinebant non solum pii tunc temporis adhuc viventes, sed etiam sancti jam ante demortui, Adam, Seth, Noa, Enoch, Abrahamus, Isaacus, Jacobus etc. atqui illi in coelis triumphantes humanis oculis non erant obvii.

Num. 20, v. 4: Eduxistis ecclesiam in solitudinem.

2. 1. Reg. 8, v. 14: *Convertit rex faciem suam et benedixit omni ecclesiae Israël, ubi de ecclesia visibili manifeste loquitur Scriptura.* Respondemus: etiam hic locus agit de ecclesia particulari, videlicet de coetu populi Israëlitici in templo tunc congregato, sed quinam ex illo coetu fuerint vera catholicae ecclesiae membra, externo adspectu dijudicari non potuit, cum ibidem Salomon disserte addat v. 39: *Tu Domine solus nosti corda omnium filiorum hominum.* Quin imo ne quidem de tota visibili ecclesia Israëlitica hic locus agit, cum multi ex illo coetu abfuerint.

XI. 97. 1. Reg. 8, v. 14: Benedixit rex omni ecclesiae.

3. Matth. 16, v. 18: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, ubi sive nomine petrae intelligamus Christum, sive fidei confessionem, sive Petrum, semper fundamentum ecclesiae est aliquid sensibile, ac proinde ipsa ecclesia est sensibilis sive visibilis, nam etsi nunc nec Christum, nec Petrum videmus, tamen tunc uterque sensibus corporeis expositus erat ad videndum et nunc uterque videtur non in se, sed in vicario, aut successore suo.* Respondemus: locus hic de ecclesia catholica proprie agit. Contra particulares ecclesias inferorum portae saepius praevalent, ut experientia testatur, sed catholicam ecclesiam nulla vis ac potentia Satanae evertere potest. Qui sunt in visibili duntaxat ecclesiae particularis coetu, hoc est qui ad externam duntaxat ecclesiae societatem pertinent, a portis inferorum everti possunt, sed qui ad ecclesiam catholicam pertinent, quamdiu vera fide Christo adhaerent, non possunt adversaria diaboli potentia everti. Sicut Christus Joh. 10, v. 28. testatur: *Oves meas nemo rapiet ex manu mea.* Hujus catholicae ecclesiae fundamentum est Christus 1. Corinth. 3, v. 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, videlicet Christus Jesus;* hoc fundamentum esse visibile, hoc est videri oculis corporeis, nemo poterit dicere, cum pii credant in Christum, quem *non vident*, 1. Pet. 1, v. 8. Quamvis vero Christus cum in diebus carnis suae in terris versaretur, videri potuerit, tamen qua ratione ecclesiae fundamentum fuit et quomodo vere credentes ut vivi lapides super hoc angulari lapide aedificentur, exterius videri non potuit, tota enim

Matth. 16, v. 18: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.

Digitized by Google

haec structura est mystica, spiritualis et interna. Cum Petrus Christum ecclesiae fundamentum esset confessus, Christus ipsi respondet Matth. 16, v. 17: *Caro et sanguis tibi hoc non revelavit.* At si Christus, quatenus est ecclesiae fundamentum, videri potuisset, certe caro et sanguis, oculi scilicet carnales, illud Petro revelassent. Ergo ipsa quoque ecclesia, de qua Christus ibidem loquitur, est invisibilis. Ut Bellarminus ex fundamento visibili colligere voluit, ecclesiam esse visibilem, ita nos rectius ex fundamento invisibili colligimus, ecclesiam esse invisibilem. Christum et Petrum in papa ut vicario et successore suo videri vix quisquam credet, qui doctrinam ac vitam Christi et Petri cum doctrina et vita papae conferre voluerit. Nimium profecto distat haec imago a prototypo et hic successor a praedecessoribus. Sic ergo hic locus nostram potius confirmat sententiam. De tali ecclesia Christus loquitur, quae super petram eo modo exstructa sit, ut ne quidem inferorum portae contra eam praevaleant. Sed hoc non potest de ecclesia aliqua visibili intelligi, sed de invisibili catholica ecclesia vere credentium et electorum. Refero huc insigne dictum Lyrani, qui in comm. hujus loci sic scribit: *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis ecclesiasticae vel secularis, quia multi principes et summi pontifices et alii inferiores inventi sunt apostatasse a fide, propter quod ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera et confessio fidei et veritatis.*

Matth. 18, v. 17: Dic ecclesiae.

4. Matth. 18, v. 17: *Dic ecclesiae, si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus. Sed neutrum servari posset, si ecclesia esset invisibilis.* Respondemus: ecclesiae nomen hic accipitur vel pro senioribus ac presbyterio, vel pro visibili coetu vocatorum, nequaquam vero pro ecclesia catholica, quae est congregatio sanctorum. Concedimus, senatum ecclesiasticum et coetum vocatorum esse visibilem, sed catholicam ecclesiam visibilem esse negamus.

XI. 98.

Act. 20, v. 28: Attendite vobis ipsis et gregi.

5. Actor. 20, v. 28: *Attendite vobis ipsis et universo gregi, in quo vos Spiritus s. posuit episcopos regere ecclesiam Dei. At quomodo poterant regere ecclesiam, quam non noverant?* Respondemus: confusio mater est obscuritatis et erroris. Nomen ecclesiae eo in loco accipitur pro grege sive auditoribus in visibili et particulari ecclesia Ephesiorum, ut constat ex circumstantiis textus et ex dicto Petrino 1. epist. 5, v. 2: *Pascite eum, qui inter vos est gregem;* nos autem hic loquimur de ecclesia catholica, ad quam pertinent soli vere credentes et sancti, quos a reliquo vocatorum coetu pastores discernere non possunt, nihilo tamen minus ecclesiae gregem sibi commissum salutariter pascere et possunt et debent.

Act. 15, v. 3: Deducti ab ecclesia.

6. Act. 15, v. 3: *Illi quidem deducti ab ecclesia pertransibant Phoenicen et Samariam; v. 4: cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab ecclesia. c. 18, v. 22: Adscendit Paulus et salutavit ecclesiam. Quomodo ista conveniunt ecclesiae invisibili?* Respondemus: quomodo vero convenit ex his et similibus locis, quae de ecclesiis particularibus agunt, concludere velle ad catholicam ecclesiam? particulares ac domesticae ecclesiae constant ex toto coetu vocatorum, sed catholica ecclesia proprie sic dicta solos sanctos et electos sinu suo complectitur. Particulares ecclesiae adiri, videri, et salutari possunt, sed catholicam ecclesiam in symbolo nos profitemur credere.

Paulus persecutus est ecclesiam. 1. Cor. 15, v. 9.

7. *Paulus testatur, se persecutum ecclesiam Dei 1. Cor. 15, v. 9. Gal. 1, v. 13. Philipp. 3, v. 6. et notum est, quos persequebatur.* Respondemus: totam ecclesiam catholicam nec Saulus, nec quisquam alius persequi potest, quia pars ejus in coelis triumphat supra omnes persecutorum minas ac vires elevata; quaedam catholicae ecclesiae membra, id est quosdam vere credentes et pios persequuntur tyranni, non autem quatenus sunt membra ecclesiae catholicae invisibilis, sed quatenus in coetu vocatorum visibili Christi fidem profitentur. Qui pios et vere fideles persequuntur, Christum ipsum persequuntur Act. 9, v. 4. interim tamen persecutores nec Christum vident, nec ecclesiam catholicam vident. Quomodo igitur ex persecutione quorundam in ecclesia particulari visibilitas ecclesiae catholicae inferri potest?

1. Tim. 3, v. 15: Ut scias, quomodo te conversari oporteat in domo Dei.

8. 1. Tim. 3, v. 15: *Haec tibi scribo, Timothee, ut scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. At sane non poterat in ea conversari, nisi sciret, quaenam esset.* Respondemus: loquitur apostolus de ecclesia Ephesiorum, quae fuit visibilis et particularis, quam Timotheus videre potuit, sed ex eo nondum efficitur, ecclesiam catholicam, quae est congregatio sanctorum, esse visibilem. De ecclesia Ephesiorum et quavis particulari ecclesia dici potest, quod sit domus Dei propter vere credentes et electos, qui sunt in ea, in quibus Deus sua gratia habitat, ubi per synecdochen toti ecclesiae particulari, sive toti coetui vocatorum tribuitur, quod quibusdam duntaxat in ea competit. Vide Lutherum in libr. contra coelest. proph. tom. 3. Jen. Germ. pag. 91. Quinimo Bellarminus ipse c. 7. resp. ad 1. ponit hanc regulam: *Saepe Scriptura per figuram intellectionis attribuit aliquid toti, quod solum convenit parti*, quam exemplis ibidem declarat. Jam vero externo adspectu dijudicari nequit, quinam in ecclesiis particularibus sint vere domus Dei, *columna et firmamentum veritatis*, id est qui sint vere credentes et sancti, in quibus Deus sua gratia suoque Spiritu habitat, qui in veritate agnita constanter perseverant. Ergo vera electorum ecclesia est invisibilis. **Reihingius in excub. contra Meisn. p. 15. urget locum Psalm. 89, v. 38: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum.* Respondemus: loquitur psaltes de splendore ecclesiae interno, quem habet coram Deo, non externo, quem habet in mundo coram hominibus. Dicit enim Jehovah: *Thronus ejus* (Davidis) *sicut sol in conspectu meo.***

XI. 99. 2. Scriptura docet, ecclesiam esse visi-

80. Secundum argumentum Bellarminus petit ex illis Scripturae locis, ubi non nominatur, sed aperte describitur ecclesia. 1. Psalm. 19, v. 5: *In sole posuit tabernaculum suum, quod Augustinus tract. 2.*

Digitized by Google

in epist. Joh. sic exponit: In manifesto posuit ecclesiam suam, ut sicut sol non potest latere, ita nec ecclesia possit abscondi. Respondemus: Hebraei fontes sic habent: *Soli posuit tabernaculum in eis,* scilicet coelis. Sensus igitur literalis est, quod Deus soli posuerit tentorium, hoc est sedem quandam splendidam, in coelis. Augustini allegoria ex versione Graeca et Latina originem duxit, jam vero notum est, quam vim allegoricae interpretationes praesertim ex vitiosa versione petitae in probatione dogmatum obtineant. Praeterea Augustino res fuit cum Donatistis, qui in uno tantum orbis angulo ecclesiam includebant, quibus Augustinus recte opponit multas particulares Christi ecclesias toto orbe diffusas. Nos vero non inficias imus, particulares ecclesias esse visibiles, licet non semper eodem splendore, ut postea dicetur. 2. Esa. 2, v. 1. Dan. 2, v. 35. Mich. 4, v. 1. *comparatur ecclesia monti magno et conspicuo, qui nullo modo potest latere secundum expositionem Hieronymi in illa loca et Augustini tract. 1. in epist. Joh.* Respondemus: Esaias et Micheas describunt ecclesiae magnitudinem et claritatem, quae temporibus Messiae per universalem evangelii praedicationem erat futura. Huic vaticinio eventus respondit, sed quid ex eo contra nostram sententiam inferri potest? Si enim vel maxime sub initium N. T. talis fuit ecclesiae status, ut evangelii praeconio ubique inter omnes gentes longe lateque disseminato maxima esset ecclesiarum particularium claritas; ex eo tamen non potest inferri, quod perpetuo toto N. T. tempore talis ecclesiae Christi claritas sit futura, contrarium enim ex Scripturis suo loco ostendemus. Praeterea illo ipso tempore, quo particularium ecclesiarum claritas maxime splenduit, catholica sanctorum ecclesia fuit invisibilis; quinam enim in coetibus illis amplissimis et clarissimis fuerint vere credentes et sancti, externo adspectu dijudicari nequaquam potuit. Daniel praedicit, fore ut cum reliqua regna evertantur, tamen Christi regnum maneat perpetuum, id quod ecclesiae catholicae firmitatem, nequaquam vero ejusdem visibilitatem arguit. Hieronymus in c. 20. Ezech. docet, *ecclesiam comparari monti magno non propter externam claritatem perpetuo fulgentem, sed quia in altitudine sanctorum dogmatum constituta est.* Alludunt prophetae ad montem Sion, in quo exstructa fuit Hierosolyma Judaeae metropolis, ac docent, montem Sion fuisse exiguum, hoc est ecclesiam Israëliticam in una gente et regione fuisse collectam, sed tempore Messiae montem hunc ingentem fore, hoc est ecclesiam praedicatione evangelii ad omnes gentes esse transferendam, sed in amplissimo illo vocatorum numero non minus ut in angusto populi Israëlitici coetu vere credentes et sancti externis oculis non sunt obvii. Ergo vera electorum ecclesia etiam in N. T. est et manet invisibilis. 3. Matth. 5, v. 14: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, quod Augustinus de unit. ecclesiae c. 14. et alibi passim exponit de ecclesia.* Respondemus: Christus ibi alloquitur apostolos, quorum doctrinam et vitam omnium conspectui obviam esse testatur, praecedit enim, *vos estis sal terrae, vos estis lux mundi,* atque hoc modo locum illum tractant Chrysostomus et Theophylactus. Augustinus de ecclesia hoc testimonium usurpat et opponit illud Donatistis, qui non nisi in una orbis parte ecclesiam remansisse docebant, illos ex frequentia et celebritate ecclesiarum, quae tunc temporis fuerunt, convincit, sed ex eo non potest inferri, ecclesias particulares perpetuo fore tam gloriosas, frequentes et illustres; multo minus ex eo colligi potest, catholicam electorum ecclesiam esse visibilem. Idem lib. 13. cont. Faust. c. 13. ecclesiam super montem esse positam sic exponit, *quod veritas non quaerat* angulos *aut latebras.* 4. *Parabolae evangelicae de area, de reti, de ovili, de convivio* etc. *omnes ostendunt, ecclesiam veram, quae est regnum coelorum, esse visibilem.* Respondemus: loquuntur hae parabolae de statu ecclesiarum particularium, quod scilicet in illis mali bonis, paleae tritico, pisces putridi probatis, hoedi ovibus etc. sint permixti, nequaquam vero probant ad ecclesiam catholicam proprie sic dictam malos pertinere, aut illam visibilem esse.

81. Tertium argumentum petit Bellarminus ex ortu et progressu ecclesiae. *In V. T. adeo visibilis erat ecclesia, ut in ipsa carne portarent visibile signum circumcisionis; in N. T. sine dubio ecclesia Christiana tota erat in principio in apostolis et discipulis Christi, qui adeo visibiles erant, ut super illos Spiritus s. visibiliter descenderet in die Pentecostes. Deinde istis additi sunt visibiliter una die homines ad tria millia per fidei confessionem et baptismum, ac deinceps semper illi omnes et soli habiti sunt de ecclesia Christi, qui ad illos primos se adjunxerunt per baptismum et fidei confessionem* etc. Respondemus: 1. Paulus Rom. 2, v. 28. et 29. distinguit inter *Judaeum in abscondito et in manifesto;* item inter *circumcisionem carnis et spiritus.* c. 9, v. 6. negat, *omnes esse Israëlitas, qui sunt ex Israël.* v. 8. distinguit inter *filios carnis et filios promissionis.* Christus Joh. 8, v. 39. Judaeis hoc opponit: *Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis.* Ex his et similibus locis colligitur, non omnes ex Abrahae semine natos ac per circumcisionem populo Israëlitico asscriptos fuisse vera catholicae ecclesiae membra, aut pertinuisse ad coetum electorum, sed spirituales Abrahae filios per circumcisionem spiritualem Deo regenitos, fuisse veram catholicam ecclesiam. Exterior circumcisio fuit piis et impiis communis, unde Paulus pronuntiat *praevaricatoribus legis circumcisionem factam esse praeputium* Rom. 2, v. 25. proinde ex circumcisionis signo visibili colligi non potuit, quinam ex populo Israëlitico ad catholicam ecclesiam, quae est congregatio sanctorum, pertineant. Fuit omnino circumcisio visibile signum ecclesiae Israëliticae visibilis, sicut hodie baptismus est signum visibile ecclesiae Christianae, per quod a reliquis coetibus Judaeorum, Turcarum et gentilium distin-

non potest abscondi.

XI. 100.

Parabolae evangelicae Matth. 13.

3. Idem probat ecclesiae ortus et progressus.

guitur, sed catholica ecclesia non habet tale aliquod visibile signum, cum internae illae virtutes, quae requiruntur, ut quis sit verum ecclesiae catholicae membrum, oculis externis conspici nequeant. 2. Totam ecclesiam Christianam sive catholicam fuisse in principio in apostolis et discipulis tantum, salva veritate affirmari nequit, quia ad ecclesiam catholicam pertinent etiam patriarchae, prophetae et reliqui sancti V. T., qui ad ecclesiam triumphantem translati hominum oculis non fuerunt obvii, ac proinde catholica ecclesia etiam tum temporis fuit invisibilis. Quinimo ne quidem tota militans ecclesia fuit duntaxat in apostolis et discipulis Christi, quia in Galilaea, Samaria et aliis locis fuerunt multi vera fide Christo adhaerentes, qui apostolis et reliquis discipulis Christum publice sectantibus non fuerunt noti, inde enim post Christi resurrectionem tantus discipulorum numerus, qui ad quingentos fratres assurgebat, in Galilaea tam subito congregari potuit Matth. 28, v. 16. 1. Cor. 15, v. 6. Ac Nicodemi exemplum Joh. 3, v. 1. ostendit, in ipsa urbe Hierosolymitana inter juratos Christi hostes, pontifices, Pharisaeos et Scribas, collectam fuisse piorum ecclesiam, qui metu repressi fuerunt, quominus publice Christum profiterentur. Illi, super quos Spiritus s. visibiliter descendit et qui per baptismum et fidei professionem huic coetui sese conjunxerunt, fuerunt particularis et visibilis ecclesia, sed in illo ipso externo visibilis ecclesiae coetu catholica et invisibilis electorum ecclesia latuit. In particulari et visibili illa ecclesia ministerio apostolorum Hierosolymis collecta procul dubio fuerunt aliqui hypocritae, a quibus licet vere cre-
XI. 101. dentes et electi externo adspectu discerni haudquaquam potuerint, tamen hypocritae illi ad ecclesiam catholicam non pertinuerunt.

4. Ecclesia est societas hominum.

82. Quartum argumentum deducitur ex ipsa ratione ecclesiae. *Ecclesia est societas quaedam non angelorum, non animarum, sed hominum. Non autem potest dici societas, nisi in externis et visibilibus signis consistat, nam non est societas, nisi se agnoscant, qui dicuntur socii; non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia.* Respondemus: 1. quando ecclesia catholica a Bellarmino negatur esse societas animarum, eo in ipso omnes sancti defuncti ex ecclesia catholica excluduntur, et re ipsa negatur, quod ecclesia triumphans sit pars ecclesiae catholicae. Id vero quomodo convenit cum verbis Bellarmini c. 5. §. penult.: *Ecclesia triumphans unita est, imo potius una est cum militante?* imo quomodo convenit tabulis divinae veritatis Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Hierosolymam coelestem et multorum millium angelorum frequentiam*, v. 23. *πανηγύρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων, ad ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis, et spiritus justorum perfectorum.* Quomodo denique convenit articulo symboli apostolici, *Credo sanctam catholicam ecclesiam, communionem sanctorum?* Certe ex communione illa sanctorum non possunt proscribi animae sanctorum defunctorum. 2. Militans ecclesia est quidem hominum societas, qui quatenus praedicatione verbi et administratione sacramentorum utpote visibilibus et externis signis in unam societatem colliguntur, ecclesiam visibilem constituunt; sed quatenus ad catholicam ecclesiam pertinent, interno, spirituali et invisibili fidei, spei et caritatis vinculo cum capite suo et inter sese invicem colligantur, quod vinculum et quae connexio cum sit invisibilis, ex eo efficitur, catholicam ecclesiam esse invisibilem. 3. Quod Bellarminus hoc suum argumentum confirmare nititur ex more omnium humanarum societatum, *in militiam* (inquit), *in regnum, in civitatem non aliter asscribuntur homines quam signis visibilibus*, id facilem habet explicationem, ecclesia est militia, sed spiritualis; est regnum, sed coelorum; est civitas, sed mystica et superna. Reliquae societates humanae sunt externae et visibiles, sed ecclesiae catholicae societas est interna et invisibilis. Quis enim videt, quomodo vere pii et credentes cum Christo capite suo vinculo spirituali conjungantur? quis videt communionem sanctorum viventium cum spiritibus beatis defunctorum? quis videt compagem spiritualem inter membra corporis mystici? Si nulla est societas, nisi inter illos socios, qui per signa externa et visibilia sese mutuo agnoscere possunt, omnis omnino societas inter Christum et catholicam ecclesiam ejusque membra negabitur, cum Christus oculis corporeis in hac vita non videatur.

5. I... tem... Chr... con... nici... cun... cles... Isra... tica...

83. Quintum argumentum Bellarminus format hoc modo: *Tempore Christi, ut volunt Philippus Melanthon et Flaccus Illyricus, ecclesia solum erat in Zacharia, Simeone, Anna, Maria et paucis aliis piis, non autem in pontificibus et certa multitudine Judaeorum. At constat, quod Zacharias, Simeon et ceteri communicabant cum pontificibus in templo et sacrificiis* etc. *Ergo vel male faciebant illi communicando falsae ecclesiae, vel male faciunt Lutherani non communicando nobiscum et obediendo pontifici.* Respondemus: 1. acceptamus comparationem, quod nostram ecclesiam cum Simeone, Zacharia et reliquis piis, Romanam vero ecclesiam cum pontificibus et reliqua multitudine Judaeorum comparat, ex ea enim immote colligitur, nostram ecclesiam esse veram, illorum vero falsam. 2. Hoc argumentum, si quid roboris haberet, non probaret, ecclesiam catholicam esse visibilem, sed Romanam ecclesiam non fuisse a nobis deserendam; sed haec quaestio est alterius loci, argumentum igitur est a scopo alienum. 3. Si rem recte expendere velimus, hoc argumentum no- XI.
stram potius confirmat sententiam. Erant in ecclesia Judaica pontifices, sacerdotes, Levitae, Pharisaei, etc. qui omnes ecclesiae titulum sibi arrogabant, sed revera catholicae ecclesiae membra non erant, quia Christum ecclesiae catholicae caput et discipulos Christi catholicae ecclesiae membra persequebantur. Conservabatur autem ecclesia in paucis illis, in Simeone, Zacharia, Elizabetha, Anna etc. qui ut homines quidem

Digitized by Google

erant visibiles, sed quatenus catholicae ecclesiae membra erant, videri non poterant. Adscendebant ad templum cum reliquis Judaeis, celebrabant cum ipsis sacrificia et externa societate illis conjuncti erant, interim tamen ipsi soli, non autem reliqui Judaei erant de ecclesia catholica. Proinde cum externis oculis cognosci non potuerit, quinam ex promiscuo Israëlitarum coetu ad ecclesiam catholicam pertinuerint, relinquitur, ecclesiam catholicam fuisse invisibilem. Ex eodem argumento etiam colligitur, ecclesiam visibilem non esse perpetuo eodem modo illustrem et ab omni errore immunem, ut Pontificii existimant, qua de re in sequentibus quaestionibus disputabitur. 4. Inter ecclesiam Israëliticam et Romanam est quaedam diversitas. Summus pontifex in ecclesia Israëlitica divinitus erat institutus, sed tali institutione non gaudet pontifex Romanus. Templum, sacrificia et tota politia Judaica divinitus erant instituta et promissio addita, quod durare debeant usque ad Christum, proinde antequam Messias veniret, destrueretur templum, abolerentur sacrificia et everteretur Judaica politia, vere pii in externa ecclesiae Judaicae societate permanserunt eodem templo iisdemque sacrificiis usi. Sed de Romana ecclesia hoc demonstrari nequit, quod tales promissiones obtineat, neque enim ut cultus divinus ad templum in V. T. fuit alligatus, ita ecclesia ad urbem Romam divino promisso alligata est. 5. Quin imo quemadmodum Christiani in apostolica ecclesia post Christi adscensionem, cum pontifices, Pharisaei et reliqui Judaei illos facerent ἀποσυναγώγους et vitae eorum insidiarentur, etiam ab externa ecclesiae Judaicae societate tandem discesserunt; sic et nos fulmine excommunicationis a Romano pontifice impediti et persecutionum violentia ex Romanae ecclesiae societate expulsi ab ipsorum communione discessimus, non tam ab ipsis fugientes, quam fugati. Si verae doctrinae confessio et legitimus sacramentorum usus nobis liber fuisset relictus, forte non discessissemus ab externa ecclesiae Romanae societate. 6. Quemadmodum in corruptissimo ecclesiae Israëliticae statu, cum viderentur omnia corruptelis doctrinae idololatria et superstitionibus repleta, servavit sibi Deus semen sanctum; ita superioribus temporibus papatu longe lateque propagato, cum itidem viderentur omnia corrupta et depravata, servavit sibi Deus semen sanctum, atque adhuc hodie in media Roma colligit sibi ecclesiam, quae licet ab externa Romanae ecclesiae societate nondum separata est, tamen internam cum ecclesia catholica communionem obtinet atque hoc respectu invisibilis est.

6. Tenemur nos adjungere ecclesiae.

84. Sextum argumentum petitum est ex necessitate. *Tenemur omnes sub periculo aeternae mortis verae ecclesiae nos adjungere et in illa perseverare. At hoc fieri non potest, si ecclesia est invisibilis.* Respondemus: 1. hoc necessario intelligendum est de ecclesia catholica, extra quam non est salus. Conjungimur autem ecclesiae catholicae, quando vera fide Christo illius capiti conjungimur, haec fides in Christum efficax est per caritatem, qua cum reliquis corporis hujus mystici membris sociamur. 2. Quamvis vero externis oculis nec Christus ecclesiae catholicae caput, nec membra ejus vera et genuina nobis sint obvia, tamen sufficit nobis ad salutem, quod interiori Spiritus vinculo illis conjungimur. 3. Necessarium quidem est, ut ecclesiae etiam visibili, in qua pure sonat doctrina coelestis et legitime administrantur sacramenta, externa societate nos conjungamus, sed haec conjunctio cum externa visibilis ecclesiae societate non est simpliciter et absolute necessaria. 4. Incidere enim potest tem- XI. 103.
pus ejusmodi, quo talis quaedam particularis ecclesia puritate doctrinae et legitimo sacramentorum usu publice illustris et conspicua inveniri non possit, sed externum ecclesiae ministerium sit corruptum et depravatum, ut ecclesiae Israëliticae in V. et Christianae in N. T. exemplis paulo post demonstrabitur. 5. Et tunc distinguendum est inter duplicem ad ecclesiam accessum; prior est *localis et manifestus* ad ecclesiam particularem per externam fidei professionem; posterior *spiritualis* et *occultus* ad ecclesiam universalem per internam cordis assensionem. Etiamsi ille non habeat locum tempore persecutionis et corruptelarum inundantium, hic tamen perpetuo in ecclesia locum obtinet. 6. Nec potest hoc negare Bellarminus, si respiciat exempla Zachariae, Simeonis, Annae et aliorum piorum, qui ante Messiae adventum vixerunt, illi nuspiam poterant invenire particularem aliquam ecclesiam, quae ab omnibus corruptelis libera purum haberet verbi ministerium, ergo fide et interna cordis assensione conjungebant se ecclesiae catholicae, externam interim societatem cum ecclesia corrupta et depravata colentes. 7. Fieri potest, ut quis in captivitatem Turcicam abductus in carcere solus latitet, is certe externam cum aliqua particulari ecclesia societatem habere nequit, sufficit igitur illi ad salutem conjunctio interna cum ecclesia catholica. 8. Fatetur Bellarminus, *injuste excommunicatum posse fieri salvum, cum sit adhuc in ecclesia animo sive desiderio, licet non corpore, sive externa communicatione.* c. 6. resp. ad. 1. ergo necessitas illa conjunctionis cum ecclesia non potest, nec debet intelligi de externa conjunctione cum ecclesia visibili, sed de interna et spirituali conjunctione cum ecclesia catholica. Injuste excommunicatus privatur externa communione et conjunctione cum ecclesia particulari et visibili, interim tamen non privatur interna communione et conjunctione cum ecclesia catholica et invisibili, proinde etiam salute non privatur.

7. Ecclesia est congregatio hominum utentium sacramentis.

85. Septimum argumentum petitur ex definitione. *Si ecclesia est congregatio hominum utentium sacramentis iisdem et fidem Christi profitentium sub regimine legitimorum pastorum, sequitur necessario, eam esse visibilem.* Respondemus: fatetur ipse Bellarminus, non requiri ullam internam virtutem, ut quis sit de illa ecclesia, quam hoc modo definivit, nos vero loquimur hic de ecclesia catholica, quae est congregatio sanctorum, ad quam proinde nulli pertinent, nisi qui fide, spe, caritate et internis Spiritus sancti donis praediti sunt. Quid in definitione

Digitized by Google

illa Bellarmini desiderari possit, superius monuimus.
8. Dicta patrum. Octavum et ultimum argumentum sumitur *ex quibusdam dictis patrum*, sed illa nostrae sententiae neutiquam sunt adversa. Origenes homil. 30. in Matth. dicit, *ecclesiam esse plenam fulgore ab oriente usque ad occidentem*, sed hoc nobis non repugnat, neque enim perpetuus est ille ecclesiarum particularium fulgor externus, et in clarissimo ecclesiarum particularium fulgore ecclesia catholica sive congregatio vere piorum est invisibilis. Adde quod fulgorem illum Origenes ipse ibidem exponit de veritate in Scripturis sacris revelata: *Scire debemus et illud* (inquit), *quoniam veritatis fulgor non aliquo quidem Scripturarum loco apparet, ex alio autem Scripturarum loco non defenditur, sed ex omni loco Scripturarum, sive ex legis, sive ex prophetarum, sive ex evangeliorum, sive ex apostolorum scriptura defenditur. Et exiens hic fulgor veritatis ab oriente, id est ab initiis Christi, apparet usque ad dispensationem passionis ipsius, in qua est occasus ipsius.* Idem ad testimonia Cypriani, Chrysostomi et Augustini respondendum, loquuntur de statu ecclesiae, qualis fuit illorum temporibus, illustris scilicet, splendidus et conspicuus frequentia et celebritate particularium ecclesiarum, victoria contra haereses et persecutiones, ministerio verbi sinceriore etc. sed ex eo inferri nequit, perpetuo talem esse ecclesiae
XI. 104. visibilis statum, multo minus ex eo colligi potest, ecclesiam catholicam, quae in visibili illo et illustri coetu vocatorum abscondita latet, esse visibilem. Quaedam etiam dicta veterum loquuntur de ecclesiae perpetuitate et splendore ejus interno, quae haudquaquam probant externum et visibilem ecclesiae splendorem esse perpetuum et immutabilem. Sol clarissima luce fulgens nunquam exstinguitur, interim tamen nubibus et nebulis obscuratur; sic ecclesia persecutionum et haeresium nube quandoque obnubilatur, ut externus ejus splendor non appareat, qua de re in sequenti quaestione latius dicetur.

XI. 105.

CAPUT VIII.

AN ECCLESIA POSSIT DEFICERE.

86. Exposito materiali ecclesiae, ex quibus scilicet hominibus ea constet, proximum erat, ut ad ecclesiae *notas*, in quibus veluti forma ecclesiae externa consistit, descenderemus ac tunc demum de adjunctis ecclesiae ageremus, sed quia cum quaestione de ecclesiae visibilitate magnam cognationem habent
XI. 106. quaestiones, an ecclesia deficere et errare possit, unde etiam conjunctim a Bellarmino ante disputationem de notis ecclesiae pertractantur, ideo vestigiis ordinis hujus ab ipso observati insistemus,
XI. 107. maxime cum disputatio de invisibilitate ecclesiae plene intelligi non possit, nisi addatur explicatio quaestionis, an ecclesia possit deficere. Statum quaestionis Bellarminus c. 11. format hoc modo: Ecclesia an possit deficere.
utrum visibilis ecclesia interdum ita erret in fide et moribus, ut penitus deficiat? Negantem partem ipse amplectitur c. 13. affirmantem nobis tribuit c. 16. ** Photiniani quidem statuunt, *ecclesiam penitus deficere posse.* Pisecius in praefat. resp. ad 10 rationes Campiani A. 2: *Multum debemus viris, qui primi cum Pontificiis animose congressi magna veritatis in lucem ex abysso tenebrarum proferendae jecerunt fundamenta; plus tamen posterioribus, quorum opera Deus in vero plenius interpretando usus est. Limarunt priores, quidquid lima dignum judicarunt, at non lima, sed litura adhibenda erat et prima illa divinae lucis integritas in publicum reducenda.* Idem in resp. ad 1. rationem p. 7: *Argumentis ex ipsis religionis Christianae principiis deductis confirmamus, ecclesiam Romanam reformari non posse, ut scoriis opinionum et superstitionum purgatis priscum illum veritatis et religionis nitorem recipiat, sed ita transformandam, ut ad prima et vetera principia vetus ille religionis cultus revocetur.* Sed postea in resp. ad 3. rat. p. 32. sibi contradicens rectius scribit: *Num periit aliquando Christi ecclesia? Non omnino. Regnavit Christus et suam non interruptam adhuc regit ecclesiam. Non ruit ecclesia ruente fidei et morum integritate. Regnant principes populo a legibus via justitiae et obsequii exorbitante. Regnavit Christus, etsi non staret regnum, quo coeperat et debebat statu, populis a recta fidei et vitae norma longe aberrantibus. Agnoscebant enim nomen et imperium Christi, quamvis a legis sententia, quae praescripta erat, longe diversi abierint etc. Dum nomen Christi in terris est, coetus et numerus est illud profitentium. Si coetus, cur non et ecclesia? nondum igitur Christi ecclesia, quatenus Christum regem et principem suum agnoscit, defecit.* p. 35: *Haec de ecclesia generatim atque universe loquimur, quam contradistincte ad ethnicos consideramus. Progrediar ad propriam Christi ecclesiam haeresibus appositam. Naturam ejus dum considero, ea talis non est, quin aliquando deficiat. Non defecit illa, natura ejus perpetuitatem minus defendente; defecit haec, nulla absoluta necessitate defectionem prohibente. Causas ecclesiam constituentes pensitemus. Ab efficiente quid petis? non promisit unquam Deus durationem ecclesiae perpetuam, sed tantum portas inferorum non superaturas eam. Materia ejus populus est. Jam si Deus, ne unquam deficeret ecclesia, ordinasset, non sibi copias elegisset voluntarias, sed quae coacte et necessario ei parerent. Quod vero voluntarie et arbitrio facit suo, eadem animi libertate a bono in pravum malum abstrahi potest. Praeterea nemo negat, ecclesiam ex partibus interitui ac fortunae subjectis constare, ideoque duratio ejus absolute necessaria et aeterna non est etc. Transeo ad formam ecclesiae, quae veritas et pietas est. Utrumque semper libere et presse cultum. Si liberrimus utriusque cultus, isque humanae naturae adeo gravis et adversus, ut plurimi ab eo creberrime ad va-*

Digitized by Google

nitatis et impietatis cultum deficiant, non dubium, quin et natura ecclesiae talis sit, quae deficere possit. Deficit totum, forma totius a partibus deficiente etc. Salus et coelestis illa gloria ecclesiae finis est. Sed haec negatur nemini quoquo tempore Christum profitenti. Duret continue, dissolvatur, recolligatur ecclesia, merces pios manet certissima. Miraris, eam ecclesiae dari naturam, quae deficiat? crucem et persecutiones ejus ob oculos pone etc. Quae nunc est vulgo, dicitur militans ecclesia. Copiae vero imperatorum nunc victrices, nunc victae, jam extenuatae, mox numerosae iterum vel viribus hostium oppressae vel vitio suo dissipatae; ita in militante ecclesia populus Christi in varios, quos habet, pugnans hostes nunc victorem agit, nunc vincitur, jam potentia tyrannorum premitur, mox in numerum excrescit, iterum vel potentia tyrannorum vel speciosa docentium forma vel violenta pravarum opinionum auctoritate opprimitur, vel denique ipsa sui interitus architectatrix sibi suisque opinionum fumis nimium placens officii terminos obsequium erga imperatorem exuit. Nempe regit suam Christus ecclesiam et colligit, non ut quondam esset, aut jam non interrupta sit, sed ut in terris quoquo tempore collectam in coelis recolligat credentium multitudinem. Floruit, defloruit, reflorescit nunc et magno in terris credentium numero vigebit ecclesia. Socinus epist. 1. ad Matth. Radecc. p. 75: *Defectio ecclesiae apostolorum tempora secuta non fuit ejusmodi, quae nullam ecclesiam adspectabilem reliquerit et fundamentum, quod est Christus Jesus, subtraxerit. Ubicunque enim Christi doctrina, quod ad ejus praecepta attinet, illibata conservata fuit, ibi sine dubio ipse Christus Jesus fuisse vere dici potest, nec donec idololatria in universum Christianorum (qui appellabantur) coetum invecta fuit, quae Christi et apostolorum ejus praeceptis penitus adversatur, plena fuit defectio.* Epist. 2. p. 84: *Sub antichristo plenam defectionem fuisse non nego.* Photinianis consentit Simon Episcopius Arminianus in disp. priv. de ecclesia th. 10: *Addimus, quod tamen ex eo* (scilicet ecclesiam quamlibet deficere posse) *necessario sequitur, totam et universam ecclesiam in terris deficere posse.* Ibid. thes. 11: *Neque vero necesse esse credimus, ad hoc, ut Christus rex et caput maneat in terris, ecclesiam aliquam veram semper esse.*** Sed ut controversiae status rectius percipiatur, observanda sunt sequentia membra.

Verus quaestionis status. 1. Nequaquam statuimus, ecclesiam catholicam deficere vel interire posse, quia Christus est rex aeternus et sponsus ecclesiae perpetuus, vi ergo relationis regnum habet aeternum et semper sibi colligit ecclesiam ex genere humano, quam ut sponsam
XI. 108. suam fovet, amat, tuetur et ad gaudium coelestium nuptiarum olim introducet. Inanem igitur sumunt operam scriptores illi Pontificii, qui magno conatu nos oppugnant, quasi statuamus, ecclesiam Christi posse penitus deficere et interire, pugnant enim sine adversario, cum nemo nostrum istud unquam affirmarit. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, unde in principio c. 13. sic scribit: *Notandum est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolute ecclesiam non posse deficere, nam Calvinus et ceteri haeretici id concedunt, sed dicunt, intelligi debere de ecclesia invisibili. Hic ergo non est quaestionis status.* 2. Hoc vero dicimus, particularem ecclesiam hanc et illam deficere posse, hoc est, quo in loco Deus sibi hodie per praedicationem verbi et administrationem sacramentorum ecclesiam colligit, ex eo per haereses et persecutiones purita- XI. 109.
tem verbi divini temporis decursu expelli et aboleri posse, neque enim ulli alicui particulari ecclesiae data est absoluta promissio, quod futura sit perpetua ac defectioni haudquaquam obnoxia. Quamvis vero haec et illa particularis ecclesia deficiat, tamen ecclesia absolute et simpliciter loquendo nunquam deficit, quia colligit sibi Deus perpetuo ecclesiam ex genere humano usque ad finem mundi, si non in hoc, tamen in alio populo. 3. Negamus igitur, ecclesiam ad certam quandam sedem eo modo alligatam esse, ut in illa perpetua quadam successione visibili splendore sit duratura, sicut adversarii de Romana ecclesia dicunt, *quod sit unica illa catholica ecclesia, in qua sit pontifex Christi vicarius et successor Petri, cui omnes obedire oporteat, in qua sola perpetua et non interrupta pontificum successione usque ad haec tempora doctrinae coelestis veritas sit conservata, quae externum splendorem habuerit et habitura sit perpetuum, ita ut ab omnibus videri possit* etc. 4. Nec hanc solum et illam particularem ecclesiam, sed omnes omnino particulares ecclesias, adeoque totam visibilem ecclesiam nube corruptelarum, errorum, scandalorum, haeresium, persecutionum etc. obscurari, inque eum statum redigi posse dicimus, ut splendor et claritas ejus exterior deficiat, nec supersit illustris aliquis et conspicuus coetus, qui puro verbi ministerio publice sonante gaudeat; interim tamen semper supersunt aliqui fundamentum fidei retinentes ac Deus etiam per corruptum ministerium filios et filias ad catholicam invisibilem ecclesiam pertinentes generat. 5. Distinguimus ergo inter splendorem ecclesiae internum, qui in fide, spe, caritate et internis Spiritus s. donis consistit; et externum, qui in frequentia hominum, tranquillitate a persecutionibus, claritate et puritate doctrinae publice sonantis, ministerio verbi incorrupto etc. consistit. Internus ecclesiae splendor est illi essentialis et perpetuus, externus vero accidentalis et temporalis. Ecclesia catholica invisibilis nunquam deficit nec internum splendorem in oculis Dei amittit, sed particulares et visibiles ecclesiae eo modo ac sensu eo deficere possunt, ut non inveniatur aliquis coetus publicus, illustris et omnium oculis obvius, in quo publice ac libere sonet puritas verbi et vigeat legitimus usus sacramentorum, sed pii confessores quandoque fugantur, expelluntur, latitant in cavernis, et invalescentibus persecutionibus ac corruptelis doctrinae non amplius locum habet publicum et incorruptum verbi ministerium in visibili ecclesia. Pontificii

Digitized by Google

contra statuunt, *ecclesiam esse coetum ita visibilem ac palpabilem, ut est populus Romanus, vel regnum Galliae, vel respublica Venetorum*, quae sunt verba Bellarmini lib. 3. de eccles. c. 2. Ut ergo splendor et majestas illorum regnorum ac rerumpublicarum oculis humanis perpetuo est obvia; ita existimant, ecclesiae splendorem externum esse eidem perpetuum. Ut majestas illorum regnorum et rerumpublicarum consistit in externa potentia, in amplitudine provinciarum, in divitiis subditorum, in tranquillitate politica etc. sic ecclesiam putant in successione externa pontificum, in amplitudine locorum, in temporali felicitate consistere. 6. Nos autem externum illum splendorem ecclesiae perpetuum esse negamus, ac duos ecclesiae status alternis vicibus recurrentes statuimus. Quemadmodum enim Christus ecclesiae caput secundum duplicem statum, *exinanitionis et exaltationis*, *ἐλαττώσεως καὶ ὑπερυψώσεως*, consideratur, in illo majestas ejus non apparebat exterius, sed infirmitate carnis videbatur tecta, in hoc vero gloria et majestas ejus plena luce refulget; ita quoque in corpore Christi mystico, quod est ecclesia, itidem hi duo status observari possunt: alter exinanitionis sive humiliationis, quando vel persecutorum potentia, vel haereticorum astutia, vel scandalorum invalescentium frequentia premitur; alter exaltationis sive glorificationis, quando tranquilla sacrorum administratione fruitur, incorrupti ministerii splendore fulget et quieto puri cultus divini exercitio publice coruscat. In hoc statu ecclesia est visibilis, patens et gloriosa; in
XI. 110. altero vero est invisibilis, latens et ignominiosa. 7. Declaramus id ipsum similitudine a phasibus lunae petita, cum qua ecclesiam confert Ambrosius lib. 4. hexaëm. c. 8. Quemadmodum enim luna interdum plena luce refulget, quandoque vero silet et inconspicua est et varias omnino *φάσεις*, defectus et ortus, decrementa et incrementa obtinet; sic ecclesia Christi modo fulget per publicum et liberum puri cultus divini exercitium; modo obscuratur per gravitatem persecutionum et haeresium invalescentium, tandem tamen ex obscuritate iterum emergens de persecutionibus et haeresibus gloriosum reportat triumphum, sicut pulcherrime scribit Vigilius lib. 1. contra Eutych.: *Nihil novum, nihil peregrinum ecclesiae fortitudo experitur talibus paene ab universis haereticis quaestionum turbinibus agitata, triumphum de contrariis et immobilitatem sortita est de adversis.* Negat quidem Becanus lib. de ecclesia quaest. 1. concl. 4. num. 94. eo respectu ecclesiam cum luna a patribus conferri, sed verba Ambrosii sunt manifesta libr. 4. hexaëm c. 2: *Obumbrari potest ecclesia, deficere non potest.* et in Lucam libr. 10. c. 21: *Plurimis a religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidiae. Et quemadmodum menstruis cursibus luna, cum fuerit e regione solis, vanescit; sic et sancta ecclesia, cum lumini coelesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari.* 8. Promissiones de ecclesiae perpetuitate esse certae et immotae veritatis neutiquam negamus, sed addimus, eas non impleri eo, quem Pontificii sibi fingunt, modo, quasi splendor ecclesiae externus futurus sit perpetuus et ministerium verbi a corruptelis perpetuo futurum sit liberum. Implentur illae promissiones, si non in ecclesia visibili, id est in florente et conspicuo coetu vocatorum, tamen in ecclesia invisibili, id est in latente ovili electorum. Semper sibi colligit et servat Christus ecclesiam, si non in populosis urbibus et regionibus, tamen in desertis solitudinibus; si non in publicis cathedris, tamen in abditis terrae cavernis. 9. Nec unquam ecclesia ita latet, quin ab aliquibus conspiciatur, si non a mundo et infidelibus, tamen a piis confessoribus conjunctim exsulantibus et latentibus, quin imo ut in profundissimo exinanitionis statu Christi ecclesiae caput radios quosdam divinae majestatis suae exserebat, ex quibus vera ipsius divinitas cognosci poterat; sic in profundissima ecclesiae depressione quorundam martyrum confessio emicat et ecclesiae perpetuitati ac veritati clarissimum testimonium exhibet, inde Augustinus epist. 48. ad Vincent. scribit: *Ipsa est ecclesia, quae aliquando obscuratur et tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscuro rectos corde, sed etiam tunc in suis firmissimis eminet.* ** *Ecclesia nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia*, ut huc non inconcinne verba Tertulliani ex dissimili materia accommodemus: *Etenim ecclesia semper una, at non illius facies, in fide semper una et recta, licet non eodem splendore.* ** Ex his arbitror quaestionis statum ac genuinum nostrae sententiae sensum liquido cognosci posse. Videamus ejusdem fundamenta.

87. Bellarminus c. 16. quaedam argumenta pro nostra sententia format, quibus discussis egregie eam confutatam esse statuit, sed quaedam ex illis non agnoscimus pro nostris argumentis, reliquis a Bellarmino nondum satisfactum est. Primum argumentum tale est: *Initio mundi in solis Adamo et Eva ecclesia tota consistebat, saltem in virtute, at uterque fidem amisit et a Deo apostatavit.* Respondemus: hoc argumentum non agnoscimus pro nostro, si qui eo utuntur, id solum volunt, quod etiam ipsimet electi ad tempus gravissimis erroribus involvi possint. Videamus tamen, quid huic qualicunque argumento Bellarminus regerat. *Si primos parentes peccasse* (inquit) *est ecclesiam defecisse, sequetur, non solum visibilem, sed etiam invisibilem ecclesiam defecisse.* Respondemus: id vero nondum sequitur, quia ad catholicam invisibilem ecclesiam XI. 111.
pertinuerunt angeli sancti, qui non defecerunt, nec apostatarunt a Deo, et quia primi parentes per veram poenitentiam ad Deum postea conversi sunt, ideo respectu divinae praedestinationis etiam in gravissima illa apostasia fuerunt ecclesiae membra. Quod si non respectu electionis, sed respectu status praesentis primos parentes consideres, fatendum omnino erit, totam hominum ecclesiam ad tempus tunc

Argumenta quae probant ecclesiam posse deficere. 1. Primi parentes a Deo defecerunt.

Digitized by Google

defecisse; jam vero post initum foedus gratiae et promissiones de ecclesiae perpetuitate datas non amplius metuendum, ut in posterum etiam tota ecclesia deficiat. Sed habet Bellarminus aliud, quod huic argumento opponat. Negat, *primos parentes fuisse ecclesiam, cum fuerint duo tantum homines;* statuit autem, *fuisse eos initium ecclesiae tam materiale, quam formale.* Respondemus: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, inquit Christus Matth. 18, v. 20. jam vero ubi Christus est eo de quo loquitur modo, ibi est ecclesia. Apostolus Roman. 16, v. 5. 1. Cor. 16, v. 19. Coloss. 4, v. 15. epist. ad Philem. v. 2. *unius domus* familiam Christianam vocat *ecclesiam.* Jam vero duo homines maritus et uxor constituunt familiam. Ergo etiam constituere possunt ecclesiam. In arca Noae *octo tantum animae* fuerunt, in quibus ecclesia conservata est, 1. Petr. 3, v. 20. quodsi duo tantum in arca servati fuissent, certe illi fuissent ecclesia et in illis ecclesia fuisset conservata. Bellarminus ipse cap. ultimo hujus libri adducit testimonia quorundam Catholicorum, Alexandri Alensis part. 3. q. ult. art. 2. et Johannis de Turrecremata lib. 1. de eccles. c. 30. et lib. 3. c. 61. qui statuunt, *in passione Domini non mansisse veram fidem nisi in sanctissima virgine Maria, idque significari credunt una illa candela, quae sola accensa servatur in triduo ante pascha in officio nocturno.* Quodsi in sola Maria vera fides tunc servata fuit, utique etiam in illa sola ecclesia servata est. Recte igitur Tertullianus in lib. de poenit. scribit, *in uno aut altero ecclesiam esse posse*, et in exhortat. ad cast.: *Ubi tres sunt, ecclesia est, licet laici fuerint.* Negari certe nequit, primos parentes ad imaginem Dei conditos fuisse pios et fideles ac Deum sancte coluisse; jam vero ubicunque est numerus aliquis piorum ac fidelium Deum recte colentium, ibi est aliqua ecclesia, sive numerus ille sit exiguus, sive magnus. Adamum fuisse principium ecclesiae materiale non negamus, interim tamen addendum, quod non solum principium et origo ecclesiae fuerit, sed etiam pars ejusdem, quia una cum Eva constituit ecclesiam. Quod Bellarminus addit, *Adamum fuisse principium ecclesiae formale, quia fuit caput sive doctor et rector populi Dei dum vixit, quodque caput ecclesiae non possit errare docendo falsam doctrinam, licet erret male vivendo et male etiam sentiendo*, id ad hunc locum proprie non pertinet. Dura admodum catachresis est, doctorem ecclesiae appellare principium ejus formale, et falsissima opinio est Scripturis sacris e diametro repugnans, quod doctor ecclesiae non possit errare falsam doctrinam proponendo. Si enim *potest male sentire*, quod Bellarminus hoc loco concedit, poterit etiam errare et erronea docere. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 2. de concil. cap. 2. sub finem: *Singuli episcopi sine dubio errare possunt et aliquando errant et inter se quandoque dissentiunt.*

2. Ecclesia Israëlitica a Deo defecit. Exod. 32.

88. *2. Tempore Moysis tota ecclesia a Deo apostatavit. Nam Aaron summus pontifex proposuit vitulum adorandum, et totus populus clamavit: Hi sunt dii tui Israël* Exod. 32, v. 8. Excipit Bellarminus, *eo tempore nec caput, nec corpus ecclesiae defecisse, nam caput erat solus Moyses, quem certum est non errasse, Aaron siquidem nondum erat pontifex, nam postea factus est, ut patet Exod. 40. Non etiam corpus defecit, nam omnes Levitae immunes fuerunt ab eo peccato, ut patet ex eodem c. 32. Exod. ubi Moyses dicit: Si quis est Domini, jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* Idem repetit Becanus tract. de ecclesia q. 1. concl. 4. num. 82. Respondemus: 1. locus hic evidenter ostendit, ecclesiam XI. 112.
eo quo dictum est modo deficere et invisibilem fieri posse. Totus enim populus Israëliticus tunc exercebat idololatriam, neque tamen erat aliquis coetus integer et conspicuus, in quo sincerus et purus Dei cultus publice vigebat. Fuerunt procul dubio inter Israëlitas aliqui, quibus idololatria illa displicuit, quia 1. Cor. 10, v. 7. *τινὰς, quosdam*, ex Israëlitis idololatras fuisse asserit. Sed illi erant occulti nec constituebant visibilem aliquem coetum. 2. Moyses fuit gubernator et mediator populi, non autem summus pontifex, sed haec dignitas Aaroni divino mandato erat assignata. Quod Aaronem consecravit, peculiari Dei mandato factum, nec ex eo effici potest, quod fuerit summus sacerdos. Psalm. 99, v. 6. dicuntur Moyses et Aaron *in sacerdotibus*, sed in Hebraeo est vox כֹּהֵן, quae significat virum primarium 2. Reg. 8, v. 18. Quamvis vero tempore *μοσχολατρείας* institutae Aaron nondum fuerit a Moyse consecratus, tamen vocatio Aaronis ad summum sacerdotium eam praecessit Exod. 28. jamdum enim Aaron non solum nominatus et divina auctoritate destinatus erat summus sacerdos, sed etiam publica auctoritate gubernationi populi praefectus; jam vero epistola ad Hebraeos c. 5, v. 4. docet, non vi inaugurationis et consecrationis, sed *vocationis* Aaronem factum esse summum sacerdotem, et sacerdotale munus non ab inauguratione et consecratione, sed a vocatione dependet, haec enim facit sacerdotem et donis ad munus obeundum necessariis instruit, illa vero certis ritibus declarat, personam aliquam ad sacerdotium vocatam esse. 3. Quamvis igitur Moyses officio prophetico et auctoritate magistratus Aarone superior fuerit, tamen in officio sacerdotali vel collegam Aaronis, vel eo superiorem fuisse Scriptura nuspiam asserit, sed Leviticum sacerdotium semper appellat Aaronicum ab ejus principe Aarone. Nicephorus etiam lib. 2. hist. eccles. c. 4. seriem et successionem pontificum Judaicorum enumeraturus orditur ab Aarone, quem vocat *primum pontificem* a fratre Moyse unctum. Cumprimis hoc loco notandum, quod Moyses in monte tum temporis commorabatur et suo loco Aaronem et Hur constituerat, quibus populus parere debeat, unde populus dicit Exod. 32, v. 1: *De Moyse illo, qui eduxit nos ex terra Aegypti, quid factum sit ignoramus.* Non ergo Moyses, sed Aaron et Hur fuerunt capita visibilis ecclesiae; proinde Aarone idololatricum vituli cultum

Digitized by Google

instituente ipsum caput errasse ac defecisse manifestum est. De Hur nihil legimus, ex quo constare possit, an defecerit, necne. Hebraei tradunt, illum *postulationi turbae animosius resistentem a seditiosis occisum esse.* 4. Aliquos in populo fuisse ab hac idololatria impollutos facile concedimus, illi tamen respectu reliquorum fuerunt pauci, nec potuerunt impedire, quominus publicum divini cultus exercitium idololatria pollueretur, unde indefinite dicitur, quod *populus* postulaverit deos conflatiles v. 1. quod *populus* inaures obtulerit Aaroni v. 3. quod Deus iratus fuerit *populo et eum totum* delere voluerit v. 10. quod Josua in descensu montis dicit, *se audivisse sonum tanquam magni exercitus* v. 17. et apostolus pronuntiat 1. Cor. 10, v. 7. *quod populus sederit ad manducandum et bibendum et surrexerit ad ludendum.* Nec ullo modo verisimile est, nullum omnino Levitarum in hanc *μοσχολατρείαν* consensisse, cum princeps illius familiae fuerit Aaron, cujus exemplum et auctoritatem haud dubie multi sunt secuti, quod autem v. 26. ad Moysen postea congregantur et de rebellibus supplicium sumunt, id arguit, ipsos vera poenitentia ductos ad saniorem mentem rediisse. Negari igitur nulla specie veritatis potest, totam visibilem ecclesiam Israëliticam eo tempore defecisse, hoc est publicum divini cultus exercitium in visibili ecclesia fuisse idololatria corruptum, interim tamen servavit sibi Deus invisibilem ecclesiam in medio idololatrarum coetu.

3. Tempore Eliae XI. 113. tota ecclesia visibilis defecerat.

89. 3. Tempore Eliae tota ecclesia visibilis defecerat. Nam 1. Reg. 19. Elias dicit: *Relictus sum solus, sed Dominus ei respondet: reliqui mihi septem millia hominum in Israël, qui non flexerunt genua sua ante Baal,* hos autem fuisse occultos dubium non est, cum eos ne Elias quidem cognosceret. Excipit Bellarminus dupliciter 1. *non esse eandem rationem populi Judaeorum et Christianorum, nam populus Judaeorum non erat ecclesia universalis, ut est populus Christianorum, sed particularis, et propterea etiam extra illum populum inveniebantur fideles et justi, ut Melchisedech, Job et postea Cornelius centurio et eunuchus reginae Candaces et alii nonnulli etc. itaque etiam si universa synagoga Judaeorum defecisset, non continuo omnis ecclesia Dei in terris defecisset.* Eodem modo respondet Hardingus in confut. apol. Anglicanae c. 12: *Si exstincta sit aliquando synagoga Judaicâ, an hinc consequi necesse est, ecclesiam quoque ad paucos redigi posse et omnino deficere?* Item Becanus lib. de ecclesia q. 1. concl. 4. p. 76: *Non sequitur,* inquit, *synagoga deficit, ergo ecclesia deficiet;* primo *quia ecclesia habet promissionem de sua firmitate ac stabilitate, quam synagoga non habuit;* secundo *ecclesia est libera, synagoga fuit ancilla;* tertio, *ecclesia est catholica, synagoga non erat catholica.* Haec illi. Respondemus: sane non negamus, aliquam esse disparitatem inter ecclesiam Israëliticam V. et ecclesiam Christianam N. T., quam disparitatem exposuimus superius §. 34. interim tamen in eo tertio conveniunt, quod si illa ecclesia obscurari, ad paucitatem redigi et publicum ejus ministerium corrumpi potuit, tum et huic idem contingere possit. Neque enim alius Deus, alia doctrina, alia fides, alia spes ecclesiae V. quam N. T. Quin imo ecclesia Israëlitica ante Christi adventum non minus est pars ecclesiae catholicae quam ecclesia Christiana post Christi adventum. Eadem non minores accepit promissiones, ut infra ostendetur. Agnoscat Bellarminus sua verba lib. 1. de bapt. c. 1: *Coetus Israëlitarum absolute loquendo ecclesia erat et ecclesia Dei veri, antequam Christum negaret.* Quod Bellarminus urget, *ecclesiam Israëliticam non fuisse universalem,* ambigue dicitur. Non fuit universalis eo sensu, quo ecclesia Christiana dicitur universalis, quia scilicet per praedicationem evangelii ex omnibus nationibus et gentibus sine ullo locorum et personarum discrimine colligitur, neque amplius angustis terrae Judaicae finibus continetur; interim tamen quia tempore V. T. nulla alia visibilis ecclesia fuit quam Judaica, et quia Deus nullas alias particulares ecclesias illo tempore habuit, quam Judaicam, ideo hoc sensu et respectu recte dicitur universalis, continuit enim complexu suo particulares ecclesias in civitatibus et domibus collectas, ac quotquot ex gentibus ad verum Deum convertebantur, illi erant membra hujus ecclesiae Israëliticae, cui si non loco et externa societate, tamen desiderio, animo, affectu et interna societate conjuncti fuerunt; publicum divini cultus exercitium in sola Israëlitica ecclesia erat, nuspiam alibi templum, sacerdotium, sacrificia Deo grata et placentia. Melchisedecus et Jobus omnium consensu vixerunt ante ecclesiae illius constitutionem. Cornelius centurio et eunuchus reginae Candaces fuerunt proselyti et ad ecclesiam Judaeorum sese aggregarunt, eunuchus itinere longinquo ad templum Hierosolymitanum venit, ut adoraret, quo modo igitur negari potest, illos fuisse membra ecclesiae Judaicae? Et quos quaeso nominare nobis poterit Bellarminus, qui inter gentes fuerint vere fideles et habuerint publicum ac peculiare divini cultus exercitium ab omnibus corruptelis liberum, cum ecclesia Israëlitica et Judaica idololatria esset corrupta? Falsum ergo et absurdum est, quod Bellarminus asserit, *etiamsi universa Judaeorum synagoga defecisset, non tamen continuo omnem Dei in terris ecclesiam defecisse.* Si enim de visibili ecclesia hoc intelligit, (ut salvis hypothesibus suis intelligere cogitur) monstranda erit alia visibilis ecclesia in V. T. quam Israëlitica. Si de invisibili ecclesia loquitur, re ipsa nostram sententiam confirmat, nam et nos dicimus, si vel maxime visibilis ecclesiae ministerium corrumpatur atque ecclesia ad tantam paucitatem redigatur, ut externa ejus fa- XI. 114.
cies vix appareat, Deum tamen semper invisibilem aliquam ecclesiam conversare. Si pauci illi, qui extra populum Judaicum inveniebantur, erant ecclesia et constituebant ecclesiam praeter Judaicam; cur repudiat Bellarminus et alii Pontificii nostram sententiam, quando dicimus, omnibus seculis et temporibus fuisse aliquos, qui contradixerint Romano pontifici et in illis ecclesiam conservari potuisse?

Digitized by Google

2. Aliter igitur respondet Bellarminus, *synagogam Judaeorum nunquam defecisse ante Christi adventum;* addit vero, *Eliam non loqui de omni populo Judaeorum, sed solum de illa parte, quae subjecta erat regi Samariae, cum constet ex tertio libro Regum, tempore Eliae regnasse in Jerusalem Asa et post eum Josaphat optimos reges et sub ipsis fuisse in Jerusalem populum et sacerdotes manifestissime in vera religione persistentes, unde emphasin observat in oraculo divino in Israël, hoc est in illis, qui erant sub rege Samariae septem illa millia virorum esse relicta.* Anglo-Remenses annot. in Rom. 11, v. 4. *in Judaea tunc temporis ecclesiam visibilem fuisse* respondent, *cum decem mille milites numerentur* 2. Chron. 17. (ita videntur exactiorem numerum inire voluisse, quam ipse Dominus, is enim septem millia duntaxat exprimit.) Idem repetit Becanus lib. de ecclesia q. 1. concl. 4. n. 84. et addit: *Semper in templo Salomonis videtur mansisse usus sacrificiorum secundum legem Mosaicam.* Respondemus: repetendus est quaestionis status, nequaquam pugnamus, ecclesiam vel V. vel N. T. tempore prorsus interire vel deficere posse; quando igitur Bellarminus hanc sententiam nobis tribuit, occupat subsellia eorum, de quibus ipse c. 13. scribit: *Notandum est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolute ecclesiam non posse deficere, adversarii enim id concedunt;* cumque in hoc ipso c. 16. scribat, *Melanthonem statuere, quod tempore Eliae ecclesia fuerit in Elia, Elisaeo et paucis sacerdotibus;* cur operose contra nos urget, synagogam, hoc est ecclesiam Judaeorum, ante Christi adventum nunquam penitus defecisse? Hoc vero est quod dicimus, ecclesiam et V. et N. T. eo modo deficere posse, ut publicum ministerium corruptelis invalescentibus non amplius sit purum, ut eo in loco, ubi fuit ampla et illustris ecclesia, nulla amplius appareat ecclesia, ut vera Dei ecclesia lateat et in illis conservetur, qui non constituunt aliquem visibilem et illustrem coetum etc. Haec omnia ex verbis Eliae et oraculo divino manifeste probari possunt. Qualis enim fuerit ecclesiae Israëliticae illo tempore status, ex querela prophetica conspicuum: *Zelo zelatus sum* (inquit Elias) *pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israël, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt, et derelictus sum ego solus et quaerunt animam meam, ut auferant eam.* Sublatum erat publicum veri cultus divini exercitium, Baalitica idololatria passim regnabat, veri confessores a Jezabele ad internecionem quaerebantur, ut non amplius superesset illustris et conspicuus aliquis coetus verorum Dei cultorum. *Septem illa millia virorum, qui non curvaverant genua sua coram Baal,* non constituebant ecclesiam aliquam visibilem, alias Eliae quoque fuissent noti, sed latitabant et occultabantur, ut Jezabeliticam rabiem effugere possent. Sicut 1. Reg. 18, v. 4. de Abdia praefecto regis Achabi dicitur, *quod cum Jezabel interficeret prophetas Domini, tulerit ille centum prophetas et absconderit eos in speluncis cibans eos pane et aqua.* Quidquid igitur sit de ecclesia Hierosolymitana sub imperio Asae et Josaphati collecta, sufficit nobis, quod *in Israël,* hoc est interprete Bellarmino *in illis Judaeis, qui erant sub Achabis et Jesabelis imperio ac regi Samariae subjecti,* fuisse septem millia virorum relicta, qui non constituerunt aliquam visibilem et illustrem, sed invisibilem et latentem ecclesiam. Adde quod Elias videatur etiam de statu illius ecclesiae, quae Hierosolymis inter Judaeos erat, conqueri, quia audiens, sibi mortem a Jezabele intentari, fugit primum in Judaeam, sed postea in desertum; at si in Judaea fuisset visibilis aliqua et illustris ecclesia, eujus ministerium publicum a Baaliticis cultibus fuisset plane XI. 115.
incorruptum, utique ibidem substitisset, nec fugisset in desertum 40 dierum itinere, ut ibi tutus esse posset. Praeterea conqueritur de eversione altarium; jam vero nulla fuerunt legitima altaria nisi Hierosolymis, ergo et illa a cultoribus Baaliticis fuerunt eversa, de idololatricorum altarium eversione non fuisset Elias conquestus. Apostolus etiam Rom. 11, v. 3. generaliter locutum esse Eliam manifeste ostendit. Nomine enim Israëlis totum Israëliticum populum intelligendum esse docet, cum se ipsum de tribu Benjamin Israëlitam vocet v. 1. ac scopus apostoli est demonstrare, sicut tempore Eliae nulla inter Judaeos videbatur relicta ecclesia, cum Elias diceret, *destruxerunt altaria tua, occiderunt prophetas, et ego relictus sum solus,* interim tamen eodem tempore Deum aliquot millia verorum cultorum sibi reservasse; ita ne nunc quidem totam ecclesiam Judaicam defecisse, sed reliquias quasdam adhuc servari. Si statuatur, Eliam non loqui de toto populo Israëlitico sui temporis, testimonium hoc non erit apostoli scopo et instituto accomodatum, objicere enim potuissent Judaei apostolo id ipsum, quod Bellarminus nobis objicit, non defecisse totam ecclesiam Israëliticam, sed eam tantum, quae fuit subjecta regi Samariae, Hierosolymis fuisse illustrem coetum verorum cultorum, nunc vero totum populum defecisse. Sed scopus apostolicus hanc objectionem fortissime elidit, unde etiam Chrysostomus hom. 22. in Matth. et hom. 11. Rom. Eliae verba generaliter accipit. Si Eliae notum fuisset, in Judaea tantum numerum eorum, qui vere et sincere Deum colant, adhuc superesse, non fuisset adeo tristis et anxius, ut prae aegritudine mori exoptasset. Videtur igitur ne quidem in regno Judae tum temporis cultus Dei adeo purus et incorruptus fuisse, id quod historia regum Judaicorum manifeste comprobat. In descriptione enim imperii *Roboami* primi regis Juda dicitur 1. Reg. 14, v. 22: *Fecit Juda (hoc est Israëlitae in regno Juda) malum coram Domino et zelare fecerunt eum super omnibus, quae fecerant patres eorum in peccatis suis, quae peccaverant;* v. 23: *aedificaverunt enim et ipsi excelsa et statuas et lucos super omnem collem excelsum et subter omnem arborem frondosam.* Roboamo successit filius *Abiam,* qui *ambulavit* et ipse *in peccatis patris sui* permittendo et exercendo cultus ido-

Digitized by Google

lolatricos in excelsis 1. Reg. 15, v. 3. Abiamo successit *Asa*, qui removit quidem idola, quae fecerant ipsius patres, interim tamen additur 1. Reg. 15, v. 14. *quod non abstulerit excelsa.* Asae successit *Josaphatus*, qui conjunxit se cum Achabo rege Israëlis in bello non necessario suscipiendo 1.Reg 22, v. 5. quae conjunctiones cum idololatris solent aliquam religionis corruptelam secum trahere, diserte etiam de Josaphato dicitur v. 44. *quod ne ipse quidem abstulerit excelsa, sed quod adhuc populus contra expressam Dei legem sacrificarit et incensum adoleverit in excelsis.* Josaphato successit *Joram*, de quo 2. Paral. 21, v. 6. dicitur, *quod ambulaverit in viis regum Israël, sicut egerat domus Achab, filia quippe Achab erat ejus uxor et fecit malum in conspectu Domini.* Huic Joramo allatae sunt literae ab Elia propheta, in quibus ibidem v. 13. accusatur, *quod incesserit per iter regum Israël et fornicari fecerit Judam et habitatores Jerusalem imitatus fornicationem domus Achab.* Joramo successit *Ochozias*, qui et ipse *ingressus est per vias domus Achab, mater enim ejus Achabi filia impulit eum, ut impie ageret et in religione* Baalitismum amplecteretur 2. Paral. 22, v. 3. Ochoziae successit *Athalia*, quae templum Dei disrupit et de sanctificatis Domino ornavit fanum Baalim 2. Paral. 24, v. 7. Athaliae successit *Joas*, qui superstite Jojada pontifice pie et laudabiliter imperium gerens templum et altaria Baalitica destruxit 2. Paral. 23, v. 17. ac templum Domini reparavit 2. Paral 24, v. 13. sed post Jojadae mortem delinitus blanditiis et obsequiis principum Juda *ipse et proceres regni dereliquerunt templum Domini ac servierunt lucis et sculptilibus* v. 18. cumque *mitteret illis Deus prophetas, ut reverterentur ad Dominum, illos audire recusabant* v. 19.
XI. 116. Joae successit *Amasias*, de quo commemoratur quidem, *quod fecerit bonum in conspectu Domini* 2. Paral. 25, v. 2. sed additur, *non in corde perfecto, quia non abstulit excelsa* 2. Reg. 14, v. 4: ac 2. Paral. 25, v. 14. de eo expresse commemoratur, quod post caedem Idumaeorum *et allatos deos filiorum Seir statuerit illos sibi in deos eosque adoraverit et incensum illis adoleverit*, ac v. 27. *quod a Domino recesserit.* Amasiae successit *Ozias*, qui munus sacrificandi sacerdotibus mandatum sibi arrogans lepra percussus est 2. Paral. 26, v. 19. Oziae successit *Jotham*, de quo dicitur quidem, quod rectum fecerit in oculis Domini, sed nihilominus additur, quod *populus adhuc deliquerit sacrificando*, scilicet in excelsis 2. Paral. 27, v. 2. Jothamo successit *Achaz*, de quo 2. Reg. 16, v. 11. dicitur, quod ad mandatum illius sacerdos Urias exstruxerit *altare idololatricum* ad exemplar et similitudinem ejus, quod rex viderat Damasci. 2. Paral. 28, v. 3. de eo commemoratur, quod *statuas fuderit Baalim, adoleverit incensum in valle Benhinnom et traduxerit filios suos per ignem juxta abominationem gentium.* v. 24. de eodem dicitur, *quod confractis vasis domus Dei clauserit januas templi Dei et fecerit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.* v. 25. *quod in omnibus urbibus Juda exstruxerit ecclesias ad adolendum diis alienis.* Sic ergo a rege, a summo sacerdote et populo per omnes civitates in regno Judae publice exercita fuit idololatria. Sub *Ezechia* Achazis successore reformatio ecclesiae fuit instituta, sed successit ei filius *Manasses*, *qui erexit aras Baal, fecit lucos et adoravit omnem militiam coeli et coluit eam* 2. Reg. 21, v. 3. *ac peccare fecit* Judam v. 11. *fecit malum coram Domino juxta abominationes gentium* 2. Paral. 33, v. 2. *aedificavit altaria cuncto exercitui coeli in ipsis atriis templi* v. 5. *transire fecit filios suos per ignem* v. 6. etc. *seduxit Judam et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes* v. 9. Quis igitur credat, in regno Judae publicum cultus divini exercitium mansisse purum et incorruptum? Accurate enim hoc loco notandum, quod in descriptione status ecclesiae temporibus Oseae, qui Achabo successit, diserte dicitur, non solum in regno Israëlis idololatriam publice ubivis fuisse exercitam, sed etiam *regnum Juda ambulasse in erroribus Israël nec custodivisse mandata Domini* 2. Reg. 17, v. 19. qua igitur veritatis specie dici potest, publicum religionis exercitium in regno Judae temporibus Eliae fuisse incorruptum?

90. 4. Ex quibusdam dictis Scripturae, quae de statu ecclesiae in V. T. loquuntur. Esa. 1, v. 3: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; Israël autem me non cognovit et populus meus non intellexit; v. 6: a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Jer. 2, v. 26. et 27: *Confusi sunt domus Israël ipsi et reges eorum et principes eorum et sacerdotes et prophetae eorum dicentes ligno, pater meus es tu.* v. 29: *Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* 2. Paral. 15, v. 3: *Transibunt dies multi in Israël sine Deo vero, sine sacerdote et doctore et sine lege.* Respondet Bellarminus: *1. prophetas et apostolos interdum reprehendere universum populum, quasi nemo ibi sit bonus, cum tamen permulti sint boni, et e contrario interdum consolari omnes, quasi omnes sint boni, cum tamen constet, ibi multos esse malos*, quo refert sequentia Scripturae dicta Ezech. 3, v. 7: *Omnis domus Israël attrita fronte est et duro corde*, cum tamen Ezech. 9, v. 4. mentio fiat virorum *gementium et dolentium super abominationes, quae fiunt in medio populi.* Gal. 3, v. 1. dicit apostolus: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati?* et tamen c. 6, v. 1. dicit: *Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis.* Respondemus: regulam illam Augustini lib. de unit. ecclesiae c. 12. et in libro quem edidit post collationem cum Donatistis c. 20. *quod prophetae et apostoli sic arguere soleant reprehensibiles in aliquo populo, quasi omnes in eo populo arguantur, et sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur*, nequaquam improbamus, sed per usita- XI. 117.

4. Querela prophetarum de corrupto ecclesiae statu.

Digitized by Google

tam in Scripturis synecdochen illud saepius fieri concedimus, interim tamen manet robur ac vis argumenti nostri. Nequaquam dicimus, in corrupto ecclesiae statu nullos superesse bonos et electos, sed ad eam paucitatem illos redigi posse, ut non constituant aliquem visibilem et illustrem coetum, sed velut grana in acervo palearum lateant. Sic Esaias conqueritur, eos qui praecipuum in ecclesia visibili locum tenent, sacerdotes, reges, adeoque universum fere populum a vera religione et pietate descivisse; interim tamen addit v. 9: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et Gomorrhae similes.* Jeremias itidem conqueritur, quod pauci superessent boni, non autem, quod nulli; atque hoc sufficit instituto nostro, neque enim pugnamus, ecclesiam penitus deficere, sed quod publicum ecclesiae ministerium degenerare et corrumpi possit, id quod Esaiae et Jeremiae querelae apertissime comprobant. Sic enim Esaias intonat c. 1, v. 2: *Audite coeli et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me;* v. 4: *vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis perditis, dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israël, aversi sunt retrorsum; v. 5: totum caput languet et totum cor aegrotat* etc. v. 21: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* v. 22: *argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.* v. 29: *Confundentur ab idolis, quae in delitiis habuerunt.* c. 2, v. 8: *Repleta est terra (Judaea) idolis, opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.* c. 5, v. 4: *Exspectavi, ut vinea mea faceret uvas, et fecit labruscas.* c. 10, v. 11: *Numquid non sicut feci Samariae et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus?* (Ergo tempore Ahaz, sub quo prophetavit Esaias, publicum divini cultus exercitium Hierosolymis et in regno Judae non fuit tam purum et incorruptum ab idololatria, ut Bellarminus suspicatur.) Jeremias similem querelam profert c. 5, v. 1: *Circumite vias Jerusalem et adspicite et considerate et quaerite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quaerentem fidem?* Jerem. 2, v. 8: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? et tractantes legem nescierunt me, et pastores praevaricati sunt in me, et prophetae prophetaverunt in Baal et idola secuti sunt.* v. 11: *Videte, si factum est hujusmodi in gentibus, si mutavit gens deos suos, populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum;* v. 13: *duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.* v. 28: *Secundum numerum civitatum tuarum erant Dii tui Juda.* c. 3, v. 6: *Numquid vidisti, quae fecerit aversatrix Israël? Abiit super omnem montem excelsum et sub omni ligno frondosa et fornicata est ibi* (per idololatriam, quae est fornicatio spiritualis); v. 8: *et vidit praevaricatrix soror ejus Juda et abiit et fornicata est etiam ipsa* (ergo nec in regno Juda status ecclesiae publicus fuit ab idololatria immunis); v. 11: *justificavit aversatrix Israël animam suam comparatione praevaricatricis Juda.* c. 6, v. 13: *A propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* c. 7, v. 28: *Haec est gens, quae non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, periit fides et ablata est de ore eorum.* Ezech. 7, v. 26: *Peribit lex a sacerdote et consilium a senioribus.* Ezech. 22, v. 26: *Sacerdotes violenter oppresserunt legem meam et polluerunt sanctuaria mea;* v. 28: *prophetae ejus incrustant eos calce non recte mixta, videntes vana et divinantes mendacium;* v. 30: *quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem, et non inveni.* Hos. 4, v. 1: *Non est veritas et non est misericordia et non est scientia Dei in terra.* v. 6: *Perit populus meus, eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* v. 9: *Populus est sicut sacerdos.* v. 12: *Spiritus fornicatorum decepit eos et fornicati sunt a Domino Deo suo.* Mich. 7, v. 2: *Periit sanctus de terra et rectus in hominibus non est.* Tales querelae ex prophetis cumulari possunt longe plurimae, quibus ostenditur, tabem idololatriae et corruptelarum totum visibilis ecclesiae corpus invasisse, XI. 118.
interim tamen Deus in corruptissimo ecclesiae visibilis et ministerii publici statu servavit sibi semen aliquod sanctum. Idem dicimus de temporibus papatus, quod videlicet reliquias quasdam Deus sibi servaverit, in quibus catholica ecclesia conservata fuit. 2. Ad locum 2. Paral. 15, v. 3. respondet, *intelligendum eum de regno Israël, non autem de regno Juda.* Atqui ostendimus superius, non solum in regno Israël, sed etiam in regno Juda corruptelas doctrinae invaluisse, cumprimis vero sub Achaz et Manasse fuit miserrimus et corruptissimus ecclesiae status, quod ipsum probant varia illa idololatriae instrumenta, quae a Josia Manassis et Amonis successore subversa commemorantur 2. Reg. 23, v. 4. et seqq. 3. Tandem addit Bellarminus, *fortasse loqui Scripturam de tempore, quod erat futurum post Messiae adventum, nunc enim transire dies multos in Israël sine Deo, sine sacerdote, sine lege.* Respondemus: imo vero ex circumstantiis manifestum, de statu ecclesiae, qualis sub Achaz et Manasse ac tempore Babylonicae captivitatis futurus esset, hoc vaticinium proprie agere. Postquam enim Azarias propheta tristem illum ecclesiae statum praedixisset, *quod multi dies transituri sint in Israël absque Deo vero, absque sacerdote, absque doctore et absque lege,* hoc est quod multo tempore in populo Dei non sint exstituri sacerdotes, qui de vera religione in publico ministerio recte doceant, quod publicum divini cultus exercitium futurum sit corrumptum ac depravatum, quod lex Dei in magno futura sit contemtu etc. subjungit v. 4: *Cum reversi fuerint in angustia sua et clamaverint ad Dominum Deum Israël et quaesiverint eum,* reperient eum, id quod completum est sub imperio Ezechiae et Josiae, ut series historiae manifeste ostendit, tunc enim liber legis e tenebris iterum fuit erutus, Baali-

Digitized by Google

tici sacerdotes loco moti, altaria idololatrica destructa et reformatio doctrinae instituta. Hos. 3, v. 4. repetitur idem ferme vaticinium: *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari et sine ephod et sine teraphim;* v. 5. additur: *Et post haec revertentur Israël et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum et reverenter colent Dominum et bonitatem ejus in novissimo dierum.* Quidam hoc intelligunt de populo Judaico propter idololatriam et contemtum Messiae a Romanis e terra sua exterminando et dispergendo inter gentes, extremis tamen temporibus paulo ante novissimum diem demum convertendo, sed rectius accipitur de exilio decem tribuum in regno Assyriaco et conversione earum per praedicationem apostolorum ad Christum.

5. Ecclesia visibilis cessabit. 91. 5. Quintum argumentum Bellarminus dicit, nos petere ex illis Scripturae dictis, *in quibus praedictum, ecclesiam visibilem cessaturam.* Dan. 9, v. 27: *Cessabit hostia et sacrificium.* Luc. 18, v. 8: *Cum filius hominis venturus est, num inveniet fidem in terra?* 2. Thess. 2, v. 3: *Non veniet Christus ad judicium, nisi venerit defectio primum et revelatus fuerit homo peccati.* Quibus dictis Bellarminus putat, a nobis addi illud propheticum Jerem. 7, v. 4: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: templum Domini, templum Domini. Ut enim antiqui illi Judaei non credebant prophetis praedicentibus desolationem, quia videbant, se habere templum Domini et externas ceremonias; ita gloriantur Pontificii, quod habeant antiqua templa, episcoporum successiones, apostolicam sedem et interim non attendunt ad Scripturas, quae desolationem aperte praedicunt.* Ad singula Bellarminus excipit 1. Locum Dan. 9, v. 27. dicit, *intelligendum esse non de tempore Antichristi, qua in parte Hilarium can. 25. in Matthaeum et Hippolytum ac Apollinarium apud Hieronymum in c. 9. Dan. deceptos esse scribit, sed de eversione Jerusalem et cessatione sacrificii Judaeorum.* Respondemus: nos hoc testimonio Danielis in hac quaestione non utimur, agnoscimus enim, prophetam loqui de cessatione sacrificii Judaeorum et eversione urbis Jerusalem, ut ex Matth. 24, v. 15. manifestum, quo tempore synagogam Judaeorum defecisse ipsimet Pontificii nobiscum statuunt. Re-
XI. 119. vocamus autem Bellarmino in memoriam, quod lib. 3. de pontif. Rom. c. 7. circa finem ipsemet scribat, *Antichristi tempore propter atrocitatem persecutionum cessaturum esse publicum et quotidianum ecclesiae sacrificium,* idque probare conetur ex Daniel. 12, v. 11: *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium dies 1290.* Item quod Anglo-Remenses in annot. Matth. 24. affirmant, *hoc principaliter implendum esse tempore Antichristi, cum sacrificium missae prorsus abolebitur.* Quodsi in ecclesia Christiana N. T. cessare potest juge sacrificium et publicum divini cultus exercitium, ut Bellarminus ibidem concedit, an non etiam in ecclesia Judaica incidere potuit tempus ejusmodi, ut nulla fuerint legitima sacrificia ab idololatricis corruptelis impolluta? Confirmatur hoc argumentum ex eo, quod Pontificii disputant, illustriores promissiones datas esse ecclesiae novi testamenti quam synagogae Judaicae, sed hac de re inferius plura. 2. Dicto Christi Luc. 18, v. 8. hoc obvertit Bellarminus, *quod non loquatur de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quae in paucis reperiatur et in paucissimis futura sit in ultimis diebus, ita enim exponere Hieronymum in dial. contra Lucif. et Augustinum de unit. eccl. c. 13.* Respondemus: imo vero loquitur de vera et communi Christianorum fide, ut ex serie textus et collatione cum aliis Scripturae locis intelligi potest. Praecedit parabola de vidua iniquum judicem precibus urgente, quae assiduitatem orationis nobis commendat; illi subjungit Christus hanc querelam de paucitate vere credentium, quasi dicat, postremis mundi temporibus pauci erunt huic viduae similes, qui die et nocte ad Deum clamabunt, quia pauci habebunt veram fidem, ex qua seria et Deo placens invocatio proficisci debet; quam interpretationem particula adversativa πλήν manifeste comprobat. Unde vero haec puritas vere fidelium extremis mundi temporibus originem ductura sit, exponit ipse Christus Matth. 24, v. 11: *Surgent multi pseudoprophetae et seducent multos, v. 12: quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas. v. 24: Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ostendit igitur, generalem quandam futuram corruptionem ac haereses et seductiones passim ita invalituras, ut in paucissimis vera fides inveniatur et praeter paucos electos omnes seducantur. Quomodo vero hoc convenit cum persuasione Pontificiorum de externo ecclesiae splendore, claritate et amplitudine illi perpetua? Hanc interpretationem nostram non repudiat Augustinus. Cum enim loco proxime citato dictum illud de fidei perfectione interpretatus esset, aliam statim explicationem subjungit, quod scilicet *futura sit paucitas bonorum,* vel (inquit) *propter illam iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum Christus dicitur vix reperturus fidem.* In Psalm. 60. cum mentionem fecisset horum verborum, *quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas,* subjungit: *Sed illa ecclesia, quae clamat a finibus terrae, in his est, de quibus sequitur dicens: Qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Cyprianus etiam in libr. de simplic. praelatorum de communi fide sanctorum hunc locum interpretatur. *In nobis* (inquit) *vigor fidei emarcuit, credentium robur elanguit, et idcirco Dominus tempora nostra respiciens in evangelio suo dicit, filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? videmus fieri, quod ille praedixit.* Theophylactus accipit hunc locum de temporibus Antichristi, *quibus magnam fidelium raritatem fore* dicit *et Christum venturum in nubibus non inventurum esse fidem in terra.* Glossa ordinaria ex Beda: *Dico, me facturum vindictam justorum, sed illi erunt valde pauci, quia cum in die judicii in forma filii hominis apparuero, tanta erit raritas justorum, ut non tam ob clamorem fidelium*

Digitized by Google

injuste damnatorum, quam ob eorum corporum juste damnandorum totius jam mundi sit acceleranda ruina. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, ideo dimissa priore responsione aliam subjungit. *Vel dicamus* (inquit) *cum Theophylacto, loqui Dominum de fide absolute et velle dicere, paucos futuros fideles tem-*
XI. 120. *pore Antichristi, non tamen nullos, nec tam paucos, ut non faciant ecclesiam.* At hoc ipsum et nos dicimus, sic ergo sponte eo abit Bellarminus, quo ipsum pertrahere conamur. Nequaquam hoc volumus, incidere posse tempus ejusmodi, ut nulli amplius supersint fideles, vel tam pauci, ut non faciant ecclesiam; sed hoc dicimus, persecutionibus vel haeresibus invalescentibus vere fideles ad eam paucitatem redigi posse, ut prae reliquorum multitudine exiguus et contemtus sit eorum coetus, ut non constituant illustrem aliquem coetum omnibus conspicuum, adeoque ut vera ecclesia in paucis conservetur. 3. Dicto apostolico 2. Thess. 2, v. 3. hoc obvertit Bellarminus, *patres quosdam ut Ambrosium, Sedulium et Primasium illud intelligere de defectione ab imperio Romano, quosdam vero ut Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum et Augustinum lib. 20. de civ. Dei c. 19. de ipso Antichristo, qui discessio per metonymiam, quia erit causa, ut multi discedant a Christo.* Respondemus: imo vero de apostasia a fide proprie et praecipue explicandum est apostolicum illud dictum, ita enim exponit ipse apostolus 1. Tim. 4, v. 1: *Spiritus manifeste dicit, fore ut in novissimis temporibus desciscant quidam a fide spiritibus deceptoribus animum attendentes et doctrinis daemoniorum.* Praeterea loquitur apostolus de ἀποστασίᾳ per Antichristum futura, jam vero Antichristus fidem et religionem, non autem politiam oppugnaturus erat, de fidei igitur ἀποστασίᾳ haec praedictio intelligenda; addit apostolus ibidem τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, *mysterium iniquitatis nunc operatur*, jam vero imperium Romanum tempore apostolorum nequaquam nutavit, sed diu adhuc floruit. Atque eo modo interpretantur Irenaeus lib. 5. adv. haeres. c. 21. Chrysostomus hom. 3. in 2. Thess. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 19. Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 27. Lyranus in comm. Adrichomius in chron. f. 285. etc. quinimo ipsi Anglo-Remenses in annotat. 2. Thess. 2. sect. 6. agnoscunt, illam defectionem, de qua apostolus loquitur, futuram a praecipuis religionis Christianae articulis, cum quibus auctoribus exacte consentiunt, qui per ἀποστασίαν ipsum Antichristum intelligunt ex eo sic dictum, quia causa erit, ut multi a Christo et fide Christi discedant. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, ideo addit, *intelligi in verbis apostoli discessionem a fide non generalem, sed particularem, id est non omnium, sed multorum, vel omnium quidem, sed occultorum haereticorum, qui veniente Antichristo ab ecclesia discendent et Antichristo se conjungent.* Respondemus: etiam illo tempore, quo apostolus haec scribebat, haeretici complures ab ecclesia discedebant 1. Tim. 1, v. 20. 2. Tim. 2, v. 17. c. 4, v. 10. 1. Joh. 2, v. 19. jam vero loquitur apostolus de peculiari quadam ἀποστασίᾳ tempore Antichristi ante ultimum Christi adventum ad judicium futura, ergo hoc non potest accipi de particulari, sed de communiore quadam et universaliore defectione, qualis tempore apostolorum nondum contigerat, Antichristi autem temporibus futura praedicitur, quo referenda sunt similia vaticinia de statu ecclesiae sub Antichristo Apocal. 12, v. 6. c. 13, v. 3. 8. 16. 17. c. 17, v. 2. c. 18, v. 3. quorum vaticiniorum perspicuitate moti Anglo-Remenses in annotat. 2. Thess. 2. sect. 6. concedunt, *eam defectionem fore integrorum regnorum, populorum et provinciarum, ac publicam eo tempore fidelium consuetudinem cum ecclesia Romana cessaturam*, ita ut corde duntaxat cum ea communicaturi sint. 4. Dicto Jeremiae hoc obvertit Bellarminus, *quod Pontificii non glorientur in templis et successione episcoporum et apostolica sede secundum se, sed propter Christi promissionem, tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam, qualem promissionem Judaei nunquam habuerint.* Respondemus: de dicto Christi et vero illius sensu alibi tractatur. Israëlitae clamantes perpetuo, *templum Domini, templum Domini*, si in ludo Bellarmini fuissent edocti, prophetis corruptelas doctrinae taxantibus et eversionem templi comminantibus idem obvertere potuissent, majores enim promissiones de suo templo habebant, quam Pontificii de Romana ecclesia ex Scripturis proferre possunt. Pro-
missiones de ecclesia N. T. generales sunt, ideoque XI. 121.
nequaquam ad solam Romanam ecclesiam restringendae, sed Israëlitae habebant promissiones speciales de templo Hierosolymitano, quod *Deus in perpetuum ibi habitare velit*, Deut. 16, v. 2. 2. Chron. 6, v. 2. Nehem. 1, v. 9. Esa. 31, v. 9. etc. et ne magnificas illas et amplas promissiones populo Israëlitico datas enumeremus universas, quaenam potest esse amplior, quam quae exstat Levit. 26, v. 11: *Ponam tabernaculum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos et ero Deus vester, vosque eritis populus meus?* Nihilominus cum neglecto verbo Dei et vero cultu divino Judaei ad promissiones illas de templo Domini provocarent, Jeremias illis objicit, quod *confidant in sermonibus mendacii*, quanto rectius Pontificiis hoc objicitur, qui de Romana ecclesia tales speciales promissiones ex Scripturis proferre non possunt, et si maxime possent, eae tamen non essent absolutae. Ratae ac firmae sunt promissiones de conservatione et gubernatione ecclesiae divinitus factae, sed non ad quoslibet coetus et gubernatores, quomodocunque sese illi gerant, referendae sunt, sed pertinent ad veram ecclesiam et ad illos, qui patiuntur se regi verbo Dei, qui respiciunt ad legem et ad testimonium ac juxta normam verbi divini docent, judicant et agunt.

92. 6. Sextum argumentum Bellarminus nos dicit petere ex historia concilii Basiliensis. *Concilium enim illud deposuit Eugenium tanquam haereticum et omnes ei adhaerentes, et elegit Felicem, deinde tamen concilio concluso et soluto iterum Eugenius in sedem irrepsit sine ulla canonica electione, et ab* 6. Basiliense concilium deposuit Romanum pontificem.

Digitized by Google

eo nati sunt, quotquot postea fuerunt papae, cardinales et episcopi. Ergo saltem ab eo tempore ecclesia Romana pontifici adhaerens non fuit vera ecclesia, et cum nulla alia fuerit visibilis, sequitur, visibilem ecclesiam periisse. Bellarminus respondet, *Basiliense concilium initio quidem fuisse legitimum, cum adesset legatus Romani pontificis, sed quo tempore Eugenium deposuit, non fuisse concilium ecclesiae, sed conciliabulum schismaticum, seditiosum et nullius prorsus auctoritatis, et opponit huic concilio alterum illud, quod eodem tempore Florentiae fuit institutum, in quo Romanus pontifex praesederit et plures episcopi praesentes fuerint.* Respondemus: hoc argumentum eo proprie pertinet, quod successio Romanorum pontificum incerta sit atque interrupta, quia *dubius papa habetur pro non papa*, ut docet Bellarminus lib. 2. de concil. c. 19. de veritate decretorum synodicorum nequaquam judicandum est ex auctoritate Romani pontificis, sed ex harmonia cum Scripturis sacris, proinde nequaquam erravit concilium Basiliense, quando statuit, *concilium esse supra pontificem*, sed Romanus pontifex intolerabilis ambitionis sese reum peragit, quando hoc decretum concilii improbat. Bellarminus ipse lib. 2. c. 17. §. ad hunc locum, non audet illos vocare haereticos, qui contrarium statuunt, cum *primatus pontificis supra concilium non sit definitus in ullo concilio, ut fide catholica* tenendus Theologi Parisienses publico scripto concilii Basiliensis auctoritatem defenderunt, neç potest negari, decreta concilii illius a Nicolao V. esse confirmata, ut ex bulla ejus eidem concilio annexa apparet, cui frigide respondit Bellarminus lib. 2. de concil. c. 19. circa finem, *Nicolaum ex parte solum illa approbasse*, quis enim pontificibus dedit illam potestatem, ut concilium probent ex parte una, qua illis placet, improbent vero ex parte altera, qua ipsis displicet? Concilium definit tanquam catholica fide tenendum, quod concilium sit supra papam et pertinaciter huic veritati repugnantem censendum esse haereticum, ergo et hoc decretum cum ad materiam fidei pertineat, a Nicolao V. censendum est confirmari, generaliter enim loquitur bulla et omnia illa decreta approbat, quae ab hoc concilio in materiis fidei sunt facta. Ceterum ut gratiam aliquam Bellarmino referamus, qui de statu ecclesiae tempore concilii Basiliensis
XI. 122. in hoc argumento mentionem facere voluerit, subnectemus gravissimam hac de re querimoniam non Waldensium aut Wiclevitarum, sed ipsius Romanae ecclesiae sub Antichristi jugo ac tyrannide pressae et hoc nomine graviter ingemiscentis. Sic enim illi, qui in concilio Basiliensi convenerant, in epist. synodali ad universos Christi fideles loquuntur: *Animadvertite inprimis o Christicolae et ante oculos vestros ponite miserandum et flebilem statum religionis Christianae, si eo redacta fuerit, ut quisque in summo pontificio positus jam assecutus sit, quod nullam correctionem a conciliis generalibus habeat pertimescere, quantumcunque ecclesiam scandalizet et ejus statum perturbet ac decoleret, ita ut si omnes dignitates ecclesiasticas et beneficia venderet, si praelatos quosque invitos transferret et expelleret injuste pro libito voluntatis, etiam notorie ac injuste reges ac principes dejiceret, moribus perniciosis animas hominum passim perimere laboraret, crudelitates perpetraret horrendas, legem Dei confunderet, quaeque salubria instituta everteret, temporalia ecclesiae Romanae et ceterarum particularium ecclesiarum dissiparet atque alienaret aliaque innumera flagitia, scelera et crimina notoria perpetraret, ac se incorrigibilem redderet; omnis ecclesia in unum congregata, nullatenus eum a talibus coërcere possit, quin imo liberum et quamlibet synodum eum reprimere volentem illico transferre vel dissolvere persistentes in synodo contra voluntatem ejus persequi, excommunicare, privare, inhabilitare, contumeliis et injuriis afficere, invasiones corporales adversus eos excitare, deinde quidquid synodus statueret, praeciperet, dictaret, ordinaret, penitus contemnere, abjicere, reprobare. Conspicite pro Dei reverentia, qualis ex hac re daretur introitus inimico humani generis ad subvertendam religionem Christianam, dum seducendo unum hominem posset Christianitatem in maximam desolationem dejicere, mores pervertere, canones et regulas quasque dissipare ecclesiasticas, regna et provincias conturbare, ac bonis spiritualibus et temporalibus spoliare vitiorumque immanitatem introducere. Aperite oculos et videte, qualis ex hoc daretur ingressus Antichristo, sed et considerate, quomodo ea res fidem catholicam confunderet atque violaret, quae est primum fundamentum ecclesiastici aedificii, quo everso omnia corruunt.* Haec illi et ibidem longe plura, in quibus probe notetur, ecclesiam Romani pontificis jugo oppressam graviter ingemuisse, ac testimonio illorum patrum fidem catholicam violatam et subversam iri ac Antichristo viam parari, si talis dominatus pontifici concedatur, ut sit supra concilium ac negetur errare posse. Profecto si illi patres statum hodiernae ecclesiae Romanae viderent, in qua dogmata illa de suprematu pontificis defenduntur et propugnantur, non dubitanter affirmarent, fidem catholicam ex ea pulsam et Antichristum in ea sublimem regnare, quo elogio jam pridem ab Eberhardo episcopo Salisburgensi, Arnulpho episcopo Aurelianensi, episcopo quodam Florentino et aliis Romanus pontifex fuit ornatus.

93. 7. Septimum argumentum Bellarminus dicit nos deducere ex testimoniis patrum. 7. Dicta patrum. Hilarius libro contra Auxentium circa finem: *Male vos parietum amor cepit, male ecclesiam Dei in tectis aedificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis, montes mihi et lacus et carceres et voragines sunt tutiores*, ubi dicit, veram ecclesiam adeo suo tempore fuisse obscuratam, ut solum in latebris et cavernis inveniretur. Deinde Hieronymus in dial. cont. Luciferianos de eodem tempore loquens: *Ingemuit orbis terrarum et se Arianum esse miratus est.* Item Basilius epist. 69. et 70. etc. Bernhardus serm. 33. in Cantic. ita deplorant vitia praelatorum omnium sui temporis, ut satis ostendant, *eo tempore*

Digitized by Google

omnes declinasse in viam suam et nullam fuisse visibilem ecclesiam. Denique Chrysostomus hom. 49. in Matth. docet, *interdum nullum esse visibile signum, quo vera ecclesia cognoscatur, et ideo tunc solum recurrendum esse ad Scripturas.* 1. Ad lo-
XI. 123. cum Hilarii regerit Bellarminus, *ecclesiam quidem interdum obscurari multitudine scandalorum, sed ita tamen, ut etiam in suis firmissimis emineat* teste Augustino epist. 48. Respondemus: verissime hoc dicitur, sed Pontificiae sententiae de amplitudine et splendore ecclesiae perpetua adversatur. Conservatur et eminet ecclesia gravissimarum persecutionum et pestilentissimarum haeresium invalescentium tempore in suis firmissimis, confessoribus scilicet et martyribus, sed illi pauci sunt et contemti in comparatione reliquorum, et qui firmiores sunt reliquis, illi pro fide *partim fortiter exsulant, partim toto orbe latitant,* ut ibidem Augustinus addit. Aliam igitur responsionem Bellarminus quaerit, addit enim, *Hilarium loqui tantum de ecclesia Mediolanensi, proinde hoc non posse trahi ad ecclesiam universam.* Respondemus: imo vero in genere pronuntiat Hilarius, ecclesiam Dei tunc temporis non in templis et civitatibus, sed in carceribus, montibus et voraginibus, hoc est in latebris et cavernis, quaerendam fuisse. Id ipsum manifestius evadit ex libro ejusdem Hilarii de synodis, in quo dicit, *decem provincias Asianas, ubi exsulabat, Deum nescivisse, erant enim Ariana haeresi infectae; rarum esse apud orientales invenire episcopum aut populum catholicum, sed ubique scandala, ubique perfidias, ubique schismata.* Athanasius in lib. ad solitar. vitam agentes: *Quae nunc ecclesia libere Christum adorat? Siquidem ea, si pia est, periculo subjacet. Nam si alicubi sunt pii et Christi studiosi (sunt autem ubique tales permulti),* illi *itidem, ut magnus ille propheta Elias, absconduntur et in speluncas et cavernas terrae sese abstrudunt aut in solitudine oberrantes commorantur.* Neve obverti possit, ecclesiam Romanam eo tempore mansisse incorruptam, notandum, quod Athanasius in eodem libro referat, *Liberium Romanae urbis episcopum post exactum in exsilio biennium inflexum et minis mortis ad subscriptionem ab Arianis inductum.* 2. Ad Hieronymi dictum respondet Bellarminus, *Hieronymum vocare orbem magnam partem orbis et Arianos vocare eos, qui in synodo Ariminensi ab Arianis decepti per ignorantiam decreverant nomen ὁμοούσιος tollendum.* Respondemus: non solum patres concilii illius, sed maxima pars Christianorum episcoporum Ariana haeresi infectorum Hieronymo verba illa expresserunt, ut ex modo adductis Hilarii et Athanasii querellis intelligi potest. Idem Hieronymus in Psalm. 133. sic scribit: *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate; ecclesia ibi est, ubi fides vera est. Ceterum ante annos quindecim aut viginti parietes omnes ecclesiarum haeretici* (Ariani) *possidebant, ecclesia autem vera illic erat, ubi fides vera erat.* Idem in chronico ad ann. 364: *Omnes pene toto orbe ecclesiae sub nomine pacis et regis Arianorum consortio polluebantur.* Vincentius Lerinensis adv. haeres. novationes c. 6: *Arianorum venenum non jam portiunculam quandam, sed paene orbem totum contaminaverat, adeo ut prope cunctis Latini sermonis episcopis partim vi, partim fraude deceptis caligo quaedam mentibus offunderetur* etc. Et postea: *Cum profana ista Arianorum novitas velut quaedam Bellona aut Furia capto prius omnium imperatore cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere et vexare.* Erasmus praefat. in Hilar.: *Ariana factio tempore Hilarii tam late radices egerat sicque invaluerat, ut mundus aliquamdiu nataret anceps, utram in partem se inclinaret, praesertim cum per Constantinum Augustum exsiliis, direptionibus, minis ac terroribus compellerentur accedere partibus Arianorum.* 3. Ad Basilii et Bernhardi dicta respondet Bellarminus, *illum deplorare miseriam ecclesiae propter infestationem haereticorum, hunc vero reprehendere vitia morum, non autem doctrinae.* Respondemus: sufficit hoc nobis, quod ecclesia infestatione haereticorum et multitudine scandalorum ita obscurari possit, ut externus et illustris splendor ipsius non amplius appareat. Bernhardus de statu ecclesiae miserabili passim conqueritur serm. 1. de convers. Pauli col. 81: *Conjurasse videtur contra te, o Domine, universitas populi Christiani a minimo usque ad maximum. Egressa est iniquitas a* XI. 124.
senioribus judicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum, arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio potestatem. Serm. 33. in Cant. col. 602: *Ministri Christi sunt et Antichristo serviunt. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt, inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, sellis et calcaribus et plus calcaria quam altaria fulgent, inde splendidae mensae et cibis et scyphis, inde commessationes et ebrietates, inde cythara et lyra et tibia, inde redundantia torcularia et promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse et sunt ecclesiarum praepositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi* etc. Qualis fuerit Romana curia in libris de consideratione ad Eugenium exponit. 4. Ad Chrysostomi dictum respondet, *auctorem operis illius imperfecti esse haereticum Arianum, vel certe ab Arianis librum illum esse corruptum.* Respondemus: concedimus, illos commentarios Arianismo alicubi favere, sed num propterea tota illius auctoritas elevanda? Bellarminus aliquoties ex eo testimonia quaedam profert, quin imo ecclesia Romana in officio ecclesiastico homilias illas legit et ejus auctoritate *glossas ordinarias, catenas evangelicas, decreta pontificum et summas theolo-*

Digitized by Google

gicas passim communit. In ipso opere multa pie, docte et diserte contra Arianos disputantur, quae non sunt una cum reliquis scoriis abjicienda. Ad illorum classem etiam pertinet dictum, quod ex homil. 49. pro nostra sententia adducimus, quodque a nullo veterum fuit repudiatum, in quo non haeretice, non Ariane, sed catholice et orthodoxe Chrysostomus vel quicunque alius auctor ad quaestionem, *an Christus ad Scripturas nos remittat*, hoc modo respondet: *In tempore hoc, ex quo obtinuit haeresis ecclesias, nulla probatio potest esse verae Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei firmitatem, nisi Scripturae divinae. Antea enim multis modis ostendebatur, quae esset ecclesia Christi, et quae gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quae sit vera ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas.*

Historia ecclesiae V. T. demonstrans, quod ecclesia possit deficere.

94. Atque haec sunt argumenta, quae Bellarminus in hac quaestione nobis tribuit et vim eorum infringere conatur. Ut autem manifestius appareat, an externa ecclesiae facies perpetuo fuerit splendida et illustris, an vero multitudine scandalorum, gravitate persecutionum, invalescentia corruptelarum, errorum et haeresium quandoque obscuretur, breviter percurremus historiam ecclesiae in V. ac N. T. 1. Cum post tristem suam apostasiam primi parentes voce evangelii ad consortium ecclesiae vocati essent ac promissionem de semine mulieris caput serpentinum contrituro in familia sua, ecclesiola illa domestica, propagarent, Cainus horribile scandalum fratricidio suo in ea excitavit, mox etiam *a facie Domini*, hoc est a consortio verae ecclesiae, egressus instituit novos cultus extra verbum et cum posteris suis veram ecclesiam hostiliter persecutus est, ideo Gen. 4, v. 26. additur, temporibus Sethi sub nativitate Enos *coeptum esse invocari nomen Domini.* Nomen Enos significat, insidiis et persecutionibus Cainitarum pressam fuisse ecclesiam, sed tunc coepit iterum reflorescere ac verbum Dei magno successu in publicis conventibus doceri, ut D. Lutherus hunc locum recte interpretatur. 2. Tempore antediluviano Cainitarum progenies florens sapientia, inventione artium, divitiis, successibus etc. blanditiis suis *filios Dei*, hoc est verae ecclesiae cives, patriarcharum posteros, ad se pertraxit, ut nulla habita religionis, pietatis et honestatis ratione matrimonia cum illis contraherent seque cum ecclesia
XI. 125. Cainica conjungerent frustra dehortante et contendente Spiritu sancto per ministerium piorum prophetarum Genes. 6, v. 2. et 3. unde aquis diluvii totus mundus deletur et conservatur ecclesia in exiguo *octo animarum* coetu, qui in arca velut in carcere quodam per integrum annum delituit et inter illos ipsos octo homines Cham impius irrisor locum habuit. Quae vero tunc temporis fuit amplitudo et splendor verae ecclesiae? 3. Post diluvium invalescente ubivis idololatria vocat Deus Abrahamum et educit eum ex Ur Chaldaeorum Genes. 11, v. 31. constat autem ex Jos. 24, v. 2. ipsum etiam Abrahamum in domo et familia patris sui Tharae cultibus idololatricis fuisse addictum, ex quo manifestum est, ante vocationem illam Abrahae nuspiam inveniri potuisse purum verbi ministerium ab idololatria penitus immune. Augustinus lib. 16. de civit. Dei c. 12: *Apud Chaldaeos jam tunc etiam superstitiones impiae praevalebant, quemadmodum per ceteras gentes. Una igitur Tharae domus erat, de qua natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus et, quantum credibile est, in qua jam sola etiam Hebraea lingua remanserat, quamvis et ipse, sicut jam manifestior Dei populus in Aegypto, ita in Mesopotamia serviise diis alienis Jesu Nave narrante refertur* etc. *Proinde sicut per aquarum diluvium una domus Noae remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum remanserat domus Tharae, in qua custodita est plantatio civitatis Dei.* Idem in Psalm. 128: *Aliquando in solo Abel ecclesia erat, et expugnatus est a fratre malo et perdito Cain; aliquando in solo Enoch ecclesia erat, et translatus est ab iniquis; aliquando in sola domo Noae ecclesia erat, et sola arca natavit in fluctibus; aliquando in solo Abraham.* 4. Recedentibus a consortio verae ecclesiae Ismaële et Esavo in familia Jacobi ea conservata est, sed praeterquam quod exsulaverit in terra Canaan et respectu reliquorum coetuum idololatricorum exiguus et contemtus coetus fuerit, notandum, quod ne ipsa quidem Jacobi familia ab idololatria fuerit plane immunis, *quia Rachel furatur idola patris sui* Genes. 31, v. 19. et Jacobus convocatis omnibus, qui cum eo erant, praecipit eis Genes. 35, v. 2: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt;* ex quo manifeste intelligitur, eos, qui Jacobum ex Mesopotamia secuti fuerant, non statim renuntiasse idololatriae, in qua apud Labanum fuerant educati. Accedebant insuper gravissima scandala, quibus vera ecclesia in domo et familia Jacobi misere deformabatur. Dina committit stuprum, cujus poenam Simeon et Levi a Sichemitis nimia crudelitate exigunt; Ruben committit incestum cum concubina patris sui, Judas cum nuru sua; Josephus a fratribus in Aegyptum venditur etc. 5. Cum ecclesia vera in posteritate Jacobi conservata in Aegypto peregrinaretur, miserrima fuit illius conditio. Israëlitae enim durissimae servituti erant subjecti, affligebantur oneribus, parvuli eorum projiciebantur in profluentem, ac diserte commemoratur de illis Ezech. 20, v. 7. *quod Aegyptiorum morem secuti multiplici idololatria sese contaminarint*, quod ipsum ex eo etiam manifestum, quando Exod. 32. vitulum aureum colunt, Aegyptiorum cultum hac in parte secuti, illi enim in regia civitate Memphi colebant *Apin*, h. e. bovem, ejusque matrem *Anubim*, (erat autem Apis figura bovis albam frontem et parvas quasdam maculas in cute habentis, cetera vero nigri.) **Ezech. 23, v. 2: *Duae mulieres filiae matris unius fuerunt*, v. 3: *et fornicatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatae sunt, ibi compressa sunt ubera earum et ibi contuderunt mam-*

Digitized by Google

mae virginitatis earum, v. 8: *et fornicationes suas ab Aegypto (quas didicit in Aegypto) non dereliquit.*** 6. Cum Israëlitae ex Aegyptiaca servitute liberati in deserto peregrinarentur, quoties contra Deum murmurarunt! quoties servo illius Moysi oblocuti sunt! unde Christus indefinite pronuntiat, *patres Judaeorum, qui in deserto comederunt manna, esse mortuos* Joh. 6, v. 49. aeterna scilicet morte, ut ex antithesi intelligitur, ac apostolus 1. Cor. 10, v. 5. dicit ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν, *in pluribus eorum, Deum non habuisse beneplacitum* Exod. 32. totus populus idololatriam sectatur, qua
XI. 126. in parte Aaron summus sacerdos ducem se illis praebet; inde v. 25. dicitur, quod Moyses viderit populum *nudatum*, id est vagantem sine Deo, sine verbo Dei, sine vero cultu et obedientia Deo debita, ac v. 10. minatur Deus, quod *totum illum populum delere velit.* Nadab et Abiu *offerunt ignem alienum* Levit. 10. Aaron et Maria obloquuntur fratri suo Moysi Num. 12. Coreh, Dathan et Abiron eorumque sectatores seditionem excitant Num. 16. Israëlitae Moabitarum idolis et scortatione horribiliter sese contaminant Num. 25. His scandalis et idololatriis ecclesia Israëlitica in solitudine deserti oberrans graviter fuit pressa, turpiter deformata ac misere obscurata. 7. Cum in terram promissionis introducti essent Israëlitae, post mortem Josuae cultus divinus non diu mansit purus et incorruptus. Jud. 2, v. 7: *Filii Israël servierunt Domino cunctis diebus Josuae et seniorum, qui longo post eum tempore vixerunt et viderant opera Dei magna;* v. 8. *sed cum mortuus esset Josua filius Nun omnisque illa generatio congregata esset ad patres suos et surrexerant alii, qui non noverant Dominum* v. 11. *tunc fecerunt filii Israël malum in conspectu Domini et servierunt Baalim* v. 12. *ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti, et secuti sunt deos alienos ex diis populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos* v. 12: *et ad iracundiam concitaverunt Dominum dimittentes eum et servientes Baal et Astharoth* v. 13. Haec idololatria Baalitica a Moabitis originem trahens diutissime in populo Israëlitico fuit conservata et propagata, quin etiam variis modis aucta et exornata; *exstruxerunt* enim Baali *excelsa* Num. 22, v. 41. *coluerunt eum in tectis aedium* Jerem. 32, v. 29. *fecerunt ei statuas* 2. Reg. 3, v. 2. *exstruxerunt ei domus* 2. Reg. 10, v. 21. *erexerunt ei altaria* Jud. 6, v. 25. *consecrarunt illi lucos, templa, vasa* etc. 2. Reg. 23, v. 4. *coluerunt ipsum genuflexione* 1. Reg. 19, v. 18. *osculatione* ibid. *suffitu et incensu* 2. Reg. 23, v. 5. Jerem. 7, v. 9. *constituerunt illi festa et solennitates* 2. Reg. 10, v. 20. *obtulerunt ei sacrificia* v. 19. *ordinarunt illi peculiares servos, sacerdotes et prophetas* 1. Reg. 18, v. 19. 2. Paral. 23, v. 17. *coluerunt eum auro, argento* etc. Hos. 2, v. 8. Porro qualis fuerit status ecclesiae Israëliticae temporibus judicum ὡς ἐν συνόψει commemoratur Jud. 2, v. 16: *Suscitavit Dominus judices, qui liberarent eos,* v. 17: *sed nec eos audire voluerunt fornicantes cum diis alienis et adorantes eos,* v. 18: *et quando excitavit illis Dominus judices, tum fuit Dominus cum judice et liberavit eos de manu hostium;* v. 19: *postquam autem mortuus esset judex, revertebantur et multo faciebant pejora, quam fecerant patres eorum sequentes deos alienos servientes eis et adorantes illos.* Jud. 3, v. 5: *Filii Israël habitarunt in medio Chananaei et Hethaei et Amorrhaei et Pherezaei et Hevaei et Jebusaei,* v. 6: *et duxerunt uxores filias eorum ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt et servierunt diis eorum,* v. 7: *feceruntque malum in conspectu Domini et obliti sunt Dei sui servientes Baalim et Astharoth.* Jud. 8, v. 27: *Fecit Gedeon ephod et posuit illud in civitate sua Ephra fornicatusque est omnis Israël in eo.* Jud. 10, v. 6: *Filii Israël addiderunt facere malum in conspectu Domini et servierunt Baalim et Astharoth et diis Syriae ac Sidonis et Moab et filiorum Ammon et Philistim dimiseruntque Dominum et non coluerunt eum.* Jud. 17, v. 5. *Michas Ephraemita* in domo sua peculiarem cultum idololatricum instituit, *quem tribus Dan in civitatem Lais postea transfert* et usque ad diem captivitatis toto tempore, quo fuit domus Dei in Silo, conservat, Judic. 18, v. 30. et 31. In eodem libro saepius repetitur: *In diebus illis non erat rex in Israël, quisque quod rectum erat in oculis suis, faciebat.* Sic ergo Dei benignitas et populi Israëlitici idololatria et impietas toto illo tempore, quo judices populum gubernabant, veluti invicem pugnarunt, utra harum superior esset. At cum extra populum Israëliticum nulla fuerit alia visibilis ecclesia, quo veritatis colore dici potest, publicum divini cultus exercitium eo tempore fuisse purum et incorruptum? 8. De temporibus Heli sacerdotis, qui paulo ante tempora regum Israëlitico XI. 127.
populo praefuit, diserte dicitur 1. Sam. 3, v. 1: *Sermo Domini erat pretiosus sive rarus admodum in diebus illis, non erat visio manifesta. Filii Heli erant filii Belial* 1. Sam. 2, v. 12. *ac detrahebant homines a sacrificio Domini* v. 17. Squalida igitur fuit tunc temporis ecclesiae facies propter corruptelas doctrinae et publica sacerdotum scandala. 9. Samuel successor Eli instaurat cultum divinum, sed cum propter avaritiam filiorum ejus Israëlitae regem peterent, datur illis Saul, qui *Pythonissam* contra expressum Dei mandatum *consulit* 1. Sam. 28, v. 7. et in peccatis suis moritur. 1. Paral. 13, v. 3. dicitur, *quod in diebus Saulis arca Dei non fuerit requisita;* jacuit igitur tunc publicum cultus divini exercitium. Sauli succedit David, sub quo florentissimus fuit ecclesiae et politiae Israëliticae status. Davidis in imperio successor fuit filius Salomon, qui templum aedificavit Domino, sed sub vitae finem *inclinatum est cor ejus per mulieres alienigenas, ut sequeretur deos alienos et coleret Astharoth deum Sidoniorum, Chamos deum Moabitarum et Moloch abominationem Ammonitarum* 1. Reg. 11, v. 4. et 5. publica igitur regis auctoritate sacra illa idololatrica in populum Israëliticum maximo cum

Digitized by Google

scandalo fuerunt recepta, nec dubitari potest, plurimos ex populo regis exemplum fuisse secutos. 10. Post mortem Salomonis scissum fuit regnum Israëliticum ac decem tribus datae Jeroboamo, una solum tribui Juda filio Salomonis Roboamo relicta, cui tribui tanquam auctarium quoddam addita a Domino tribus Benjamin, in qua urbs Hierosolyma, quae regiam sedem et templum Domini habebat, sita fuit. Sic ergo regnum Israëliticum divisum fuit *in regnum Israël* specialiter sic dictum, ad quod pertinuerunt decem tribus, et *in regnum Juda*, ad quod pertinuerunt duae tribus, Juda scilicet et Benjamin. Porro de Jeroboamo rege Israëlis commemoratur 1. Reg. 12, v. 28. quod veritus, ne subditi regni Israëlitici reverterentur ad domum Davidis, si Hierosolymam sacrificiorum causa quotannis adscenderent, habito consilio fecerit *duos vitulos aureos*, quorum unum collocarit *in Dan*, alterum *in Bethel* ac dixerit subditis suis: *Multum est vobis adscendere in Jerusalem, ecce dii tui Israël, qui te eduxerunt ex Aegypto. Sed factum est verbum hoc in peccatum toti populo Israëlitico*, unde c. 14, v. 16. de Jeroboamo dicitur, *quod peccare fecerit Israël*, hoc est quod institutione novorum cultuum occasionem dederit idololatriae, ac duravit publicum illud idololatrici cultus exercitium in regno Israëlis usque ad Babylonicam captivitatem. Hinc tristes illae querelae *de Nadab*, *Baasa*, *Ela*, *Zambri*, *Amri et Achab*, *quod ambulaverint in viis Jeroboam*, *quod peccare fecerint filios Israël*, *quod irritaverint Dominum in operibus manuum suarum* 1. Reg. 15, v. 26. et 34. c. 16, v. 7. 13. 19. 25. et 30. cumprimis *de Achabo* commemoratur, *quod non suffecerit ei*, *ut ambularet in peccatis Jeroboam*, *sed etiam servierit Baal et posuerit aram Baal in templo Baal*, *quod aedificaverit in Samaria*, *et plantaverit lucum et plus fecerit irritans Dominum super omnes reges Israël* 1. Reg. 16, v. 31. Achabo successit *Joram*, qui statuas Baal sustulit, sed *a cultu vitulorum aureorum non recessit* 2. Reg. 3, v. 3. *Jehu* successor Jorami destruxit et ipse templa Baalitica, interim tamen *a peccatis Jeroboam*, *qui peccare fecerat Israël*, *non recessit* 2. Reg. 10, v. 31. In regno Juda excitavit Deus aliquos pios reges, qui verum cultum Dei restituerunt et idololatriam abrogarunt, sed ne in illo quidem regno purum et incorruptum perpetuo mansisse cultus divini exercitium ostendimus superius. **Hoseas, qui sub Ozia, Joatham, Achaz, Ezechia regibus Juda et Jeroboamo rege Israël prophetavit, Hos. 1, v. 2. de synagoga Judaica sic loquitur c. 2, v. 2: *Judicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea et ego non vir ejus, auferat fornicationes suas et adulteria sua de medio uberum suorum.*** 11. Tandem igitur *taedere coepit Dominus in Israël* propter continuatam idololatriam 2. Reg. 10, v. 32. unde *totum regnum Israël* a Salmanassare Assyriorum rege una cum
XI. 128. Samaria regni metropoli eversum est *et decem tribus* in captivitatem perpetuam sunt abductae anno mundi 3231. 2. Reg. 17. Judaei quoque specialiter sic dicti in exsilium Babylonicum abducti sunt urbe Hierosolyma regi Judaici metropoli a Nabuchodonosore Babyloniae rege capta et concremata anno mundi 3364. ubi per integros 70 annos miserrimus fuit ecclesiae Judaicae in Babylonica captivitate status. 12. Post reditum ex captivitate Babylonica ac restaurationem templi et urbis Hierosolymitanae sub ducibus quaedam tranquillitas ecclesiae Israëliticae obtigit et sincerum divini cultus exercitium aliquandiu viguit, sed anno mundi 3804. successit Antiochi Epiphanis expeditio Hierosolymitana, in qua urbis fuit direpta, templum spoliatum et cives plurimi trucidati, ubi denuo miserabilis fuit ecclesiae facies. Antiochus enim mandabat, *ut Judaei sua instituta relinquerent* 1. Maccab. 1, v. 43. *ac multi ex Israël consenserunt servituti ejus et sacrificarunt idolis et coinquinaverunt sabbathum* v. 45. *et misit rex libros per manus nuntiorum in Jerusalem et in omnes civitates Judae*, *ut sequerentur leges gentium terrae* v. 46. *et prohiberent holocausta et sacrificia et placationes fieri in templo Dei* v. 47. *et prohiberent celebrari sabbathum et dies solennes* v. 48. *et jussit coinquinari sancta et sanctum populum Israël* v. 49. *et jussit aedificari aras et templa et idola et immolari carnes suillas et pecora communia* v. 50. *et relinquere filios suos incircumcisos et coinquinari animas eorum in omnibus immundiciis et abominationibus*, *ita ut obliviscerentur legem et immutarent omnes justificationes Dei* v. 51. *et quicunque non fecissent secundum verbum regis Antiochi morerentur* v. 52. etc. *Et congregati sunt multi de populo ad eos*, *qui dereliquerant legem Domini et fecerunt mala super terram* v. 55. *et effugaverunt populum Israël in abditiis et in absconditis fugitivorum locis* v. 56. *Aedificavit etiam rex abominandum idolum desolationis super altare Dei*, *et per universas civitates Judae in circuitu aedificaverunt aras* v. 57. *et ante januas domorum et in plateis incendebant thura et sacrificabant* (idolis) v. 58. *et libros legis Dei combusserunt igni scindentes eos* v. 59. *et apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini et quicunque observabat legem Domini*, *secundum edictum regis trucidabant eum* v. 60. *mulieres*, *quae circumciderant filios suos*, *trucidabantur* v. 63. Idem repetit Josephus lib. 1. de bell. Judaic. c. 1. At quid ad miserandum illum ecclesiae Judaicae statum ulterius accidere potuit? ubi tunc locum habuit externus ecclesiae splendor? veri confessores vel trucidati sunt, vel in cavernis latuerunt, abolita fuerunt publica sacra, libri legis combusti etc. nec uspiam in toto terrarum orbe extra populum Israëliticum fuit alia quaedam ecclesia visibilis in illustri splendore et claritate posita. 13. Ante Christi in hunc mundum nativitatem quaenam erat ecclesiae Israëliticae facies? Tres sectae Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum in ea dominabantur, quarum quaelibet suos peculiares fovebat errores, quos recenset Joseph. lib. 2. de bell. Judaic. c. 7. traditiones verbo Dei aequabantur, imo praeferebantur; doctrina

Digitized by Google

legis horribiliter erat corrupta, docebatur enim, externam duntaxat obedientiam in lege requiri; doctrina de Messia et beneficiis fere penitus exstincta erat, docebatur enim, regnum ejus fore corporale ac terrenum etc. Ubi tunc inveniri poterat illustris aliqua et visibilis ecclesia puro et incorrupto verbi ministerio et sincero cultus divini exercitio splendens? Ecclesia tunc erat in paucis et obscuris quibusdam hominibus, in Josepho, Maria, Simeone, pastoribus Bethlehemiticis etc. Cum Christus docere inciperet, exiguum et contemtum secum ducebat coetum, *numquid ex principibus aliquis credit in eum?* (dicunt Pharisaei Joh. 7, v. 48.), *sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt;* et nihilominus exiguus et contemtus ille coetus Luc. 12, v. 32. erat vera ecclesia. Pontifices, Scribae, Pharisaei, principes sacerdotum et seniores, qui ecclesiae titulum sibi arrogabant, qui dignitate, auctoritate, sapientia, potentia, eruditionis et pietatis opinione
XI. 129. illustres erant, nihil minus erant quam vera ecclesia, imo veram ecclesiam oppugnabant et persequebantur. Hoc argumentum vel maxime confirmat sententiam nostram et evertit plane opinionem Pontificiorum. Si enim in hoc splendore externo, in successione, in amplitudine, in titulo etc. quaerenda ecclesia, tum Christus cum suis non erat ecclesia, sed pontifices, Scribae et Pharisaei cum suis sequacibus. Bellarminus sicco pede illud praetergressus est, Stapletonus lib. 2. de princ. doctrin. c. 11. vim illius infringere conatus eo impietatis descendit, ut statuat, *paucos illos et obscuros homines, qui in Christum crediderunt eumque secuti sunt, non fuisse ecclesiam, sed totam illam populi multitudinem, quae synagogam et templum venerabatur et quae pontificibus, Scribis et Pharisaeis in doctrina fidei et morum obtemperabat.* Hoc vero plane antichristianum est, num enim illis verae ecclesiae nomen tribui potest, qui Christum oppugnarunt, verbo ejus restiterunt et confessores illius persecuti sunt? num contra ecclesiae nomen illis derogabimus, qui fuerunt oves Christi et verbum ejus fide sunt amplexi? Hosius eo impudentiae progreditur, ut lib. 2. contra Brentium statuat, *concilium illud pontificum, Pharisaeorum, Scribarum et seniorum, qui Christum condemnarunt, fuisse ecclesiam repraesentativam et concilium legitimum et Spiritum s. illi concilio interfuisse ac praefuisse.*

Historia ecclesiae N. T. ostendens ecclesiam deficere posse.

95. Transeamus ad statum ecclesiae N. T. 1. Tempore passionis Christi, quaenam erat ecclesiae facies, quisve status? Pontifices, Scribae et Pharisaei, qui titulum ecclesiae sibi arrogabant et de successione Aaronica gloriabantur, Christum in concilio damnaverant, Judas prodiderat, Petrus negaverat, apostoli reliqui aufugerant, latebant in abscondito ac seris et foribus prae metu sese concludebant; populus sententiam pontificum approbaverat et Christum crucifigendum esse magnis clamoribus impetraverat. Solus latro persona vilissima Christum confitebatur; Josephus et Nicodemus aliquam speciem confessionis edebant etc. hinc Alex. Alensis part. 3. q. ult. art. 2. et Johan. de Turrecremata lib. 1. de eccles. c. 30. et lib. 3. c. 61. dicunt, *in passione Domini non mansisse veram fidem nisi in sanctissima virgine Maria, idque significari credunt una illa candela, quae sola accensa conservatur in triduo ante pascha in officio nocturno.* Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 17. illud improbat, *quia multi, qui aberant a Jerusalem, habuerunt veram fidem;* interim tamen negari non potest, coetum illorum fuisse exiguum et contemtum, nec constituisse visibilem aliquam ecclesiam splendore externo illustrem, pontifices contra, Scribae et Pharisaei titulum et dignitatem ecclesiae magna specie sibi arrogabant. Gregorius de Valent. tom. 3. comment. in Thom. col. 173. sententiam Alensis et Turrecrematae itidem improbat, interim tamen concedit tale quiddam, quod nostram sententiam manifeste confirmat. Sic enim ibi scribit: *Si maxime omnes tunc apostoli fidem abjecissent, non inde consequitur, in nullo praeterquam in B. Virgine fidem permansisse. Potuerunt enim alii perseverare fideles, etsi de illis quidem tacetur.* Et col. 174: *Licet apostoli fidem exterius non fuerint professi et scandalum passi sint, quoad externam fidei confessionem, potuisse tamen in anima fidem retinere.* (Idem et nos dicimus, sub papatu quosdam in anima retinuisse fidem, licet de illis taceatur.) 2. Cum post Christi in coelos adscensionem ecclesia inter gentes propagata esset, tempore decem persecutionum valde fuit obscurata et ad paucitatem ac contemtam speciem redacta. Ergo non est perpetuum ac proprium ecclesiae splendore externo esse illustrem. Antecedentis veritas ex Eusebio, Zonara et aliis scriptoribus manifesta est.

Tum Cajus, qui praesul erat Romanus, in altis
Delituit cryptis etc.
Tum plerique patres sancti, cum tale viderent
Exitium, fugere urbes et more ferarum
Per deserta vagi coecis latuere cavernis

ut Bapt. Mantuanus canit. Ultima inter decem persecu- XI. 130.
tiones sub Diocletiano tum immanitate, tum diuturnitate reliquas novem superavit, in ea ubique templa eversa, episcopi, presbyteri ac diaconi interfecti et variis iisdemque exquisitis suppliciorum generibus in Christi confessores saevitum, adeo *ut intra dies triginta septendecim millia Christianorum ad varia supplicia* scribantur *rapta*, Damasus in vita Marcellini. Ac miratur Hieronymus, *suo adhuc seculo reliquias Christianorum fuisse repertas ob persecutionum antecedentium immanitatem.* Refert Fulco, *tyrannos quosdam gloriatos esse, nomen Christianorum a se funditus exstirpatum et Christi superstitionem ubique deletam, ut marmora quaedam Salmantica testentur.* Deus tamen sibi servavit ecclesiam sanctam, quae non fuit illustri quodam splendore externo conspicua, sed in cryptis et cavernis delitescens occulta. Quis enim potest esse ecclesiae splendor externus, quaeve conspicua claritas, quando pastores trucidantur et oves disperguntur? quando veri confessores vel interficiuntur, vel in exilium

expelluntur? ** Blasius de Viega in comm. Apoc. 6. persecutionem ecclesiae sub Diocletiano et Maximiano sic describit: *Coelum recessit sicut liber involutus, id est ecclesia, quae coelum dicitur, sese propter metum persecutionis occultabat, exceptis paucis, qui ardentissimo fidei zelo inflammati sese martyrio offerebant, quod magis explicatur, cum subditur: Et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt, quoniam in rupibus et insulis locisque remotioribus Christiani ad mortem quaerebantur. Denique omnis aetatis et conditionis homines in latebras et subterranea terrae loca sese metu persecutionis abdiderunt, id enim significant verba sequentia: Reges terrae et principes et tribuni et divites et fortes et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et in petris montium et dicunt montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, quia videlicet existimabant fideles, contra se Deum et agnum esse iratum et propterea tanta acerbitate ipsorum scelera vindicare.* ** 3. Reddita ecclesiae pace sub Constantino Magno et quiescentibus persecutionum procellis variae haereses, cumprimis vero Arianismus cataclysmi instar ecclesiam invasit ac densa caligine eandem involvit. Ariani enim occupabant sedes episcopales, imperator cum proceribus ex parte illorum stabat, Athanasius cum nonnullis aliis confessoribus in exilium pellebatur, nec habebant publicum et liberum religionis exercitium, sed in speluncis ac desertis latitabant, qua de re superius dictum fuit. 4. Tempore dominantis in ecclesia Antichristi miseram fore ecclesiae faciem Scripturae sacrae evidenter testantur, Matth. 24, v. 24. 2. Thess. 2, v. 9. 1. Tim. 4, v. 1. Apoc. 12, v. 7. etc. Augustinus in enarr. Psalm. 9: *Prima persecutio ecclesiae violenta fuit, cum proscriptionibus, tormentis, caedibus Christiani ad sacrificium cogerentur; altera persecutio fraudulenta est, quae nunc per hujuscemodi haereticos et falsos fratres agitur; tertia superest per Antichristum ventura, qua nihil est perniciosius, quoniam et violenta et fraudulenta erit; vim habebit in imperio, dolum in miraculis.* Lib. 10. de civ. Dei c. 8. et 9. dicit, *Antichristi tempore diabolum solvendum et proinde tanto graviorem fore illam persecutionem omnibus praecedentibus, quanto crudelius potest diabolus saevire solutus quam ligatus.* Chrysostomus hom. 49. oper. imperf. *Tempore Antichristi fideles latentes erunt in locis quibusdam secretioribus Deo eos abscondente potius quam loco, sicut scriptum est: abscondes in abscondito vultus tui a conturbatione hominum.* ** Lyranus in comm. Psalm. 101. part. 3. f. 237. C: *Tempore Antichristi tanta erit tribulatio, quod videbitur aliquibus de ecclesia, quod fides catholica debeat totaliter deficere.* In comment. Psalm. 9. f. 100. C: *Sciendum est, quod tanta futura est persecutio ecclesiae tempore Antichristi, ut videatur Deus eam deseruisse, si fieri posset.* ** Nec possunt hoc Pontificii negare, ideo fingunt, *Antichristum nondum venisse.* Sed quidquid sit de tempore, quo venturus sit Antichristus, sufficit nobis, quod concedant externum ecclesiae splendorem et publicum religionis sincerae exercitium tunc desiturum. Bellarminus lib. 3. de Rom. pontif. c. 7: *Certum est, Antichristi persecutionem fore gravissimam et notissimam, ita* XI. IX. *ut cessent omnes publicae religionis ceremoniae et sacrificia.* Et postea: *Antichristus interdicturus est omnem divinum cultum, qui in ecclesiis Christianorum nunc exercetur.* Stapletonus libr. 13. princip. doctr. c. 2: *Pelli sane poterit in desertum ecclesia regnante Antichristo et illo momento temporis in deserto, id est in locis abditis, in speluncis, in latibulis, quo sancti se recipient, non incommode quaeretur ecclesia.* Rhemenses in 2. Thess. 2. sect. 10: *Paulo ante mundi finem externus status ecclesiae Romanae cessabit et publicum fidelium cum eadem commercium et ἀποστασία passim tunc obtinebit, et tamen tunc pii corde et animo cum papa et Romana ecclesia communicabunt.* Quodsi ergo tempore Antichristi cessabunt omnes publicae religionis ceremoniae, cessabit etiam publicum fidelium cum ecclesia commercium, cur disputant, ecclesiam esse perpetuo visibilem et illustrem? cur irrident nos, quando dicimus, sub papatu multos fideles corde et animo catholicae ecclesiae communicasse, licet nullum habuerint publicum et externum verae religionis et sinceri cultus divini exercitium? Referendum ad hunc locum, quod Rhemenses in c. 12. Apoc. fatentur, *fieri posse, ut ecclesia aliquando non habeat publicum splendorem, publicum statum et regimen, nec libera sanctorum munerum exercitia;* quodque Gregorius de Valent. in analysi p. 143. fatetur, *ecclesiam errorum, schismatum et persecutionum fluctibus ita saepe agitatam, ut ab imperitioribus vix dignosci queat;* ibidem ex Hilario et Hieronymo pronuntiat, *ecclesiam non semper in tectis et exteriori pompa quaerendam, sed potius in carceribus et speluncis.* Cur ergo ante haec tempora ecclesiam in sublimi sede episcopali, in amplitudine, in publico sincerae praedicationis ministerio etc. sibi a nobis monstrari petunt? 5. Id ipsum docent patres, quorum testimonia quaedam superius sunt adducta, quibus adjungenda sunt sequentia Hieronymi in c. 2. Sophon. circa finem: *De ecclesia videtur prima fronte blasphemum, quod ea futura sit invia et deserta, et bestiae habitent in ea, et postea ei cum insultatione dicatur: Haec est civitas malis dedita, quae habitat in spe, quae dicebat in corde suo: Ego sum et non est praeter me amplius, quomodo facta est in solitudinem pascua bestiarum? sed qui consideraverit illud apostolicum, in quo dicitur: in novissimis temporibus instabunt tempora pessima et erunt homines sui amantes, avari, arrogantes, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, accusatores, intemperantes, crudeles, odio habentes bonorum proditores, temerarii, inflati, voluptatum magis amatores quam Dei, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus denegantes, nec non et hoc quod in evangelio scriptum est, quod multiplicata iniquitate refrigescat caritas et multorum, in tantum, ut in illo tempore compleatur:*

Digitized by Google

Veruntamen veniens filius hominis, putas, inveniet fidem supra terram? non morabitur de externa ecclesiae vastitate, quod regnante Antichristo redigenda sit in solitudinem et tradenda bestiis et passim quaecunque nunc propheta describit. Augustinus libr. 1. de consens. evang. c. 31: *Per multos annos ecclesia, quae futura erat in omnibus gentibus, in filiis tuis, id est in sanctis tuis, non apparuit.* Epist. 48. ad Vincent.: *Ipsa est ecclesia, quae aliquando obscuratur et tanquam obnubilatur scandalorum multitudine.* Epist. 80: *Quando sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur, ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus et remoto timore, tanquam arridente mundi felicitate dicentibus: pax et securitas. Tunc stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur, quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent et cadent, et quidam fideles firmissimi turbabuntur.* ** Chrysostomus hom. 49. in Matth. tom. 2. col. 1110: *Tunc fideles latentes erunt in locis quibusdam secretioribus, Deo eos abscondente potius quam loco, sicut scriptum est: Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominum* etc. Augustinus epist. 48: *Semper palea mixta est tritico. Quodsi aliquando contigerit, ut nihil propemodum quam palea nostris oculis appareat, vera tamen ecclesia non in palea, sed in granis delitescit.* Et iterum: *Illi, qui tunc firmissimi fuerunt, verba haereticorum insidiosa intelligere potuerunt, sed pauci sunt in comparatione ceterorum, sed tamen et ipsi quidam pro fide fortiter exsulabant, quidam orbe latitabant. At sic ecclesia, quae per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est et usque in finem, donec omnino gentes omnes, etiam barbaras teneat, conservabitur.* **
Aretas in c. 12. Apocal. per mulierem in desertum
XI. 132. fugientem ibidemque latentem intelligit ecclesiam.
ἡ της γυναικὸς φυγὴ εἰς τὴν ἔρημον τὴν τῶν ἐκλεκτῶν φυγὴν σημαίνει, ἣν ἐπὶ παρουσίας τοῦ Ἀντιχρίστου ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἐνεργουμένης φεύξονται οἱ κορυφαιότατοι τῆς ἐκκλησίας ἐκ τῶν πολιτικῶν θορύβων. Primasius in eund. loc.: *Per desertum intelligo loca abdita, in quibus se ecclesia propter metum persecutionis ostendit.* Quodsi ergo ecclesia quandoque in solitudinem fugere ibique delitescere cogitur, quomodo claritas ejus perpetuo exterius est conspicua et visibilis? Fortalit. fid. libr. 5: *Etsi non nisi duo viri fideles remanerent in mundo, tamen in iis salvaretur ecclesia, quae est unitas fidelium.* Aeneas Sylvius libr. 1. de gest. conc. Basiliensis scribit, *fidem adeo in arctum adigi posse, ut apud unam aliquam misellam vetulam hospitetur.* Cum quo consentit illud Panormitani in c. significasti extra de elect.: *Possibile est, quod vera fides Christi remaneret in uno solo. Atque ita verum est dicere, quod fides non deficit in ecclesia. Hoc patuit post passionem Christi. Nam fides remansit tantum in B. Virgine, quia omnes alii scandalizati sunt. Tamen Christus ante passionem oraverat pro Petro, ut non deficeret fides sua. Ergo ecclesia non dicitur deficere, nec etiam errare, si remanet fides in uno solo.*

Antithesis Pontificiorum ecclesiam non posse deficere.

96. Atque haec sunt nostrae sententiae fundamenta, videamus sententiam et fundamenta Pontificiorum. Bellarminus libr. 3. de ecclesia c. 13. demonstrare conatur, ecclesiam visibilem non posse deficere, ubi primo subjectum quaestionis exponit ac nomine ecclesiae dicit, *se non intelligere unum aut alterum hominem Christianum, sed multitudinem congregatam, in qua sint praelati et subditi,* definivit enim ecclesiam c. 2. quod *sit coetus hominum ejusdem fidei Christianae professione et eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum et praecipue unius Christi in terris vicarii pontificis Romani.* Praedicatum quaestionis dicto c. 2. sic exponit, *quod ecclesia sit coetus hominum ita visibilis ac palpabilis, ut est coetus populi Romani, vel regnum Galliae, aut respublica Venetorum.* Haec omnia clariora sunt ex notis, quas Bellarminus ecclesiae tribuit, veritatem enim ac dignitatem ecclesiae aestimat *ex nomine catholico, ex amplitudine, ex successione episcoporum, ex felicitate temporali etc.* hoc est externum ecclesiae splendorem quaerit eundemque illi perpetuum et *ἀχώριστον* esse opinatur. Primam argumentorum classem petit ex illis Scripturae dictis, in quibus aperte nominatur ecclesia. Matth. 16, v. 18: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non praevalebunt adversus eam,* cui loco similem esse dicit illum 1. Tim. 3, v. 15: *Ut scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. In utroque loco* (inquit) *agitur de ecclesia visibili, et tamen audimus ipsam veritatem asserentem, portas inferorum non praevalituras contra eam ecclesiam.* Respondemus: 1. distinguendum est inter ecclesiae durationem perpetuam et inter visibilem ejusdem claritatem; dicta allata probant ecclesiae
durationem perpetuam, quam nemo nostrum negat, XI. 133.
nequaquam vero docent, externam ecclesiae claritatem perpetuam fore; non praevalent inferorum portae adversus Christi ecclesiam, si vel maxime externo ejusdem splendori et claritati, quae est accidens quoddam separabile, praevaleant; nec desinit ecclesia esse *domus Dei, columna ac firmamentum veritatis,* si vel maxime verae ecclesiae membra in persecutionibus lateant. Apocal 12, v. 6: *mulier fugit in solitudinem,* interim tamen *a dracone devorari non potest,* v. 4. *imo ideo in solitudinem fugit, ut a furore draconis incolumis maneat.* 2. De illa ecclesia loquuntur allata dicta, quae est *fundata super petram* et quae est *domus Dei vivi.* Jam vero illa proprie et adaequate competunt ecclesiae catholicae. Ergo dicta illa proprie et adaequate de ecclesia catholica sunt intelligenda. Assumtum patet, quia in ecclesia visibili sunt quidam, *qui audiunt sermonem Dei et non faciunt, hi non aedificantur in petra, sed in arena* Matth. 7, v. 26. ergo illi non sunt de ecclesia illa, de qua Christus loquitur. Augustinus de unit.

1. Dicta Scripturae. Matth. 16, v. 18: Portae inferorum non praevalebunt adversus ecclesiam.

Digitized by Google

ecclesiae c. 18: *In his est ecclesia, qui aedificant supra petram, id est qui audiunt verba Christi et faciunt, quia et Petro confitenti se Christum Filium Dei sic ait: et supra hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Non est ergo in eis, qui aedificant supra arenam, id est qui audiunt verba Christi et non faciunt.* Ita quoque Hebr. 3, v. 6: *Nos domus Dei sumus, si fiduciam et gloriam spei ad finem usque firmam retinemus*, ergo illi solum sunt domus Dei et per consequens de illis loquitur apostolus, qui veram fidem usque ad finem firmiter retinent, jam vero illi pertinent ad ecclesiam catholicam invisibilem. Particulares ecclesiae multae sunt, Christus autem loquitur de ecclesia in numero singulari, unam ergo catholicam invisibilem ecclesiam proprie notat, quae nullis Satanae insidiis ac viribus everti potest. 3. Concedimus visibili ecclesiae quodammodo accommodari posse, quod sit *fundata supra petram et portae inferorum non possint adversus eam praevalere, quodque sit domus Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*, non autem simpliciter et absolute, sed secundum quid et synecdochice, scilicet respectu electorum, qui in visibili ecclesia malis et hypocritis sunt commixti, contra illos nihil possunt inferorum portae, hos vero facile evertere possunt; ac respectu vere fidelium, qui sunt domus Dei et columna ac firmamentum veritatis, quatenus et quamdiu veritatem in Scripturis propheticis et apostolicis revelatam constanter tuentur ac vera fide Deo adhaerent. Sed quid hoc ad splendorem ecclesiae externum? Electi illi ac vere fideles, in quibus promissiones illae implentur, in persecutionibus latent ac haeresibus invalescentibus exiguum et contemtum coetum constituunt. 4. Si absolute et simpliciter de ecclesiis visibilibus ac particularibus promissio Christi intelligeretur, tunc aut omnes aut unam aliquam particularem ecclesiam concerneret. Ad omnes pertinere dici non potest, quia multae visibiles particulares ecclesiae ab inferorum portis sunt eversae, ut ex plurimarum inductione evadit manifestum. Ipsa illa Ephesiorum ecclesia, de qua apostolus 1. Tim. 3, v. 15. agit, hodie defecit. 5. Si obvertant, Romanae ecclesiae privilegium illud proprie competere, manifeste petunt principium, postulamus enim certa et evidentia hujus privilegii documenta. Romana ecclesia non minus est particularis et visibilis ecclesia quam ecclesia Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Alexandrina, Antiochena etc. Quodsi ergo contra reliquas particulares ecclesias portae inferorum praevalere potuerunt, quidni etiam contra Romanam praevalere possent? Quod de Petri cathedra Romanae ecclesiae perpetuo affixa proferunt, nullo Scripturae testimonio probari potest et diserte repugnat statui novi testamenti, in quo Christi ecclesia non amplius certo loco et certo populo est alligata. *Ubi doctrina apostolorum sonat, ibi cathedrae apostolorum vere praesident*, contra vero *Petri haereditatem non habent, qui fidem Petri non habent*, Ambrosius libr. 1. de poenit. c. 6. 6. Quin imo si adversarii sibi ipsis constare velint, non possunt ad Romanam visibilem ecclesiam hanc promissionem accommodare, scribunt enim *Antichristum* (quem statuunt fore diabolum personatum) *omnes publicas religionis ceremonias et omnem cultum divinum, qui in ecclesia Romana exercetur, sublaturum, ideoque externum statum ecclesiae Romanae tunc temporis cessaturum, ut non nisi corde et animo cum papa et Romana ecclesia pii communicare possint*, utique ergo portae inferorum contra Romanam visibilem ecclesiam tunc temporis praevalebunt. 7. Romanae ecclesiae nomine intelligunt vel Romanae civitatis ecclesiam, quae proprie dicitur Romana, vel omnes illas particulares ecclesias, quae Romano pontifici adhaerent. Sed utroque modo Romana ecclesia deficere potest. Quod enim attinet ecclesiam Romanae urbis moenibus circumscriptam, de illa expresse pronuntiat apostolus Rom. 11, v. 22: *Vide bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.* Quod attinet particulares ecclesias Romano pontifici adhaerentes, earum plurimae superiori seculo a papa defecerunt, cujus rei documentum Bellarminus petere potest ex rationibus annuorum redituum curiae Romanae, si conferantur invicem superiora ac nostra tempora. Quae Romano pontifici adhuc subjiciuntur, eae itidem deficere possunt, nec propterea deficeret tota ecclesia catholica, quia aliud est a Christo, aliud a pontifice Romano deficere. ** Ceterum D. Höpfnerus hac de re ita: *Vox petrae ut et fundamenti, cum ad ecclesiam refertur, vel in ordine 1. causae efficientis principalis dicitur pro fundante et conservante; sic solus Christus dicitur petra in relatione ad ecclesiam, quia eam fundat et conservat, Matth. 16, v. 18. 1. Cor. 3, v. 11. Esa. 28, v. 16. 2. Vel in ordine causae instrumentalis, ut doctrina θεόπνευστος et ipsi prophetae et apostoli quatenus per immediatam inspirationem praedicarunt et scripserunt θεόπνευστον illa doctrinam Rom. 15, v. 20. Eph. 2, v. 20. Apoc. 21, v. 14. Illi enim θεοπνεύστῳ doctrinae alii doctores suas doctrinas superstruunt, unde Clemens Alexandr. lib. 5. στρωμ. eas vocat γνωστικὰ ἐποικοδομήματα τῇ κρηπῖδι τῆς πίστεως τῆς εἰς Ἰησοῦν Χριστόν, structuras gnosticas sive pleniorem cognitionem afferentes super fundamento fidei. Huc pertinent omnia dicta patrum, quae per petram confessionem Petri intelligunt. 3. In ordine causae materialis petra dicuntur, quae firmitatem suam habent, sed ab alio et per aliud, id est petra Christo et per fundamentalem doctrinam apostolorum, fundantur ac solidantur. Sic fideles passim dicuntur petra, nempe διὰ στεῤῥότητα πίστεως καὶ βάρος λογισμοῦ, ut ait Nazianz. orat. 18. propter firmitatem fidei et pondus mentis, id est constantem professionem. Romana ergo ecclesia, quatenus fidem retinet, est petra, id est in Christo petra ac fundamento salutis fundatur et sic subjectum seu materia est fundationis, non autem rationem habet causae efficientis sive principalis, quia soliditatis vim a Christo petra accipit, sive instrumentalis, quia hac ratione non est*

XI. 134.

Digitized by Google

fundamentum, sed duntaxat instar columnae stabilimentum 1. Tim. 3, v. 15. praeterea nec sola Romana ecclesia est hoc modo petra, sed etiam aliae. **

2. Alia Scripturae dicta. Matth. 28, v. 20: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

97. Alteram argumentorum classem petit Bellarminus ex aliis locis, ubi est aperta promissio sine nomine ecclesiae. 1. Matth. c. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quae verba ad ecclesiam visibilem dicta sunt, nimirum ad apostolos et discipulos ceteros, quos in die adscensionis suae Dominus allocutus est, et cum illi homines non essent permansuri in corpore usque ad mundi consummationem, necesse est dicere, hanc promissionem pertinere ad eorum successores, itaque Leo I. et Leo II. intelligunt hunc locum de ecclesiae perpetua duratione.* Respondemus: ecquis vero nostrum perpetuam ecclesiae durationem negat? Christus vi hujus promissionis perpetuo praesto est ecclesiae suae et colligit sibi coetum vere credentium per praedicationem evangelii et efficaciam Spiritus sancti, *habitat etiam per fidem in cordibus credentium* Ephes. 3, v. 17. sed quid hoc ad externum splendorem et claritatem visibilis ecclesiae? Christus loquitur de vere credentibus, in quibus sua gratia habitat, sed ex eo non potest inferri, esse aliquam particularem ecclesiam, puta Romanam, quae non possit deficere, et cui praesentia Christi absolute promissa sit perpetua; nec potest ex eo inferri, visibilem ecclesiam fore semper splendidam et gloriosam, quia si vel maxime visibilis ecclesia
XI. 135. persecutionibus, haeresibus et scandalis obscuretur, tamen Christus hanc promissionem suam implet in vere credentibus et electis. Cum mulier apocalyptica in solitudinem ob draconis furorem fugeret, ut ibi lateret, Michaël, id est Christus, cum dracone pugnabat eundemque gloriose vincebat prohibens, ne draco fluctibus persecutionum eam plane opprimeret, Apoc. 12, v. 7. Concedimus igitur, ecclesiam perpetuo conservandam vi divinarum promissionum, sed negamus, promissiones illas modo visibili, externo et toti mundo conspicuo semper impleri; negamus, in certa quadam sede et illustri loco ecclesiam perpetuo conservari; negamus, in magno et illustri hominum coetu promissionum illarum complementum perpetuo conspici. Promissiones de ecclesiae conservatione in genere acceptae sunt absolutae, quod scilicet Deus aliquam sibi perpetuo collecturus et conservaturus sit ecclesiam in genere humano, sed si ad speciem descendatur, non sunt absolutae, sed conditionatae, hoc est Deus nuspiam promisit, quod in hoc vel illo loco, in hac vel illa sede episcopali, in hoc vel illo populo ecclesiae collectio et conservatio futura sit perpetua, sed addenda est conditio, si scilicet homines illius loci verbum audiant et conservent eique obsequantur; sin minus, hoc est si propter contemtum verbi promissionibus illis sese reddant indignos, et tunc Deus *movet candelabrum suum de loco* Apoc. 2, v. 5. atque *aufert ab illis regnum suum et dat genti facienti fructus ejus*

Ephes. 4, v. 11: Dedit quosdam apostolos etc.

Matth. 21, v. 43. 2. Ephes. 4, v. 11. et seqq.: *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum et mensuram aetatis plenitudinis Christi. Ubi apostolus docet* (ait Bellarminus), *mansura in ecclesia illa ministeria pastorum et doctorum et continuam aedificationem corporis Christi et proinde visibilem ecclesiam usque ad diem judicii, nam quando sola esset in mundo ecclesia visibilis, non invenirentur ista ministeria, quae non possunt exerceri, nisi se pastores et oves agnoscunt.* Respondemus: ad finem usque mundi semper erunt pastores et oves, qui se mutuo agnoscent, sed ex eo non potest colligi, illos pastores et illas oves in visibili successione et illustri loco toti mundo fore conspicuos et manifestos. Ostendit enim historia primitivae ecclesiae, illos saepius in cavernis et abditis terrae locis delituisse, habuit tunc ecclesia ministeria pastorum et doctorum, sed non eo modo, quo postmodum restituta pace et tranquillitate Constantini tempore ea habuit. Sic in persecutionibus, quando veri confessores in exilium pelluntur, publici congressus impediuntur et publicum religionis exercitium impeditur, remanent quidem aliqui pastores et oves superstites, sed mundo et persecutoribus non sunt noti. Deinde etsi ad finem mundi usque semper futuri sint pastores et oves, qui se mutuo agnoscent, ex eo tamen non potest colligi, ministerium illud pastorum perpetuo fore purum et incorruptum, quia non pugnat cum perpetua ecclesiae duratione, ecclesiam visibilem erroribus aliquando obnoxiam reddi, cum etiam per corruptum ministerium Deus filios et filias sibi generare possit, ut suo loco plenius docebimus. Denique ex eo, quod ad finem usque mundi futuri sint pastores et oves, longe minus colligi potest, quod in sede Romana perpetuo tales futuri sint pastores, qui extra omnem errandi aleam positi perpetua quadam successione doctrinae veritatem et ecclesiae dignitatem ad successores propagaturi ac proinde ab omnibus sine ulla exceptione audiendi sint (eo enim collimat tota illa Bellarmini de visibilitate ecclesiae disputatio, ut cuivis rem XI. 136.
recte expendenti est conspicuum). Talis cujusdam specialis privilegii et promissionis tabulas exhiberi prius oportebat, antequam ex generalibus et indeterminatis promissionibus ad certam speciem procederetur.

Psalm. 48, v. 9: Deus fundavit ecclesiam in aeternum.

3. Psalm. 48, v. 9: *Deus fundavit eam, id est ecclesiam suam, in aeternum, quia totus psalmus est de fundatione ecclesiae Christianae tanquam novae et visibilis civitatis.* Respondemus: durabit omnino in aeternum ecclesia, sed ex eo nondum sequitur, externum illius splendorem semper illustrem et conspicuum fore, a remotione accidentis separabilis ad ipsius essentiae remotionem legitime procedi non potest. Externus splendor ecclesiae in amplitudine, in successione, in tranquillitate a persecutionibus, in clarissimo puri ministerii fulgore etc. consistens est accidens ejus separabile, proinde si vel maxime externus ille splendor defi-

Digitized by Google

ciat, si incidat tempus ejusmodi, quo non conspiciatur ecclesia, sicut Eliae temporibus factum, non statim defecisse ecclesiam statuendum. Psalmus ille Davidicus in sensu literali continet encomium Hierosolymae, quod ab impetu hostili saepius fuerit liberata, interim tamen non obstante hac promissione populus Hierosolymitanus in exilium Babylonicum fuit abductus ac hoc tempore plane dispersus est et Hierosolyma eversa. Quodsi ergo velimus ad hunc typum ecclesiae antitypum accommodare, consequens erit, promissiones ecclesiae datas eo modo intelligendas esse, quod nihilominus ecclesia possit in angustias redigi et gravitate persecutionum obscurari, tandem vero Deum ex angustiis et latebris illis ecclesiam educere, sicut Israëlitas ex captivitate Babylonica Hierosolymam reduxit; consequens etiam erit, promissiones ecclesiae visibili datas non esse absolutas, sed conditionatas eo, quem paulo ante exposuimus, sensu ac respectu. 4. Esai. 61, v. 8: *Foedus perpetuum feriam cum eis et scietur in gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Locus hic* (inquit Bellarminus) *tam est perspicuus, ut expositione non indigeat, quomodo enim invisibilis erit ille coetus, de quo dicitur, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Respondemus: concedimus, Deum perpetuum foedus cum ecclesia iniisse, sed illud foedus sic describitur Esai. 59, v. 21: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo usque in sempiternum.* Ergo ad illam ecclesiam pertinet haec foederalis promissio, quae veritatem verbi coelestis conservat, hoc est ad ecclesiam catholicam, sed ad visibiles particulares ecclesias non pertinet nisi cum hac conditione et limitatione, quatenus puritatem et sinceritatem verbi conservant; sin minus, deficere possunt, nec ulla earum habet absolutum aliquod privilegium ac promissionem, quod deficere non possit. Concedimus etiam, visibilis ecclesiae statum quandoque gloriosum esse, qualis cumprimis fuit cum ministerio apostolorum inter omnes gentes esset propagata, sed ex eo non sequitur, perpetuo fore talem ecclesiae statum. Praedicit propheta, ecclesiam tempore novi testamenti in gentibus esse propagandam, ut omnes qui hoc viderint, intelligant hoc esse semen, cui benedixit Deus, id completum est apostolorum tempore, interim non sunt ex oculis plane removendae praedictiones aliae, quae de miserrimo ecclesiae statu temporibus Antichristi futuro divinitus editae sunt, quas commemoravimus superius. Deus non minus diligit, protegit et conservat ecclesiam, quando fugit in solitudinem, quam eo tempore, quando multitudine confessorum et tranquillitate a persecutionibus est gloriosa.

Esa. 61, v. 8: Foedus perpetuum feriam cum illis.

XI. 137. 3. Parabolae.

98. Tertiam argumentorum classem petit Bellarminus ex parabolis, quibus omnium consensu significatur ecclesia. *Area enim, in qua sunt grana et paleae, et rete, in quo sunt boni et mali pisces, et ager, in quo sunt frumenta et zizania, et convivium, in quo sunt boni et mali discumbentes, et ovile, in quo sunt oves et hoedi, significant ecclesiam visibilem, cum ecclesia invisibilis tantum habeat bonos. At eaedem parabolae docent, istam visibilem ecclesiam nunquam interituram usque ad finem mundi.* Matth. 3, v. 12: *Ipse purgabit aream suam et triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igne inexstinguibili. Hoc autem sine dubio non fiet ante diem judicii.* Matth. 13, v. 30. dicitur: *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis, hoc est ad consummationem usque seculi.* Respondemus: 1. non negamus, ecclesias illas visibiles et particulares, quae comparantur areae, reti, agro, convivio et ovili, usque ad finem mundi duraturas, sed ex eo non potest inferri, quod in splendore et claritate externa perpetuo futurae sint constitutae. 2. Externus enim ille splendor ecclesiae plurimum pro diversitate temporum variat, quandoque enim ecclesia eo fruitur statu, ut reges habeat nutricios ac reginas nutrices, ut persecutoribus et hostibus sit formidabilis, ut publicum divini cultus exercitium et purum verbi ministerium habeat; quandoque vero eam experitur sortem, ut cogatur fugere in solitudinem, ut non sit in illustri sede constituta, sed manus ac minas persecutorum fugiens in occulto latitet. 3. Sic Christi discipuli aliquando clausis foribus prae metu Judaeorum sese occultabant, aliquando vero publice in urbe nomen Jesu praedicabant, nihilo tamen minus unam eandemque Christi ecclesiam utroque tempore constituebant. 4. Videtur igitur Bellarminus nostram distinctionem inter ecclesiam visibilem et invisibilem minus recte accipere. Neque enim ecclesiam invisibilem dicimus hoc sensu, quod illi, qui veram fidem profitentur, non possint videri, sed longe alio eoque duplici sensu, primo quod electi, qui ad ecclesiam catholicam invisibilem pertinent, non possint externis sensibus ab hypocritis, quibus in visibili ecclesia commixti sunt, discerni. Hoc sensu vera ecclesia est et manet invisibilis etiam eo tempore, quo passim in toto terrarum orbe verae fidei confessores fulgent. Deinde, quod ecclesia non semper fruatur splendore externo, nec alligata sit ad certum locum, in quo perpetua successione sit illustris, sicut regnum Galliae ac rempublicam Venetorum videmus, sed quod externus ille splendor ab ecclesia tempore persecutionum et haeresium invalescentium removeri possit. Nequaquam dicimus, ecclesiam ita deficere posse, ut nulli amplius supersint, qui veram fidem profiteantur, sed ut tam pauci sint, ut publice non sint noti, ut prae reliquorum titulo ecclesiae superbientium multitudine sint pauci et contemti. Negamus ergo, ecclesiam esse visibilem eo modo, quo ab adversariis statuitur visibilis, quod scilicet in capite suo Romano pontifice et in successione episcoporum sit visibilis; quod externo splendore semper fulgeat et externa claritate ac

Digitized by Google

majestate omnibus perpetuo sese conspiciendam praebeat etc.

4. Dicta de regno Christi. 99. Quartam argumentorem classem petit Bellarminus ex illis Scripturis, quae loquuntur de regno Christi. Psalm. 88, v. 37: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* v. 30: *Ponam in seculum seculi semen ejus et thronum ejus, sicut dies coeli.* Dan. 2, v. 44: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur.* Luc. 1, v. 33: *Regni ejus non erit finis. Ista loca* (inquit Bellarminus) *non possunt intelligi, nisi de vera et visibili Christi ecclesia nunquam interitura. Nam regnum Christi sine dubio est vera ejus ecclesia. Neque regnum dici possunt homines aliquot occulti et dispersi et separati ab invicem, qui se non noverunt, qualis est*
XI. 138. *invisibilis ecclesia Lutheranorum, regnum enim est multitudo hominum congregatorum, qui se invicem norunt.* Respondemus: 1. distinguendum inter regni alicujus durationem et splendorem externum. Est omnino Christi regnum perpetuum, sed non est in splendore externo perpetuo constitutum; proinde non est ita visibile ac palpabile sicut regnum Galliae. 2. Regnum Christi *non est de hoc mundo* Joh. 18, v. 36. sed est regnum spirituale et internum Luc. 17, v. 20. Ergo de eo non est judicandum ex similitudine regnorum hujus mundi, sed potest Christus in paucis, iisque coram mundo contemtis et prae aliorum multitudine fere nullis regnum suum obtinere, sicut dicitur Psalm. 110, v. 2: *Dominare in medio inimicorum tuorum;* qua in parte regnum Christi a regnis mundanis discrepat. Regna mundana non possunt in paucis disjectis consistere, sed multitudinem ac splendorem visibilem requirunt; sed Christi regnum potest consistere in paucis, iisque dispersis, spirituali tamen vinculo fidei et caritatis conjunctis, ut superius fuit demonstratum. Reges hujus mundi dominantur in medio subditorum, sed *Christus dominatur in medio inimicorum;* imperium regum mundanorum est super humeros subditorum, sed imperium Christi est super *humeros illius,* Esa. 9, v. 6. *3. Omnis gloria filiae regis est interior* Psalm. 45, v. 14. ergo etiam gloria hujus regni est interior et spiritualis, proinde si vel maxime externus visibilis ecclesiae splendor quandoque intercidat, tamen illi splendori et gloriae, quae est interior et verae ecclesiae propria, nihil quidquam decedit. 4. Concedimus, aliquam ecclesiam visibilem perpetuo futuram, sed ex eo non potest inferri, quod eodem modo in una quadam sede perpetuo visibilis, illustris, splendida et publice omnibus nota sit futura. Ut ergo Bellarmino teste *illi scriptores Pontificii tempus triverunt, qui probant, ecclesiam non posse deficere, cum a nobis id haudquaquam negetur;* ita ipse Bellarminus etiam tempus trivit late probans, ecclesiam perpetuo duraturam, cum a nobis itidem illud non negetur. Item probans, ecclesiam aliquam visibilem in mundo semper fore, cum probare debuisset, quod in una quadam sede perpetua episcoporum successione visibilis et externo splendore illustris atque eo, qui superius expositus est, modo visibilis sit futura.

100. Quintam argumentorum classem petit Bellarminus ex dictis quibusdam veterum. Augustinus 5. Dicta veterum.
conc. 2. in Psalm. 101. in Psalm. 147. lib. de unit. ecclesiae c. 13. et alibi reprehendit Donatistas, *quod ecclesiam de omnibus gentibus periisse et apostatasse dicerent.* Bernhardus serm. 79. in Cant.: *Ita est, et tunc et deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec caritas de ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in eam, et non cecidit, eo quod fundata esset super petram, petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate philosophorum, nec cavillationibus haereticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista aut poterit aliquando separari a caritate Dei.* Lerinensis reprehendit Nestorii sententiam dicentis, *totam ecclesiam errasse in mysterio incarnationis.* Respondemus: 1. Dicta patrum accipienda sunt juxta legem eam, quam sibi ipsis statuerunt, videlicet juxta normam Scripturae sacrae. 2. Dicta illa, quae hoc loco afferuntur, nostrae sententiae non refragantur. Augustinus reprehendit Donatistas, *quod ecclesiam de omnibus gentibus periisse dicerent,* quid vero cum Donatistis hac in parte nobis commune? Donatistae, cum Catholicis nullam in doctrina falsitatem objicere possent, propter mores tantum ab illorum communione sese separabant criminis loco objicientes, quod episcopi catholici persecutionis tempore libros sacros haereticis tradidissent. Atqui nos non solum propter corruptos mores, sed etiam ac vel maxime propter corruptelas doctrinae ab ecclesia Romana, non autem a catholica ecclesia discessimus. Donatistae dicebant, ecclesiam ex toto orbe periisse, nos contra dicimus, ecclesiam et semper mansisse et perpetuo duraturam, unde non solum superioribus temporibus sub XI. 139.
papatu conservatam fuisse ecclesiam agnoscimus, sed adhuc in media Roma ecclesiam Deo colligi sonora voce profitemur. Donatistae solius Africae finibus ecclesiam includebant, unde dicebant, *omnes bonos defecisse de mundo, ut in sola parte Donati remanerent,* teste Augustino de unit. eccles. c. 13. nos ecclesiam esse catholicam et universalem credimus ac profitemur. Videant autem Pontificii, an errore Donatistarum sese penitus liberare possint, cum omnes Catholicos de mundo defecisse dicant, exceptis solum illis, qui in parte Romani episcopi remanserunt. Bernhardus de illa ecclesia loquitur, quae est fundata super petram, quae firma caritate Deo adhaeret et ab ea separari nequit. At haec duo membra ecclesiae catholicae electorum duntaxat competunt, illa enim sola fundata est super petram, illa sola caritate indivulsa Deo adhaeret. Ergo loquitur de ecclesia catholica invisibili. Frustra Bellarminus regerit, quod *ecclesiam invisibilem non persequuntur tyrannorum gladii, ac proinde dictum Bernhardi non posse de ecclesia*

Digitized by Google

invisibili intelligi. Quamvis enim electi quatenus tales non sint externis oculis obvii, tamen quatenus profitentur fidem Christi et sunt membra visibilis ecclesiae, eatenus a persecutoribus videntur et gladios eorum quandoque experiri coguntur. Vincentii Lerinensis dictum proprie pertinet ad quaestionem sequentem, an ecclesia possit errare. Quae enim haec illatio? Vincentius Lerinensis reprehendit Nestorium, quod diceret, totam ecclesiam in mysterio incarnationis errasse. Ergo perpetuo futurus est talis ecclesiae status, ut splendore externo sit illustris ac visibilis? Tempore Nestorii doctores ecclesiae non errarunt in articulo incarnationis, ergo tempore papatus episcopi Romanae ecclesiae non errarunt in aliis religionis Christianae articulis.

6. Rationes. 101. Sextam argumentorum classem petit Bellarminus ex triplici ratione. *1. Si aliquando sola maneret in mundo ecclesia invisibilis, aliquando etiam salus esset impossibilis iis, qui sunt extra ecclesiam. Nam non possunt salvari, nisi in ecclesiam ingrediantur, quemadmodum tempore Noae peribant necessario, qui non habebant aditum ad arcam. At non possunt ingredi in ecclesiam, quam ignorant; igitur non habent remedium.* Respondemus: 1. Ecclesiam invisibilem duplici sensu et respectu dicimus, primo quia ecclesia catholica sanctorum est invisibilis, cum oculis humanis vere credentes et sancti ab hypocritis discerni nequeant. Hoc sensu vera ecclesia est et manet invisibilis, etiamsi in toto mundo essent frequentissimae et gloriosissimae particulares ecclesiae. Secundo, quia ecclesiae particulares in eum possint redigi statum, ut non sint externo et illustri quodam splendore toti mundo visibiles, quando scilicet haereses invalescunt, persecutiones saeviunt et scandalorum multitudo externam ecclesiae faciem obscurat. 2. Ex neutra harum significationum inferri potest, aliquando in mundo solam invisibilem ecclesiam manere. Quamvis enim catholica sanctorum ecclesia sit invisibilis, illa tamen nunquam manet sola et a visibili ecclesia separata, cum extra coetum vocatorum non sunt quaerendi electi. Quamvis etiam ecclesia in eas angustias redigi possit, ut non sit gloriosa, splendore externo atque eo, quem Pontificii statuunt, modo visibilis, ex eo tamen inferri nequit, quod absolute et simpliciter loquendo non sit visibilis, cum pauci illi confessores, si vel maxime toti mundo publice noti non sint, tamen sibi ipsis invicem noti esse possint, ac si vel maxime actu non sint conspicui, tamen potentia sunt visibiles. Sicut sol non desinit esse visibilis, si vel maxime nubibus tectus aliquando actu non videatur, cum postea clarissimo splendore jubar illius refulgeat; sic ecclesia non desinit esse visibilis, si vel maxime veri confessores in cavernis et occultis locis delitescant, quia defervescente persecutorum rabie et profligata haeresium caligine iterum in publicum prodeunt. Augustinus de uni-
XI. 140. tat. eccles. c. 20: *In aliis gentibus saepe nonnulla ecclesiae membra praevalescentibus haeresium et schismatum seditionibus pressa atque obumbrata sunt, et quia inerant, paulo post nullo dubitante claruerunt.* 3. Quando incidit tempus ejusmodi, ut externus ecclesiae visibilis splendor intercidat, tunc non est simpliciter de necessitate salutis, ut quis sese visibili ac particulari ecclesiae conjungat, sed sufficit, ut quis per veram fidem sit membrum ecclesiae catholicae, de ea enim proprie intelligendum, quod extra ecclesiam non sit salus. Recordetur Bellarminus eorum, quae superius docuit, *catechumenis scilicet ad salutem sufficere, si voto ac desiderio sint in ecclesia, quamvis actu in ea non sint.* 4. Est enim duplex ad ecclesiam accessus, *externus et internus*, ille fit professione et loco, hic fide cordis et animo; ille non est simpliciter et absolute ad salutem necessarius, quando scilicet talis aliqua visibilis ecclesia ministerio verbi incorrupto gaudens non fuerit nota, cui quis sese conjungere possit; hic vero ad salutem omnino necessarius est et in saevissimis persecutionibus et grassantibus publicis corruptelis adhuc locum habet. 5. Sic tempore Eliae septem illa millia hominum, quae Deus sibi reservaverat, salvari potuerunt, licet non viverent in tali visibili aliqua et particulari ecclesia, quae a coetibus idololatricis loco esset separata, alias enim Eliae fuissent nota. 6. Cum tempore passionis Christi discipuli prae metu Judaeorum sese in abditum et occultum locum concluderent, nec publice toti urbi Hierosolymitanae noti essent, nihilominus via salutis non fuit penitus interclusa illis, qui erant extra ecclesiam, licet non esset ecclesia visibilis eo, de quo inter nos et Pontificios controvertitur, modo. 7. Aliud est simpliciter loquendo, ecclesiam esse visibilem, aliud vero est, eam mundo esse visibilem. Centum illi prophetae, quos Abdias in duabus speluncis tempore Eliae occultabat, constituebant duas ecclesias visibiles, sed Jezabeli et mundo non erant visibiles ac noti.

102. *2. De ratione unius verae ecclesiae est, ut sit visibilis. Ergo si ecclesia visibilis perit, nulla vera ecclesia remanet.* Respondemus: 1. Si de ecclesia sanctorum catholica sermo est, de illius natura et ratione est, ut sit invisibilis, quia pars ejus una in coelis triumphans a nobis non conspicitur, pars altera militans hypocritis intermixta sensu externo ab illis discerni non potest. 2. Si de ecclesiis particularibus sermo est, concedimus, esse de ratione ecclesiae, ut sit visibilis, et sic semper in mundo manet aliqua visibilis ecclesia; sed ex eo non potest inferri, quod eo modo ac sensu, quo Pontificii volunt, sit visibilis. 3. Distinguendum enim est inter rem et rei modum. Manet perpetuo in terris aliqua visibilis ecclesia, sed non est perpetuo in una quadam sede et externo splendore visibilis; aliquando ab omnibus, quandoque vero a paucis conspici potest. Observetur quaestionis status et facile apparebit, quid de hoc argumento statuendum sit.

103. *3. Vel homines illi occulti, qui ecclesiam invisibilem constituunt, profitentur palam fidem*

Digitized by Google

suam et abstinent ab idolorum cultura, vel non. Si profitentur, ergo non est ecclesia invisibilis, sed maxime visibilis, sicut erat tempore martyrum; si non profitentur, ergo nulla est ecclesia. Nam non est ecclesia vera, in qua nulli sint boni et qui salventur, non autem sunt boni, nec salvantur, qui non confitentur fidem, sed ea in corde retenta exterius profitentur perfidiam et idololatriam. Rom. 10, v. 10: *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem.* Matth. 10, v. 33: *Omnis, qui me negaverit coram hominibus, et ego negabo eum.* Respondemus. 1. Elias propheta contra divinum responsum eodem modo argumentari potuisset. Septem illa millia hominum aut profitentur fidem, aut non profitentur. Si profitentur, qui fit, quod illos non video et cognosco? Si non profitentur, ergo non sunt tui servi, nec pertinent ad ecclesiam. 2. Tempore gravissimarum persecutionum sub Diocletiano et aliis tyrannis complures vere credentes et inter hos etiam Romani episcopi in cavernas et speluncas sese abdebant nec publice profitebantur Christianam religionem, num illos omnes ab

XI. 141. ecclesiae et salutis consortio excludemus? 3. Non est eadem necessitas interioris fidei et exterioris confessionis respectu personarum et temporum. Infantes baptizati per aetatem nondum possunt exterius Christum confiteri, absit vero ut negare velimus, illos esse verae ecclesiae membra. Adulti inter Christianos semper debent *esse parati ad reddendam rationem fidei, quae in illis est* 1. Petr. 3, v. 15. interim tamen si non requirantur, latere possunt; si Dei gloria et ecclesiae salus non exigat confessionem publicam, salva conscientia et fide occultare eam possunt. 4. Deest igitur in dilemmate Bellarmini membrum aliquod, quod erat necessario addendum, videlicet vel occulte servant fidem et ab idololatria abstinent. Tempore enim persecutionum et haeresium publice grassantium alii palam confitentur fidem suam, ut martyres et confessores; alii non quidem palam profitentur fidem, eam tamen in corde illibatam conservant et ab idololatricis cultibus abstinent. Exemplo esse possunt centum prophetae, quos in duos coetus distributos temporibus Jesabelis Abdias in spelunca occultavit 1. Reg. 18, v. 4. Statuit ipse Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 2. *quosdam in ecclesia esse corpore tantum, quosdam animo tantum, quosdam animo et corpore simul.* Ubique ergo potest quis esse membrum ecclesiae catholicae per fidem cordis et assensum interiorem, licet propter tyrannidem persecutorum non accedat exterior oris confessio. 5. Occulti illi homines profitentur et ipsi fidem suam, sed ex eo non redduntur omnibus publice noti, sed illis duntaxat, coram quibus fit confessio. Jam vero non est necessarium, ut publice et ubivis veritatem profiteantur, hac enim ratione hostibus sese proderent, sed hoc necessarium est, ut exigente Dei gloria non dissimulent veritatem, nec impiorum cultuum sese maculent consortio. 6. Bellarminus existimat, nos hoc potissimum fine ecclesiam invisibilem esse docere, *ut obtinere possimus, tempore papatus ecclesiam fuisse conservatam.* Atqui testantur historiae, tunc temporis non solum occultos quosdam homines ecclesiam constituisse, sed semper fuisse aliquos, qui et voce et sanguine veritatem professi papalibus erroribus contradixerint. Multi in articulo mortis abjecta omni humanorum meritorum fiducia veram in Christum fidem sunt professi, qua de re inferius plura.

CAPUT IX. XI. 142.

AN ECCLESIA POSSIT ERRARE?

104. Haec quaestio est commune quoddam receptaculum, ad quod in omnibus controversiis Pontificii confugiunt, et pyxis quasi Pandorae omnes corruptelas, errores et superstitiones papatus tegens. Quia enim forti, interim tamen inani imaginatione sibi persuaserunt, *solam Romanam ecclesiam esse veram Christi in terris ecclesiam,* cujus privilegium sit in fidei articulis nullum, ne minimum quidem errorem amplecti, inde concludunt, *quaecunque in ecclesia Romana docentur et observantur, ea esse rata ac firma habenda,* sive cum Scripturis conveniant, sive ab illis discrepent, cum ecclesiae Romanae judicium sit infallibile. Hinc Eccius contra Lutherum disputaturus initium facit a loco de ecclesia, quippe a qua Scripturae auctoritas et interpretatio, adeoque omnium dogmatum firmitas dependeat. Accurate igitur explicandum, an et quatenus ecclesia errare possit, quod ut commodius fiat atque ut quaestionis status fiat illustrior, explicandi primum sunt quaestionis termini, praedicatum scilicet et subjectum, cum uterque ambiguitate laboret. Ecclesiae nomen accipitur vel de catholica, vel de particulari ecclesia. Catholica ecclesia vel electorum vel vocatorum omnium respectu sic dicitur. Catholica ecclesia electorum complectitur non solum vere credentes et sanctos in terris adhuc militantes, sed etiam sanctos in coelo cum Christo triumphantes. De electorum ecclesia in coelis triumphante recte dicitur, quod nulli, ne minimo quidem errori sit obnoxia, quia cum clara Dei visione nullus, ne minimus quidem error consistit. De ecclesia electorum in terris adhuc militante distincte respondendum est, cum errores sint duplices, quidam fundamentales, qui ipsum fidei fundamentum evertunt; quidam vero non fundamentales, qui cum fundamento fidei consistunt, ac duplici modo error contingere possit, vel ad tempus, vel finaliter. Electi ad tempus involvi possunt, quidam etiam actu involvuntur erroribus non solum levioribus, sed etiam fundamentalibus; interim tamen ante vitae finem ex illis iterum eluctantur, alias enim non essent electi proprie sic dicti, de quibus ex hypothesi hoc loco nobis sermo est, proinde in erroribus fundamentalibus finaliter non perseverant, sed erro-

Ecclesia an possit errare.

Explicatio terminorum. XI. 143.

Digitized by Google

ribus levioribus (quos apostolus vocat foenum et stipulas 1. Cor. 3, v. 12.) non solum ad tempus, sed etiam finaliter involvi possunt, qui tamen igne crucis et tentationis in illis absumuntur, ne salutem eorum evertant. Catholica ecclesia vocatorum complectitur omnes omnium temporum et locorum fideles sive confessores. De ea si quaeratur, an errare possit, respondemus, quod tota non erret, id quod et temporum et locorum respectu sic explicamus. Quamvis incidere possint, quandoque etiam revera incidant tempora ejusmodi, ut corruptelae publicum religionis exercitium occupent, tamen tota omnium temporum catholica ecclesia non errat, quia subinde excitat Deus prophetas et alios fideles ministros, qui corruptelas illas doctrinae arguant, divinum cultum reforment et ecclesiam pristino nitori restituant. Quamvis etiam interdum corruptelae totam visibilem ecclesiam et publicum ejus ministerium in omnibus omnium locorum particularibus ecclesiis occupent, ita ut nullibi supersit purum et incorruptum ministerium; nunquam tamen tota ecclesia sic errat, ut non sint, qui simplicem verbi ductum sequentes Spiritus sancti directione et efficaci operatione in veritate et fide eo modo sanctificentur, ut fundamentum salutis retineant ab erroribus fundamentalibus immunes perseverent ac virtute Dei per fidem ad salutem conserventur, licet illi nonnunquam pauci sint ac persecutionibus et corruptelis publice grassantibus ita lateant, ut publice coram mundo non agnoscantur. Huc referri potest, quod quidam disputant, in ecclesia visibili N. T. mutationes
XI. 144. vel facies potissimum quatuor observari posse. Primo erat *pulchre ornata* tempore apostolorum et martyrum, ubi ob persecutiones quidem latebat, sed quoad fidei puritatem vere fulgebat. 2. Erat *non nihil maculata* tempore haereticorum et patrum, ubi a prisca simplicitate paulatim deflectebatur et humanae opiniones ac traditiones subinde admiscebantur, unde Hegesippus apud Eusebium lib. 4. histor. eccles. c. 22. dicit, *ecclesiam post tempora apostolorum fuisse dictam virginem, quia nondum adulterini verbi subreptione fuerit corrupta, talem vero diu non mansisse.* Hieronymus in vita Malchi scribit, *ecclesiam postquam ad Christianos principes pervenit, potentia quidem et divitiis majorem, sed virtutibus minorem esse factam;* alibi tempora, quibus vixit, vocat *temporum priorum fecem.* Chrysostomus homil. 36. in 1. Cor. *ecclesiam sui temporis comparat mulieri, quae a primo virginitatis flore perierit.* 3. Erat *prorsus deformata* tempore dominantis Romani pontificis, sub cujus
XI. 145. tyrannide totum corpus doctrinae coelestis misere laceratum et disjectum fuit. 4. Ultimis hisce temporibus denuo est *reformata* et pristino fidei apostolicae nitori restituta. Id ipsum ab aliis sic effertur, quod prima ecclesiae facies fuerit *virginalis* tempore apostolorum conspicua, ubi integra fides, solida spes, sincera caritas (in quibus virginitatem mentis consistere docet Augustinus in Psalm. 17.) speciosissimam ecclesiae conciliabant venustatem, elegantiam et formositatem. Altera fuit ecclesiae *degenerantis* facies lascivienti puellae non absimilis, siquidem apostolicae integritatis minus tenax traditionum apostolico titulo venditarum et bonae intentionis fuco illitarum facta fuit observantior. Tertia *cadaverosa* ac plane livida ac meretricia ecclesiae facies fuit sub Antichristo in papatu, ubi naevi et tubercula abierunt in gangraenam. Quarta et postrema fuit *matronalis* facies, ubi circa vesperam lux orta est Zach. 14. Luthero et ipsius XI. 146.
symmystis omnes maculas verbi divini spongia abstergente et remota meretricia obrussa castimoniam ecclesiae restituente. Quod vero attinet particularem aliquam ecclesiam eam non solum erroribus levioribus, sed etiam fundamentalibus involvi posse asserimus, ubi nec Romanam ecclesiam excipimus, quippe quam prae reliquis particularibus ecclesiis tale aliquod privilegium non errandi accepisse facilius dicitur, quam ex Scripturis sacris demonstratur.

105. Ex his sententiam nostram perspicue constare arbitror. Pontificii simpliciter et absolute adeoque sine ulla omnino distinctione statuunt, ecclesiam non posse errare, sic enim scribit Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 14. §. 4: *Nostra sententia est, ecclesiam absolute non posse errare, nec in rebus absolute necessariis, nec in aliis, quae credenda vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non; et cum dicimus, ecclesiam non* XI. 147.
posse errare, id intelligimus tam de universitate fidelium, quam de universitate episcoporum, ita ut sensus sit ejus propositionis: Ecclesia non potest errare, id est id quod tenent omnes fideles tanquam de fide necessario est verum et de fide; et similiter id quod docent omnes episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum et de fide. Costerus in enchir. c. de eccles. privil.: *Ecclesiae privilegium est, in ea sola esse veram Dei notitiam divinarumque rerum nullo permistam errore intelligentiam, eamque ita constantem Christi Spiritu directore, ut error in fide apud eam locum habere nequeat.* **Rupertus Tuitiensis lib. 3. de offic. c. 2: *Tantae sinceritatis semper fuit ecclesia Romana, ut cui deest Scripturarum notitia et argumentandi facultas, sola illi sufficere debeat ejus auctoritas.* Stapletonus relect. princ. fid. controv. 4. quaest. 1. art. 1: *Ecclesiam verbo Dei annexam, hoc est non alia conditione audiendam illam esse, nisi verbum Dei proferat, aut nisi consentanea doceat Scripturae, haec conditio apposita vere est haeretica. Esse autem ecclesiam in tali auctoritate positam ideo credendum est, quia ecclesia hoc de se asseverat et ut ita sit, prorsus necessarium est, et hoc est in simplicitate cordis et non in sapientia carnali.* Petrus a Soto in confess. cathol. in c. de ecclesia: *Ecclesia* (Romana) *habet magisterium vivum et praesens omnium eorum, quae pertinent ad salutem aeternam, unde et ipsa tradit nobis Scripturam sacram aliaque extra eam fidei dogmata et interpretatur dubia circa haec, neque ea aliquando erravit, ne-*

Sententia Pontificiorum.

Digitized by Google

que erratura est unquam. Hosius de expresso Dei verbo disputat, *sacram Scripturam nisi juxta sensum ecclesiae Romanae exponatur, non esse Dei expressum verbum, sed expressum verbum diaboli.*** Idem statuunt reliqui omnes. Notandum vero, augusto ecclesiae catholicae nomine solam Romanam ecclesiam, imo si in analysi progressus fiat, *solum pontificem Romanum,* quem ecclesiae catholicae caput et monarchum esse fingunt, a Pontificiis intelligi. Sic enim Bellarminus lib. 4. de pontif. Roman. c. 4: *Romana particularis ecclesia non potest errare in fide;* lib. 3. de eccles. c. 10: *Romana ecclesia particularis non potest destitui vera fide.* Pistorius in hodeg. c. de eccles.: *Romana ecclesia nunquam ne minimum quidem errare potuit, alias totam ecclesiam errare oportuit.* (Atqui ἀντικείμενον est ἐν προσκειμένῳ, Romanam ecclesiam esse solam catholicam ecclesiam. Romana enim eeclesia non minus quam Graeca, Asiatica, Antiochena etc. est particularis ecclesia, sive accipiatur de ea, quae in urbe Roma colligitur, sive quae Romano pontifici ut capiti adhaeret, qua de re suus alibi erit disserendi locus. Cum Fridericus Sapiens elector Saxoniae audiret, ab adulatoribus Pontificiis semper in ore haberi, ecclesiam Romanam non errare, argute respondit, *se non invenire in symbolo fidei apostolico, mentionem fieri Romanae, sed sanctae, catholicae ecclesiae.)* Ceterum cum Romana ecclesia constet auditoribus et pastoribus, quaerimus ulterius ex Pontificiis, an de tota multitudine auditorum et pastorum, an vero de solis pastoribus intellectum velint, quod Romana ecclesia non possit errare. Bellarminus hoc loco asserit, *intelligendum id tam de universitate fidelium quam de universitate episcoporum, hoc scilicet sensu, id quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessario est verum et de fide.* Eodem modo Becanus lib. de eccles. quaest. 1. pagin. 18: *Quaestio est* (inquit), *an tota multitudo Christianorum, quatenus ex pastoribus et ovibus conflata est, possit errare in aliquo puncto vel articulo fidei.* Sed si absolute et simpliciter asseratur, ecclesiam hoc sensu acceptam non errare, consequens fuerit, omnes fideles, hoc est fidem Christianam profitentes, esse prophetas et apostolos, quippe cum omnes habeant immediatam illam Spiritus sancti assistentiam, ut errare non possint. Accipiendum igitur hoc pronuntiatum (ex ipsa Pontificiorum hypothesi) cum conditione, quatenus scilicet fideles sequuntur suos pastores, eatenus non errant, nec errare possunt in fide; hanc conditionem ipse Bellarminus addit lib. 2. de conciliis c. 2. §. secunda classis, ubi probat, *concilia episcoporum non posse errare ex eo, quia Scriptura testetur, ecclesiam non posse errare.* Rationem connexionis hanc addit, *quia tota auctoritas ecclesiae formaliter non est nisi in praelatis, sicut visus totius cor-*
148. *poris formaliter est tantum in capite. Ergo idem est ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei et episcopos non posse errare.* Haec ibi Bellarminus, quae manifeste ostendunt, privilegium non errandi praelatis tribui formaliter et primario, credentium multitudini consequenter et secundario, quatenus scilicet sequitur sententiam praelatorum. Nondum autem possumus dimittere Bellarminum, quaeritur enim ulterius, an omnes praelati sive episcopi quocunque modo sese habentes hoc privilegium non errandi obtineant, an vero et hic certa requiratur conditio? Bellarminus hoc loco absolute et simpliciter pronuntiat, *de universitate episcoporum id intelligendum esse, eo scilicet sensu, quod id, quod docent omnes episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario sit verum et de fide,* sed alibi addit conditionem ac limitationem, sic enim scribit libr. 3. de eccles. cap. 10. resp. ad secundum: *Non potest ecclesia ab episcopis decipi, cum ecclesia non possit errare, et tamen teneatur eos sequi, quos pro veris pastoribus habet. Quod postremum* (inquit) *sano modo accipiendum est, si videlicet hujusmodi episcopi in doctrina omnes conveniant, aut* (nota) *summi pontifices sint, neque enim dubium est, quin episcopi particulares, si ab aliis dissideant, errare possint.* Lib. 1. de cler. c. 7. §. 20. scribit, *populum debere discernere verum doctorem a falso propheta, non alia regula quam diligenter attendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus et praesertim ab apostolica sede et ecclesia principali* (Romana). §. seq. addit hoc pronuntiatum: *Cum pastor ordinarius et aliquis alius, qui praedicat non vocatus, contraria docent, debet omnino populus pastorem suum potius sequi quam illum alterum, qui non est pastor, etiamsi forte contingeret, ut pastor erret.* Lib. 2. de conc. c. 2. §. alter locus: *Episcopos seorsim exsistentes non docet Spiritus s. omnem veritatem. Ergo saltem episcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem.* Et postea: *Idem est, ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei et episcopos non posse errare. Atqui uti diximus, singuli seorsim errare possunt, igitur congregati in unum errare non poterunt.* Haec omnia Bellarminus, ex quibus manifestum est, id quod de episcopis asserit, eos non posse errare, intelligendum ex ipsius hypothesi cum hac conditione, si scilicet in concilio congregentur et universi aliquid definiant. Nondum vero possumus Bellarminum dimittere, quaeritur enim ulterius, an episcopi in concilio congregati (quam vocant *ecclesiam repraesentativam* Gabr. Biel lect. 22. in can. miss. Bellarminus lib. 2. de concil. c. 2. §. 11. et alii passim) simpliciter et absolute loquendo errare non possint, an vero etiam hic requiratur certa quaedam conditio? Bellarminus hoc loco absolute et simpliciter id adserere videtur, sed alibi addit conditionem, sic enim scribit lib. 2. de concil. c. 2. §. 1: *Catholici omnes constanter docent, concilia generalia a summo pontifice confirmata* (notetur hic προσδιορισμός) *errare non posse nec in fide explicanda, nec in tradendis morum praeceptis toti ecclesiae communibus. De conciliis vero particula-*

Digitized by Google

ribus videtur esse aliqua dissensio inter Catholicos, cum enim istorum conciliorum auctoritas tota ferme pendeat ex firmitate pontificis, ii qui dicunt, pontificem errare posse, consequenter etiam dicere debent, ejusmodi concilia errare posse. Capiti 10. hunc praefigit titulum: *Concilia particularia non probata a summo pontifice non omnino certam fidem facere.* Capitis 11. haec est ἐπιγραφή: *Concilia generalia ante confirmationem summi pontificis errare posse, nisi patres in definiendo sequantur pontificis instructionem;* in quo capite continentur haec pronuntiata §. 4: *Constat, concilia a pontifice reprobata nullam habere auctoritatem.* §. 6: *Firmitas concilii nascitur ex consensione et conjunctione corporis cum capite* (Rom. scilicet pontifice). *Si consentientibus omnibus et legatis pontificis in concilio generali aliquid statuatur, illud tamen nondum est infallibile, si legati non habuerunt certam instructionem et antequam caput aperiat*
XI. 149. *suam sententiam. Etsi enim legati praesunt nomine pontificis, tamen revera non sunt pontifices, nec sciunt, quae sit mens pontificis, nec habent illud privilegium non errandi, quod habet pontifex.* (Si legati pontificis id non habent, multo minus reliqui episcopi ex hypothesi Bellarmini illud habebunt.) §. 10: *Dico, concilium illud non posse errare, quod absolute est generale et ecclesiam universalem perfecte repraesentat, ejusmodi autem concilium non est, antequam adsit sententia summi pontificis. Nam episcopi ceteri repraesentant quidem corpus ecclesiae et quod illi faciunt, corpus ecclesiae facere censetur, at legati papae non ita repraesentant caput ecclesiae, id est ipsum papam, ut quod ipsi faciunt, absolute censeatur fecisse papa, alioqui nulla requireretur confirmatio, sed solum repraesentant pontificem tanquam vicarii et internuntii ipsius, qui ad ipsum referre debeant, cum dubia oriuntur et sententiam ejus exspectare et exsequi.* §. 11: *Si quis omnino velit, ejusmodi concilium absolute totam ecclesiam repraesentare, respondere poterit, concilium generale non censeri penitus absolutum, nisi post confirmationem pontificis, cum autem dicitur concilium generale non posse errare et ejus decreta certam fidem facere, id esse intelligendum, quando absolutum fuerit penitus.* Haec omnia ibi Bellarminus, ex quibus sole clarius manifestum, quod concilia episcoporum, etiam generalia, tum demum non errare ab ipso statuantur, si pontificis Romani auctoritas, instructio et confirmatio accedat. Ceterum ut episcoporum viventium et in concilio congregatorum judicium Romani pontificis auctoritati unice subjiciunt, inque eo solo privilegium non errandi residere atque ab illo in episcopos ac concilia derivari statuunt; ita quoque patrum sive episcoporum demortuorum scripta judicio Romani pontificis unice ac in solidum submittunt. Bellarminus lib. 2. de concil. cap. 12. §. penult.: *Decreta pontificum dicuntur Scripturae sacrae, ut distinguantur a profanis; et canonicae, ut distinguantur a scriptis sacris patrum, quae non sunt regulae nec habent auctoritatem **obligandi**.* Lib. 3. de verb. Dei c. 10. resp. ad arg. 16: *Augustinus et ceteri patres in commentariis fungebantur officio doctorum; at concilia et pontifices funguntur officio judicis a Deo sibi commisso* (si ergo judicium conciliorum submittitur auctoritati pontificis, quanto magis doctorum commentarii). Lib. 2. de pontifice c. 27. §. ult.: *Pontifex nullos in ecclesia habet patres, sed omnes filios, quid vero mirum, si non pater filiis, sed filii patri suo subjiciantur?* (Ergo pontifex tales habet patres, qui edant vocem, non quam pontifex ab illis audire et discere, sed quam pro lubitu suo illis indere et infundere velit, ut patres illi sint νήπιοι atque parvuli, ipse vero pater νηπίων doceatque eos fari, sicut Paulus de Judaeorum praepositis loquitur, quod se magistros fecerint infantium Rom. 2, v. 20.) Duraeus in conf. resp. Witak. rat. 5: *Patres non censentur patres, cum suum aliquid, quod ab ecclesia non acceperunt, vel scribunt, vel docent.* Pistorius in hodeg. p. 51: *Patrum interpretationes tum demum valent, cum eas approbaverit ecclesia* (hoc est, ultima analysis docet, pontifex Romanus). Stapletonus lib. 10. princip. doctr. c. 11. recipiendam esse dicit episcoporum et doctorum ecclesiae interpretationem adhibitis his conditionibus. *1. Si modo in unitate catholica permanserint, id est si auctoritati pontificis se quiete placideque submiserint; 2. si cum suis coëpiscopis consenserint* etc. Sed quid circuitione opus est, cum disertis verbis Pontificii tandem fateantur, infallibilitatem illam sive privilegium non errandi in solo pontifice quaerendum esse? Bellarminus lib. 4. de pontifice c. 1. §. 4: *In disputatione de verbo Dei ostendimus, judicem controversiarum non esse Scripturam sacram, nec seculares principes, nec privatos homines, quamvis probos et doctos, sed ecclesiasticos praelatos. In disputatione vero de conciliis demonstrandum erit, habere quidem concilia, tam generalia quam particularia, judicium de controversiis religionis, sed illud judicium tum demum esse firmum et ratum, cum accesserit summi pontificis confirmatio, proinde ultimum judicium* (nota) *summi pontificis esse.* C. 2. §. penult. non improbat sententiam illorum, XI. 15
qui statuunt, *ipsam infallibilitatem non esse in coetu consiliariorum vel in concilio episcoporum, sed in solo pontifice.* Lib. 1. de clericis c. 7. in resp. ad arg. tertium: *Ecclesia est columna veritatis, quia semper audit Petrum, pro quo Dominus rogavit, ne deficeret ejus fides* (hoc est, quia audit pontificem Petri successorem). Stapletonus relect. princ. fid. doct. controvers. 3. quaest. 6. p. 400: *Circa fidei definitionem et dubii dogmatis determinationem tanta semper fuit Romani pontificis auctoritas, ut unum quodque dogma pontifex Romanus prius damnaverit vel synodo Romana prius ea de re habita, vel per literas suas ad concilium missas, antequam in concilium patres venissent, atque ejus doctrinam ac determinationem reliqui episcopi et concilii patres semper ad amussim secuti fuerint.* Gregorius de Valent. anal. de eccl. p. 207. commendat mercatorem quendam Italum

Digitized by Google

ita discurrentem: *Mecum sic statuo, velle me Pontificiam potius quam Lutheranam religionem amplecti ob illud inprimis, quia illic compendio discere possum veritatem, videlicet si ajo, quod ait pontifex, nego, quod negat pontifex, rursum ait ille, annuo et ego.* Costerus in enchir. controv. in loco de summ. pontif. p. 149: *Penes ecclesiam catholicam est judicium veritatis, sed quod ea per vastum orbem diffusa sine gravissimis incommodis unum in locum coire nequeat, et pro re nata quaestiones difficiles non raro exoriantur, necessum erat, majori compendio Christianorum commodis fideique integritati prospicere. Christus igitur summa sapientia et caritate unum judicavit in ecclesia constituendum nominandumque hominem, cui sic suam praesentiam sanctique Spiritus gratiam addiceret, ut de quaestionibus fidei et religionis decernens nunquam erraret, sed fidem ab apostolis plantatam inviolatam integramque semper conservaret; ad quem in dubiis recurrerent omnes, doctrinam suam ad ejus collimarent et ejus, quem non posse errorem proponere nossent, sententiam sequerentur.* Et postea: *Hunc sane non conveniebat alium esse quam illum hominem, cui cura totius ecclesiae committenda erat, beatum apostolum Petrum ejusque successores* (pontifices Romanos). Baronius in annalibus anno Christi 373. num. 21: *Ex arbitrio Romani pontificis pendet decreta fidei sancire et sancita mutare.* Gregorius de Valent. tom. 3. commentar. in Thomam p. 24. edit. Venet.: *Nomine ecclesiae intelligimus ejus caput Romanum pontificem.* Quo pertinet illud quorundam Scholasticorum assertum, *papam esse ecclesiam virtualiter.*

106. Expendatur vero in examine hujus opinionis 1. quam fallax sit ecclesiam catholicam appellare et solum pontificem Romanum intelligere, cum ipse Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 17. circa finem recte scribat: *Una persona non potest dici ecclesia;* 2. quam ἄτοπον atque absonum sit, omnium dogmatum firmitatem ab unius Romani pontificis auctoritate et judicio arcessere et ultimam fidei Christianae resolutionem in pontificis pectus facere, cum historiae et res ipsa testentur, quales sint plerique illi Romani praesules et quam impura sint pectorum istorum scrinia; 3. quam lubricum constituatur religionis nostrae principium, si in pontificis infallibilitate illud constituatur. Ut enim praetermittam, non posse ex evidente aliquo Scripturae dicto infallibilitatem probari, cum ne unum quidem proferri possit, quod disertam pontificis Romani mentionem faciat, cumque omnia sint a quaestione aliena et nimis longe petita; ut etiam silentio praeteream crassos illos aliquot pontificum errores, quos operosa excusatione palliare conantur; vel hoc solum observari peto, quod ne ipsi quidem Pontificii de infallibilitate illa sive privilegio non errandi pontifici divinitus dato inter se consentiant. Sic enim Bellarminus lib. 4. de pontifice c. 2: *Secunda sententia est, pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum et docere haeresin, si absque generali concilio definiat, et de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur et tuetur Nilus in lib. advers. primat. papae, eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson et Almain in* XI. 181. *libris de potestate ecclesiae, nec non Alphonsus de Castro lib. 1. c. 2. contra haereses et Adrianus VI. papa* (nota) *in quaestione de confirmatione, qui omnes non in pontifice, sed in ecclesia sive in concilio generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.* De hac secunda sententia sub finem capitis Bellarminus pronuntiat, quod *non sit propriе haeretica, cum adhuc tolerentur ab ecclesia, qui eam sequuntur. Tertia sententia est in alio extremo, pontificem non posse ullo modo esse haereticum, nec docere publice haeresin, etiamsi solus rem aliquam definiat. Ita Albertus Piggius lib. 4. hierarch. eccles. c. 8.* De hac sententia sub finem capitis pronuntiat Bellarminus, quod *sit probabilis, non tamen certa. Quarta sententia est, pontificem, sive haereticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire, aliquid haereticum a tota ecclesia credendum.* Hanc opinionem dicit esse *communissimam fere omnium Catholicorum; item certissimam et asserendam.* Recte autem addit Bellarminus particulam *fere*, nam ne haec quidem opinio ab omnibus acceptatur. Glossa in c. a recta 24. quaest. 1: *Certum est, quod papa errare potest.* c. Si papa dist. 40: *Non licet papam reprehendere, nisi inveniatur a fide devius.* Panorm. c. significasti extra de elect.: *Concilium potest damnare papam de haeresi.* Gerson lib. de potest. eccl.: *Tam papa, quam episcopus sunt a fide deviabiles.* **Papa potest errare 1. circa personam; 2. actu externo ob metum mortis; 3. ut privatus homo; 4. facto; 5. ut doctor particularis opionem suam obiter exponendo; 6. occulte propter cupiditatem praesidendi; 7. in casu ab ecclesia nondum definito; 8. interpretative in haeresin consentiendi. Potest etiam exemplo errandi occasionem praebere invitus et coactus falsa decidere, haereticum simulare fidemque catholicam exteriore professione condemnare, quae omnia Bellarminus fatetur et concedit lib. 4. de Rom. pont. c. 8. et seqq. usque ad 15. qui etiam Liberium ab haereseos crimine liberare non valens hanc confessionem edit: *Nisi fateamur, Liberium aliquo tempore defecisse a constantia in fide tuenda, cogimur Felicem II. qui Liberio vivente pontificatum gessit, a numero pontificum excludere, cum tamen hunc ipsum Felicem ut papam et martyrem ecclesia catholica veneretur.* ** Patres concilii Basileensis in epist. synod. 3. dicunt, *se saepius expertos esse et legisse, papam errare.* Cusanus lib. 1. de concord. cathol. c. 15: *Judicium fidei non est semper in nutu unius pontificis definibile, quia haereticus esse potest.* Alphonsus de Castro lib. 1. advers. haeres. c. 2: *Papa in fide errare potest, ut melius sentientes tenent, etiam ex his, qui papatui plurimum favent, inter quos est Innocentius ejus nominis quartus pontifex in capitulo primo de summa Trinitate.* Arborius in theosoph. lib. 4. c. 32: *Papa potest errare in fide, et aberrant illi tota via, qui aliter sentiunt.* Ibidem vocat eos *assentatores, qui eum immunem a lapsu haereseos et*

schismatis dicunt. Genebrardus lib. 4. chronol. p. 807: ***Multi papae fuerunt apostatici.*** Ambrosius Cathar. in c. 2. Galat: *De quolibet alio papa praeter beatum Petrum sit conclusio. Nihil prohibet, papam errare etiam in fide ac deficere, etiamsi quidem novitii scriptores ausi sunt oppositum defendere praeter communem sensum doctorum.* Erasmus in annotat. 1. Cor. 7. p. 327: *Si verum est, quod quidam asseverant, pontificem Romanum errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus conciliis? cur datus appellationi locus vel ad synodum vel ad eundem rectius edoctum?* etc. *qui fit ut pontificis hujus decreta pugnent cum decretis illius?* Quid quod ipse Bellarminus disputat, *an papa haereticus deponi possit* lib. 2. de pontif. c. 30. ubi quinque opiniones Catholicorum enumerat, inter quas amplectitur eam, quae statuit, *papam haereticum manifestum per se desinere esse papam et caput;* atqui si papa potest fieri haereticus manifestus, ubi manet privilegium infallibilitatis? si non potest fieri manifestus haereticus, frustra quaeritur, an in hoc casu ab ecclesia deponi possit. Σοφὸν illud φάρμακον Bellarmini, quod *papa, si fiat haereticus manifestus, per se desinat esse papa*, est plane ἄσοφον, hac enim ratione pronuntiare possem, omnes verae fidei confessores habere privilegium non errandi; quodsi mihi
XI. 152. objiceretur, multos verae fidei confessores fieri manifestos haereticos et ab ecclesia excommunicari, respondere possem eodem modo, tales per se desinere esse verae fidei confessores, ideoque privilegio non errandi ex eo nihil decedere. Quilibet vero mature dispiciat, an fidei suae firmitatem arbitrio illius committere velit, de quo ne illi quidem certi sunt, an privilegio non errandi instructus sit, qui absolute et simpliciter eum a nobis audiendum esse volunt. 4. Expendatur denique etiam istud, quod circulus committatur in hisce disputationibus de privilegio non errandi ecclesiae catholicae Romanae concesso. Quaeritur, *quare ecclesia non erret*, respondet Bellarminus, quia *episcopi seu praelati ecclesiastici non errant.* Quaeritur ulterius, *quare episcopi non errant*, respondet, quia *pontifex Romanus Christi vicarius et Petri successor non errat;* eo enim tandem deveniendum, ut praecedens analysis manifeste ostendit. Jam vero lib. 3. de eccles. c. 10. contrario modo procedit, episcopos scilicet non errare, quia ecclesia non errat. Sic enim scribit: *In episcopis possunt duo considerari. Primo quod locum Christi teneant, et quod propterea debeamus illis obedientiam, et quod ipsi non possint nos decipere in iis, quae necessaria sunt ad salutem. Secundo quod habeant potestatem ordinis et jurisdictionis. Si primo modo considerentur, certi sumus certitudine infallibili, quod isti, quos videmus, sint veri episcopi et pastores nostri. Nam ad hoc non requiritur nec fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum ut habeantur pro talibus ab ecclesia. Cum enim sint episcopi propter ecclesiam, non contra Deus assistit eis, qui pro talibus habentur, ne errent in ecclesia docenda. Itaque sunt illi veri episcopi et pastores non absolute, sed quoad illa tria quae diximus, quod est idem, ac si diceremus, eos non quidem in se esse veros episcopos, sed tamen donec pro talibus habentur ab ecclesia, deberi illis obedientiam, cum conscientia etiam erronea obliget; item tenere eos locum Christi de facto, non de jure, cum reipsa populum Christi nomine regant; denique non posse ab illis ecclesiam decipi, cum ecclesia non possit errare.* Haec omnia Bellarminus. Atqui an non hic est circulus manifestus, ecclesia non potest errare, quia episcopi non possunt errare; vicissim episcopi non possunt errare, quia ecclesia non potest errare?

107. Seposita igitur paulisper opinione Pontificia nostram in hac quaestione sententiam prius confirmabimus, ubi duo nobis demonstranda erunt. 1. Ecclesiam catholicam totam nunquam ita errare, ut non supersint aliqui, qui simplicem verbi ductum sequentes Spiritus sancti directione in veritate et fide sanctificentur ac conserventur, ut retento salutis fundamento Dei virtute per fidem custodiantur ad salutem, licet illi quandoque pauci sint et perturbatissimis ecclesiae temporibus lateant, ut publice coram mundo non cognoscantur. 2. Ecclesiam visibilem et particularem quamvis ecclesiam in fide errare posse et de facto aliquando errasse, si a regula verbi coelestis abeat, a quo errandi periculo nec Romanam ecclesiam, a qua sola tantopere illud amoliri conantur, excipimus. Prius non indiget longa demonstratione, cum ab adversariis concedatur. 1. Promissio Christi Matth. 16, v. 18: *Portae inferorum non praevalebunt adversus ecclesiam*, est externae et immotae veritatis. Jam vero si tota catholica ecclesia involveretur erroribus contra fundamentum pugnantibus, portae inferorum adversus eam praevalerent. 2. Cum Matth. 24, v. 24. tristissimum visibilis ecclesiae statum Christus praediceret, verba sua formavit hoc modo: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, εἰ δυνατὸν, si fieri posset, etiam electi*, quo προσδιορισμῷ innuit, Deum in perturbatissimis ecclesiae temporibus sibi semper conservare aliquos electos, qui erroribus fundamentum salutis evertentibus non involvantur, vel certe finaliter in illis non perseverent, licet errores illi cataclysmi instar visibilis ecclesiae ministerium obruant. 3. Christus promittit, se affuturum ecclesiae II. 1
usque ad consummationem seculi Matth. 28, v. 20. ac apostolus *mortem Domini annuntiare* jubet, *donec ad judicium veniat* 1. Cor. 11, v. 26. Quodsi aliquando nulla prorsus electorum ecclesia superesset, quae fundamentum salutis retineret, interrumperetur haec Christi apud ecclesiam praesentia et efficacia. Quo pertinent similes promissiones postmodum enumerandae. 4. Ubicunque administratur baptismus et capita doctrinae catechetica manent reliqua, ibi aliqua Deo colligitur ecclesia, quia baptismus est sacramentum *regenerationis ac renovationis*, Ephes. 5, v. 26. Tit. 3, v. 5. cujus integritati et efficaciae nihil quidquam decedit ex haeresi administrantis,

Tot ecc cath can err

Digitized by Google

modo substantialia observentur, ut suo loco demonstratum fuit, *ac verbum Dei nunquam redit vacuum* Esa. 55, v. 10. et 11. Jam vero sacramentum baptismi et capita doctrinae catecheticae in perturbatissimo ecclesiae statu fuerunt divinitus conservata. 5. Quemadmodum tempore Eliae Deus sibi *reservavit septem millia, quorum genua non curvaverunt se idolo Baal* 1. Reg. 19, v. 18. ita in magnis ac pene universalibus seductionibus semper sibi servat aliquod semen sanctum atque aliquas reliquias, quas Spiritus sancti directione in veritate sanctificat et deducit in viam rectam. 6. Articulus symboli apostoli, *credo ecclesiam catholicam*, perpetuo manet. Ergo Deus semper sibi servat aliquam ecclesiam, quae fidem catholicam tuetur, dicitur enim ecclesia catholica propter fidem catholicam fundamento prophetarum et apostolorum unice innitentem. Plura argumenta facile formari possunt; pertinent etiam ad hunc locum omnia Scripturae dicta, quae de perpetua ecclesiae catholicae conservatione et perpetua Dei apud illam praesentia loquuntur.

Ecclesiam visibilem errare posse.

108. Posterius membrum, quod ecclesia visibilis errare possit, variis argumentis demonstrari potest. Considerabimus autem primo loco argumenta, quae Bellarminus lib. 3. de ecclesia c. 17. pro nostra sententia adducit eademque dissolvere conatur.

1. Tempore Micheae errabant omnes prophetae 1. Reg. 22.

1. Tempore Micheae prophetae omnes, qui erant quadringenti excepto solo Michea, errarunt 1. Reg. 22. Ergo ecclesia repraesentativa errare potest. Bellarminus excipit, *illos quadringentos prophetas fuisse pseudoprophetas, neque id ignorasse vel ipsum Achab, qui eos consulebat, cum enim rex Josaphat quaereret, non est hic aliquis propheta Domini, per quem interrogemus Dominum? respondit Achab, remansit unus, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi nisi malum.* Addit etiam, *praeter illos quadringentos prophetas in Samaria fuisse in Judaea multos alios prophetas, praesertim vero sacerdotes in Jerusalem, quibus ex officio incumbebat respondere ad consulta de lege Domini.* Respondemus: 1. quadringenti illi prophetae voluerunt omnino videri prophetae Domini. Cum enim Josaphat regi Israëlis diceret v. 5: *Require obsecro hodie verbum Jehovae;* v. 6: *tunc congregavit rex Israël quadringentos illos prophetas*, inde v. 24. Zedekias unus ex quadringentis illis prophetis Micheam sibi adversantem percutit in maxillam dicens: *Quando transivit Spiritus Jehovae a me, ut alloqueretur te?* 2. Rex Josaphat non eo sensu quaerit, an sit aliquis propheta Domini, quasi quadringentos illos non habuerit pro veris prophetis Domini, sed sensu potius contrario, an scilicet praeter illos adhuc alius supersit, sic enim habet textus Hebraeus: *Numquid non hic propheta Domini* עוד, *ultra vel ulterius, et requiramus ab eo?* hoc est num praeter hos superest alius? Si Josaphat pius rex quadringentos illos prophetas non habuisset pro veris prophetis, nunquam fuisset ipsorum consilium secutus, in bellum cum rege Israël proficiscens repudiato Micheae consilio. 3. Manifeste igitur ex hac historia apparet, illos qui pro veris prophetis sese venditant, errare posse, atque ecclesiam non esse ex multitudine aestimandam. Micheas erat solus, illi vero multi, nec minus sancti videbantur, XI. 154.
quam Micheas, nihilominus illi multi errabant. Micheas solus veritatem praedicabat. 4. Si ex Samaria in Judaeam et metropolin ejus Hierosolymam proficiscamur, videbimus corruptelas et errores in eam quoque ecclesiam fuisse receptos. *Josaphat nondum abstulerat excelsa, sed adhuc populus contra legem Dei in illis sacrificia offerebat* 1. Reg. 22, v. 44. Josaphato successit Joram, de quo Elias conqueritur, *quod incesserit per iter regum Israël et fornicari fecerit Judam et habitatores Jerusalem imitatus fornicationem domus Achab* 2. Paral. 21, v. 13. An vero hoc non est errare? 5. Pontificem et sacerdotes Hierosolymitanos in terra Judae non fuisse ab errore immunes, manifeste patet ex eo, *quod ad mandatum Achas regis Judae sacerdos Urias exstruit altare idololatricum ad exemplar et similitudinem ejus, quod rex Damasci viderat* 2. Reg. 16, v. 11. *et quod rex Achaz clauserit januas templi Dei et fecerit altaria in universis angulis Jerusalem* 2. Paral. 28, v. 24. *Temporibus Josiae liber legis in domo Dei inveniebatur* 2. Reg. 22, v. 8. ex quo supina sacerdotum negligentia intelligitur, quod passi fuerint librum legis inter rudera et quisquilias templi delitescere. Quis vero dubitare potest, neglecto et quodammodo amisso legis libro publicos errores in ecclesia regni Judae invaluisse? 6. Tempore Jeremiae sacerdotes Hierosolymitani ex eodem spiritu cum Bellarmino pronuntiabant, quod datum sibi sit non errandi privilegium, ideoque pertinaciter Jeremiae resistebant. *Agite* (inquit populus Jerem. 18, v. 18.) *cogitemus contra Jeremiam cogitationes, non enim peribit lex a sacerdote, nec consilium a sapiente, nec sermo a propheta; agite percutiamus eum lingua et non attendamus ad universos sermones ejus.* c. 20, v. 1: *Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Jeremiam percutit et in carcerem conjicit.* c. 7, v. 4. *provocant ad templum Domini*, id est ad sacerdotium Leviticum divinitus institutum et ad successionem in cathedra Aaronis, interim tamen gravissimos errores foverunt verbum Domini per prophetam annuntiatum repudiantes. c. 26, v. 7. et 8. fit decretum synodale a sacerdotibus, prophetis et universo populo de interficiendo Jeremia, *moriendo morieris* inquiunt. Ergo tunc erravit visibilis ecclesia, sacerdotes scilicet qui officia ecclesiastica gerebant et populus.

2. Esa. 56. v. 10: Speculatores ejus coeci omnes.

109. 2. Esaiae 56, v. 10: *Speculatores ejus coeci omnes, nesciverunt universi.* Ergo ecclesia repraesentativa in sacerdotum multitudine consistens errare potest. Excipit Bellarminus, *verba illa prophetarum esse figurata et dirigi quidem ad omnes, non tamen revera intelligi debere de omnibus, sed de multis.* Respondemus: 1. sane verum est, Deum sibi perpetuo conservare quasdam reliquias sanctorum in corruptissimo visibilis ecclesiae statu Esa. 1,

Digitized by Google

v. 9: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, ipsi Amorrhae similes fuissemus.* c. 24, v. 13: *Ita erit in medio terrae et in medio populorum, ut si quis paucas olivas, quae remanserunt, ex olea decutiat, aut racemationem faciat vindemia consummata.* Soph. 3, v. 12: *Relinquam mihi in medio tui populum pauperem et tenuem, qui sperabit in nomine Domini* etc. Relinquitur interim, quod multitudo illa sacerdotum, quae ecclesiae titulum sibi arrogavit, turpiter erraverit. 2. Id quod emphasis verborum propheticorum manifeste comprobat. v. 10. speculatores ejus coeci *omnes*, nescierunt *universi*. v. 11. *ipsi pastores* ignoraverunt intelligentiam, *omnes* in viam suam declinaverunt etc. 3. Quo referendae sunt similes querelae propheticae, Jerem. 2, v. 8: *Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus, et tractantes legem nescierunt me, et pastores praevaricati sunt in me et prophetae prophetarunt in Baal* etc. c. 5, v. 31: *Prophetae prophetabant mendacium et sacerdotes applaudebant eis.* c. 6, v. 13: *A prophetâ usque ad sacerdotem omnes faciunt mendacium.* c. 8, v. 8: *Quomodo dicitis, sapientes nos sumus et lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum, v. 9: confusi*
XI. 155. *sunt sapientes, verbum enim Domini projecerunt et sapientia nulla in eis est;* v. 10: *a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* c. 10, v. 21: *Stulte egerunt pastores et Dominum non quaesierunt, propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est.* c. 50, v. 6: *Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos feceruntque vagari in montibus.* Ezech. 7, v. 26: *Lex peribit a sacerdote et consilium a senioribus.* c. 22, v. 26: *Sacerdotes violenter oppresserunt legem et polluerunt sanctuaria mea.* quod repetit Zephan. c. 3, v. 4. Malach. 2, v. 7: *Labra sacerdotis custodiant scientiam et legem requirant ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est,* (de jure scilicet tales esse debeant, sed quales fuerint de facto, statim subjicitur) v. 8: *Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi.* Plura vide superius §. 90.

3. Summi sacerdotes in concilio suo Christum condemnarunt.

110. 3. In passione Domini summus sacerdos cum omnibus sacerdotibus et senioribus populi condemnaverunt Christum ipsumque reum mortis esse statuerunt Marci 14. totus etiam populus a sacerdotibus seductus clamavit ad Pilatum: Crucifige eum Marc. 15. Eodem tempore apostoli omnes scandalum passi sunt Matth. 26. Ergo ecclesia visibilis tunc temporis non fuit ab errore immunis. Excipit Bellarminus: *1. Sacerdotes et pontifices non habuisse privilegium non errandi, nisi usque ad tempora Christi, Christo autem docente parum oberat illorum error.* Respondemus: laudamus Bellarminum, quod veritatis fulgore convictus concedit, sacerdotes illos et pontifices non fuisse amplius Dei ecclesiam, nec habuisse infallibilitatem Christo praesente et docente, qua in parte discedit ab Hosio cardinale, qui lib. 2. contra proleg. Brent. asserit, *illos fuisse ecclesiam et concilium illud fuisse legitimum, cui Spiritus s. interfuerit ac praefuerit,* uti etiam a Stapletono, qui lib. 2. de princip. doctr. c. 11. statuit, *paucos illos et obscuros homines, qui in Christum crediderunt eumque secuti sunt, non fuisse ecclesiam, sed totam illam populi multitudinem, quae synagogam et templum venerabatur et quae pontificibus, scribis et Pharisaeis in doctrina fidei et morum obtemperabat.* Discedit etiam à Cano lib. 5. locorum cap. ult. respons. ad argum. 2. et Hardingo resp. ad apolog. Anglic. c. 6. sect. 3. p. 6. Interim autem nondum satisfacturum est nostro argumento, quid enim fiet de temporibus Christi adventum proxime antegressis? an tunc habuerunt sacerdotes et pontifices privilegium non errandi? atqui errores illi, quos Christus in eis taxat, non tunc demum nati et propagati sunt, cum Christus docere inciperet, sed longo tempore duraverant, unde *antiquitatis* pallio ornabantur Matth. 5, v. 21. Sectae illae Pharisaeorum, Saducaeorum et Essenorum Christo docente non erant recentes, sed inveteratae. Praeterea sacerdotes, scribae et Pharisaei, etiamnum post Christi adventum *sedebant in cathedra Moysis* et certo respectu *audiendi* erant Matth. 23, v. 2. Ergo nondum desierat privilegium non errandi tempore Christi, si tale quid accepissent. Lombardus lib. 3. sent. dist. 3. statuit, *in Christi morte demum omnia legalia esse terminata.* Quodsi legalia omnia valuerunt usque ad Christi mortem, ergo sacerdotium, ac proinde quae privilegia ex sacerdotio illi habuerunt, ad mortem usque Christi retinuerunt. (Joh. 11, v. 51. Caiphas a Spiritu sancto vocatur adhuc ἀρχιερεύς.) 2. De populo Bellarminus respondet, *non fuisse omnes Judaeos, sed aliquos tantum et forte minorem partem, cum in ipsa urbe fuerint Nicodemus, Joseph Arimathenus et multi alii, quibus displicebat, et extra urbem in tota Judaea aliqui et in toto orbe terrarum erant plurimi Judaei dispersi, qui nihil sciebant de morte Christi et proinde in vera fide et religione permanebant.* Respondemus: hoc probat, grassantibus corruptelis publicis Deum tamen sibi quosdam electos conservare, interim perstat argumentum nostrum, quod publicum visibilis ecclesiae ministerium tunc temporis fuerit corruptum et gravissimis erroribus deformatum, pauci enim illi, qui rabiem multitudinis contra Christum improbabant, erant occulti, XI. 156.
nec procedebant in medium errores concilii illius damnantes, nec peculiare et publicum divini cultus exercitium ab omnibus corruptelis liberum habebant. Id ipsum dicimus, quando asserimus catholicam ecclesiam totam non involvi erroribus contra fundamentum pugnantibus, interim tamen visibilem ecclesiam errare posse. 3. De discipulis respondet, *non esse probabile, quod fidem amiserint, cum non legantur reprehensi nisi de fide resurrectionis, eam vero non potuerunt amittere, cum nunquam eam habuerint, nisi postquam Dominus resurrexit.* Respondemus: Historia evangelica di-

Digitized by Google

serte de illis testatur, quod errorem communem de terreno ac mundano Christi regno secuti fuerint, itemque de Elia Thesbite in propria persona ante Messiae adventum redituro, inde est, quod in passione Christi gravissimum patiuntur fidei suae scandalum ac magistrum suum turpiter deserunt. Nugatorium est, quod Bellarminus dicit, *apostolos non amisisse fidem resurrectionis, quam nunquam acceperant.* Atqui debebant omnino fidem illam habere et firmiter credere Christi resurrectionem a prophetis et a Christo ipso toties praedictam, si haec ignorantia in apostolis non fuit error, cur quaeso Christus tam graviter eos hoc nomine reprehendit? Quod Bellarminus addit, *Petrum in corde retinuisse fidem ea ipsa nocte, qua Christum abnegavit,* idque ex verbis Christi Luc. 22, v. 32: *Rogavi pro te, ne deficeret fides tua,* demonstrare conatur, id vero nostrum non potest nec debet mereri assensum. Quomodo enim fides cum abnegatione Christi consistere potest? Christum confiteri est fidei, eundem abnegare est perfidiae. *Qui me negaverit coram hominibus*, inquit Christus Matth. 10, v. 33. *negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est. Ex abundantia cordis os loquitur*, inquit idem Matth. 12, v. 34. quid quod ipse Bellarminus sub finem capitis 13. praeced. scribit: *Non sunt boni, nec salvantur, qui non confitentur fidem, sed ea in corde retenta exterius profitentur perfidiam et idololatriam;* cum Rom. 10. dicat apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem* etc. Si illi, qui non confitentur exterius fidem Christi, non possunt esse membra ecclesiae, ut ibidem Bellarminus disputat, quanto minus de illis, qui abnegant fidem, dici potest, quod maneant ecclesiae membra? Quomodo Christus pro Petro rogaverit, ne deficeret ipsius fides, ibidem diserte exponitur, *tu autem conversus confirma fratres tuos*, qua de re in harmonia evangelica dicentur plura. 4. In quibusdam editionibus additur haec exceptio, *apostolos tum temporis nondum fuisse episcopos nisi designatos, sed solum partes ecclesiae materiales, ideoque errare potuisse.* Respondemus: non tantum designati erant apostoli, sed etiam apostolatum ac docendi ministerium jamdum exercuerant, missi erant ad docendum evangelium et instructi potestate faciendorum miraculorum. Praeterea si sacerdotes tunc temporis errarunt, et si apostoli errarunt, quod utrumque concedit Bellarminus, utique non superfuit ministerium aliquod ecclesiae visibilis ab erroribus et corruptelis liberum, id quod sententiae nostrae confirmandae sufficit.

Alia sententiae nostrae argumenta.

111. Haec sunt argumenta illa, quae pro nostra sententia Bellarminus affert et subjicit, *haec satis levia esse, nec magno negotio refelli posse*, quasi vero nec plura nec fortiora superessent argumenta, quam illud est, quod *de unica candela in triduo ante pascha in officio nocturno lucente* ibidem subjicit. Producimus igitur argumenta sequentia: 1. Si ecclesia visibilis in V. T. sub lege potuit errare et foedissime quandoque actu erravit circa fidem, sequitur, etiam N. T. ecclesiae id ipsum contingere posse.

1. Ecclesia V. T. saepius erravit.

Ratio consecutionis haec est, quia illa non minus praeclaras et magnificas promissiones de praesentia, conservatione et protectione divina, quam haec accepit, conditionales tamen omnes, nimirum si verbo divinitus promulgato audientes et obsequentes essent, Levit. 26, v. 11. 2. Paral. 15, v. 2. Psalm. 132, v. 13. Jerem. 7, v. 13. etc. Jam vero ecclesia visibilis V. T. sub lege potuit errare et foedissime quandoque erravit, id quod confirmat diexodus historica superius §. 94. proposita. Ergo etiam ecclesiae N. T. id ipsum contingere potest. Respondere solent, *esse dissimilitudinem promissionum divinarum quoad ecclesiam Israëliticam V. et Christianam N. T.* Pistorius in hodeg. p. 97. Respondemus: non potest ullo Scripturae dicto probari, ecclesiae N. T. absolutas quasdam promissiones esse factas, quinimo non minus sunt conditionales, quam quae V. T. ecclesiae fuerunt datae. Johan. 8. v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Johan. 15, v. 14: *Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis.* 1. Tim. 6, v. 3: *Qui aliter docet et non acquiescit sanis sermonibus Christi et ei quae secundum pietatem est doctrinae, superbus est nihil sciens* etc. Hebr. 3, v. 6: *Domus Dei sumus, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus;* v. 14: *participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.* Johannes illam ecclesiam, in qua dominatur unctio Spiritus, admonet, *ut a seductoribus sibi caveat* 1. epist. 2, v. 18. et v. 24. expresse addit conditionem, *si permanserit in vobis, quod ab initio audivistis, et vos in Filio et Patre permanebitis.* Vide praxin hujus rei in septem ecclesiis Asiaticis Apocalyps. 2. et 3. c. Apostolus Paulus in epistola ad Romanam ecclesiam (quae unice privilegium illud non errandi sibi arrogat) exarata liquidissime ostendit, promissiones ecclesiae N. T. datas non minus esse conditionales, quam promissiones testamenti veteris. Sic enim scribit c. 11, v. 19: *Dices fracti sunt rami, ut ego inserar;* v. 20: *bene, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time;* v. 21: *si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat;* v. 22: *vide ergo bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.* Argumentatur apostolus ab ecclesia Judaica ad ecclesiam Christianam non solum ut a pari, sed etiam ut a majori ad minus. Quo enim uberior est Dei gratia in N. T. et quo illustriores promissiones ecclesiae N. T. datae sunt, eo atrociores poenae et tenebrae densiores contemtoribus verbi sunt exspectandae; quae omnia ex sequentibus erunt clariora.

XI. 157.

112. 2. Si exstant praedictiones divinae de magna quadam et paene universali seductione a fide temporibus Antichristi in N. T. futura, non potest dici, publicum visibilis ecclesiae ministerium in N. T. perpetuo futurum esse incorruptum. Ratio consecutionis est manifesta, quia haec duo, videlicet univer-

2. Exstant praedictiones divinae de magna quadam seductione.

Digitized by Google

salis paene apostasia et incorruptum ecclesiae visibilis ministerium, ἀντιφατικῶς sibi invicem opponuntur. Sed exstant tales praedictiones. Matth. 24, v. 24: *Surgent multi pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi*, quem locum de temporibus Antichristi intelligendum esse Hieronymus in comment. recte admonet. Luc. 18, v. 8: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* quem locum Theophylactus itidem interpretatur de temporibus Antichristi ac dicit, *tunc fore raritatem fidelium et Christum venientem in nubibus non inventurum esse fidem in terra nisi in paucis.* 2. Thess. 2, v. 3: *Non venit dies Domini, nisi venerit prius defectio*, ἡ ἀποστασία (ubi apostolus manifeste loquitur de magna quadam et paene universali apostasia, particulares enim jamdum contigerant complures) *et revelatus fuerit homo ille sceleratus, filius perditionis*, v. 4: *qui est adversarius et effertur supra omnem, qui dicitur Deus aut numen, adeo ut in templo Dei sedeat ostentans, se ipsum esse Deum* (ubi praedicitur in ipso templo Dei, hoc est in ecclesia, Antichristum dominaturum et multos seducturum); v. 9: *cujus adventus secundum operationem Satanae cum omni potentia et signis ac prodigiis mendacibus* (Augustinus lib. 20. de civ. Dei. c. 19. et Chrysostomus hom. 4. in 2. Thess. statuunt, vocari prodigia mendacia *vel quia erunt ementita ac ludi-*
XI. 158. *ficantia, vel quia multos ad mendacium inducent);* v. 10: *quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*, v. 11: *mittet illis Deus ἐνέργειαν τῆς πλάνης, efficaces errores, ut credant mendacio*, v. 12: *ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* 1. Tim. 4, v. 1: *Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis temporibus apostatabunt quidam a fide attendentes spiritibus seductoribus et doctrinis daemoniorum*, v. 2: *in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium conscientiam*, v. 3: *prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit* etc. 2. Tim. 4, v. 3: *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus*, v. 4. *et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* 2. Petr. 2, v. 1: *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis et eum, qui emit eos, Dominum abnegabunt superinducentes sibi celerem perditionem*, v. 2: *et multi sequentur ipsorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.* Apoc. 12, v. 6: *Mulier* (ecclesiae typus) *fugit in solitudinem.* Apoc. 13, v. 8: *Adoraverunt bestiam* (Antichristi typum) *omnes, qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae agni.* v. 16: *Faciet omnes, pusillos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos, habere characterem in dextra manu sua aut in frontibus suis.* Apoc. 17, v. 2: *Cum meretrice illa magna* (Antichristi figura) *fornicati sunt reges terrae et inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.* Apoc. 18, v. 3: *De vino irae scortationis ejus biberunt omnes gentes et reges terrae cum ea scortati sunt et mercatores terrae de virtute divitiarum ejus divites facti sunt.* Hae praedictiones non minus a Spiritu sancto, qui est Spiritus veritatis, sunt editae quam amplissimae illae promissiones ac evidenter docent, fore tempus, quo totius visibilis ecclesiae ministerium publicum futurum sit corruptum, invalescentibus scilicet et grassantibus erroribus publicis in toto orbe. Praeposterum igitur foret, si clausis oculis et auribus eas praeterire velimus et tantum declamitare de promissionibus amplis et illustribus ecclesiae factis, proinde ut olim Judaei clamabant, *templum Domini, templum Domini*, Jerem. 7, v. 4. comminationem interim de templi abjectione metuendam, si inobedientes esse perrexerint, alto silentio involventes.

113. 3. Quicunque monentur, ne errent, et jubentur cavere pseudodoctores, ne seducantur, et propter admissos errores reprehenduntur, ab erroris periculo non sunt immunes. Ratio consecutionis est manifesta, si enim haberent absolutum quoddam non errandi privilegium, frustra tales admonitiones instituerentur. Jam vero ecclesiae particulares monentur, ne errent, jubentur cavere pseudoprophetas, ac propter admissos errores reprehenduntur Matth. 7, v. 15: *Cavete a pseudoprophetis, qui ad vos veniunt in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 24, v. 23: *Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere;* v. 24: *surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae*, v. 25: *ecce praedixi vobis* etc. Act. 20, v. 28: *Attendite vobis ipsis et universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos*, v. 29: *quia intrabunt post discessionem meam lupi graves in vos non parcentes gregi*, v. 30: *et ex vobis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se;* v. 31: *propterea vigilate.* 2. Cor. 11, v. 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* v. 3: *timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit sua astutia, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo.* Galat. 3, v. 1: *O amentes Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati?* 1. Johan. 4, v. 1: *Probate spiritus, an sint ex Deo.* Apoc. 2, v. 5: *Memor esto, unde excideris, et age poenitentiam*, v. 15: *habes tenentes doctrinam Nicolaitarum*, v. 16: *similiter poenitentiam age* etc. *Si excipere velint, curam illam apostoli Pauli et praemonitiones ad singulos fideles, non autem ad integras ecclesias pertinere*, opponimus illis, quod 2. Cor. 11, v. 28. diserte dicat, *curam sibi incumbere de omnibus ecclesiis.* Praeterea quod singulis fide- XI. 159.
libus competit, illud etiam toti ecclesiae, quae est coetus fidelium, tribui potest. Si excipere velint, *aliam esse rationem ecclesiae Romanae quam reliquarum particularium ecclesiarum*, petimus certa hujus diversitatis et privilegii testimonia, ex Scripturis illa nondum potuerunt hactenus proferri. Certe apostolus eadem cura et solicitudine de Romana ecclesia tenetur. Rom. 11, v. 20: *Per incredulitatem fracti sunt* (Judaei), *tu vero fide constitisti, ne efferaris animo*, v. 21: *nam si Deus naturalibus ramis*

3. Ecclesiae particulares monentur ne errent, neve seductoribus aures praebeant.

Digitized by Google

non pepercit, vide ne qua fiat, ut nec tibi parcat; v. 22: *vide igitur bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, alioqui et tu excideris.* (In quem locum sic commentatur Chrysostomus: *Instituit illos tremere, οὐ γὰρ ἀκίνητά σοι μένει τὰ ἀγαθά, ἐὰν ῥαθυμῇς.* Ergo ignotum fuit Chrysostomo, hoc privilegium non errandi Romanae ecclesiae datum.) cap. 16, v. 17. admonet illos, ut *observent eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam didicerunt, faciant, et ab illis declinent.* Neque vanam ac frustraneam fuisse hanc curam et praemonitionem apostolicam facile deprehendet, qui statum ecclesiae Romanae hodiernae cum primaevae ecclesiae Romanae statu, qualis scilicet in epistola illa apostolica describitur, conferre velit. Si excipiant, *Romanae ecclesiae hoc esse singulare privilegium, quod in fide non erret, cum fides illius annuntietur in toto mundo* Rom. 1, v. 8 respondemus, idem praeconium ab apostolo tribui ecclesiae Thessalonicensi 1. Thess. 1, v 8: *A vobis personuit sermo Domini non solum in Macedonia et Achaia, verum etiam in omni loco fides nostra, quae est in Deum, dimanavit;* nihilominus apostolus ex pia solicitudine ad Thessalonicenses scribit 1. epist. 3, v. 5: *Misi ad vos Timotheum, ut cognosceret fidem vestram, ne tentasset vos ille, qui tentat, et inanis factus esset labor noster.* Si excipiant, *Romanam ecclesiam ideo non errare, quia pontifex Romanus Christi vicarius et Petri successor illi praesidet;* respondemus, et multos et magnos Romanorum pontificum errores recenseri posse, unde recte scribit Lyranus in c. 16. Matth. *inventum esse multos pontifices apostatasse a fide.* Marcellinus immolavit ido-
XI. 160. lis, Liberius subscripsit Arianismo, Honorius factus est monotheleta. De tota hac re suo loco plura. Si propter papam Romae residentem Romana ecclesia non potest errare, idem privilegium tribuendum fuerit ecclesiae Avenionensi in Gallia, cum totos annos 70 et amplius papa olim Avenioni fuerit commoratus et ecclesiae illi praesederit. Bellarminus lib. 4. de pont. Rom. c. 4. concedit, *nec ex Scriptura, nec ex traditione probari posse, sedem apostolicam ita fixam esse Romae, ut inde auferri non possit.* Ergo nec privilegium illud non errandi erit certum.

4. Experientia testatur, ecclesiam N. T. errasse.

114. 4. Quod experientia testatur esse factum, de eo frustra disputatur, an fieri possit. Atqui experientia testatur, ecclesiam visibilem et ecclesias particulares in N. T. errasse. Ergo frustra disputatur, an illud fieri possit. Assumtum variis exemplis confirmari potest: 1. Apostoli errarunt sequentes communem errorem de regno Messiae terreno et de reditu Eliae Thesbitis. Duo summi apostoli Petrus et Johannes, postquam Christus ex mortuis resurrexerat, ad monumentum currunt et non invento in eo Christi corpore admirantur, *nondum enim noverant Scripturas,* inquit Johannes c. 20, v. 9. *quod oporteret eum a mortuis resurgere.* Actor. 1, v. 6. ex pervulgato errore omnes quaerunt: *Num hoc tempore restitues regnum Israël?* Post adscensionem Christi et collationem Spiritus s. tota fere visibilis ecclesia ab apostolis collecta de vocatione gentium errat, unde Petrus divina visione admonitus fuit, ut iret ad Cornelium gentilem *μηδὲν διακρινόμενος* Actor. 10, v. 20. ac postmodum cogitur hujus sui facti rationem reddere toti ecclesiae Actor. 11, v. 2. Petrus etiam, quem ecclesiae caput fuisse dicunt, non intelligebat abrogationem legis ceremonialis, unde cibos quosdam adhuc immundos esse statuebat Actor. 10, v. 14. Paulus de eo diserte testatur, *quod non incesserit recto pede, prout evangelii veritati congruebat,* Galat. 2, v. 14. 2. Corinthiorum XI. 161.
ecclesiam errasse ex epistolis Paulinis ad eam scriptis intelligi potest. Erant in ea schismata, quidam enim dicebant, *se esse Pauli, quidam vero se esse Cephae, rursus alii se esse Apollo* 1. Cor. 1, v 10. 12. doctrinae de resurrectione, de libertate Christiana, de sacra coena etc. non constabat amplius sua integritas. 3. Galatarum ecclesiae hoc praeconium tribuit apostolus, quod *Spiritum s. acceperant* Gal. 3, v. 1. et *pulchre currebant* Galat. 5, v. 7. interim tamen de illis dicitur, *quod cito translati fuerint a Christo, qui ipsos per gratiam vocaverat in aliud evangelium* Galat. 1, v. 6. adeo ut metuat apostolus, *ne frustra apud eos laboraverit* Galat. 4. v. 11. Quodsi ecclesia Galatarum, quae Spiritum sanctum acceperat et verbo Dei ab apostolo plantata fuerat, erravit, quidni idem etiam reliquis particularibus ecclesiis contingere posset? 4. De ecclesia Pergami Apoc. 2, v. 15. dicitur, quod *amplexata fuerit doctrinam Nicolaitarum,* de Thyatirensium ecclesia ibidem v. 20. commemoratur, *quod permiserit mulierem Jezabel docere et seducere Dei servos* etc. 5. Ecclesiae orientales hodiernae damnantur ab ecclesia Romana, propterea quod non amplectantur papae primatum, coelibatum sacerdotum, mutilationem coenae Dominicae, purgatorium etc. Aut ergo ecclesiae orientales errant, aut Romana ecclesia errat, quae illas anathematis fulmine propterea percellit.

5 Illorum, qui ecclesiam constituunt, scientia nondum est perfecta.

115. 5. Quorum scientia nondum est perfecta, illi possunt errare. Atqui omnium hominum, qui ecclesiam constituunt, scientia est imperfecta 1. Cor. 13, v. 9: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus.* Ergo omnes, qui ecclesiam constituunt, errare possunt. Monendum tamen, excipiendos hic esse prophetas et apostolos, qui singulare et extraordinarium privilegium non errandi habuerunt, quia *locuti sunt* et scripserunt *φερόμενοι a Spiritu sancto* 2. Petr. 1, v. 21. talis immediata Spiritus sancti assistentia successoribus ipsorum in ministerio ecclesiastico non est data, sed illi non minus quam reliqui credentes alligati sunt ad verbum prophetarum et apostolorum, ut juxta illius normam doceant. Ephes. 2, v. 20. 1. Petr. 4, v. 11. etc. Promissio Spiritus sancti facta quidem est fidelibus, sed sub certa conditione, si scilicet constantes adhaeserint verbo, quod est vehiculum et officina Spiritus sancti. Ut ergo promissio Spiritus sancti fidelibus

Digitized by Google

facta non impedit, quominus errare possint, si a tramite verbi recedant; ita quoque promissio Spiritus sancti facta ecclesiae, itidem non impedit, quominus errare possit, si a regula verbi discedat, qua de re plura inferius. 6. Ecclesia potest peccare. Ergo etiam errare. Consequentia patet, quia ex eodem fonte promanant peccatum et error, videlicet ex naturae corruptione. Error est in intellectu, peccatum in voluntate. Si ergo voluntas nondum ita confirmata est in bono, ut ab omni periculo peccati sit immunis, utique etiam intellectus nondum divino lumine ita plene collustratus est, ut ab omni periculo errandi sit immunis. Peccatum ipsum est quaedam erroris species, quia voluntas errat in electione boni οἰομένως talis prae bono, quod ὄντως tale est. 7. Omnes pastores ecclesiarum errare possunt. Ergo tota visibilis ecclesia errare potest. Consequentia non potest negari ab adversariis, quia statuunt, *ecclesiam ideo non errare, quia sequitur suos pastores*. Ad antecedens quidem respondent, *episcopos singulos si separati sint, errare posse, non autem si in concilio congregentur et pontificis Romani sententiam sequantur.* Atqui demonstrari facili negotio potest, et concilia, et pontifices errare posse ac de facto saepius errasse, qua de re alibi plura. 8. Huc referenda sunt dicta veterum. Augustinus libr. 2. contra Crescon. c. 21: *Paulus dicit, ecclesia subdita est Christo, non igitur debet ecclesia sese Christo praeponere, cum ille semper veraciter judicet, ecclesiastici vero judices ut homines plerumque falluntur.* Serm. 31. de temp.: *Sciendum est, quod ecclesiam credere, non tamen in ecclesiam credere debeamus, quia ecclesia non est Deus, sed domus Dei.* Idem repetit hom. 3. ad Neoph.: *Non quomodo in Deum credimus, sic in ecclesiam catholicam, quae propterea sancta et catholica est, quia recte in Deum credit,* quod allegatur part. 3. decret. dist. 4. c. 73. (Notandum hoc contra Rhemenses, qui eo absurditatis abeunt, ut in annotat. 1. Tim. 3. sect. 9. et in c. 10. Rom. sect. 41. contendant, *in ecclesiam esse credendum.*) Idem Augustinus lib. 4. de bapt. contra Donatist. c. 3. ab episcoporum et conciliorum auctoritate ad Scripturas provocat: *Quis nesciat* (inquit), *sanctam Scripturam canonicam tam V. quam N. T. certis suis terminis contineri eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita praeponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit; episcoporum autem literas, quae post confirmatum canonem vel scriptae sunt, vel scribuntur, reprehendi licere et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctiorumque prudentiam et per concilia, si quid in eis forte a veritate deviatum est.* Et postea subjungit, *provincialia concilia emendari posse per plenaria et plenaria priora per posteriora. Quis nesciat* (inquit), *ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quae fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere ipsaque plenaria saepe priora a posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, et cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegae superbiae, sine ulla inflata cervice arrogantiae, sine ulla contentione lividae invidiae, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana.* Vincentius Lerin. advers. haeres. c. 4. scribit, *non tantum portiunculam aliquam ecclesiae, sed etiam totam ecclesiam novellam aliqua contagione maculari, hoc est errore infici posse.* Foxus in martyr. p. 477. adducit dictum Gualteri Bruti, qui ante 200 annos in Anglia vixit: *Visibilis ecclesiae pastores ac doctores errare omnes possunt, imo Petrus erravit, ideoque a Paulo reprehensus fuit, solae Scripturae non errandi privilegium habent.* 9. Quidam ex ipsis Pontificiis, ut Alensis part. 3. q. ult. art. 2. et Johannes de Turrecremata lib. 1. de eccles. c. 30. lib. 3. c. 61. statuunt, *totam visibilem ecclesiam tempore passionis Christi errasse, ut vera fides in nullo homine praeterquam in sola Maria remanserit.* Bellarminus hoc improbat, sed Dominicus Bannes in 2. 2. Thomae quaest. 1. art. 10. p. 177. monet, *multos huic opinioni calculum addere,* inter quos est Marsilius 2. sent. q. 20. art. 3. et ipse Costerus in tertia nota ecclesiae p. 100. In decret. Gregor. lib. 5. tit. 39. c. 28: *Judicium Dei veritati, quae nec fallit nec fallitur, semper innititur; judicium autem ecclesiae nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere saepe contingit et falli, propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, sit apud ecclesiam solutus.* (Si excipiant, *pontificem loqui de disciplina ecclesiastica, non de doctrina,* opponimus eis, quod Bellarminus demonstraturus, ecclesiam non posse errare, producat locum Matth. 18: Dic ecclesiae, qui locus de disciplina ecclesiastica agit, ut negari nequit.) Disputant Pontificii, *multos esse canonicos V. T. libros, qui non fuerunt in canone Hebraeorum.* Si hoc verum, sequetur, ecclesiam Israëliticam (extra quam non fuit alia visibilis ecclesia) totam gravissime errasse, quod libros illos in canonem non receperit. Est ex illis, qui respondet, *non fuisse libros illos rejectos, licet non fuerint ab ecclesia recepti.* Atqui si ecclesia Israëlitica non recepit illos libros, eo ipso eosdem rejecit, nam qui liber ab ecclesia in canonem non recipitur, ab eadem rejectus intelligitur, ut constat ex Thom. part. 3. q. 59. art. 4: *Spiritualis homo omnia judicat, in quem mens ejus verbo Dei inhaeret.* (Ergo eatenus non errat homo spiritualis, quatenus inhaeret verbo; idem de ecclesia dicimus.) Canus lib. 4. locor. comm. c. 4: *Ecclesia falli et errare potest in quibusdam rebus, in iis nempe, quae non sunt illi a Deo revelatae.* De infallibilitate pontificis (a qua infallibilitatem ecclesiae arcessunt) nondum inter se conveniunt, ut vidimus superius.

6. Ecclesia potest peccare.

7. Omnes pastores ecclesiarum errare possunt. XI. 162.

8. Dicta veterum.

9. Assensus quorundam Pontificiorum.

XI. 163.

116. Expendamus Bellarmini argumenta, quibus demonstrare conatur, ecclesiam absolute et simpli-

Argumenta Bellar-

Digitized by Google

mini, quibus probare conatur ecclesiam non posse errare. 1. Tim. 3. v. 15. Ecclesia est firmamentum et columna veritatis.

citer non posse errare ullo modo lib. 3. de eccles. c. 14. Primo loco profert dictum apostolicum 1. Tim. 3, v. 15. ubi ecclesia vocatur *firmamentum et columna veritatis. Ergo veritas fidei, quoad nos, nititur ecclesiae auctoritate et verum est, quidquid ecclesia probat, falsum, quidquid illa improbat.* Respondemus: et subjectum et praedicatum in hoc dicto apostolico diligenter expendenda sunt. Subjectum est *ecclesia domus Dei;* praedicatum, quod sit *στῦλος καὶ ἑδραίωμα veritatis*. Vocat apostolus ecclesiam *domum* Dei, quia Deus in ea habitat sua gratia per verbum, Joh. 14. v. 23. 1. Cor. 6, v. 19. 2. Cor. 6, v. 16. sicut in V. T. habitabat in tabernaculo et in templo Hierosolymitano Levit. 26, v. 12. 1. Reg. 8, v. 11. vocat etiam *ecclesiam Dei viventis*, quia Deus vita omnium viventium acquisivit eam sibi suo sanguine, eandem ex genere humano colligit, Spiritu suo sancto regit, virtute sua adversus hostium impetus eandem tuetur, inque ea ex verbo agnoscitur, colitur et celebratur, eandemque in vitam et gloriam coelestem ad se olim transferet. De hac domo Dei sive ecclesia pronuntiat apostolus, quod sit *columna et firmamentum veritatis.* Quidam existimant, vocabula *στῦλος καὶ ἑδραίωμα* non usurpari hoc loco in significatione architectonica, sicut columen, sustentaculum, fulcimentum domus dici solet, cum ecclesia sit ipsa Dei domus; sed ratione forensi, prout in curiis et ante praetoria columnae exstant, ad quas leges ac decreta magistratus publica auctoritate appenduntur, de quo usu columnarum tractant Joseph. lib. 1. antiq. c. 4. Plin. lib. 6. nat. histor. c. 29. Alex. ab Alexandr. lib. 3. gen. dier. c. 7. Diceretur ergo ecclesia columna et firmamentum veritatis, quia est publicus custos et testis veritatis. ** *Ecclesia dicitur στῦλος vel columna veritatis non architectonice, ac si veritatem fundet fulciatque, uti columnae domus innititur, sed politice, quatenus ad illam ceu columnam publicam appensae et affixae sunt divinae legis et evangelii tabulae. ἑδραίωμα non fundamentum aut stabilimentum primo, sed sedem, sellam, repositorium proprie notat, ab ἑδραίω colloco, considere facio, unde est ἕδρα, sella, ἑδραῖος, sessilis, ut ita denotetur, ecclesiam esse quasi sedile aut repositorium sacrum, in quo deposita sit religiosa veritas* Meisnerus in depuls. excub. cont. Reihing. p. 20.** Respectu Dei dicitur domus Dei vivi, respectu nostri dicitur firmamentum et columna, hoc est firmissima columna veritatis per figuram ἓν διὰ δυοῖν, eo enim fine depositum doctrinae coelestis in Scripturis sacris ipsi concreditum est, ut publicum de ea ferat testimonium ac provide illud tueatur. ** Ecclesia dicitur columna et stabilimentum veritatis: 1. quia a simplici verbo, quatenus Christi ecclesia est, non discedit; 2. quia suo ministerio veritatem tuetur, praedicat, propagat. Hoc enim doctrinae administrandae munus, quod Deus penes ecclesiam deposuit, unicum est instrumentum asserendae et retinendae veritatis, ne ex hominum memoria pereat; 3. quia non alibi, quam in ecclesia veritas Dei reperitur, cum alibi tenebrae, mendacia, errores, imposturae, superstitiones, vertiginis et stuporis spiritus, omnes denique corruptelae omnia late possideant.** Hanc explicationem uti non improbamus, ita minime adversatur nobis, si columnae vox in significatione architectonica accipiatur, propter additum vocabu- XI. 164.
lum *ἑδραίωμα*. Dicitur ergo ecclesia *firmamentum et columna veritatis*, quia ipsa superstructa super fundamentum prophetarum et apostolorum exsistente summo angulari lapide Christo divinam illam veritatem propheticis et apostolicis scripturis comprehensam instar columnae suo ministerio suffulcit, inter homines sustentat, interpretatur, custodit, ab interitu vendicat, ad posteros fideliter transmittit et omnibus commendat, ut inde, non aliunde rationem consequendae salutis discant. ** Sumta est locutionis formula a templo (hoc enim *domus Dei* dicebatur), quod Hierosolymis olim fuit non solum peristyliis exornatum, sed etiam columnis et sustentaculis firmatum, quae τὸ ὑπερῷον ab hiatu et dilapsu tutum praestabant, ut sacerdotes vices suas obire, sacra peragere possent, sicque coelestis veritas et cultus Dei propagari et conservari posset. Easdem partes ecclesia, quae est domus Dei, sustinet circa coelestis veritatis a Christo revelatae doctrinam ejusque confessionem, professionem, publicationem, ut fideles instar columnarum stabiles persistant, aedificati super petram seu fundamentum unicum, quod est Christus. Ut columnae non suppeditarunt fundamentum templo, sic nec ecclesia coelesti veritati.** Est igitur columna ὀργανικῶς confessione, custodia, professione et testimonio doctrinae coelestis praeclari depositi instar sibi commendatae. Bellarminus huic interpretationi opponit quinque membra: *1. Si ecclesia diceretur columna et firmamentum veritatis, quia conservat tanquam fidissima custos praedicationem verbi Dei scripti, hoc modo etiam officinae librariorum essent columnae veritatis, quae diligentissime custodiunt omnes Scripturas.* Respondemus: ecclesia non solum ratione custodiae, sed etiam ratione praedicationis, professionis et publici testimonii dicitur veritatis columna, quia Deus ejus opera et ministerio utitur in conservanda et propaganda doctrina coelesti. Quando igitur ecclesia dicitur custos veritatis, intelligitur non mutus aliquis, sed vivus custos, unde etiam vocatur testis veritatis; intelligitur etiam non privatus, sed publicus et solenni auctoritate munitus testis. *2. Apostolus non meminit Scripturarum, sed simpliciter dicit, ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis.* Respondemus: imo vero Paulus expresse praemittit: *Haec scripsi, ut noris, quomodo opporteat te versari in domo Dei.* Ergo non remittit Timotheum ad ecclesiam, quasi ab ea veritas unice dependeat, sed ad verbum Dei, quod est unica veritatis regula. Deinde si vel maxime hoc loco non fieret explicita mentio verbi scripti, tamen in aliis Scripturae locis illud diserte fieri constat. Esai. 8, v. 20: *Ad legem et ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Joh. 5, v. 39: *Scrutamini Scripturas, illae sunt, quae testificantur de me,*

Digitized by Google

Joh. 17, v. 17: *Conserva eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Ephes. 2, v. 20: *Superaedificati estis super fundamentum prophetarum et apostolorum ipso summo lapide angulari exsistente Christo Jesu.* 2. Petr. 1, v. 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae* etc. Haec et similia dicta manifeste ostendunt, Scripturam esse normam ac regulam veritatis coelestis, quam ecclesia columnae instar ministerio suo conservat. *3. Multo amplius est esse columnam quam simplicem custodem, nam columnae innititur domus et ea remota cadit. Apostolus ergo vocans ecclesiam columnam veritatis, vult significare, veritatem fidei quoad nos niti ecclesiae auctoritate et verum esse quidquid ecclesia probat, falsum quidquid illa improbat,* cum quo convenit, quod Costerus in enchir. c. de privil. ecclesiae scribit, *ecclesiam auctoritatem veritati praebere.* Respondemus: quaedam columnae domus eriguntur ornatus causa, ideo non est universaliter verum Bellarmini pronuntiatum, *quod domus columnae innitatur et ea remota cadat.* Sed damus, apostolum hic loqui de columna sustentationis, non autem simplicis ornatus causa *erecta*, addit
XI. 165. enim vocem *ἑδραίωμα;* dabit autem vicissim nobis Bellarminus, aliud esse fundamentum, aliud vero columnam, quae fundamento innititur. Ecclesia non dicitur fundamentum, *sed columna et firmamentum,* non θεμέλιον, sed στῦλος καὶ ἑδραίωμα, quia ecclesia non πρώτως ac primario sustentat spirituale illud aedificium, sed ipsa quoque in fundamento sustentatur. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus* 1. Cor. 3, v. 11. hic est *petra illa* firmissima, *super quam aedificata est ecclesia* Matth. 16, v. 18. *hic est lapis angularis et fundamentalis, cui cives ecclesiae velut vivi lapides superaedificantur* Ps. 118. v. 22. Matth. 21, v. 42. Act. 4, v. 11. Rom. 9, v. 33. 1. Petr. 2, v. 7. Porro cum doctrina de Christo in scripturis propheticis et apostolicis nobis proponatur, ideo ipsi prophetae et apostoli dicuntur fundamentum ecclesiae ministeriale, scilicet non ratione personae, sed ratione doctrinae et testimonii de Christo. Ephes. 2, v. 20: *Exstructi estis super fundamentum prophetarum et apostolorum lapide angulari summo exsistente ipso Christo,* v. 21: *in quo omnis aedificatio crescit in templum sanctum in Domino,* v. 22: *in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu s.* Apoc. 21, v. 14: *Murus civitatis sanctae habet duodecim fundamenta et in ipsis nomina duodecim apostolorum agni.* Unde Irenaeus lib. 3. c. 1. scripta apostolorum fundamentum et columnam fidei vocat. *Non per alios* (inquit) *dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* C. 11. ejusd. libr.: *Columna et firmamentum ecclesiae est evangelium et Spiritus vitae.* Tertullianus lib. de praescript. dicit, *ecclesiae commissam esse hereditatem Scripturarum.* Chrysostomus hom. 10. h. l. ἡ ἀλήθειά ἐστι τῆς ἐκκλησίας καὶ στῦλος καὶ ἑδραίωμα. Beda lib. 1. in Joh. c. 12: *Fundamentum ecclesiae est in soliditate fidei apostolorum et prophetarum.* Relinquitur ergo, quod ecclesia non sit veritatis fundamentum, sed columna et firmamentum; quodque non sit firmamentum veritatis absolute et primo, sed κατά τι et certa limitatione, quatenus scilicet et ipsa veritati coelesti in scriptis propheticis et apostolicis comprehensae velut fundamento ac basi unice innititur, quia columna non suffulcit ac sustentat fundamentum, sed fundamento unice innititur ab eoque omnem suam firmitatem accipit. Proinde fidei Christianae veritas ac firmitas non nititur vel unice vel primario ecclesiae auctoritate, sed potius veritate et immobilitate doctrinae coelestis in propheticis et apostolicis scriptis comprehensae, ad hanc enim normam exigenda sunt dogmata, quae in ecclesia proponuntur et quidquid ab ea discrepat, non est recipiendum vel acceptandum. Ecclesia est columna et firmamentum veritatis non primo, non simpliciter et absolute, sed secundario secundum quid et relate, nempe *relatione ad nos,* ut Thomas Aquin. in hoc loco observavit, quia velut pulcherrima et firmissima quaedam columna stat super fundamento Christo Jesu in prophetarum et apostolorum scriptis nobis monstrato et doctrinam illam de Christo nobis ostendit, exponit, ab interitu vendicat, a mendaciis et erroribus discernit, ad posteritatem propagat atque ita ministerio suo fulcit, sustentat et conservat. Sed ex eo non potest inferri, quod simpliciter et absolute loquendo veritas fidei nitatur ecclesiae auctoritate, et quod verum sit, quidquid probat ecclesia, falsum, quidquid improbat, quia ut columna fundamento nititur, sic ecclesiae fundamentum est Christus, vel quod idem est doctrina de Christo in propheticis et apostolicis scriptis comprehensa, quidquid cum hac norma pugnat, id velut repugnans fundamento rejiciendum. Breviter, ecclesia stabilit et suffulcit veritatem, non quod eam gignat et omnem auctoritatem ei conferat, sed quia de illa testatur et publice eam confitetur, proponit ac commendat, sicut Hieronymus in hoc loco scribit *in qua sola* (ecclesia) *stat veritas.* Ergo quod ecclesia dicitur stabilimentum et firmamentum veritatis, accipiendum hoc sensu, quod veritas stet XI. 166.
in ecclesia et quod ecclesia de veritate testimonium ferat, sicut sanctificare in Scripturis dicitur de sanctitate testificari. *4. Ecclesia fuit columna, quando non erant Scripturae ex quo sequitur, non dici columnam propter custodiam Scripturarum.* Respondemus: Scripturae appellatione intelligimus verbum Dei in Scripturas redactum, id vero idem est cum verbo Dei, antequam scriberetur, praedicato. Scribi vel praedicari sunt externa accidentia, quae non mutant ipsam essentiam, hoc est non introducunt reale essentiale quoddam discrimen inter verbum Dei praedicatum et scriptum. *Quod apostoli praeconiaverunt, illud ipsum postea* (et non aliud) *in Scripturas redegerunt,* inquit Irenaeus loco proxime

Digitized by Google

citato. *Quod vidimus et audivimus, id annuntiamus vobis et haec scribimus vobis*, inquit Joh. 1. epist. 1, v. 3. inde doctrina prophetica promiscue allegatur hisce formulis: *dictum est* Matth. 1, v. 22. c. 2, v. 15. c. 4, v. 14. etc. *et scriptum est* Matth. 4, v. 4. *dicit Scriptura* Joh. 7, v. 38. Rom. 10, v. 11. etc. qua de re alibi plura. Referenda huc distinctio inter materiale et formale, Scripturarum nomine non tam intelligimus formale ipsum, scilicet opus scriptionis et characteris literarum, quam materiale illud ipsum, scilicet quod scribitur, puta verbum Dei divinitus inspiratum. *5. Si de custodia ageretur, melius arcae quam columnae Paulus comparasset ecclesiam, nec enim columnae, sed arcae libros custodiunt.* Respondemus: repetantur ea, quae hactenus diximus praesertim ad primam ἔνστασιν de officinis librariorum.

Contra ipsos Pontificios urgeri potest illud dictum.

117. Ex his facile apparet, quam omnino nullum in hoc loco apostolico Pontificii invenire possint praesidium, quem tamen identidem ac perpetuo nobis opponunt adeoque omnem spem victoriae in eo collocant. Primo enim praeclarum illud encomium, quod ecclesia sit *columna et firmamentum veritatis*, tribuitur quidem toti ecclesiae visibili, interim tamen primo, praecipue ac proprie competit *ecclesiae praedestinatae et ante mundi constitutionem electae*, ut loquitur Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 8. in princ. hoc est congregationi sanctorum et electorum in visibili ecclesia; *saepe enim Scriptura per figuram intellectionis (συνεκδοχήν) attribuit aliquid toti, quod solum convenit parti*, quam regulam in doctrina de ecclesia apprime observandam proponit ipse Bellarminus lib. 3. de eccl. c. 7. §. 10. de illa enim ecclesia apostolus loquitur, *quae est domus Dei*, quae nihil aliud est quam *lapides vivi superaedificati Christo, domus spiritualis* 1. Petr. 2, v. 5. de quibus Paulus 2. Tim. 2, v. 19. dicit: *Solidum stat fundamentum Dei habens signaculum hoc, novit Dominus, qui sint sui.* Haec catholica sanctorum ecclesia seu *coetus electorum Dei filiorum*, ut Thomas hoc loco scribit, est columna et firmamentum veritatis, ratione officii quia columnae instar veritati coelesti firmiter innititur, nec ab ea vel blanditiis sese avelli patitur, sed eandem aliis et ministerio et exemplo suo proponit. 2. Si ad visibilem et particularem ecclesiam hoc praeconium apostolicum referatur, (quod nobis non adversatur, quia Paulus haec ad Timotheum scribit de visibili et particulari ecclesia, in qua versabatur et cujus episcopus erat constitutus, atque instruit eum, quomodo in ea versari debeat) necessario subjectum propositionis est limitandum et respectus aliquis ad fundamentum, hoc est doctrinam propheticam et apostolicam, est addendus hoc sensu: *Ecclesia est firmamentum et columna veritatis*, scilicet quatenus conservat ac tuetur veritatem doctrinae coelestis in scripturis propheticis et apostolicis comprehensam eique tanquam fundamento unice inhaeret et innititur. Hanc limitationem et hunc respectum necessario addendum esse demonstramus primo ex aliis Scripturae dictis Esa. 8, v. 20. Joh. 17, v. 17. Eph. 2, v. 20. etc. Inde apostolus de ecclesia Israëlitica disserens affirmat, illis *concredita esse eloquia Dei* Rom. 3, v. 2. ut ostendat, ecclesiam dici firmamentum et columnam veritatis ab eloquiis Dei, quae ipsi sunt concredita, hoc est quia Dei eloquia scripto comprehensa custodit, interpretatur, ad posteros propagat etc. XI. 167.
Secundo ex ipsis verbis apostoli. *Haec scribo tibi* (inquit), *ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei versari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Sensus axiomatis apostolici est compositus, proinde non est divise accipiendus, hoc est apostolus ipse limitat et certa ratione circumscribit subjectum, proinde haec limitatio et circumscriptio non est omittenda. Ecclesia, quae est domus Dei, illa inquam ecclesia est columna et firmamentum veritatis; limitat igitur apostolus subjectum, non loquitur de quavis ecclesia seu congregatione, nec loquitur de ecclesia Christiana quovis modo se habente, sed de ecclesia, quae est *domus Dei*, hoc est quatenus est Dei domus, quatenus Deus in ea sua gratia habitat per verbum, quatenus per sceptrum regni sui, per evangelium eam gubernat et in verbo per Spiritum sanctum docet, hoc est loquitur de ecclesia, quae est coetus hominum unice verbum Dei amplectentium ab eoque ne latum quidem unguem discedentium. Joh. 14, v. 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Hebr. 3, v. 6: *Domus Dei sumus, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Tertio subjectum propositionis cum hac limitatione et respectu accipiendum esse, demonstramus exemplo Petri, qui itidem vocatur columna Galat. 2, v. 9. neque tamen ab omni omnino errore absolute et simpliciter immunis exstitit. Quarto ex re ipsa. Loquitur apostolus nominatim de ecclesia Ephesina, cui tum praeerat Timotheus. Atqui de illa non potest nec potuit dici, quod simpliciter et absolute loquendo fuerit columna et firmamentum veritatis, siquidem Act. 20, v. 29. gravissimis verbis apostolus ecclesiae illius presbyteros admonet de futuris in ea falsis doctoribus. *Hoc scio*, inquit, *quod post discessum meum intrabunt lupi graves in vos non parcentes gregi et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*, quam praedictionem comprobavit eventus, quia Apoc. 2, v. 4. de ecclesiae Ephesinae episcopo dicitur: *Habeo adversum te, quod caritatem primam reliqueris;* v. 5: *memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam et opera prima fac; sin minus, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.* Ac testatur historia ecclesiastica, in Ephesina ecclesia publica synodo orthodoxam doctrinam de duabus in Christo naturis fuisse damnatam et haeresin Eutychetis approbatam anno Christi 449. Evagrius libr. 1. hist. c. 10. Nicephorus libr. 14. c. 47. 3. Plus concludit argumentum adversariorum ex hoc loco deductum, quam praemissae concedunt. Apostolus ecclesiam vocat *firmamentum et columnam veritatis*, quia ministerio suo coelestis doctrinae veri-

Digitized by Google

tatem divinitus revelatam et in Scripturis sacris propositam, inter homines sustentat, propagat, commendat, tuetur etc. nec uspiam veritas doctrinae coelestis nisi in ecclesia invenitur, conservatur et locum habet; sed ex eo non potest inferri, ergo quidquid in ecclesia proponitur est veritas, quia in agro Dominico una cum tritico inveniuntur etiam zizania et puritati doctrinae quandoque admiscetur fermentum traditionum humanarum et corruptelarum pharisaicarum. 4. De illa ecclesia apostolus loquitur, quae est congregatio fidelium, ut patet ex contextu, praescribit enim Timotheo, quomodo *versari debeat in ecclesia*, hoc est in coetu pastorum et auditorum, quibus Timotheus praefectus erat episcopus. Ergo non potest ex hoc loco colligi, *quod veritas fidei nitatur auctoritate ecclesiae et quod verum sit, quidquid ecclesia probat*, ut Bellarminus loquitur. Ratio est, quia auctoritatem illam statuendi ac decernendi Pontificii non tribuunt congregationi fidelium, sed praelatis et episcopis, imo ut superior analysis ostendit, soli pontifici Romano. Quare cum tota ecclesia dicatur firmamentum et columna veritatis, non obtrudant nobis amplius unum pontificem Romanum pro infallibili et unico veritatis firmamento. 5. Denique ex hoc loco contra Pontificios argumentamur
XI. 168. hoc modo. Vera Dei ecclesia est *columna et firmamentum veritatis*. Romana ecclesia hodierna non est columna et firmamentum veritatis, sed *mater haeresium et schola errorum*, ut Petrarcha epist. 20. eam appellat et ex collatione dogmatum, quae in ecclesia Romana proponuntur ac defenduntur, cum Scripturis sacris liquidissime intelligitur. Ergo Romana ecclesia hodierna non est vera Dei ecclesia. Habet quidem adhuc libros sacros et quaedam doctrinae capita sana et incorrupta, retinet adhuc baptismum etc. unde in medio ecclesiae Romanae gremio Deus sibi servat suos electos, interim tamen publicum ministerium in ea horribiliter est corruptum, quia in multis capitibus pro veritate mendacium, pro doctrina Christi fermentum Antichristi, pro vero Dei cultu idololatriam proponit et magna credulitate propugnat.

2. Christus est ecclesiae caput ac sponsus, qui eam non patitur errare.

118. Secundum Bellarmini argumentum tale est: *Ecclesia gubernata a Christo tanquam a sponso et capite suo et a Spiritu sancto tanquam ab anima.* Eph. 1, v. 22: *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius.* c. 4, v. 4: *Unum corpus et unus Spiritus.* c. 5, v. 23: *Vir est caput mulieris, sicut Christus caput ecclesiae. Ergo si ecclesia in dogmatibus fidei vel morum erraret, Christo et Spiritui sancto error tribueretur, quocirca* Joh. 16, v. 13. *Christus dicit: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Respondemus: 1. Ecclesia eatenus et tamdiu Spiritum directorem habet, quatenus et quamdiu verbum Dei audit, retinet ac conservat, quia Spiritus sanctus individuo nexu cum verbo conjunctus ac mediante illo ducit ac regit ecclesiam; quatenus ergo ecclesia verbum sequitur, eatenus Spiritu sancto regitur et eatenus non errat. Esa. 59, v. 21: *Hoc pactum cum eis, dicit Jehova, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui.* 2. Cor. 3. v. 8. verbi praedicatio appellatur *ministerium Spiritus.* Joh. 8, v. 31: *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis et cognoscetis veritatem et veritas liberos reddet vos.* Joh. 14, v. 26: *Spiritus paracletus suggeret vobis omnia, quae locutus sum vobis.* Joh. 15, v. 13: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semet ipso, sed quaecunque audiet, loquetur;* v. 14: *ille me clarificabit, de meo enim accipiet et annunciabit vobis.* Joh. 17, v. 17: *Conserva eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Quo pertinet dictum Chrysostomi serm. de adorando Spiritu: *Multi Spiritum Christi jactitant, sed quia propria loquuntur, falso illum praetendunt. Ut enim Christus non a se ipso loqui se testabatur, quia ex lege loquebatur et prophetis; ita si quid praeter evangelium sub titulo Spiritus obtruditur, nec credamus. Nam sicut Christus legis et prophetarum impletio est, ita Spiritus evangelii.* 2. Spiritus s. perpetuo praesens est sua gratia in ecclesia eamque regit, sed ex eo non potest inferri, quod illi, qui ecclesiae titulum sibi arrogant et Spiritus assistentiam perpetuam jactitant, errare non possint. Spiritus s. non est alligatus ad episcoporum successionem, vel ad Romani pontificis sedem, ut illos in conciliis congregatos, hunc vero in papali sua sede ab erroribus immunes praestet, etiamsi a verbo Dei in Scripturis revelato discedant; sed nihilominus praesentia et assistentia Spiritus s. in ecclesia perpetua conservatur, si vel maxime pontifex Romanus et episcopi errent, quia promissio de praesentia illa Spiritus sancti in ecclesia perpetua impletur eo modo, quod Spiritus sanctus aliquos in veritate et fide sanctificat, qui retento salutis fundamento per fidem custodiuntur ad salutem, licet visibilis ecclesiae ministerium sit corruptum, id quod ex statu ecclesiae, qualis fuit temporibus Eliae et Christi evidenter demonstrari potest. 3. Quia solas Spiritus s. primitias in hac vita accipimus, nec intellectus noster Spiritus sancti lumine ita plene ac perfecte collustratur, ut omnis vetustas carnis aboleatur, ideo Spiritus sancti regimen et illustratio ecclesiam non reddit ab errandi
periculo immunem, sed requiritur, ut ecclesia sequa- XI. 169.
tur ductum ac veluti χειραγωγίαν Spiritus attendendo luci verbi coelestis, a qua si vel minima ex parte abeat, tenebras incurrit. 4. Christus est ecclesiae sponsus et caput, quatenus ecclesia tanquam fidelis sponsa vocem sponsi sui audit eidemque obsequitur, inde apostolus Eph. 5, v. 24. dicit, *ecclesiam esse Christo subjectam, sicut uxor viro suo.* ** *1. Ecclesia, quae proprie Christi sponsa dicitur, eorum est, qui Christo vera fide constanter adhaerent. Et propter hos externo coetui admixtos etiam visibilis ecclesia synecdochice dicitur* sancta Christi sponsa, *quia videlicet hic est divinae vocationis finis, ut sanctificemur. 2. Praesentia, gubernatio et institutio ecclesiae referuntur vel ad conservationem externi status ecclesiastici, de quo dicimus,* Deum nunquam

Digitized by Google

promisisse,* quod ecclesiam N. T. quoad statum externum semper florentem conservare velit, imo contrarium praedixisse, quod sub Antichristi ἀποστασίᾳ miserrimam servitutem sit passura; *vel referuntur ad internam credentium institutionem et gubernationem, atque sic verissimum est*, Christum et Spiritum s. piis et electis sub regno Antichristi semper adfuisse duces et doctores, ne in errores seducerentur aut seducti in eisdem perseverarent ac perirent. *3. Spiritus s. ipsi ministerio externo episcoporum et presbyterorum in ecclesia quantumvis corrupto fuit praesens et per organa a Deo instituta, ut baptismum et verbum Dei, regenuit, sanctificavit et conservavit vere credentes ad vitam aeternam.* Rung. in c. 33. Exodi.** Quemadmodum vero uxor fidem frangens marito et adulterium committens a marito repudiatur; sic Deus ecclesiae adulterae, id est idololatriam sectanti, dat libellum repudii, Esai. 1, v. 21: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* Jerem. 3, v. 8: *Vidit praevaricatrix Juda* (ecclesia in regno Judae), *quod cum soror ejus Israël* (ecclesia in regno Israël) *moechata esset, dimisissem eam et dedissem ei libellum repudii et non timuit, sed abiit et fornicata est etiam ipsa* etc. 5. Si ex eo, quod Christus sit sponsus ecclesiae, inferri posset, ecclesiae competere liberam et absolutam potestatem statuendi quidquid velit itemque privilegium non errandi, consequens foret, apostolum Eph. 5. hanc similitudinem conjugii terreni et spiritualis male applicasse. Consequens est absurdum. Ergo et antecedens. Connexio probatur, quia apostolus dicit, *sicut ecclesia subjecta est Christo, ita quoque uxores viris suis subditas esse.* Finge, ecclesiam habere liberam et absolutam potestatem statuendi quidquid velit et absolutum aliquod non errandi privilegium, sequetur, talem potestatem ac tale privilegium in re oeconomica etiam competere uxoribus, liberum igitur illis erit, praeter mariti voluntatem in oeconomia proprio arbitrio quippiam statuere, mandata mariti abrogare adeoque pro libitu omnia agere. Egregia vero obedientia uxoribus ac apostolo praescripta! 6. Si ex eo, quod Christus sit ecclesiae sponsus et quod ecclesia regatur a Spiritu sancto, inferri posset, ecclesiam absolute et simpliciter non posse errare, consequens foret, singulos fideles ab errandi periculo immunes esse. Ratio connexionis est, quia Christus est cujusvis fidelis animae sponsus et quisvis vere fidelis regitur a Spiritu sancto. Sed consequens negatur ab adversariis. Ergo nec antecedens amplecti debent. 7. Si ex eo, quod Christus est ecclesiae sponsus et quod ecclesia regitur a Spiritu sancto, inferri posset, ecclesiam absolute loquendo non posse errare, consequens foret, ecclesiam etiam non posse peccare. Ratio connexionis est, quia peccandi periculum non minus in Christum et Spiritum sanctum redundare videtur, quam periculum errandi. Proinde ut Bellarminus colligit: Si ecclesia in dogmatibus fidei vel morum erraret, Christo et Spiritui sancto error tribueretur; ita pari ratione colligere possumus: Si ecclesia peccaret, Christo et Spiritui sancto peccatum tribueretur. 8. Si ex eo, quod Christus est ecclesiae sponsus et Spiritus sanctus rector, recte colligitur, ecclesiae non posse tribui errorem, sequetur, nec ignorantiam ecclesiae tribui posse. Ratio connexionis est manifesta. Si enim ex hypothesi colletionis Bellarminianae error tribueretur ipsi Christo et Spiritu sancto, quando ecclesia errare diceretur, utique etiam ipsi Christo et Spiritui sancto ignorantia tribueretur, quando ecclesia quippiam XI. 170.
ignorare diceretur. Atqui concedunt adversarii, ecclesiam posse peccare et aliquid ignorare, idque sine Christi et Spiritus sancti contumelia. Ergo concedant etiam, ecclesiam posse errare praesertim in illis, quae non sunt simpliciter ad salutem necessaria. 9. Sed regerit Bellarminus: *Sicut vir, qui est caput mulieris, non tenetur removere ab uxore omnem ignorantiam, tenetur tamen removere omnem errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur; ita Christus tenetur removere omnem errorem ab ecclesia, ex quo magnum oritur malum, talis autem est omnis error circa fidem.* Respondemus: ut ecclesia non desinit esse Christi sponsa, licet naevis quibusdam peccatorum laboret, sic nec desinit esse ecclesia, licet erroribus quibusdam involvatur. Quod si errores contra fundamentum pugnantes amplectatur, tunc desinit esse ecclesia et in hoc casu tam non tenetur Christus ab ecclesia omnem errorem removere, quam maritus non tenetur ab uxore rebelli et refractaria errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur, removere. 2. Thess. 2, v. 11: *Quia caritatem veritatis non receperunt, mittet illis Deus efficaciam erroris.* 10. Promissio Christi Joh. 16, v. 13: *Spiritus veritatis ducet vos in omnem veritatem*, proprie et principaliter ad apostolos pertinet, qui cum immediatam Spiritus sancti assistentiam habuerint, in doctrina fidei errare non potuerunt; ad reliquos fideles haec promissio eatenus pertinet, quatenus doctrinae apostolorum in Scripturis sacris propositae unice adhaerent et insistunt. 11. Denique num solius Romanae ecclesiae caput et sponsus Christus est? num soli Romanae ecclesiae illud competit, quod sit unum corpus, unus Spiritus? minime vero, sed certa ratione omnibus particularibus ecclesiis illud competit. Jam vero concedunt adversarii, omnes ecclesias particulares sola Romana excepta errare posse. Ergo ex his dictis non possunt privilegium aliquod speciale non errandi elicere, alias omnibus particularibus ecclesiis illud foret commune.

3. Obligamur ad credendum ecclesiae.

119. Prodeat tertium Bellarmini argumentum: *Obligamur sub anathematis poena credere ecclesiae in omnibus, ut patet Matth. 18: Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus; et concilia omnia dicunt anathema non assentientibus ecclesiae decretis. At iniquum esset sub tam gravi poena obligari ad assentiendum rebus incertis et interdum falsis.* Respondemus: 1. dictum Christi Matth. 18, v. 17. proprie agit de censuris ecclesiasticis et de correctione peccatorum, non autem de doctrina fidei. Ostendit hoc series contextus: *Si*

Digitized by Google

peccaverit in te frater tuus (inquit Christus), *vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic ecclesiae. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est talis refractarius ab ecclesia excommunicetur, statim enim subjungitur, *quidquid ligaveritis in terra, erit ligatum in coelo.* 2. Ex quo ulterius colligitur, dictum Christi de qualibet peculiari ecclesia, imo de episcopis et praepositis cujuslibet particularis ecclesiae intelligendum esse, quia quaelibet particularis ecclesia, imo quilibet particularis ecclesiae praepositi in illis morum censuris audiri debent, jam vero negari nequit, particulares ecclesias et particularis ecclesiae praepositos errare posse, ergo et hoc respectu dictum Christi a proposita quaestione est alienum. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei c. 5. §. 2: *Loquitur Dominus de injuriis, quas unus ab aliquo patitur.* Et postea: *Non potest fieri, ut peccantes deferantur ad congregationem omnium fidelium, igitur nomine ecclesiae intelligi debet praelatus, ut Chrysostomus exponit, vel ut alii malunt, praelatorum congregatio.* Lib. 1. de pontif. Roman. c. 6. §. 17. improbat sententiam eorum, qui ex hoc dicto colligere volunt, *summum tribunal ecclesiae penes fidelium universitatem esse constitutum et ecclesiae nomine dicit intelligendum esse praesulem.* 3. In
XI. 171. censuris ecclesiasticis episcopos errare posse Bellarminus non audebit inficias ire. Atqui si ex hoc dicto Christi quoddam non errandi privilegium deduci posset, consequens foret, episcopos in censuris illis non posse errare. Hieronymus in c. 16. Matthaei: *Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisaeorum sumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur.* Lombardus 4. sent. dist. 18. lit. F: *Hic aperte ostenditur, quod non semper sequitur Deus ecclesiae judicium, quae per subreptionem et ignorantiam interdum judicat, Deus autem semper judicat secundum veritatem.* lit. H: *Quos secundum merita sententia ecclesiae percellit, laedit, et illi foris sunt apud Deum; qui autem non meruit, sententia ecclesiae non laeditur, nisi contemnat, unde* Origenes homil. 14. in Levit.: *Exiit quis a veritate, a fide, a caritate? per hoc exit de castris ecclesiae, etiamsi episcopi voce non abjiciatur, sicut contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereretur exire, nihil laeditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est, et qui foras est, intus videtur retineri.* 4. Ecclesiam non solum in censuris ecclesiasticis, sed etiam in doctrina fidei audiendam esse libenter damus, sed addendum est, quod ecclesia debeat audire vocem sponsi sui Christi. Tenemur ecclesiam audire, quatenus ipsa Christum audit, sin minus vox Patris coelestis praeferenda est voci illorum, qui ecclesiae titulum sibi arrogant, cum tamen a verbo Patris coelestis discedant, quia liberi non tenentur sequi imperium matris, si sit contrarium voluntati patris. *Super cathedram Moysis sedent scribae et Pharisaei, quaecunque dixerint vobis servare, servate et facite*, inquit Christus Matth. 23, v. 2. jubens audiri scribas et Pharisaeos non absolute in omnibus, sed quatenus sedent in cathedra Moysis, id est quatenus proponunt ea, quae sunt doctrinae Mosaicae consentanea, alibi enim *a fermento*, hoc est a falsa illorum doctrina, jubet cavere Matth. 16, v. 11. et 12. Ita quoque ecclesia est audienda, scilicet in illis, quae sunt pia et sancta ac mandatis coelestis Patris conformia. Si enim diversum quid a doctrina Christi proferat ecclesia, hactenus et hoc respectu non est audienda, Matth. 23, v. 8: *Nolite vocari rabbi, unus est enim magister, videlicet Christus*, quibus verbis diserte Christus prohibet, ne quis sibi arroget eam auctoritatem, ut in rebus spiritualibus ac negotio fidei absolute et simpliciter sibi fidem haberi velit, quia *vera ecclesia non dominatur* fidei 1. Cor. 1, v. 24. sed *audit vocem Christi*, alienum *vero non sequitur* Joh. 10, v. 27. *sedet ad pedes unici magistri Christi* et reverenter illius verbum audit atque obedienter eidem obsequitur Luc. 10, v. 39. siquidem *exstructa est super fundamentum prophetarum et apostolorum* Ephes. 2, v. 20. semper sibi proponens illud Christi Matth. 28, v. 19: *Docete eos servare, quae ego praecepi vobis*, atque illud apostoli Galat. 1, v. 8: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis*, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Cujus rei typus pulcherrimus nobis proponitur in Maria, quae in nuptiis Cananaeis ad ministros dicit: *Quodcunque dixerit vobis* (Christus), *facite* Joh. 2, v. 5. quae est perpetua vox verae ecclesiae. 5. Quo pertinent dicta veterum, quibus ecclesiam ad Scripturas sacras alligatam esse docent, quae inferius enumerabuntur. Augustinus in tract. 3. in epist. Joh.: *Sciendum, quod ecclesiam credere, non in ecclesiam credere debemus, est mater et ubera ejus duo testamenta Scripturarum divinarum, hinc sugatur lac omnium sacramentorum temporaliter pro nostra salute gestorum.* Ruffin. in expos. symb.: *Non dicitur in sanctam ecclesiam catholicam, sed sanctam ecclesiam credendum esse, hac praepositionis syllaba creator a creaturis secernitur et divina ab humanis separantur.* 6. Concilia, si proponant decreta Scripturis conformia, tunc anathematum denuntiatione non tribuunt sibi absolutum aliquod non errandi privilegium, sed Scripturis sacris, quarum auctoritate nituntur, sicut de Nicaeno concilio scribit Bellarminus lib. 2. de concil. c. 12. §. 4. *quod definiens Christum esse homousion Patri, deduxerit conclusionem ex Scripturis.* Sin vero decreta conciliorum XI. 172.
sint Scripturis sacris contraria, vel si concilia novum aliquem fidei articulum praeter illos, qui in Scripturis continentur, statuere velint, tunc anathemata illa ecclesiae filios non obligant, quo in casu locum habet illud Tertulliani in apologet. circa finem: *Sententiis vestris gratias agimus, ut est aemulatio*

Digitized by Google

divinae rei et humanae, dum damnamur a vobis, a Deo absolvimur. Athanasius de syn. Arim. et Seleuc. p. 673: *Scriptura divina omnibus synodis potentior est.* Hieronymus in epist. Galat. c. 1: *Spiritus sanctus doctrina est, quae canonicis literis est prodita, contra quam si quid statuant concilia, nefas duco.* Constantinus imperator ad patres in synodo Nicaena congregatos dixit: *Exstant libri evangelici et apostolici et priscorum oracula prophetarum, quae nos evidenter docent, quid de re divina statuendum sit. Itaque omissa discordia, quae nil nisi contemtionem parit, sumamus ex dictis divinitus inspiratis solutionem quaestionum.* Gelas. Cycis. in act. conc. Nic. cap. 5. Hist. tripart. lib. 2. cap. 5. etc.

120. Quartum Bellarmini argumentum succedat: *Ecclesiam esse sanctam docet Symbolum apostolorum. Ista autem sanctitas proprie in professione dogmatum consistit, ergo Christiana professio nihil continet nisi sanctum, id est quoad fidei doctrinam, et justum quoad praecepta morum, et in hoc revera excellit omnibus professionibus philosophorum ethnicorum, Judaeorum, haereticorum, omnes enim habent dogmata aliqua falsa veris admixta.* Respondemus: 1. Sanctitas ecclesiae catholicae plura omnino continet quam dogmatum professionem, dicitur enim ecclesia sancta primo a *causa efficiente principali*, quia Deus per Spiritum sanctum in Christo Filio suo eam sanctificat 2. Cor. 1, v. 22. Eph. 5, v. 26. Secundo *ex causa instrumentali*, verbo scilicet et sacramentis, *vocatur enim vocatione sancta* 2. Tim. 1, v. 9. *sanctificatur in veritate verbi* Joh. 17, v. 17. *mundatur lavacro aquae in verbo* Eph. 5, v. 26 Tertio *ex causa formali*, imputata scilicet per fidem Christi sanctitate Act. 15, v. 9. 1. Cor. 1, v. 30. Quarto *ex fine*, quia tendit et adspirat ad perfectam sanctitatem, 2. Cor. 7, v. 1. Quinto *ex effectis*, scilicet ex operibus sanctis in hac vita, Luc. 1, v. 75. Sexto *ex objectis*, quia occupatur in rebus sanctis; Septimo *ex oppositis*, quia distinguitur a coetibus profanis et impiis etc. 2. Symbolum apostolorum proprie loquitur de ecclesia catholica invisibili, ut ipse verborum sonus ostendit, hic vero quaestio est de ecclesia visibili particulari. 3. Haec sanctitas ecclesiae catholicae non tollitur, si vel maxime visibilis ecclesiae ministerium non sit omni ex parte sincerum et incorruptum, quia electi vel non involvuntur erroribus illis, vel ex illis ante vitae finem eluctantur, vel si leviores quidam errores ipsis adhaereant, illi igne crucis et tentationum in eis absumuntur. 4. Proinde ut cives ecclesiae sunt et dicuntur sancti, licet peccatis infirmitatis sint obnoxii, aliquando etiam *lapsu aliquo praeoccupentur* Galat. 6, v. 1. sic ecclesia est et dicitur sancta, si vel maxime quandoque erret et hallucinetur, puta in quibusdam levioribus. Si ecclesiae sanctitas non obstat, quo minus possit peccare, multo minus impediet, quominus possit errare, quia ad sanctitatem magis requiritur morum integritas quam doctrinae veritas. Multi sana docent et profitentur, qui tamen cum sint impii, nec possunt nec debent dici sancti. 5. Professio Christiana nihil continet nisi verum, scilicet quatenus est talis et quatenus per omnia conformis est regulae ac normae suae, quatenus sequitur auctorem et canonem suum Deuter. 4, v. 2. Esai. 8, v. 20. Joh. 17, v. 17. etc. interim tamen ut fluvius aliquid attrahit ex terra, per quam praeterlabitur; sic illi, qui fidem in ecclesia Christiana profitentur, ex temporum suorum erroribus et corruptelis aliquid attrahere consueverunt.

121. Quintum Bellarmini argumentum sic habet: *Si ecclesia posset errare in iis, quae non sunt ad salutem necessaria, tum maxima pars dogmatum fidei in dubium revocari posset. Nam multa sunt de fide, quae non sunt absolute necessaria ad salutem. Sane credere historias testamenti veteris, vel evangelia Marci et Lucae esse canonica scripta, imo ullas esse divinas Scripturas, non est omnino necessarium ad salutem, nam sine hac fide multi salvati sunt, antequam Scripturae scriberentur et postea tempore N. T. multae barbarae nationes, de quibus Iren. libr. 3. c. 4. At hoc est absurdissimum nec ullo modo admitti debet, posse dubitari de Scripturis.* Respondemus: 1. est elenchus consequentis. Non enim sequitur, ecclesia tota in rebus ad salutem necessariis universaliter non errat, ergo in reliquis omnibus errat. 2. Antequam Scripturae ederentur, non erat necessarium ad salutem credere, aliquas esse divinas Scripturas; postquam vero editae sunt, distinguendum inter simplicem ignorationem et inter praefractam negationem. Credere, quod sint aliquae divinae Scripturae, non est simpliciter et absolute necessarium ad salutem, nimirum si ex simplici ignoratione illud procedat, quia multi salvati sunt, qui substantialia sive fundamentalia fidei Christianae complexi sunt, licet ignorarent, esse aliquas divinas Scripturas; sed qui post editas Scripturas pertinaciter negare velit, esse aliquas divinas Scripturas, is haereticus reddetur et a salutis possessione excludetur. 3. Quando ecclesia testatur, esse aliquas divinas Scripturas, item evangelia Marci et Lucae esse canonica scripta, in eo nec errat nec errare potest, quia sequitur canonem veritatis et attendit internis κριτηρίοις, quae de divina et canonica horum librorum auctoritate testantur, ad quae accedit Spiritus sancti testimonium, is enim *testatur, quod Spiritus*, hoc est oracula a Spiritu sancto edita et libri Spiritus sancti inspiratione perscripti *sint veritas* 1. Joh. 5, v. 6. quando igitur credimus, has Scripturas esse divinas et canonicas, non insistimus soli ecclesiae auctoritati ac testimonio, sed conjungimus κριτήρια interna et Spiritus sancti testificationem in corde percipimus.

5. Si ecclesia posset errare, dogmata fidei in dubium revocarentur. XL. 173.

122. Sextum et ultimum argumentum petit Bellarminus *ex testimoniis patrum, qui ad ecclesiam in quaestionibus fidei provocant*, ubi profert Tertullianum libr. de praescript. Augustinum libr. 1. contra Crescon. c. 33. et epist. 118. Respondemus: 1. Ecclesiae illae particulares, ad quas patres pro-

6. Patres provocant ad ecclesiam.

vocarunt, illo tempore integritatem fidei adhuc tenebant, hodie vero quaedam ex illis plane defecerunt, quae adhuc supersunt, ab integritate pristina et fide catholica et apostolica longissime recesserunt. 2. Nec omnes patres, nec in omnibus quaestionibus, nec contra quosvis adversarios disputantes ad ecclesiam provocant, quia longe plures patres et iidem, quorum testimonia adducuntur, saepius ad Scripturas provocant, ut in quaestione de notis ecclesiae ex illorum dictis apparebit. Quando disputant contra eos, qui canonem Scripturarum vel negabant, vel corrumpebant, tunc provocant ad ecclesias, in quibus illae per successionem ab apostolis sunt conservatae, sed quando disputant contra eos, qui Scripturae canonem nec tollunt, nec corrumpunt, principaliter ad Scripturas provocant, secundario ac minus principaliter ecclesiae testimonium adjungunt. Augustinus libr. 3. cont Maxim. Arian. c. 14: *Nec ego Nicaenum, nec tu Ariminense debes tanquam praejudicaturus proferre concilium, nec ego hujus, nec tu illius auctoritate teneris, Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Lib. 4. cont. duas epist. Pelag. c. 8: *Cum Pelagianorum profanas vocum novitates ecclesia Christi et occidentalis et orientalis horruerit, ad curam nostram existimo pertinere, non solum Scripturas sanctas canonicas adversus eos testes adhibere, quod jam satis fecimus; verum etiam de sanctorum literis, qui eas ante fama celeberrima et ingenti gloria tractaverunt, aliqua documenta proferre, non quo canonicis libris a nobis ullius disputatoris aequetur auctoritas, tanquam omnino non sit, quod melius seu verius ab aliquo Catholico, quam ab alio itidem Catholico sentiatur. sed ut admoneantur, qui putant, istos aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova istorum*
XI. 174. *vaniloquia catholici antistites divina eloquia secuti sint et sciant, a nobis rectam et antiquitus fundatam catholicam fidem contra recentem Pelagianorum haereticorum praesumtionem perniciemque defendi.* Lib. 2. contra Donatistas c. 3: *Quis nesciat, sanctam Scripturam canonicam tam V. quam N. T. certis suis terminis contineri eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita praeponi, ut de illo omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum vel rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas quae post confirmatum canonem vel scriptae sunt vel scribuntur et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctorumque prudentiam et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum sit* etc. 3. Tertullianus libr. de praescript. dicens, *Age omnes ecclesiae erraverint* etc. loquitur de ecclesiis, quae ab apostolis fundatae apostolicae doctrinae integritatem adhuc conservabant, ut ex integro contextu manifestum est. Augustinus lib. 1. cont. Cresc. c. 33. scribens, *ecclesiam consulendam esse, quam ipsarum Scripturarum commendet auctoritas,* loquitur de quaestione, quam tunc tractabat, videlicet de non rebaptizandis iis, qui ab haereticis baptizati sunt, nec primo ac principaliter ad ecclesiam provocat, sed postquam ex Scripturis ecclesiae sententiam demonstraverat. *Quamvis* (inquit) *hujus rei de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam hac in re a nobis tenetur veritas.* Epist. 118. loquitur de rebus adiaphoris, in quibus communem ecclesiae consuetudinem sequendam esse non repugnamus.

123. Sub finem capitis Bellarminus vult probare, *quod ecclesia repraesentativa* non possit errare. *Si omnes episcopi errarent, tota ecclesia erraret, quia tenetur populus sequi suos pastores dicente Domino* Luc. 10: *Qui vos audit, me audit,* et Matth. 23: *Quaecunque dixerint facite. In epistola concilii Ephesini ad Nestorium cogitur Nestorius, si ecclesiae satisfacere velit, juramento confirmari, se ita sentire, ut sentiunt orientis et occidentis episcopi. Augustinus lib. 1. de bapt. c. 18. decretum concilii generalis vocat universae ecclesiae consensum, et merito, nam ecclesia non docet nec decernit quidquam nisi per suos pastores, sicut quodlibet corpus per suum caput, unde 1. Reg. 8. congregatio sacerdotum et seniorum vocatur omnis ecclesia Israël.* Respondemus: 1. per ecclesiam repraesentativam Pontificii intelligunt episcopos in conciliis congregatos, ergo haec quaestio ad controversiam de conciliis proprie pertinet. 2. Episcopos in conciliis congregatos, hoc est ecclesiam repraesentativam, errare posse, ne ipse quidem Bellarminus negat, dicit enim, *tunc demum concilia non errare si accedat instructio, confirmatio et auctoritas Romani pontificis,* rectius ergo faceret Bellarminus et compendiosiori viae insisteret, si absque illis ambagibus ad scrinium pectoris papalis nos remitteret. 3. Falsum est, *totam ecclesiam errare, si episcopi in conciliis errent,* quia ad ecclesiam etiam pertinet congregatio fidelium ac potest Deus sibi servare semen sanctum atque aliquos electos grassantibus etiam publicis corruptelis in visibilis ecclesiae ministerio. *Puriores quandoque sunt aures audientium, quam labia docentium.* 4. Populus tenetur sequi suos pastores non absolute et simpliciter in omnibus, sed quatenus pastores sequuntur vocem Christi ἀρχιποιμένος, *quia oves Christi vocem ejus audiunt et sequuntur eam, alienum vero non audiunt* Joh. 10, v. 27. 5. Haec limitatio ex dicto Matth. 23, v. 2. manifestissime evincitur, scribae enim et Pharisaei, quos audire Christus jubet, sinceritati doctrinae Mosaicae ac propheticae admiscebant *fermentum errorum* ac corruptelarum, a quo Christus jubet *cavere* Matth. 16, v. 11. eatenus igitur illos audire jubet, quatenus sedent super cathedram Moysis, hoc est quatenus docent conformia doctrinae Mosaicae. Biel 4. sent. dist. 1. qu. 4. art. 3: *Non licet spernere consilium praelati, quod verum est, nisi contra legem* XI.
divinam dixerint, quia sic praecipiendo non sedent super cathedram Moysis, non enim haec procedunt de cathedra, id est doctrina Moysis, sed de cathedra

pestilentiae. 6. Ex eo quod patres Ephesinae synodi coëgerint Nestorium jurare, se non aliter sentire, quam orientis et occidentis episcopi sentiunt, haudquaquam sequitur, quod absolute non potuerint errare, sed quod hac in re non errarint. Augustinus l. de bapt. c. 18. generalis concilii decretum recte vocat *universalis ecclesiae consensum,* si scilicet ab omnibus ecclesiis, quae sunt in toto orbe, aliqui ad illud concilium missi fuerint, sed ex eo non potest inferri, ecclesiam repraesentativam sive concilia non posse errare, cum ne ipse quidem Bellarminus concilia generalia ab errandi periculo eximat. *Constat* (inquit lib. 4. de pont. Rom. c. 3. §. contra) *generalia concilia saepe errasse, quando caruerunt summi pontificis suffragio, ut patet de Ephesino II. Ariminensi et aliis.* 7. 1. Reg. 8. non solum sacerdotes et seniores, sed etiam duces et quamplurimi ex populo Israëlitico ad Salomonem fuere congregati, ut apparet ex v. 5: *Rex Salomon et omnis multitudo Israël, quae convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam.* v. 65: *Fecit Salomon in tempore illo festivitatem celebrem et omnis Israël cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad rivum Aegypti;* v. 66: *et in die octava dimisit populos.*

124. Atque haec dicta sint de quaestione, an ecclesia errare possit. Ceterum cum omnia illa, quae Bellarminus hoc loco in genere disputat, eo tandem abeant, quod ecclesia Romana non possit errare, eam enim solam appellant *catholicam,* illi soli tribuunt non errandi privilegium, quia pontifex Romanus Christi vicarius et Petri successor illi praesideat; ideo demonstrandum est in specie, quod ecclesia Romana errare possit. Procedimus autem hoc modo.
176. 1. Nulla particularis ecclesia ab errandi periculo est immunis. Romana ecclesia est particularis aliqua ecclesia, sive enim intelligas nomine ecclesiae Romanae eam, quae in urbe Roma colligitur, sive eam, quae Romano pontifici adhaeret, negari nequit, ecclesiam Romanam esse particularem, quia non potest demonstrari, omnes totius orbis ecclesias ullo unquam tempore pontifici Romano adhaesisse. Ergo Romana ecclesia ab errandi periculo non est immunis. Excipit Bellarminus lib. 4. de Romano pontifice c. 3. *aliam esse rationem ecclesiae Romanae quam reliquarum particularium ecclesiarum, quia Christus rogavit pro Petro, ne deficeret ipsius fides* Luc. 22, v. 32. id quod sic exponit, *Christum rogasse pro Romana sede, quia rogavit pro Petro et successoribus ipsorum, quorum sedes Romae stabilienda erat.* Respondemus: 1. ipse Bellarminus fatetur c. 4. sequente, *non haberi ex Scriptura nec ex traditione, sedem apostolicam ita esse Romae affixam, ut inde transferri nequeat.* Ergo si vel maxime concederetur, Christum pro sede Petri eo modo rogasse, ut illius successores in fide errare non possint, tamen ex eo nondum probari posset, ecclesiam Romanam non posse errare. Verba Bellarmini haec sunt: *Observandum est* (inquit), *ecclesiam Romanam non posse errare dupliciter intelligi posse. Uno modo, ut non possit errare persistente Romae apostolica sede, secus autem si sedes auferretur; altero modo, ut simpliciter non possit errare vel deficere, quia nec sedes apostolica possit unquam Roma alio transferri. Et quidem secundum priorem sententiam propositio nostra est verissima, quia Lucius et Felix papae et martyres Agatho et Nicolaus papae et confessores, item Cyrillus et Ruffinus non solum pontificem, sed etiam ecclesiam Romanam asseruerunt non posse errare. At secundum posteriorem sensum* XI. 177.
ecclesiam Romanam non posse deficere, est quidem pia et probabilissima sententia, non tamen adeo certa, ut contraria dici possit haeretica vel manifeste erronea. Quod non sit omnino de fide, a Romana ecclesia non posse separari apostolicam sedem, patet, quia neque Scriptura, neque traditio habet, sedem apostolicam ita fixam esse Romae, ut inde auferri non possit. Haec Bellarminus. Atqui si non est de fide, cathedram Petri Romae ita fixam esse, ut alio transferri nequeat, utique etiam non erit de fide, ecclesiam Romanam non posse errare, quia privilegium non errandi ab illa cathedra unice dependet. 2. Ecclesiam Romanam non posse errare eo modo ibidem exponit Bellarminus, ut cuivis particulari ecclesiae id tribui possit. *Observandum est* (inquit), *in alio sensu accipi debere firmitatem ecclesiae Romanae in fide et in alio firmitatem pontificis, nam pontifex non potest errare errore judiciali, hoc est dum judicat et definit quaestionem fidei. At ecclesia Romana, hoc est populus et clerus Romanus, non potest errare errore personali, ita ut omnes omnino errent et nulli sint in Romana ecclesia fideles et pontifici adhaerentes.* Atqui nulla unquam ecclesia eo modo errat, ut nulli prorsus in ea remaneant fideles, alias enim plane deficeret et non amplius esset ecclesia. Nullus episcopus haereticus potuit omnes in ecclesia sibi commissa haeresi sua eo modo inficere, ut nullus in populo manserit fidelis, quamdiu enim sacramentum baptismi et quaedam fidei capita retinentur, colligitur Deo aliqua ecclesia etiam in medio haereticae synagogae coetu. 3. Christum pro Petro rogasse audio, sed pro pontificibus Romanis vel pro ecclesia Romana specialiter hic rogasse non audio. *Dominus soli Petro dixit,*
Oravi pro te, non dixit haec Petro et concilio, scri- XI. 178.
bit Bellarminus lib. 4. de pontifice c. 3. §. respondent. Item: *Dominus unam tantum personam designavit, dicens bis: Simon, Simon, et addens toties pronomen secundae personae pro te, fides tua et tu fratres tuos. Quorsum haec nisi ut intelligamus, aliquid speciale fuisse Petro a Christo impetratum?* scribit idem lib. et c. iisdem §. Quae expositio. Quodsi oratio Christi solum Petrum concernit, quid ex ea vel pontifex vel ecclesia Romana sibi vendicare potest? 4. Christum eo modo rogasse pro Petro, ut ipse tanquam pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, atque ut in sede ejus papali nunquam inveniretur, qui doceret contra fidem, sine ulla probatione asseritur, quia Petrus nuspiam fuit constitutus a Christo pontifex sive monarcha ecclesiae, nec papalem aliquam sedem

Digitized by Google

Romae erexit, aut in ea praesedit, nec pontifices Romani sunt genuini Petri successores, cum et doctrina et mores ipsorum a doctrina et moribus Petri longissime discrepent. Illud vero Christus oratione sua Petro impetravit, ne finaliter ipsius fides deficeret, sed ut conversus et ex gravissimo abnegationis lapsu iterum erectus alios confirmare posset. 5. Bellarminus mirabilis artifex est, qui ex hoc Christi dicto tam diversa privilegia pro suo pontifice et pro Romana ecclesia elicere novit. *Oravit Christus pro Petro, ne deficeret ejus fides*, hoc est primo ut Petrus *nec judicialiter, nec personaliter* erret; deinde ut successores ejus in sede papali, pontifices scilicet, non errent *judicialiter*, tamen errare possint *personaliter;* denique ut ecclesia Romana non erret *personaliter* sive errore personali. At quis hanc sententiam vel centum alembicis ex verbis Christi extrahere possit? merae hae sunt verborum praestigiae, unum eundemque locum modo de Petro modo de pontifice, modo de ecclesia Romana interpretari, quin imo eundem aliter de Petro, aliter de pontifice, aliter de ecclesia Romana interpretari. 6. Demus, Christum pro Petro et successoribus illius Romanis, scilicet pontificibus, rogasse, quid hoc ad ecclesiam Romanam? non ecclesia Romana, sed episcopus Romanus ex hypothesi Bellarmini est successor Petri. Ergo si vel maxime haec oratio Christi infallibilitatem aliquam absolutam Romano pontifici impetrasset, ex eo tamen ecclesiae Romanae infallibilitas illa non accederet. Ut enim quaevis alia particularis ecclesia a suo episcopo, sic Romana ecclesia a suo pontifice discedere posset, qua ratione ex hypothesi Bellarmini utique erraret, quia *infallibilitas consistit in solo pontifice.*

XI. 179. 125. Sic ergo pergimus argumentari: 2. Quaecunque ecclesia graviter admonetur ab apostolo, ne erroribus locum praebeat, ea a periculo errandi non est immunis, frustra enim tales admonitiones ingeminarentur, si absoluta aliqua promissio ei esset data Atqui ecclesia Romana graviter admonetur ab apostolo, ne erroribus ac seductoribus locum praebeat. Rom. 11, v. 20. et seqq. c. 16, v. 17. Ergo ecclesia Romana a periculo errandi non est immunis.

2. Admonetur, ne erroribus locum praebeat.

3. Quaecunque ecclesia sinceritate fidei apostolicae et pristina sua integritate recessit, ea non solum errare potest, sed etiam gravissime errat. Ecclesia Romana hodierna a sinceritate fidei apostolicae et pristina sua integritate recessit. Ergo non solum errare potest, sed etiam gravissime errat. Assumtum ex collatione dogmatum Romanae fidei hodiernae cum scriptis apostolicis clarissime elucet, hoc loco quaedam ex illis dogmatibus cum epistola Pauli ad Romanam ecclesiam pristinam exarata invicem conferemus.

3. Actu ipso errat.

In loco de Scriptura.

1. De evangelio a se praedicato et in literas postmodum redacto dicit apostolus Rom. 1, v. 16. *quod sit potentia ad salutem omni credenti*, et c. 15, v. 4. expresse asserit, *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam esse scripta, ut per consolationem Scripturarum spem habeamus.* Atqui Romana ecclesia hodierna Scripturam appellat *literam mortuam, regulam Lesbiam, quae non possit dicere, quis sit suus sensus, quae sit imperfecta et obscura, nisi accedant traditiones.* Apostolus epistolam suam *omnibus qui sunt Romae dilectis Dei et vocatis sanctis*, hoc est non solum pastoribus, sed etiam auditoribus, inscripsit Rom. 1, v. 7. sed ecclesia Romana hodierna lectionem Scripturarum laicis interdicit. Apostolus verbum, quod viva voce primum ab apostolis praedicatum, postea vero per Dei voluntatem in Scripturas ab illis redactum canonem facit ultimi judicii, Rom. 2, v. 16: *Judicabit Deus occulta hominum juxta evangelium meum per Christum Jesum.* Quod- XI. si in augusto illo judicii die Scriptura sacra norma et canon esse poterit, quidni etiam in hac vita munere illo perfungi queat? Sed ecclesia Romana hodierna negat, Scripturam propheticam et apostolicam esse regulam fidei totalem. In tota illa epistola perpetuo ad scripturam propheticam V. T. apostolus provocat ac doctrinam suam *habere testimonium legis et prophetarum* clarissime evincit. Act. 28, v. 23. Christianos Romae exsistentes *τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ πείθει ex lege Moysis et prophetis.* Sed Romana ecclesia hodierna non potest consensum illum doctrinae suae cum scriptis propheticis et apostolicis demonstrare, quinimo diserte fatetur, extra illum canonem sese multa credere, alios etiam, qui Scripturis sacris insistunt, vocat *theologos atramentarios.*

De p[eccato ori]ginali

2. De peccato originali docet Paulus in epistola ad Romanos, quod sit horribilis omnium virium humanarum corruptio ab Adamo in omnes posteros propagata, quod sit non solum privatio alicujus boni, sed etiam malum positivum arctissime in natura haerens, quod tam altas in natura humana radices egerit, ut nec in regeneratis penitus exstirpetur, quamdiu in hoc seculo adhuc vivunt. Rom. 5, v. 12: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum;* v. 10: *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Rom. 7, v. 14: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum.* v. 18: *Scio, quod in me, hoc est in carne mea, non habitat bonum.* v. 22: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem;* v. 23: *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me sub lege peccati;* v. 24: *miser ego homo, quis liberabit me a corpore mortis hujus?* Sed ecclesia Romana hodierna frigide admodum de peccato originali sentit ac loquitur, quod scilicet non sit peccatum, *nisi abusive et analogice* loquendo, quod sit *minus minimo veniali peccato*, quod sit *duntaxat privatio doni alicujus supernaturalis, naturalia enim in homine mansisse integra*, quod per XI. 18 *baptismum in renatis tollatur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.* Concupiscentiam pravam apostolus non semel, sed aliquoties diserte vocat peccatum, idque sic circumscribit, ut non, nisi de peccato vere et proprie sic dicto intelligi possit. Rom. 7, v. 7: *Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces;* v. 8: *occasione autem accepta peccatum in me operatum est omnem concupiscentiam* etc. Sed ecclesia Romana hodierna in

Digitized by Google

concilio Tridentino decernit, concupiscentiam appellari ab apostolo peccatum, *non quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.*

De libero arbitrio. 3. De libero arbitrio Romanam sui temporis ecclesiam apostolus sic instruit, quod *φρόνημα σαρκὸς sit inimicitia adversus Deum* Rom. 8, v. 7. ac ne possit quidem legi Dei subjici. Ostendit etiam suo ipsius exemplo, ne quidem renatos ex naturalibus suis viribus posse boni quippiam perficere. *Velle adjacet mihi*, inquit Rom. 7, v. 18. *perficere autem non invenio;* v. 24. conqueritur, *captivum se duci sub legem peccati.* Sed Romana ecclesia hodierna docet, *superesse in homine aliquas vires, quibus ad futuram conversionem se disponat et in ipso conversionis opere Deo assentiatur et cooperetur.*

De lege divina. 4. De lege divina veterem Romanam ecclesiam docet apostolus, quod sic *infirmetur a carne*, ut in huius vitae infirmitate perfecte a nobis impleri nequeat Rom. 8, v. 3. id quod suo ipsius exemplo manifestum facit Rom. 7, v. 14: *Scimus, quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato;* v. 18: *velle*
XI. 182. *adjacet mihi, perficere autem non invenio;* v. 19: *non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago;* v. 20: *porro si quod non volo, hoc ego facio, non jam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum* etc. v. 25: *mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Sed ecclesia Romana hodierna *anathema dicit, si quis docuerit, Dei praecepta homini justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia.* Quin imo in ecclesia Romana hodie certum est, *posse omnino plura a nobis praestari, quam in lege divina a nobis requiritur*, inde enim disputationes *de consiliis evangelicis, de operibus supererogationis, de statu perfectionis* etc.

De evangelio. 5. De evangelio docet apostolus Rom. 3, v. 21. *quod justitia Dei in illo manifestetur sine lege;* v. 22. *per fidem, scilicet Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt*, ex quo immote colligitur, quod evangelium proprie et accurate loquendo sit doctrina fidei docens in solo Christo sine lege ac legis operibus per fidem nos justificari coram Deo. Sed ecclesia Romana hodierna docet, *evangelium proprie loquendo esse non solum fidei, sed et operum doctrinam.*

De justificatione. 6. De justificatione haec erat Romanae ecclesiae primaevae confessio, *quod omnes sint peccatores et indigeant gloria Dei* Rom. 3, v. 23. *justificentur autem gratis per ipsius gratiam, per redemtionem, quae est in Christo Jesu* v. 24. *quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiae per remissionem praecedentium peccatorum* v. 25. ac breviter, *quod justificetur homo per fidem sine operibus legis* v. 28. Sed hanc doctrinam de justificatione per solam fidem in Christum
XI. 183. absque legis operibus hodierna Romana ecclesia damnat et in confessores eius igne ac gladio debacchatur. Verbum justificandi apostolus sic exponit, quod sit verbum *judiciale ac forense*, opponit enim illud condemnationi Rom. 5, v. 18. sed hodierna ecclesia Romana compositionem grammaticam secuta justificare exponit *infundendo justitiae habitum justum facere.* Justificationem constituit apostolus in remissione peccatorum. Rom. 4, v. 7: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata;* v. 8: *beatus vir, cui non imputat Deus peccatum.* Sed Romana ecclesia hodierna non solum XI. 184.
in peccati remissione (quam exponit de totali ejusdem abolitione, non autem phrasi apostolica de non imputatione), sed etiam in justitiae habitualis infusione justificationem constituit. Justitiam nobis imputari *fide absque operibus*, docet apostolus Rom. 4, v. 5. sed hanc justitiae imputationem ridet Bellarminus Romanae hodiernae ecclesiae cardinalis. Ab actu justificationis excludit apostolus omnia etiam renatorum opera. Rom. 4. v. 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriationem, sed non apud Deum.* v. 3: *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam;* v. 4: *ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum;* v. 5: *ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Sed Romana ecclesia hodierna anathema dicit ei, qui renatorum opera ab actu justificationis velit excludere. Apostolus gratiam et opera in actu justificationis sibi invicem opponit Rom. 11, v. 6. sed ecclesiae Romanae doctores haec habent pro subordinatis.

7. De fide De fide.
docet apostolus, quod sit πληροφορία ac certa cordis fiducia, jubet enim nos *sectari vestigia fidei, quae fuit in Abrahamo* Rom. 4, v. 12. quam postea sic describit, *quod crediderit contra spem in spem* v. 18. *quod non fuerit fide infirmatus considerans corpus suum emortuum* v. 19. *quod in Dei promissione non haesitaverit diffidentia, sed fide confortatus dederit gloriam Deo* v. 20. *plenissime sciens, quod is, qui promiserat, potens esset etiam praestare* v. 21. de hac fide docet, quod fructus eius sit pax et gaudium conscientiae. Rom. 5, v. 1: *Justificati fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum.* Sed ecclesia Romana hodierna perpetuam de gratia Dei et remissione peccatorum dubitationem propugnans hanc fidei πληροφορίαν penitus rejicit. Docet apostolus Rom. 8, v. 16. *Spiritum sanctum reddere testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei*, v. 17: *si autem filii, utique et heredes.* Sed Romana ecclesia hodierna huic interno Spiritus sancti testimonio ex adverso obloquitur, quando in concilio Tridentino XI. 185.
sic decernit: *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi et justificari ex eo, quod se absolvi et justificari certo credat, aut neminem esse justificatum, nisi qui credit se justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, anathema sit.* Apostolus diserte scribit, *quidquid non est ex fide, peccatum esse* Rom. 14, v. 23. fidem autem dicit *esse ex auditu, auditum per verbum Dei* Rom. 10, v. 8. improbat igitur omnes cultus, qui extra verbum ex bona intentione instituuntur. Sed Romana ec-

Digitized by Google

clesia hodierna tales cultus et ἐθελοθρησκείας approbat, quin etiam meritum remissionis peccatorum illis asscribit.

De bonis operibus.

8. De bonis operibus docet apostolus, quod sint jam ante Deo debita. Rom. 8, v. 12: *Debitores sumus non carnis, ut secundum carnem vivamus.* Rom. 13, v. 8: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*, quod sint imperfecta et peccati adhaerentis labe contaminata. Rom. 7, v. 14: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum;* v. 21: *volenti mihi facere bonum adhaeret malum;* v. 25: *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* ex quo immote colligitur, quod bonis operibus renatorum non possit meritum aliquod proprie dictum asscribi. Sed Romana ecclesia hodierna pro meritis operum pugnans non tam pro aris quam pro focis fortiter digladiatur. *Stipendium peccati* sive malorum operum apostolus pronuntiat esse *mortem*, sed *vitam aeternam esse χάρισμα, donum Dei gratuitum, per et propter Christum* Rom. 6, v. 23. qua illustri oppositione docet, vitam aeternam non esse stipendium aliquod bonis operibus debitum, sicut damnatio est debitum peccatorum sive malorum operum stipendium, sed gratuitum Dei donum in Christo et propter Christum nobis datum. Sed Romanae ecclesiae hodiernae illud perpetuo in ore: *Mala opera damnant meritorie. Ergo bona opera salvant itidem meritorie.* Normam bonorum operum constituit apostolus legem Dei. Exhortaturus enim renatos ad studium bonorum operum remittit illos ad legem Rom. 13, v. 8. et seqq. cumque dixisset, *se cupidum esse secundum interiorem hominem faciendi bonum,* subjungit, se *condelectari legi Dei* Rom. 7, v. 22. Sed Romana ecclesia hodierna laudem bonitatis tribuit etiam illis operibus, quae fiunt ex bona intentione, si vel maxime non sint in lege praescripta. Per doctrinam de gratuita justificatione per fidem in Christum sine legis operibus frenum laxari vitae dissolutiori ac studium bonorum operum retundi diserte negat apostolus Rom. 6, v. 1. sic scribens: *Quid igitur? manebimus in peccato, ut gratia abundet?* v. 2: *Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* etc. Sed Romana ecclesia hodierna praepostero metu ducitur, ne studium bonorum operum languescat, si ab actu justificationis ea exclusa esse doceatur.

De sacramentis.

9. De sacramentis docet apostolus, quod sint *sigilla* gratiae addita promissionibus evangelicis ad fidei nostrae confirmationem, unde circumcisionem vocat σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Rom. 4, v. 11. sed hunc finem sacramentorum, qui in obsignatione promissionum et fidei confirmatione consistat, Romana ecclesia hodierna negat.

De ecclesia.

10. Sanctam Christi in his terris ecclesiam definit apostolus coetum eorum, quos Deus *praedestinavit, vocavit, justificavit et glorificavit* Rom. 8, v. 30. sed Johannes Huss in concilio Constantiensi a Romanensibus propterea damnatus et ignibus exustus est, quod ecclesiam definiret *coetum praedestinatorum.* Docet apostolus Rom. 11, v. 1. et seqq. *Deum sibi servare invisibilem aliquam ecclesiam electorum*, si vel maxime publicum visibilis ecclesiae ministerium sit corruptum. Sed hanc doctrinam Romanenses hodierni penitus repudiant et quia superioribus seculis errores papales cataclysmi instar ecclesiam inundarunt, inde colligere volunt, consequens fore, quod ecclesia Dei plane interierit, nisi Romanae synagogae dignitas ac laudes verae ecclesiae tribuantur. Caput et sponsum ecclesiae constituit apostolus solum Christum Rom. 12, v. 5: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* XI. 156.
Rom. 7, v. 2: *Quae sub viro est mulier vivente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri;* v. 4: *ita et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Sed ecclesia Romana hodierna caput et sponsum suum agnoscit pontificem Romanum. Docent Romanenses, Petrum viginti quinque annis Romae in cathedra papali sedisse, in quo fundamentum successionis papalis collocant. Sed cum in catalogo sanctorum, quos salutare jubet apostolus Rom. 16, v. 3. et seqq. nominatim recenseat inferioris conditionis fratres, ecquis credet, Petrum praetermissum ab illo fuisse, si eo tempore Romae fuisset vel in papali cathedra praesedisset?

11. De magistratu politico.

11. Magistratui civili omnes omnino homines cujuscunque conditionis ac status apostolus voluit esse subjectos. Rom. 13, v. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo*, in quem locum sic commentatur Chrysostomus: *Ostendit, quod ista imperentur omnibus et sacerdotibus et monachis, non solum secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat cum dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiam si apostolus sis, si evangelista, si propheta, sive quisquis tandem fueris, neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Sed caput et monarcha hodiernae Romanae ecclesiae, pontifex Romanus, praefert se omnibus regibus et imperatoribus, quin imo totam clericorum suorum turbam ex potestate civilis magistratus ausus est emancipare.

De invocatione sanctorum.

12. Invocationem sanctorum brevi, sed nervoso aphorismo evertit apostolus scribens Rom. 10, v. 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* ubi invocationem et fiduciam cordis indissolubili nexu conjungit, jam vero fiducia cordis non est in alium praeter solum Deum collocanda. Jerem. 17, v. 5: *Maledictus, qui confidit in homine*, proinde etiam honor invocationis soli Deo debetur. Sed Romana ecclesia hodierna invocationem sanctorum acerrime propugnat. Talis collatio inter dogmata apostolica veteri Romanae ecclesiae proposita et inter errores hodiernae ecclesiae Romanae etiam in aliis articulis institui posset, sed ex illis, quae dicta sunt hactenus, clarissime apparere existimo, Romanam ecclesiam hodiernam ab integritate pristina et fidei apostolicae sinceritate longissime recessisse, (ut merito cum poëta quis exclamet: *Et Romae in Roma nil reperi media)* ac proinde insigni audacia ac temeritate affirmari, Romanam ecclesiam non posse errare, cum actu ipso

Digitized by Google

multipliciter eam errasse in propatulo sit, inde Petrus de Alliaco cardinalis Cameracensis in concilio Constantiensi publice confessus est, *ecclesiam Romanam longo jam tempore multipliciter fuisse deformatam indiguisseque et nunc maxime indigere, ut in fide et moribus reformetur.* Nicolaus de Clemangis librum scripsit de *corrupto ecclesiae Romanae statu.* Adrianus VI. in comitiis Norimbergensibus per legatos suos id ipsum confessus est, ut infra pluribus demonstrabitur, sed quid recentiores producimus? Hieronymus ante aliquot secula in sacerdotes Romanos invehitur in comm. cap. 2. Jerem. et in epist. 85. ad Evagrium: *Sed dicis* (inquit), *quomodo Romae ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiae vindicas?* Eusebius lib. 5. eccles. hist. c. 20: *Per idem tempus in urbe Roma diversis novitatibus per nonnullos regula traditionis ecclesiasticae vexabatur.* Ecquis vero credat, tot seculorum decursu corruptelas illas non fuisse auctas?

XI. 187.

CAPUT X.

DE NOTIS ECCLESIAE IN GENERE.

126. Posteaquam de causa efficiente ac materiali ecclesiae dictum fuit, restat, ut ad formalem, quae in notis ac γνωρίσμασιν ecclesiae consistit, transeamus. ** Andr. Radeccius Photinianus in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem dissolutionis nodi sui Gordii p. 57: *Christus ut signa ecclesiae sciremus, nusquam praecepit.* Et postea: *Altercationes de ecclesia hodie fere sunt infinitae, sed a Pontificiis motae, interim prorsus otiosae et inutiles, nisi fortasse ad hoc ipsum utiles quis eas esse dicat, ut cognoscatur, quae sint inutiles* etc. *Nulla esse posse ecclesiae signa, jam a nostris alibi demonstratum.* Pisecius in resp. ad 10. rat. Camp. p. 109: *Ecclesiae notas poscis? dabo unam ex Bellarmino sanctitatem doctrinae, id est nihil continere falsum quoad fidem doctrinae, nihil injustum quoad fidem morum. Hanc et unam et verissimam ecclesiae formam agnoscimus, ex qua vera Christi ecclesia probetur.* p. 110: *Si ulla demonstratio est, qua veritas ecclesiae ostendatur, eam ex veris, propriis, necessariis et perpetuo ecclesiam comitantibus causis et signis deduci oportet. Ex notis communibus contingentibus, iisque quae ad tempus, quid concludes? Atque data ecclesiae materia, quae populus, praeter causam essentialem, quae est doctrinae santitas, nihil est in ecclesia magis proprium, necessarium, perpetuum.* Ex Arminianis Episcopius disp. priv. de notis eccles. c. 2: *Cum nota omnis semper debeat notior esse ea re, cujus nota est et ad quam tanquam obscuram et ignotam notificandam adhibetur, ei vero, qui, quae doctrina salutaris sit, recte intelligit, nihil omnino desit, quo ecclesia cognosci queat, relinquitur, etiam nullas notas dari posse aut ut dentur opus esse, per quas in cognitionem ecclesiae veniatur.* Thes. 5: *Illas etiam circumstantias, per quas tanquam notas in verae ecclesiae certam et infallibilem cognitionem deveniatur, impossibile esse statuimus.* Thes. 6: *Imo quod magis est hanc ipsam de certis et infallibilibus notis, extra hanc doctrinae salutaris professionem, assignandis quaestionem praecipuum gradum fuisse, credimus, per quem et verae ecclesiae sive salutaris doctrinae cognitio solida deturbata et Antichristi solium evectum atque exaltatum, quin imo pura veritatis ignorantia introducta est asserere non dubitamus.*** Est vero omnino quaestio illa de notis ecclesiae diligenti tractatione digna, quia cardo salutis in eo vertitur, ut veram ecclesiam cognoscamus eidemque cognitae nos adjungamus, et postquam nos ei adjunxerimus, in ea perseveremus. Proponemus primo sententiae nostrae explicationem et fundamenta, postea de adversariorum sententia et fundamentis videbimus. Sententia nostra est, puram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem esse notas verae ecclesiae. Ut autem haec sententia nostra sit illustrior, observanda sunt membra sequentia: 1. Quaedam notae sunt *propriae et essentiales*, quaedam vero *communes et accidentales.* Illae sunt principia et causae rei proximae et adaequatae rem constituentes, atque ideo sunt perpetuae, propriae, essentiales et infallibiles notae, quas ubi deprehendimus, certo pronuntiare possumus, rem notatam nos cognoscere, quia scire est rem per suas causas cognoscere docente Philosopho lib. 2. posterior. c. 11. text. 11. hae vero sunt signa et accidentia quaedam externa, quae rem externe circumstant eique communiter accidunt, ac proinde sunt notae communes et accidentales, propterea etiam fallaces. Illae praebent cognitionem distinctam et certam; hae vero confusam et incertam, quia cognitio distincta oritur ex principiis natura notioribus, sed cognitio confusa oritur ex communiter accidentibus notioribus quoad nos. Porro hoc loco quaerimus notas ecclesiae proprias et essentiales, quas esse dicimus puram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Notae illae, quas Pontificii assignant ex nomine catholico, ex multitudine, ex successione, ex felicitate temporali etc. non sunt notae propriae et essentiales, sed communes et accidentales, proinde etiam fallaces. Adversarii non possunt illud omnino negare, sic enim Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 3. §. 1: *Notae illae, quas afferemus, non quidem efficiunt evidenter verum,* (Romanam) *ecclesiam esse veram Dei ecclesiam, sed tamen efficiunt id evidenter credibile, nec enim est idem evidenter verum et evidenter credibile. Nam evidenter verum dicitur, quod in se vel* XI. 188.
in suis principiis videtur; evidenter credibile dicitur, quod non videtur nec in se, nec in suis principiis, habet tamen tot et tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat. ** Atqui si

notae Bellarmini efficiunt evidentiam non veritatis, sed *credibilitatis*, merito nobis sunt suspectae. Multa enim sunt credibilia, quae tamen non sunt vera. Sic credibile est, eum, qui fuga sibi consulit, homicidium commisisse, sed tamen non est semper verum. Gregorius de Valent. in anal. de ecclesia p. 172: *Non impedit, nec tollit rationem notae, quod quaedam ex ejusmodi ecclesiae accidentibus non jam inde ab ejus exordio ipsi convenerunt. Satis est, si secundum certissimas scripturas ei competant in eo statu, quem jam habet quemque habitura fuit post disseminatum evangelium in orbe per praedicationem apostolorum. Quaeritur enim jam post apóstolorum tempora ecclesia in eo velut aetatis suae statu, quem habet et habitura fuit post ea tempora, non autem in illo, quem vel in ortu suo, vel in primo progressu habuit ad breve tempus tanquam in infantia.* (Quasi vero ecclesia tempore apostolorum adhuc infans fuerit et deterioris conditionis quam sub antichristianae tyrannidis jugo.) ** Huc referendus etiam discursus Stapletoni in relect. princ. fid. controv. 1. q. 4. art. 5. p. 113: *Quemadmodum discernunt hominem a bruto, parvuli quidem per externa lineamenta corporis et figuram hominis, quia judicium eorum non excedit sensum, adulti vero et rationis usum habentes, indocti tamen et rudes per operationes vitae et functiones proprie humanas, ut loqui more humano, ambulare et similia; sapientes autem et prudentes, quorum judicium altius penetrat per animi prudentiam aliasque dotes homini adhuc magis excellenter proprias: sic ecclesia Christi a sapientibus quidem et spiritualibus ipsis, quales sunt ecclesiae magistri et pastores, cognoscitur per sanam doctrinam et rectum sacramentorum usum; ab imperitis autem fidelibus et parvulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis et mediis considerata judicare non possunt, ab ipsis quoque infidelibus, qui parum aut nihil de ecclesia norunt, per externam faciem et multitudinem populorum credentium atque pastorum.* Ex hac Stapletoni comparatione ταῖν ἀμφοῖν illud amplexamur, quod fatetur, ecclesiam Christi a sapientibus et spiritualibus cognosci per sanam doctrinam et rectum sacramentorum usum, ex eo enim immediate sequitur, nostras notas esse proprias, genuinas et spiritualibus hominibus accommodatas, ipsorum vero notas esse dubias, incertas et pueris in fide convenientes. Externam ecclesiae speciem per nuda quaedam externa lineamenta adumbratam libenter ipsis concedimus, relinquant vero nobis animam et internam formam ecclesiae. Cum enim nulla certior sit rei nota, quam illius forma, consequens fuerit, nostras hasce notas, in quibus forma ecclesiae consistit, esse genuinas, proprias, certas et infallibiles. Quae a Pontificiis assignantur notae, videlicet nomen catholicum, antiquitas, duratio, amplitudo, successio episcoporum, felicitas temporalis etc. communes sunt ecclesiae cum coetibus haereticis nec ullum habent momentum ac certitudinem, nisi cum notis illis nostris exacte consentiant. Imitantur igitur Pontificii in notis illis assignandis pseudomonetarios, qui pseudonumismata, quae procuderunt, non ex puro auro censeri vel ad Lydium lapidem exigi, sed ad σήχωμα appendi ex colore et forma externa, quae adulterari possunt, examinari postulant. 2. Ex hoc fundamento apparet, quid respondendum sit Bellarmino inconstantiam et opinionum divortia nobis in hac quaestione objicienti, sic enim scribit lib. 4. de eccles. c. 2. §: *Lutherus in libro de conciliis et ecclesia in ultima parte libri proponit has septem notas: Primo veram et incorruptam praedicationem evangelii; secundo legitimam administrationem baptismi; tertio legitimum usum eucharistiae; quarto legitimum usum clavium; quinto legitimam electionem ministrorum, qui doceant et sacramenta ministrent; sexto orationem publicam et psalmodiam et catechismum, sed lingua, quae intelligatur ab omnibus; septimo mysterium crucis, id est tribulationes intus et extra. Ceteri vero solent duas tantum proponere, quae complectuntur primas quinque notas Lutheri, hoc est praedicationem sinceram* XI. 18[illegible]
verbi Dei et sincerum usum sacramentorum. Ita docet confessio Augustana et Apologia ejusdem, item Brentius etc. *Centuriatores his duabus addunt alias duas, quae possunt reduci ad quintam et septimam Lutheri, hoc est constantiam in confessione fidei sive perseverantiam et obedientiam erga ministros verbi, quatenus ipsum verbum annuntiant.* Respondemus: Lutherus ipse in eodem loco diserte fatetur, notas illas non esse unius generis, nec omnes eodem modo necessarias, primam tantum simpliciter necessariam, reliquas vero omnes praeter primam abesse posse, sic enim scribit: *Si nullum aliud signum conspici posset praeter hoc unicum (intelligit autem primum), tamen satis esset hoc ad convincendos animos, quod ibi esset catholica ecclesia.* Praeterea quas notas Lutherus dividit, eas alii conjunctim enumerant. Baptismi et eucharistiae legitimum usum revocamus ad unam notam, scilicet sacramentorum legitimam administrationem. Evangelii praedicatio, catechismus, ministrorum electio, invocatio itidem pertinent ad unam notam, scilicet puram verbi praedicationem. Obedientia ministerio debita, quam ex Cypriano de cultu virginum et Augustino de fide et symb. addunt Philippus Melanthon in exam. Cassander in consult. et alii, continetur in duabus istis notis, potissimum enim elucet in auscultatione verbi et usu sacramentorum, ex quibus tanquam fructus ex arbore enascitur. Crux est accidens aliquod et conditio ecclesiae, non autem propria et essentialis nota, ideo autem annumeratur reliquis notis, quia est ferme perpetuus comes verae ecclesiae. Si de propriis et essentialibus notis sermo sit, omnes uno ore dicimus, tales ecclesiae notas esse duas, puram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. 3. Notandum hoc loco, praedicationem evangelii et administrationem sacramentorum κατ' ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολήψεως τρόπον diversa considerandi ratione esse causam formalem ecclesiae et esse effectum seu officium ecclesiae.

Digitized by Google

Causa formalis est ecclesiae, scilicet constituendae et conservandae, dum ipsa discit ex verbo et per verbum ac sacramenta Deo colligitur; officium et effectum est ecclesiae, scilicet jam constitutae, dum alios docet ac informat. Proinde hae notae nostrae, sincera scilicet praedicatio verbi et legitima sacramentorum administratio, tum a priori, tum etiam a posteriori ecclesiam notant ac demonstrant. A priori, quia ecclesiam constituunt et conservant; a posteriori, quia ecclesia verbo Dei et usu sacramentorum constituta ipsa jam verbum Dei rursus praedicat, aliis commendat, interpretatur, sacramenta administrat, doctrinam vindicat, asserit et propagat. 4. Cum pura verbi praedicatio legitimum sacramentorum usum includat (si quidem sacramentum est verbum aliquod visibile) cumque non sit eadem sacramentorum quam est verbi et fidei ad salutem necessitas (siquidem ecclesia Israëlitica per 40 annos in deserto circumcisionem intermisit), ideo si stricte velimus loqui, posset una tantum propria et essentialis ecclesiae nota constitui, videlicet pura verbi praedicatio, cujus appendix est legitimus sacramentorum usus. 5. Monendum etiam illud, nos hoc loco de talibus notis agere, quae proprie et immediate ab illis attendendae sunt, qui in ecclesia Christiana versantur et ambigunt, quinam Christianorum coetus sint vera, sincera et incorrupta ecclesia, hoc est qui admittunt Scripturas. Quod enim gentiles attinet, qui Scripturarum sacrarum auctoritatem non admittunt, illis ex testimonio ecclesiae et *χριτηρίοις* internis Scripturae a. auctoritas prius demonstranda est, antequam ex doctrina, hoc est ex congruentia doctrinae cum scripturis sacris, de ecclesia sincera et incorrupta judicare possint. Hinc Augustinus lib. de unit. ecclesiae contra Petilianum Donatistam c. 3. disputans, *ecclesiam in canonicis sanctorum librorum auctoritatibus quaerendam et demonstrandam esse*, diserte addit haec verba: *Sunt libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Sed hac de re uberius
XI. 190. dicetur inferius, quando Bellarmini argumenta contra nostras notas excutiemus. 6. Ab hac sententia nostra de ecclesiae notis non discedunt, qui dicunt, *ex Scriptura discendam esse ecclesiam*, vel quod idem est, *verbum Dei revelatum et communicatum esse notam, qua in verae ecclesiae notitiam pervenire possumus*, quia pura verbi praedicatio ex Scriptura, sive quod idem est ex verbo Dei revelato in Scripturis proposito dijudicanda est. An et quatenus pura sit verbi praedicatio, non potest aliter nisi ex Scripturis cognosci; qui ergo statuit, puram verbi praedicationem esse ecclesiae notam, eo ipso dicit, ex Scriptura de veritate et sinceritate ecclesiae judicium faciendum esse, sicut stella ostendebat Magis domum, in qua erat Christus cum matre sua Matth. 2, v. 9. sic lux verbi coelestis manifestat nobis et Christum et domum, in qua Christus est, id est ecclesiam. 2. Petr. 1, v. 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernae* etc. Quemadmodum Christus ecclesiae caput, cum in terris versaretur, non ex pompa quadam externa, sed solum ex verbo, id est ex vaticiniis propheticis, agnoscebatur; sic ecclesia, quae est ipsius corpus mysticum, non nisi ex verbo cognoscitur, quae fuit comparatio Bradfordi referente Foxo in martyr. p. 1613. ** 7. Vera ecclesia falsae opponitur vel *contradictorie*, id est non ecclesiae, seu ipsam essentiam baptismi et religionis totius evertenti; vel *privative*, id est non orthodoxae ecclesiae. Posteriore significatu ecclesia apostasiae partialis rea non est vera ecclesia propter depravationem religionis, sed est falsa, id est vitiata et impura ecclesia. Prioris oppositionis respectu concedimus, talem ecclesiam esse veram, quod patet: 1. ab initiatorii sacramenti, quod retinet, veritate, unde *baptizati ab Arianis non fuerunt a veteribus rebaptizati*, Augustinus epist. 203.; 2. a communicatione verbi facta per publicam textuum biblicorum lectionem, quae etiam praedicatio quaedam est, Actor. 15, v. 21.** 7. Notandum tamen, quod puritatis illius sint certi quidam gradus, quia verbum Dei aliquando magis pure, aliquando vero minus pure in ecclesia praedicatur, nec statim desinit esse ecclesia, si vel maxime in quibusdam religionis capitibus non pure doceat. Quo igitur purius et sincerius in ecclesia praedicatur Dei verbum, quo propius ad normam Scripturae sacrae praedicatio et doctrina accedit, eo purior et sincerior erit ecclesia; quo vero longius a regula verbi recedit, eo impurior et corruptior erit ecclesiae status. Nec tamen per quamvis corruptelam desinit esse ecclesia, quia ostendimus superius, Deum etiam tunc semen sanctum et spirituales filios sibi generare et conservare, quando publicum visibilis ecclesiae ministerium est corruptum. Proinde visibilis ecclesia quoad formam externam, sive quod idem est, quoad publicum ministerium, consideratur vel in statu puro et incorrupto, vel in statu impuro et aliqua ex parte corrupto. Quando notae ecclesiae dicuntur pura verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio, tunc consideratur ecclesia in statu priori et comparatione facta non solum ad coetus profanos, sed etiam ad ecclesiam corruptam et impuram; idque recte fieri apparet ex eo, quod *definitiones, regulae ac canones dari debent de idea*, quodque ecclesiae corruptae secundum normam et formam doctrinae sincerioris et purioris reformandae, restituendae ac repurgandae sint. 8. Notandum denique, totas ecclesias non esse aestimandas ex solis pastoribus, nec ex quibusdam paucis; proinde non esse statim totas ecclesias damnandas, si vel pastores vel quidam pauci ab integritate et sinceritate doctrinae discedant, quia *puriores saepe sunt auditorum aures quam labia docentium*, ac multi in corrupto ecclesiae statu retinentes fundamentalia doctrinae capita erroribus, quos pseudodoctores in ea spargunt, vel non assentiuntur, vel sine ulla pertinacia iis adhaerent, vel ex illis ante finem vitae iterum eluctantur.

127. His ita praemissis sententiam nostram con- **Probatur nostra**

sententia, quod pura XI. 191. praedicatio verbi et legitima sacramentorum administratio sint notae ecclesiae. 1. Joh. 10, v. 27: Oves meae vocem meam audiunt.

firmabimus. Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 2. pauca quaedam Scripturae et patrum dicta velut arenam sine calce pro nostra sententia adducit, ut lectori praebeat occasionem suspicandi, firmioribus et pluribus fundamentis nos in hac quaestione destitui. Videamus, quomodo illis satisfacere conetur, antequam argumenta nostra in medium afferamus. 1. Joh. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt.* Ergo ibi est ecclesia, ubi auditur verbum Dei. Excipit Bellarminus, *hunc locum nequaquam docere, ubi sit ecclesia, sed qui sint electi, nimirum qui corde perseveranter audiunt et retinent verbum, cum autem non possit sciri, qui corde audiant, non potest haec esse visibilis nota ecclesiae.* Respondemus: 1. Sciri quidem a nobis certo apodictice non potest, qui ex animo Christi vocem audiant eique obsequantur ac proinde sint electi, interim hoc scire possumus, ubicunque sonat Christi vox, ibi esse aliquos, qui eam ex animo audiant eidemque obsequantur, quia vox Christi habet adjunctam Spiritus sancti efficaciam ac proinde non sonat absque fructu. Jam vero ubicunque sunt aliqui, qui vocem Christi audiunt, ibi sunt electi; ubi sunt electi, ibi est ecclesia, quia extra coetum vocatorum non sunt quaerendi electi. 2. Quamvis sciri non possit, qui corde perseveranter audiant Christi vocem, tamen Christi vocem publice in coetu ecclesiae sonantem audire possumus. Itemque an praedicatio verbi in publico coetu sonans cum voce Christi in Scripturis sacris nobis proposita conveniat, explorare possumus, ergo etiam quae sint verae Christi oves et verae ecclesiae membra, ex hac nota perdiscere possumus. 3. Hoc ipsum probat scopus illius concionis. Christus vult evincere, Judaeos non esse membra verae ecclesiae, assumit probationis loco auditum verbi tanquam certam et infallibilem ecclesiae notam, Joh. 8, v. 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Joh. 10, v. 26: *Non estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis;* v. 27: *oves* (enim) *meae vocem meam audiunt.* Ostendit igitur, eos non esse de suo ovili, hoc est non pertinere ad veram ecclesiam, quia scilicet non audiunt vocem pastoris. 4. Possumus docendi gratia distinguere inter oves Christi, quaedam enim interius tales sunt, videlicet vere pii, qui per efficacem Spiritus s. operationem interiore cordis assensu ac fiducia vocem Christi audiunt eamque sequuntur; quaedam vero exterius duntaxat tales se gerunt, videlicet qui absque interiore cordis regeneratione exterius profitentur Christi doctrinam. Quemadmodum oves Christi, quae interius tales sunt, per internam auscultationem vocis Christi distinguuntur ab hypocritis coetui ecclesiae externo intermixtis, ita quoque oves Christi, quae exterius tales sunt, per externam auscultationem et professionem vocis Christi distinguuntur ab aliis coetibus profanis et haereticis; proinde qui vocem Christi audiunt, sunt de ecclesia, qui exterius duntaxat illam audiunt, sunt de ecclesia externa et visibili; qui auribus externis et fide interna simul audiunt, sunt de externa et interna, visibili et invisibili ecclesia. Relinquitur igitur, quod verbum Dei sit vera nota, qua Christi ovile ab illis coetibus, qui non sunt Christi ovilia, distinguitur. Chrysostomus hom. 60. in Joh.: *Qui sequuntur Christum, hi sunt ex ovili.* 5. Conjungimus dictum Johannis baptistae Joh. 3, v. 29: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ut Christus intelligitur esse sponsus ex eo, quod solus habet sponsam, ita quoque sponsa sive ecclesia intelligitur esse sponsa ex eo, quod habetur a sponso, id est peculiariter ab eo tenetur, diligitur, ducitur, regitur; ab unius illius voce et imperio pendet, alteri vero per doctrinas idololatricas sese non prostituit. Amici sponsi intelliguntur ex eo, quod audientes vocem sponsi gaudent, id est quod delectantur in Christi voce, unice eam audiunt, alienum vero non sequuntur. Ergo vox Christi in Scripturis sonans est unica norma ac regula agnoscendi sponsam Christi et amicos sponsi.

128. 2. Ephes. 5, v. 25: *Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea*, v. 26: *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo.* Ecclesia mundatur verbo, ergo ubicunque est verbum mundans, ibi est ecclesia. Excipit Bellarminus, *mundationem illam esse invisibilem, nec Paulum ibi docere, quae sit vel ubi sit ecclesia, sed quid boni Deus contulerit ecclesiae.* Respondemus: 1. hoc dictum nec unice nec praecipue pro nostra sententia adducimus, sed plura et illustriora nobis suppetunt. 2. Baptismus est bonum ecclesiae proprium; ubicunque ergo verus et integer baptismus administratur, ibi aliqua ecclesia Deo colligitur. Baptismus est sacramentum initiationis, quo aperitur ingressus in ecclesiam; ergo ubicunque parvuli baptizantur, panditur ecclesiae janua et ostium regni coelorum. Ubicunque administratur verus et integer baptismus, ibi est *lavacrum regenerationis et renovationis*, quia baptismus ab apostolo sic definitur Tit. 3, v. 5. ibi etiam offertur salus baptizatis, quia Deus *per baptismum* dicitur nos *salvos facere* 1. Petr. 3, v. 2. Jam vero extra ecclesiam nulla fit regeneratio et extra ecclesiam non est salus. Ergo ubicunque administratur baptismus, ibi est aliqua Christi ecclesia. 3. Firmiter igitur ex hoc loco apostolico concludi potest, baptismum esse notam ecclesiae, quia apostolus ecclesiam ad baptismum alligat et baptismum non nisi intra ecclesiam dispensari confirmat, quando notanter dicit, *Christum sanctificasse ecclesiam lavacro aquae in verbo.* 4. Si obvertas, *etiam in coetibus haereticorum administrari baptismum*, respondemus: verbum et sacramenta simpliciter loquendo sunt nota ecclesiae, ubicunque enim sonat verbum et administrantur sacramenta, ibi est aliqua ecclesia. Quia vero non sunt iidem puritatis et sinceritatis gradus in ecclesiis, ideo dicimus, puram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem esse notas ecclesiae, quibus scilicet ecclesia pura et sincera a corrupta

2. Ephes. 5, v. 25: XI. 192 Christus dilexit ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea.

Digitized by Google

et impura distinguitur. Deinde in coetibus haereticorum accurate distinguendum pretiosum a vili, id est illud, quod est ecclesiae proprium, ab eo, quod est humana ratione adinventum. Baptismus in coetibus haereticorum integre administratus et quaedam doctrinae capita pura et incorrupta adhuc conservata sunt bona ecclesiae propria, sed corruptelae et errores admixti sunt fermentum alienum, proinde si vel maxime baptismus in coetibus haereticorum administretur, tamen non desinit esse bonum ecclesiae proprium, ac proinde etiam est illius nota infallibilis.

3. Matth. 18, v. 20: Ubi duo vel tres congregati sunt etc.

129. 3. Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ille coetus est vera ecclesia, quia congregatur in Christi nomine. Jam vero in Christi nomine congregantur, qui secundum verbum ejus congregantur. Excipit Bellarminus, *hunc locum non demonstrare, ubi sit ecclesia, sed ubi sit Christus; deinde addit, congregari in Christi nomine esse congregari ab illis, qui funguntur Christi auctoritate, quales sunt episcopi legitime ordinati et succedentes aliis et aliis usque ad apostolos, quos Christus primo reliquit suo loco.* Respondemus: 1. Gratiosa Christi praesentia in sola vera ecclesia locum habet. Si ergo hoc dictum ostendit, ubi Christus sit gratiose praesens, utique etiam ostendit, ubi sit vera ecclesia, nimirum ubi homines congregantur in Christi nomine. Jam vero illi solum congregantur in Christi nomine, qui audiunt vocem Christi, qui Christum suum doctorem et servatorem unicum agnoscunt, qui veram Dei notitiam et cultum ex verbo hauriunt. 2. Christus est ecclesiae caput, ecclesia est corpus Christi mysticum. Si ergo ostendit hic locus, ubi sit ecclesiae caput, utique etiam ipsam ecclesiam ostendit. Nulla potest esse clarior et illustrior ecclesiae nota, quam gratiosa Christi praesentia et inhabitatio. Jam vero Christus illi coetui adest, in quo sonat Dei verbum. Joh. 14, v. 23: *Si quis sermonem meum servaverit, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* 3. Ne verbulo quidem hoc loco mentio fit de ordinaria episcoporum successione, quam
II. 193. Bellarminus requiri somniat, ut in nomine Christi congregatio fiat. Pontifices Hierosolymitani, scribae et Pharisaei erant tunc temporis in ordinaria successione Aaronis, neque tamen congregabantur in Christi nomine, sed potius contra Christum, ut historia evangelica ostendit. Ac docent exempla aliquot conciliorum, etiam illos episcopos, qui sunt in ordinaria successione, congregatos fuisse contra Christum et veritatem. Qui non sunt Christi, non possunt in nomine Christi congregari. Jam vero *qui non audiunt vocem Christi, non sunt Christi* Joh. 10, v. 27. Ergo qui non audiunt vocem Christi, non possunt in nomine Christi congregari. 4. Parum refert, a quo congregentur illi, de quibus hoc dictum loquitur, modo in Christi nomine congregentur, a quocunque congregentur homines pii sive plures sive pauciores, sive ab episcopis sive a magistratu politico, sive occulte sive aperte, modo in Christi nomine congregentur, quod fit, si verbum ejus audiant et sequantur, ibi Christus est in medio eorum, ibi etiam est ecclesia. Qui vero non congregantur in Christi nomine, qui verbum ejus repudiant, si vel maxime ab episcopis congregentur, in illorum medio non est Christus gratiose praesens. Cyprianus tractat. 3. de simpl. praelatorum: *Nec se quidem vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus: Ubicunque duo aut tres fuerint collecti in nomine meo, ego cum illis sum; corruptores evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt et superiora praetereunt, partim memores et partim subdole corrumpentes. Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ejus evangelio separari? propter quos clamat Esaias: Vae vobis filii desertores, habuistis consilium, et non per me, fecistis conventionem, et non per Spiritum meum.* Chrysostomus homil. 61. in Matth.: *Dominus apostolorum similes denotare videtur. Ex vobis inquit, qui virtute polletis, qui evangelicam doctrinam recte vivendo complectimini.* Nicolaus de Clemangiis de corr. ecclesiae statu: *Non omnes, qui in conciliis congregantur, in Christi nomine congregantur, non est putandum, carnales filios ecclesiae, qui temporalia quaerunt, spiritualia non curant, concilia eo fine agitant, ut ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari.* Et addit, *ecclesiam suo tempore fuisse plenam talibus et nullos fere nisi tales inveniri.*

130. 4. Joh. 10, v. 35: *Scriptura illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* Ergo ibi est populus seu ecclesia Dei, ubi sermo Dei praedicatur. 5. Joh. 15, v. 3: *Vos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis.* Ergo sermo Christi, qui est evangelium, demonstrat, ubi sit ecclesia, quae coram Deo sit munda. 6. Rom. 1, v. 16: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Ergo ubi est evangelium, quod agnoscitur fide, ibi Deus habet ecclesiam, in qua est efficax ad aeternam salutem, Brentius in conf. Wirtemb. cap. de ecclesia. Excipit Bellarminus 1. *locum Johannis 10. nihil probare, tum quia ibi dicantur dei soli principes, quibus Deus aliquid commisit; tum quia verbum Dei non faciat deos, si tantum praedicetur, sed si recipiatur et credatur, at hoc est invisibile.* Respondemus: propria nota populi Dei est, quod ad illum sermo Dei factus sit, quodque illum sermonem receperit. Illud recipere fit duobus modis, vel exterius tantum, si nimirum Dei verbum publice sonet et auribus percipiatur; vel simul etiam interius, nimirum si cordis auribus et fide interiori recipiatur. Qui exterius duntaxat sermonem Dei recipiunt, externa duntaxat societate ecclesiae conjuncti sunt. Qui vero auribus corporis et fidei simul sermonem Dei recipiunt, non ad externam solum, sed etiam internam ecclesiae societatem pertinent et interna communione Christo sunt conjuncti. Quamvis vero interior illa sermonis divini per fidem receptio sit invisibilis, tamen exterior

4. Joh. 10, v. 35: Scriptura illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.

5. Joh. 15, v. 3: Vos mundi estis propter sermonem meum.

6. Rom. 1, v. 16: Evangelium est potentia Dei ad salutem.

Digitized by Google

receptio in publica praedicatione et professione consistens, in sensus incurrit, ideoque ecclesiae visibilis nota esse potest; accedit etiam, quod interior illa receptio per fructus fidei, videlicet omnis ge-
XI. 194. neris bona opera, sese exserit. 2. Ad locum Joh. 15. excipit eodem modo, *mundationem scilicet illam esse invisibilem et reddere ecclesiam mundam ac manifestam coram Deo, non autem coram hominibus.* Respondemus: Quamvis interior mundatio cordium per sermonem Christi fide receptum sit invisibilis, tamen sermo Christi, qui fide receptus mundationem illam efficit, in publico visibilis ecclesiae ministerio sonat et in sensus incurrit, proinde potest esse visibilis ecclesiae nota. 3. Ad locum Rom. 1. eandem exceptionem repetit, *fructum evangelii esse invisibilem.* Respondemus: Distinguendum inter externam evangelii praedicationem et internam in cordibus humanis fructificationem; haec quidem invisibilis est, illa vero in sensus incurrit. Adde quod ipsa illa interior fructificatio per externa opera in renatis sese exserit et ecclesiam aliquam in hoc coetu Deo colligi manifeste ostendit. Ubicunque enim sonat et praedicatur Dei verbum, profert aliquos fructus nec redit ad Deum vacuum. Ergo ubi sonat et praedicatur verbum, ibi est aliqua ecclesia. Regerit Bellarminus, *hanc rationem id solum probare, quod ubi praedicatur verbum, ibi sint aliqui boni, sed nos illos non novimus.* Respondemus: licet in individuo non possimus scire, quinam sint vere renati et electi, tamen hoc scire possumus, ubicunque sonat verbum et administratur baptismus, ibi esse aliquos vere pios et electos atque ibi aliquam esse et colligi Deo ecclesiam, quia extra coetum vocatorum non sunt quaerendi electi. Aliud igitur effugium quaerit Bellarminus ac plane negat, *verbum Dei esse efficax, ubicunque praedicatur. Tum demum* (inquit) *fructificat Dei verbum, cum legitime praedicatur, id est a praedicatoribus missis ab ordinaria potestate, inter haereticos non fructificare nisi lolium.* Respondemus: per ordinariam potestatem intelligit Bellarminus pontificem Romanum et illius episcopos, sed illorum auctoritatem simpliciter et absolute requiri ad missionem ministrorum ecclesiae et verbi fructificationem, gratis et sine ullo Scripturae fundamento asseritur. Nec Christus, nec Johannes missi erant ab ordinaria potestate, id est a scribis et Pharisaeis in cathedra Moysis sedentibus, unde etiam audire coguntur, in qua potestate muneris sui partes exsequantur, Matth. 21, v. 23. Marc. 11, v. 27. Luc. 20, v. 1. Quod ad coetus haereticorum attinet, in illis si legitimus et integer administratur baptismus et quaedam doctrinae capita serventur incorrupta, aliquam Deo inter eos colligi ecclesiam negari nequit, alias enim sequeretur, baptismum non esse lavacrum regenerationis et renovationis, nisi a ministro catholico administretur, qua ratione ministri qualitas ad integritatem baptismi requireretur, qui fuit Donatistarum error. Distinguendum igitur, ut supra monuimus, inter pretiosum et vile, inter id quod est Dei et quod est hominum. Baptismus, qui in coetibus haereticorum administratur integer, et capita illa doctrinae, quae in haereticorum coetibus adhuc sonant incorrupta, sunt Dei, proinde per haec media generantur Deo spirituales filii et filiae; sed errores et corruptelae admixtae sunt hominum, per quas nil nisi lolium generatur.

131. Sed accedimus ad fundamenta nostrae sententiae a Bellarmino praetermissa. 1. Quidquid rem notandam certo ostendit eique soli et semper convenit atque eam ab aliis omnibus rebus distinguit et ei adaequatur ac proinde separari ab ea nequit, illud est rei illius nota vera, certa, propria, infallibilis ac perpetua. Sed pura evangelii praedicatio et legitimus sacramentorum usus veram ecclesiam certo ostendit eique soli et semper convenit atque eam a quibusvis aliis coetibus distinguit ac proinde ab ea separari nequit. Ergo pura evangelii praedicatio et legitimus sacramentorum usus est ecclesiae nota vera, certa, propria, infallibilis ac perpetua. ** Distinguit haec nota ecclesiam 1. a paganis; 2. a Judaeis; 3. ab haereticis. ** Propositio sua luce radiat. Assumptio itidem patet, quia pro- XI. 195.
prium ecclesiae officium est docere evangelium et administrare sacramenta, Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. quod officium quando actu obit, vocatur effectum, unde inferimus hoc modo. Omnis effectus proprius ostendit suam causam, sive omne officium proprium certo ostendit suum subjectum. At praedicare evangelium et administrare sacramenta est effectus proprius sive proprium ecclesiae officium. Ergo praedicatio evangelii et administratio sacramentorum certo ostendit veram ecclesiam. ** Quemadmodum in demonstratione sunt tria: 1. subjectum; 2. principia; 3. affectiones seu proprietates, quae de subjecto dicuntur et subjecti naturam designant; sic hoc loco datur subjectum, quod est ecclesia; notae seu affectiones, quae per principia ex Scripturis desumta demonstrantur. Notae debent esse immediatae, propriae, id est subjecto soli et semper inhaerentes, a subjecto inseparabiles et subjectum ab omnibus aliis discernentes, quod ne ipse quidem Bellarminus negat. Atque tales notae non dantur aliae, quam pura verbi praedicatio et legitimus sacramentorum usus. ** Porro ecclesiae soli et semper convenire evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem, inde constat, quod haec sint bona ecclesiae propria et extra ecclesiam nunquam inveniantur, ut propterea firmiter et immote colligi possit. Ubicunque praedicatur verbum et administrantur sacramenta, ibi colligitur Deo ex genere humano ecclesia. Eadem quoque ecclesiam ab aliis coetibus distinguunt, ecclesiae adaequantur et separari ab ea non possunt, ut propterea firmiter et immote colligi possit. Ubi est praedicatio verbi et sacramentorum administratio, ibi est ecclesia; et vicissim, ubi est ecclesia, ibi est praedicatio verbi et sacramentorum administratio, quemadmodum effectus proprius arguit suam causam a posteriori, et causa arguit proprium suum effectum a priori. Re-

Alia sententiae nostrae fundamenta a Bellarmino praetermissa. 1. Hae notae soli ecclesiae conveniunt et a reliquis coetibus eam distinguunt

Digitized by Google

petendum tamen hoc loco ex superioribus, habere ecclesiam in puritate verbi suos gradus, ut alias magis, alias minus sincera sit et pura, proinde ut praedicatio verbi et sacramentorum administratio est nota ecclesiae simpliciter et absolute loquendo, ita pura verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio est nota ecclesiae purae et incorruptae. Ut per praedicationem verbi et sacramentorum administrationem ecclesia distinguitur a coetibus profanis, qui sunt extra ecclesiam; sic per puram verbi praedicationem et per legitimam sacramentorum administrationem distinguitur a coetibus haereticis, qui sunt in ecclesia.

2. Verbo Dei et usu sacramentorum ecclesia constituitur, congregatur, alitur et conservatur.

132. 2. Quibus ecclesia constituitur, congregatur, alitur et conservatur, illa sunt propriae, genuinae et infallibiles ecclesiae notae. Sed verbo Dei et usu sacramentorum ecclesia constituitur, congregatur, alitur et conservatur. Ergo verbum Dei et usus sacramentorum sunt propriae, genuinae et infallibiles ecclesiae notae; et per consequens, ubicunque illa pura sunt, ibi pura est ecclesia. Propositio est manifesta, quia nulla est certior rei nota, quam propria illius causa et quidem formalis. Jam vero quo res aliqua constituitur, congregatur, alitur et conservatur, illud est propria ipsius et adaequata causa. Accidentia communia non nisi opinionem incertam ac dubiam generant, sed internae et essentiales causae ac proprietates essentiales certam et immotam scientiam praebent. Assumptum patet ex multis Scripturae testimoniis. Quod ex verbo tanquam incorruptibili semine ecclesia generetur, disertis verbis adstruunt Paulus 1. Cor. 4, v. 15: *In Christo Jesu per evangelium vos genui.* Petrus 1. epist. 1, v. 23: *Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem viventis Dei et manentis in aeternum;* ac Jacobus c. 1, v. 18: *Progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiae quaedam suarum creaturarum.* Tertullianus de praescript. c. 20: *Apostoli in orbem profecti eandem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgarunt et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus tra-*
XI. 196. *ducem fidei et semina ipsa doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant.* Quod per usum sacramentorum colligat sibi Deus ecclesiam, patet ex sequentibus dictis Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare regnum Dei.* Eph. 5, v. 26: *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam.* Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.* 1. Cor. 10, v. 17: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* Inde Christus ablegans apostolos in totum terrarum orbem ad colligendam ex genere humano ecclesiam instruit illos hoc mandato: *Docete omnes gentes baptizantes eos ac docentes eos servare quaecunque praecepi vobis* Matth. 28, v. 19. 20. ac Paulus vocat se λειτουργὸν *Jesu Christi in gentes, sacrificantem Dei evangelium, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum* Rom. 15, v. 16. Esaiae 2, v. 2. praedicitur, maximum fore hominum ad ecclesiam in N. T. concursum; v. 3. subjungitur causa, quia *ex Sion prodibit lex et verbum Domini ex Jerusalem.* Ergo per verbum homines ad ecclesiam congregantur. Quodsi per verbum incipit esse ecclesia, ubi antea non erat ecclesia, utique ergo verbum est ecclesiae nota.

3. Per verbum et sacramenta populus Dei ab aliis coetibus distinguitur.

133. 3. Per quod populus Dei ab aliis coetibus distinguitur, illud est propria ecclesiae nota. Per verbum et sacramenta populus Dei ab aliis coetibus distinguitur. Ergo verbum et sacramenta sunt propriae ecclesiae notae; et per consequens, ubicunque illa pura sunt, ibi etiam est pura ecclesia. Propositio confirmatur ex eo, quod ecclesia et populus Dei in Scripturis sacris sunt ἰσοδυναμοῦντα, uti constat nec indiget probatione. Assumtum ex multis Scripturae dictis confirmari potest. Quod per verbum populus Dei ab aliis coetibus distinguatur, docent cumprimis sequentia dicta. Deut. 4, v. 6: *Observate et facite omnia statuta Jehovae, nam haec est sapientia vestra et prudentia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista dicent, gens ista maxima est populus sapiens et prudens*, ubi statuta Jehovae, id est lex divina, dicuntur singulare decus et ornamentum populi Israëlitici, cuius ratione omnibus populis reliquis sit sapientior, quove ita commendabilis reddatur, ut pro populo Dei a gentibus agnoscatur. Psalm. 147, v. 19: *Indicat Deus verba sua Jacobo et statuta sua Israëli;* v. 20: *non fecit taliter omni nationi et judicia sua non manifestavit eis.* Quod Deus peculiariter in populum suum confert, per illud etiam a reliquis coetibus et a profanis gentibus distinguitur. Sed Deus in populum suum peculiariter hoc beneficium confert, ut verbum suum illi revelet. Ergo per illud a reliquis coetibus distinguitur, et per consequens illud est propria populi Dei sive ecclesiae nota. Quod per sacramenta populus Dei ab aliis coetibus distinguatur, patet ex institutione circumcisionis et agni paschalis in V. et baptismi ac coenae Dominicae in N. T. haec enim sacramenta instituta sunt inter alias causas etiam hoc fine, ut ecclesia per illa a reliquis coetibus distinguatur. Augustinus lib. 2. contra Parmen. c. 13. sacramenta vocat *characteres ecclesiae.* Lib. 29. contra Faustum c. 11: *In nullum nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Basilius homil. 13. ad popul. de variis: *Tesseram duces sub se militantibus dant, ut amici facilius invicem se noscentes exhortentur et si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni ac separari possint. Quodsi forte commilitonum separatio fiat, nemo te, quarum, nostrarum an adversarii, partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem prae te feras, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini, nisi characterem in te agnoscat angelus, quonam modo pro te pugna-*

Digitized by Google

bit, quomodo dices, Dei sum, signa non ostendens etc.

XI. 197. 4. Verbum et sacramenta sunt bona ecclesiae propria.

134. 4. Quae sunt bona ecclesiae propria, ea etiam sunt propriae ecclesiae notae. Verbum et sacramenta sunt bona ecclesiae propria. Ergo sunt propriae ecclesiae notae. Assumptum probatur. Esa. 59, v. 21: *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, inquit Jehova, ex hoc tempore usque in seculum*, ubi ecclesiae promittitur perpetua verbi conservatio ut bonum illius proprium. Matth. 13, v. 24. regnum coelorum comparatur *homini bonum semen in agrum suum serenti*, ubi per bonum semen intelligitur verbum Dei, per agrum vero ecclesia. Ergo ubi bonum Dei semen spargitur, ubi verbum pure praedicatur, ibi est Domini ager, ibi est ecclesia. Act. 2, v. 42: *Erant* (primitivae apostolicae ecclesiae discipuli) *perseverantes in doctrina apostolorum et in communicatione et in fractione panis et in precibus*, ubi proponuntur signa ac notae, quibus ecclesia apostolica ab aliis coetibus fuit distincta, inter quas eminet doctrina apostolorum et fractio panis sive coenae Dominicae usus, communicatio enim officiorum et preces sunt fructus doctrinae apostolicae. Rom. 3, v. 2. populo Israëlitico *concredita fuerunt eloquia Dei*, ubi τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, videlicet verba legis, ipsius Dei digito in tabulas lapideas scripta et reliqua divina eloquia per patriarchas, Moysen et prophetas revelata populo Israëlitico velut insignis quidam thesaurus et tanquam proprium ecclesiae bonum dicuntur concredita. Quo pertinet, quod Prov. 29, v. 18. rex sapiens dicit: *Cum defecerit prophetia, populus dissipatur*, ubi prophetia, id est sana doctrina, dicitur ecclesiae vinculum, quo invicem colligatur non quidem in externam aliquam politiam, illa enim conservari potest etiam deficiente prophetia sive sana doctrina, sed in sanctam ecclesiae societatem, quae sine prophetia esse nequit, ac proinde prophetia est bonum ecclesiae proprium et propria illius nota. Quod vero eo modo est ecclesiae proprium, ut cum eo ecclesia incipiat, cum eo etiam deficiat, illud utique est ecclesiae nota.

5. Ad verbum Dei tanquam ad normam fidei et morum ecclesia est adstricta.

135. 5. Ad quod ecclesia unice adstricta est tanquam ad normam ac regulam fidei et morum, illud est ecclesiae nota, quia normatum ac regulatum aestimatur et agnoscitur ex congruentia ad suam normam ac regulam. Jam vero ad verbum Dei tanquam ad normam ac regulam fidei et morum unice adstricta est ecclesia. Jos. 23, v. 6: *Roborate vos valde, ut custodiatis et faciatis, quidquid scriptum est in libro legis Moyse, ut non recedatis ab eo neque ad dextram, neque ad sinistram.* Esa. 8, v. 20: *Ad legem et ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Joh. 8, v. 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Gal. 1, v. 8: *Si nos, vel angelus e coelo evangelizet vobis, praeter quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, ubi apostolus docet, in ecclesia non debere audiri aliud evangelium atque aliam doctrinam, quam quae ab apostolis praedicata est. Eph. 2, v. 20. ecclesia dicitur *exstructa super fundamentum prophetarum et apostolorum*, id est super doctrinam prophetarum et apostolorum, proinde ex doctrina prophetarum et apostolorum agnoscenda est ecclesia. Quo referendum est illud, quod ecclesiae corruptae ac depravatae non aliunde quam ex verbo Dei reformari, repurgari et ad integritatem reduci possint ac debeant, utique ergo illae ecclesiae, quae ad normam verbi quam proxime accedunt, sunt verae ecclesiae, et per consequens ex regula verbi judicium faciendum est de ecclesia. Antecedens confirmatur exemplis piorum regum in V. T. qui ad normam legis in reformatione ecclesiae unice respexerunt et hoc nomine a Spiritu sancto laudantur 2. Reg. 23. Nehem. 8. etc.

XI. 198. 6. Per puram verbi praedicationem ecclesia vera a falsa distinguitur.

136. 6. Per quod sincerus ecclesiae doctor a pseudopropheta distinguitur, per illud etiam ecclesia vera a falsa distinguitur. Ratio est, quia qualis est doctrina, quae in publico ecclesiae ministerio sonat, talis etiam judicatur esse illa ecclesia. Si catholica doctrina in ea sonat, judicatur ac dicitur esse catholica; si haeretica doctrina in ea sonat, judicatur ac dicitur esse haeretica. Jam vero sincerus ecclesiae doctor a pseudopropheta per sanam et incorruptam doctrinam distinguitur. Ergo etiam per sanam et incorruptam doctrinam ecclesia vera a falsa distinguitur. Assumtum probatur Matth. 7, v. 16. postquam Christus pseudoprophetas cavendos esse dixerat, subjungit: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, ubi per fructus non intelliguntur mores, sed ipsa dogmata; ita vero exponitur Luc. 6, v. 45: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum et malus homo de malo thesauro profert malum, ex abundantia enim cordis os loquitur*, ubi de pseudopropheta judicium facere jubemur ex ipsius verbis sive ex doctrina, quam proponit, atque hoc modo exponunt plerique ex patribus fatente Stapletono lib. 10. de princ. fid. doctrin. cap. 1. **Bellarminus lib. 5. de grat. et lib. arbitr. cap. 10: *Dico, Matth. 7. per arbores bonas et malas intelligi doctrinas veras et falsas, vel ipsos homines, quatenus docent sanam doctrinam aut corruptam et perniciosam. Dominus enim vult eo loco nos instruere, ut caveamus a falsis prophetis. Docet autem, ex fructibus posse dignosci, utrum lupi sint, an pastores, id est haeretici ministri, an catholici episcopi.* Et post pauca: *Vult igitur Dominus Matth. 7. ut ex fructibus doctrinae de ipsa doctrina et doctoribus judicemus.* Stapletonus relect. contr. 2. qu. 4. art. 1. concl. 1: *Absque sana fide nemo legitimus ecclesiae minister esse potest. Probatur a majori, quia absque ea nec ecclesiae membrum est.* concl. 2: *Qui unitatem fidei deserit, pastor esse desinit.* Diversum tamen sentire videtur Gregorius de Valent. anal. lib. 6. c. 6. prob. 2. et 3. ubi *doctrinae sinceritatem* negat *ecclesiae signum, quia sit iidem obscura.* Barradius tom. 2. conc. evang. lib. 7. c. 30. p. 500: *Fructus mali, ex quibus pseudoprophetas agnoscendos esse salvator innuit Matth.*

Digitized by Google

7, *v. 16. non tam sunt pravi mores, quippe qui cadere possunt etiam in veros doctores, quam falsa doctrina et prava consectaria, quae ex ipsorum dogmatibus fluunt Deique cultum et veram pietatem impediunt.*** Act. 17, v. 11. Beroenses *scrutantur Scripturas, an haec ita se haberent, quae a Paulo et Barnaba praedicabantur;* dubium erat, an Paulus et Barnabas, an vero Judaeorum sacerdotes, qui erant in ordinaria successione, essent falsi doctores, neque enim doctrina eorum inter se consentiebat; hic Beroenses ex Scripturis judicium faciunt ac suo exemplo docent, ex congruentia doctrinae cum regula in Scripturis proposita sinceros doctores a pseudoprophetis esse distinguendos. 1. Joh. 4, v. 1: *Probate spiritus, an sint ex Deo.* Sed quae est norma illius probationis? Joh. 2, v. 9: *Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet;* v. 10: *si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum* etc.

Amor stu- um urbi est ota Chri- stiani. 137. 7. Quae est nota singulorum et omnium Christianorum, illam etiam oportet esse notam totius ecclesiae, quia ecclesia nihil aliud est quam collectio et congregatio Christianorum, 1. Cor. 1, v. 2. Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 15: *Multitudo constat ex singulis, nec aliunde beata civitas, aliunde homo, cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo.* Eodem modo et nos dicere possumus: Ecclesia constat ex singulis Christianis, nec aliunde agnoscitur ecclesia, aliunde Christianus, cum ecclesia non sit aliud quam concors Christianorum multitudo. Jam vero Christianus inde agnoscitur, si audiat vocem Christi, si amplectatur doctrinam propheticis et apostolicis libris comprehensam. Ergo etiam ex eo agnoscitur ecclesia. Quicunque audit vocem Christi, est ovis Christi, id est Christianus. Ergo qui coetus audit vocem Christi est coetus Christianus, id est ecclesia Christiana. Joh. 8, v. 31: *Si permanseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Ergo
II. 199. sermo Christi est nota discipulorum Christi. Possent plura in hanc sententiam afferri, sed contenti erimus illis, quae ex Scripturis fuerunt hactenus allata.

Icta strum. 138. Id ipsum ex variis patrum testimoniis demonstrari potest. Irenaeus lib. 3. advers. haeres. c. 1. statim in principio: *Apostoli evangelium, quod primum praeconiaverunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* (Si evangelium in Scripturis traditum est firmamentum et columna nostrae fidei, utique etiam erit nota ecclesiae, quia ecclesia est domus fidei.) cap. 4: *Praedicatio ecclesiae constans et aequaliter perseverans testimonium habet a prophetis et apostolis.* cap. 11. pag. 186: *Quia disseminata est ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum ecclesiae est evangelium et Spiritus vitae; consequens est, quatuor eam habere columnas, undique flantes incorruptibilitatem et vivificantes homines.* ** Ignatius in epist. ad Hieronem 10: *Omnis qui docet praeter ea, quae mandata sunt, habeatur pro lupo, quamvis jejunet, sive signa edat, sive prophetet.*** Clemens Alexandr. lib. 7. stromat.: *Ecclesiam antiquam et catholicam esse dicimus in unitatem unius fidei, quae est ex propriis testamentis vel potius ex testamento, quod est unum diversis temporibus.* Tertullianus lib. de praescript. advers. haeres. c. 21: *Illae sunt verae ecclesiae, quae tenent quod ab apostolis acceperunt, et quod apostoli a Christo et quod Christus a Deo; aliae vero ecclesiae, quae non sunt institutae ab apostolis, tamen si in eadem fide conspirent, non minus apostolicae deputandae sunt propter consanguinitatem doctrinae.* In eod. lib. c. 32: *Confingant aliquid haeretici, quid enim illis post blasphemiam illicitum? Sed si confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, non esse apostoli alicujus auctoris, neque apostolici.* In eodem libro cap. 3. ecclesiam sic loquentem introducit: *Sum heres apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sic teneo.* (Ergo doctrina apostolica est nota verae ecclesiae.) Cyprianus lib. 2. epist. 3: *Non jungitur ecclesiae, qui ab evangelio separatur.* Idem vel potius Rufinus in exposit. symb. dicit, *eam esse sanctam ecclesiam, in qua est una fides et unum baptisma, in qua unus Deus creditur Pater et unus Dominus Jesus Christus Filius ejus, et unus Spiritus sanctus.* Et postea addit, *ecclesiam esse, quae fidem Christi integre servat.* ** Athanasius in orat. de incarn. Domini: *Si discipuli estis evangeliorum, per Scripturas incedite dicente Domino: Si permanseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Idem orat. 2. contra Arian.: *Ecce nos de Scriptura loquimur candelam super candelabrum collocantes.* Basilius in Psalm. 80: *Non faciendum schisma ab ea ecclesia, quae Deum colit in Spiritu et veritate.*** Lactantius lib. 4. div. instit. c. 30. circa finem: *Sola catholica ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intraverit vel a quo si quis exierit, a spe vitae et salutis alienus est.* (Si verus Dei cultus in sola ecclesia viget et est bonum illius proprium, utique etiam erit ejus nota.) Epiphanius lib. 2. adv. haeres. tom. 1. haeres. 48. contra Marcionistas circa medium, postquam ex Scripturis contra Marcionem disputaverat, subjungit: *Proinde penitus discors a divinis Scripturis hic invenitur, velut omnibus manifestum est, qui attente legunt. Si itaque discors est, alienus est a sancta catholica ecclesia.* Hilarius in Psalm. 51: *Est autem domus Dei ecclesia et omnes fidei evangelicae sectatores.* (Ergo qui sectantur fidem evangelicam, illi sunt ecclesia.) Chrysostomus homil. 49. operis imperf. in Matth. pag. 722. edit. Froben. anno 1530: *Cum videritis haeresin impiam, quae est exercitus Antichristi, stantem in locis ecclesiae sanctis, tum qui in Judaea sunt, conferant se ad montes, id est qui sunt in*

Digitized by Google

Christianitate, conferant se ad Scripturas. Vera
XI. 200. *enim Judaea Christianitas est, montes autem sunt Scripturae prophetarum et apostolorum. Quare autem jubet* (Dominus), *hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit haeresis ecclesias, nulla probatio potest esse verae Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud volentium cognoscere fidei firmitatem.* Ibidem addit, *antea ostendi potuisse multis modis, quae esset ecclesia Christi et quae gentilitas, nunc autem, postquam scilicet haereses in ecclesia invaluerunt, nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quae sit vera Christi ecclesia nisi tantummodo per Scripturas.* Addit etiam rationem: *Quia omnia, quae Christi propria sunt in veritate, ea haereses habent in schismate, habent ecclesias, habent ipsas Scripturas divinas, habent episcopos ceterosque ordines clericorum, habent baptismum, habent eucharistiam, habent cetera omnia.* Postea probat, *nec ex miraculis, quae jam sublata, nec ex moribus Christianorum, qui degenerarunt, inveniri posse, quae sit vera ecclesia; unde concludit: Qui ergo vult cognoscere, quae sit vera ecclesia Christi, unde cognoscat nisi tantummodo per Scripturas? Sciens Dominus, tantam confusionem in novissimis diebus esse futuram, ideo mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere verae fidei ad nullam rem fugiant nisi ad Scripturas, alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur et peribunt non intelligentes, quae sit vera ecclesia, et per hoc incident in abominationem desolationis, quae stat in locis sanctis.* (Locus est egregius, qui ostendit, externas illas notas, quas Pontificii proferunt, esse incertas et fallaces, cum sint haereticis communes, proinde tantummodo per Scripturas, hoc est ex convenientia doctrinae cum Scripturis, veram ecclesiam a falsa distingui. Bellarminus excipit, *librum hunc esse a quodam Ariano corruptum*, sed huic cavillo respondimus superius. Certe in hoc loco auctor illius libri haudquaquam ἀρειανίζει, sed vere et orthodoxe scribit ac respondendum erat rationibus, quas auctor ille affert, non autem elevanda duntaxat ejus auctoritas.) Sed ne pergat Bellarminus hujus libri auctoritatem deprimere, afferemus locum ex opere Chrysostomi indubitato ex homilia 33. in Actor. apostolorum, pag. 680. ed. Commel. ubi non procul a fine sic scribit: *Quid respondebimus gentilibus? Venit gentilis ac dicit, vellem fieri Christianus, sed nescio, cui adhaeream, multae inter vos sunt pugnae, seditiones ac tumultus; nescio, quod dogma eligam, quod praeferam, singuli dicunt, ego verum dico; cui credam nescio, cum ego Scripturarum sim ignarus et illi utrinque idem praetexunt. Sane hoc multum pro nobis. Nam siquidem diceremus, nos rationibus credere, merito turbareris, sed cum Scripturas accipimus et illae simplices sunt ac verae, facile tibi fuerit judicare* (εὔκολόν σοι τὸ κρινόμενον), *si quis illis consentit, Christianus est; si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone,* εἴ τις ἐκείναις συμφωνεῖ, οὗτος χριστιανός, εἴ τις μάχεται, οὗτος πόῤῥω τοῦ κάνονος. *Quid igitur si veniens ille dicat, hoc habere Scripturam, tu autem aliud dicas, aliter scilicet enarrando Scripturas, mentem illarum pro te trahens? Tu igitur dic mihi, mentemne habes et judicium? Et quomodo possem, inquit, nesciens judicare vestra? Discipulus fieri vellem, tu autem me doctorem facis. Si haec dicat, quid respondendum, inquit, quomodo illi persuadendum? Interrogabimus, an hoc illi cavillum sit* (εἰ μὴ σκῆψις ταῦτα καὶ πρόφασις), *item interrogabimus, num condemnet gentiles? omnino aliquid dicet, non enim suis non condemnatis ad nos divertit. Rogabimus, ob quam causam sua condemnet. Non enim temere condemnat, manifestum quod dicet, eo quod creaturae sunt et non increatus Deus?* etc. Videantur ibidem sequentia. Idem hom. 6. in Matth.: *Ubi est fides, ibi est ecclesia; ubi non est fides, ibi non est ecclesia.* In Psalm. 96: *Multae orthodoxorum ecclesiae sunt, quae autem expertes sunt rectae fidei, haereticorum sunt ecclesiae.* Hom. 58. in Joh. per ostium ad ovile (ecclesiae) dicit significari Scripturas, *quoniam nos ad Deum ducunt*
et ejus nobis cognitionem aperiunt, ipsae oves fa- XI.
ciunt et custodiunt. Hieronymus lib. 1. in Mich. c. 1: *Ecclesia Christi, quae habitat bene et in toto orbe ecclesias possidens Spiritus unitate conjuncta est et habet urbes legis, prophetarum, evangelii et apostolorum, non est egressa de finibus suis, hoc est de Scripturis sanctis, sed coeptam retinet possessionem.* (Si Scripturae constituunt fines et limites ecclesiae, ergo eam definiunt et ostendunt.) in Ps. 133: *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. Ecclesia ibi est, ubi fides vera est.* in Ps. 5: *Dirige viam tuam in conspectu meo. Quae est ista via? Lectio Scripturarum, hoc est ne in Scripturis tuis, per quas ingredi cupio ecclesiam, corruam. Omnis enim qui male intelligit Scripturas, in via Dei corruit.* In c. 7. Jerem.: *Illud templum Domini est, in quo habitat vera fides, sancta conversio omniumque virtutum chorus.* In prooem. comm. in lament. Jerem. non longe a principio: *Doctrina ecclesiae, quae domus Dei est, in librorum reperitur plenitudine divinorum. Quae alia potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quam Christus ipse cognoscitur, qui est vita credentium?* (Si ex Scriptura cognoscimus Christum, qui est ecclesiae caput, utique etiam ipsam ecclesiam. Si doctrina ecclesiae reperitur in libris divinis, utique etiam ex Scripturis ecclesia cognosci potest ac debet.) Ambrosius libr. 2. de Jacob et vita beata c. 7: *Ibi est ecclesia Dei, in qua apparet Deus et loquitur cum servis suis. Ibi eripiuntur et absconduntur simulacra gentium. Fides enim ecclesiae omnem observantiam gentilitatis abolevit.* (Ergo ubi Deus apparet et cum servis suis loquitur, hoc est ubi doctrina coelestis praedicatur et verus Dei cultus retinetur, ibi est ecclesia.) Libr. 6. in Luc. c. 9: *Fides imprimis ecclesiae quaerenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, procul dubio legenda est; si vero populus perfidus aut praeceptor haereticus deformat habita-*

Digitized by Google

*culum, synagoga fugienda censetur. Si qua est ecclesia, quae fidem respuat nec apostolicae praedicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidiae possit adspergere, deserenda est. ** Petra tua Christus est, fides fundamentum ecclesiae, si in petra fueris, in ecclesia eris.*** (Si falsam doctrinam tenere est nota ecclesiae apostaticae, ergo veram doctrinam tenere est nota ecclesiae verae.) Lib. 1. de poenit c. 6: *Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Ex Augustino multa illustria proferri possunt testimonia lib. de unitate ecclesiae c. 2: *Inter nos et Donatistas quaestio est, ubinam sit ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis Donati eam quaesituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Jesu Christi? puto, quod in illius verbis eam quaerere debeamus, qui veritas est et optime novit corpus suum, novit enim qui sunt ejus.* (Si ecclesia in verbis Christi, hoc est in Scripturis sacris, quaerenda est, ergo Scriptura designat ecclesiam et est propria ejus nota.) c. 3: *Non audiamus, haec dico, haec dicis, sed audiamus, haec dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* (Nisi ex Scriptura cognosci posset, quae sit vera ecclesia, frustra in Scripturis quaereretur ecclesia.) Et postea in eod. cap.: *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis ecclesiam demonstrare* etc. *Quis posset singulas quasi haereses enumerare gentium singularum? Si autem Christi ecclesia canonicarum Scripturarum divinis et certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint et undecunque attulerint qui dicunt: ecce hic est Christus, ecce illic! audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri dicentis: nolite credere! Illae quippe singulae in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur, haec autem, quae ubique est, etiam ubi illae sunt, invenitur. Ergo in Scripturis sanctis canonicis eam inquiramus.* C. 4: *Ipsum caput, de quo consentimus, ostentat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus. Ille est*
II. 202. *autem unigenitus filius et verbum Dei et ideo nec prophetae sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate, quod est verbum Dei, manifestaretur iis, quod dicerent, et juberetur, ut dicerent. Proinde prioribus temporibus per prophetas sonuit verbum Dei, deinde per se ipsum, cum Verbum caro factum est et habitavit in nobis, postea per apostolos, quos misit ad se praedicandum, ut esset salus usque ad fines terrae. In his igitur omnibus quaerenda est ecclesia.* (Christus caput ecclesiae optime potest ostendere corpus suum; jam vero Christus locutus est nobis per prophetas et apostolos; ergo in illorum scriptis ecclesiam quaerere debemus. Sed quia verba prophetarum et apostolorum quaedam sunt aperta et propria, quaedam vero obscura et figurata, ideo Augustinus porro docet, in quibus verbis ecclesiam quaerere debeamus.) C. 5: *Sed quoniam multa figurate atque obscure posita per aenigmatis imaginem, vel ambiguitatis ancipitem sensum fallaci aliquando interpretatione consonare et convenire creduntur, hoc etiam praedico atque propono, ut aperta et manifesta deligamus. Quae si in sanctis Scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa et illustrarentur obscura* etc. *Sic et illa seponenda sunt, quae obscure sunt posita, et figurarum velaminibus involuta, et secundum nos et secundum illos interpretari possunt, et in hac ergo disputatione nostra parcamus talibus interpretationibus, et apertum aliquid, quo manifestetur ecclesia, requiramus.* C. 6: *Quare superordinatis dicendo, in nullis terris heredem permanere Christum, nisi ubi potuerit coheredem habere Donatum? Non invidemus alicui. Legite nobis hoc de lege, de prophetis, de psalmis, de ipso evangelio, de apostolicis literis. Legite et credimus.* C. 16: *Ecclesiam corpus Christi, sicut ipsum caput in Scripturis sanctis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus et opinionibus et factis et dictis et visis inquirere* etc. *Utrum ipsi ecclesiam teneant, non nisi divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus, nobis credi oportere, quia in ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendarit Optatus Milevitanus vel Ambrosius Mediolanensis vel alii innumerabiles nostrae communionis episcopi, aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa praedicata est, aut quia nostrorum collegarum per totum orbem, in locis sanctis, quae frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanitatum fiunt, quaecunque talia in catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus cum resurrexisset a mortuis et discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciae se pati arbitrarentur, magis eos testimonio legis et prophetarum et psalmorum confirmandos judicavit, ostendens, ea in se esse impleta, quae fuerant ante praedicta. Sic et ecclesiam suam commendavit dicens, praedicari in nomine suo poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Hoc in lege et prophetis et psalmis esse scriptum ipse testatus est. Haec sunt causae nostrae documenta, haec fundamenta, haec firmamenta, legimus in Actis apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quod quotidie scrutarentur Scripturas, an haec ita se haberent? Quas itaque Scripturas nisi canonicas legis et prophetarum? huc accesserunt evangelia, apostolicae epistolae, acta apostolorum, apocalypsis Johannis, scrutamini haec omnia et eruite aliquid manifestum, quo demonstretis, ecclesiam vel in sola Africa remansisse* etc. (Id ipsum Pontificiis dicimus, scrutamini haec omnia et eruite aliquid manifestum, quo demonstretis, eam esse veram ecclesiam, quae pontifici Romano adhaeret.) Cum quo consentit illud epistolae 48: *Non quisque nostrum in justitia sua, sed in Scripturis divinis* quaerit *ecclesiam.* Et epist. 166: *In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus ecclesiam, quare non in eis et*

Digitized by Google

Christum et ecclesiam communiter retinemus? etc.
XI. 203. Ecce *Scripturae communes, ecce ubi novimus Christum, ubi novimus ecclesiam.* ** Epist. 48. col. 178: *Ex eodem cognoscimus ecclesiam et Christum. Quomodo autem confidimus, ex divinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus et ecclesiam manifestam?* p. 180: *Non quisque nostrum in justitia sua, sed in divinis Scripturis quaerit ecclesiam.* epist. 50. col. 208. statim in princ.: *In sanctis libris, ubi manifestatus Dominus Christus, ibi et ejus ecclesia declaratur. Isti autem* (Donatistae) *mirabili coecitate cum ipsum Christum praeter Scripturas* (pro *nisi ex Scripturis*, ut Erasmus in marg. recte notat) *nesciant, ejus tamen ecclesiam non divinarum literarum auctoritate cognoscunt, sed humanarum calumniarum vanitate confingunt. Sed utrum ipsi ecclesiam teneant, non nisi divinarum literarum canonicis libris ostendant.*** Libr. 4. de symb. ad catech. c. 13. Scripturam pulcherrime vocat *tabulas matrimoniales* illius sponsae, quae est ecclesia. (Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 2. respondet, *ex Scriptura probari, ubi sit ecclesia, non tanquam ex nota ecclesiae, sed quia Scriptura docet, quae sint notae, dum docet, qualis illa sit, ubi coeperit, quomodo creverit.* Respondemus: imo vero Augustinus ea de causa ecclesiam ex Scripturis demonstrari voluit, quia Scriptura ostendit, quinam coetus doctrinae sinceritatem et integritatem tueatur, ex Scripturis vult judicium fieri de doctrina, ex doctrina judicium fieri de ecclesia, sic enim scribit c. 3. illius libri: *Ille sacros libros tradidisse credatur, qui lectis libris non consentire convincitur.* C. 4: *Quicunque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, non sunt in ecclesia.* C. 10: *Ne catholicis quidem episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, ut contra canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.* C. 16. docet, *illos esse veram ecclesiam, qui verba Christi audiendo ac faciendo aedificant super petram.* Id ipsum ex aliis locis Augustini manifestum. lib. 11. de civ. Dei c. 1. Scripturam vocat *ecclesiae testem. Civitatem Dei dicimus* (inquit), *cujus ea Scriptura testis est, quae non fortuitis motibus animorum, sed plane summa dispositione providentiae super omnes omnium gentium literas omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subjecit.* Quomodo autem Scriptura sit testis ecclesiae, exponit libr. 6. de civit. Dei c. 3: *Vera religio non a terrena aliqua civitate instituta est, sed plane coelestem ipsa instituit civitatem, eam vero inspirat et docet verus Deus dator vitae aeternae cultoribus suis.* Ergo Scriptura est ecclesiae testis non ea duntaxat ratione, quia ostendit quasdam notas ecclesiae, sed quia veram religionem divinitus revelatam proponit, quae coelestem illam civitatem, ecclesiam puta, instituit ac condidit. Scriptura non solum describit quasdam notas ecclesiae, sed etiam tradit fidei dogmata eo certe fine, ut illa ab ecclesia audiantur, discantur et acceptentur. Ergo ratione illorum dogmatum erit ecclesiae nota, qui enim dogmata illa in Scripturis proposita integra inviolata tenent, sunt Christiani et filii ecclesiae. Scriptura est unica regula theologicae veritatis, ergo etiam ex Scriptura veritas ecclesiae demonstranda. Si hic solum Scripturae usus esset, ut traderet quasdam notas ecclesiae, non autem dogmata, ex quibus de ecclesia judicandum, tunc paucissimis pagellis imo lineis res tota absolvi potuisset, nec opus fuisset tam multis libris. Sed voluit Spiritus s. plenum systema doctrinae in Scripturis proponere, ut ex illo de ecclesia judicari posset. In Psalm. 69: *Si quaeris eum, qui prior quaesivit te et ovis facta es ejus, et audis vocem pastoris tui et sequeris eum, vide quid tibi de se ostendit, quid de corpore suo, ne in ipso errares, ne in ecclesia errares, ne quis tibi diceret, Christus est, qui non est Christus, aut ecclesia, quae non est ecclesia* etc. *audi vocem ipsius pastoris, ostendit se tibi, vocem ejus sequere; ostendit et ecclesiam, ne quis te fallat nomine ecclesiae.* In Psalm. 103: *Vis Deo placere o ecclesia, non potes, quamdiu deformis es. Quid facies, ut pulchra sis? et quid intuens inquis: me videbo? Posuit tibi in speculum Scripturam sanctam.* Serm. 237. de temp.: *Scriptura sancta sit tibi tanquam speculum, speculum hoc habet splendorem non mendacem, splendorem non adulantem, nullius personam amantem.* Eucherius libr. 2. in Gen. c. 7: *Eo tempore quando linguarum facta* XI. 204. *est varietas, in sola domo Heber, quae antea fuit lingua, remansit; ita et nunc in sola ecclesia, quae est domus Christi, unitam esse confessionis et fidei pacem, divisis omnibus reprobis, constat.* Beda in Psalm. 8: *Videbo coelos, id est libros, et lunam et stellas, quae in ipsis libris, id est coelis, fundabis. Praecepta enim divinorum librorum sunt fundamentum et universalis ecclesiae et singularum ecclesiarum, quibus ipsae roborantur et sustentantur velut aedificium a fundamento.* Gregorius lib. 6. moral. c. 6: *Quasi distinctae in mundo regiones sunt ecclesiae gentium, quae in una fide positae morum linguarumque diversitate dividuntur.* (Ergo fidei unitas est ecclesiae nota, quia ecclesiae moribus est linguis diversae ex fidei unitate agnoscuntur.) Rupertus libr. 7. in Apoc. c. 12: *Flumen verum, flumen aquae vivae, sancta Scriptura veraque catholica doctrina, quam ecclesia, quae est mulier ista, mittere consuevit de fonte veritatis.*

Confess. ipsorum adversariorum.

139. Potest etiam ex ipsis adversariis sententia nostra quodammodo demonstrari. Thomas 2. q. 83. art. 2: *Ecclesia perficitur per unitatem fidei.* Albertus in c. 13. Luc.: *Ecclesia est radicata in sacramentis et doctrina prophetarum.* Erasmus in symbol. catech. 4. p. 146: *Quo signo dignoscimus unicam Christi columbam? quod aberrat a sacris voluminibus, non est Christi.* Hosius confess. Petricov. c. 20: *Sanam doctrinam et legitimum sacramentorum usum ecclesiae notas esse negari non potest.* Enchir. Christ. instit. in conc. provinc. Colon. editum in exposit. symbol. in artic. Credo sanctam ecclesiam: *Notas et signa habemus longe certissima,*

Digitized by Google

quae nos de ecclesia, ubinam sit, dubitare non sinunt. Principio nemo negat, in ecclesia sinceram doctrinam evangelicam et apostolicam esse debere et hanc praecipuam esse ecclesiae notam, juxta illud: Oves meae vocem meam audiunt. Driedo lib. 4. de dogmat. variis c. 4: *Ecclesia ex Scripturis quaerenda et cognoscenda.* Martinus Isengrinius lib. de ecclesia c. 7. scribit, *Catholicos non plane negare, has esse notas, quas nos statuimus, nempe puram verbi praedicationem et legitimum sacramentorum usum, sed non esse tam illustres notas.* Georgius Cassander in consultat. art. 7. agnoscit, *notas ecclesiae esse doctrinam evangelii et usum sacramentorum,* addit solummodo, *tertiam etiam notam necessario requiri, nimirum obedientiam debitam ministerio ecclesiae.* Liber interimisticus c. 10: *Sunt ecclesiae verae notae doctrina sana et sacramentorum usus, quibus a Judaeorum et ethnicorum coetibus ecclesia distinguitur, quorum utique et sana doctrina et sacramentis N. T. carent.* Stapletonus in relect. princ. fidei controv. 1. q. 4. art. 5. p. 113. concedit, *ecclesiam Christi a sapientibus et spiritualibus cognosci per sanam doctrinam et rectum sacramentorum usum.* Lib. 1. de princ. fid. c. 22. *evangelii praedicationem* dicit *esse propriam et valde illustrem notam catholicae ecclesiae,* sed addit *in legitimis ministris.* Gregorius de Valent. tom. 1. disput. 1. q. 1. de objecto fidei punct. 7. §. 18: *Nos fatemur, neque veritate doctrinae, neque legitimo sacramentorum usu ecclesiam Christi carere posse, et apud quos haec omnino sint salva, ex iis constare veram ecclesiam.* Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 2. definit ecclesiam, *quod sit coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in his terris vicarii pontificis Romani,* quam definitionem non improbamus, modo tertium illud membrum de subjectione erga Romanum pontificem, quod ex Scripturis probari nequit, auferatur. Jam vero nulla est certior rei nota quam ipsius definitio essentialis, exprimit enim rei essentiam. Proinde cum professio verae fidei et legitimus usus sacramentorum ingrediantur definitionem ecclesiae, utique etiam erunt verae et propriae notae ecclesiae, et quia membrum tertium, videlicet subjectio erga Romanum pontificem, inter ecclesiae notas
II. 205. refertur, ea enim praecipue intelligitur nomine successionis, quae est nota quinta Bellarmini, cur primum et secundum definitionis membrum inter notas ab adversariis assignatas nullum inveniunt locum? libr. 4. c. 2. concedit, *quando Scriptura est recepta et clare loquitur et oritur quaestio de ecclesia, tunc ecclesiam ex Scriptura tanquam notiore judicari posse,* adducit etiam exemplum ecclesiae Africanae: *Cum disputabatur* (inquit) *de ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturae receptae et clarae erant, inde Augustinus probabat suam sententiam.* Atqui ab utraque parte, et nostra scilicet et Pontificia, recepta est Scriptura et clare loquitur in hac quaestione. Ergo ecclesia ex illa erit judicanda. (Addit quidem Bellarminus, *scripturam aliquando solum ex hypothesi esse notiorem ecclesia, simpliciter vero ecclesiam esse notiorem et priorem Scriptura, cum ecclesia fuerit ante Scripturam, et haec illi a Deo data sit et ipsa eam aliis tradat et explicet.* Sed ludit in vocabulo Scripturae, quasi solos literarum apices et non potius scriptum Dei verbum, quod idem est cum verbo Dei praedicato, hac appellatione intelligamus, id vero est ecclesia antiquius, quia ecclesia ex Dei verbo genita est; insuper etiam turpissime sibi contradicit, quia lib. 1. de verb. Dei c. 2. diserte scribit, *sacris Scripturis, quae propheticis et apostolicis libris continentur, nihil esse notius, nihil certius.*) Lib. 4. de ecclesia c. 11. *sanctitatem doctrinae* dicit *esse veram ecclesiae notam.* Atqui sanctitas doctrinae non potest nisi ex Scripturis cognosci. C. 12. asserit, *solam ecclesiam habere doctrinam immaculatam.* Costerus in instit. c. 2. de eccl. privil. prop. 1: *In sola ecclesia est sincera verbi Dei praedicatio.* prop. 2: *In sola ecclesia est verus Dei cultus, sincera sacramentorum administratio.* (Quocunque posito ponitur ecclesia, illud est certissima ejus nota. Sed posita sincera verbi praedicatione et sincera sacramentorum administratione ponitur ecclesia; ratio est, quia in sola ecclesia illa inveniuntur, ut hoc loco Costerus concedit. Jam vero quidquid in sola ecclesia invenitur, eo posito ponitur ecclesia. Ergo sincera verbi praedicatio et sincera sacramentorum administratio est certissima ecclesiae nota.) Pistorius in hodeget. p. 112. dicit, *irrefutabiliter ex Scriptura ostendi posse, Lutheranam ecclesiam non esse veram ecclesiam.* (Atqui si ex Scriptura potest ostendi, quae sit ecclesia falsa, utique ex eadem ostendi potest, quae sit vera ecclesia, eadem enim est recti et obliqui norma). Jesuitae in colloq. Ratisbon. sess. 8. p. 216. ed. Spir.: *Catholici contra sectarios ecclesiam etiam ex sola Scriptura saepe demonstrarunt et porro etiam demonstrare parati sunt.* (Atqui si ex Scriptura et quidem sola ecclesiam demonstrare possunt, cur Scripturam ecclesiae notam constituere subterfugiunt?)

Argumenta Bellarmini contra nostras notas. 1. In genere. 1. Lutherus omisit notas in symbolo Constantinopolitano assignatas.

140. Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 2. contra has notas a nobis assignatas in genere et in specie disputat. In genere nobis objicit: *1. Lutherum valde cavisse, ne ullam notam reciperet, quae sunt in symbolo Constantinopolitano, cum tamen omnia vetera concilia per eas notas, maxime per apostolicam ecclesiam, se discerni vellent ab omnibus sectis.* Respondemus: imo vero Lutherus omnes illas notas recipit, quia pura verbi praedicatio facit, ut ecclesia sit una, sit sancta, sit catholica, sit apostolica, quae sunt quatuor illae ecclesiae adjuncta, quarum mentio fit in symbolo Constantinopolitano. Est enim ecclesia una propter fidem unam; sancta est propter sermonem Christi sanctum; catholica est propter catholicam de Christo doctrinam; apostolica est propter doctrinam evangelii apostolicam, quae ab apostolis in N. T. viva voce primum praedicata,

Digitized by Google

postmodum in Scripturis comprehensa in ecclesia usque ad finem mundi conservatur. Quodsi Bellarminus pugnat, expressam debuisse harum notarum mentionem fieri, se ipsum accusat, cum praeter nomen catholicum ne ipse quidem in suis notis expressam illarum faciat mentionem. Cum veteres provocarent ad ecclesiam apostolicam, hoc est eam
XI. 206. quae ab apostolis fundata ad illorum usque tempora esset propagata, conservabatur in ea fidei apostolicae integritas et sinceritas, sed postquam hodie haereses occuparunt ecclesias apostolicas, hoc est ab apostolis olim plantatas et aedificatas, *nulla potest verae ecclesiae probatio esse alia quam ex Scripturis* monente Chrysostomo hom. 49. imperf. operis in Matth. ** Lutherus in artic. Schmalc. art. 12. dicit: *Credo ecclesiam sanctam catholicam.* Ergo non exclusit notas a symbolo Constantinopolitano assignatas.**

2. Notae hae non sunt sufficientes. *2. Has notas non esse ullo modo sufficientes, non enim declarant, quae sit vera ecclesia secundum haereticos, nisi probabiliter, quia non possumus hinc scire, qui sint electi vel justi et potius discimus, ubi lateat ecclesia, quam quae sit.* Respondemus: imo vero non probabiliter, sed apodictice veram ecclesiam ostendunt hae notae, quia pura praedicatio verbi et legitimus sacramentorum usus sunt causae proximae, per quas Deo colligitur ecclesia, sunt etiam propria ecclesiae bona; jam vero ex causis proximis et propriis adjunctis certa et distincta alicujus rei notitia peti potest. Quod Bellarminus urget, non posse ex his notis sciri, qui sint electi vel justi, in eo digreditur a quaestionis statu, neque enim hoc loco quaestio est de notis electorum, sed de notis ecclesiae visibilis. Nec ipsae Pontificiae notae ostendunt, qui sint electi, ergo ex hypothesi Bellarminiana non erunt sufficientes. Sufficit nobis, quod hae notae ostendunt, ubi lateat ecclesia electorum, cum enim extra coetum vocatorum non sint quaerendi electi, inde manifestum evadit, quae sit vera Dei in his terris ecclesia. Quamquam igitur in coetu illo, in quo evangelium pure praedicatur et legitime administrantur sacramenta, hoc est in externis particularibus ecclesiis, electis mixti sint reprobi ac bonis mali, nec in individuo scire possimus, qui sint electi ac justi; tamen propter hanc puram verbi praedicationem et legitimum sacramentorum usum scimus, ibi esse aliquos electos, et per consequens ecclesiam, cui nos tuto adjungere possumus. **Ac sufficit denique nobis contra Bellarminum, quod probabiliter hae notae doceant, quae sit vera ecclesia, cum ipsius etiam notae non efficiant *evidentiam veritatis*, sed *credibilitatis* c. 3. §. 2.**

2. In specie, 1. contra puram verbi praedicationem, quod haec nota 1. sit communis omnibus sectis. 141. In specie contra primam notam, puram scilicet verbi praedicationem, tribus rationibus insurgit Bellarminus: *1. Notae debent esse propriae, non communes. Sed sincera praedicatio verbi est nota communissima omnibus sectis, saltem opinione earum. Etsi enim aliquibus sectis non conveniat, tamen omnibus convenit opinione sua, quae enim secta unquam fuit, quae non diceret, se habere sinceram praedicationem veritatis?* Respondemus: 1. acceptamus, quod Bellarminus dicit, notas debere esse proprias, non communes. *Si velim* (inquit) *designare tibi certum hominem, quem nunquam vidisti, ut mox atque eum videris, discernas ab aliis, non debeo dicere, est quidam, qui habet duos oculos, duas manus etc. nam haec sunt communia omnibus.* Atqui hac ratione plurimas, si non omnes suas notas expungere cogetur, pleraeque enim communes sunt verae ecclesiae cum coetibus haereticis. 2. Quod vero additur, *ne opinione quidem notas debere esse communes*, absurdum est postulatum. Opinio errantium non mutat rem ipsam, sufficit ergo ὄντως et secundum rem esse proprias. Non quod hic vel ille opinatur, esse suum, statim est illius proprium, sed quod vere ipsi competit. Phrenetici multa sibi vendicant, quae verorum possessorum manent propria; sic pura verbi praedicatio manet vera et propria ecclesiae nota, licet falsa ecclesia sibi illam arroget. Fatentur ipsi adversarii, *in sola vera catholica ecclesia esse sinceram verbi praedicationem*, ex quo immote sequitur, quod haeretici et sectarii falso eam sibi vendicent. Non desinunt esse verae rei notae, quae sua natura tales sunt, si vel maxime alii sibi eas vendicent, et quidem falso. 3. Licet haeretici glorientur de praedicatione veritatis, tamen ex tabulis divinae veritatis, ex Scripturis scilicet sacris, falsae gloriationis convinci possunt. Hilarius XI. 207.
ad Constant.: *Omnes haeretici Scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide praetendunt, Scripturae non in legendo sunt, sed in intelligendo, neque in praevaricatione, sed in caritate.* Hieronymus adv. Luciferianos: *Non blandiantur sibi, quod videantur de Scripturarum capitulis affirmare, quod dicunt. Nam et diabolus etiam Scripturam allegavit, sed Scripturae non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* Augustinus lib. 2. de Trin. c. 3. et 6. lib. de unit. eccles. c. 4: *Omnes haeretici ex Scripturis falsas et fallaces suas opiniones conantur defendere, sed manifestissima divinorum testimoniorum et consona voce damnantur.* Idem cont. Donat. lib. 3. c. 7. scribit, *non ideo quod haeretici divina sacramenta et eloquia ad imagines suorum phantasmatum convertunt, exhonoranda esse divina eloquia, ut eorum esse putentur, cum Scripturas teneant ad speciem, non autem ad salutem.* **Distinguendum inter notas vel *ratione essentiae* internae vel *ratione opinionis* et existimationis externae consideratas. Non ex haereticorum opinione et gloriatione, sed ex Scripturae instructione Bellarminus debuisset argumentum proferre.** 4. Notae illae, quas Bellarminus assignat, itidem non sunt propriae ecclesiae, sed aliis coetibus communes, saltem opinione illarum, ut ex inductione facile ostendi potest, ergo nec illae erunt verae notae. Donatistae sibi vendicabant nomen Catholicorum, ecclesiae Graecae sibi vendicant successionem episcoporum, quas tamen Pontificii non habent pro veris ecclesiis etc. 5. Qui rem aliquam ignotam alteri certo vult demonstrare, suo satis functus est officio, si tales assignet notas,

Digitized by Google

quae sint illi ὄντως et re vera propriae, licet alii eas sibi vendicent; forte enim res designanda non habet tales notas, quas non possint sibi alii vendicare; in examine postmodum deprehenditur, jure an injuria, vere an falso, notas illas alii sibi vendicent. Si qua se pro sponsa regis venditet, purpureis vestibus incedat induta et omnem externum regiae sponsae splendorem mentiatur, multorum opinione pro regis sponsa haberi poterit; sed recurrendum ad tabulas foederis conjugalis, tunc apparebit, quod non sit vera sponsa; sic licet ecclesia apostatica pro vera Christi sponsa sese venditet et externo splendore fulgeat, tamen tabulae coelestis desponsationis factae in fide, hoc est Scripturae sacrae, ostendunt, quod non sit vera ecclesia, quo pertinet illud, quod Augustinus lib. 4. de symb. c. 13. Scripturam vocat tabulas matrimoniales hujus sponsae. 6. Invertimus Bellarmini argumentum. Ex eo enim ipso, quod quaevis secta de doctrinae veritate gloriatur eamque sibi vendicare nititur, colligi potest, puram verbi praedicationem esse ecclesiae notam, si moneta vera non esset talis, homines ad eam prava imitatione pseudomonetam non formarent. At, inquit Bellarminus, *praedicatio haec vel debet esse pura ab omni errore, vel saltem ab erroribus fundamentalibus et essentialibus. Si detur primum, ex hac nota colligemus, apud nullos Lutheranorum esse ecclesiam, nam ipsi fatentur, suas ecclesias non carere naevis; si secundum, jam erit nota communis multis sectis.* Respondemus: per naevos ecclesiae adhaerentes non intelligimus haereticas doctrinas, sed opiniones quasdam cum fundamento fidei haudquaquam pugnantes. Omnes enim haereses proprie sic dictae pugnant contra fundamentum, si non primario et directe, tamen secundario, ex consequente et indirecte; alia vero est ratio ligni, foeni ac stipularum, quae fundamento salvo et integro conservato superstruuntur. **Distinguendum itaque 1. inter errores in *quaestionibus fidei et circa fidem;* in his potest esse dissensus salva ecclesiae veritate, in illis minime; 2. inter naevos doctrinae et morum. ** Monuimus autem superius, esse gradus puritatis, quam ecclesiae tribuimus, quo enim purior et sincerior est verbi praedicatio, eo etiam purior est ecclesiae status, quo plures stipulae admiscentur, eo impurior est et corruptior. Si invalescant haereses fundamentum evertentes, desinit esse vera visibilis ecclesia et fit ecclesia malignantium, interim si baptismus et quaedam doctrinae capita adhuc servantur integra, Deus in corrupto
208. ecclesiae visibilis statu, imo in medio haereticorum coetu per dicta illa media invisibilem aliquam electorum ecclesiam sibi colligit. Quod Bellarminus addit, *Pelagianos in primariis articulis non dissensisse ab ecclesia, antequam Nestorianos peperissent,* falsum est, quia corruperunt doctrinam de peccato originali, de libero arbitrio, de justificatione et similes.

142. 2. *Notae debent esse notiores ea re, cujus sunt notae, alioqui enim non sunt notae, sed ignotae. Jam vero pura praedicatio verbi non est notior ecclesia. Ergo non potest esse ecclesiae nota.* Assumtum confirmat triplici argumentorum genere. Primo ex nostris hypothesibus. *Adversarii volunt* (inquit), *non solum praedicationem verbi esse notam ecclesiae, sed praedicationem et receptionem, ibi enim dicunt esse veram ecclesiam, ubi praedicatur, auditur et creditur verbum. At quis nosse potest, ubi vere credatur verbum?* Respondemus: quando quidam nostrorum cum praedicatione verbi conjungunt illius correlatum, videlicet receptionem, tunc intelligunt non interiorem receptionem per fidem, sed externam receptionem, per quam verae doctrinae locus datur. Quamvis igitur non possimus in individuo cognoscere, a quibus fide cordis interiore verbum recipiatur, tamen ubi verae doctrinae locus detur atque ubi in publico ministerio verbum Dei sonet, omnino cognoscere possumus. Ubicunque vero pure praedicatur verbum, ibi semper sunt aliqui, qui fide cordis illud recipiunt, quia verbum Dei nunquam redit vacuum ac rete doctrinae evangelicae semper aliquos pisces bonos capit, id quod nobis sufficit, ut ex pura verbi praedicatione publice recepta ecclesiam aestimare et dignoscere possimus, quamvis ignotum nobis sit, quinam vera fide verbum recipiant et hac ratione fiant vera et viva invisibilis ecclesiae membra. Secundo ex quibusdam dictis patrum: *Sine dubio* (inquit) *notius est, quae sit vera ecclesia, quam quae sit vera praedicatio verbi, nam id ab ecclesia discimus, ut docent Irenaeus, Tertullianus, Augustinus et omnes veteres.* Irenaeus lib. 3. c. 2: *Quid enim, etsi de aliqua modica quaestione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias et ab eis sumere de praesenti quaestione, quod certum et liquidum est?* Tertullianus libr. de praescript: *Quid praedicaverint apostoli, quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debet nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt.* Respondemus: quaedam sunt notiora *natura*, quaedam vero notiora *nobis*. Aristoteles 1. post. anal. c. 2. text. 5. natura notiora sunt causae et proprietates essentiales; nobis notiora sunt externa quaedam et communia accidentia sive effecta in sensus incurrentia. Illa quae natura sunt notiora, praebent solidam et distinctam rei cognitionem; quae nobis notiora, incertam et confusam. Nos hoc loco tales notas quaerimus, quae certam, infallibilem et scientificam cognitionem praebeant, eae igitur petendae erunt ex notioribus natura, videlicet ex causis et proprietatibus internis et essentialibus, *quia scire est rem per causam cognoscere.* Jam vero verbum Dei est natura notius quam ecclesia, est enim principium et causa ecclesiae constituendae et colligendae, est *semen*, ex quo nascitur ecclesia Rom. 1, v. 16. c. 10, v. 17. 1. Petr. 1, v. 23. est *fundamentum* ecclesiae Ephes. 2, v. 20. Ergo verbum Dei est propria, infallibilis et certa ecclesiae nota. Contra. Quidquid essentialiter definitur et a priori agnoscitur ac probatur ex Dei verbo, id non est natura notius verbo Dei, quia definitio essentialis petenda est ex natura prioribus et notioribus, ac

Digitized by Google

demonstratio a priori itidem petitur a causa proxima interna. Jam vero ecclesia essentialiter definitur et a priori agnoscitur ac probatur ex verbo Dei. Ergo ecclesia non est natura notior verbo Dei. Assumtum negari nequit, quidquid enim de ecclesia scire possumus ac debemus, id ex verbo Dei tanquam unico theologicae scientiae principio peti oportet. Quod Bellarminus dicit, *ab ecclesia discendum esse, quae sit pura praedicatio verbi*, id concedimus eo sensu, quod in vera et catholica
XI. 209. ecclesia pura praedicatio verbi publice sonet, sed quaenam sit vera et catholica ecclesia, non nisi ex verbo Dei disci potest, vera enim et catholica ecclesia ex fide et doctrina catholica aestimanda ac judicanda est. Jam vero fidei et doctrinae catholicae unicum principium et regula ac norma unica est Dei verbum. Possumus quidem ex quibusdam externis accidentibus suspicari, hunc vel illum coetum esse ecclesiam veram et catholicam, sed apodictice ac certa scientia illud non potest constare nisi ex principio proprio ac formali, videlicet ex fide et doctrina catholica. Proinde non negamus, veram praedicationem verbi ab ecclesia petendam et in ea unice quaerendam esse, quia ecclesiae officium est verbum Dei praedicare, conservare, propagare etc. sed ex eo non sequitur, ecclesiam esse natura notiorem verbo Dei, quia ecclesia antequam praedicet et propaget verbum, prius genita est ex verbo; ergo verbum Dei natura prius ac notius est ecclesia. Irenaeus et Tertullianus remittunt nos ad ecclesiam, sed ad eam, quae integritatem doctrinae apostolicae adhuc conservabat. Quemadmodum igitur nemo recte dixerit: tempore Irenaei poterant Christiani ad Ephesinam ecclesiam contendere et ab ea veritatem petere, ergo si nunc controversia oriatur, debent Christiani ab Ephesina ecclesia veritatem petere; ita quoque nemo debet inferre: tempore Irenaei poterant Christiani ab ecclesia Romana apostolicam veritatem discere; ergo adhuc hodie veritas ab ea est petenda, quia utraque ecclesia, tam Romana quam Ephesina, licet ambae ab apostolis plantatae fuerint, ab integritate doctrinae apostolicae desciverunt. Quid ergo ecclesiae illae olim ab apostolis, quid apostoli a Christo acceperint, id non potest disci ex hodierno ecclesiarum illarum testimonio, sed ex scriptis apostolicis. Tertio producit Bellarminus rationem: *Vera praedicatio verbi est praedicatio et interpretatio verae Scripturae divinae, quae sit autem vera Scriptura et quis verus illius sensus, non possumus scire nisi ex testimonio verae ecclesiae, quod ne ipsi quidem adversarii negare possunt. Ac prius debet esse notus custos thesauri quam thesaurus et doctor, quam doctrina, cum a doctore petatur doctrina, non contra. Ergo potius ecclesia est nota verae praedicationis, quam vera praedicatio sit nota verae ecclesiae.* Respondemus: distinguendum inter cognitionem *confusam, rudimentariam et inchoatam*, ac inter cognitionem *distinctam, perfectam et exquisitam*; item inter Scripturam acceptam *materialiter* pro verbo Dei in Scripturas redacto, et *formaliter* pro apicibus literarum et compage illa librorum canonicorum, in quibus continetur Dei verbum. Ex testimonio ecclesiae cognosci primum potest, quae sit vera Scriptura et quis verus Scripturae sensus, scilicet cognitione confusa, rudimentaria et inchoata; sed distincta et scientifica hujus rei cognitio non pendet ex testimonio ecclesiae externo, sed ex internis *κριτηρίοις* et ex *παναρμονίᾳ* doctrinae et interpretationis cum Scripturis sacris. Testimonio ecclesiae permoveri quidem homines possunt, ut credant, hos libros esse divinos et canonicos, sed ad hanc confusam notitiam et ad hoc fidei rudimentum accedere oportet proprium et adaequatum fidei principium, ut scilicet Scriptura ipsa in manus sumatur, legatur et evolvatur, tunc enim Spiritus s. verbis suis testimonium reddit ac mentem legentis de veritate convincit. *Spiritus est qui testificatur, quod Spiritus sit veritas* 1. Joh. 5, v. 6. Potest hoc declarari historia conversionis Samaritanae Joh. 4. descripta. Mulier Samaritana, quae Christum audierat et ex eo veritatem didicerat, *abit in civitatem ac dicit concivibus suis:* v. 29: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecunque feci, numquid ipse sit Christus.* Cives Samaritani hoc testimonio mulieris permoti et ad Christum adducti, postquam ipsimet verbum Christi audierant, in haec prorumpunt verba: v. 42. *Non jam, οὐκέτι, propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere salvator mundi.* Eodem modo comparatum est cum ecclesiae testimonio, potest ejus usus esse, ut per illud tanquam beneficio cujusdam *χειραγωγίας* ad Christum in Scripturis nobis loquentem adducamur,
postea autem ipsa Christi vox ita percellit animos XI. 21
nostros, ut non amplius propter ecclesiae testimonium credamus, sed majestatem ac divinitatem verbi coelestis ipsimet in cordibus nostris per Spiritus s. efficaciam persentiscamus. Utrumque est res Dei, ecclesia et Scriptura. Ecclesia est regnum Dei, Scriptura est verbum Dei. Regnum Dei administratur per verbum Dei, ecclesia parit Dei filios per verbum, quia verbum continet Dei sapientiam, per quam fiunt ecclesiae filii. Cum ergo sapientia illa habeat auctoritatem in filios sapientiae, utique etiam verbum Dei auctoritatem habet in ecclesiam et in filios Dei, non autem illi auctoritatem habent in Scripturam sive Dei sapientiam. Mutuas sibi operas praestant ecclesia et Scriptura, sed auctoritas est Scripturae, ministerium vero ecclesiae. Ostendit ecclesia Scripturas, sed ministerio suo; ostendit Scriptura ecclesiam, sed auctoritate sua, ut recte scribit Carletonus de consensu cathol. contra Trid. p. 162. De interpretatione Scripturae idem esto judicium. Potest quis probabiliter statuere, hanc vel illam interpretationem esse veram, quia est Augustini, Ambrosii et aliorum, sed certo et infallibiliter illud statuere nequit, antequam consonantiam cum reliquis Scripturae locis, cum analogia fidei, cum serie contextus etc. ipsemet videat, quia vera et genuina Scripturae interpretatio ex ipsa Scriptura petenda est. Vera ecclesia interpretatur Scripturam, non ut lucem quandam peregrinam illi inferat, vel absolutum quod-

Digitized by Google

dam interpretandi jus sibi arroget, sed quia ex ipsa Scriptura interpretationem suam petit, ut alibi plenius demonstratum fuit. His probe observatis facile apparet, non pugnare haec duo inter sese, *quod vera praedicatio verbi sit nota ecclesiae, et quod ecclesia testetur, quae sit vera Scriptura, et quis verus ejus sensus*, quia ex effectu cognoscitur causa, scilicet a posteriori, vicissim ex causa cognoscitur effectum, scilicet a priori, et haec demonstratio effectus ex causa potior et illustrior est, quam demonstratio causae ex suo effectu. Ecclesiae munus et officium proprium est verbum Dei praedicare, ergo ex praedicatione verbi velut ex effecto procedi potest ad cognitionem causae, scilicet ecclesiae. Vicissim ecclesia nascitur ex verbo, conservatur per verbum, augetur per verbum; hac ratione praedicatio verbi est causa efficiens instrumentalis et formalis ecclesiae, ergo ex praedicatione verbi tanquam ex causa procedi potest ad cognitionem effecti, scilicet ecclesiae. Quod Bellarminus addit, *custodem thesauri notiorem esse thesauro et doctorem notiorem esse doctrina*, id ex allata distinctione inter cognitionem confusam et distinctam rectissime explicari potest. Possumus quidem cognitione incerta, obscura et dubia suspicari, hunc vel illum esse thesauri custodem, quia gerit claves, quia talis salutatur, et aliquem esse doctorem, quia pro tali sese venditat; sed an ille re vera sit thesauri custos, hic re vera sit doctor, non potest certa et explorata cognitione sciri, antequam constet, illum habere thesaurum sibi concreditum, hunc vero doctrina instructum esse. Tota Scriptura clamat, ex doctrina judicium faciendum esse de doctoribus, ex fructibus agnoscendos esse prophetas, ex dogmatibus probandos esse spiritus, non autem ex doctoribus judicandum esse de doctrina. *Nos fidem non probamus ex personis, sed personas ex fide*, dicebat quidam ex veteribus. Denique si ecclesia est notior Scriptura, cur Bellarminus libr. 1. de verbo Dei c. 2. scribit: *Sacris Scripturis, quae propheticis et apostolicis literis continentur, nihil est certius, nihil est notius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem esse habendam neget?* cur l. 4. de eccl. c. 2. scribit, *aliquando Scripturam esse notiorem, quando scilicet est recepta et clare loquitur, et oritur quaestio de ecclesia:* cur ecclesiae auctoritatem, notas, infallibilitatem etc. ex Scriptura probare satagit? Certe cujus cognitio tota pendet ex Scriptura, illud non est simpliciter notius Scriptura. Quinimo lib. 1. de verbo Dei c. 10. statuit, *verbum Dei esse fundamentum fidei nostrae primarium, ecclesiae testificationem secundarium.* Atqui si *ecclesia simpliciter notior Scriptura*, ut loquitur hoc loco, *si omnium dogmatum firmitas pen-*
XI. 211. *det a testimonio ecclesiae*, uti statuit lib. 3. de eccles. cap. 10. ac lib. 2. de sacram. cap. 25. utique ecclesia erit primarium fidei nostrae fundamentum, eo quod ultima in illud fit resolutio.

3. Quod sit separabilis ab ecclesia.

143. *3. Verae notae sunt inseparabiles a vera ecclesia; sed ecclesiae Corinthiorum et Galatarum, ad quas scribebat Paulus, verae ecclesiae erant, et tamen non erat ibi aliqua pura praedicatio verbi, ut ex apostolo cognosci potest, qui dicit, se scribere ecclesiis Dei, quae sunt Corinthi vel in Galatia 1. Cor. 1. Gal. 1. et tamen 1. Cor. 15. arguuntur Corinthii, quod docerent, non esse futuram resurrectionem, et Galatae per totam fere epistolam reprehenduntur, quod docerent, servandam esse legem Mosaicam cum evangelio.* Respondemus: 1. acceptamus, quod dat Bellarminus, notas ecclesiae debere esse ab ea inseparabiles. At hac ratione iterum cogetur expungere pleraque ex quindecim illis, quas ecclesiae assignat, notis, ut examen earum liquidissime demonstrat. 2. Pura praedicatio verbi et puritas ecclesiae pari passu ambulant. Si praedicatio verbi est omni ex parte pura et ab erroribus immunis, pura etiam erit ecclesia. Si praedicationi doctrinae coelestis admiscentur quidam errores, status ecclesiae incipit esse corruptus, non tamen statim desinit esse ecclesia. Si praedicatio verbi plane cessat, tunc etiam desinit ibi esse visibilis aliqua ecclesia. 3. In ecclesias Corinthiorum et Galatarum quidam errores irrepserant, nihilominus tamen ecclesiae nomen retinebant, tum quia non omnes amplectebantur illos errores 1. Cor. 15, v. 12: *Quomodo dicunt quidam inter vos, quod non sit resurrectio mortuorum?* Gal. 4, v. 21: *Dicite mihi, qui sub lege esse vultis;* tum quia quaedam doctrinae capita adhuc retinebant Gal. 3, v. 28: *Omnes vos unus estis in Christo.* c. 5, v. 1: *In libertate, qua Christus vos vocavit, state et ne regredientes implicemini servitutis jugo;* tum denique quia errores illos non pertinaciter defendebant, sed spes conversionis et emendationis de illis adhuc erat reliqua. 4. Distinguendum igitur inter statum ecclesiae purum et incorruptum, ac inter statum ecclesiae aliqua ex parte corruptum. Potest enim electorum ecclesia sub corrupto visibilis ecclesiae ministerio conservari. Quando pura praedicatio verbi statuitur nota ecclesiae, respectus habetur ad statum priorem, quia corruptus ecclesiae status ad illum exigendus ac reformandus. Monuimus enim superius, non esse eundem puritatis gradum in ecclesiis particularibus, ideoque corruptae ecclesiae secundum normam et formam verbi restituendae sunt, ex quo ipso firmiter colligitur, doctrinam puram esse ecclesiae formam et notam. 5. Distinguendum etiam inter errores ipsos et pertinacem eorum defensionem, quam distinctionem Bellarminus ipse hoc loco amplectitur. Sic enim scribit: *Aliud est errare et paratum esse ad discendum, et cum didiceris, ad obediendum; aliud nolle discere, et cum audieris veritatem, nolle acquiescere.* In ecclesia particulari potest esse illud primum, non autem secundum, sed in synagogis Satanae et ecclesiis malignantium. 6. Quod Bellarminus addit, *in ecclesia universali nec primum illud habere locum*, de eo quid statuendum sit, patere potest ex superioribus. Si nomine ecclesiae universalis intelligit *Romanam*, abutitur nominibus. Romana enim ecclesia est particularis quaedam ecclesia, nequaquam vero universalis. Si nomine ecclesiae universalis intel-

Digitized by Google

ligit *omnes particulares visibiles ecclesias*, dicimus, incidere posse tempus ejusmodi, ut totius visibilis ecclesiae sive omnium particularium ecclesiarum ministerium publicum sit corruptum. Si nomine ecclesiae universalis intelligit *invisibilem electorum ecclesiam*, dicimus, electos erroribus fundamentalibus ad tempus quidem involvi posse, sed ante vitae finem ex illis iterum eluctari, erroribus autem levioribus non solum ad tempus, sed etiam finaliter involvi possunt, qui tamen igne crucis et tentationum in illis exuruntur. 7. Sed addit Bellarminus aliud, in quo et sibi ipsi et veritati fortissime contradicit: *Esse potest* (inquit) *pura doctrina ab omni errore in falsa ecclesia, nam schismatici, Luciferiani et Donatistae initio integram habebant doctrinam et tamen sunt extra ecclesiam.* Respon-
XI. 212. demus: Bellarminus ipse c. 12. hujus libri scribit, *solam ecclesiam habere doctrinam immaculatam.* Si in sola ecclesia est doctrina immaculata, quomodo doctrina ab omni errore pura et libera potest esse in falsa ecclesia? Paradoxon est, puram doctrinam, quae est verae ecclesiae forma, thesaurus proprius, imo quasi anima illius, locum habere in ecclesia falsa. Luciferianos et Donatistas errasse, ex historia ecclesiastica notum est. Donatistae statuebant, sacramenta a ministris pollui, baptismum haereticorum iterandum esse, ecclesiam in his terris ex bonis tantum consistere, nec admittere in externam etiam societatem malos; unde Augustinus ad primarium quendam Donatistam dixit: Schismaticus es sacrilega discessione, haereticus sacrilego dogmate lib. 3. contra Gaudent. Schismaticos quod attinet, illi omnes errant in articulo de ecclesia, est enim dogma orthodoxum, ab ecclesiae communione propter naevos quosdam non esse recedendum. Sed schismatici impugnant illum articulum: *Credo unam ecclesiam.*

144. Alteram notam iisdem argumentis Bellarminus aggreditur, quod scilicet *omnes eam sibi vendicent, quod legitimus sacramentorum usus minus notus sit, quam ecclesia, cum de eo statuendum sit ex Scripturis, Scripturae autem pendeant ab ecclesia, denique quod legitimus usus sacramentorum a vera ecclesia separari possit, quia Corinthii reprehenduntur, quod non sincere tractarent sacramentum eucharistiae, et tamen Corinthiorum ecclesia erat vera ecclesia; ecclesiae Africanae sub Cypriano non sincere tractabant sacramentum baptismi, et tamen erant verae ecclesiae.* Respondemus: igitur eodem modo 1. haereticos sibi vendicare legitimum sacramentorum usum de facto, sed non de jure, ideo non quid sibi vendicent, sed quam vere sibi illud vendicent, attendendum. Scripturae consulendae sunt, quae de sacramentis a Christo institutis clarissime nos docent ac penes quem coetum sit legitima eorum administratio, liquidissime demonstrant. 2. Cum hac nota, videlicet cum legitimo sacramentorum usu, conjungimus puram verbi praedicationem, quia possunt haeretici sacramentum aliquod retinere integrum, neque tamen ex eo consequitur, quod sint vera ecclesia. 3. Legitimus sacramentorum usus non pendet ab ecclesia, sed unice ex Scripturis, quia ecclesia ut non potest nec debet nova sacramenta instituere, ita quoque in sacramentis a Christo institutis nihil debet mutare. Debet quidem ecclesia de legitimo sacramentorum usu docere, sed prout ipsa prius ex Scripturis est edocta. 4. Legitimus sacramentorum usus aestimandus est ex illorum substantialibus. Corinthii non tam pure tractabant eucharistiam, nec tam religiose ad mensam Dominicam accedebant, quam fieri omnino decebat, quo nomine etiam ab apostolo reprehenduntur, interim tamen substantialia illius procul dubio servarunt integra. Africanae ecclesiae errabant in quaestione de baptismo haereticorum, interim tamen integrum ac legitimum administrabant baptismum, quia substantialia ejusdem integra retinebant.

Ecclesiam Lutheranorum esse veram ecclesiam ex notis illis deducitur.

145. Ex his igitur immote colligimus: Quaecunque ecclesia habet sinceram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem, illa est vera, sincera et orthodoxa ecclesia. Sed ecclesia Lutherana (quam sano sensu ita vocamus) habet sinceram praedicationem verbi et legitimam sacramentorum administrationem. Ergo Lutherana ecclesia est vera, sincera et orthodoxa ecclesia. Majorem non possunt adversarii negare. Quamvis enim negent, has esse notas ecclesiae, tamen concedunt, in sola vera, catholica et orthodoxa ecclesia illa haberi, ut ex verbis ipsorum superius demonstratum fuit. Id vero sufficit nobis ad hanc demonstrationem, quod enim in sola ecclesia invenitur, illo posito vera ecclesia ponitur; cui competit proprium et inseparabile adjunctum, ei etiam subjectum competit. Minorem demonstramus ex inductione omnium et singulorum dogmatum, quae in ecclesiis nostris proponuntur; ad Scripturas sacras in omnibus et singulis dogmatibus provocamus, extra Scripturam nihil quidquam in articulis fidei docemus; XI. 213
amplectimur Symbolum apostolicum, neque in ullo vel minimo apice ab eo dissentimus, ubi probe notandum, quod Eccius in comitiis Augustanis anno 1530. coram Wilhelmo Bavariae duce fassus sit, *ex patribus quidem Lutheranam religionem refutari quodammodo posse, non autem ex Scriptura*, ut refertur tom. 5. oper. Luther. Germ. fol. 35. fac. 2. Si adversarii obvertere velint, *hanc esse notam dubiam, cum adhuc incertum sit, an ecclesiis nostris competat sincera verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio, cumque etiam reliquas sectae hanc notam sibi arrogent*, respondemus ex Augustino de unit. eccles. c. 3: *Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quaeramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram;* et ex Basilio in epist. ad Eustathium medicum: *ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ, καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα σύνῳδα τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος.* Probe vero hoc loco observandum ex eo, quod dubium sit

Digitized by Google

apud quosdam, an res haec vel illa habeat illam notam, haud quaquam inferri posse, quod nota ipsa sit dubia, aliud enim est dubitare de nota ipsa, aliud vero dubitare, an nota huic vel illi conveniat. Verbi gratia, nos dubitamus, an ecclesiae Romanae conveniant illae notae, quas symbolum Constantinopolitanum ecclesiae assignat, quod scilicet sit una, sancta, catholica et apostolica ecclesia, sed non concedet Bellarminus, ut inde inferamus, notas illas in sese esse dubias et incertas. Pari ratione si vel maxime Bellarminus et alii, qui veritati in Scripturis revelatae assensum praebere nolunt, dubitent, an sincera praedicatio verbi et legitima sacramentorum administratio nostrae ecclesiae conveniant, ex eo tamen inferre haudquaquam debent, notas ipsas esse dubias et incertas, sed descendant nobiscum in certamen ex Scripturis et de singulis articulis confessionem fidei nostrae audiant et ex Scripturis eam examinent, ita demum apparebit, verene an falso, jure an injuria sinceram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem nobis vendicemus.

Contra ecclesiam Romanam non esse veram ecclesiam.

146. Vicissim contra ecclesiam Romanam hodiernam ex his notis sic concludimus: Quaecunque ecclesia non habet sinceram praedicationem verbi et legitimam sacramentorum administrationem, ea non est vera, sincera, catholica et orthodoxa ecclesia. Sed ecclesia Romana hodierna, quae pontifici Romano adhaeret, non habet sinceram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Ergo non est vera, sincera, catholica et orthodoxa ecclesia. Assumtum probari potest ex inductione dogmatum, quae contra Scripturas in ecclesia Romana propugnantur, ea vero qualia sint, ex singulis controversiis patere potest. Hoc loco breviter quaedam capita assignabimus, in quibus Romana ecclesia hodierna a regula Scripturarum et a consensu ecclesiae vere catholicae discedit. 1. Vera ecclesia solum Christum pro capite et sponso suo agnoscit Ephes. 1, v. 22. Coloss. 1, v. 18. etc. sed ecclesia Romana hodierna pontificem Romanum pro capite et sponso suo habet. 2. Vera ecclesia *superstructa est fundamento prophetarum et apostolorum* eidemque unice innititur neque quidquam recipit extra verbum Ephes. 2, v. 20. Galat. 1, v. 8. etc. sed ecclesia Romana hodierna traditiones verbo Dei adaequat ac *pari pietatis affectu* cum verbo Dei amplectendas esse statuit. 3. Vera ecclesia uni vero Deo cultum invocationis dependit Psalm. 50, v. 15. Esa. 42, v. 8. Galat. 4, v. 8. etc. sed ecclesia Romana sanctos demortuos invocat. 4. Vera ecclesia Deum colit juxta verbum revelatum Deut. 4, v. 2. Matth. 15, v. 9. etc. sed Romana ecclesia instituit novos cultus extra verbum. 5. Vera ecclesia articulum fundamentalem de gratuita justificatione per fidem in Christum arcte tenet Galat. 5, v. 4. etc. sed ecclesia Romana propugnat operum merita et proprias satisfactiones. 6. Vera ecclesia doctrinam de lege tenet incorruptam, quod scilicet postulet obedientiam spiritualem, perfectam et numeris omnibus absolutam, quae in hac carnis infirmitate praestari a nobis haud possit Act. 15, v. 10. Rom. 8, v. 3. etc. sed Romana ecclesia docet, non solum legem a nobis perfecte impleri, sed etiam opera quaedam supererogationis praestari posse. 7. Vera ecclesia docet, concupiscentiam in renatis reliquam esse vere et proprie dictum peccatum, haec enim totius ecclesiae vox est: *Dimitte nobis debita nostra* Matth. 6, v. 12. sed ecclesia Romana docet, concupiscentiam in renatis post baptismum non habere peccati rationem. 8. Vera ecclesia *πληροφορίαν* et certitudinem fidei docet Rom. 4, v. 14. c. 8, v. 38. etc. sed ecclesia Romana propugnat dogma dubitationis sicque tollit articulum fidei praecipuum: *Credo remissionem peccatorum*. 9. Vera ecclesia lectionem Scripturae sacrae omnibus suis filiis commendat Joh. 5, v. 39. Coloss. 3, v. 16. sed Romana ecclesia Scripturarum lectione filiis suis interdicit. 10. Vera ecclesia conjugium ut sanctam Dei ordinationem honorat ac neminem ab hoc vitae statu arcet 1. Tim. 4, v. 1. ecclesia Romana sacerdotibus matrimonium non relinquit liberum. 11. Vera ecclesia sacramenta a Christo instituta inviolata conservat Galat. 3, v. 15. ecclesia Romana sacramentis duobus a Christo institutis quinque alia adjungit, eucharistiam mutat in sacrificium, adimit calicis usum laicis, docet panem transsubstantiari in Christi corpus etc. 12. Vera ecclesia persecutionem sustinet Gal. 4, v. 29. falsa infert Apoc. 17, v. 6. sed Romana ecclesia ebria est sanctorum sanguine etc. ** Bella civilia 30 annorum spatio, initio sumto ab anno 1550. usque ad annum 1580. juxta eorum calculum, qui diligentius et curiosius isthaec sunt persecuti in Belgio, Gallia, Anglia, Italia et Hispania propter confessionem religionis evangelicae absumpserunt octies centena et quadraginta octo hominum millia, inter quos 39 principes, 148 comites, 237 barones, 147518 nobiles, 700060 plebei reperiuntur. Hic interfectorum numerus quot centenis millibus crevit praecedentibus annis, scilicet ab anno 1517. usque ad 1550? quantum crevit sequentibus, nimirum ab anno 1580. usque ad hoc tempus? ** Robertus Gloverus Anglus referente Foxo in martyribus p. 1710. quatuor argumentis confirmavit, ecclesiam Romanam non esse veram Christi ecclesiam: 1. Christi ecclesia Jesum Christum tantum pro suo capite agnoscit; ecclesia vero Romana pontificem pro capite suo agnoscit. 2. Christi ecclesia illius vocem audit ejusque verbo regitur nihil addens vel detrahens; sed ecclesia Romana verbo Dei et administrationi sacramentorum multa addit, quaedam etiam demit. 3. Vera ecclesia cupiditatibus diaboli, mundi et carnis resistit; ecclesia Romana ut plurimum omnibus voluptatibus indulget. 4. Ecclesia Christi patitur persecutionem; sed Romana ecclesia persequitur et occidit Dei servos. Ex his igitur atque aliis capitibus longe plurimis evidenter demonstrari potest, in ecclesia Romana hodierna non vigere sinceram verbi praedicationem, nec legitimam sacramentorum administrationem, qua de re auctor oneris ecclesiastici c. 19.

sect. 6. et alibi passim graviter conqueritur, atque hac de re etiam ante reformationem a Luthero coeptam publicas in ecclesia auditas fuisse querelas ex catalogo testium veritatis et ex centenariis Wolffii cognosci potest.

147. Atque haec dicta sint de veris et propriis ecclesiae notis. Pontificii illis repudiatis alias constituunt notas, sed in numero earum plurimum variant. **Salmeron. tract. 23. tom. 6. *Lutheranorum fidem et ecclesiam non esse veram*, probat ex quinque fundamentis: 1. quia caret signis et miraculis; 2. martyrii gloria; 3. obedientia ad ecclesiam, principes seculares et imperatorem; 4. concordia doctrinae; 5. non admittit nova consilia.** Lindanus in panoplia lib. 4. c. 83. ac Canisius in catech. tract. de praecept. eccles. c. 9. statuunt, *Romanum pontificem et cathedram Romanam* esse indubitatam ecclesiae notam. Horantius lib. 6. cont. instit. Calvin. c. 6. *unam* facit ecclesiae notam certissimam, *continuatam sacerdotum* ac praelatorum praecipue Romanorum *successionem*. Catechismus synodi Tridentinae *duas* facit ecclesiae notas, quod sit et dicatur *1. catholica*, *2. apostolica*. Stapletonus in prooemio libri quarti
XI. 215. de principiis fidei *tres* constituit ecclesiae notas, quibus a falsa haereticorum et schismaticorum ecclesia discerni debeat, scilicet *multitudinem*, *visibilitatem et perpetuitatem*. Driedo libr. 4. c. 2. part. 2. de eccl. dogmat. et Petrus a Soto parte prima defens. c. 44. alias *tres* constituunt referente Bellarmino lib. 4. de eccl. c. 5. Sixtus Senensis libr. 6. biblioth. annot. 104. laudat *tres* notas Vincentii Lerinensis, quae sunt *ecclesiasticae traditionis universitas, antiquitas et consensio*. Hosius cardin. in expl. symb. et Costerus in enchir. c. 2. p. 86. *quatuor* ponunt ecclesiae notas, quod sit *sancta*, quod sit *catholica*, quod *una*, quod *apostolica*. Sanderus lib. 8. de visibili monarch. c. 50. *sex* proponit notas, quarum prima est *altitudo et sublimitas*, secunda *splendor et claritas*, tertia *latitudo et immensitas*, quarta *successio et perpetuitas*, quinta *consensio et unitas*, sexta *invicta fides et constantia*. Jesuitae Posnanienses *septem* constituunt ecclesiae notas, quae sunt *claritas*, *diffusio*, *antiquitas*, *appellatio ecclesiae apostolicae*, *pastorum ordinatio et vocatio legitima*, *sanctitas*, *unitas*. Michaël Medina lib. 2. de recta fide ponit *decem* et lib. 7. c. 26. addit *undecimam*. Cunerus Petri in lib. de notis eccles. ponit *duodecim*. Eundem numerum observat Pistorius in hodeg. c. 4. ubi ecclesiae notas enumerat hoc ordine: *1. Christus ad finem mundi affuturus est ecclesiae duraturae usque ad finem mundi; 2. Christi ecclesia coepit Hierosolymis et inde progressa fuit usque ad extremas mundi partes; 3. ex se ipsa propagata fuit et sequens ecclesia ex antegressa enata est; 4. semper habet veros in ecclesia positos et legitime vocatos doctores eosque puros; 5. semper habet oves non tantum malas, veram etiam electas; 6. nunquam tota ne minimum quidem errat, sed semper est pura ecclesia et pura in ea fides, pura sacramenta; 7. ecclesia audiri debet, quia suo officio et regimine filios suos procurat eosque obedientes habet; 8. non tantum crucem et contemtum habet, sed etiam suo tempore gloriam, pacem et felicitatem; 9. ab uno mari ad alterum extenditur; 10. ecclesia Christi separata est a Judaica, ad illam enim se alligavit Deus sine conditione; 11. una semper mansura est in omnibus consentiens; 12. est visibilis et conspicua.* Jacob. Reihingius in muris civitatis sanctae duodecim enumerat fidei papisticae fundamenta, quae appellat rationes solidissimas, quibus cuique prudenti persuasissima fiat papistica religio: *1. falsorum dogmatum impositionem qualia non tradantur a Pontificiis; 2. ecclesiae in Scripturis interpretandis magisterium; 3. apostolicam originem; 4. Petri primatum; 5. Romanorum pontificum successionem; 6. conciliorum auctoritatem; 7. patrum consensum; 8. cultorum sanctitatem et miracula; 9. nomen ecclesiae catholicae; 10. concordiam et unitatem Romanensium, quibus* subjungit *11. eum, qui ecclesiae papisticae se adjungere nolit, reum esse inexcusabilis imprudentiae, et 12. extremae superbiae*, quae duo postrema membra non tam nova et distincta sunt fundamenta, quam conclusiones ex prioribus fundamentis collectae, ideo solum additae, ut rationes illae utcunque responderent numero fundamentorum Apoc. 21, v. 14. coelesti Hierosolymae assignatorum. Bellarminus lib. 4. de eccl. c. 4. et seqq. *quindecim* annumerat notas, quas dicit aliquo modo revocari posse ad illas quatuor, quae communiter a recentioribus assignantur ex symbolo Constantinopolitano: *unam, sanctam, catholicam et apostolicam*. Sunt autem istae: *1. Ipsum catholicae ecclesiae et Christianorum nomen; 2. antiquitas; duratio diuturna et nunquam interrupta; 4. amplitudo sive multitudo et varietas credentium; 5. successio episcoporum ab apostolis; 6. conspiratio in doctrina cum ecclesia antiqua; 7. unio membrorum inter se et cum capite; 8. sanctitas doctrinae; 9. efficacia doctrinae; 10. sanctitas vitae auctorum; 11. gloria miraculorum; 12. lumen propheticum; 13. confessio adversariorum; 14. infelix exitus eorum, qui ecclesiam oppugnant; 15. felicitas temporalis.* Socolovius in l. de notis ecclesiae habet *viginti* notas, Thomas Bozius *centum*. Nobis cum Bellarmino res erit, de cujus notis in genere dicimus, quod XI. 216
non sint *propriae*, *certae*, *adaequatae*, *perpetuae et infallibiles* verae ecclesiae notae, si a puritate doctrinae separentur, quodsi vim quandam notandi veram ecclesiam habeant, eam totam ex puritate doctrinae sibi conjuncta mutuari debeant, id quod ex speciali singularum notarum examine manifestum evadet.

Digitized by Google

CAPUT XI.

DE NOTIS ECCLESIAE A BELLARMINO ASSIGNATIS IN SPECIE.

SECTIO I.

DE PRIMA ECCLESIAE NOTA VIDELICET NOMINE CATHOLICO.

Nomen catholicum an sit ecclesiae nota.

148. Cum in percensendis quindecim illis ecclesiae notis hunc sibi scopum propositum habeat Bellarminus, ut probet, solam Romanam ecclesiam esse veram ecclesiam, nostram vero falsam et haereticam, ideo in cujuslibet notae examine tria membra sunt expendenda: 1. An nota illa, quam Bellarminus assignat et ex ea majorem argumenti sui petit, sit vera, genuina et propria ecclesiae nota? 2. An illa conveniat Romanae ecclesiae, id enim assumit in priore parte minoris propositionis, quae semper est bimembris. 3. An illa non conveniat ecclesiae nostrae, id enim negat in posteriore minoris propositionis parte, ut constat ex hoc syllogismo. Nomen catholicum est nota verae ecclesiae. Atqui Romana ecclesia est catholica, Lutheranorum vero ecclesia non est catholica. Ergo Romana, non autem Lutheranorum ecclesia est vera ecclesia. Hic syllogismus commode resolvitur in duos distinctos syllogismos, quorum prior affirmat, posterior vero negat, propositione majore utrobique eadem manente.

Origo hujus nominis.

149. *Membrum primum.* Ut liquido appareat, sitne *nomen catholicum* vera ecclesiae nota, inquirenda hujus appellationis *origo et significatio.* Origo ad Symbolum apostolicum recte refertur, in quo exstat hic articulus: *Credo unam sanctam catholicam ecclesiam.* Dubitant quidam, an appellatio catholicae ab ipsis apostolis sit profecta et symbolo inserta; cum in sacris literis (ex quibus symbolum transsumtum est teste Augustino lib. 1. de symb. c. 1.) nuspiam reperiatur, cum Irenaeus lib. 1. c. 2. p. 34. et lib. 3. c. 4. p. 172. ac Tertullianus de praescript. adv. haeres. p. 110. et lib. de veland. virginib. p. 566. summam apostolici symboli recitantes nullam faciant hujus appellationis mentionem, denique cum nondum indubitato demonstratum sit, an ab ipsis apostolis antequam in universum orbem praedicandi evangelii causa discederent, comportatum sit ac compositum (quod major pars veterum scriptorum affirmat), an vero ex concionibus et scriptis apostolorum ab alio
XI. 217. quodam collectum sit et ab apostolis comprobatum. Pacianus epist. 1. ad Sempron. Lindanus lib. 3. panopl. c. 8. existimant igitur, in Symbolo apostolorum sensum verbi ac simile quippiam fuisse, utpote *ecclesia per totum mundum dispersa*, ut legit Irenaeus lib. 1. c. 3. postea vero brevius et explanatius a doctoribus Graecis vel certe linguae Graecae gnaris dici coeptum ecclesia catholica, incertum tamen esse, quo tempore et num ante Nicenam synodum Symbolo apostolico hoc nomen sit insertum. ** Certe secundum nonnullos viros doctos longe prius Christianorum appellatio, qua fideles ab ethnicis et Judaeis discernebantur, in orbe increbuit Act. 11, v. 26. quam *catholicorum*, qua sinceritatem doctrinae apostolicae in orbe adhuc durantem retinentes ab haereticorum noviter emergentium seductricibus opinionibus et coetibus distingui volebant et solebant, idque maxime post synodum Nicaenam. Unde Johannes Franciscus Picus tum demum vocem hanc Symbolo apostolico accessisse putat verisimilitudine haud destitutus.** Sed non abnuimus, ab ipsis apostolis hanc appellationem esse profectam, cum enim ex ore magistri audirent, ecclesiam in N. T. non amplius ut in V. angustis Judaeae limitibus fore inclusam, sed evangelium praedicandum esse ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ Matth. 24. ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ Matth. 26, v. 13. εἰς ὅλον τὸν κόσμον Marc. 14, v. 9. inde ecclesiam N. T. vocarunt *catholicam*, quia scilicet sine respectu ac discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum et personarum ex omnibus hominum generibus in universo orbe colligitur. Quemadmodum enim epistolae Petri, Johannis et Jacobi, quia non inscriptae sunt certis quibusdam personis vel particularibus ecclesiis, nec additur illis nomen regionis vel civitatis, ad quam in specie sint directae, sed in genere omnibus Christianis sunt inscriptae, dicuntur *catholicae* seu universales; ita quoque ecclesia N. T. quia non ex particulari quadam gente vel natione, sed ex omnibus gentibus in universo orbe colligitur, vocarunt catholicam seu universalem.

150. Prima igitur hujus appellationis origo orta XI. 218.
est ex antithesi ecclesiae Israëliticae in V. et Christianae in N. T. quarum illa ordinarie fuit alligata ad certam gentem et populum, videlicet Israëliticum, cui sese adjungere oportebat omnes eos, qui volebant esse membra ecclesiae, qui propterea vocabantur προσήλυτοι, quod dicit *advenientes* Act. 1, v. 10. haec vero ex omnibus gentibus in universo orbe per universalem evangelii praedicationem colligitur ac per totum terrarum orbem diffunditur. Cum vero temporis progressu haereses in ecclesia N. T. invalescerent, catholicum sumi coeptum pro consensu in doctrina catholica, hoc est confessione illa fidei, quam apostoli primum viva voce praedicarunt, postea vero Dei voluntate in Scripturis reliquerunt. Ne enim haeretici propter multitudinem applausorum congregationibus suis catholicae ecclesiae nomen praetexerent, ideo catholicum expositum et explanatum fuit per apostolicum, sicut in Symbolo Niceno anno Christi 325. articulus Symboli apostolici de ecclesia his verbis fuit expositus: *Credo unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam*, ut intelligatur, illam esse veram ecclesiam, quae in quavis orbis parte super fundamentum prophetarum et apostolorum exstructa doctrinam apostolicam fideliter et sincere tuetur. In concilio Ephesino anno 434. itidem catholicum et apostolicum conjunguntur atque alterum per alterum exponitur, sic enim loquuntur illius concilii patres: *Haec est catholica et apostolica fides, quam probant omnes tam orientis quam occidentis*

Digitized by Google

episcopi orthodoxi. Item, *qui contrarium statuunt, eos anathematizat sancta et apostolica ecclesia*, ubi catholica appellatio omittitur. **Attribuitur igitur catholicum tum *doctrinae* ab apostolis per orbem universum ex mandato Christi viva primum voce praedicatae et literis postmodum consignatae ac posteritati traditae; tum *hominibus* seu coetibus, qui eandem operante Spiritu sancto amplexi sunt et intemeratam custodiverunt, ad quorum testimonium ortis subinde controversiis posteriorum seculorum decursu ab orthodoxis provocatum fuit. Gregorius de Valent. in anal. fidei cathol. lib. 6. c. 4. f. 37. et tom. 3. comm. in Thom. disp. 1. q. 1. part. 6. f. 172. scribit, *ecclesiam dici catholicam ab universitate doctrinae, loci, temporis, hominum, qui ad eam convocentur, nullo vel populorum, vel aetatis, vel sexus, vel conditionis habito discrimine.* Sed prima ratio ceteris praedominatur et dat esse τῷ καϑολικῷ, ceterae ab illa pendent, in se et ex se mutabiles. Neque enim si loca, si tempora, si subjecta consideras, eadem semper fuit ecclesiae facies, neque futura est. Fides interim una atque eadem semper perstat. Eph. 4, v. 6.**

Significatio. 151. Significationem hujus vocis revocare possumus ad haec sequentia capita. Dicitur ecclesia catholica primario ac πρώτως respectu *electorum ac sanctorum*, quatenus ambitu suo complectitur omnes vere in Christum credentes, totum illud mysticum corpus, cujus caput est Christus. Atque haec est genuina et propria hujus vocabuli significatio, quomodo etiam accipitur in symbolo apostolico, quando dicimus, *Credo unam sanctam catholicam ecclesiam*, ubi vox credendi manifeste ostendit, de invisibili ecclesia sermonem esse, quod ipsum etiam annexum sanctitatis praedicatum demonstrat. Hujus catholicae ecclesiae materiale sunt caput et membra. Caput est Christus, membra omnes vere credentes, sive in coelis jamdum triumphent, sive in terris adhuc militent. Formale est spiritualis societas et communio membrorum tum cum ipso capite, tum etiam inter sese. Proprietates sunt, quod sit sancta, quod invisibilis, quod ab errore fidei fundamentum evertente sit immunis. Quia vero electi ac vere credentes non sunt extra coetum vocatorum, sed in ipso visibilis ecclesiae coetu, in quo etiam hypocritas sibi admixtos habent, inde secundario et consequenter etiam visibilis ecclesia *vocatorum* dicitur catholica. *1. Respectu substantiae*, quatenus ambitu suo complectitur omnes vocatos, inter quos sunt non solum electi et vere credentes, sed etiam hypocritae et non sancti, de doctrina tamen consentientes. In hac significatione
XI. 219. nomen ecclesiae catholicae opponitur ecclesiis particularibus, quae vel in certa regione vel civitate vel familia colliguntur. *2. Respectu quantitatis, locorum scilicet et temporum*, quatenus omnium locorum et temporum fideles complectitur, quam vocare possumus *universalitatem externam.* In hac significatione opponitur ecclesiae Israëliticae V. T. quae fuit ad certum locum alligata et duravit usque ad Christum. **Ecclesia Christi catholica omnium gentium respectu definitur non affirmative, quod necessario requirat amplitudinem eam, qua se nunquam non visibiliter per totum terrarum orbem diffundat, sed negative, quod ad nullum amplius definitum et peculiarem populum, ut olim, ad Israëliticum, sit alligata, sed portae ejus indefinite cunctis per universum orbem pateant.** *3. Respectu qualitatis*, doctrinae scilicet, quatenus una atque eadem est totius ecclesiae fides et confessio fundamento prophetarum et apostolorum innitens, quam vocare possumus *universalitatem internam.* In hac significatione nomen ecclesiae catholicae opponitur conventiculis haereticorum, qui licet quandoque late sese propagent et diu durent, fide tamen catholica ac consensu veteris ecclesiae destituuntur. Atque haec postrema catholicae appellatio tunc demum usurpari coepta, cum pullulantibus et invalescentibus variis haeresibus non ad solam multitudinem Judaeorum synagogis et haereticorum conventiculis olim recte oppositam orthodoxi provocare amplius possent, sed fidei catholicae consensum eidem conjunctum esse oportere re ipsa deprehenderent. **Ecclesia igitur catholica dicitur vel ratione *quantitatis*, vel ratione *qualitatis. Quantitas* spectatur vel ratione omnium partium et membrorum, et sic determinat subjectum; vel ratione omnium linguarum, gentium et nationum, ex quibus ecclesia catholica colligitur, atque sic praedicatur de ecclesia. Ratione *qualitatis* ecclesia dicitur catholica, propter doctrinam et fidem, in qua cum tota ecclesia seu coetu omnium vere credentium per totum orbem diffuso consentit, qui consensus interdum manifeste conspicitur, ut ad eum provocari possit, et tunc ecclesia catholica idem notat quod orthodoxa, juxta interpretationem Justiniani imperatoris lib. cunctos populos C. de summ. Trinit. et fid. cathol. interdum, cum scilicet ministerium publicum corrumpitur, est occultus in iis, qui publici erroris sunt innoxii.**

152. Ex his facile colligi potest, an et quatenus appellatio catholicae sit ecclesiae nota. Catholicum Distinctio. sive universale dicitur vel *solo nomine* vel *ut rem conjunctam habet.* Bellarminus solum nomen catholicae statuit esse notam ecclesiae, sed ex mera et nuda appellatione nimis lubricum ducitur argumentum, ut postea ostendemus. Quodsi rem ipsam, universalitatem, scilicet appellationi conjunctam, consideremus, duplex universalitas invenietur, una *externa*, quae ex circumstantiis externis, loci, temporis, status, conditionis, aetatis, sexus etc. aestimatur; altera *interna*, quae fidem catholicam sive consensum in fide catholica respicit, illa vero catholica fides necessario ex scriptis propheticis et apostolicis aestimanda est, siquidem ea continent canonem et normam verae fidei catholicae; illa igitur est vera catholica fides, quae amplectitur doctrinam prophetarum et apostolorum in scriptis ipsorum comprehensam ac proinde is vere catholicus est, qui doctrinam propheticam et apostolicam vere et sincere credit ac consensum illum fidei in scriptis prophe-

Digitized by Google

tarum et apostolorum revelatae inviolate conservat; contra verò haereticus est, qui singulare aliquod dogma extra canonem propheticae et apostolicae scripturae amplectitur ac pertinaciter illi adhaeret. Quodsi ergo nomini catholico conjuncta sit interna illa fidei universalitas propheticis et apostolicis scripturis determinata, facile concedimus, illam ecclesiam, quae est et vocatur catholica, propter catholicum in doctrina prophetica et apostolica consensum esse veram ecclesiam, haereticam vero, quae consensu illo fidei catholicae et apostolicae destituitur. Augustinus quaest. in Matth. q. 11. bonos catholicos definit, quod sint ii, *qui et fidem integram sequuntur et bonos mores*. Lib. 1. de morib. eccl. cathol.
220. c. 18. *catholicam fidem et ecclesiam* describit, *quae veritatem et consensum V. et N. T. retinet, Christum per fidem habitantem in se habet et impletur omni plenitudine Dei*. Vincentius Lerin. adv. novit. c. 25: *Ille est verus et germanus catholicus, qui veritatem Dei, qui ecclesiam, qui corpus Christi diligit, qui divinae religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit* etc. *qui non hominis cujusquam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed haec cuncta despiciens et in fide fixus et stabilis permanens quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. Quidquid vero ab aliquo deinceps non praeter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed potius ad tentationem intelligat pertinere.* ** Idem adv. haereses c. 3: *Vere proprieque catholicum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum.* Ubi pro fide catholica sequendam monet *universitatem* (quam opponit haereticorum e corpore Christi recedentium divortio et particularitati), antiquitatem (quam opponit dogmatum haereticorum novitati) et consensionem seu unanimitatem (quam opponit prave et sinistre sentientium diversitati) ac denique *divinitus revelatam et in Scripturis comprehensam veritatem*, quam unice respicit piorum consensio, suspicit sanctorum antiquitas, recipit fidelium universitas. ** Pacianus epist. 1. ad Sempron.: *Qui catholicus est, idem justi est obediens, et qui obediens idem est Christianus atque ita catholicus Christianus.*

153. Quare cum seposita fide catholica ex solo nomine catholico Bellarminus concludat, Romanam ecclesiam esse veram ecclesiam, quia vocatur catholica, opponimus illi sequentia fundamenta. 1. Ex solo nomine ad rem ipsam non potest firmum et immotum argumentum duci, quod demonstramus primo *ex Scripturis*. Judaei nominabant se *filios Abrahae* ac *filios Dei* Joh. 8, v. 33. et tamen nihil minus erant quam spirituale semen Abrahae ac filii Dei. Falsi doctores nominant se *prophetas* et *Christi ministros*, et tamen sunt *pseudoprophetae* Matth. 7, v. 15. ac *pseudochristi* Matth. 24, v. 24. pseudoapostoli vocabant se *ministros justitiae* 2. Cor. 11, v. 15. ac *transfigurabant se in apostolos Christi* v. 12. cum nihil minus essent. Quid hac in parte evidentius quam illud apocalypticum c. 2, v. 9: *Blasphemaris ab his, qui se dicunt Judaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanae*, quod repetitur c. 3, v. 9. Ribera Jesuita comm. in Apoc. 3: *De ecclesia Sardicensi dicit Spiritus, scio opera tua, quia nomen habes, quod vivis et mortua es. Haec erat mortua, cum tamen nomen haberet, quod viveret et opinione sua viva erat.* Apostolus 1. Cor. 8, v. 5. multos in coelo et in terra *deos nominari* dicit, cum tamen unus tantum sit Deus. Simon Magus vocabatur μεγάλη θεοῦ δύναμις Actor. 8, v. 10. Diana Ephesiorum vocabatur *magnum numen* Act. 19, v. 27. ille tamen erat impostor pessimus, haec vero idolum detestabile. Secundo *ex dictis veterum*. Justinus Apol. 2. pro Christ. pag. 42: ὀνόματος προσωνυμία οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν κρίνεται ἄνευ τῶν ὑποπιπτουσῶν τῷ ὀνόματι πράξεων. Augustinus tract. 5. in epist. Joh.: *Quomodo gloriaris, te esse Christianum? nomen habes et factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quispiam paganum, tu factis ostende te Christianum, nam si factis non ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur?* Etiam praeced. tract. 4. in Joh.: *Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt! quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt!* etc. Salvianus libr. 4. de provident. *nomen sine actu et officio suo nihil esse* sapienter censet. *Quid est*, inquit, *aliud vocabulum sanctum sine merito nisi ornamentum in luto?* De haereticis dicit Cyprianus lib. 1. epist. 6. *quod ministri Christi esse velint et Antichristo serviant.* ** Idem de simpl. praelat.: *Diabolus excogitavit novam fraudem, ut sub ipso nominis Christiani titulo fallat incautos.* Cyrillus catech. 4: *Virtutem imitatur improbitas et zizanium cupit frumentum videri.* Prosper lib. 3. de vit. contempl. c. 1: *Impudentia fiduciae sibi nomen adscribit, procacitas appellationem libertatis obtendit, eloquentiam fingit verbositas.* ** Athanasius orat. 2. contra XI. 221.
Arian. *quod Christum simulent et contra Christum pugnent;* Nazianzenus apol. 2. *quod sub Christianorum nomine contra Christum pugnent;* Leo epist. 1. ad Palaest. ep. 83. *quod ecclesiae nomine armentur, sed contra ecclesiam dimicent.* Tertio *ex legibus civilibus et testimonio jurisconsultorum*. Paulus respondit, *falsum tutorem eum vere dici, qui tutor non est, sive habenti tutor datus est, sive non; sicut falsum testamentum, quod testamentum non est, et modius iniquus, qui iniquus est*, lib. 221. ff. de verb. et rer. signif. in quam legem commentatus Goeddeus monet, ex eo non posse inferri, testamentum duplex esse, aliud verum, aliud falsum. *Quod enim mentitum est* (inquit), *quod opinione tantum est, quod falsum est, quod ficta veritatis imitatione est, revera non est* leg. 1. et tot. tit. C. si fals. tut. inter leg. 5. C. de legibus. Sic Everhardus in topicis loco ab etymolog. num. 12. monet, *limitandum esse vulgare dictum*, cujus meminit gl.

Digitized by Google

in verbo nomen non habent in c. Cor. episcopi §. quod autem 68. dist. *Si re priveris, nec nomen habere mereris*, ut scilicet illud procedat; *quando nomen significat substantiam vel qualitatem necessariam inesse alicui subjecto, secus si nomen significet solam simplicem demonstrationem.* Num. 13. subjungit, *ex sola nominatione, ut quia masculus et femina se conjuges nominat, non probari matrimonium, quia uxor moecha quaestum faciens genere quodam meritorio nihilo secius uxor nominatur.* tot. tit. ff. ad l. Jul. de adult. coërc. *ex diaconis etiam et collegiatis sunt quidam nudo appellationis praetextu velati* lib. 9. C. de sacros. eccles. Quarto *ex ratione naturali et testimonio philosophorum.* Multa nomina rebus falso sunt imposita. Ergo ex nomine ad rem non est perpetua et certa consequentia. Nomina non semper ex certo judicio, sed ex communi opinione imponuntur. Ergo a nomine ad rem non possumus vere et recte argumentari. Res quandoque ea nomina retinent, quibus olim fuerunt appellatae, licet illud ipsum, propter quod eo nomine appellatae fuerint, pereat. Sic Judaei tempore Christi vocabant se *semen Abrahae*, non quod revera essent, sed quod majores ipsorum fuissent, a quorum integritate et religione defecerant. Ergo a nomine non potest duci firmum argumentum. Philosophus lib. 4. metaph. c. 11. de generat. animal. c. 1. et alibi passim docet, quaedam praedicari συνωνύμως, quaedam vero ὁμωνύμως, *homonyma saltem nomen habere commune, non autem rem; inter univocas et aequivocas praedicationes plurimum interesse, a nomine aequivoco non posse duci argumentum nisi sophisticum* etc. Quinto *ex communi experientia.* Saepe salutatur virgo, quae nobile scortum est. Mahometes vocavit se *magnum prophetam*, ac talis apud suos adhuc habetur, non tamen fuit. Discipuli Mahometis vocant se *Muselmanos*, hoc est, orthodoxos, item *Abdullam*, hoc est Dei servos, pontifices suos vocant *Caliphe Lullahe*, hoc est, Dei vicarios. In primitiva ecclesia quidam haeretici vocabant se *Apostolicos, Angelicos, Catharos, Encratitas et Gnosticos* etc. quae appellationes majorem vel certe aequalem splendorem habent quam nomen catholicum. Armenii Christiani patriarcham suum vocant Catholicum, ut apparet ex dissertatione Theoriani cum Armeniorum Catholico. Illos tamen pro Romano-Catholicis Bellarminus non agnoscit.

Nomen illud haeretici sibi arrogant.

154. 2. Quodcunque nomen haeretici sibi arrogant, illud non est genuina et propria verae ecclesiae nota. Atqui nomen catholicum et Christianum etiam haeretici sibi arrogant. Ergo nomen catholicum et Christianum non est genuina et propria verae ecclesiae nota. Majorem Bellarminus non potest negare, quia superius c. 2. §. 5. disputat, *sinceram verbi praedicationem non esse notam ecclesiae, cum sit communissima omnibus sectis, saltem opinione ipsarum.* Minor ex inductione exemplorum est manifesta. Cyprianus epist. 73. de Novatianis scribit: *Volunt simiarum more, quae cum homines non sint, homines tamen imitantur, ecclesiae catholicae auctoritatem et veritatem sibi vendicare.* Tertullianus lib. 4. adv. Marcion.: *Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae.* Lactantius lib. 4. institut. c. 30: *Singuli quique haereticorum coetus se potissimum Christianos et suam esse catholicam ecclesiam putant*, quod dictum allegat Bellarminus lib. 3. de eccl. c. 1. Ariani olim se *Catholicos* vocabant, alios vero *Homousianos et Athanasianos*, teste Sixto Senensi lib. 4. biblioth. Posnanienses Jesuitae th. 4: *Ariani orthodoxos Homousianos per contumeliam dixerunt et Donatistae etiam eos vocabant traditores.* Augustinus contra epistolam Fundamenti c. 4: *Omnes haeretici se Catholicos dici volunt.* Epist. 48. memorat, Donatistas sic inscripsisse libellum suum imperatori missum adversus Caecilianum: *Libellus ecclesiae catholicae criminum Caeciliani traditus imperatori a parte majori.* Ex collatione tertii diei cum Donatistis apparet, quod contenderint Donatistae, se potius Catholicos appellari debere quam adversarios suos, quibus responsum a judice datum, *ut quanto magis se Catholicos dicerent, tanto magis causam suam agerent, ut eo modo probare possent, se esse Catholicos* (id quod et nos Pontificiis hodie respondemus). Verba Augustini in breviculo collationum cum Donatistis collatione diei tertii c. 2. sic habent: *Inter haec etiam de catholico nomine, apud quos potius esset, pauca ab utraque parte* (orthodoxorum et Donatistarum) *invicem dicta et objecta sunt et jussum est principali causae potius reservari. Et post aliquanta identidem, cum catholici nominis facta mentione dicerent Donatistae, apud se potius esse catholicam* etc. ** In hac collatione Donatistae tertio quoque verbo suum esse nomen catholicum protestabantur. Catholicos a Novatianis dictos *Cornelianos* asserit Reihingus fund. 9. p. 226. Epiphanius haeresi 37. de Arianis dicit, *quod affectarint nomen catholicum*, quem Epiphanii locum allegat Baronius tom. 3. annal. anno 357. num. 3. Salvianus de Dei gubernatione lib. 5. p. 150: *Apud nos* (Gothi Ariani) *haeretici sunt, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos haereticae appellationis titulo infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc et nos illis. Nos eos injuriam divinae generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant, illi nos injuriosos Patri existimant, quia aequales etiam credamus.* Lindanus in panopl. praefat.: *Priscis illis seculis catholicae atque apostolicae fidei propagatores simul et propugnatores, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum haeretici calumniabantur apostolicae doctrinae corruptores et haereticos Manichaeos, Homousianistas, Sabellianos, Basilianistas.* Lib. 4. c. 7. in fin.: *Jovinianus Ambrosium appellabat Manichaeum, Augustinum Pelagiani haereticum.* Ibid.: *Donatistae se solos jactabant Christianos.* Canus lib. 4. locor. theol. c. 1. circa init.: *Haereticis omnibus hoc gentile est, ecclesiae rem ad se nomenque transferre et eam in*

Digitized by Google

illis esse negare, ubi revera est. Augustinus lib. de utilit. credendi c. 7: *Omnes haereses se Catholicos volunt videri aliosque praeter se haereticos nominant.* Bellarminus de not. eccles. c. 1. art. 2: *Omnis haeresis ad se solam trahit veram ecclesiam et alios omnes extra ecclesiam ponit.* c. 4. art. 1: *Omnis haeresis vult videri et dici catholica ecclesia.* Lorinus in Act. 20, v. 30: *Ariani se vocabant catholicos, catholicos vero, id est orthodoxos, vocabant Homousianos, Athanasianos, Romanos, id est haereticos.* Marcionitae voluerunt vocari *Christiani* apud Eusebium lib. 4. histor. eccles. c. 11. p. 721.** Pelagiani adversarios suos vocabant *haereticos*, ut nomen catholicum sibi vendicare possent, teste Augustino serm. 14. de verb. apost. Idem testatur lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. et contra Julian. lib. 2. quod cum gratiam contra Pelagianos defenderet, objectum sibi sit nomen *Manichaeum.* Hieronymus in epistola ad Marcum: *Si ab Arianis vocor haereticus, merito.* Graeca ecclesia appellat se *catholicam*, quam tamen Pontificii vocant schismaticam et haereticam. Patriarchae sedis Constantinopolitanae vocant se *universales et oecumenicos*, quo nomine ipsorum antecessores jam olim fuerunt honorati lib. 7. C. de summ. Trinit. Novella 3. 5. 7. 16. 42. Roffensis adv. Luth. art. 3. et *Marcionitae et Valentiniani se catholicos et orthodoxos dici voluerunt, ceteros haereticos appellabant; Novatiani se puros vocabant, ceteros omnes impuros.* Lindanus in praefat. panopl. §. Quod inquiunt: *Priscis seculis catholicae fidei propugnatores Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, haeretici haereticos Manichaeos, Ho-*
XI. 223. *mousianistas, Sabellianos, Basilianistas appellabant.* Lubricum igitur ex nomine ducitur argumentum, antiquum enim falsorum doctorum et falsae ecclesiae est artificium, ut specioso nominis velamine turpitudinem dogmatum suorum tegant. Irenaeus lib. 1. c. 30: *Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum praeferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes mortificant multos per nomen bonum sententiam suam male dispergentes et per dulcedinem et decorem nominis amarum et malignum principis apostasiae serpentis venenum porrigentes eis.* Pro Simonis nomine substitue nomen Antichristi, videbis, aptissime Lugdunensis illius doctoris pronuntiatum Jesuitis nostris convenire. Quod si obvertant Arianos, Donatistas et Graecos a se ipsis tantum, non autem ab aliis vocatos fuisse catholicos, se vero ab aliis, imo a nobis ipsis ita appellari, respondemus, id fieri eo nomine ac sensu, quo illi nos vocant evangelicos, non quod vere illos catholicos esse statuamus, ut postea apparebit.

Non coepit cum ecclesia.

155. 3. Quodcunque nomen non coepit cum ipsa ecclesia, non potest esse propria et genuina ecclesiae nota; ratio est, quia erit ecclesiae accidentale, non autem essentiale, siquidem essentialia cum ipsa re perpetuo sunt conjuncta, cum illa oriuntur et intereunt. Jam vero nomen catholicum non coepit cum ipsa ecclesia. Ergo non est propria et genuina ecclesiae nota. Ut argumentum prius probat, hanc notam non convenire uni et soli verae ecclesiae, ita hoc argumentum ostendit, hanc notam non convenire illi semper et perpetuo; ex utroque efficitur, quod non sit genuina et propria nota, quippe quae uni, soli et semper convenit. Assumtum confirmatur ex eo, quod Pacianus in epist. 1. ad Sempron. ait, *sub apostolis neminem appellatum fuisse catholicum*, ex quo colligunt, Symbolum apostolicum non fuisse ab ipsis apostolis conscriptum, sed ab alio quodam ex ipsorum scriptis collectum. ** Idem Pacianus d. l.: *Qui catholicus est, idem justi est obediens, et qui obediens, idem est Christianus, atque ita catholicus est Christianus.* Tempore apostolorum nemo se vocabat *catholicum.* *Appellationis autem catholici occasionem forte primam praebuit schisma Meletianum circa annum Domini 304. exortum, in quo qui a partibus Petri Alexandriae episcopi starent, se ecclesiam catholicam, qui vero a Meletii, martyrum ecclesiam dicebant, referente Epiphanio haer. 68.** Sed demus, ab ipsis apostolis nomen hoc symbolo insertum esse, certum tamen est, tempore Christi, antequam praedicatio evangelii ad omnes gentes perveniret, ecclesiam non fuisse dictam catholicam, quam tamen veram ecclesiam, imo florem ecclesiae fuisse negari nulla ratione potest.

Argumenta Bellarmini, quod nomen catholicum sit nota ecclesiae.

156. Sed videamus, quomodo probet Bellarminus, nomen catholicum esse notam verae ecclesiae. Ex Scripturis affert locum 1. Cor. 3, v. 4. qui ostendit, *schismaticos tempore Pauli nomina ab hominibus sumsisse, ita ut quidam dicerent, se esse Pauli, alii se esse Cephae, alii Apollo; ex quo colligit, schismaticos esse, qui ab hominibus appellantur, illos autem vere Catholicos, qui a Christo tantum habent nomen et nullius alterius nomine vocantur.* Respondemus: 1. Concedimus, illos esse schismaticos, qui ab hominibus sibi nomina assumunt, cum in fundamento fidei consentiant. Tales erant Corinthii, ad quos apostolus haec scribit, qui in fundamentalibus fidei articulis conveniebant, interim de rebus leviculis ac inprimis de auctoritate et praeeminentia doctorum suorum disceptabant, ac propterea in diversas sectas abibant. Concedimus etiam, illos esse haereticos, qui ab unitate fidei catholicae discedentes hominum opiniones et falsa dogmata amplectuntur, qua ratione ab Ario Ariani, a Pelagio Pelagiani, a Nestorio Nestoriani, ab Eutyche Eutychiani sunt dicti; sed ex eo non potest nec debet inferri, quod illi, qui communi Christianorum et Catholicorum nomine vocantur, non sint schismatici vel haeretici, ostendimus enim superius, Arianos XI. 224.
et alios haereticos vocari voluisse catholicos. 2. Multi haeretici non sumserunt sibi nomen ab ullo homine, quales sunt inprimis haeresiarchae, qui cum maxime haeretici sint, non tamen nomen ab hominibus sumserunt. Alphonsus de Castro de haeres. tit. de Christo: *Surrexerunt Acephali, qui simul insurgebant, nullus enim repertus est, qui eo-*

Digitized by Google

rum esset princeps et magister. Isti unam tantum in Christo naturam esse dicebant. Hisce Acephalis conjungi possunt Alogiani, Agnoëtae, Anthropomorphitae, Angelici, Apostolici, Cathari etc. quibus nulla persona, sed suae haereses nomina indiderunt. ** Alphonsus de Castro lib. 2. adv. haeres. tit. Aqua haeres. 2: *Haeretici Flagellantes ita ab eorum opere nomen sunt sortiti, quoniam nodosis flagellis, in quibus aculei inserti erant, se ipsos flagellabant.* lib. 6. tit. Eucharistia haeres. 6. de Aquariis: *Qui fuerit hujus haeresis auctor et quo tempore coeperit, apud neminem invenire potui.* ** Huc referendus est egregius locus ex Bernhardi serm. 66. in Cant. ubi de haereticis quibusdam apostolicis dictis sic disserit: *Quaere ab his suae sectae auctorem, neminem dabunt. Quae haeresis non ex hominibus proprium habuit haeresiarcham? Manichaei Manem habuerunt principem ac praeceptorem, Sabelliani Sabellium* etc. *Quo vero nomine istos titulove censebis? nullo. Quoniam non est ab homine illorum haeresis, neque per hominem illam acceperunt. Absit tamen per revelationem Jesu Christi, sed magis et absque dubio, ut Spiritus sanctus praedixit, per immissionem et fraudem daemoniorum* etc. 3. Quo sensu et respectu dicamur Lutherani, inferius declarabitur. Si Lutherus haereticam quandam novitatem ab antiqua fide catholica discrepantem introduxisset, ut fecerunt Arius, Nestorius, Eutyches et alii complures, nosque ab illo eo sensu diceremur Lutherani, quo ab Ario dicti sunt Ariani, a Nestorio Nestoriani, ab Eutyche Eutychiani etc. tunc obtineret aliquid argumentum Bellarmini; sed Lutherus non introduxit haereticam quandam novitatem, sed errores papales in ecclesiam catholicam introductos sustulit et fidem antiquam vere catholicam ex catholicis prophetarum et apostolorum scriptis docuit. 4. Nos non denominamus nos ipsos Lutheranos, sed ab adversariis ita appellamur, quod eatenus permittimus, ut haec appellatio sit indicium consensus, quem nostrae ecclesiae obtinent cum doctrina orthodoxa et catholica, quam Lutherus ex sacris literis proposuit. Denominari igitur nos patimur a Luthero, non ut novae fidei inventore, sed ut antiquae fidei assertore et ecclesiae a sordibus dogmatum Pontificiorum repurgatore, inde quoque nomen Christiani et Catholici non repudiamus, nec haeretici cujusdam dogmatis approbatione eo indignos nos reddimus, sicut faciebant Ariani, Nestoriani, Eutychiani etc. sed a Christo tanquam unico fidei auctore et magistro vocamur *Christiani*, a consensu cum fide catholica vocamur *Catholici*, a Luthero ut assertore ac propugnatore, cumprimis vero ut reformatore divinitus excitato dicimur *Lutherani*. 5. Pontificii vero Catholicorum nomine se indignos reddiderunt papalia dogmata contra fidem catholicam amplectentes seque *Romano-Catholicos* vocantes, ut inferius demonstrabitur. Lerinensis catholicum definit, *qui verae fidei non praeponit cujusquam auctoritatem.* Sed Pontificii papae auctoritatem praeponunt verae fidei. Ergo non sunt vere catholici. 6. Denique concedimus, nos esse sano sensu *schismaticos*, quia scilicet ab ecclesia Romana et ejus capite pontifice Romano secessionem fecimus, nequaquam vero ab unitate ecclesiae catholicae et ejus capite Christo Jesu nos separavimus. At o beatum schisma, per quod Christo et verae catholicae ecclesiae uniti sumus. Tale schisma olim erat, quo ecclesia Christiana a Judaica synagoga sese separabat, quale etiam praecipitur Act. 2, v. 40: *Salvamini a generatione ista prava.* Apoc. 18, v. 14: *Exite ab ea.* Tale schisma praecipiunt etiam patres, Ignatius epist. 6. ad Philad.: *Si quis eum sectatur, qui se a veritate absciderit, non haereditabit regnum Dei, et qui non abscedit a mendace concionatore, in gehennam condemnabitur.* Ambro- XI. 235.
sius comm. in Luc. 6: *Si qua est ecclesia, quae fidem respuit, deserenda est.* Chrysostomus hom. 46. in Matth.: *Non ille de ecclesia exit, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis ecclesiasticae fundamenta relinquit. Nos enim ab illis* (Arianis) *eximus corpore, illi fide.* Hisce praeceptis et exemplis moniti ab idololatrica ecclesia Romana discedentes non Sionem deseruimus, sed ex Babylone fugimus; non ecclesiam scidimus, sed Pauli factum in ecclesia Ephesina secuti Act. 19, v. 8. discipulos separavimus; non altare contra altare exemplo Jeroboami vel Donatistarum ereximus, sed altari Damasci ex aede Domini ejecto verum divinum cultum instauravimus.

157. Huic Scripturae testimonio conjungit Bellarminus varia dicta patrum, quae testantur, *haereticos ab hominibus appellari, catholicum nomen verae ecclesiae relinqui.* Sed haec omnia nihil ad rem faciunt, 1. quia patres non loquuntur de solo nomine, sed quod rem conjunctam habet, ut ostendimus superius. Si solum nomen catholicum a fide catholica sejunctum judicassent sufficere, non tanta animorum contentione pro fidei catholicae sinceritate contra haereticos Catholicorum nomen sibi arrogantes pugnassent. Cyrillus cum catech. 18. docuisset, nomen *catholicum esse proprium sanctae ecclesiae*, subjungit, ecclesiam vocari *καθολικὴν διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα*, *quia docet catholice et perfecte omnia dogmata, quaecunque homines tenentur agnoscere.* Ergo propter fidem catholicam hoc nomen ecclesiae convenire ostendit, si ergo fides catholica ab ecclesia quadam exsulet, non amplius nisi *ὁμωνύμως* erit catholica. Chrysostomus hom. 7. in Matth.: *Si videris hominem Christianum, considera, si confessio ejus conveniat cum Scripturis. Si sic, tum verus est Christianus*, quod repetit hom. 33. in Acta. Idem dicimus de catholico, quia Bellarminus utrumque hoc loco conjungit. Augustinus de unit. eccles. c. 10: *Nec catholicis episcopis credendum, siquidem forte falluntur, ut contra Scripturas canonicas aliquid sapiant.* Ergo nomen catholici ex doctrina aestimandum, nec simpliciter sine ullo examine illis credendum, qui se catholicos vocant. 2. Nomen catholicum non collo-

Digitized by Google

carunt in prima acie contra adversarios dimicantes, sicut Bellarminus illud primam ecclesiae notam constituit, sed loco postremo, postquam scilicet ex Scripturis fidei suae veritatem prius demonstrarunt. Sic Augustinus contra epist. Fundam. c. 4. postquam multa alia majoris momenti commemorasset, quae illum in ecclesia catholica retinerent, tandem subjungit: *Tenet postremo et ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sola ecclesia hoc nomen obtinuit;* ac in eodem capite subjungit, *si Manichaei possent monstrare veritatem, quam jactare et pollicere solebant, se velle haec omnia abjicere et ad illos transire;* quo ipso etiam manifestissime ostendit, quod nomini catholico sine veritate ei subjuncta nihil tribuat. 3. Cum veteres de nomine catholico gloriarentur, fidei catholicae sinceritatem adhuc retinebant, sed Pontificii, qui nomine illo gloriantur, fidei catholicae et apostolicae sinceritate se gaudere nequaquam probare possunt ex catholicis prophetarum et apostolorum oraculis, ex quibus fides catholica unice discenda ac demonstranda est. Catholicos igitur se vocant solo nomine, sed res ipsa non invenitur apud ipsos. 4. Haeretici a nominibus haeresiarcharum suorum recte appellantur juxta constitutionem Theodosii et Valentiniani lib. damnato 6. C. de haeretic.: *Damnato portentosae superstitionis auctore Nestorio nota congrui nominis ejus inuratur gregalibus, nec Christianorum nomine sive appellatione utatur, sed quemadmodum Ariani ab Ario lege divae memoriae Constantini ob similitudinem impietatis, Porphyriani a Porphyrio nuncupantur; sic ubique participes nefariae sectae Nestorii Nestoriani vocentur, ut cujus scelus in deserendo Deum sunt imitati, ejus vocabulum jure videantur esse sortiti.* Sed nos nequaquam
II. 226. eo modo a Luthero denominamur, cum non possit demonstrari, Lutherum haereticam aliquam novitatem docuisse. 5. Non est hodie eadem ecclesiae facies externa atque idem status exterior, qui olim fuit, proinde ex nomine catholico non potest amplius ecclesiae veritas apodictice demonstrari. Olim ecclesia catholica longe lateque erat propagata subjugatis gentilium idolomaniis, Judaeorum superstitionibus et falsis haereticorum doctrinis; si quae oriebantur haereses, in angustis quarundam regionum limitibus concludebantur, ibi ad catholicum nomen, cui fides catholica longe lateque dominans conjuncta erat, recte provocabatur. Sed postquam Arianismus per totum ecclesiae corpus gangraenae instar serperet et capite in sublime erecto incedens nominis catholici gloriam ad se transferre conaretur, non poterat ulterius solum nomen catholicum haereticis opponi, sed fidei catholicismus erat demonstrandus. Ita quoque cum superioribus seculis papismus cataclysmi instar totam ecclesiam inundarit et externam ejus faciem misere defoedarit, non potest ex nominali vel externo catholicismo ecclesiae veritas demonstrari, sed ad internum verae fidei catholicismum recurrendum est. *Perpendendum est* (scribit Casaubonus in epistola nomine regis Angliae ad cardinalem Perronium exarata), *magnum esse discrimen inter tempora Augustini et nostra, ideo diverso sensu catholica ecclesia hodie nominatur atque illis temporibus ac mutata est ecclesiae facies et tota exterior forma, ut de interiore nihil dicatur. Olim ecclesia catholica similis civitati supra montem positae nullo pacto dubia erat, sed nota omnibus, perspicua, certa, longe lateque per orbem diffusa, sub imperatoribus florens, quorum dominatio ab ortu ad occasum, a septentrione ad meridiem porrigebatur. Erat videre episcopos orientis et occidentis quotidie per epistolas et proprios nuntios communicantes* etc. *At distractionem imperii postea secuta est distractio ecclesiae catholicae et illa omnia paulatim cessarunt, quae conservandae unioni et communioni exteriori corporis catholici optime servierunt. Ex illo tempore ecclesia catholica non desiit esse quidem, semper enim erit, sed minus illustris esse coepit, utpote in plures divisa inter se, quod ad communicationem externam attinet, penitus separatas. Romana igitur, Graeca, Antiochena, Aegyptia, Abyssina, Moscovitica et plures aliae membra sunt ecclesiae catholicae, cujus compages, quod ad formam exteriorem attinet, dudum est soluta. Mirandum igitur, Romanam ecclesiam, quae fuit quondam integri corporis membrum, jus omne universitatis ad se jam trahere, appellationem ecclesiae catholicae sibi propriam facere et reliquas omnes, quae in ulla re a se dissentiant, excludere communione sua ac statim illas ad catholicam nihil pertinere audacter affirmare.*

Num Romana ecclesia recte vocetur catholica.

158. Membrum secundum. Sitne Romana ecclesia dicenda catholica? Solenne est Pontificiis, Romanam ecclesiam vocare catholicam. Sed res ipsa testatur, quod nec loci, nec temporis, nec fidei ratione proprie loquendo sit catholica. Producimus igitur contra gloriabundam illam appellationem, qua catholicae nomen suae ecclesiae Romanae soli vendicant, haec argumenta: 1. Ecclesia catholica complectitur totum numerum salvandorum Hebr. 12, v. 23. quorum quidam in coelis jam regnant, quidam in terris adhuc pugnant; sed illi non fuerunt omnes in communione Romanae ecclesiae, imo multi eorum e vita discesserunt, quibus superstitiones et idololatriae Romanae ecclesiae non fuerunt cognitae, nedum probatae. 2. Extra ecclesiam catholicam non est salus. At extra Romanam ecclesiam multi salvantur. Si enim in nostris ecclesiis verus administratur baptismus, utique infantibus in nostra ecclesia baptizatis salus non est neganda. 3. Ecclesia catholica amplectitur fidem catholicam, consentientem scilicet prophetarum et apostolorum doctrinam, Eph. 2, v. 20. sed Romana ecclesia a catholico illo verae fidei consensu in multis capitibus discedit. 4. Ecclesia catholica vocatur, quia complectitur omnia ecclesiae membra, quae per totum terrarum orbem sunt dispersa; XI. 227.
sed Romana ecclesia non complectitur omnia ecclesiae membra dispersa per totum orbem, quia major pars catholicae ecclesiae dogmata et ceremonias Romanas non recipit. Ergo. 5. Patres inter Romanam et catholicam ecclesiam distinguunt. Hierony-

Digitized by Google

mus ad Evagr. de Romana ecclesia loquens: *Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe.* ** Ignatius ad Romanam ecclesiam scribens hoc praemittit *πρόσρημα: τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις παράκειται ἐν τόπῳ χωρίου τῶν Ῥωμαίων. χωρίον* autem est dioecesis, ut apparet ex concil. Chalcedon. act. 15. ** Augustinus epist. 86. de Urbico Romanae ecclesiae consuetudinem in jejunio aliis ecclesiis imponere satagente dicit, quod *toto terrarum orbe diffusam exceptis Romanis et paucis adhuc occidentalibus blasphemet ecclesiam.* Ambrosius lib. 3. de sacram. c. 1: *In omnibus sequi cupio ecclesiam Romanam, sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos recte custodimus.* (A catholica ecclesia nunquam dissentire se diceret Ambrosius, sed in ritibus a Romana dissentiens se sensum habere non dubitabat.) Gregorius lib. 19. in Jobum c. 9: *Universae ecclesiae, quae unam catholicam faciunt, adolescentulae vocantur, non jam vetustae per culpam, sed novellae per gratiam* (si universae ecclesiae faciunt catholicam, ergo non sola Romana est catholica) Beda lib. 5. histor. c. 22: *Omnes ecclesiae per orbem unam ecclesiam faciunt.* Unde patres concilii Basileensis epist. synod. 3. sic scribunt: *Dicimus Romanam sedem principalem inter alias sedes, sed numquid dum partem laudatis, obliti estis totius? numquid dum unam ecclesiam extollitis, eam, quae universalis est, in qua Romana continetur, praetermittitis?* Et in appendice illius concilii dicitur: *Romana ecclesia non est universa, sed de universitate.* Item in concil. Ferrariens. sess. 9: *Romana ecclesia universali ecclesia inferior est.* Si obvertas, catholicae nomen hodie vulgo tribui Romanae ecclesiae, respondemus: 1. nomini huic non subesse rem ipsam, videlicet fidem catholicam, a qua in multis capitibus jampridem defecit. 2. Honorificam illam appellationem Romana ecclesia sibi ipsi arrogavit propter speciem quandum universalitatis externae. 3. Dicitur a nobis catholica, non quod revera talis a nobis habeatur, alias enim nostrae confessioni statim nuntium mitteremus et in gremium Romanae ecclesiae promte concederemus; sed quia vulgo talis esse putatur, sed ex illorum hypothesi, sed ironice, quemadmodum et illi nos vocant evangelicos. 4. Quemadmodum Hierosolyma tempore Esaiae se vocabat *sanctam civitatem* Esai. 1, v. 21. ac tempore Christi ita appellabatur ab evangelistis Matth. 4, v. 5. cum tamen *facta esset meretrix*, ac quemadmodum Judaei tempore Christi et apostolorum vocabant se ipsos et ab aliis etiam vocabantur *semen Abrahae*, non quod essent, sed quod majores ipsorum fuissent, a quorum doctrina et pietate defecerant; sic Pontificii nomen catholicum a majoribus acceptum adhuc retinent, licet a fide majorum, id est a confessione antiquae Romanae ecclesiae defecerint, ut ostendimus superius. 5. Romana ecclesia propter urbis et episcopatus illius celebritatem dicebatur olim catholica synecdochice, erat enim praecipuum membrum catholicae, quo nomine proprie non unius civitatis vel regionis, Romae vel Italiae, sed *universalis omnium temporum, locorum et populorum ecclesia intelligitur, quae per totum orbem diffusa omnes sanctos ante legem, sub lege et sub gratia complectitur*, teste Gregorio lib. 4. epist. 38. Tandem vero illa honoris, dignitatis et ordinis praerogativa Romanae ecclesiae attributa degeneravit in potestatis, jurisdictionis et dominatus usurpationem; (** de illa vero notione, qua ecclesiam catholicam Romana synagoga considerat, ratione jurisdictionis, quam in omnes alias sub unius capitis visibilis communione sibi adhaerentes habet, altum est in Scripturis silentium. Neque subjectionem istam permittit sororia, id est aequalis necessitudo ecclesiarum) ** ac hodie plane in tyrannidem abiit, quam in ecclesiasticis et secularibus Romanus papa sibi arrogat, ex quo Romanam suam ecclesiam catholicam vocat.
At quid cum doctrina commune habet dominatio? XI. 22
Si catholica dominatio facit ecclesiam catholicam, quid impedit, quominus tempore florentis imperii Romani Romana ethnica dicatur fuisse catholica? Ut interim non dicam, plurimas ecclesias Christianas in Africa, in Aegypto, in Aethiopia esse, quae ne quidem nomen Romani pontificis audiverunt, nedum ut tyrannidi ejus colla submiserint; plurimas item ecclesias esse, Graecas scilicet in Asia, quasdam etiam in Africa, quae dominationi ejus fortiter restiterunt; plurimas in Europa, quae violentum dominationis illius jugum excusserunt.

159. Monenda hoc loco tria: 1. Pontificios non esse contentos nomine catholico, sed vocare se *Romano-Catholicos*, id quod experti sunt, qui in manus Harpyiarum, inquisitorum scilicet, inciderunt. Atqui hac ratione ostendunt, se non esse vere catholicos, quia ecclesiam alligant ad certum locum, videlicet Romam. Sive enim Romana ecclesia accipiatur pro Romanae urbis ecclesia, sive pro tota papae ditione, non potest dici catholica, quia particulare nunquam est universale, species non est genus, membrum non est integrum corpus. 2. Illi, quibus ecclesiae veritatem Bellarminus hoc loco unice vendicat, non solum vocantur Catholici, sed etiam *Pontificii.* Si ergo nos propterea non sumus Catholici, quia vocamur Lutherani, illi itidem non erunt Catholici, quia vocantur Pontificii ac Papani. ** Lorinus in Act. 20, v. 30. §. Unus est: *A papa Papistas dici nec veremur, nec erubescimus, imo in eo egregium orthodoxae fidei elogium testimoniumque libenter agnoscimus ac profitemur.* Conferatur Reihingius in mur. Babylon. quam ipse vocat civitatem sanctam fund. 9. p. 226. et 227. ** Si denominatio ab homine repugnat nomini catholico, utique etiam denominatio a papa illi repugnabit, quia papa est homo, nisi forte cum jure canonico dicere velimus, *papam esse* Deum. c. satis dist. 96. Gloss. in verbo declaramus ad finem c cum inter nonnullos extr. de verbor. significat.: *Papa dominus Deus noster.* Bellarminus non improbat nomen Papistae, *cum deducatur* (inquit) *a papa, qualis fuit Petrus et Christus ipse.* Respondemus: nec Petrus, nec Christus fuerunt papae, ut impudenter hoc loco Bellarminus asserit, sed uter-

Digitized by Google

que papalem in ecclesia denominationem interdixit. Si vel Christus vel Petrus fuerunt papae, unde factum, ut Christiani non fuerint statim dicti Papistae? Si licet a papa nomen accipere, cur non etiam a Petro, qui ex ipsorum hypothesi fuit papa, Petriani dici possent? Sed hoc improbat Paulus 1. Cor. 3, v. 4. ac Athanasius or. 3. contra Arian. recte monet, *nos non a beatis apostolis praeceptoribus nostris appellationes adeptos esse, sed a Christo Christianos esse et nuncupari.* Augustinus in Ps. 44: *Quotquot genuerunt apostoli* (per verbum evangelii), *eos non Paulinos aut Petrianos, sed Christianos nominabant.* Si rem ipsam expendere velimus, illi rectius a suo papa vocantur Papistae quam nos a Luthero Lutherani. Papam enim illi agnoscunt pro ecclesiae suae capite, pro infallibili omnium controversiarum judice, decreta illius sine ulteriori ex Scripturis examine et probatione amplectuntur, adeoque pro unico fidei suae magistro illum habent; nos vero Luthero nihil tale tribuimus, seu doctrinam illius amplectimur, non quia a Luthero est profecta, sed quia Scripturis sacris illam deprehendimus esse consentaneam, ultima igitur fidei nostrae resolutio non fit in auctoritatem Lutheri, sicut apud Pontificios in scrinium papalis pectoris, sed attendimus voci Christi in Scripturis sonanti, ad quam fideli χειραγωγίᾳ ut minister Christi Lutherus nos deduxit. Subjungit Bellarminus, *se a nullis vocari Papistas nisi a Lutheranis in Germania et vicinis regionibus.* Respondemus: sic et nos non vocamur Lutherani et sectarii nisi a Papistis et aliis sectariis, frivolum igitur est ex solo nomine velle argumentum ducere, sed ad rem ipsam accedendum. Apud quos fides catholica ex tabulis sacrarum literarum catholicis esse cognoscitur, illi vere sunt catholici, non autem qui ab hominibus sic appellantur. **Qui secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam Patris et Filii et Spiritus sancti unam Deitatem sub pari majestate et sub pia Trinitate credunt, jubentur amplecti nomen Christianorum catholicorum Cod. de summ. Trin. tit. 1. §. Cunctos, hoc est se profiteri Catholicos. At nostrae ecclesiae socii credunt unam Patris et Filii et Spiritus sancti Deitatem. Ergo. Porro: Religio, quae fidei habet et universalitatem externam et internam, illa vere est catholica. At talis est nostra orthodoxa. Sive enim universalitatem spectes externam, quae triplex est, loci, aetatis, temporis; sive internam, quae in ipsa orthodoxia prophetica et apostolica consistit, conspicitur ea in nostra eccle-
XI. 229. sia.** 3. Si denominatio ab homine repugnat nomini catholico, cur monachi illorum ab Augustino vocantur Augustiniani, a Dominico Dominicani, a Francisco Franciscani? Certe Augustinus, Dominicus et Franciscus fuerunt homines, jam vero illi non solum patiuntur suis conventiculis talia nomina imponi, sed etiam in nominibus illis gloriantur. **Ambrosius in lib. de incarn. sacram. c. 9. tom. 2. p. 186. de Arianis: *Quomodo negant magistrum, cujus inventum sequuntur?***

An ecclesia Lutheranorum sit catholica.

160. Membrum tertium. Ex eo quod vocamur Lutherani, Bellarminus colligit, *nos non esse Catholicos nec verae ecclesiae cives.* Respondemus: 1. nos hoc nomen minime nobis imposuimus, sed ab adversariis nobis impositum discretionis causa sano sensu eo nos appellari permittimus. 2. Lutherus ipse tom. 2. german. Jenens. fol. 92. fac. 1. graviter monet, *ne quis Lutheranum se vocet hoc sensu ac respectu, ut Lutherum pro fidei magistro et primo auctore habeat*, ergo hanc nominis Lutherani significationem invita veritate Bellarminus nobis tribuit. **Lutherus tom. 6. Witeb. f. 372: Wiewohl ichs nicht gerne habe, daß man die Lehre und Leute lutherisch nennet, und muß von ihnen leiden, daß sie Gottes Wort mit meinem Namen schänden, so sollen sie doch dem Luther die lutherische Lehre und Leute bleiben lassen und zu Ehren kommen, wiederum sie und ihre Lehre untergehen. Tom. 2. Jen. Germ. f. 81. a. an Hartmut von Kronenberg: Die Christen glauben nicht an den Luther, sondern an Christum selbst, das Wort hat sie und sie haben das Wort. Den Luther lassen sie fahren, er sei ein Bube oder heilig. Gott kann sowohl durch Balaam als durch Esaiam, durch Caipham als durch St. Peter, ja durch einen Esel reden, mit dem halte ichs auch, denn ich kenne auch selbst nicht den Luther, will ihn auch nicht kennen. Ich predige auch nichts von ihm, sondern von Christo. Der Teufel mag ihn holen, wenn er kann. Er lasse aber Christum mit Frieden bleiben, so bleiben wir auch wohl. f. 92. a.: Wahr ists, daß du ja bei Leib und Seele nicht sollst sagen, ich bin lutherisch oder papistisch, denn derselben ist keiner für dich gestorben, noch dein Meister, sondern allein Christus und sollst dich Christen bekennen. Aber wenn du es dafür hältst, daß des Luthers Lehre evangelisch und die des Papstes unevangelisch sei, so mußt du den Luther nicht so gar hinwerfen, du wirfst sonst seine Lehre auch mit hin, die du doch für Christus Lehre erkennest, sondern also mußt du sagen, der Luther sei ein Bube oder heilig, da liegt mir nichts an; seine Lehre aber ist nicht sein, sondern Christus selbst, denn du siehest, daß die Tyrannen nicht damit umgehen, daß sie nur den Luther umbringen, sondern die Lehre wollen sie vertilgen, und der Lehre wegen tasten sie dich an und fragen dich, ob du lutherisch seist; hier mußt du wahrlich nicht mit Rohrworten reden, sondern frei Christum bekennen, es habe ihn Luther, Claus oder Georg gepredigt, die Person laß fahren, aber die Lehre mußt du bekennen. Confer. tom. 2. Jen. fol. 104. Von beiderlei Gestalt der Sacramente. Tom. 4. Jen. fol. 317. a.: Der Luther selbst will nicht lutherisch sein, ohne sofern es die heil. Schrift rein lehret. Tom. eod. fol. 541. a. ex Ps. 7: Ist doch meine herzliche Bitte und Wunsch, mein fleißiges Lehren und Schreiben nicht anders denn dahin gerichtet, daß der elende Haufe deines Volkes, so durch Menschenträume und Secten so jämmerlich zertrennet und verirret, wiederum zu dir bekehret würde, in dem einigen Glauben und Geist dich erkennen als ihren einigen Hirten und Meister, um welcher willen ich auch noch bitte, du wollest dich und dein Wort erhöhen und

Digitized by Google

erhalten durch unser Amt, auf daß sie bei dir und um dich in solchem einigen Glauben bleiben mögen; denn ich ja nicht gesucht habe, daß sie an mir hangen sollten, oder ich ehrlich und hoch werde, sondern zu dir habe ich sie geweiset und an dich gehänget, daß du hoch und empor, herrlich und löblich unter ihnen sein solltest. Dergleichen sage ich auch, spricht er in der Auslegung über das 7. cap. Joh. tom. 2. Isleb. fol. 229. a, das Evangelium ist mein, zu unterscheiden der anderen Predigt, Lehre, die sonst meine Lehre nicht haben, darum sage ich, das ist meine, des Luthers Lehre, und sage doch auch, es ist nicht meine Lehre, sie ist nicht in meiner Hand, sondern Gottes Gabe. Vide locum in den Wechselschriften der Darmstädtischen p. 79.** 3. Non dicimur a Luthero Lutherani, sicut ab Ario olim dicti sunt Ariani, a Nestorio Nestoriani etc. Lutherus enim non excogitavit novas doctrinas haereticas, sicut Arius et Nestorius, sed papalibus erroribus noviter in ecclesiam introductis ex verbo Dei
XI. 230. monstratis ac repudiatis ad antiquam fidem catholicam nos revocavit. Denominamur igitur, vel potius denominari nos patimur a Luthero, non ut novae hareseos doctore, quo modo ab Ario dicebantur olim Ariani, a Nestorio Nestoriani etc. nec ut novae regulae inventore, quo modo a Francisco dicuntur Franciscani, a Dominico Dominicani etc., sed ut antiquae fidei assertore, papismi eversore et ecclesiarum repurgatore divinitus excitato. 4. Cum enim Romana ecclesia et ejus asseclae monstratam ex Scripturis evangelicam veritatem agnoscere nollent, sed errores inveteratos stylo et pilo propugnare pergerent catholico nomine sibi solis arrogato, inde factum, ut διακρίσεως causa nomen evangelicum et Lutheranum nobis cederet, ut nostra ecclesia ab illorum coetibus non fidei solum professione, sed etiam nominis discretione sejungeretur. Lutherani ergo dicimur, quia amplectimur doctrinam illam, quam Lutherus divinitus excitatus erroribus papalibus diu immersam in lucem iterum protulit et contra papistas fortiter propugnavit. 5. Ac talem ab homine denominationem non pugnare cum nomine catholico et Christiano ostendit res ipsa; ostendit etiam veteris ecclesiae historia, in qua orthodoxi ab Arianis vocati sunt *Athanasiani.* Cumprimis vero luculenter illud probat Chrysostomus homil. 33. in Acta circa finem tom. 3. p. 438. c. d.: *Numquid scindimur ab ecclesia? Num ab hominibus cognomen habemus? Numquid nobis dux quidam est, sicut illi Marcion et illi Manichaeus, huic Arius, alteri vero alius haereseos dux? Quodsi et nos agnominationem cujusdam sortimur, sed non ut ab haeresium principibus, sed ut ab his, qui praesunt nobis et gubernant ecclesiam. Non habemus doctores super terram, absit, unum habemus in coelis. Et illi, inquit gentilis, eadem praetexunt. Sed assistit nomen accusans illos et obturans nomina* etc.

Haeretici nomen quot modis accipiatur.

161. Quia vero Bellarminus et hic et alibi passim nos vocat *haereticos* catholicorum et Christianorum nomine indignos, ideo nominis hujus ambiguitas explicanda est. Aut enim accipit vocabulum in ea significatione, quae est vera, genuina et propria, Scripturis sacris et patribus usitata, ut sit XI. 231.
contra regulam fidei perversa sententia pertinaciter defensa, et tum negamus, nos esse haereticos; aut in ea significatione, quae in officina Romana primum cusa est, ut haereticus sit, qui non obtemperat singulis papae decretis, et tum libenter fatemur, juxta hanc definitionem papalem nos esse haereticos. Tertullianus de praescript. c. 37: *Unde extranei aut inimici apostolis nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit.* Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 51: *Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt* (al. sentiunt), *si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici sunt.* Hanc descriptionem haereticorum si nobis tribuere velint Pontificii, demonstrare eos prius oportet, quod a doctrina sana et apostolica secessionem fecerimus. c. Haereticus et c. Dixit. 24. qu. 3. definitur haereticus, qui *temporalis commodi et maxime vanae gloriae principatusque sui tuendi gratia falsas ac novas opiniones gignit et sequitur.* **(c. Haeresis 24. qu. 3: *Quicunque aliter Scripturam intelligit quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet de ecclesia non recesserit, tamen haereticus appellari potest et de carnis operibus est eligens, quae pejora sunt.* c. Qui in ecclesia ibid.: *Haeretici esse dicuntur, qui quod prave sapiunt, contumaciter defendunt.* Toletus lib. 4. instruct. sacerd. c. 3: *Haeresis est error pertinax hominis Christiani fidei catholicae ex parte contrarius.* Sunt igitur quatuor ad haeresin necessaria: 1. error in intellectu; 2. ut error ille sit fidei contrarius, non enim omnis error haeresis est Thom. 2. 2. qu. 11. art. 2; 3. ut error ille fidei contrarius sit cum pertinacia in voluntate conjunctus; 4. ut ille, qui errat, sit Christianus, id est ecclesiae per baptismum incorporatus. Augustinus de util. cred. c. 1. distinguit inter *haereticum* et eum *qui credit haeretico.*)** Hanc definitionem non nobis, sed Papistis convenire, late ostendit Vergerius in scholiis in literas papae ad senatores laicos regni Poloniae. Idem judicium de illa definitione haeretici, quae traditur part. 2. decret. caus. 24. qu. 3. c. 39: *Qui non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, non ad evangelicas auctoritates, sed ad se ipsos recurrunt, magistri erroris existunt;* quae definitio non nobis, sed Pontificiis convenit. Imperatores Gratianus, Valentinianus et Honorius statuerunt, *ut haereticorum numero habeatur, qui vel levi argumento a judicio catholicae religionis ac tramite detecti fuerint deviare* leg. 2. C. de haeret. ubi per tramitem et judicium catholicae religionis intelligitur *regula fidei*, ut ex Acursio et Saliceto probat Dauth. de testam. f. 300. Ac necessario addendum, quod non quaevis deviatio a fidei regula faciat haereticum, sed ea solum, quae cum pertinacia con-

Digitized by Google

juncta est et fundamentum fidei convellit. Augustinus epist. 162: *Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Haeresi eo modo definitae opponitur doctrina catholica, quae regulam fidei incorruptam retinet, et ut imp. definit novell. 115. §. Si quis: *Quae quatuor sancta concilia, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum et Chalcedonense amplectitur.* Sozomenus lib. 7. hist. eccles. c. 4: *Declarabat imperator Theodosius, se velle, ut illorum duntaxat ecclesia diceretur catholica, qui Trinitatem divinam aequali honore colerent; qui diversum sentirent, eos haereticos appellari debere.* Atqui nos haudquaquam discessimus a fidei regula, vel a quatuor illorum conciliorum canonibus; nec fidem Trinitatis abnegavimus, inde quidam episcopus Germanus splendore generis et auctoritate conspicuus in comitiis Augustanis anno 1530. celebratis in publico imperii consessu dixit, *Lutheranos non posse pro haereticis haberi ac damnari, cum nullum Christianae fidei articulum negent*, referente Osiandro conc. 7. contra Feucht. pag. 214. Sed est alia quaedam haeretici definitio, quam Romanenses suo excogitarunt arbitratu. Lucius papa c. ad abolendam de haeret.: *Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere praesumunt, quam sacrosancta Romana ecclesia praedicat et observat, et generaliter quoscunque eadem Romana ecclesia vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clericorum vel clerici ipsi sede vacante cum concilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum haereticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Idem repetitur c. excommunicamus extr. eod. tit. et c. Principes 23. q. 5. ac causa hujus definitionis redditur c. si inimicus 11. q. 3. quia *non sit dignus, qui solis luce fruatur, cui papa est inimicus.* Glossa in c. Nulli. dist. 19. itidem definit, esse haereticum, *qui non in omnibus et singulis obtemperat decretis papae, vel non credit iis omnibus, quae in ecclesia Romana pro veris tradita sunt.* Hanc definitionem comprobat etiam praxis ecclesiae Romanae, quae ad rogum damnat illos, qui contra papae decreta vescuntur carnibus die prohibito, qui legunt Scripturas lingua vernacula, qui nolunt missas audire etc. Sed haec regula est valde irregularis et incerta, cum papae decreta non sint principia, sed ex alio principio, videlicet Scriptura sacra, probari debeant. Accedit, quod papa saepe decernat credenda commenta futilia et nugatoria. Canonizavit librum conformitatum Francisci, in quo f. 234. col. 3. haeretici dicuntur, *quotquot non credunt nugacissimis illis nugis, imo blasphemiis de Francisco relatis.* Sic papa definivit ecclesiae credendum, *quod Dominicus plura miracula ediderit, quam Christus et omnes ejus apostoli, ac quod ipso nemo major in terris exstiterit*, referente Antonino Florentino in historia Dominici. Aventinus lib. 3. annal. refert, quod Zacharias papa episcopum quendam Germanum nomine Virgilium mathematicis artibus eruditum haereseos damnaverit, quod *antipodas esse* statuerit. In hac significatione si accipiatur haereseos vocabulum, haud inviti fatemur, nos esse haereticos, neque enim omnibus decretis papae obtemperamus, nec credimus omnibus illis, quae in ecclesia Romana pro veris habentur, sed ex verbo Dei de his inquirimus; nec inficias imus, esse antipodas, cum demonstrationibus mathematicis et evidentia rationum convincamur, nec fidem adhibemus sonoris illis de Francisco nugis. Patiamur igitur, nos dici hoc sensu haereticos, quia separamus pretiosum a vili Jer. 15, v. 19. ac αἱροῦμεν, eligimus, quod verum et pretiosum spreto mendacio ac vili; ** Actor. 24, v. 14: *Confiteor tibi, quod secundum hanc sectam, quam vocant haeresin, servio Deo patrio credens omnibus, quae in lege et prophetis sunt scripta.* ** Pontificii contra sunt haeretici, quia eligunt mendacium pertinaciter repudiata divina veritate.

XI. 232. XI. 233.

SECTIO II.

DE SECUNDA ECCLESIAE NOTA A BELLARMINO ASSIGNATA, VIDELICET ANTIQUITATE.

Num antiquitas sit nota ecclesiae.

162. *Membrum* 1. Sitne antiquitas genuina et propria ecclesiae nota. Respondemus: 1. Antiquitas est *vera κατ' ἀλήθειαν* talis, vel *apparens κατὰ δόξαν* talis. 2. Antiquitas est vel *prima*, quae originem suam ad Deum ipsum sive divinam revelationem referre potest, vel *post primam orta*, quae post divinam patefactionem subingressa aliquot seculis duravit. 3. Antiquitas vel *conjunctam habet doctrinae coelestis veritatem ac sinceritatem*, vel *ab ea est sejuncta et separata.* Hisce distinctionibus praemissis dicimus, antiquitatem, quae opinione duntaxat talis, quae non potest originem suam referre ad divinam revelationem quaeque non habet conjunctam doctrinae coelestis veritatem ac sinceritatem, eam inquam antiquitatem non esse genuinam et propriam ecclesiae notam, id quod sequentibus demonstramus argumentis.

Argumenta nostrae negativae. 1. Ex Scripturis.

1. Divino praecepto jubemur scrutari, num antiquitas, quae praetenditur, sit vera et prima antiquitas conjunctam habens divinae revelationis originem et doctrinae coelestis veritatem. Ergo antiquitas sola et per se non est nota ecclesiae. Antecedens patet. Ezech. 20, v. 18: *Edixi filiis illorum in deserto: in statutis patrum vestrorum nolite ambulare, et judicia illorum ne observetis, nec idolis illorum polluamini; v. 19: ego sum Jehova Deus vester, in praeceptis meis ambulate et*

Digitized by Google

judicia mea observate ac facite ea. Doctrinae Christi et apostolorum novitatis crimen objiciebatur. Marc. 1, v. 27. exclamant Judaei: τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη; *quaenam haec est nova doctrina?* Act. 17, v. 19. Athenienses ad Paulum dicunt: *Possumusne scire, quaenam sit nova illa, quae a te proponitur doctrina?* Sed haec erat novitas duntaxat apparens, quae videbatur talis illis, qui erroribus veteribus erant innutriti. Quemadmodum igitur vere fidelium erat ab externa illa novitatis specie animos et ocuavertere ac veram antiquitatem in sacris literis inquirere, sicut Beroenses hoc nomine commendantur Actor. 17, v. 11. quod de doctrina Pauli et Silae *ex Scripturis*, non autem ex apparentis antiquitatis specie judicium fecerint; ita quoque nobis adhuc incumbit non moveri specioso antiquitatis praetextu, sed ex Scripturis de unaquaque doctrina, an vere antiqua sit, judicare. Matth. 19, v. 3. Pharisaei in quaestione de divortiis provocant ad antiquitatem, quod per multa secula in populo Judaico illa fuerint usitata, sed Christus revocat eos ad veram et primam antiquitatem in sacris literis descriptam, v. 4. *ab initio non fuit sic*, suo igitur docet exemplo, in quaestionibus fidei nullam diuturnae consuetudinis, apparentis antiquitatis vel praescriptionis cujusdam habendam esse rationem, sed ex sacris literis, quae sunt omnium antiquissimae, veritatem esse investi-
XI. 224. gandam. 2. Quod ecclesiae non convenit semper, non est genuina et propria ecclesiae nota. Ratio patet ex definitione proprii. Atqui antiquitas non convenit ecclesiae semper et perpetuo. Ergo antiquitas non est genuina et propria ecclesiae nota. Assumtum constat, quia fuit tempus, quo ecclesia vera nondum erat antiqua. Sive enim ecclesiam V. T. respicias, illa principium habuit in Adamo; sive N. T. ecclesiam respicias, illa initium habuit tempore Christi et apostolorum, unde inferimus hoc modo: Quo tempore res suum sortitur initium, eo nondum est antiqua. Sed ecclesia V. T. tempore Adami, ecclesia N. T. tempore Christi et apostolorum suum sortita est initium. Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 5. §. sed in: *Christiana religio jam recens nata mox oppugnata fuit a scribis et Pharisaeis*, ubi ipsemet infantiam quandam religionis Christianae agnoscit. Ergo tum nondum fuit antiqua. Jesuitae hodie gloriantur, quod in novis insulis multas constituant et fundent ecclesias. Eae vero non sunt antiquae, sed novae, num vero propterea dicent, non esse veras? Si respondeant, propter consensum cum antiqua catholica ecclesia eas esse antiquas; respondemus, id longe rectius de nostris ecclesiis dici posse, quod cum antiqua catholica et apostolica ecclesia consentiant, id quod ex Scriptis apostolicis in singulis confessionis nostrae articulis demonstrare parati sumus. Desinant igitur novitatis accusatione nos premere. Praeterea quaerimus, in quo tandem novae ac recentes illae ecclesiae cum antiqua catholica ecclesia consentiant? certe non in temporis antiquitate, quia ante annos non ita multos sunt plantatae. Ergo in doctrinae veritate. At ex eo consequetur, doctrinae veritatem, non autem temporis antiquitatem esse ecclesiae notam, et veritatem ecclesiae aestimandam esse ex veritate doctrinae, quae est quasi anima antiquitatis, absque qua antiquitas est cadaver anima destitutum. Illa est vera antiquitas, quae respicit *antiquum illum dierum* Dan. 7, v. 13. quae divinam habet originem et cum veritate doctrinae est conjuncta. 3. Quod non convenit soli ecclesiae, non est genuina et propria illius nota. Ratio asserti manifesta est ex definitione proprii. Jam vero antiquitas non convenit soli ecclesiae. Ergo antiquitas non est genuina et propria ecclesiae nota. Assumtum constat primo ex eo, quod Augustinus in libris de civitate Dei ostendit, jam inde ab initio generis humani fuisse *duas civitates Dei et diaboli;* secundo ex gentilium exemplo. Illi enim in suis contra Christianos disputationibus perpetuo ad antiquitatem provocarunt. Justinus apol. 2. p. 66. ethnicis tribuit, quod *dixerint* τὰ παλαιὰ ἔθη καλὸν εἶναι τηρεῖν. Symmachus ethnicus in epistola ad Theodosium, quae exstat apud Ambros. lib. 3. epist. 30: *Si longa aetas auctoritatem religionibus conciliat, servanda est tot seculis fides et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos.* ***Romam nunc putemus assistere atque his vobiscum agere sermonibus. Optimi principes patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis. Neque enim poenitet. Vivam more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit.*** Sed enim quod epist. 32. Ambrosius huic argumento Symmachi respondet, idem Pontificiis responsum volumus. *Reprehendit messem, quia sera foecunditas est; reprehendit vindemiam, quia in occasu anni est; reprehendit olivam, quia postremus est fructus. Messis nostra fides est, quae ab ortu mundi manebat in sanctis, sed postrema aetate se diffudit in populos, explosa igitur ea opinione, quae ante convaluit, id quod erat verum, jure praelatum est.* Lactantius lib. 2. institut. divin. c. 6. p. 88. de gentilibus sic scribit: *Hae sunt religiones, quas sibi a majoribus suis traditas pertinacissime tueri ac defendere perseverant, nec considerant, quales sint, sed ex hoc probatas atque veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt, tantaque est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse ducant.* **Caecilius orator paganus apud Minutium Felicem: *Quanto venerabilius, ac melius antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, Deos, quos a parentibus ante imbutus es timere quam cognosse familiarius, adorare, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere?* Chrysostomus in 1. Corinth. homil. 7: *Fertur Plato, quamvis certo eorum intelligeret errorem, qui deos colerent, solennitatibus tamen et aliis eorum ceremoniis condescendisse, ut puta qui consuetudini repugnare non posset. Quod re ipsa a magistro* (Socrate) *didicit, qui suspectus quaedam circa religionem innovasse, tantum abfuit, ut quod vellet assequeretur, ut et vita, quamvis defensus, excideret.*

Digitized by Google

Quot autem et in praesentia videmus homines a priori sua opinione in impietate perseverantes, qui gentilitatis accusati cum nulla se possint ratione defendere patres, avos et proavos in suam adducunt accusationem? propterea quidam scriptorum secundam naturam consuetudinem appellaverunt, quae cum in dogmatibus est, longe firmior efficitur. Nam facile est quidvis aliud mutare quam religionem et consuetudinis reverentiam. ** Augustinus
XI. 235. lib. de quaest. V. et N. T. q. 114: *Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest, quasi antiquitas aut vetus consuetudo praejudicet veritati.* Et paulo post: *Hic est mos diabolicus, ut per antiquitatis traducem commendetur fallacia.* ** Isidorus lib. 2. epist. 46. ethnico cuidam objicienti, *evangelium novam quandam atque de veteri discendentem consuetudinem esse*, respondet: *Neque enim grave est aut sceleratum aliquid innovare, cum utilitas novitati conjuncta est; non enim noxia et utilia temporis diuturnitate perpenduntur, verum id explorandum est, an in antiquioribus rebus vitium inveniatur, an contra in recentioribus virtus reperiatur.* ** Arnobius lib. 1. adv. gentes p. 47: *Antiquiora, inquitis* (vos gentiles), *nostra sunt ac per hoc et fidei et veritatis plenissima, quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit et non ipsa pepererit res eas, quae turpissimas Dei notas ignominiosis concinnaverunt in fabulis? ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa et audiri et credi; et non simillimum veri est, fidem vicinis et finitimis quam spatiorum inesse longinquitate distantibus?* ** Idem Arnobius lib. 2. contra gentes p. 55. p. 117: *Cum de novitate loquimini religionum nostrarum, vestrae vobis in mentem non veniunt, nec curatis inspicere, quando exorti sint dii vestri, quas origines habeant, quas causas, vel ex quibus proruperint emicuerintque radicibus. Cujus autem est pudoris, quinimo inverecundiae cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti et criminis loco dare ea, quae in te possunt reciprocata vicissitudine retorqueri?* etc. lib. eod.: *Religionis auctoritas non est tempore metienda* etc. Pergit Arnobius: *Sed quod agimus nos, novum est; quod autem vos, priscum est et nimiae vetustatis. Et quid istud aut vos juvat, aut nostram causam rationemque contristat? Nova res est, quam gerimus, quandoque et ipsa vetus fiet; vetus, quam vos agitis, sed temporibus, quibus coepit, nova fuit repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore aestimanda, sed numine, nec colere qua die, sed qui coeperis, convenit intueri. Ante quadringentos annos religio, inquit, vestra non fuit, et dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo.* p. 119: *Omnipotens et primus Deus novella vobis videtur res esse et qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Estne illo antiquius quidquam, aut quod eum praecedat re, tempore, nomine, potest aliquid inveniri? nonne solus ingenitus, immortalis et perpetuus solus est?* etc. ** Cum Rochardus rex Frisonum circa annum Domini 720. baptizandus esset et pedem unum sacro lavacro jamdum intinxisset, quaesivit, *ubinam major pars suorum antecessorum constituta esset, in inferno, an in paradiso?* et audiens, *plures esse in inferno*, mox intinctum pedem retrahens, *Rectius est*, dixit, *plures quam pauciores sequi.* Nimirum hae fuerunt perpetuae gentilium de antiquitate religionis suae gloriationes, quibus Ambrosius, Augustinus, Arnobius et alii ex veteribus responderunt, *non ex antiquitate, sed ex veritate religionem quamque aestimandam.* Idem nos respondemus Pontificiis, imo quod ipsi respondent Indis ad fidem Christianam convertendis, idem sibi responsum statuant a nobis. Xaverius Jesuita libr. 4. epistol. 1: *Indi ne Christiani fierent, causam hanc afferebant, se a majoribus suis semper deorum cultores exstitisse, sacerdotibus suis Bonziis plurima largitos esse* etc. Acosta lib. 2. de salut. Indor. procur. c. 18: *Difficillimum nobis apud Indos fidei impedimentum ex ipsa inveterata consuetudine proficiscitur, ubique sane consuetudo magnas vires habet, sed apud barbaros maximas.* Tertio ex eo, quod corruptelae, superstitiones et haereses complures de antiquitate gloriari fuerint XI. 236
solitae, contra vero novitatis crimen verae doctrinae fuerit objectum. Homines antediluviani Noachum, Sodomitae Lothum justitiae praeconem audire noluerunt, procul dubio quia novam et ab illa, quae longa annorum serie usitata fuerat, diversam doctrinam proponere visi fuerunt. Moysen repudiarunt Aegyptii, quod novos cultus videretur docere. *Quis est Dominus*, inquit Pharao Exod. 5, v. 2. *ut audiam vocem ejus et dimittam Israël? nescio illum Dominum.* Idololatria Israëlitica antiquitatis titulo contra prophetas superbivit, cultus Baaliticus antiquitatis schemate sese venditavit; contra vero prophetae divinitus excitati ad reformandam idololatriam novatores audire coacti fuerunt. Samaritani ad antiquitatem provocabant in suis adversus Judaeos disputationibus. Carol. Sigonius lib. 2. de republica Hebraeor. c. 6: *Eligebat Deus duas urbes cultus sui, Silo in Samaria et Jerusalem in Judaea, in illa tabernaculum, in hac templum suum constituebat, rejecta Silo diligebat Jerusalem. Samaritae nihilominus cultus divini laudem sibi vendicabant, eo quod in Silo primum invocatum esset nomen Domini. Judaei contra ad se id decus trahebant, eo quod postea Deus Sionem, id est Hierosolymam, Silo praeposuisset.* Corn. Jansenius in c. 4. Johannis: *Mulier Samaritana pro antiquitate loci divini cultus contendebat et objiciebat exemplum Abrahae et patriarcharum. Patres nostri, inquit, adoraverunt in hoc monte, Judaei vero se prophetarum et verbi divini* (NB) *auctoritate suum cultum tuebantur. Samaritani contra sibi videbantur antiquitatis vestigiis insistere.* Pharisaei repudiarunt Christum, quod videretur novam doctrinam afferre etc. Nemo igitur antiquitatis specie sese decipi, aut novitatis objectione in fide turbari patiatur, sed

Digitized by Google

ex scriptis propheticis et apostolicis inquirat, quaenam sit vera antiquitas ad divinam revelationem suam referre potens originem et doctrinae sinceritatem habens conjunctam. Quemadmodum sub eodem militari signo progredientibus non adspiciendus est secundus aut tertius, qui proxime antecedit, quorsum illi gressum instituant, verum supra omnes ad ipsum vexillum intendendi sunt oculi; sic nobis in militante ecclesia sub Christi signo per successiones seculorum pugnantibus non ad illos majores, qui proxime nos praecesserunt et quid illi instituerint, respiciendum, verum supra omnes ad ipsum Christum tanquam unicum militantis ecclesiae signiferum mens elevanda erit. Quemadmodum ad ipsum fontem recurrendum, si rivulus fluat turbidus; sic ad fontes propheticorum et apostolicorum scriptorum unice recurrendum, si quid labis et vitii religio Christiana tot seculorum decursu contraxit.

2. Ex patribus. 4. Patres non provocant ad solam antiquitatem, sed ex veritate judicandam esse antiquitatem pronuntiant. Ignatius in epist. 6. quae est ad Philadelph. memorat, sibi a quibusdam fuisse objectum: *ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τὸ εὐαγγέλιον, οὐ πιστεύσω, nisi evangelium in antiquis invenero, non credam;* quibus ipse respondet: *ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὗ παρακοῦσαι πρόδηλος ὄλεθρος, Jesus Christus mihi pro archivis est, cui non parere manifestum est exitium.* Postea subjungit: *αὐθεντικόν μοί ἐστιν ἀρχεῖον ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ πίστις περὶ τούτων.* Justinus apol. 2. pag. 46. *τὰ ἔθη πρὸ τῆς ἀληθείας τιμᾶν, consuetudini veritatem posthabere, ἀνοήτων esse* dicit. in epist. ad Diognetum p. 381. ostendit, *Christianismum olim fuisse habitum καινὸν γένος καὶ ἐπιτήδευμα.* Tertullianus in apolog. contra gentes c. 47. in princ. docet, *sine divina literatura nullius momenti esse antiquitatem. Antiquior* (inquit) *omnibus veritas, ni fallor.* Et postea subjungit: *Hoc mihi proficit antiquitas praestructa divinae literaturae, quo facile credam, thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiae.* lib. 4. adv. Marc. c. 5. in princ.: *Id verius, quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab apostolis,* (ubi ostendit, ad primam antiquitatem et divinae revelationis originem esse recurrendum.) lib. de veland. virgin. c. 1. in princ.: *Veritati nemo praescribere potest non spatium temporum, non patrocinia personarum,*
XI. 237. *non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, et ita adversus veritatem vendicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus et prior omnibus, aeque veritas sempiterna et antiqua res. Viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus est. Haereses non tam novitas quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo.* Tertullianum magistrum sequitur Cyprianus epist. 63: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* epist. 74: *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Clemens Alex. in orat. adhort. ad gent. p. 22: *Consuetudo suffocat hominem, a veritate avertit, abducit a vita, est laqueus, est barathrum, est malum ventilabrum.* ** Cyprianus ad Jubajanum: *Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit a Spiritu s. revelatum.* in sent. episcop.: *In evangelio Dominus: Ego sum, inquit, veritas, non dixit ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati.* Ibid.: *Quia consuetudinem veritas et ratio semper excludit.* Chrysostomus in Gen. hom. 56: *Ubi enim tantum animae damnum, qua de causa mihi consuetudinem praetexere audes?* Et postea: *Vides, quomodo non oportet consuetudinem praetexere, sed quod justum est inquirere. Ecce enim quoniam mala haec erat consuetudo, explosa est et non licet ulli eam praetexere. Nusquam igitur, obsecro te, consuetudinem inquiramus, sed ubique quod utile, et si quid est bonum, etiam si non sit consuetudo, fiat a nobis; et si perniciosum est, etiamsi consuetudo sit, fugiamus et aversemur.* ** Hieronymus in c. 9. Jer.: *Nec parentum, nec majorum error sequendus est, sed auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium.* Augustinus in qq. V. ac N. T. q. 114: *Adspersit quaedam praestigia* (diabolus), *per quae illiceret homines ad errorem, et sic factum est, ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia.* ibid.: *Possunt etiam latrones et adulteri pro se antiquitatem adferre.* Arnobius lib. 2. contra gent.: *Auctoritas non tempore aestimanda, sed numine.* Bernhardus epist. 91. ad abbates Suessione congregatos: *Recedant a me et a nobis, qui dicunt: Nolumus esse meliores quam patres nostri.* 5. In 3. Ex jure canonico et civili
jure canonico et civili auctoritas antiquae consuetudinis subjicitur veritati. c. Veritate dist. 8. ex Augustino: *Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Plane quis dubitet, veritati manifeste consuetudinem cedere? Nemo consuetudinem rationi et veritati praeponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.* c. Si consuetudinem. dist. ead. ex Gregorio: *Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum via, veritas et vita;* non dixit: *Ego sum consuetudo, sed veritas; et certe, ut Cypriani utamur sententia, quaelibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, et usus, qui veritati est contrarius, est abolendus.* c. Qui contemta. dist. ead. ex Augustino: *Qui contemta veritate praesumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur; aut circa Deum ingratus est, inspiratione cujus ecclesia ejus instruitur. Nam Dominus in evangelio, ego sum, inquit, veritas, non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate mani-*

Digitized by Google

festata cedat consuetudo veritati. c. Frustra dist. ead. ex eod. Augustino: *Frustra quidam, qui ratione convincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non sit in spiritualibus sequendum, quod melius a Spiritu s. revelatum est; hoc plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini praeponenda sunt, sed si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* c. Consuetudo. etc. si solus dist. ead. ex Cypriano superiores sententias repetit. Constant. in leg. 2. C. quae sit longa consuet.: *Usus longaevus non vincat rationem aut legem.* l. quae ab initio. ff. de reg. jur.: *Quae ab initio non valuerunt, temporis spatio et fluxu non confirmantur.*

XI. 238.

rgu-enta ellar-ini pro ntiqui-te. Deus it anti-aior iabolo.

163. Quomodo vero probat Bellarminus, antiquitatem esse notam ecclesiae? *1. Deus* (inquit) *ante fuit, quam esset diabolus. Ergo sine dubio vera ecclesia antiquior est quam falsa.* Respondemus: 1. non est utrobique par ratio inter Deum et diabolum et inter ecclesiam veram ac falsam, quia diabolus est creatura Dei, ergo Deus est illo antiquior, sicut causa suo effecto, sed ecclesia vera non est causa ecclesiae falsae. 2. Diabolus falsae ecclesiae auctor dicitur *antiquus* Apoc. 12, v. 9. ergo potest etiam ipse antiquam habere ecclesiam, id quod res ipsa probat, statim enim vel certe haud longe post ecclesia Cainitica coepit cum vera ecclesia, ut ostendit Augustinus de civ. Dei. 3. Deus antiquior est et diabolo et ecclesia, sed ecclesia vera non est antiquior diabolo, antequam enim Deus per verbum sibi ecclesiam ex hominibus colligere inciperet, jamdum diabolus a Deo apostataverat. 4. Aut loquitur Bellarminus de ecclesia in genere, aut de ecclesia N. T. in specie. Si de ecclesia in genere loquitur, non potest dicere, quod vera ecclesia sit antiquior falsa, quia aut ecclesia coepit in Adamo et Eva, aut in ipsorum liberis. Si in Adamo et Eva coepit ecclesia, ut a nobis recte asseritur, sane dici potest, veram ecclesiam esse antiquiorem falsa, sed Bellarminus libr. 3. de eccl. c. 16. diserte negat, *Adamum et Evam fuisse ecclesiam.* Si in posteris ipsorum coepit ecclesia, utique et vera et falsa ecclesia simul coeperunt, vera quidem in Habele, falsa autem in Caino. Si de ecclesia N. T. in specie loquitur, manifestum est, Judaeorum et paganorum ecclesias ea esse antiquiores. 5. Concedimus, veram ecclesiam esse antiquiorem falsa, illa quippe in primis parentibus, haec vero in Caino coepit; sed ex eo nondum sequitur, antiquitatem per se et solam, separatam scilicet a doctrinae veritate, item antiquitatem illam, quae non est simpliciter prima, nec revocari potest ad divinam originem, esse ecclesiae notam. Illa antiquitas, qua vera ecclesia prior est falsa, conjunctam habet doctrinae sinceritatem, divinae revelationis majestatem, adeoque originem divinam; sed antiquitas illa, qua Pontificii glorientur, hisce omnibus est destituta, quorundam duntaxat seculorum successione triumphans. 6. Ecclesia dicitur ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, ab evocando, est enim coetus hominum ex genere humano evocatus ad sanctae societatis consortium et coelestis hereditatis brabeum. Ergo evocatur ex alio coetu, qui non est vera ecclesia, ex quo ulterius sequitur, quod ecclesia quaedam particularis sit posterior coetu illo profano, e quo evocatur, et vicissim quod coetus ille profanus sit ecclesia antiquior.

2. Prius seminatur bonum semen quam zizania.

164. 2. Matth. 13: *prius seminatum fuisse legimus bonum semen quam zizania. Ergo vera ecclesia antiquior est quam falsa.* Respondemus: 1. concedimus, ecclesiam veram esse antiquiorem falsa absolute et simpliciter loquendo, sed ex eo non potest inferri, quod particularis quaedam ecclesia statim ex eo judicanda sit vera ecclesia, quia est antiqua, oportet enim recurrere ad primam antiquitatem cum doctrinae veritate et divina origine conjunctam. Verbi gratia, ecclesia Baalitica disceptabat cum ecclesia a prophetis per verbum collecta de veritate. Baalitica ecclesia gloriabatur de antiquitate, interim quia destituebatur vera illa et prima antiquitate, quae divina origine et doctrinae sinceritate gaudet, ideo ex antiquitate qualicunque non poterat nec debebat agnosci pro vera ecclesia, sed ea, quae a prophetis per sinceram verbi praedicationem colligebatur, erat vera ecclesia. Sic pharisaica ecclesia tempore Christi gloriabatur, se esse veram ecclesiam, argumento antiquitatis potissimum innitens; sed ecclesia per praedicationem Christi et apostolorum collecta, licet gravaretur crimine novitatis, sola tamen erat vera ecclesia, nimirum quia XI. 239.
pharisaicae ecclesiae antiquitas non erat vera et prima illa antiquitas divinae revelationis originem et doctrinae sinceritatem conjunctam habens. Idem de Romana ecclesia esto judicium. 2. Scopus parabolae nequaquam est docere, quod ecclesia vera sit antiquior falsa, sed quod in una eademque visibili ecclesia bonis mali et electis reprobi perpetuo sint conjuncti. Quodsi ergo ex hac parabola evinci deberet, ecclesiam veram esse antiquiorem falsa, probandum prius esset, dari aliquam ecclesiam, quae ex solis bonis et electis constet et in qua zizania nullum inveniant locum. 3. Bellarminus lib. 3. de eccl. c. 9. adducit hanc parabolam hoc fine, ut probet, *magnos et manifestos peccatores esse in ecclesia catholica.* Quomodo ergo quis per bonum semen veram ecclesiam, per zizania vero falsam ecclesiam hoc loco potest intelligere?

3. Ecclesia catholica est antiquissima.

165. *3. Ecclesia dicitur catholica, quia omni tempore fuit et similiter dicitur apostolica, quia fundata est ab apostolis, et proinde antiquissima. Ergo antiquitas est ecclesiae nota.* Respondemus: 1. Quibus respectibus ecclesia Christiana dicatur catholica, expositum est superius, inter illos est universalitas temporis, sed hic respectus nec primus nec praecipuus est. Prima vocis origine dicitur catholica respectu ad loci universalitatem, quia per totum orbem propagata non amplius angustis Judaeae limitibus fuit inclusa; praecipuo ac principali respectu dicitur catholica propter fidem catholicam. 2. Con-

Digitized by Google

cedimus, ecclesiam omni tempore fuisse, sed ex eo non sequitur, quod sola antiquitas et quidem ea, quae non potest revocari ad divinam revelationem ac destituta est veritate doctrinae comite, sit ecclesiae nota, quia jam inde ab initio mundi duae illae civitates Dei et diaboli, ecclesia vera et falsa, templum Dei et sacellum diaboli fuerunt conjuncta, quin imo Augustinus disputat, inter homines ex Adamo et Eva natos priorem fuisse civem seculi quam civem Dei. *In universo genere humano* (scribit lib. 15. de civ. Dei cap. 1.) *cum primum duae istae coeperunt nascendo atque moriendo procurrere civitates, prior est natus civis hujus seculi, posterior autem isto peregrinus in seculo et pertinens ad civitatem Dei, gratia praedestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum.* Quomodo igitur antiquitas erit ecclesiae nota? Vide etiam enarrat. Psalm. 26. et 61. ubi matrem Babylonem antiquiorem matre Hierosolyma statuit. 3. Ecclesia dicitur apostolica principaliter ac praecipue propter hanc causam, quia apostolicam fidem et doctrinam tenet, vel ut Paulus loquitur Ephes. 2, v. 20: *Exstructa est super fundamentum apostolorum.* Quaecunque enim ecclesia fidem apostolicam amplectitur, illa est apostolica, si vel maxime non sit ab apostolis fundata; contra vero quaecunque ecclesia fidem apostolicam corrumpit ac repudiat, illa non est apostolica, si vel maxime ab apostolis olim sit fundata, ut Tertullianus libr. de praescript. adv. haeres. ostendit. Ergo prima ac principalis appellationis causa est doctrina apostolica, non autem origo ab apostolis. 4. Bellarminus sibi ipsi contradicit. Etenim si ecclesia dicitur apostolica, propterea quia ab apostolis est plantata, consequens fuerit, ecclesiam, quae non est ab apostolis plantata, non esse apostolicam. Jam vero novae illae ecclesiae in Indiis non plantantur ab apostolis, nisi forte Jesuitas apostolorum appellatione dignari velimus. Ergo non erunt apostolicae. Si respondere velit, *dici apostolicas propter consensum cum ecclesia Romana ab apostolis plantata*, re ipsa concedit, fidem et doctrinam apostolicam esse indicem ac testem apostolicae ecclesiae, quia consensus ille cum ecclesia Romana consistit in unius ejusdemque fidei professione, quam apostolicam esse gloriantur. 5. Ulterius aut ecclesia apostolica fuit omni tempore, aut coepit certo tempore, imperante scilicet Tiberio Augusto. Si prius, non potest dici apostolica inde atque ideo, quia fuit ab apostolis plantata. Si posterius, non erit catholica ex hypothesi definitionis
XI. 240. Bellarminianae, cui *catholica dicitur ecclesia, quia fuit omni tempore.* 6. Si ecclesia ab apostolis plantata est antiquissima, consequens fuerit, nullam ante apostolos fuisse ecclesiam. Sed fuit ecclesia ante apostolos, non solum vera, quia Israëlitica ecclesia V. T. fuit prior apostolis, sed etiam falsa, scilicet Judaica, a qua apostoli discedebant. 7. Si plantatio ab apostolis facta efficit, ut ecclesia quaedam sit vera, apostolica et antiquissima, utique etiam ecclesiae Graecae, quarum quaedam ab ipsis apostolis fundatae sunt, erunt verae, apostolicae et antiquissimae ecclesiae. Sed consequens negat Bellarminus. Ergo et antecedens negare debet. Quod subjungit Bellarminus ex Tertulliano in apolog. c. 19. et 20. Augustino lib. 18. de civ. Dei c. 37. et 38. ***ecclesiam Christianam esse antiquiorem omnibus paganorum conventiculis et Scripturam sacram esse antiquiorem ipsis diis gentilium;*** id nondum probat, quamvis antiquitatem esse verae ecclesiae notam, sed eam tantum, quae revocari potest ad divinam originem ac doctrinae coelestis veritatem habet conjunctam, de ea enim Tertullianum et Augustinum loqui ostendit ipse verborum sonus. ** Pontificii urgent locum ex Vincentio Lerinensi contra haereses cap. 25. ubi Catholicum definit, *qui quidquid universaliter antiquitas ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit.* Respondemus: id libenter amplectimur, si per antiquitatem et consensum intelligatur ea antiquitas et is consensus, qui cum propheticis et apostolicis scriptis concordat, nec pro novo dogmate judicetur, quod ex sacris bibliis demonstrari potest, etiamsi sub tenebris Pontificiis aliquamdiu latuerit, et si ea intelligatur antiquitas, quae Vincentio Lerinensi antiquitas fuit. Vixit is circa annum 440. id proinde ei antiquum, quod tempore apostolorum et proximo post apostolos seculo in ecclesia receptum fuit, neque enim antiquum putavit, quod suo tempore aut centum circiter annis aut ducentis ante eum annis natum est, multo vero minus, quod post suum seculum in religione excogitatum etc.**

166. *Membrum secundum.* Sitne ecclesia Romana sive papistica omnium antiquissima. Primo omnium monemus, dogmata ecclesiae Romanae hodiernae non esse unius et ejusdem generis. Quaedam enim Scripturis sacris sunt consentanea, quorum ratione consensum ac societatem quandam obtinet cum ecclesia Romana antiqua ab apostolis fundata, per quae etiam accedente baptismi sacramento, quod integrum adhuc retinet, spirituales filios Deo generat, sicut olim ecclesia Judaica; quaedam vero dogmata sunt Scripturis sacris adversa et contraria, quae non habent originem ab apostolis, neque ab ecclesia Romana antiqua ab apostolis plantata, sed noviter, posterioribus scilicet seculis, sunt introducta, ac illorum ratione proprie dicitur papistica sive Romana, quia scilicet auctoritatem Romani pontificis in professione et propugnatione illorum dogmatum sequitur. Quando igitur hoc loco quaeritur, an Romana ecclesia sit antiquissima, tum hoc proprie quaeritur, an hodierna ecclesia Romana, quae pontifici Romano ut suo capiti unice adhaeret, sanis doctrinae coelestis capitibus errores admiscet, verbo Dei traditiones humanas adjungit, a justificatione fidei ad merita operum et proprias satisfactiones abducit, a Christo ad Antichristum transit, atque ut verbo dicam, quae fidem in Tridentino concilio expositam amplectitur et propugnat, sit vera et antiquissima illa ecclesia, quod nos negamus hoc innixi argumento: Quaecunque ecclesia non retinet

An ecclesia Romana sit omnium antiquissima.

fidem et doctrinam apostolicam, nec conservat antiquam illam doctrinam ab apostolis propagatam, illa non est apostolica nec antiquissima. Sed ecclesia Romana hodierna non retinet fidem et doctrinam apostolicam, nec conservat antiquam illam doctrinam ab apostolis propagatam. Ergo non est apostolica nec antiquissima. Assumtum ex scriptis apostolicis in singulis controversiarum capitibus demonstramus et ab opinionibus, erroribus, superstitionibus ac haeresibus noviter introductis ad veram doctrinae apostolicae antiquitatem auditores nostros revocamus.

XI. 241. ellarmini discursus a Romanae ecclesiae antiquitate.

167. Quomodo vero Bellarminus probat, ecclesiam papisticam esse antiquissimam, adeoque illam ipsam, quam Christus instituit? *In omni insigni mutatione religionis ista sex semper demonstrari posse dicit. Primo illius auctorem; secundo dogma aliquod novum; tertio tempus, quo coepit; quarto locum, ubi coepit; quinto, quis eam oppugnaverit; sexto exiguum aliquem coetum, unde paulatim aliis accedentibus coeperit.* Id demonstrat exemplo ecclesiae a Christo collectae. Postea subsumit, *nihil horum de ecclesia papistica post apostolorum tempora demonstrari posse*, unde concludit, *eam esse antiquissimam, nec ullam mutationem esse passam.* Idem urget Becanus tractat. de ecclesia concl. 3. quaest. 1. Respondemus: 1. Falsum est, nisi haec omnia et singula ostendantur, nullam fuisse mutationem factam. Cum Josias normam legis divinae secutus priscam Judaeorum ecclesiam reformaret, sacrificulos Baaliticos aboleret, statuas idololatricas confringeret et cuncta impietatis instrumenta destrueret 2. Reg. c. 23, v. 4. potuissent sacerdotes Baalis, si in schola Jesuitarum edocti fuissent, eodem modo respondere, non fuisse in illis cultibus a lege divina discessum, *quia sex illae circumstantiae, quis, quid, ubi, quando, quo reclamante, quibus quanquam primo paucis fautoribus discessum sit*, ostendi nequeant. Ecclesia Judaica tempore Johannis Baptistae et apostolorum defecerat a pristina integritate ac sinceritate atque omnino insignem mutationem fuerat passa, neque tamen omnes et singulae circumstantiae illius defectionis et mutationis ostendi poterant. Ecclesiae Galatarum et Corinthiorum itidem defecerant ab integritate doctrinae apostolicae, ac manifesta in illis facta erat mutatio, neque tamen in specie auctores, tempus et locus illius mutationis demonstrari poterant. Ecclesiae Graecae hodiernae et fide et moribus ab antiquis ecclesiis, quas apostoli fundarunt, plurimum discrepant, ecquis vero minutissimas quasque illarum mutationum circumstantias pernoscere poterit? 2. Fatetur Tridentina synodus sess. 6. de reform. c. 1. *collapsam esse admodum disciplinam ecclesiasticam depravatosque in clero et populo Christiano mores ac antiquos canones injuria temporum pene in desuetudinem abiisse.* Sess. 22. de observ. et evit. in celebr. missae, *multa in missae celebratione sive temporum vitio, sive hominum injuria et improbitate irrepsisse videri a tanti sacrificii dignitate abhorrentia atque aliena, quorum partem avaritia, idolorum servitus, partem irreverentia, quae ab impietate vix sejuncta esse potest, partem superstitio, verae pietatis falsa imitatrix invenerit.* Sess. ult. decret. de indul. *varios abusus ex iisdem causis et consimilibus, ex avaritia plurimos, ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque, sed abusus etiam in indulgentiis irrepsisse.* Praeses illius concilii Johannes Maria de Monte cardinalis in prorogat. sess. 11. asserit, *innumerabiles abusus in ministerio sacramentorum irrepsisse.* Adrianus VI. in instruct. legat. ad comitia Norinb.: *Scimus, in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis et omnia denique in persuasum mutata.* Cardinales delecti a Paulo III. in consilio de emendanda ecclesia a Vergerio postmodum edito diserte testantur, *abusibus tanquam pestiferis morbis ecclesiam Dei laborâre, praesertim Romanam curiam, quibus effectum prope sit, ut paulatim ac sensim ingravescentibus his pestiferis morbis magnam ruinam traxerit.* Similes querelae exstant apud Marsilium Patavinum, Nicolaum de Clemangis, Cassandrum et alios complures. Tales mutationes si quis contentiosus factas negaret, nisi primus earum ortus quasi cunae ostenderetur, quibus parentibus sint satae, quo semine susceptae, quo tempore in lucem editae, quibus obstetricantibus et foventibus nutritae atque auctae etc. quantum quaeso negotium Jesuitis facesseret? Quid quod ipsi Pontificii scriptores fatentur, quarundam haeresium primos auctores ignorari. Alphonsus de Castro libr. 5. adv. haeres. tit. Deus: *Agnoëtae Deo ignorantiam tribuebant, quis fuerit ejus haeresis auctor, aut quando* XI. 242.
coeperit, apud neminem reperire potui. 3. Christus Matth. 13, v. 24. in parabola boni seminis et zizaniorum docet, *hominibus non observantibus nec animadvertentibus* zizania a diabolo superseminari, inde est quod coloni mirantur, *unde sint zizania;* neque prius anxie quaerunt, quo temporis puncto et per quem zizania superseminata sint, sed de eradicatione eorum statim cogitant. Idem accidit tempore papatus, cum enim episcopi rerum secularium curis involverentur atque otiose sterterent, ipsis non animadvertentibus larga zizaniorum seges in ecclesia succrevit. 4. Quemadmodum quidam morbi sunt *subitanei*, qui hominem prius sanum ac valentem subito aggrediuntur, quorum et causa et tempus notari potest, ut pestis, apoplexia etc.; quidam vero sunt *lenti*, quorum initia sunt occulta, incrementa tarda, quae primum quidem non sentiuntur, vel certe non observantur, tandem vero totum corpus occupant, ut phthisis, hydrops, cancer (cui haeresis comparatur 2. Tim. 2, v. 17. in Graeco est gangraena), quorum et causa et tempus non ita exacte notari potest; sic in corpore illo mystico et spirituali, quod est ecclesia, quaedam mutationes sunt subitaneae, quando aperte et subito a veritate in uno vel pluribus articulis ab uno vel pluribus fit secessio resistentibus aliis piis et orthodoxis episco-

Digitized by Google

pis; quaedam vero mutationes sunt lentae, quae exiguum primum habent initium, postea vero magis magisque serpunt, donec tandem universum ecclesiae corpus occupent. Illarum mutationum circumstantiae notari forte possunt, non autem harum, jam vero mutatio, quae in ecclesia per errores papales in eam introductos contigit, est posterioris generis, unde apostolus pronuntiat 2. Thess. 2, v. 7. quod jamdum suo tempore *mysterium iniquitatis peragi fuerit coeptum*, ubi ipso nomine mysterii innuit, antichristianum dominatum et papales errores occulte adeoque nemine primum animadvertente in ecclesiam receptum iri. ** *Sicut bonae, ita pravae consuetudinis ea est natura, ut non intelligatur introduci, sed animadvertatur introducta*, qua de causa tacito consensu dicitur approbari, l. 32. junct. l. 35. ff. de LL. Nauclerus vol. 2. generat. 27. loquens de temporibus, quae Henricum I. et Ottonem Magnum antecesserunt, imitatus Platinam, quem citat, rotunde ac palam fatetur, *pontifices illius temporis a vestigiis Petri multum discessisse; horror est audire,* ait, *quae multa perperam per 28 ferme pontifices sint admissa.*** Quidam subitaneis casibus, puta incendio, naufragio, rapinis etc. in paupertatem incidunt, quidam sensim sine sensu opibus dilabentibus ad extremam paupertatis lineam rediguntur; sic spirituales verae fidei divitiae quandoque aperte, quandoque occulte amittuntur. 5. Quemadmodum in republica Romana tempore Valerii Maximi insignis facta fuerat mutatio et a majorum virtute degeneratio, sicut ipse ea de re conqueritur, neque tamen illius mutationis primi auctores, vel temporis punctum, vel alia extrinseca adjuncta recenseri poterat; Sallustius in Catilin. majorum instituta narrans, qualem rempublicam habuerint, quantam reliquerint, utque paulatim immutata ex pulcherrima et optima facta sit flagitiosissima, tandem subjungit: *Pecuniae et imperii cupidinem primo crevisse eaque quasi materiam omnium malorum fuisse; atque haec,* inquit, *primo paulatim crescere, interdum vendicari, post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata; imperium ex justissimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Liv. lib. 1. histor. immutationis illius quasi gradus quosdam describens addit: *Labente paulatim disciplina dissidentes mores deinde magis magisque lapsi sunt, tum ire coeperunt praecipites, donec ad ipsius* (Augusti) *tempora, quibus nec vitia sua, nec remedia pati poterant, perventum esset.* Sic in ecclesia Romana insignis facta est doctrinae mutatio et a fide majorum degeneratio, quam ex ipso eventu et collatione cum ecclesia Romana antiqua deprehendimus, licet singulas illius mutationis circumstantias non possimus enumerare. 6. Augustinus epist. 29. ad Hieronymum de peccati originalis propagatione disputans, historiola quadam illorum temeritatem refellit, qui nolunt propagationem illam peccati originalis credere, nisi exacte constet de propagationis
XI. 243. modo. *Eleganter dictum esse narratur* (inquit), *quod huic rei satis apte convenit. Cum quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam suffocaret, ne loqueretur; accessit alius et eo viso admirans ait: Quomodo huc cecidisti? At ille, obsecro*, inquit, *cogita, quomodo hinc me liberes, ne dum quaeris, quomodo huc ceciderim, limo suffocer.* Id ipsum Pontificiis respondemus, non esse operae pretium anxie disputare, quo auctore, quo tempore, quove modo doctrinae in ecclesia Romana facta sit mutatio ac depravatio, sed cogitandum potius, qua ratione corruptelae illae ex verbo Dei tollendae et malo huic remedium inveniendum. Absurdus foret medicus, qui aegroto, cujus morbus esset in propatulo, manum medicam adhibere recusaret, nisi exacte prius sciret, qua occasione, quove modo, quo tempore et loco in morbum incidisset; absurdus foret chirurgus, qui vulneribus emplastra imponere detrectaret, antequam sciret, a quo, ubi et quando vulnera sint illata? Praepostere ageret, qui inveniens aliquem in solitudine errantem in viam illum revocare detrectaret, nisi prius erroris auctorem cognoverit, qui primus eum a via regia deduxerit, itemque ubi et quando errare coeperit etc. 7. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* inquit Esaias propheta de ecclesia Hierosolymitana c. 1, v. 21. Quemadmodum igitur habetur pro meretrice et quidem merito, quae extra legitimum conjugium virginitatem amisit, quamvis non constet, a quo, ubi et quando sit compressa; sic Romana ecclesia cum ad exemplum Hierosolymitanae integritatem et sinceritatem doctrinae amiserit ac spirituali adulterio, idololatria scilicet, sese polluerit, apostatica merito judicatur, licet exacte constare *hodie* non possit, quo auctore, quove tempore apostatare coeperit. Ecquis ferat aliquem sic argumentantem: Thais meretricula in cunis et in primo aetatis flore fuit virgo. Ergo etiam in adulta aetate talis est? Atqui eodem modo argumentantur, qui a statu ecclesiae Romanae antiquae, qualis fuit apostolorum temporibus, ad hodiernum concludunt. 8. Secundum membrum, scilicet dogmatum novitas, si demonstrari possit, illud sufficit ad demonstrandum, mutationem esse factam, si vel maxime externa illa accidentia secundum omnes circumstantias ostendi nequeant Jam vero liquide demonstrare possumus in ecclesia Romana hodierna proponi et propugnari nova ac peregrina dogmata, a veteri apostolorum doctrina et ab antiqua Romanae ecclesiae confessione plurimum discrepantia. 9. Denique argumenti hujus hypothesis nostram confirmat sententiam, tantum abest, ut ut illam evertat. Disputat Bellarminus, *ecclesiam Romanam hodiernam esse veram ecclesiam, quia jam inde a Christi et apostolorum temporibus nulla doctrinae ac religionis mutatio in ea fuerit facta, id est quia eandem doctrinam et fidem constanter adhuc teneat, quam apostoli docuerunt eidemque commendarunt.* Atqui si Romana ecclesia ideo et inde pro vera ecclesia agnoscenda est, quia doctrinam Christi et apostolorum sine mutatione integram et inviolatam retinet, consequens erit, doctrinam illam, quam Christus et apostoli primum tradiderunt,

Digitized by Google

esse verae ecclesiae notam, quod nos totis viribus asserimus.

[n posint circumstantiae mutionis ecclesia Romana ostendi. De auctore.]

168. Atque haec dicta sint de majore propositione argumenti Bellarminiani, nunc ad minorem descendimus. Bellarminus confidenter negat, *ullam harum sex circumstantiarum in ecclesia papistica demonstrari posse;* videamus, quomodo sigillatim illud probare conetur. *Primo*, inquit, *nunquam objecerunt nobis auctorem nostrae sectae, nec ab ulli particulari homine nos appellaverunt.* Respondemus: auctorem primarium apostasiae papalis monstrat apostolus 2. Thess. 2, v. 9: *Antichristi adventus est secundum operationem Satanae in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis.* 1. Timoth. 4, v. 1: *In novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus im-*
II. 244. *postoribus et doctrinis daemoniorum.* Hic μυριότεχνος et hostis callidissimus semina papalis tyrannidis occulte primum sparsit, quae in immensam universalis paene apostasiae segetem largissime postea excreverunt. Secundarii apostasiae auctores fuerunt pontifices Romani, qui ab episcopis degenerarunt in pontifices, id est quia se universales episcopos vocarunt ac vocari voluerunt, Antichristus facti sunt. Quamvis vero Antichristus non sit unus homo, tamen officio, regimine, successione et loco unus est, videlicet papa Romanus, a quo illi dicuntur Papistae. Ad secundarios illius apostasias auctores possunt etiam referri varii illi haeretici, a quibus multa acceperunt Papistae, praesertim vero Pelagiani, ut suo loco demonstrabitur, sicut et alibi ex Platina, Polydoro Virgilio etc. ostenditur, quis pontifex cujusque dogmatis et constitutionis auctor sit.

[2. De origine.]

2. Nunquam ostenderunt primam originem ullius dogmatis nostri, imo Centuriatores in singulis centuriis annotant, nostra dogmata in libris patrum inveniri, sed in patribus vocant naevos, in nobis haereses, quae est illorum astutia. Respondemus: dogmata ecclesiae Romanae hodiernae, quae a nostris ecclesiis improbantur, ex eo novitatis convincuntur, quod non descendant *ab antiquo illo dierum* Dan. 7, v. 13. nec inveniri possint in sacris literis authenticis illis primae et verae antiquitatis tabulis. Semina quorundam errorum papalium de meritis operum, de satisfactionibus etc. satis mature in ecclesia sparsa esse fatemur, sed illi in patribus fuerunt naevi ac stipulae, quae nondum in segetem illam errorum excreverunt. Cyprianus in epistola ad Jubajanum: *Ignosci potest simpliciter erranti, post inspirationem vero et revelationem veritatis factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens et sciens, jam non in venia ignorantiae peccat, praesumtione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Neve hoc absurdum videatur Bellarmino, proferimus errorem Donatistarum de iterando baptismo ab haeretico collato, qui cum Cypriani auctoritatem suae isti haeresi obtenderent, Augustinus lib. 1. de baptism. contra Donat c. ult. in Cypriano illud dogma vocavit *naevum*, in Donatistis *fuliginem. Nam illum* (inquit) *naevum in candore sanctae animae caritatis ubera contegebant, hanc autem fuliginem in tartarea istorum foeditate vultus impacatus ostentat.* Ac nisi concedat Bellarminus, in aliis posse esse fuliginem haereseos, quae fuit in patribus naevus erroris, quid respondebit Anabaptistis, quorum error est, *sanctorum in Domino quiescentium animas ante diem judicii Deum non visuras, nec fruituras coelesti gloria et beatitudine?* cui dogmati videntur subscripsisse Irenaeus lib. 5. c. 31. Tertullianus lib. 4. adv. Marcion. et lib. de anima c. ult. Origenes homil. 7. in Levit. Lactantius lib. 6. div. instit. c. 21. auctor quaestionum inter opera Justini q. 76. Aretas in c. 6. Apocal. Hilarius in Psalm. 138. Chrysostomus homil. 39. in 1. ad Corinth. auctor operis imperfecti in Matthaeum homil. 34. Ambrosius de bono mortis c. 10. Augustinus in Psalm. 36. Theodoretus et Theophylactus in c. 8. Hebraeor. Titus Bostrensis et Euthymius in c. 23. Lucae, Bernhardus in festo omnium Sanctorum etc. Ac in Apollinari Laodiceno opinionem chiliasticam de terreno Christi in his terris regno pertinaciter propugnante tanquam haeresin damnavit Damasus papa referente Baronio in annal. anno 118. sect. 2. cum tamen opinionis illius semina exstent in Papia, Justino, Irenaeo, Tertulliano etc. Qui ecclesiasticae historiae cursum et progressum intuetur, videbit ea, quae apostolis adhuc viventibus et docentibus in ecclesia non fuerunt audita, a patribus quaeri ac disputari fuisse coepta; quae patribus scrupulum moverunt, ea postea fuisse visa probabilia; atque a Scholasticis et canonistis ut vera fuisse recepta; quae illi amplexi sunt, ea a Pontificiis hodie etiam contra demonstratam ex Scripturis veritatem pertinaciter defendi. Sic ergo a certis ad dubia, a dubiis ad opiniones, ab opinionibus ad errores, ab erroribus ad haereses temporis progressu tandem fuit deventum, qua de re legatur in examine conc. Trid. D. Chemn. caput de origine et XI. 245.
progressu erroris in singulis controversis articulis. Zosimus circa annum 420. praerogativam quandam in ecclesias reliquas sibi arrogavit allegans suppositifium quendam Nicaeni concilii canonem. Telesphorus instituit quadragesimam, Hyginus chrisma, transsubstantiationem statuit Innocentius III. etc.

[3. De tempore.]

3. Non possunt designare tempus certum nostrae defectionis ab ecclesia. Respondemus: Inter scriptores Pontificios non convenit, quo tempore Petrus Romam venerit, quis Petro successerit, nec tamen patientur, ut quis inde concludat, Petrum nunquam venisse Romam, Petro neminem successisse in sede papali. Ergo si vel maxime non posset designari certum defectionis tempus, ex eo tamen inferri nequit, defectionem non esse factam. Ipsa collatio dogmatum apostolicorum et papalium apostasiam a vera fide praecessisse manifeste ostendit. ** An quia tempora, quibus impurus ille spiritus lapsus est, ignoro, lapsum malorum spirituum neges? ** Ceterum apostasia illa a vera fide non est uno statim momento facta, sed paulatim et pedetentim. Insignis mutatio contigit tempore Bonifacii III. qui titulum oecumenici episcopi a Phoca impetravit. De temporibus Gregorii VII.

Digitized by Google

Aventinus scribit: *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices, tum imperium Antichristi coepisse, quod ea, quae Christus servator noster tot annos ante nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriae literarum prodidere.* Ex quibus Aventini verbis duo notanda, primo quod tunc temporis fuerit catholicus omnium bonorum consensus, imperium Antichristi sub hoc Gregorio sive Hildebrando coepisse; deinde quod haec historia literarum monumentis fuerit prodita. Quia vero hodie non amplius exstat, ex illo colligitur, ab adulatoribus pontificum haec et similia scripta esse suppressa, ut non sit mirum, auctores et tempora mutationum in specie ostendi hodie non posse. Sigebertus in chron. ad ann. 1088. cum Hildebrandus pontifex primum illam potestatem adversus Henricum imperatorem de solio ipsum dejiciendi injuste sibi assumeret, in pontifice ilud tanquam novitatem et quanquam id subveritus dicere, tanquam haeresin improbat. *Haec sola* (inquit) *novitas ne dicam haeresis.* Malleolus de nobilitate refert, circa annum 320. illa ipsa die, qua Constantinus Sylvestro pontifici palatium Lateranense, urbem Romam ac Italiae provincias dederit, in Laterano visam fuisse manum, qua cunctis simul videntibus et legentibus ad parietem scribebatur: *Hodie venenum ecclesiae infusum est.* Quemadmodum autem venenum quandoque diu latitat, tandem vero omnia corporis viscera et membra occupat; sic collatio illa temporalium pontifici facta occasio fuit dominationis primum ecclesiasticae, deinde politicae, tandem tyrannidis, e qua omnis generis superstitiones, errores et idololatriae velut ex equo Trojano prodierunt. Bellarminus ut obtineat, tempore Bonifacii a Phoca Imperatoricida universalis episcopi nomine salutati non contigisse insignem in ecclesia Romana mutationem, regerit, quod Justinianus lib. 8. C. de summ. Trinitat. in epist. *ad Johannem archiepiscopum urbis Romae centum annis ante Phocam episcopum Romanum appellet caput omnium ecclesiarum.* Respondemus: idem Justinianus lib. 24. C. de sacros. ecclesiis *Constantinopolitanam ecclesiam omnium aliarum caput esse rescribit*, quae duo quomodo conciliari debeant, interpretes juris plurimum variant. Hotomannus lib. 1. amicab. resp. c. 1. *multa esse* scribit, *quae fraudis et imposturae suspicionem adversus mutuas istas Justiniani et papae Romani epistolas*, quae in dicta lib. 8. C. *de summ. Trin. habentur*, *movere possint*, ac producit hujus conjecturae suae sequentes rationes: *1. quod complures eruditi fideque digni viri jampridem testati sint, illam legem in antiquis codd. manuscr. non inveniri*, ubi allegat Haloandrum in anot. var. lect. item Contium
XI. 246. in similib. annot.; *2. quod papa ejusmodi fraudium et fallaciarum, quae ad suam potentiam amplificandam valent, jampridem convictus fuerit*, ubi adducit confictum donationis Constantini instrumentum ac synodum Carthaginensem, in qua ducentis et triginta episcopis judicibus falsitatis est damnatus. *3. Quod lex ista pugnet* cum lib. 7. C. de summ. Trin. *4. Quod pugnet* cum lib. 16. tit. eod. et cum lib. 24. C. de sacros. eccl. item cum nov. 131. *5. Quod idem imperator in novellis quamplurimis libere ac pro jure suo de rebus variis ad religionem pertinentibus sine ulla papae mentione decernat*, imo quod in quibusdam novellis papae Romano et ipsius ecclesiae leges imponat, utpote nov. 7. et 123. *6. Quod dicendi genus illud, quo architectus harum epistolarum usus est, prorsus alienum sit ab eo stylo, quo Justinianus in suis latinis constitutionibus usus est.* Fachineus lib. 8. controv. c. 1. hisce argumentis Hotomanni respondere conatur, sed si vel maxime Justiniano illa epistola tribuatur, tamen ex ea nihil aliud exsculpi potest, quam quod sessionis et ordinis respectu episcopus Romanus ceteris episcopis fuerit praelatus, siquidem Constantinopolitanam sedem sedi Romanae sic exaequavit, ut ei nulla omnino in re cederet, sed hoc tamen singulariter episcopo Romano concessum, *ut in conventibus ecclesiasticis primus, in iisdem tamen sedibus consideret, proxime vero ei Constantinopolitanus assideret*, sic enim habet inscriptio c. 2. nov. 131. *de ordine sedendi patriarcharum.* Non igitur jus aliquod in alios episcopos ipsi constitutum est, sed primus sedendi ordo attributus, unde in ipso jure canonico c. Primae sedis dist. 99. ex concilio Carthaginensi statuitur, *quod primae sedis episcopus non sit appellandus princeps sacerdotum vel summus sacerdos aut aliquid hujusmodi, sed tantum primae sedis episcopus*, et expresse additur: *Universalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur.* ** Argumentamur itaque. 1. Si orientales ecclesias Justinianus primum subjecit ac univit sedi Romanae, sequitur, eas antea Romano pontifici non fuisse subjectas. Sed verum prius ex sententia illius legis. Ergo corruit igitur figmentum, quod Petro omnes totius mundi ecclesiae subjectae sint per verba Christi: *Pasce oves meas, super hanc petram* etc. 2. Etiamsi Justinianus universi orientis ecclesias pontifici Romano subjecisset, quod tamen in praejudicium alteris facere non potuit, tamen idcirco eum non continuo statuisset universale caput omnium totius mundi ecclesiarum, non enim oriens est totus mundus. Hanc quippe sententiam Justiniani non fuisse fit perspicuum ex novella 131. c. 3. et 4. ubi archiepiscopo primae Justinianeae et episcopo Carthaginensi plurimarum provinciarum ecclesias subdit praecipitque, ut in subjectis sibi provinciis eundem locum teneant, quem praesul Romanus obtinet in suis, voluitque eos non ordinari a Romano pontifice, sed a proprio concilio, ne si ordines acciperent a Romano, ipsorum dignitas videretur vilior dignitate pontificis Romani. Et cum leges codicis sint novellis anteriores, non potest dici, per l. inter claras C. d. tit. hanc Justiniani constitutionem fuisse sublatam, siquidem leges posteriores derogant prioribus, non priores derogare solent posterioribus. 3. Non est verisimile Pelagium pontificem, qui paulo post Justiniani tempora vixit, et Gregorium Magnum in sua ad Eulogium epistola lib. 7. ep. 30. jus τῆς οἰκουμένης fuisse abnegaturos, si id penes se esse intellexissent, quod tamen fece-

runt c. Nullus dist. 99. c. Ecce dist. ead. 4. Quod ergo in d. l. asseritur, Romanam ecclesiam esse caput omnium sanctarum ecclesiarum, id vel *κατά τι* intelligendum de omnibus ecclesiis Romano pontifici subjectis, vel de primatu quoad ordinem sedendi. Etsi enim hic sessionis primatus olim temporibus Zenonis imperatoris fuit apud patriarcham Constantinopolitanum, ut constat ex l. decernimus 16. C. de sacros. eccl. tamen postquam hic primatus ad ecclesiam Romanam rediit, ut ex nov. 131. c. 2. perspicitur, ideo hoc respectu caput sanctarum ec-
4. De loco. clesiarum appellatur.** *4. Nunquam ostenderunt, quo loco coeperit defectio, nam post 50 annos floruit Gregorius, cum quo totum orbem communicasse ex epistolis ejus cognosci potest, post Gregorii obitum celebratum est concilium IV. generale, ex quo manifeste colligitur, totum orientem et occidentem eo tempore cum Romano pontifice ut membra cum suo capite conjuncta fuisse.* Respondemus: Locum defectionis ostenderunt Daniel et Apocalypsis, quod sit *urbs septicollis inter duo maria imperium habens in reges terrae.* Ex Roma prodierunt decreta papalia, jubilaeus, indulgentiae ac tota antichristianae doctrinae sentina. Tempore Gregorii doctrina
XI. 247. adhuc purior erat et sincerior, postea vero magis magisque progressu temporis a pristina sinceritate fuit discessum. Hegesippus apud Euseb. lib. 3. c. 26. testatur, *ecclesiam apostolis adhuc superstitibus virginem mansisse, sed ab illorum statim excessu mirum in modum corruptam fuisse.* Hieronymus in vita Malchi sua tempora ecclesiae *fecem appellat.* Augustinus epist. 119. ad Januar. *praesumtionum et ceremoniarum plusquam Judaicarum plena jam tum omnia fuisse* conqueritur. Beda in Samuel. lib. 4. cap. 2: *Videat lector, nec sine lacrimis rem dignam contempletur, quantum ecclesiae status ad pejora quotidie, vel ut mitius dicam, ad infirmiora gerenda devolvatur.* Bernhardus quoties et quam graviter de corrupto ecclesiae statu querulatur! Ita nimirum zizaniorum semina occulte primum sparsa progressu temporum in largiorem subinde segetem excreverunt. Quo pertinet, quod nostri quinque causas recensent, quibus factum sit, ut in ecclesia Romana paulatim ab antiqua apostolicae fidei sinceritate discessum fuerit, quae sunt, *nimia patrum veneratio, Romanorum episcoporum ficta in spiritualibus potestas et jurisdictio, Scholasticorum philosophica speculatio, Scripturarum rarissima lectio et orthodoxorum violenta oppressio.* Vide D. Meisnerum
5. De impugnatoribus. in Antilessio p. 297. *5. Nunquam ostenderunt, quis nostram religionem tanquam nuper ortam oppugnaverit.* Respondemus: imo vero in singulis controversiis, quae cum Romana ecclesia hodierna nobis intercedunt, ostendere possumus antiquitatis consensum. Victorem Romanum pontificem jurisdictionem in externas ecclesias exercere conantem reprehendit et oppugnavit Irenaeus apud Euseb. lib. 5. c. 24. uti etiam ecclesiae Asiaticae; ceremoniarum multitudinem improbavit Augustinus epist. 119. ad Januar. Romani pontificis primatum ex conficto quodam concilii Nicaeni canone stabiliri coeptum oppugnavit concilium Carthaginense sextum; delectum ciborum improbavit concilium Gangrense sextum; cultum imaginum repudiavit concilium Francofurtense; coelibatum sacerdotum a Siricio introductum multae ecclesiae in Germania praesertim et Anglia oppugnarunt, ut ex Aventino constat; communionem sub una specie improbarunt ecclesiae Bohemicae; multa dogmata papalia damnarunt Waldenses. Sed quid opus de minutiis hisce solicitum esse et homines veritatis testes anxie conquirere, cum Scriptura s. judicis
vicem sustinens aperte loquatur? *6. Non potest* 6. De separatione.
ostendi, quod Romana ecclesia separaverit se ab aliqua majore, ita ut qui adhaerebant Romanae sedi, essent paucissimi, reliqui Christiani multo plures. Respondemus: imo vero Romana ecclesia receptione papalium dogmatum separavit se ab ecclesia catholica, quae longe major est et amplior, cum omnium temporum et locorum fideles complectatur.

169. *Membrum 3.* Nostram ecclesiam esse novam Num ecclesia nostra sit nova.
Bellarminus probat ex eo, quod sex illae circumstantiae de ea ostendi possint. *1. Auctor ejus est Lutherus; 2. qui invenit nova dogmata, quod justificemur sola fide et quod eucharistia non sit sacrificium; 3. coepit haec Lutheranorum haeresis anno 1517, 4. in Saxonia; 5. oppugnata fuit a Leone X. a concilio Tridentino, ab academiis et doctoribus catholicis; 6. initia illius haereseos fuerunt valde exigua et multo plures initio separationis fuerunt Catholici.* Respondemus: **Evangelium ipsa Scriptura vocat *canticum novum* Apoc. 5, v. 9. Christus ipse doctrinam suam comparat *vino novo* Matth. 9, v. 17. Nova est doctrina nostra, novum evangelium nostrum 1. ratione adversariorum errantium, qui veram doctrinam pro nova habent antiquis et inveteratis erroribus imbuti, ut eorum antecessores Marc. 1, v. 27. Act. 17, v. 19. 20; 2. ratione hominum recipientium, quia novus tantum homo illam percipit, non vetus Adam, 1. Cor. 2. 3. quia novam in nobis lucem agnitionis et fidei accendit, novas creaturas efficit, novum cor ponit Ezech. 36. 4. quia ad novam gloriam, novum coelum nos perducit Esa. 65.** 1. non agnoscimus Lutherum primum fidei nostrae auctorem vel inventorem, sed sequimur vocem Christi in Scripturis sonantem, ad
quam Lutherus unice nos revocat. Si demonstrare XI. 248.
posset Bellarminus, Lutherum excogitasse novum aliquod dogma a scriptis propheticis et apostolicis alienum, prout ab Ario, Nestorio et aliis haeresiarchis est factitatum, obtinere aliquid posset, sed Lutherus et nos cum ipso perpetuo provocamus ad veram antiquitatem in Scripturis sacris propositam. Proinde dicta illa, quae contra dogmatum novitatem ex Tertulliano, Hieronymo, Optato Milevitano et Augustino Bellarminus adducit, nos haudquaquam feriunt, neque enim novum aliquod dogma, sed veterem apostolicam doctrinam e tenebris, in quibus demersa jacebat, in clarissimam lucem Dei beneficio reductam profitemur. Si ex apostolorum

Digitized by Google

scriptis convinci possumus, ab antiqua illorum doctrina et fide nos secessisse, nec crimen nec poenam haereseos deprecamur. 2. Sic ergo concludimus contra Bellarminum: Quaecunque ecclesia doctrinam apostolicam inviolatam et integram tenet, ea est vere apostolica ecclesia. Atqui nostra ecclesia doctrinam apostolicam inviolatam et integram servat. Ergo est vere apostolica ecclesia. Majorem non poterit negare Bellarminus, ut ex superioribus constat. Tota ergo quaestio est de minore, quae non potest everti, nisi in singulis articulis demonstretur, a doctrina apostolorum in scriptis eorum proposita nos fecisse secessionem. **Petrus Ramus, cum in Possiacensi synodo a Lotharingo cardinale de quindecim a Christo seculis primum vere esse aureum audivisset, reliqua quo longius abscederent, eo esse nequiora ac deteriora, Christi ideo et apostolorum seculum renovandum et sibi deligendum esse putavit eaque occasione Pontificiam religionem, cujus antea observantissimus erat assecla, *deseruit*, *Theophil. Bannosius in vita P. Rami.* Anselmus Havelburgensis ante 400 annos scripsit, *plerosque mirari tot novitates in ecclesia Dei, tot ordines clericorum, tot genera monachorum, tot diversas formas religionum discrepantium ac Christianam religionem tot adinventionibus immutatam ac tot novis legibus et consuetudinibus agitatam.* Ludovicus cardinalis archiepiscopus Arelatensis in concilii Basileensis pleno consessu dicere non est veritus, *quod oratores Eugenii ubique novam doctrinam pracdicent et concilium papae subjiciant*, Aeneas Sylvius lib. 1. de gest. concil. Basileens. part. 3. tit. 22. c. 16.** 3. Non novam sibi Lutherus et ejus symmystae procudere voluerunt ecclesiam, sed priorem illam et morum et ἑτεροδιδασκαλιῶν sordibus misere foedatam repurgare, mundare, expolire et pristino splendori ac primaevae integritati restituere studuerunt. Medicos se haberi maluerunt, qui sanarent et expurgarent, quam parentes, qui novam ecclesiam progignerent. 4. Distinguendum igitur inter novitatem, quaedam est *vera*, quaedam duntaxat *apparens*. Nostra confessio non est vere et ἀληθῶς nova, quia convenit cum antiquis veritatis tabulis, videlicet Scripturis sacris, ac seculis singulis eam amplexi sunt vere fideles, ut alibi ostenditur; ergo φαινομένως sive apparenter duntaxat est nova, quia assuetis et innutritis errorum papalium illecebris longo tempore dominantibus visa fuit nova. Sic doctrina Christi et apostolorum Judaeis ac gentilibus videbatur nova Marc. 1, v. 27. Act. 17, v. 19. quia scilicet majorum suorum superstitionibus, erroribus et idololatriis longo tempore erant innutriti. Johannes Baptista videbatur novam doctrinam proponere, quo nomine etiam clerus Hierosolymitanus legationem ad ipsum mittit, Joh. 1, v. 19. nihilominus vere de ipso dicitur, *quod converterit corda patrum ad filios* Luc. 1, v. 17. hoc est quod ad veram antiquitatem auditores suos revocaverit, ut inter patres ante aliquot secula demortuos ac filios sive posteros ipsorum doctrinae et confessionis ratione pulcherrimus institueretur consensus. 5. Signa igitur illa, quae Bellarminus affert, nequaquam ostendunt confessionis nostrae *novitatem*, sed *renovationem;* non probant, religionem nostram a Luthero fuisse *institutam*, sed tantum *restitutam*. Aliud enim est novare, id est res novas ante plane incognitas et inusitatas introducere; aliud autem renovare, id est res antiquas, sed temporis injuria et hominum incuria collapsas pristino nitori ac statui restituere. Si limes quispiam, qui per aquarum alluviones terra et limo fuerat obrutus, repurgetur,
novus limes videtur, cum tamen revera sit antiquus; XI. 249.
sic Lutherus limites doctrinae apostolicae sordibus humanarum traditionum et superstitionum paene obrutos repurgavit, nequaquam vero novos ecclesiae limites posuit. Candela, cujus ellychnium emunctorio purgatur, novam quandam lucem videtur exserere, cum tamen sit eadem candela, licet clarius splendeat; sic fumos et nebulas errorum a luce catholicae fidei Lutherus sustulit, ut in ecclesia splendorem suum clarius et augustius exserat. 6. Doctrinam de justificatione per solam fidem, hoc est de gratuita nostri justificatione per Christum vera fide apprehensum, non est haeretica quaedam novitas, sed antiqua catholicae fidei veritas, ut suo loco abunde fuit demonstratum. Hamelmannus et Flacius peculiaribus scriptis ostenderunt, particulam *exclusivam* in articulo justificationis jam inde a temporibus apostolorum usque ad nostrorum temporum fecem in ecclesia fuisse conservatam, inde Camerarius in vita Georgii principis Anhaldini de Adolpho episcopo Mersburgensi refert, quod audiens nostram de justificatione doctrinam ut novam traduci, stomachabundus responderit: *Quid? vosne hanc doctrinam perhibetis novam? an non meministis in psalmo dictum: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?* Appellamus hic cujusque hominis vere pii et Christiani pectus, an in conscientiae terroribus non cogamur ad unicum Christum vera fide confugere et in ipsius merito unice quiescere? Quomodo vero Bellarminus cum eo, quod hoc loco asserit, *Lutherum illud novum dogma de justificatione per solam fidem invenisse*, conciliare possit, quod lib. 4. de eccles. c. 9. statuit, *Simonem Magum et Eunomium, imo apostolorum tempore quosdam eadem docuisse*, ipsi expendendum relinquimus. 7. Missae sacrificium non esse antiquum, sed novum, docet Christi institutio, qui sacramentum, non autem sacrificium instituit; docet apostolorum liturgia, qui sacramentum, non autem sacrificium celebrarunt; docent scriptores veteres, qui primis ecclesiae temporibus vixerunt, qui aliud quoddam propritiatorium sacrificium pro peccatis hominum non agnoscunt praeter illud unum, quod Christus in ara crucis semel obtulit. Polydorus Virgilius lib. 5. de rerum invent. c. 11. et Platina in vita Sixti originem et progressum missae luculenter ostendunt. *Sixtus mandavit, ut in celebratione, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth cantaretur. Nuda primo haec erant et omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim, ubi consecraverat, oratione pater noster est usus. Auxit haec mysteria Jacobus episcopus Hiero-*

Digitized by Google

solymitanus, auxit et Basilius, auxere et alii. Nam Coelestinus missae introitum dedit, Gregorius Kyrieleison, Gloria in excelsis Deo Telesphorus, collationes Gelasius primus, epistolam et evangelium Hieronymus, Alleluja sumtum est ex ecclesia Hierosolymitana, symbolum ex concilio Niceno, mortuorum commemorationem Pelagius invenit, thus Leo tertius, osculum pacis Innocentius primus, ut caneretur agnus Dei, Sergius instituit etc. Innocentius tertius transsubstantiationem sancivit, c. firmiter credimus, de summ. Trin. et fide cathol. *synodus Constantiensis ποτηριοκλεψίαν* stabilivit; *Zepherinus* statuit, ut omnes Christiani, qui pubertatis annos attigissent, ad minimum semel quotannis eucharistiam caperent die praesertim paschali; *Fabianus* sancivit, ut id ter fieret; *Innocentius III.* et *Honorius* asservationem eucharistiae ad aegrotantium commoditatem sanciverunt. Sic ergo per aliquot secula laboratum fuit, donec tandem infelix ille partus missaticus formaretur.

XI. 250.

SECTIO III.

DE TERTIA ECCLESIAE NOTA A BELLARMINO ASSIGNATA, DURATIONE SCILICET DIUTURNA.

An duratio diuturna sit ecclesiae nota.

170. *Membrum primum.* Sitne duratio diuturna et non interrupta vera et genuina ecclesiae nota? 1. Ecclesiam perpetuo durasse et perpetuo duraturam esse, extra controversiam ponimus; 2. sed ex eo non potest colligi, quod duratio sit genuina et propria ecclesiae nota. 1. Sive enim duratio accipiatur *respectu temporis praeteriti*, sive respectu *temporis futuri*, non potest pro genuina et propria ecclesiae nota accipi. Si accipiatur respectu temporis praeteriti, coïncidit cum antiquitate, idem igitur de ea, quod de antiquitate debet esse judicium; si accipiatur respectu temporis futuri, nondum praesens est, ac proinde notae vicem sustinere non potest. 2. Duratio diuturna non semper convenit ecclesiae. Apostolica ecclesia, quae post Christi adscensionem per praedicationem evangelii in toto terrarum orbe colligebatur, non poterat de diuturna duratione, qualem quidem Bellarminus hoc loco intelligit, gloriari, nihilo tamen minus erat vera ecclesia. Quas in novis insulis hodie plantant ecclesias, eae itidem de duratione diuturna gloriari nequeunt. 3. Duratio diuturna non convenit ecclesiae soli, quia communis illi est cum synagoga Satanae ac civitate diaboli. Augustinus lib. de catech. rudib. c. 19: *Duae civitates, una iniquorum, altera sanctorum ab inito generis humani usque in finem seculi perducuntur, nunc permixtae corporibus, sed voluntatibus separatae, in die judicii vero etiam corpore separandae.* Idem repetit lib. 11. de Genes. ad lit. c. 15. lib. 15. de civit. Dei. c. 1. in enarrat. Psalm. 61. etc. In orientali ecclesia de diuturna duratione gloriari possunt Nestoriani, Eutychiani, Ariani etc. qui doctrinae originem usque ad Ebionem et Cerinthum tempore apostolorum exortos referre possunt; Photiniani, Mahumetistae, gentiles durationem diuturnam et non interruptam suis haeresibus, blasphemiis et idololatriis praetexere possunt; Antichristi synagoga longo tempore duravit et durabit usque ad finem mundi. Cajetanus in comm. 2. Thess. 2: *Sequaces Antichristi durabunt usque ad apparitionem adventus Christi, differentia enim est inter consumtionem et destructionem. Consumtio spiritualis est, consumet eum spiritu oris sui, hoc est spiritu sermonis evangelii, ubi multi ad veritatem evangelicam convertentur, at multi perseverabunt usque ad adventum Christi* etc. 4. Duratio non interrupta non est ulli ecclesiae particulari ita propria, ut ab ea separari nequeat. Promissio divina est, ecclesiam perpetuo duraturam, sed haec promissio proprie pertinet non ad hanc vel illam particularem et visibilem ecclesiam, sed ad ecclesiam catholicam electorum, quae in petra, hoc est Christo, fundata adversus omnes inferorum portas immota persistet. Scriptura testatur, ecclesiam fore aeternam; sed nuspiam dicit, ecclesiam esse ad certum locum et ad certam gentem alligatam, ut in illa sede et gente duratione continua, perpetua et non interrupta gaudeat. Ecclesiae complures, ut Antiochena, Alexandrina, Constantinopolitana etc. olim graves patiebantur interruptiones, neque tamen statim desinebant esse verae ecclesiae. Macedonio haeretico in ecclesia Constantinopolitana succedebant Gregorius et Nectarius episcopi orthodoxi; Nestorio haeretico in ecclesia Alexandrina succedebant Flavianus et alii pii episcopi. Romana ecclesia antiqua temporibus apostolorum propinquior gravissimas passa est vicissitudines tum a gentilibus, tum ab haereticis. Primi ejus episcopi in solitudines fugabantur, Marcellinus immolabat idolis, Liberius factus est Arianus, Honorius Monotheleta etc.

171. Quomodo vero probat Bellarminus, duratio- XI. 251.
nem diuturnam nec unquam interruptam esse eccle- Argumenta
siae notam? *1. Ecclesia* (inquit) *propterea dicitur* Bellarmini pro
catholica, non solum quia semper fuit, sed etiam quia duratione.
semper erit juxta illud Dan. 2, v. 44. *regnum quod in aeternum non dissipabitur.* Respondemus: 1. ecclesiam catholicam perpetuo duraturam minime negamus, idque confirmat dictum propheticum Dan. 2, v. 44. sed ex eo non potest inferri, ecclesiam Romanam esse veram illam catholicam ecclesiam, cui tales promissiones de perpetua duratione factae sint, quia Romana ecclesia est ecclesia particularis, deficere igitur potest catholica interim permanente, ut superius ostendimus. 2. Pari ratione ex eo, quod ecclesia catholica perpetuo sit duratura, non potest inferri, quod omnis coetus perpetuo durans sit vera et catholica ecclesia, quia synagoga Satanae durabit usque ad mundi finem, *zizania* cum bono semine erunt permista *usque ad tempus messis* Matth. 13, v. 39. *paleae cum tritico* erunt permixtae usque ad ventilationem in die novissimo futuram Matth. 3, v. 12. *hoedi ab agnis* in die judicii demum separabuntur Matth. 25, v. 32. Antichristum destruet Dominus

Digitized by Google

Jesus illustri demum adventu suo 2. Thess. 2, v. 8. 3. Concedimus igitur, ecclesiam catholicam perpetuo duraturam, sed negamus, de particulari aliqua ecclesia, qualis est Romana, id esse promissum; negamus etiam, soli ecclesiae catholicae durationem illam esse propriam, ex quo sponte sequitur, quod duratio non sit genuina et propria ecclesiae nota.

172. 2. Sed affert Bellarminus quaedam dicta, quibus probare velle videtur, solius ecclesiae propriam esse perpetuam illam durationem. Act. 5, v. 38: *Si ex hominibus est hoc consilium aut opus, dissolvetur;* v. 39: *si vero ex Deo est, non poteritis illud dissolvere.* 2. Tim. 3, v. 9: *Haeretici non proficient ultra, nam illorum amentia manifesta erit omnibus.* Cyprianus lib. 4. epist. 2. dicit, *schismaticos semper inter initia fervere, incrementa vero habere non posse, sed statim cum prava sua aemulatione deficere.* Augustinus in Psalm. 57. in illud, *ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens, non vos terreant,* inquit, *fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, decurrens aqua ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multae haereses jam emortuae sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur* etc. Respondemus: 1. negari nequit, multas haereses diu durasse et adhuc durare. Arianismus, Photinianismus, Nestorianismus etc. ante aliquot secula coeperunt et adhuc, proh dolor, durant. Particulariter igitur intelligendum de quibusdam haeresibus et haereticis, quod non diu durent. Graecam ecclesiam Bellarminus judicat haehaereticam, at illa diu duravit. 2. Ac si vel maxime omnes haereses cito abolerentur, nondum tamen evictum foret, diuturnam durationem esse propriam ecclesiae notam. Quo enim tempore haereses sunt in suo flore et vigore, nondum constat de earum abolitione, sed tum demum, quando exstincta haeresi gloriose triumphat veritas. Nostram ecclesiam illi statuunt haereticam, cui aliquoties fatalem internecionem praedixerunt, quinimo etiam annum excidii determinare ausi fuerunt (Johan. Taisnierius Hannonius in physiogn. Pauli oper. Math. p. 457. anno Christi 1572. ex astris praedixit, *religionem Lutheranam inter triennium exstirpatum iri.* Vide etiam Joh. Paulum Windeckium in prognostico de futuro ecclesiae statu); sed illa Dei beneficio adhuc persistit immota, ac speramus, illam ad finem usque mundi florentem futuram. 3. Gamalielis dictum Act. 5, v. 38. hunc habet sensum: Si homines illi humana astutia ac malitia excogitarunt illud dogma, quod Jesus Nazarenus sit verus Messias, atque ita praestigiis et imposturis suis homines deludunt, progressu temporis ipsorum fraudes manifestabuntur, sicut Theudae et Judae Galilaeo contigit; sed si dogma ipsorum est verum ac divinum, non poteritis cursum
XI. 252. hujus doctrinae prohibere ac ipsi Deo resistere. Ex eo vero nondum inferri potest, nullas haereses invalescere ac diu durare, sed statim sopiri, distinguendum enim inter *temporariam pressionem et finalem oppressionem;* veritas coelestis et vera ecclesia illius domicilium ab haeresibus ad tempus quidem premi possunt, tandem vero iterum emergunt. Fuligines haeresium lucem veritatis aliquandiu obfuscare possunt, sed illa tandem clarius emicat. Distinguendum etiam inter *splendorem externum et internum.* Ecclesiae haereticae quandoque exterius majorem splendorem obtinent, quam vera ecclesia, interim tamen interior splendor coram Deo, qui in fidei sinceritate consistit, soli verae ecclesiae est et manet perpetuo proprius. 4. Dictum apostolicum 2. Tim. 3, v. 9. non potest eo sensu accipi, haereticos nihil prorsus valituros esse, temporibus enim sequentibus magnam omnino cladem ecclesiae intulerunt haereses, praesertim Ariana, et in illo ipso cap. 3, v. 13. subjungit apostolus: *proficient in pejus seducentes et seducti.* Aliud igitur est, quod intendit apostolus, videlicet si ministri ecclesiae suum diligenter faciant officium, fore ut haeretici non tantum proficiant, quantum vellent. Thomas Aquin. sic exponit: *Ultra quam Deus permittit, non proficient.*

173. *Membrum secundum.* Num duratione diuturna nec unquam interrupta Romana ecclesia gaudeat? Bellarminus hanc thesin demonstraturus sic progreditur: *1. Constat* (inquit), *ecclesiam nostram durasse ab initio mundi huc usque, vel si de statu N. T. loquamur, durasse a Christo huc usque per mille et quingentos annos frustra eam oppugnantibus primo Judaeis, deinde paganis, ultimo haereticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus crevisse.* Respondemus: 1. Ecclesiam catholicam ab initio mundi, Christianam proprie sic dictam per tot secula durasse facile concedimus, sed quid hoc ad ecclesiam Romanam hodiernam, quae in plurimis capitibus a fide catholica et Christiana longissime recessit? 2. Duratio illa ecclesiae catholicae non potest intelligi materialiter de hominibus ad catholicam ecclesiam pertinentibus, illi enim mutantur et sibi invicem succedunt; sed intelligenda est formaliter de doctrina catholicae ecclesiae, quae perpetuo durat atque eadem semper manet aliis atque aliis hominibus sibi invicem succedentibus. Quodsi ergo ex duratione illa ecclesiae catholicae pro Romana ecclesia aliquid inferre velit Bellarminus, necessarium erit, ut probet, in Romana ecclesia eandem hodie proponi doctrinam, quae ab initio mundi atque inde a temporibus apostolorum in ecclesia catholica divinitus conservata est: id vero de nostra ecclesia demonstratu est facillimum, de Romana ἀδύνατον. Doctrina de justificatione gratuita per fidem in Christum, de ἀδυναμίᾳ perfecte implendi legem, de repudiandis ἐθελοθρησκείαις etc. est vere catholica doctrina, quae jam inde a prima mundi origine in vera ecclesia perpetuo conservata est, ea vero in nostra ecclesia sonat, in Romana oppugnatur. 3. Distinguimus igitur inter dogmata Romanae ecclesiae, quaedam sunt vera et orthodoxa, utpote de mysterio Trinitatis, de Christi passione et satisfactione pro peccatis nostris, de baptismo in nomine s. Trinitatis conferendo etc. quaedam vero sunt falsa et haeretica, utpote de justificatione per operum merita,

An duratio diuturna ecclesiae Romanae competat.

Digitized by Google

de traditionibus verbo Dei scripto exaequandis, de sanctorum invocatione etc. illorum respectu cognationem quandam adhuc habet ecclesia Romana hodierna cum ecclesia catholica et Christiana, horum vero respectu haeretica et apostatica est ecclesia.

174. 2. Sed proprius accedit Bellarminus et cominus pugnare incipit: *Quamvis* (inquit) *haeretici hujus temporis non concedant, Romanam ecclesiam annos supra mille et quingentos durasse, concedunt tamen, durasse sine ulla interruptione a Gregorio I. huc usque, id est annos fere mille, quod tempus etiamsi solum esset, adhuc longius esset, quam fuerit aetas ullius haeresis; sed tamen*
XI. 253. *falsum est, non diutius durasse, ipsi enim non possunt ostendere per ullam historiam, aut veterum scripta, factam esse mutationem religionis in ecclesia Romana tempore S. Gregorii.* Respondemus: 1. immane pronuntiatum est, non posse ostendi per ullam historiam aut veterum scripta, factam esse mutationem religionis in ecclesia Romana tempore Gregorii, vel etiam sequentibus temporibus. Proferantur enim in medium scripta apostolorum, in quibus doctrinam apostolicam contineri ex utraque parte concessum est, et liquido apparebit, doctrinam Romanae ecclesiae hodiernae ab ea plurimum discrepare. Ecquis igitur negare poterit, mutationem religionis in ecclesia Romana esse factam, quocunque tandem tempore ea facta sit? Consulatur epistola Pauli ad veterem ecclesiam Romanam scripta, et facile apparebit, quodnam et quale doctrinae depositum Romanae ecclesiae fuerit concreditum, id vero non amplius esse integrum et inviolatum mutua dogmatum collatio manifestum faciet. 2. Qua veritatis specie negari potest, tempore Gregorii ac sequentibus seculis mutationem in ecclesia Romana contigisse? Gregorius circa annum Christi sexcentesimum *oecumenicum episcopum* se vocari noluit, imo *praecursorem Antichristi* eum appellavit, qui *sceleratum illud nomen* sibi vendicare ausus fuerit. Sed Gregorii successor Bonifacius tertius hunc titulum a Phoca Imperatoricida et pretio et precibus impetravit, atque ab illo tempore ad nostram usque aetatem omnes Romani pontifices eo utuntur. Idem judicium de aliis dogmatibus, ritibus et ceremoniis seculorum decursu in ecclesiam Romanam receptis. Ex Gratiano, ex conciliis, ex Platina et aliis scriptoribus manifestum est, quid quisque pontifex instituerit, quod dogma in conciliis stabilitum fuerit ac quomodo ad illum statum post varias mutationes ac innovationes perventum sit. 3. Invita veritate etiam illud asseritur, nullius haeresis aetatem ultra mille annos extendi. De Photinianismo, Nestorianismo, Arianismo, etc. negari nequit, quod ultra mille et ducentos annos duraverint. Ac si vel maxime nulla haeresis in ecclesia tam diu durasset, tamen gentilismus et Judaismus Christianam religionem specifice sic dictam temporis duratione antecellunt. Muhametismus cum Papismo eodem fere tempore coepit, ut historiae testantur. Nec inficias ire poterit Bellarminus, apostolicum esse effatum, quod tempore apostolorum jam tum *inceperit peragi iniquitatis mysterium, quodque Dominus Jesus extremo suo adventu tandem destructurus sit Antichristum* 2. Thess. 2, v. 8. ex quo sponte sequitur, Antichristi regnum diu duraturum. 4. Si ecclesiae Romanae diuturnam et nunquam interruptam durationem a successione Romanorum pontificum arcessere velit Bellarminus, promtum adest responsum, *successionem personalem* et *localem* nihil valere *absque successione doctrinae*, ut inferius demonstrabitur. Ut interim silentio praetereamus, etiam externam illam successionis faciem in ecclesia Romana variis schismatibus et dissensionibus esse turbatam atque interruptam. Formosus largitione ac proinde simoniace factus est episcopus Romanus, jam vero qui simoniaco artificio intrat, ipsius canonici juris edicto non est legitimus episcopus, ut probatur 1. q. 1. per aliquot canones c. sicut Simoniaca c. Quanta c. Insimulatum extra de Simonia. Formosi decreta abrogavit Stephanus, qui pari ratione per largitiones papalem sedem occupans praedecessoris sui corpus e sepulcro erutum pontificali habitu spoliatum indutumque seculari laicorum sepultura tumulandum curavit abscissis et in Tiberim projectis digitis, quibus in consecratione usus erat, eumque contra jura sacramenti Romam et sacerdotium repetivisse dixit. Decreta et acta Stephani contra Formosum habitis synodis rescidit ejusdemque statuta irrita declaravit Johannes IX. Ubi tunc locum habuit continua et non interrupta successio? Tempore concilii Constantiensis erant tres antipapae, unus in Hispania, alter in Gallia, tertius in Italia, qui tamen omnes a concilio Canstantiensi ut illegitimi sunt abdicati et novus papa electus. Sed de his suo loco plura. 5. Si nulla religionis mutatio in ecclesia XI. 254.
Romana fuisset facta, unde Romanis episcopis antichristianum primatum, omnium corruptelarum fontem, sibi arrogantibus toties fuisset contradictum? Num major aut deterior mutatio in ecclesia Romana contingere potuisset, quam quod papa illius caput in Antichristum degeneravit, jam vero ante aliquot secula, ante auditum Lutheri, nomen Antichristianismi accusati fuerunt Romani illi Vejoves? Refert Aventinus lib. 4. annal. Trevirensem et Coloniensem episcopos anno Christi 858. papam Nicolaum I. hisce verbis allocutos esse: *Tu pontificis quidem personam prae te fers, at tyrannum agitas. Sub habitu et cultu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem ostentas. Cum sis servus servorum, dominus dominorum esse contendis. Juxta disciplinam Salvatoris nostri infimus et omnium ministrorum templi Dei, tu vero libidine dominandi in praeceps abis. Quidquid tibi libet, licet; fucus factus es Christianis.* Anno Christi 991. Arnulphus Aurelianensis ad synodum Remensem de papa sic loquitur: *Quid hunc, reverendi patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea et aurea radiantem, quid hunc inquam esse censetis? nimirum si caritate destituitur solaque scientia*

Digitized by Google

inflatur et extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens et se ostendens tanquam Deus. Aretas, qui anno 1010. vixit, in Apocal. scribit, *Antichristum emersisse post occasum Constantini Magni et Babylonem esse regionem illorum, quibus dominaturus sit filius peccati.* De Gregorio VII. sive Hildebrando Aventinus lib. 5. annal. scribens sic loquitur: *Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui, simplices tum imperium Antichristi coepisse, quod ea, quae Christus servator noster tot annos nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriae literarum prodidere.* Idem refert, quid post Hildebrandi mortem acciderit: *Sacerdos* (inquit) *expiranti similis triduo in Saxonia decubuit. Is ubi ad se rediit, apud inferos Hildebrandum, Rudolphum, Hermannum tyrannos aeternis mactari suppliciis revelavit. Falsi tum prophetae, falsi apostoli, falsi sacerdotes emersere, qui simulata religione populum deceperunt, magna signa ac prodigia ediderunt et in templo Dei sedere atque extolli super omne, id quod colitur, coeperunt (sic ergo completum fuit vaticinium apostolicum de adventu Antichristi in omnis generis virtute et signis et prodigiis mendacibus* 2. Thess. 2, v. 9.) Petrus Asilus de tyrann. pontif. c. 3. p. 67: *Circa tempora Hildebrandi, qui fuit dictus Gregorius VII. episcopus Florentinus aliis Fluentinus publice docuit, Antichristum natum esse. Cum enim Paschalis II. Gregorii hujus successor in ecclesiam Ravennatem saeviret, Fluentinus ille episcopus publice docuit, Antichristum advenisse, quo dicto cum Paschalis pontifex Romanus se peti non absque causa sentiret, ipsemet ad illum profectus silentium illi imposuit. Leodiensis ecclesia anno 1110. in responso Paschali II. dato vocat Romam Babylonem dicitque, eam a Petro sic esse vocatam prophetico spiritu, quod Romanis turbinibus et procellis ecclesia esset turbanda.* Circa annum 1120. floruit Honorius Augustodunensis, qui Romanae urbis episcopos his verbis perstrinxit: *Verte te ad cives Babyloniae et vide, quales sint et per quas tendant plateas. Vide, veni huc ad supercilium montis, ut cuncta possis aedificia cernere damnatae civitatis. Intuere principes et judices, ecce posita est in eis bestiae sedes. Omni tempore ad malum sunt intenti, semper negotiis iniquitatis inexplebiliter occupati, flagitia non solum faciunt, sed et alios facere instruunt, sancta vendunt, scelera emunt, totis viribus laborant, ne soli ad tartara veniant.* Circa annum Christi 1157. Johannes Sarisburiensis duos edidit tractatus, quorum alterum objurgatiorium cleri, alterum vero polycraticum vocavit, in quibus pontificem *Antichristum*, Romam vero *meretricem Babylonicam* appellat. Circa annum 1130. Bernhardus epist. 125. de Agapeto: *Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias et bellum gerere cum sanctis, Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prae-*
XI. 255. *dam.* (Si excipere velint, *Bernhardum haec dixisse de uno solummodo, qui papalem sedem vi et usurpatione manifesta occupaverat;* respondemus: sit sane, interim attendendum, quod ipse Bernhardus ibidem explicet, quamobrem Agapetus ille sit injustus usurpator, nimirum quia antipaparum alter, Innocentius dictus, electus et approbatus fuerat a regibus Germaniae, Galliae, Angliae, Scotiae, Hispaniae, Hierosolymorum, consensum etiam et approbationem universi cleri ac populi nationum jam dictarum habebat; alter vero Agapetus minime. Proinde Bernhardo non ille solum Agapetus, sed plerique omnes multis ab illo seculis sunt bestia illa in Apocalypsi demonstrata, utpote qui a solo collegio cardinalium, eoque non raro inter se factionibus diviso, nulla interveniente regum et populorum illorum auctoritate electi fuerunt et adhuc eliguntur.) Idem serm. 33. super Cant. col. 602: *Ministri Christi sunt et Antichristo serviunt, honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt, inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus* etc. *pro hujusmodi volunt esse et sunt ecclesiarum praepositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi.* Vide ibid. plura, uti etiam serm. 1. in convers. Pauli col. 81. et 82. ubi inter alia dicit: *Multi sunt nostris temporibus Antichristi.* lib. 2. de consid. ad Eugen. papam: *Planum est, apostolis interdicitur dominatus, ergo et tu tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere volueris, perdes utrumque.* lib. 3. ad Eug.: *Murmur loquor et querimoniam communem ecclesiarum. Truncari se clamitant et dimembrari, vel nullae vel paucae admodum sunt, quae plagam istam aut non timeant, aut non doleant.* lib. 4. ad Eugen.: *Inter haec tu pastor procedis multo et pretioso circumdatus ornatu. Si auderem dicere, daemonum magis quam ovium pascua haec, scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat.* Ex Bernhardo allegat Hugo cardinalis in postill. super 1. Joh.: *Videtur bone Jesu adversus te conspirasse universitas Christianorum et illi in tua persecutione primi sunt, qui in ecclesia tua videntur primatum tenere et gerere principatum.* Circa annum 1200. Joachimus abbas Florensis in Calabria Richardo regi Angliae, qui in oriente pereginabatur, demonstravit, *Antichristum exortum esse, et quidem Romae esse, sedere in ecclesia et extollere se super omnia.* Balaeus cent. 3. c. 35. in rythmis suis Germanicis *pontificem ejusque clericos pronuntiavit Antichristos.* Exstant etiam ejus picturae super Apocalypsin cum Italicis expositionibus, in quibus papam et clericos ejus graviter accusat. Anno 1240. Eberhardus episcopus Salisburgensis in concilio Reginoburgensi apud Avent. lib. 7. annal. de Romanis pontificibus tale profert testimonium: *Flamines illi Babyloniae soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt, non desistent, donec omnia pedibus suis conculcarint atque in templo Dei sedeant extollanturque supra omne id, quod colitur* (audis verba vaticinii apostolici 2. Thess. 2, v. 7.) *Fames opum, sitis honorum inexplebilis est. Qui*

Digitized by Google

servus servorum est, Dominus Dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit. Ingentia loquitur, quasi Deus sit, leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cujus fronte blasphemiae nomen scriptum est: Deus sum, errare non possum, in templo Dei sedet, longe lateque dominatur. Idem Eberhardus ex collatione Christi et Romanorum pontificum Antichristianismi eos convincit: *Christus inimicos odio habere vetat, eosdem amare praecipit, de hisce promereri, fidem hostibus servare, beneficiis maleficia expiare docet; Romanenses contra sancta violare foedera, Dei nomine sacrato ad fallendos homines abuti, bene meritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere sub magna pietatis superficie jubent, divinae majestati, coelesti, providentiae, naturae repugnare, supremae majestati a Deo Opt. Max. constitutae, id est imperatoriae resistere nos volunt.* Anno 1250.
XI. 256. Rupertus (al. Robertus) Lincolniensis episcopus in sermone, quem habuit coram papa Innocentio IV. et cardinalibus de clericis Romanae curiae sic dicit: *Cum principale opus Christi, propter quod ipse venit in mundum, sit animarum vivificatio et Satanae opus proprium et maxime ab eo inventum, utpote homicidae ab initio, sit animarum occisio et mortificatio; ipsi pastores personam Jesu Christi induti verbum Dei non annuntiantes, etsi non superadderent malitias alias, sunt Antichristi et Satanas transfiguratus in angelum lucis, fures et latrones, mactatores ovium et perditores facientes domum orationis speluncam latronum.* Circa eadem tempora Guilielmus Aurifex palam docuit, *papam esse Antichristum, Romam Babylonem et praelatos membra Antichristi.* Idem fecerunt Probus episcopus Tullensis circa annum 1280. qui Romanenses clericos *Satanae et Antichristi satrapas* apud Avent. vocat; Guilielmus de S. Amore theologus Parisiensis et canonicus Belovacensis, Johannes de Poliaco theologus Parisiensis, Matthias Parisiensis natione Bohemus, Arnoldus de Villa nova, Michaël Cesenas al. Centenas generalis Minoritarum, Petrus Johannis dioecesis Biranensis Minorita, Franciscus Petrarcha, Hieronymus Savonarola, Nicolaus Horius in epistola ad Carolum Bovillum aliique complures, quorum testimonia in catologo testium veritatis, in lectionibus memorabilibus Wolffii atque alibi passim inveniuntur. Quinimo in publico sacri Romani imperii edicto sub Ludovico IV. Johannes XXII. pontifex Romanus vocatur Antichristus. *Sanguinem Christianum* (inquiunt) *ille sitit, discordiae et seditionum mala ubique gentium inter Christianos serit, fratres in fratres armat, nec licet Christianis per hunc Antichristum pacem a Deo datam servare. In alio quodam edicto: Regno humano* (pontifex Johannes) *inhiat, sicut pastor est personatus, ita mysticus est Antichristus.* Item: *Imperii Antichristi auctorem jure nostro, consilio, sententia, consensu communi principum, pontificum Germaniae, Italiae efflagitantibus sacerdotibus populoque Romano exauguratum, abdicatum, haereseos damnatum declaramus.* Quo pertinet, quod Fridericus II. in epistola ad Ottonem Bavarum apud Avent. lib. 7. ann. scribit, *multos Antichristos inesse Romanensibus pontificibus, nec ullos alios, quemadmodum opera ostendunt, exitio Christianae religioni esse.* Est nunc Bellarminus et neget, ullam mutationem in Romana ecclesia esse factam; neget, ex veterum scriptis mutationem aliquam demonstrari posse, quasi vero ulla gravior ac pestilentior mutatio esse possit, quam quod caput illius ecclesiae in Antichristum degeneravit.

175. 3. Sed habet Bellarminus aliud argumentum, quo probare conatur ecclesiae Romanae veritatem ex capite durationis. *Nostram* (inquit) *ecclesiam esse veram ecclesiam, probari potest etiam hoc argumento. Nam ante Lutheri tempora non erant in mundo nisi hae religiones, Paganismus, Judaismus, Muhametismus, Graecismus, Nestorianismus, Hussitarum haeresis et Romana ecclesia. Sed certum est, non fuisse veram ecclesiam Christi apud ullam ex praedictis sectis, ut etiam Lutherani fatentur, ergo fuit apud Romanam ecclesiam, aut certe periit de mundo omnis vera et visibilis ecclesia, quod fieri non posse supra docuimus. At vero sectae omnes haereticae brevi defecerunt, praeter eas, quae nunc exortae sunt, id quod probat exemplo Arianorum et Albigensium atque addit usque ad Lutheri tempora ducentas haereticorum diversissimas familias numerari, ex quibus non supersint nisi reliquiae quaedam Nestorianorum etc. Eutychianorum in oriente et Hussitarum in Bohemia, reliquas omnes funditus interiisse.* Respondemus: 1. Eodem modo Pharisaei et sacerdotes Hierosolymitani contra Christum et apostolos argumentari potuissent. Ante vestra tempora non erant in mundo nisi hae religiones, paganismus et ecclesia Judaica, sed certum est, non fuisse ecclesiam in paganismo. Ergo ecclesia Judaica est vera ecclesia, et per consequens non erat ab ea recedendum. Quidquid pro Christo et apostolis huic argumento Judaico respondetur, idem sibi responsum Bellarminus statuat. 2. Quomodo Deus sub XI. 257.
mediis papatus tenebris ecclesiam sibi conservaverit, paulo post espositum dabitur. Facile concedimus, veram ecclesiam sub papatu non fuisse tum temporis eo modo visibilem atque ab errorum sordibus repurgatam, qualis est hodie, postquam divino beneficio lux evangelii ex tenebris illis emicuit, sed ex eo non potest inferri, quod plane perierit in terris Dei ecclesia. Latuit in solitudine, ubi habuit locum sibi paratum a Deo. Apocalyp. 12, v. 6. 3. Ecclesia Graeca purior fuit quam Romana, Hussitarum ecclesiae itidem ab antichristiana idolomania fuerunt repurgatae; falsum igitur est, periisse plane visibilem ecclesiam, nisi Romana ecclesia sit vera ecclesia. 4. Haereses illas, quas Bellarminus recenset, compressas et devictas esse, ut non amplius in ecclesia dominentur et grassentur, facile concedimus; interim

Digitized by Google

tamen non omnes penitus sunt exstinctae, cum reliquias Arianorum, Nestorianorum et Eutychianorum adhuc superstites esse ipsemet agnoscat. Alia vero ratio est Antichristianismi, praedictum enim ab apostolo, quod Antichristus *in templo Domini sessurus sit*, hoc est dominium in ecclesiam sibi arrogaturus. Ergo ex imperio, potentia, duratione et splendore externo regni antichristiani nequaquam colligi potest, quod sit vera ecclesia. 5. Nondum probare potuit Bellarminus, ecclesiam splendore quodam externo et in una quadam sede perpetuo visibilem esse debere, frustra igitur a pompa et splendore ecclesiae Romanae externo contra nos argumentatur. 6. Nec probare potest, Romanam ecclesiam in splendore illo externo duraturam usque ad mundi finem, vel nostram brevi abolendam, haec enim cum futura ac in Dei manu posita sint, de illis nihil certi affirmari potest. Disputat quidem Bellarminus lib. 3. de Rom. pont. c. 13. *Romam non futuram Antichristi sedem*, sed hac in parte ab aliis Jesuitis ipsi contradicitur. Ribera comm. in Apocal. 14: *Roma dicitur Babylon, quia ad finem seculi futura est officina omnis idololatriae.* Anglo-Remenses in Apoc. p. 175: *Roma erit sedes Antichristi.* Vega in c. 18. Apoc.: *Illud etiam nobis dicendum videtur ex Areta, Primasio, Ansberto, Haymone, Ambrosio et aliis hoc loco, idololatriam urbis Romanae significari defecturamque esse Romam a fide, atque adeo futuram esse habitationem daemoniorum et omnis spiritus immundi ob flagitia et idololatriam, quae tunc temporis in Romana civitate Romanoque imperio late grassabitur.* Atqui si Roma erit officina idololatriae et Antichristi sedes, quomodo de diuturna ac perpetua duratione Romanae ecclesiae Bellarminus certus esse potest?

An ecclesia nostra de duratione gloriari possit.

176. *Membrum tertium.* Perpetuus est Jesuitarum coccysmus, non posse a nobis demonstrari, ubi fuerit ecclesia ante Lutherum. Bellarminus hoc loco scribit: *Lutherani vix nati arescere coeperunt, coepit enim Lutheri regnum anno 1517. sed vix septem annis pacifice regnavit.* Pistorius in hodeg. c. 4. de eccles. nugatur, *nostram ecclesiam ex libero aëre exstitisse.* Lessius in consult. p. 61. *Lutheranam religionem ante annum 1517. non fuisse in mundo*, confidenter asserit. Respondemus: Confessionem nostram esse vere apostolicam, hoc est congruere cum doctrina apostolorum in scriptis ipsorum contenta, in singulis articulis demonstrare parati sumus. Quare cum nostra ecclesia *consanguinitate doctrinae* primitivae apostolicae ecclesiae sit conjuncta, non potest novitatis crimine gravari. Quodsi quaeratur de continuatione illius doctrinae per singulas annorum centurias ab apostolorum tempore usque ad Lutherum, respondemus, non esse praecise et absolute necessarium ad declinandam religionis et ecclesiae nostrae novitatem scrupulose inquirere et sigillatim demonstrare, quomodo illa singulis seculis conservata et propagata fuerit, sed quia ex Scripturis sacris demonstrare possumus, illam esse veram orthodoxam, catholicam et apostolicam, ideo a posteriori concludimus, eandem vi divinarum promissionum de perpetua ecclesiae duratione et conservatione semper exstitisse, quamvis a priori, quomodo conservata sit et ubi locorum singulis annis exstiterit, demonstrare non possimus. Hanc assertionem nostram probamus 1. exemplo Israëliticae ecclesiae tempore Eliae. Cum enim Baalitica idololatria publicum totius visibilis ecclesiae ministerium occupasset, judicabat Elias, nullum amplius superesse verum Dei cultorem ac se esse relictum *solum;* sed divino oraculo docebatur, *relicta esse septem millia virorum, qui genua non curvaverant coram Baal*, 1. Reg. 19, v. 18. Quemadmodum igitur ex eo, quod Elias non poterat demonstrare visibilem aliquem coetum veram et sinceram doctrinam propheticam publice profitentem, haudquaquam inferri poterat vel debebat, nullum omnino verum Dei cultorem in terris superesse; sic pari ratione si vel maxime non possemus demonstrare visibilem et conspicuum aliquem coetum, qui tempore papatus longe lateque dominantis veram et sinceram doctrinam apostolicam publice professus fuerit, nondum tamen ex eo inferri poterat vel debebat, nullam amplius in mundo superstitem mansisse veram ecclesiam. 2. Exemplo ejusdem ecclesiae tempore Christi et apostolorum. Sacerdotes et Pharisaei itidem a Christo et apostolis exigere potuissent continuationem illius, quam proponebat doctrinae, per singulas superiorum seculorum centurias velut digito indice sibi demonstrari. Potuissent eodem modo cum nostris Jesuitis argumentari: Antequam Christus, Johannes Baptista et apostoli novum suum evangelium docere inciperent, nulla erat in mundo religio alia praeter Judaicam et paganam. Pagana est plane diabolica. Si Judaica fuit multis modis corrupta et depravata, consequens fuerit, aut veram fidem et ecclesiam interiisse, aut demonstrari debet locus, in quo fuerit conservata. Quidquid Pontificii in hoc argumento proferunt, id omne a sacerdotibus et Pharisaeis contra Christum et apostolos urgeri potuisset. Quidquid pro Christo et apostolis respondetur, id omne Pontificiis responderi potest. 3. Quemadmodum igitur in ecclesia Israëlitica per corruptum ministerium publicum geniti fuerunt Dei filii et filiae Ezech. 16, v. 20. licet in individuo sciri non posset, quinam illi fuerint; ita quoque sub papatu conservata fuit vera ecclesia, licet in individuo sciri non posset, quinam fuerint vera illius membra. Nam *a nostra ignoratione ad rei ipsius negationem*, item *a negatione externae apparentiae ad negationem ipsius essentiae* non potest legitime et efficaciter concludi. Conservatur *triticum in paleis*, licet non appareat exterius; latet *semen in agro*, licet ostendi nequeat, qua in parte agri abditum sit; hortus, qui videtur penitus exaruisse ac sentibus et vepribus obductus est, in quibusdam tamen areolis *herbas virides ac salutares* retinere potest. Ita quoque servavit sibi Deus *semen sanctum et reliquias quasdam* sub densissimis papatus tenebris, licet a nobis ostendi non possit, ubi terrarum vel locorum illud sanctum semen delituerit. Esa. 1, v. 8. c. 6, v. 13. Zephan. 3,

XI. 256

v. 12. etc. 4. Apoc. 12, v. 6. praedictum, tempore regnantis Antichristi ecclesiam *in solitudinem* fugituram, *ubi habeat locum sibi a Deo paratum.* Iniquum igitur postulatum est, ut illustrem et conspicuum aliquem coetum ostendamus, qui tempore papatus dominantis per omnia purum et incorruptum habuerit verbi ministerium et externo splendore in oculos hominum sese insinuaverit. Quod enim in solitudine latet ac locum sibi a Deo paratum habet, id publice notum et illustre esse nequit. 5. 2. Thess. 2, v. 4. praedictum, *Antichristum in templo Dei sessurum*, hoc est in ecclesia dominationem exerciturum. Ergo Antichristus et templum Dei, hoc est papatus et ecclesia, simul manserunt, papatus occupavit ecclesiam, ecclesia fuit sub papatu. Si defecisset vera ecclesia, non sedisset Antichristus in templo Dei. Quamvis igitur ostendi non posset, quomodo ubivis fere dominante et grassante Antichristo conservari potuerit ac conservata fuerit vera ecclesia, tamen oraculo divino firmam fidem adhibentes certo statuere debemus, templum Dei, hoc est veram ecclesiam, etiam illo tempore fuisse conservatum. Sicut in ruderibus conservatur aedificii fundamentum, licet
XI. 259. splendor illius non amplius exstet; sic vera ecclesia sub papatu mansit, licet externus ejusdem splendor perierit. 6. Ecclesiam perpetuo conservari *veritatis est divinae,* ubi et apud quos conservetur, *observationis est historicae.* Ergo si vel maxime ostendi non posset, ubi et penes quos tempore papatus ecclesia fuisset conservata, id defectum observationis historicae duntaxat argueret, veritati autem divinorum oraculorum nulla ex parte praejudicaret.

Quomodo sub papatu conservata fuerit ecclesia.

177. Sed enim ne quid habeant, quod conquerantur adversarii, ostendemus, quomodo et apud quos sub densissimis papatus tenebris vera religio et ex consequenti etiam vera ecclesia conservari potuerit ac conservata sit. Certum est, in mediis papatus tenebris singulari Dei beneficio conservatum fuisse sacrosanctum *codicem biblicum,* illius *quaedam pericopae* publice fuerunt populo praelectae et expositae, ac integri quidam libri in scholis enarrati. Quoties igitur textus biblicus fuit praelectus et expositus, toties verae ecclesiae confessio publice sonuit, quia vera ecclesia amplectitur doctrinam in scriptis prophetarum et apostolorum propositam, nec dubitari ulla ratione potest, Deum per hoc medium juxta infallibilem suam promissionem Es. 55, v. 10. et 11. in cordibus quorundam hominum fuisse efficacem, cum *verbum Dei nunquam revertatur ad illum vacuum,* quin aliquem fructum proferat. Quamvis vero explicationes falsae et scripto Dei verbo contrariae a praeconibus fuerint admixtae, tamen textus ipse singulari Dei providentia inviolatus mansit, quem electus Dei populus audiit et fidei ac vitae normam agnovit, depravationes vero et corruptelas aversatus est, *ut auditorum aures puriores fuerint quam docentium labia.* Declarari hoc potest exemplo ecclesiae Judaicae. Jubet Christus Matth. 23, v. 2. scribas et Pharisaeos *sedentes in cathedra Moysis audire et quaecunque dixerint servare et facere*, contra vero Matth. 16, v. 11. *cavere* jubet *a fermento Pharisaeorum*, hoc est *a doctrina illorum*, ut ibidem v. 12. exponitur; nec dubium est, aliquos mandato Christi obsecutos utrumque praestitisse, ita ut sacerdotes et Pharisaeos in cathedra Moysis sedentes audiverint et tamen a fermento eorum sibi caverint. Videntur quidem haec invicem pugnare, sed optima ratione conveniunt. Scribae et Pharisaei constituti erant in publico docendi munere, hoc enim intelligitur per sessionem super cathedram Moysis. In cathedra illa praelegebant populo scripta Moysis et prophetarum. Actor. 15, v. 21: *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis et per omne sabbatum legant.* Illis igitur, quae ex Moyse et prophetis praelegebantur, vere pii obsequi tenebantur, adeoque etiam obsequebantur, sed quando purae huic massae doctrinae coelestis fermentum traditionum, superstitionum et corruptelarum suarum admiscebant, ibi memores mandati a Christo promulgati corruptelas et traditiones illas repudiabant retenta sinceriore doctrinae coelestis massa. Eodem modo res sub papatu sese habuit. Praelegebantur publice scripta prophetarum et apostolorum, ex illis multi ad vitam aeternam instituti sunt ac informati, in quibus vera ecclesia fuit conservata. Quodsi ergo Jesuitae quaestionibus suis nos urgeant, *ubi ante Lutherum sonuerit vera doctrina*, *ubi conservata fuerit ecclesia?* respondemus, veram doctrinam conservatam esse in codice biblico eandemque in praelectione codicis biblici publice sonuisse. Nostrae ecclesiae nullum dogma amplectuntur extra Scripturam, nullum propugnant articulum, cujus non exstent clara et perspicua testimonia in Scriptura; ergo quando publice praelecta fuit Scriptura, publicum religionis nostrae praeconium fuit auditum. Neque enim in ecclesiis nostris alio textu biblico utimur, quam qui a prophetis et apostolis conscriptus ad nostra usque tempora in medio papatu divino beneficio fuit conservatus, ex illo ipso textu immotam confessionis nostrae veritatem demonstramus, nihil quidquam alienum vel peregrinum illi inferimus, nihil extra quaerimus, sed Scripturae limitibus nos con- XI. 260.
tinemus. Quemadmodum igitur Christus et apostoli ex Mosaicis et propheticis scriptis, quae in corruptissimo ecclesiae Judaicae statu conservata fuerant, scribas et Pharisaeos convincebant; ita ex propheticis et apostolicis scriptis, quae in corruptissimo ecclesiae Christianae statu conservata sunt, Pontificios convincere possumus, nostram doctrinam esse veram et orthodoxam. Praeter codicem biblicum sub papatu etiam mansit *Symbolum apostolorum*, quod est epitome quaedam praecipuorum ac fundamentalium fidei Christianae articulorum; mansit *decalogus*, mansit *oratio Dominica,* mansit *historia passionis Dominicae*, mansit *baptismus regenerationis sacramentum*, manserunt *quaedam doctrinae coelestis capita incorrupta.* Ecquis vero dubitare poterit, quin per haec media Spiritus sanctus in quorundam cordibus fuerit efficax ad regenerationem

Digitized by Google

et salutem? Quod si quidam superstites fuerunt vere pii et credentes, utique etiam superstes mansit ecclesia, quae non ex multitudine, sed ex fide aestimanda.

178. Quia vero nondum quiescunt Pontificii, sed postulant in specie sibi demonstrari, quinam sub papatu amplexi fuerint veram doctrinam ac nostrae ecclesiae fuerint socii, age obsequamur illorum postulato. Producimus autem primo omnium vaticinium propheticum Dan. 12, v. 41: *Hae solae salvabuntur de manu ejus Edom et Moab et primitiae filiorum Ammon*, ubi Luthero interprete tria hominum genera enumerantur, quae sub Antichristi tyrannide ad salutem sint conservata, primo *martyres*, qui significantur per Edom a rubedine sic dictum; secundo *simplices Christiani*, qui extra strepitum idolomaniae Pontificiae constituti a teneris unguiculis fidei Christianae rudimenta a parentibus accepta regulam simplicitatis et fidei inculpatae sibi esse passi fuerunt, vel certe sub finem vitae abjecta propriorum meritorum fiducia in uno Christi merito omnem spem salutis collocarunt, qui significantur per Moab, quod est a patre; tertio *infantes*, qui per baptismum renati prius in vivis esse desierunt, antequam idolomania Pontificia ipsorum animas contaminaret, qui denotantur per primitias filiorum Ammon, quod est populus meus proprius. D. Gesnerus in praelect. suis in Dan. paulo aliter interpretatur. Quia enim Edomitae, Moabitae et Ammonitae fuerunt contempti populi adeoque Israëlitis abominabiles, Deut. 23, v. 1. ideo statuit, per illos generaliter sensu mystico significari abjectum et contemtum fidelium coetum, qui mirabili Dei providentia et protectione sub medio papatu conservatus est, quos illi nominarunt *haereticos*, sicut Judaei Christum ejusque discipulos vocabant *Samaritanos*. Ceterum ut brevitas illa magis explicetur, diserte dicimus, tum extra ecclesiam Romanam, tum in ipsa ecclesia Romana papali tyrannide pressa conservatum fuisse Deo semen sanctum ac populum fidelem, quod demonstramus sequenti hominum ad veram ecclesiam pertinentium enumeratione. 1. Infantes baptizati sunt pars ecclesiae non minima. Jam vero baptismi sacramentum quoad substantialia sub papatu mansit integrum, proinde infantes per illud vere fuerunt regenerati ac filii Dei, membra verae ecclesiae et heredes vitae aeternae constituti; atqui illorum aliquot myriades in infantili aetate obierunt, antequam profunditates Satanae intelligerent. **Infantes per sacramentum initiationis etiam ab impuro ministerio regenerantur, non secus ac adultera nondum repudiata parit marito liberos; ita quamdiu ecclesia impura matrimoniales tabulas, ut Augustinus lib. 4. de symb ad catech. c. 2. nominat, id est verbum cum ejus sigillis sacramentis, a sponso Christo obtinet, tamdiu ipsi regenerat filios ac filias, ut de ecclesia Israëlitica licet idololatriae deditissima Ezech. 23, v. 37. dicitur Ezech. 16, v. 20. quod exemplum etiam ad haereticas ecclesias in N. T. accommodat Hieronymus lib. 1. in Ezech. c. 16.** 2. Simplices quidam Christiani, repudiatis errorum papalium corruptelis, doctrinae, quam ex praelectione pericoparum evangelicarum, ex Symbolo apostolorum, ex meditatione historiae passionis etc. perceperant, unice adhaeserunt, qui licet ob papae tyrannidem publicis erroribus XI. 361 sese non opposuerunt, tamen veram fidem in corde tenuerunt, sicut hodie in medio papatu quidam latent, quibus errores papales de meritis operum, de primatu pontificis, ac moles illa traditionum, ceremoniarum ac superstitionum ex animo displicent, sed prae metu inquisitionis publice ea arguere ac detestari verentur. Fuisse autem etiam superioribus seculis tales occultos Christi discipulos ostendunt mussitationes de tyrannide papae, de indulgentiis etc. querelae de corrupto ecclesiae Romanae statu ac repentina approbatio doctrinae per Lutherum a sordibus papalibus repurgatae. 3. Quidam imminente mortis agone de insufficientia et imperfectione operum a propria conscientia convicti atque interius per Spiritum sanctum consolationum evangelicarum admoniti abjecta propriorum meritorum fiducia ad unicum Christi meritum vera fide confugerunt, qui si vel maxime papales quosdam errores adhuc amplexi sunt, tamen fundamentum fidei apprehendentes salvati sunt quasi per ignem, exustis scilicet errorum stipulis tentationum et crucis igne. Huc pertinent piarum illarum precum formulae, quae exstant in Hortulo animae, in Anselmo, in ernhardo etc. quas moribundis praelectas fuisse historia ecclesiae testatur. Casparus Ulenbergius in libro quem edidit anno 1589. hoc titulo: *Viginti duae causae, cur ad Catholicos sit redeundum relictis Evangelicorum erroribus* causa 14. sic scribit: *Invenio ego librum quendam in sacrario parochiali ecclesiae nostrae* (Coloniensis) *scriptum anno salutis 1475. quo semper ab eo tempore, nimirum ab annis centum et amplius, in visitandis et ad mortem praeparandis aegrotis usi sumus. In eo quaestiones aliquot reperiuntur in linguam Germanicam, qualis ea tum fuit, conversae, quas ajunt D. Anselmum fecisse proponendas illis hominibus, qui ad mortem feliciter obeundam praeparantur. Ceterum eae quaestiones totam humanae salutis rationem, adeoque thesaurum et nucleum Christianismi quasi brevi pugillo complectuntur. Lubet vero quaedam ex illis hoc loco inserere. Postrema inter eas quaestiones haec est: Credis, te non posse salvari nisi per mortem Christi? Respondet infirmus*: *etiam. Tum illi dic*: *Age ergo, dum superest in te anima, in hac sola morte fiduciam tuam constitue, in nulla alia re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac sola te totum contege, totum immisce te in hac morte, in hac morte totum te involve, et si Dominus Deus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me et tuum judicium, aliter tecum non contendo* etc. Vide quaestiones illas integre propositas apud Dn. Chemnicium tom. 1. exam. de justificat. §. Veterum

Digitized by Google

testimon. fol. 143. 4. Praeter hos excitavit Deus singulis seculis aliquos publicos et constantes verae fidei confessores, qui papatui publice sese opposuerunt, quorum quidam usque ad sanguinem illi resistentes martyrii coronam portarunt. Tales bene multos enumerant auctores historiae ecclesiasticae Magdeburgensis, Flacius in catalogo testium veritatis, Wolffius in lectionibus memorabilibus, Ludovicus Rabus de martyribus etc. sed dubium nullum, quin longe plures exstiterint, quam ab illis enumerantur, quia libri illorum vel ad manus nostras non pervenerunt, sed cum ipsis confessoribus exusti sunt, ut omnis eorum memoria in animis hominum exstingueretur ac papale regnum stabiliretur, vel ab adulatoribus Romani pontificis sunt corrupti.

179. Possunt autem confessores illi, qui tyrannidi pontificis et papalibus erroribus contradixerunt, in tres classes distribui. Prima complectitur integras ecclesias. Ut enim praetermittamus ecclesiam Africanam, quae Coelestino canonem quendam concilii Nicaeni pro stabiliendo primatu mentienti graviter restitit, ecclesiam Leodiensem, quae in responso Paschali II. dato Romam vocat *Babylonem* eamque a Petro prophetico spiritu sic esse appellatam asserit; producimus hoc loco duas insigniores ecclesias, quae semper restiterunt tyrannidi ponti-
II. 262. ficiae. Prima est *Waldensium*, altera *orientalis*
'aldens. *sive Graeca ecclesia.* ** De Waldensibus vide omnino Mornaeum in hist. papatus p. 765. Dorscheum in tractat. de dicto Augustini etc. consid. 6. tum quae auctores Magdeburg. hist. eccles. tom. 12. ex libro vetusto manuscripto, Aenea Sylvio, Chronico Hirsaugiensi, Nauclero, Roberto Gaguino de Waldensibus recensent. Illorum non fuit exiguus tantum manipulus, sed numerosissimus coetus per plurimas regiones diffusus. Primo tenuerunt locum in Gallia Narbonensi, Albensi, Ruthena, Cadurcensi Agennensique dioecesibus, ut Jacobus de Rebiria in suis de Tolosa urbe collectaneis annotavit. Sed et *Petrus Waldus* relicta patria in Belgium venit atque in Picardia multos sectatores nactus est. Inde in Germaniam transiit ac diu per Vandalicas civitates diversatus est, ut Thuanus scribit lib. 6. histor. Guido Perpinianus lib. de haeresibus annumerat etiam Angliam, in qua anno 1174. docuerint Waldenses. Quod idem testatur et Guil. Neubrigensis rerum Anglicarum lib. 2. c. 13. ubi etiam addit Hispaniam et Italiam scribitque, *in latissimis Galliae, Hispaniae, Italiae Germaniaeque provinciis tam multos illorum adhaesisse doctrinae* (quam ipse ex Romanae ecclesiae ingenio *pestem* vocat), *ut secundum prophetam multiplicati super numerum arenae maris viderentur.* Similiter et Chronicon Hirsaugiense narrat, *ex eis captos quosdam in urbe Argentinensi coram omni populo et plebe confessos publice fuisse, quod tantus eorum esset numerus, ut si quis ex eis e Colonia Mediolanum ire statueret, omni nocte hospitem ex secta eorum inveniret.* Denique etiam eos in Bulgariam, Croatiam ac Dalmatiam pervasisse, auctor est Matthaeus Parisiensis. Insuper etiam celebres fuerunt *1. mira docendi dexteritate.* Nam Jacobus de Rebiria testatur, *eos fuisse eruditione et doctrina praecellentissimos et de religione acutius ceteris disputasse, quibus sacerdotes ecclesiae Romanae non fuerint pares. 2. Auctoritate*, de qua F. Rainerus sic scribit: *In omnibus civitatibus Lombardiae et in Provincia et in aliis regnis et terris auditores habebant et in publico disputabant populumque vocabant ad stationes solennes in foro et in campo et praedicabant in tectis. Non erat, qui ipsos impedire auderet propter potentiam et multitudinem fautorum suorum.* Ibidem hic auctor asserit, se ipsummet interfuisse inquisitioni ipsorum ac in sola parochia Cammerach habuisse decem scholas. Neque tantum homines de vulgo ipsis adstipulati sunt, sed et proceres complures, Raimundus comes Tolosae et S. Aegidii regis Franciae consobrinus; Raimundus Rogerius Biterrarum et Carcassonae comes; Petrus Rogerius Gabareti regulus; Raimundus Fuxensis regis Arragoniae propinquus, multique alii comites et innumeri nobiles. Similiter et in Italia asseclas ipsorum et e plebe et ex equestri ordine fuisse, tradit Nauclerus. *3. Industria*, cui respondit auditorum ardor in docendo, quod ipsum etiam Rainerus habet. *Viri*, inquit, *et mulieres, parvi et magni, nocte ac die non cessant discere et docere. Audivi ab ore docentis cujusdam, quod quidam haereticus* (hoc titulo insignit Waldenses ex praejudicio et sensu Romanae ecclesiae), *quem novi, ad hoc tantum, ut eum a fide nostra averteret et ad suam perverteret perduceretque, nocte, tempore hiemali, per aquam, quae dicitur Ibis, natavit ad ipsum. Erubescat negligentia fidelium doctorum* (intelligit Romanae ecclesiae addictos), *qui non sic zelant catholicae fidei veritatem, sicut Leonistae zelant infidelitatis errorem.* Item: *V. et N. T. vulgariter transtulerunt et sic docent ac discunt. Vidi et audivi rusticum idiotam, qui Job recitavit de verbo ad verbum et plures alios, qui totum N. T. sciverunt perfecte. 4. Constantia.* Licet enim passim extremis suppliciis ob confessionem praecipiti (ut loquitur Chronicon Hirsaugiense) sententia adjudicarentur, non tamen destiterunt ex professo contra papam docere et veritatem coelestem asserere et arguere Romanae ecclesiae idololatriam in missa et mortuorum sanctorum religiosa invocatione, superstitionem in delectu ciborum et dierum, primatum papae aliasque corruptelas. ** Rainerius in summa ante trecentos annos confecta de Waldensibus sic scribit: *Inter omnes sectas, quae sunt vel fuerunt, non est perniciosior ecclesiae* (Romanae apostaticae) *quam pauperum de Lugduno tribus de causis: primo quia diuturnior; quidam enim dicunt, quod duraverit a tempore Silvestri, alii a tempore apostolorum deducunt; secundo, quia generalior, fere enim nulla terra est, in qua haec secta non serpat; tertio,* XI. 203.
quod omnes aliae cum immanitate in Deum horrorem inducant, haec sola Waldensium seu Leonista-

Digitized by Google

rum magnam habeat speciem pietatis, *quod coram hominibus juste vivant et bene omnia de Deo et omnes articulos credant*, *qui in symbolo continentur*, *solam Romanam ecclesiam blasphemant et oderunt dicentes*, *eam esse ecclesiam malignantium et meretricis*, *quae sedet super bestiam in Apocalypsi et quod defecit sub Sylvestro, cum venenum temporalium est in ecclesiam infusum. Dicunt etiam, papam esse caput omnium errorum, vocantes coecos praelatos*, *religiosos Pharisaeos, hos dicunt plenos superbia et avaritia* etc. Haec refert ex Rainerio Flacius in catalogo testium veritatis. Idem ex Jacobo de Rebiria tale de illis testimonium adducit: *Waldenses sive Lugdunenses diu primum locum tenuisse in Gallia Narbonensi*, *Albiensi*, *Ruthena*, *Cadurcensi Agennensique dioecesibus celebris est fama, eoque tempore nullo aut parvo in pretio fuisse eos, qui se sacerdotes*, *episcopos et ministros ecclesiae dici volebant; indigni enim omnes ac rerum omnium paene ignari cum essent*, *facile illis fuit eruditione et doctrina praecellentibus primas in populo partes sibi vendicare. Ex quibus cum prae ceteris Waldenses acutius de religione disputarent, admittebantur saepe a sacerdotibus publice docendi causa, non quod eorum sententiae sibi probarentur*, *sed quod Waldensibus ingenio pares non essent* etc. Ibidem ex fragmentis librorum inquisitoriorum probatur, *doctrinam Waldensium per Lombardiam, Alsatiam, totum tractum Rhenanum, Belgium, Saxoniam*, *Pomeraniam*, *Borussiam*, *Poloniam*, *Livoniam*, *Sueviam*, *Silesiam*, *Bohemiam*, *Moraviam*, *Calabriam et Siciliam longe lateque fuisse propagatam.* Vocabantur a Pontificiis per contemtum
XI. 264. *Waldenses*, *Albigenses*, *Albigrisei*, *Pauperes de Lugduno et Insabbatati;* in Bohemia vocabantur *Taboritae.* Confessionem illorum scripto comprehensam se vidisse scribit Flacius anno 1431. eamque cum Protestantium confessione penitus convenire testatur. Qui Merindoli, Agriae, Costae et in vicinis urbibus habitabant, ediderunt confessionem suam eamque Francisco regi exhibuerunt, in qua continentur hi articuli: *1. Solis sacris literis credendum esse in iis*, *quae ad salutem pertinent*, *et nulli praeterea homini aut scripto.* *2. Sacras literas*
XI. 265. *integre continere omnia ea*, *quae ad salutem necessaria*, *eoque nihil penitus recipiendum aut admittendum in religione esse, nisi id solum, quod Deus nobis in sacris literis praecepit. 3. Unum esse tantum mediatorem*, *nec invocandos sanctos ulla ratione. 4. Purgatorium nullum esse, sed omnes homines vel per Christum justificatos in vitam aeternam, vel non credentes in aeternum exitium abire*, *tertium aut quartum locum superesse nullum. 5. Tantum duo sacramenta esse*, *baptismum ac communionem. 6. Omnes missas et praecipue eas*, *quae pro mortuis canuntur*, *impias ac proinde penitus abolendas esse. 7. Omnes traditiones humanas rejiciendas vel certe pro necessariis ad salutem haudquaquam habendas esse; eoque tollendum esse cantum et recitationem officii*, *jejunia ad dies certos alligata*, *superflua festa*, *discrimen ciborum*, *tam varios gradus ac ordines sacerdotum*, *monachorum ac monacharum*, *varias benedictiones seu consecrationes creaturarum*, *vota*, *peregrinationes et aliam omnem turbam rituum ac ceremoniarum ab hominibus inventarum seu excogitatarum antiquandam esse. 8. Primatum papae super omnes ecclesias*, *cumprimis potestatem ejus super omnes politias seu utramque ejus gladium negandam*, *nec alios gradus sacerdotales in ecclesia retinendos esse praeter sacer-* XI. [illegible]
dotum, diaconorum et episcoporum. 9. Communionem sub utraque specie et piam et necessariam esse, *utpote a Christo ordinatam et praeceptam. 10. Romanam ecclesiam esse Babylonem, de qua in Apocalypsi; papam esse omnium errorum fontem et verum Antichristum. 11. Indulgentias esse rejiciendas. 12. Conjugium sacerdotum pium ac necessarium esse in ecclesia. 13. Verbum Dei audientes ac recte sentientes ecclesiam ejus esse, eique ecclesiae claves a Christo datas*, *eoque etiam posse ac debere lupos fugare et veros bonosque pastores Christi vocare et eorum vocem audire ac ab illis sacramenta percipere.* Thuanus lib. 5. histor. docet, *illos hanc fidem a majoribus accepisse et per aliquot annorum centurias docuisse*, ac ex cardinali Sadoleto addit, *reliqua*, *quae Waldensibus affinguntur*, *per invidiam illis affingi.* Observat etiam hanc esse veram causam, quare Luthero doctrinam reformatam proponenti tam multi in diversis ac dissitis locis per universam Europam sese conjunxerint. Vide Wesenb. in orat. de eccles. Waldens.

Eccles. Graeca.

Graeca ecclesia itidem pontificis fastum ac dominationem semper improbavit atque adhuc quotannis dominica Quadragesimae illum excommunicat. Refert Joh. Mandevilla lib. 1. c. 17. Johannem XXII. pontificem Romanum prolixe scripsisse ad Graecos, *unicam tantum esse Christi ecclesiam, cujus sit ipse caput universale*, *Christi in terris vicarius unicus*, *quem et ipsi agnoscere debeant.* Rescriptum vero ab istis fuisse: *Potentiam tuam summam erga tuos subditos firmiter credimus*, *superbiam tuam summam tolerare non possumus*, *avaritiam tuam explere non valemus. Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Cumque ad concilium Lateranense ex Graecia missi legati religionis dispendio societatem ecclesiae occidentalis emissent ac in capita quaedam Romanae fidei consensissent, domum reversi exilio partim spontaneo, partim excommunicationis fulmine in se vibrato, poenam hujus instituti sui ab ecclesia orientali luere coacti fuerunt. Proinde si vel maxime sub papatu nulla fuisset Christi ecclesia (cujus contrarium ostendimus superius), non tamen prorsus in mundo exspirasse aut defecisse ecclesia Christi dicenda foret. Occidentem enim duntaxat Antichristianum papae regnum occupavit, in orientem vero nunquam pervasit, ne illis quidem temporibus, quibus orientale Christianorum imperium fatiscere coepit, quin imo si amplitudine provinciarum et regnorum aut hominum numero decertandum fuerit, non desunt testes fide digni, qui per-

Digitized by Google

hibeant, duplo, vel etiam triplo superatam fuisse ab orientali ecclesia occidentalem iis etiam temporibus, quibus papatus in ἀκμῇ sive vigore fuit. Quamvis vero Graeca ecclesia non sit ab omnibus omnino erroribus immunis, tamen non est demersa in tantam idolomaniae et errorum voraginem, qua Romana est absorpta. Ut enim constat ex actis Tubingensium cum Jeremia patriarcha Constantinopolitano, hodierna ecclesia Graeca damnat primatum pontificis Romani (qui errorum papalium est fundamentum facile primarium), agnoscit majestatem divinam Christo secundum carnem esse datam, negat purgatorium, recipit communionem sub utraque specie etc. improbat missas privatas et sacrificia pro defunctis, in sacris utitur lingua vernacula, approbat conjugium sacerdotum etc. Altera classis complectitur *imperatores et reges*, unctos illos Domini, quorum bene multi papali tyrannidi sese opposuerunt. *Carolus Magnus* in concilio Francofurtensi idololatricum imaginum usum aliasque Pontificias superstitiones quatuor libris editis redarguit circa annum 800. Filius ejus *Ludovicus* ac postea *Otto* jus eligendi pontificem ad imperatorem revocavit et Johannem XII. deposuit Leone VIII. illi substituto. *Henricus III.* cum tres pontifices tanquam vultures de praeda digladiarentur, armata manu in Italiam profectus omnes abdicavit et alium creavit, nempe episcopum Moguntinum circa annum 1047. Gregorio VII. quem vocant Hildebrandum, opposuit se

I. 267. *Henricus IV.* qua de re Benno in vita Gregorii et ἀνώνυμος auctor, qui vitam Henrici descripsit, late disserunt. *Fridericus II.* in epistola ad Ottonem ducem Bavariae apud Aventinum lib. 7. conqueritur, ***Romanos pontifices auctos divitiis et dignitate a se ac ceteris imperatoribus aemulos esse pertinacissimos omnium regum atque principum, neque pacem ultra ferre posse, manibus, pedibus, noctes atque dies id eos conari, ut non tam se quam sacrosancto Romano imperio tanquam capite oppresso facile ceteris membris omnibus servitutem imponant; affectare eos dominationem atque divinitatem, nempe ut ab omnibus haud aliter, imo magis quam Deus timeantur; multos Antichristos inesse Romanensibus*** etc. *Ludovicus IV.* de papa Johanne XXII. scripsit: ***Me haereticorum fautorem falso vocat, Christianus sum. At ipse haeresiarcha est. Ut Antichristus non sit, tamen ejus antecursorem atque anteambulonem esse necesse est.*** *Philippus Pulcher* Galliae rex Bonifacio VIII. scripsit hac literarum forma: ***Philippus Dei gratia Francorum rex Bonifacio se gerenti pro summo pontifice salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, ecclesiarum et praebendarum collationem ad nos jure regio pertinere. Secus autem credentes fatuos et dementes reputamus.*** Horum vestigiis institerunt *Henricus V.*, *Fridericus Barbarossa*, qui Romam anno Christi 1166. expugnavit, *Otto IV.*, *Henricus VII.* etc. imperatores; *Childericus III. Carolomannus, Ludovicus XII.* Galliae reges; *Johannes et Eduardus III.* Angliae, aliique plurimi heroës fortissimi, de quibus videantur scripta Melchioris Goldasti Heimingsfeldii. Quo referenda etiam centum illa gravamina, quae proceres imperii Romani in comitiis Norinbergensibus anno 1523. congesserunt ac pontifici Romano Adriano VI. transmitti curarunt. Exstant illa in scripto Flacii contra invectivas cujusdam Bruni et apud Wolffium centen. 16. p. 202. et seqq. Tertiam classem occupant *doctores et martyres*, qui errores et abusus in ecclesiam invectos taxarunt, quorum aliquos Catalogus testium veritatis, Centenarii Wolffii, auctores historiae ecclesiasticae Magdeb. etc. commemorant, sed longe plures adduci possent, nisi papae injuria et hominum incuria illorum scripta exstinxissent.

Operatores ac reges papali tyrannidi obsistentes. — Confessores ac martyres.

180. Quoties igitur Pontificii novitatem, haeresin, schisma ac secessionem ab ecclesia nobis objiciunt, promtum adest responsum, nos nec a fide catholica, nec ab ecclesia catholica recessisse, sed erroribus, idolomaniis ac superstitionibus in ecclesiam invectis retenta fide catholica nuntium misisse. Quin imo tantum abest, ut a fide ecclesiae catholicae desciverimus, ut ne quidem a fide Romanae ecclesiae discesserimus, quatenus illa cum vetere catholica et apostolica fide consentit. Fatemur, nos a capitibus fidei Romanae hodiernae non paucis discessisse, sed haec non est defectio a fide veteri catholica, sed potius ad fidem catholicam pristinam, quae in Romana ecclesia novis inventis, superstitionibus et additamentis multipliciter deformata est, reversio et ad unicum fidei magistrum Christum conversio. *Exivimus e Babylone* obsecuti mandato divino Apoc. 18, v. 4. nequaquam vero ab ecclesia catholica nos separavimus. Jubetur populus Dei egredi e Babylone, hoc est ex ecclesia Romana, ergo populus Dei, hoc est vera ecclesia, diu latuit in ipsa ecclesia Romana, sicut triticum latet in paleis, aurum in scoriis. Quamvis papismus publicum ecclesiae Romanae ministerium occupaverit et horribiliter corruperit, reservavit tamen sibi Deus populum, qui ex verbo suo ipsum cognovit, nomen ejus invocavit et recte ipsum coluit, sicut tempore Eliae, Jeremiae, Christi et apostolorum factum est, ubi illi quidem, qui erant in ordinaria successione ac titulo ecclesiae superbiebant, non erant vera ecclesia, sed synagoga malignantium ac legem Dei pervertentium, interim tamen in media illorum colluvie aliqui vere fideles latebant soli Deo cogniti, *qui etiam novit, qui sint sui* 2. Tim. 2, v. 19. Cum Antichristus longe lateque in ecclesia dominaretur, II. 268.
conservatus est Dei gratia *baptismus*, conservatus *codex biblicus*, *symbolum apostolorum* et *quaedam doctrinae capita incorrupta*, per haec media Deus quosdam regenuit et servavit ad vitam aeternam, sicut etiamnum hodie in medio Antichristi regno Deus sibi servat aliquas reliquias *illorum, qui observant mandata et retinent testimonium Jesu Christi.* Proinde coetus Christianorum propter illam papae dominationem ac tyrannidem ac propter corruptelas publico ministerio invectas non desiit vocari et esse

Digitized by Google

ecclesia, sed erat ac dicebatur *civitas dilecta et castra sanctorum* Apoc. 20, v. 9. ac *populus sanctus* Dan. 7, v. 21. videlicet synecdochica appellatione propter fideles et electos in eo adhuc residuos, sicut olim populus Judaicus etiam in corruptissimo ecclesiae statu dicebatur *populus Dei* facta denominatione a parte non quidem majore, sed meliore, ac Hierosolyma dicebatur *civitas sancta* Matth. 4, v. 5. propter electos in ea adhuc reliquos. Quod autem de Romana ecclesia dicimus, id de Judaeis, Turcis ac gentilibus dici nequit, quod scilicet inter eos conservata sit et adhuc conservetur ecclesia latens et abscondita, cum inter eos nulli sint salvandi, in illa vero supersint Scripturae sacrae, baptismus, decalogus, symbolum apostolorum, historia passionis Dominicae etc. per quae media Spiritus sanctus ad quorundam regenerationem et salutem efficax est. Negari sane nequit, haec sana doctrinae capita perversis interpretationibus, erroneis additionibus ac superstitiosis observationibus in papatu fuisse corrupta, sed potuit nihilominus Spiritus s. per illud, quod fuit sanum et divinum, ad quorundam hominum conversionem in illorum cordibus efficaciter operari, ut lolio et scoriis rejectis sanae doctrinae triticum et aurum amplecterentur obsecuti hac in parte mandato divino Jer. 15, v. 19: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Haec separatio D. Lutheri ministerio publice et solenniter tandem facta est. Erat in papatu pretiosum, videlicet Scripturae sacrae, baptismus, symbolum apostolorum etc. erat etiam in eo vile, videlicet prava Scripturae interpretatio, traditiones humanae, superstitiones, errores, idololatria etc. illud erat Dei, hoc vero papae; illud Christi, hoc vero Antichristi. Lutherus igitur pretiosum a vili, divinum ab humano, Christianum ab Antichristiano, verum a falso, genuinum ab adulterino separavit, illo retento, hoc vero abjecto; proinde non discessit ab ecclesia catholica, nec a fide veteri catholica, sed ecclesiam et fidem a corruptelis, erroribus ac superstitionibus in eam invectis ac superadditis repurgavit. Non a Christo, sed a papa in Antichristum converso; non a Dei verbo, sed humanis glossis et traditionibus; non ab ecclesia catholica, sed ab illis, qui tyrannicum in ecclesia dominatum exercebant, secessionem fecimus, nec triticum, sed lolium ex agro Dominico revulsimus; eccur igitur novatores schismatici, factiosi ac haeretici audire debeamus? ** Quando ecclesia apostasiae partiali nuntium mittit per conversionem ad religionis sinceritatem et ecclesiae congeneris in defectione ista perseverantis, quoad pravitatem fidei communionem deserit, non fit ἄλλη, alia, sed ἑτέρα, altera, non nova exsistit, sed renovatur, quia scoriam tantum ab auro separat, quod autem pretiosum est, retinet; pestem ecclesiae apostaticae fugit, non ecclesiam. ** Vergerius in dialog. 4. cont. cardin. Hosium tom. 1. operum f. 237. illud declarat tali similitudine: *Si contingeret, ut nonnulli ex senatoribus Venetis occupata illic perpetua dictatura conculcatisque legibus summam rerum ad se traherent et pro libidine regnantes cogerent reliquos turpiter servire, postquam autem eam tyrannidem per aliquot menses exercuissent, Deus misisset occasionem, qua respublica ejectis tyrannis pristinam libertatem inciperet recuperare atque gloriam, an non explodendi et exsibilandi essent tyranni, qui de civibus enitentibus reipublicae libertatem instaurare et honestas leges in usum revocare, ad hunc modum conquererentur: Cur praeciditis vos a nostro dominatu? cur a reipublicae gremio disceditis? sic et* XI. **
nos non discedimus ab ecclesia Christi, imo cupimus eam in libertatem vendicare instauratamque, cum ab illis unctis et rasis fuerit diu misere oppressa et paene deleta, sed ab istis, qui eam oppresserant, discedimus.

SECTIO IV.

DE QUARTA ECCLESIAE NOTA A BELLARMINO ASSIGNATA, VIDELICET AMPLITUDINE SIVE MULTITUDINE ET VARIETATE CREDENTIUM.

De amplitudine ecclesiae.

181. *Membrum primum.* Sitne amplitudo sive multitudo credentium genuina et propria ecclesiae nota? Amplitudo vel conjunctam habet doctrinae veritatem, vel ab ea est sejuncta. Amplitudo absque vero doctrina non potest esse ecclesiae nota, quia non quaevis multitudo hominum, sed multitudo veram et catholicam fidem profitentium constituit ecclesiam catholicam, unde ipse Bellarminus lib. 3. de eccles. mil. c. 2. sic definit ecclesiam, quod *sit coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione colligatus.* Ergo necessario cum amplitudine conjungenda est vera et catholica fides, absque qua multitudo etiam maxima non constituit ecclesiam. Quodsi fides et doctrina catholica facit amplitudinem ecclesiae notam, ergo multo magis ipsa fides et doctrina catholica est ecclesiae nota, quae est nostra eademque immotae veritatis sententia. Sic ergo contra hanc notam argumentamur: 1. Quaecunque nota rei alicui non convenit perpetuo ac semper, ea non est genuina et propria illius nota. Ratio est manifesta ex definitione proprii. Atqui amplitudo non convenit perpetuo ac semper verae ecclesiae. Ergo non est genuina et propria illius nota. Assumtum constat ex historia ecclesiae tam V. quam N. T., quam percurrimus superius §. 94. In principio ecclesia fuit valde exigua, quod non possunt negare adversarii. Sive enim de ecclesia V. T. loquamur, illa coepit ab Adamo et Eva duobus in mundo hominibus; si de ecclesia N. T. loquamur, illa angustis Hierosolymitanae urbis limitibus fuit inclusa, antequam in universum orbem propagaretur. Sub finem mundi itidem exiguus erit ecclesiae coetus Matth. 24, v. 11: *Multi pseudoprophetae surgent et seducent multos.* Luc. 18, v. 8: *Cum venerit Filius hominis, num inveniet fidem in terra?* 2. Petr. 2, v. 1: *Erunt in*

(Margin notes: An amplitudo sit nota ecclesiae. — Argumenta sententiae negantis.)

Digitized by Google

vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis; v. 2: et *multi sequentur illorum luxurias,* ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις, vel, ut alii codd. legunt ἀπωλείαις, *exitialia illorum dogmata.* 2. Quaecunque nota non convenit rei alicui soli, ea non est genuina et propria illius nota. Ratio itidem pendet ex definitione proprii. Atqui amplitudo non convenit soli verae ecclesiae. Ergo non est genuina et propria ecclesiae nota. Assumtum constat ex historia ecclesiae. Cainica ecclesia ante diluvium amplitudine et numero professorum superavit veram ecclesiam patriarcharum; baaliticae idololatriae defensores et approbatores numero vicerunt vere fideles, Eliae et reliquorum prophetarum doctrinae adhaerentes; synagoga Judaica incomparabiliter fuit amplior coetu illorum, qui Christo docenti adhaerebant; Arianismus caput extollebat supra doctrinae catholicae assertores. Quid de Antichristi doctrina et regno dicemus? 2. Thess. 2, v. 9: *Adventus ejus est secundum operationem Satanae in omnis generis virtute et signis et prodigiis mendaciis,* v. 10: *et in omnis generis seductione iniquitatis in illis, qui pereunt, eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent;* v. 11: *ideo mittet illis Deus* ἐνέργειαν τῆς πλάνης, *efficaciam erroris, sive efficaces errores, ut credant mendacio.* Apoc. 13, v. 8: *Admirata est tota terra bestiam et adoraverunt eam omnes, qui inhabitabant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae;* v. 14: *seducit habitan-*
. 270. *tes in terra propter signa, quae data sunt illi facere.* Apoc. 17, v. 1: *Meretrix magna sedet super aquas multas,* v. 2: *cum qua fornicati sunt reges terrae et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus;* v. 15: *aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguae.* Apoc. 19, v. 2: *Meretrix magna corrupit terram in prostitutione sua.* Ex quo manifeste apparet, falsum esse, quod Bellarminus in hoc ipso cap. §. *Denique* subjungit, *sectas haereticas nunquam totum orbem aut certe dimidiam ejus partem occupasse.* Item, *sectam Muhamedis cum haeresibus Nestorii et Eutychetis, quae adhuc vigent in oriente, nunquam ad occidentem transiisse.* Atqui oblitus videtur Arianismi, qui tam in occidente quam oriente longe lateque fuit dominatus. Gothi Italiam vastantes erant Ariani, Theodoricus de Berna in occidente regnans erat Arianus. Quin et ipse Liberius pontifex Romanus Arianismo subscripsit. Oblitus videtur regni Antichristiani, sub quo publica religionis sacra ubivis cessatura alibi fatetur. Muhamedismi secta amplior est, quam Christianorum ecclesia in omnibus mundi partibus; Judaismus in occidentem et orientem se effudit etc. 3. Cujus contrarium de vera ecclesia praedicatur, illud non potest esse nota ecclesiae. Atqui contrarium amplitudinis de vera ecclesia praedicatur. Ergo amplitudo non potest esse verae ecclesiae nota. Assumtum probo Esa. 1, v. 8: *Quod reliquum est de filia Sion, id instar tugurii est, qualia sunt in vineis, et instar tugurioli, in quo pernoctant in cucumerariis hortis, et sicut urbs vastata.* v. 9: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.* c. 6, v. 13: *Erit sicut ilex aut quercus, quae licet projiciant folia et ramos, tamen truncus illis manet. Semen sanctum erit truncus ille.* Zephan. 3, v. 12: *Derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini.* Luc. 12, v. 32: *Noli timere, pusille grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* 4. Quod ecclesiae accidit et mutabiliter inest, id non potest esse genuina et propria illius nota. *Verae enim notae sunt inseparabiles a vera ecclesia,* scribit Bellarminus libr. 4. de eccles. c. 2. §. 10. Atqui amplitudo accidit duntaxat ecclesiae et mutabiliter ei inest, vera enim ecclesia quandoque est ampla, quandoque exigua. Ambrosius lib. 4. hexaëm. c. 8: *Ecclesia sicut luna defectus habet et ortus frequentes, sed defectibus suis crevit et his meruit ampliari.* Ergo amplitudo non est genuina et propria ecclesiae nota. ** Ineptus esses, si lumen, quod radios suos non diffunderet, eo quod inter parietum angustias vi contineretur, contemneres aut tenebris ipsis simile diceres. Talis es, qui sinceritatem et evangelii lucem a plurimis vi et clausis quodammodo foribus ejectam ac paucorum pectora illustrantem despicis. ** 5. Pertinent huc dicta patrum. Justinus in qq. et resp. ad orthod. q. 1, ad quaestionem, *Cur orthodoxi et recte sentientes soli Deo grati Graecis, Judaeis et haereticis omnibus non modo numero non pares, sed etiam pauciores sint?* respondet: *Dictum est de orthodoxorum paucitate aliquando, multi sunt vocati, pauci vero electi, aliquando quod angusta et arcta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Tertullianus de pudicit. c. 1: *Quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur.* Nazianzenus serm. de se ipso contra Arianos in princ.: *Ubinam illi sunt, qui multitudine ecclesiam definiunt et gregem exiguum aspernantur,* οἱ τῷ πλήθει τὴν ἐκκλησίαν ὁρίζοντες καὶ τὸ βραχὺ διαπτύοντες τὸ ποίμνιον; *qui divinitatem metiuntur plebemque appendunt, qui arenam in pretio habent et ipsa mundi lumina contumelia afficiunt, qui denique conchas aggerunt et margaritas contemnunt* etc.? *Hi domos habent, nos inquilinum; hi templa, nos Deum; idque praeterea, quod Dei vivi templa simus, victimae vivae, holocausta spiritualia; hi vulgus habent, nos angelos; hi temeritatem et audaciam, nos fidem; hi minas, nos preces et orationes; hi aurum et argentum, nos repurgatam fidei doctrinam.* Basilius lib. de Spiritu sancto c. 30: *Docuerunt nos et pueri* XI. 271.
in Babylonia, etiamsi nemo sit, qui suffragetur, tamen per nos ipsos, quod ad nos pertinet, facere, qui sane ex media flamma Deum collaudaverunt non considerantes multitudinem reprobantium veritatem, sed se ipsis contenti, cum tres essent. Athanasius in discept. adversus eos, qui in veritate dijudicanda solius judicio multitudinis feruntur tom. 2. p. 247: *Non audiemus Dominum dicentem: Multi sunt vocati, pauci vero electi? Et iterum: Angusta*

Digitized by Google

est porta et stricta via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam? Quis igitur sana mente praeditus non malit in pauciorum esse numero per angustam ad salutem ingredientium, quam associari multis illis per latam ad interitum ruentibus? Chrysostomus homil. 40. ad popul. Antioch.: *Quaenam, precor, utilitas est, multum esse foenum potius, quam paucos lapides esse pretiosos? non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. Elias unus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui rependeretur ipsi.* Vide ibidem plura, uti etiam homil. 26. praecedente. Hieronymus lib. 3. advers. Pelagian p. 310. sub nomine Attici ad Critobulum Pelagian.: *Multitudo sociorum nequaquam te catholicum, sed haereticum esse monstrabit.* Augustinus in Psalm. 39: *Si justus es, noli numerare, sed appende; stateram affer aequam, non dolosam, quia justus appellatus es. Videbunt justi et timebunt, dictum est de te. Noli ergo numerare turbas hominum incedentes, latas vias, implentes crastinum arcum, civitatis natalem clamando celebrantes, civitatem ipsam male vivendo turbantes. Noli ergo illos attendere. Multi sunt, et quis numerat? pauci autem per viam angustam incedunt. Profer, inquam, stateram, appende. Vide contra pauca grana, quantam paleam leves.* Vide etiam enarrat. Psalm. 128. Arnobium lib. 3. advers. gent. p. 122: *Non enim stare sine assertoribus non potest religio Christiana, aut eo esse comprobabitur vera, si adstipulatores habuerit plurimos et auctoritatem ab hominibus sumserit. Suis illa contenta est viribus et veritatis propriae fundaminibus nititur, nec spoliatur vi sua, etiamsi nullam habeat vindicem, imo si linguae omnes contra faciant contraque nitantur et ad fidem illius abrogandam consensionis unitae animositate conspirent.* Cum Constantinus imperator Arianus ad Liberium Athanasio adhaerentem diceret: *Quota pars tu es orbis terrarum?* respondit ei Liberius: *Non diminuitur solitudine mea verbum veritatis, nam olim tres solum inventi sunt, qui edicto resisterent,* Theodoretus lib. 2. histor. eccles. c. 16. ** Caecilianus apud Arnobium lib. 8. contra gentes objicit, *coetum Christianorum esse collectum ex ultima fece imperitorum et mulierum, latebrosam et lucifugam nationem, in publico mutam, in angulo garrulam.* Theodoretus in opusculis Athanasii nomine editis tom. 2. Eutychianos notat *τοὺς πλήθει μόνῳ τοῦ λόγου τὴν ἰσχὺν ἀπονέμοντας, soli multitudini vim rationis vendicantes*, objiciens, *immensum semper esse veritatis robur, κἂν παρ' ὀλίγοις εὑρίσκηται, quantumvis apud paucos reperiatur.*** 6. Accedit confessio ipsorum adversariorum. Nicolaus I. in epistola ad Michaelem imperatorem: *Numerus pusillus non obest, ubi abundat pietas, nec multiplex prodest, ubi abundat impietas. Nolite ergo gloriari in multitudine, quia non multitudo, sed causa damnationem vel justificationem adducit.* Francisc. Sonnius episcopus Antwerpensis in libr. demonstrat. relig. Christian. tract. 8. c. 3: *Quantum obsecro nunc patet per orbem habitabilem ecclesia catholica? vix tres ulnas longum comparatione ejus vastitatis, quam possidet synagoga Satanae.* Francisc. Ribera in comment. c. 13. Apocalyps.: *Significat apostolus his verbis (adoraverunt bestiam omnes qui inhabitant terram) infinitam multitudinem eorum, qui Antichristo adhaerebunt.* Gregorius de Valent. in anal. de eccles. pag. 13. agnoscit, argumentum a multitudine et consensione hominum ductum *non esse prorsus ex suo genere infallibile.* **Idem in anal. pag. 134. fatetur, *posse veram Christi ecclesiam interdum ad paucos redigi.* pag. 143. *Christi ecclesiam interdum in carceribus et speluncis quaerendam.*** Pistorius in causis mutatae religionis a Marchione Badensi agnoscit, tempore *grassantis Arianismi ecclesiam tantum professione* II. [illegible]
et conscientia permansisse, ac majorem Arianorum quam recte sentientium multitudinem fuisse. Alphonsus Salmeronius tom. 12. comment. in evang. histor. et Acta tr. 9. super verba Actor. 1. *erat autem turba hominum fere centum et viginti* p. 46: *Vides, quam parvo numero tunc exsisteret ecclesia, quae tamen mox in omnes mundi partes et gentes propaganda erat. Veritas enim ecclesiae Dei in multitudine non consistit, ut primitiva docet, nec rursus in paucitate, in qua Donatistae gloriabantur contra eam, quae Augustini tempore totum mundum implebat, nec in opibus, aut pompa et potentia mundi; sed in verbo Dei et veritate doctrinae a Christo acceptae et legitimis ejus sibi invicem succedentibus ministris, sive tales multi sint, sive pauci, sive opulenti, sive pauperes.* Haec omnia Salmeron. Bellarminus ipse scribit lib. 4. de eccles. c. 5. §. In omni, *Christi ecclesiam fuisse initio exiguum aliquem coetum, unde paulatim aliis accedentibus coeperit.* Et postea, *initio fuisse multo pauciores Christianos, quam essent Judaei, cum separatio facta est.* Quodsi ecclesia Christi fuit initio exigua et pauciores fuerunt Christiani quam Judaei, utique amplitudo non est ecclesiae nota. Ac novissime Becanus in disputatione de vocatione ministrorum Viennae anno 1616. instituta thes. 57: *In V. T. infiniti prope homines adhaerebant falsis prophetis, tamen inde non poterat colligi, vel ipsos a Deo missos, vel eorum vaticinia divinitus fuisse inspirata* (et per consequens, coetum ab illis collectum non fuisse veram ecclesiam.)

182. Quomodo vero probat Bellarminus, amplitudinem esse ecclesiae notam? *1. Ecclesia vere catholica* (inquit) *non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnium hominum genera, sic enim explicat, quid sit catholicum esse, Vincentius Lerinensis in suo commonitorio, ubi dicit, eos proprie esse catholicos, qui tenent id, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.* **Jac. Reihingius mur. Babyl. fund. 11. pag. 298: *Sunt doctores fidelibus pauciores, illi tamen audiendi, quorum auditores multo plures sunt. Multitudo fidelium meliores nobis ostendit doctores.*** Respondemus: 1. Si catholi-

Argumenti Bellarmini amplitudinis 1. Ecclesia et catho[lica]

Digitized by Google

cum illud demum agnoscendum, quod simpliciter et absolute loquendo ab omnibus omnium temporum et locorum hominibus tenetur, tum nihil erit catholicum, quia non potest inveniri talis omnium hominum in una aliqua religione consensus. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, ideo hasce observationes addit, *ut ecclesia sit catholica, non requiri, ut sit in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum ut innotescat omnibus provinciis et in omnibus fructificet, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de ecclesia.* Item, *non requiri, ut hoc fiat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse oporteat aliquos fideles, satis enim esse, si fiat successive. Ex quo id sequitur* (inquit), *quod si una sola provincia retineret veram fidem* (nota optime), *adhuc vere et proprie diceretur catholica, dummodo clare ostenderetur, eam esse unam et eandem cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo.* Haec Bellarminus, quae manifeste ostendunt, nequaquam requiri ad ecclesiae catholicismum, ut quovis in loco ipso actu inveniatur, atque ut omnes nationes et provinciae simul et uno tempore illi accedant, sed *ecclesiam nihilominus esse et manere catholicam, si vel una provincia veram et catholicam fidem retineat*, quod ipsum agnoscit etiam Georg. Schererus in epit. postill. de temp. p. 175. Id vero probe notare jubemus, ex eo enim manifestum est, amplitudinem illam non ex locorum et provinciarum numero, sed ex fide catholica aestimandam esse. Vidit hoc Becanus, ideo tract. de ecclesia quaest. 1. concl. 4. pag. 59. Bellarmino aperte contradicit scribens: *Utrumque praedictum in Scripturis, nempe ecclesiam Christi et diffun-*
XI. 273. *dendam in toto orbe, et perpetuo mansuram in toto orbe, nec unquam constringendam ad unam aliquam partem aut nationem. Hunc sensum urget Augustinus contra Donatistas.* Et pag. 73: *Nunquam futurum est, ut ecclesia sit in hac vel illa parte, sed perpetuo mansura est in toto orbe usque ad finem mundi.* 2. Si catholicum illud dicendum, quod plures amplectuntur, quod major pars hominum diversis locis ac temporibus viventium probat, nulla religio magis erit catholica quam Atheismus, Epicureismus, Lucianismus et hominum perditorum gastrolatria, catholicissimae erunt falsae de Deo opiniones, idololatria, mendacia etc. haec enim omnium terrarum et nationum orbem pervagantur. In hac quoque significatione Muhametistae pro catholicis sese venditare possent, quia Muhametismus provincias, regiones ac regna vastissima in oriente occupavit. Matth. 7, v. 13. Luc. 13, v. 24. inquit Christus: *Contendite intrare per angustam portam, quia lata est porta et spatiosa via, quae abducit in exitium, et multi sunt, qui ingrediuntur per illam; contra vero angusta porta est et arcta via, quae ad vitam ducit et pauci sunt, qui inveniunt illam.* Ergo si ex sola amplitudine et numero judicandum, via ad interitum magis catholica, et qui eam ingrediuntur, magis catholici erunt dicendi. Pagani tempore apostolorum vere poterant gloriari, quod teneant id, quod a pluribus omnium locorum et temporum hominibus fuerit creditum, ergone illi dicendi fuissent Catholici? 3. Ex quo liquidissime apparet, Vincentii Lerinensis definitionem esse hoc modo intelligendam. *Catholicum est, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus tenetur*, scilicet recte sentientibus, Scripturam sequentibus et verae fidei adhaerentibus. Si ex sola et nuda hominum multitudine ecclesia catholica esset aestimanda, consequens foret, eam non semper esse catholicam, quia ad ingentem paucitatem aliquando contrahitur. Sed ecclesia semper est et manet catholica etiam tum temporis, quando multitudine adhaerentium a synagoga Satanae superatur. Mansit catholica tempore cataclysmi, cum tamen propemodum parietibus privatae domus Noahi clauderetur; mansit catholica sub patriarchis, cum idololatria gentilis longe lateque grassaretur; mansit catholica, cum intra Palaestinae fines coarctaretur; mansit catholica sub Elia, qui conquerebatur, se solum esse ex veris Dei cultoribus relictum superstitem; mansit catholica tempore nati Christi, ubi fideles erant admodum rari; mansit catholica tempore invalescentis Arianismi, quando longe plures ὁμοούσιον repudiabant quam acceptabant. Dicitur ergo catholica, quia doctrina et fides, quam amplectitur ac profitetur, est catholica, quippe unanimi prophetarum et apostolorum consensu comprobata, quicunque coetus consensum illum tuetur, est vere catholicus. Interim non negamus discrimen illud inter ecclesiam V. et N. T. quod ad illam pertinuerint ordinarie Israëlitae, ceteris gentibus a republica Israëlis et testamentis promissionum abalienatis, praeter paucos, qui cum populo Israëlitico se conjungebant; haec vero sine discrimine ex Judaeis pariter et gentibus colligitur, et omnes omnium locorum ac temporum fideles complectitur, in qua significatione non amplius habetur respectus ad internum fidei et doctrinae catholicismum, qui et V. et N. T. ecclesiae communis est, per quem utraque ecclesia a sectis haereticorum et coetibus infidelium distinguitur, sed ad externum locorum et temporum catholicismum, qui ecclesiae N. T. proprius est, per quem ab ecclesia V. T. distinguitur. 4. Juxta Lerinensis definitionem dogmata Romanae ecclesiae non possunt dici catholica, cum nec *ab omnibus*, nec *ubique*, nec *semper* fuerint credita, uti postea latius ostendemus.

2. In V. T. propagatio ecclesiae in omnes gentes fuit praedicta. XI. 274.

183. 2. Producit Bellarminus vaticinia V. T. *quibus propagatio ecclesiae in omnes gentes per universalem evangelii praedicationem fuit praedicta.* Psalm. 2, v. 8. *Deus Pater ad Filium suum Christum dicit: Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Psalm. 72, v. 8. *De regno Christi praedictum: dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Hisce vaticiniis annectit dictum Christi Luc. 24, v. 47. et Actor. 1, v. 8. ubi praedicit, *evangelium esse praedicandum in omnes gentes initio facto ab Hierusalem.* Re-

Digitized by Google

spondemus: hujusmodi vaticinia in prophetis exstant longe plurima, sed ex illis neutiquam evinci potest, amplitudinem esse propriam et perpetuam ecclesiae notam, 1. quia haec vaticinia eo potissimum tendunt, quod ecclesia N. T. non amplius angustis Judaeae limitibus futura sit inclusa, sed per totum terrarum orbem propaganda. Id vero nemo nostrum negat, sed discrimen illud inter ecclesiam V. et N. T. libenter agnoscimus. 2. Quia haec vaticinia describunt statum ecclesiae N. T. non qualis perpetuo futurus sit, sed qualis tempore apostolorum sit futurus, quod scilicet per evangelii praedicationem omnes gentes ad regnum Christi et ecclesiae consortium sint vocandae. Illa vocatio et ille accursus gentium ad regnum Christi tempore apostolorum sunt completa, *quando in omnem terram exivit sonus eorum* Psalm. 19, v. 5. Rom. 10, v. 18. *et praedicatum est evangelium omni creaturae* Marc. 16, v. 15. *et fructificavit in universo mundo* Col. 1, v. 6. Nequaquam vero ex eo inferri potest, quod semper et omnibus temporibus atque aetatibus ecclesia ipso actu omnibus toto orbe gentibus et populis constare debeat, proinde etiam ex eo inferri nequit, amplitudinem esse perpetuam et propriam ecclesiae notam. 3. Ad complementum illorum vaticiniorum non requiritur, ut omnes gentes evangelium amplectantur, sed sufficit, si aliquae gentes illud recipiant; nec requiritur, ut uno tempore in omnibus nationibus et provinciis praedicetur evangelium, sed sufficit, si praedicatio illa evangelii et propagatio ecclesiae fiat successive, unde recte Bellarminus hoc loco scribit, *ut ecclesia sit catholica, non requiri, ut simul et uno tempore in omnibus provinciis sint aliqui de ecclesia, sed sufficere, si id fiat successive.* Ex quo rectissime infert, *si una aliqua sola provincia retineret fidem, adhuc vere et proprie dici ecclesiam catholicam, dummodo clare ostendatur, eam esse unam et eandem cum illa, quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo.* Quod si haec vera sunt, ut sunt verissima, non amplitudo, sed vera et catholica fides erit propria et immediata causa, propter quam ecclesia dicatur catholica, ac proinde non amplitudo, sed fides erit catholicae ecclesiae nota. 4. Quemadmodum Spiritus sanctus praedixit, tempore apostolorum et seculis illi proximis ecclesiam N. T. fore amplissimam et florentissimam; ita quoque idem Spiritus sanctus praedixit, tempore regnantis Antichristi ecclesiam *fugituram in solitudinem,* Apoc. 12, v. 6. ac fore *paene universalem* quandam a vera fide apostasian, Matth. 24, v. 11. 2. Thess. 2, v. 9. Apoc. 13, v. 8. etc. Quomodo igitur amplitudo potest statui vera et propria ecclesiae nota, cum non sit illi perpetua? 5. Amplitudo ecclesiae Christianae in N. T. pendet ab universali praedicatione evangelii in omnes gentes, ideo enim et inde ecclesia N. T. est amplissima, quia non amplius uni loco exercitium cultus divini est alligatum, sicut in T. V. sed per evangelium omnes gentes ad consortium illius vocantur. Quodsi evangelium est illud ipsum, quod ecclesiam facit amplam, utique magis est nota ecclesiae quam amplitudo. Evangelium est spirituale illud et incorruptibile semen, ex quo diversis in locis generatur ecclesia. Ergo evangelium est causa, ut ecclesia sit et ut ampla sit, proinde etiam est nota propria ac scientifica. Amplitudo est duntaxat accidens quoddam ecclesiae, non quidem proprium et perpetuum, sed mutabile et separabile, proinde etiam non est propria et perpetua nota.

184. *Membrum secundum.* Sitne Romana ecclesia amplissima? Fatemur, ecclesiam Romanam multas occupasse regiones et provincias ac esse satis amplam; interim tamen non ea gaudet amplitudine, propter quam esse ac dici mereatur vere ac proprie catholica. Destituitur enim fide catholica, quae est interna causa et quasi anima ecclesiae catholicae, absque qua externus locorum catholicismus nullius est momenti. Lerinensis definit, catholicum id esse, *quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est,* subintellige secundum normam et regulam verbi, secundum catholicum vere fidelium consensum, secundum catholicas divinae veritatis tabulas, quam limitationem necessario addendam superius ostendimus. Atqui dogmata illa Romanae ecclesiae, quae a nobis repudiantur, non congruunt ad normam verbi, non gaudent catholico vere fidelium consensu, non continentur in catholicis scripturis prophetarum et apostolorum doctrinam explicantibus. Ergo etiam non sunt catholica, et per consequens ecclesia Romana hodierna, quae illa amplectitur, hactenus et hoc respectu non est catholica. Primatus papae, qualem quidem sibi hodie arrogat, num ab omnibus, num ubique, num semper in ecclesia Christiana fuit receptus? Invocatio sanctorum, indulgentiae, communio sub una specie, merita operum etc. num ab omnibus Christianis ubique et semper fuerunt recepta? Neminem arbitror fore tam effrontem et audacem, qui affirmare velit, ac si affirmare conetur, unde demonstrabit? Desinant igitur Pontificii gloriari de amplitudine locali, antequam doctrinae suae veritatem ex tabulis Scripturarum sacrarum catholicam fidem unice continentibus demonstrent, cum localis amplitudo fidei catholicismo destituta non solum falsae haereticorum ecclesiae, sed etiam coetibus profanis, qui plane extra ecclesiam constituti sunt, convenire possit. *Malum quo pejus, eo serpit latius, et virus suum diffundit longius, ut pestis per aëra, gangraena per corpus,* cui malo haeresis recte comparatur 2. Tim. 2, v. 17. c. 3, v. 13. Euseb. lib. 1. hist. eccl. c. 1.

An Romana ecclesia sit amplissima. XI. 275.

185. Sed praeterquam quod fidei catholicismo Romana ecclesia destituitur, ne quidem de locali amplitudine habet, quod nimiopere glorietur. Definit Bellarminus ecclesiam Romanam ex dominio pontificis Romani, ita ut iidem termini ac fines sint ecclesiae Romanae et dominationis Pontificiae. *Ecclesia* (scribit lib. 3. de eccles. c. 2. §. Nostra) *est coetus hominum ejusdem Christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus*

De locali amplitudine Romanae ecclesiae

Digitized by Google

sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani pontificis. Canisius in catechesi eodem fere modo definit, diserte enim addit in definitione, ***ecclesiam sub uno Christi in terris vices gerente pontifice Romano regi et in unitate conservari.*** Papa in decretis etiam eo progreditur, ut ***statuat, omnem creaturam de necessitate salutis sibi subesse.*** Dubitari igitur nequit, particulam illam definitionis sub regimine pontificis Romani esse Romanae ecclesiae essentialem ac necessariam, ita ut quicunque Christiani non agnoscunt Romani pontificis imperium, non sint pro membris ecclesiae Romanae agnoscendi. Jam vero quatuor classes ecclesiarum Christianorum dari possunt, quae Romani pontificis imperium non agnoscunt, ac proinde ecclesiae Romanae vel filiae vel membra statui nequeunt, quarum amplitudinem Romana ecclesia non adaequat. Primam classem constituunt ecclesiae, quae de papa nihil audivere, vel si audivere, homo tamen an monstrum sit, parum pensi habent. Ad hanc classem pertinent ecclesiae complures in Asia, in Cilicia, Armenia, Palaestina, Tartaria et insulis orientalibus, Persia etc. de quibus Paulus Venetus, Aloisus, Cadamaster et ex illis Philipp. Marnixius in discrim. falso dictae cathol. et evangel. relig. parte 3. c. 11. Hujus generis ecclesias etiam invenies in Taurica Chersonensi, in Africa, in Aegypto, in Aethiopia etc. de quibus Franciscus Alvarezius, Damianus a Goës, Paulus Jovius et ex illis Chytraeus in orat. de eccles. Graec. Neander de relig. Tartar. Dresserus in orat. de statu ecclesiarum in
XI. 276. Aethiop. etc. Alteram classem constituunt ecclesiae, quae pontifici Romano ejusque tyrannidi fortiter restitere. Ad hanc classem pertinent ecclesiae Graecae, partim in Asia, partim in Africa sitae, de quibus Chytraeus in orat. dict. tom. 5. doctr. Jesuit. resp. ad crimin. Possev. Tertiam classem constituunt ecclesiae, quae papali tyrannide pressae adduci tamen non potuerunt, ut jugo ejus se submitterent et papales errores approbarent. Ad hanc classem pertinent Waldenses in Gallia, Anglia, Germania, Polonia olim commorantes, de quibus dictum fuit superius. Quartam classem constituunt ecclesiae, quae superiori seculo jugum Pontificiae tyrannidis excusserunt, de quarum amplitudine postea dicetur.

Status ecclesiae Christianae in omnibus mundi partibus.

186. Ceterum ut liquidissime appareat, quid statuendum de gloriatione illa amplitudinis, quae Pontificiis perpetuo in ore et simplicium oculos maxime perstringit, age consideremus, quam late hodie pateat Christianismus et quantum illius occupaverit papismus. Quis in Germania et propinquioribus regnis ac provinciis, puta Gallia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Dania, Svecia, Norvegia, Scotia et Anglia sit ecclesiae status, cuivis notum est, nimirum animam in illis agit Pontificia religio et invalescente evangelii igne subinde magis ac magis scoriae illius exturbantur. Italiam et Hispaniam pene universam adhuc obtinet, sed in illis etiam verae fidei confessores inveniri testatur inquisitio Hispanica et rogi martyrum quotidie fumantes, qua de re postea pluribus. Exspatiabimur igitur ad remotiora loca, secuti praeeuntem Dn. D. Philippum Nicolai qui lib. 1. de regn. Christi c. 1. late hac de re disputat, quorum summam ipsius verbis breviter complectemur. In regionibus septentrionalibus remotioribus supra Scotiam occurrunt *Orcades insulae*, quae a Gothis inhabitantur, quarum maxima hodie *Mainlandia* dicitur, ubi ecclesia cathedralis et sedes episcopalis in Kirkwall oppidulo, cui reliquarum insularum ecclesiae a papatu repurgatae subjiciuntur. Ulterior est *Schetlandia*, veteribus Thule dicta, suo quoque gaudens episcopatu, quemadmodum et *Farensis* insula in septentrionem magis porrecta, in qua Orcadum dynasta Christianus habitat. *Islandia* propius Arcto subjecta incolas habet Christianos, quam describens Olaus Magnus cathedralium ejus ecclesiarum Schaltialdensis, Holensis, Bergensis, Cakerfierensis etc. mentionem facit. Testatur autem Chytraeus in chronico Saxoniae, Islandos ecclesiarum ministros et episcopos ex academia Hafniensi in Dania accipere ac regem Daniae Friedericum III. ecclesiis Islandicis episcopum Lutheranum praefecisse ac sancta Biblia in linguam Islandicam transfundi curasse extremisque terrarum oris polo arctoo vicinis orthodoxos verbi praecones una cum Bibliorum translatis codicibus immisisse. *Gronlandia* Islandis remotior itidem Christianae religioni obtemperat Olao Magno teste. Supra Sveciam est *Laponia*, peninsula capacissima, quam Lapones sive Pilappii idololatrae gentiles incolunt, sed quibus opera archiepiscopi Upsaliensis lux evangelii affulgere coepit. Suedorum regnum orientem versus *Moscovitae* excipiunt imperio spatioso et per quatuor mundi plagas longe lateque extenso, qui Scripturam habent in vernaculum sermonem conversam teste Paulo Oderbornio et in fidei articulis cum Graecis ecclesiis consentiunt. In hoc regno Moscovitico in ripa fluminis Mosqui est oppidum *Neleuki*, quod concessione imperatoris Moscovitici inhabitatur a multis Germanis, qui teste Oderbornio pastorem habent evangelicum. Sigismundus ab Herberstein in lib. de reb. Moscoviticis scribit, ***nulli hominum infensiorem esse Moscum quam Romano pontifici, quem non nisi doctoris titulo dignetur.*** Item principem Moscoviae, cum audiendi sunt Romanae fidei oratores, pelvim cum duobus gutturniis adjuncto impositoque mantili apud se habere, ut continuo porrectam manum oratori, quem pro immundo et impuro homine propter Romanam fidem habet, abluere possit. Cum magno Moscoviae duci Johanni Basilidi Possevinus Jesuita persuadere vellet, ut abjecta XI. 277.
Graecorum fide pontifices Romanos coleret, Moscus (referente ipsomet Possevino in sua Moscovia) in magno procerum consessu respondit, ***se non in Graecos, sed Christum credere. Omnes apostolos evangelium praedicasse, sed nullum ex illis alio fuisse majorem. Petrum et alios pontifices sanctos se agnoscere; at vero qui eos secuti sunt, quia improbe vixerunt, quonam modo Petro succedere aut***

Digitized by Google

eadem cum Petro auctoritate in Petri sede residere potuerint, non videre. Ad haec cum Possevinus durius aliquanto respondisset, Moscus iratus: *Scias*, inquit, *Romanae fidei septuaginta fides inesse; pontificem vero Romanum pastorem non esse, utpote qui barbam radit, crucem Christi pedibus apponit, in sella se gestari et tanquam deum adorari sinit.* Et cum haec quoque Possevinus liberius ac pertinaciter defenderet, Moscus excandescens dixit: *Num fuere in foro rustici, qui te docuerunt, ut mecum aeque ac cum rustico loquereris?* Moscovitarum regno contigui sunt *Circassi* Astracanorum et Euxini maris accolae, qui Christianismum et ipsi profitentur ac Graecis ritibus utuntur. A finibus regni Moscovitici versus orientem *Tartaria Magna* aperitur, quae Muhametismum amplectitur, sed Guilielmus Postellus testatur, etiamnum in ea superesse Christianos, et quidem plures, quam in Europa nostra reperiantur. In orientalibus locis primum occurrit *Turcarum* imperium latissimum, quod quamvis Muhametismum amplectatur, tamen Christianae professionis hominibus Graecis, Latinis, Armeniis, Jacobitis, Nestorianis, Cadurcis, Surianis, Maronitis, Aethiopicis aliisque aliorum rituum ita abundat et permiscetur, ut constans fama sit, si numero hominum certandum fuerit, Muhameticolas a Christianis superatos iri et tribus Christianis vix unum opponi posse Musulmanum. Quae vero sit Graecorum religio, expositum est superius. §. 179. Anno 1550. Truberus Carniolanus auspiciis ducis Wirtenbergici quosdam libros Scripturae sacrae, item Augustanam confessionem et postillam Lutheri in sermonem *Henetum*, qui in Turcarum regnis frequentissimus est, transtulit, ut lux doctrinae evangelicae etiam in orientem radios suos spargeret. Gerlachius etiam, cum Constantinopoli versaretur, occasione familiaris cum patriarcha consuetudinis non aspernanda purioris doctrinae semina inter Graecos reliquit. Eodem etiam tempore Baro Ungnadius principi *Georgianorum* exemplar Augustanae confessionis Graecum tradidit, quod ipse in sermomem *Ibericum* conversum in patriam secum transtulit, ut hac ratione Christianis episcopis per Iberiam et Albaniam ad mare Caspium usque puritas evangelii innotescere coeperit. Georgianis ad meridiem vicini sunt *Armenii*, qui Graecarum ecclesiarum confessionem et ritus amplectuntur, sed pontificis Romani hierarchiam repudiant. Cum Gregorius XIII. anno 1582. novum calendarium missa legatione illis obtrudere et jugum Pontificium illis imponere conaretur, Armenii consilio cum orientalibus patriarchis communicato per literas illi responderunt, *se non exsistere sine capite, siquidem inde a Constantino Magno et regis Tiridatae temporibus in hunc usque diem Catholicum semper archiepiscopum habuerint, neque in vetere ipsorum calendario culpari quid posse* etc. quibus literis nomina sua addiderunt patriarcha Constantinopolitanus Jeremias, Sylvester Alexandrinus, Joachimus Antiochenus et primae Justinianae Archidarum Gabriel. In *Persia* Turcarum imperio vicina licet Muhametismo addicta, tamen Christianae religioni locus conceditur occasione foederis inter Persas et Aethiopes an. 1562. percussi. *India* Persis vicina abundat Christicolis Thomae apostolo religionem suam acceptam ferentibus, sed a pontificis Romani dominatione abhorrentibus, etenim cum anno 1567. in urbe Indiarum Cocimo non procul a Calecutio dissito Armenius quidam episcopus Christicolas Thomanos a novis Pontificiae religionis mercibus studiose dehortaretur et dehortanti Melchior Carnerius Jesuita Niceni episcopatus larva superbiens resisteret, Indi faventes Armenio Jesuitam sagittis petiverunt, eumque plane XI. 278.
necassent, nisi in fugam se conjecisset. Indis orientem versus contigua est *Sinarum* regio, quam *Chinam* incolae vocant, in qua per Jesuitas superiori seculo doctrinae Christianae semina sparsa, de qua conversione quid statuendum sit, dicetur postea. In occidentalibus regionibus occurrit *Arabia*, olim in *petraeam*, *desertam* et *felicem* divisa, quae Muhameticis superstitionibus repleta quidem est, interim tamen in maritimis oris Hispanicum regimen et una cum illo etiam Christianae fidei professionem admittit. Arabiae adjacet *Zacotora* insula, cujus incolae sunt Christiani religionem suam Thomae apostolo acceptam ferentes. Arabiam ab occasu claudit *Palaestina sive vetus Judaea*, quae non obstante Muhameticolarum ferocia a nonnullis Christianis inhabitatur, unde in Hierosolyma urbe 10 templa Christianorum numerantur. Ecclesiis in *Syria* praeest patriarcha Antiochenus, qui cum Constantinopolitano et Alexandrino patriarchis fraternam amicitiam colit, sed a pontifice Romano alienus est. *Cyprus* insula antequam a Turca anno 1572. Venetis eriperetur, tota fuit religioni Christianae obstricta, hodie vero Muhametismo in ea dominante incolae servitutis jugo pressi religionem Christianam more aliorum Christicolarum sub Turcis degentium non nisi in rarioribus conventibus profitentur. Refert Manlius, in locis communibus fuisse in insula illa, qui doctrinam evangelii sinceram et incorruptam amplecterentur, cum ab erudito quodam ejus regionis monacho sibi familiariter noto multi nostratium theologorum libri in Cypriam linguam fuerint translati. In meridionali plaga occurrit *Africa*, Aegyptum, Libyam, Cyrenem, Africam minorem, Numidiam et Mauritaniam complexa, cujus interiora longe lateque Prete Johanne vel Pretiosus Johannes possidet. *Aegyptus* abundat Christianis Jacobitis, qui ab apostolo Matthaeo se fidem Christi accepisse gloriantur. Nicolaus Hemmingius in catechesi ritum missae in Aegypto apud Christianos usitatae describens ex relatione Thessalonicensis cujusdam Demetrii memorat, praemitti in liturgiis preces et cantilenas ad sanctam Trinitatem, quibus primum lectio ex scriptis apostolicis Graeco-Arabica, deinde alia evangelii subjungatur; postea concione absoluta coenam Dominicam tam laicis quam sacerdotibus sub utraque specie communicari et gratiarum actione finiri. Supra Aegyptum panditur ingens illud Christiani Aethiopum monarchae *Pretiosi Johannis imperium*,

Digitized by Google

qui regnis plus minus quadraginta dominari dicitur. Gloriantur, se prima Christianae religionis rudimenta accepisse ab eunucho Candacis reginae praefecto, qui a Philippo baptizatus et de Christo edoctus in Aethiopiam reversus reginam et magnam familiae regiae populique partem baptizarit, ac subsecutum esse doctorem quendam nomine Lycaonem, qui a Philippo missus omnem apud illos Christianae religionis cultum ordinarit. Confessionem illorum Franc. Alvarezius late describit. Scripturam V. et N. T. amplectuntur, symbolum apostolicum recipiunt, sacrosanctam Trinitatem credunt, quatuor oecumenicorum conciliorum decretis assentiuntur; legi non posse ab ullo homine satisfieri agnoscunt; Christum solum pro nobis eam implevisse et pro peccatis nostris satisfecisse credunt; infantes masculos et foemellas in nomine Patris, Filii et Spiritus s. baptizant; eucharistiam sub utraque specie praemissa confessione et absolutione tam laicis quam sacerdotibus concedunt; sacerdotibus conjugium permittunt; ritus a Christo neque mandatos neque prohibitos liberos esse volunt, nundinationes missarum et sacrificia pro mortuis repudiant; inclusionem panis consecrati, indulgentias, invocationem sanctorum respuunt; confirmationem et unctionem pro sacramentis non agnoscunt etc. habent tamen suos naevos et errores, baptismum singulis annis iterant, infantes masculos et foeminas octavo die circumcidunt, a cibis lege Mosaica prohibitis abstinent, purgatorium ignem non negant etc. de Romani pontificis dominatione quid statuant, patet ex sequenti historia. Cum anno 1556. Paulus IV. pontifex
XI. 279. Romanus Andream Oviedum Jesuitam legatum in Aethiopiam mitteret, ut in locum patriarchae Aethiopici suffectus ecclesias illius imperii sedi Romanae subjiceret, Pretiosus Johannes Adam appellatus larvatum illum patriarcham in vincula conjecit et comitibus illius ignis supplicium tanquam haereticis minatus est, quin et in bellum contra Turcas eos eduxit, unde Emanuel Acosta imperatorem illum Aethiopiae Adamum *apostolicae sedis hostem acerrimum* vocat. Africae pars est *Mauritania*, quae complectitur quatuor regna, *Marocense*, *Fessanum*, *Tremissanum et Tunetanum*, quae licet Muhameticis superstitionibus sint repleta, tamen Christianis ecclesiis nonnulla hospitia praebent. In regno *Marocensi et Fessano* passim fideles reperiuntur Christicolae, qui non solum Muhametismo, sed etiam papismo propter Hispanorum tyrannidem contradicentes evangelicae veritati suffragantur. De *Americanis* ecclesiis dicetur postea. Si quis igitur computatione facta collationem instituere velit inter ecclesias Romano pontifici subjectas et inter reliquas a jugo papalis tyrannidis liberas, deprehendet, *nondum dimidiam orbis Christiani partem Pontificiae potestati esse subditam.*

Gloriationes Bellarmini de amplitudine ecclesiae Romanae.

187. Sed audiamus thrasonicas Bellarmini de amplitudine ecclesiae Romanae gloriationes. *1. Tempore apostolorum* (inquit) *nostra ecclesia in toto mundo fructificare coepit* Col. 1, v. 6. *tempore Irenaei erat sparsa per totum orbem, id est per omnes provincias tunc cognitas, id quod ipse refert lib. 1. c. 3. Idem postea de suo tempore refert Tertullianus lib. contra Judaeos c. 3. idem postea Cyprianus lib. de unit. eccl. idem postea Athanasius lib. de human. verbi, idem postea Chrysostomus et Hieronymus in c. 24. Math. et Augustinus epist. 78. et 80. ad Hesych.* etc. *Tempore Gregorii et Bernhardi Romana ecclesia fuit amplissima* etc. Respondemus: 1. nostra ecclesia eandem profitetur fidem et doctrinam, quam professa est ecclesia tempore apostolorum et primorum patrum, ergo *consanguinitate doctrinae* illi est conjuncta et per consequens ad nostram ecclesiam pertinet, quidquid eximium, praeclarum et honorificum de illa affirmatur. 2. Romana ecclesia hodierna ab integritate apostolicae et primitivae ecclesiae plurimum recessit, amplectitur enim nova et peregrina dogmata, apostolorum et primorum patrum tempore ignota. Suprematus Romani pontificis, vota monastica, coelibatus sacerdotum, indulgentiae papales, invocatio sanctorum, nundinationes missarum etc. nec in apostolorum, nec in primorum patrum scriptis occurrunt. Falso igitur Romana ecclesia hodierna laudem amplitudinis, qua apostolica et primitiva ecclesia excelluit, sibi arrogat, cum doctrina, quae est ecclesiae anima, inter hanc et illam plurimum sit diversa. 3. Quamvis apostolica et primitiva ecclesia fuerit progressu temporis longe lateque dilatata, tamen ab exiguis initiis coepit, ex quo immote concluditur, amplitudinem non esse verae ecclesiae perpetuam, proinde nec genuinam et propriam notam. 4. Illo ipso tempore, quo Christiana ecclesia per totum orbem fuit latissime diffusa, Satanae synagoga ambitu suo complectens gentiles, Judaeos, haereticos, Epicureos, hypocritas etc. fuit amplior, ergo sola amplitudo non potest statui verae ecclesiae propria nota. 5. Bellarminus sibi ipsi adversatur. Hoc enim loco scribit, *tempore apostolorum evangelium fructificasse in toto orbe, tempore Irenaei ecclesiam in omnes terras esse propagatam* etc. sed lib. 3. de pontif. Rom. c. 4. disputat, *Antichristum nondum venisse, quia evangelium nondum fuerit praedicatum in toto mundo.* 6. Tempore apostolorum et primorum patrum nondum obtinuit Romana ecclesia illum primatum potestatis, quem hodie in reliquas ecclesias exercet. Cum Marcion a patre excommunicatus Romam fugeret et ab episcopo Romano in communionem recipi peteret, negabat episcopus, sibi hoc absque consensu patris ipsius, a quo Marcion excommunicatus erat, licere, Epiphanius in haeres. Marcion.; Victori in externas ecclesias XI. 280.
jurisdictionem exercere conanti restiterunt ecclesiae Asiaticae, Eusebius lib. 5. hist. eccles. c. 24. in Nicaena synodo *suburbicarum ecclesiarnm cura* episcopo Romano est addicta et in multis synodis postea decretum, ne quis *primus episcopus diceretur.* Jam vero subjectionem erga Romanum pontificem Bellarminus statuit ecclesiae suae essentialem. Quare cum in apostolica et primitiva ecclesia subjectio

Digitized by Google

illa nondum habuerit locum, desinat amplitudinem illius suae ecclesiae arrogare. 7. Gregorius, qui cum orientis et occidentis episcopis literas commutavit, titulum *universalis*, quo Romanus pontifex hodie superbit, contra canones veteres, contra omnes ecclesias, contra Dei verbum, contra ipsum Deum esse asseruit, ut ex ipsius epistolis constat 8. Bernhardi temporibus, quae a Gregorii temporibus longo intervallo distant, magna doctrinae inclinatio erat facta, interim tamen Deus servavit sibi etiam istis temporibus *semen sanctum*, ut ostendimus superius.

188. 2. Progreditur Bellarminus et ad scopum propius accedens gloriatur de amplitudine ecclesiae Romanae hodierna, *quod praeter Italiam et Hispaniam totam, praeter Galliam fere totam, praeter Germaniam, Angliam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, Graeciam, Syriam, Aethiopiam, Aegyptum, in quibus inveniuntur Catholici, in ipso novo orbe habeat ecclesias sine admistione haereticorum in omnibus quatuor mundi partibus, ad orientem in Indiis, ad occidentem in America, ad septentrionem in Japonia, ad meridiem in Brasilia et exteriore parte Africae.* Respondemus: 1. Quamvis papismus Italiam et Hispaniam totam adhuc occupet, non tamen dubitamus, etiam in illis regnis et provinciis Deo colligi ecclesiam. Producimus primum *infantes baptizatos*, qui per sacramentum baptismi, quod quoad substantialia integrum administratur, Christo inserti fiunt catholicae ecclesiae membra. Illi non pertinent ad ecclesiam Romanam, id est eam, quae Romana dogmata amplectitur et pontifici Romano adhaeret, sed ad ecclesiam catholicam, cujus bonum proprium est baptismi sacramentum. Producimus secundo loco *simplices illos Christianos*, qui *profunditates Satanae* Apoc. 2, v. 24. et *mysterium iniquitatis* 2. Thess. 2, v. 7. nec intelligunt nec curant, sed decalogum, symbolum apostolorum, historiam passionis Dominicae et pericopas evangelicas sincere amplectentes in simplicitate fidei Christianae acquiescunt etc. Producimus tertio loco illos, qui *in agone mortis vanam propriorum meritorum fiduciam abjiciunt* ac in solo Christo vera fide recumbunt, qui re ipsa experiuntur, humanas traditiones et doctrinas ad consolationem invalidas esse, quibus si quae errorum stipulae adhaerent, illae crucis et tentationis igne exuruntur. Producimus quarto loco *confessores illos et martyres*, quorum rogi publicum doctrinae sinceriori ferunt testimonium. Nec dubitamus, longe plures ad agnitionem evangelicae veritatis perventuros, nisi inquisitionis tyrannis obstaret et nisi a lectione Scripturarum s. tam solicite populus arceretur, pro quo sacrilegio rationem aliquando reddent, qui illius sunt auctores et administri. Vulgus promiscuum in papatu *fidem implicitam* sectatur seque ea credere affirmat, quae Romana ecclesia credit, at haec *carbonaria* fides nondum aliquem efficit ecclesiae membrum, sed specialis et distincta articulorum fidei confessio requiritur. 2. In Germania, Gallia, Anglia, Polonia, Bohemia, Ungaria etc. liberum et publicum viget evangelicae religionis exercitium, et plures fortassis in illis regnis sunt, qui Romanum pontificem exsecrantur, quam qui illum pro catholicae ecclesiae capite agnoscunt. Nec sufficit, multos Romanae fidei asseclas in illis provinciis esse, sed oporteret vel omnes vel plurimos tales esse, si ecclesiae Romanae amplitudo inde esset probanda. In Anglia et Scotia Romanenses non habent publicum religionis suae exercitium teste Witakero de eccl. q. 5. c. 5. p. 341. ex Dania, Norvegia, Suecia, Saxonia, Holsatia, Pomerania, Hassia, Misnia, Thuringia, Hollandia, Zelandia, magna Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Poloniae et Helvetiae parte XI. 231.
papatus exsulatum abire jussus. Quod adhuc aliquid occupat, amplissimis reditibus episcopatuum, abbatiarum et collegiorum canonicorum debetur. 3. De statu ecclesiarum in Graecia, Syria, Aethiopia, Aegypto dictum est superius. 4. De ecclesiis in novo orbe propter jactabundas et perpetuas Jesuitarum gloriationes quaedam hoc loco annotanda sunt. Ac primo distinguendum inter *rem ipsam*, videlicet conversionem illorum insulanorum, et inter *rei* sive conversionis *modum*. Negari certe nequit, modum conversionis fuisse tyrannicum, crudelem et ab apostolico longissime discrepantem, id quod propriis ac domesticis adversariorum testimoniis ostendi potest.

De ecclesiis in novo orbe.

Ludovic. Granatensis conqueritur, *Hispanorum crudelitate eo rem deductam, ut apud gentes barbaras adeo sit Christianorum nomen exsecrabile, ut si quando ad eos monachi mittuntur, ne illos simili odio detestentur, necesse sit dicere, illos quidem non Christianos, sed patres esse, qui ad eorum salutem curandam venerint, ea enim crudelitatis immanitate Hispanos erga illos fuisse usos, ut sanctissimum Christiani nomen non pietatis et religionis, sed crudelitatis et immanitatis nomen habitum sit.* Bartholomaeus de las Casas episcopus Hispanus memorat, *Peruanam et vicinas regiones adeo vastatas esse, ut hominum bis mille myriades inaudita feritate paucorum annorum spatio ab Hispanis sint deleti.* Lipsius lib. 2. de constant. c. 22: *Pauculi Iberi ante annos 80 in vastas illas et novas terras delati, quae funera (Deus bone) ediderunt, quas strages! nec de causis aut jure belli dissero, tantum de eventis. Cerno ingens illud terrarum spatium (quod vidisse magnum sit, non dicam vicisse) a vicenis tricenisque militibus pervadi et passim inermes illos greges sterni, ut segetem a falce. Ubi tu es insularum maxima Cuba? Tu Hayta? Tu Lucaia? quae olim quingentis aut sexcentis hominum millibus succinctae alibi vix quindecim ex iis retinuistis in semen. Ostende etiam te paululum tu Peruana, tu Mexicana ora; heu miram miseramque faciem, immensus ille tractus et vere alter orbis vastus attritusque apparet, non aliter quam si coelesti quodam igne deflagrasset.* Referunt historici, cum alias Americani carnibus humanis vescerentur et inprimis hostium, tandem tamen eos noluisse Hispa-

Digitized by Google

norum carnes attingere, ne eorundem crudelitate inficerentur. Vir quidam magnae auctoritatis apud Indos moriturus quaerebat a fratre Hispano, *quo irent Hispani post mortem?* respondit frater, *bonos in coelis victuros*, *malos in inferno.* Sed ubi *maxima pars*, inquit, *victura est? In coelo procul dubio*, inquit frater, *quia plerique boni sunt.* Tum *ego*, inquit, *alibi vivam in loco ab iis disjunctissimo*, *nam scio*, *cum illis male actum fore propter saevitiam et crudelitatem.* Franciscus de Victoria relect. 5: *Cum audiamus apud Indos tot hominum caedes*, *tot spolia hominum alioqui innoxiorum*, *deturbatos tot dominos possessionibus et ditionibus suis privatos*, *dubitari merito potest*, *jure an injuria haec facta sint*, *timeo*, *ne ultra res progressa est*, *quam jus fasque permittebat.* ** Wilhelmus princeps Auraicus in apologia adversus Philippum II. regem Hispaniarum: *In Indiis Hispani plus quam vicies centenas myriades hominum crudelissime necarunt*, *idque tam portentosa crudelitate*, *ut omnes omnium temporum crudelitates ac tyrannides*, *de quibus aut audivimus aut legimus*, *ludus jocusque sint prae illorum in Indos immanitate*, *quemadmodum editis ea de re libris ipsorummet episcopi ac doctores testatum reliquerunt. Ac ne locus ullus excusationi regi apud Deum hominesque superesset*, *dicata est ei historia a quodam suo subdito.*** Acosta lib. 2. de procur. Indorum salut. c. 4: *Quis non videat*, *quam implacabile Christiani nominis odium apud barbaros excitetur*, *quam grave et immedicabile scandalum! tota res ista vergit in obstinatam quandam invidiam et odium fidei et certam perniciem hominum. Christus quod non debet*, *tributum solvit*, *ne scandalizet; nos nullo modo debitas terras*, *si spoliemus*, *vexemus*,
XI. 282. *praedemur*, *nullumne justum timebimus scandalum? res ipsa satis clamat per se*, *omnino verum esse*, *quod scribit Gregorius: Qui fidem asperitatibus propagari volunt*, *suas*, *non Dei causas probantur attendere. Ejus vero in Indos tyrannidis solos Jesuitas* auctores esse, Arnoldus in actione sua contra Jesuitas Parisiis docuit. At num hoc conversionis modo usi sunt apostoli, cum evangelium in toto orbe praedicarent? num primitivae ecclesiae patres eum approbarunt? nihil minus. **Conversio Indorum a Jesuitis facta 1. non est tam copiosa ac multiplex, ut glorientur, sed *admodum modica*, *inops*, *tenuis* fatente Acosta de proc. Indor. salut. lib. 4. c. 4. *2. Illi ipsi quoque Indi pauci*, *qui convertuntur et Christiani jam facti sunt*, *magna ex parte nihil minus sunt quam Christiani et ad speciem tantum receptum evangelium est*, Acosta ibid. *utpote apud quos post annos jam quadraginta ab evangelii ingressu vix quemquam reperiri*, scribit Acosta c. 3. *qui symboli duo capita intelligat*, *quid Christus sit*, *quid eucharistia*, *vel crasse agnoscat*, *pecudes potius habendos quam homines.* 3. Modus convertendi Indos a Jesuitis usurpatus est plane frivolus, praeposterus, ineptus, alienus, umbratilis, ludicrus, tenuis, truculentus, violentus, ridiculus, puerilis ac denique simoniacus. Vide Acost. lib. 5. c. 2. lib. 6. c. 2. et 3. epist. Indic. p. 299. 300. 350. 351. 313. 99. 369. et 374. Jac. Laurent. de prodiga Jesuit. liberalit. p. 33. et seqq.** Quo etiam pertinet, quod majori regionis ampliandae quam religionis Christianae propagandae studio ducti et sacra auri fame impulsi videntur, qui navigationes in novas illas insulas susceperunt, quae inexplebilis avaritia multos a Christiana religione alienos reddidit, unde etiam memorant historici, *Indos quibusdam Hispanis in potestatem suum redactis liquefactum aurum in fauces ingessisse*, Acosta lib. 3. de procur. Indor. salute c. 18. *Non alia ex causa mercatores negotiantur vel judices praesident vel sacerdotes plerumque evangelizant*, *quam spe argenti et auri*, *argentum et aurum si se ex oculis subducit*, *omnium civilis et sacerdotalis concursus brevi evanescit*, *et quo caritas non invitavit animarum*, *auri saltem cupiditas inescavit*, *et quemadmodum olim incredulitas Israëlis salus fuit gentium*, *ita nunc Christianorum avaritia Indorum vocatio facta est.* Atque haec de modo conversionis; quod attinet conversionis medium sive doctrinam, in ea est mixtura pretiosi et vilis Christiani et Antichristiani, apostolici ac pseudoapostolici. Pretiosum, Christianum et apostolicum sunt doctrinae capita sincera et incorrupta de Scriptura sacra, de mysterio Trinitatis, de Christo mediatore, de baptismo, de vita aeterna etc. vile, antichristianum et pseudoapostolicum sunt dogmata papalia de traditionibus humanis, de invocatione sanctorum, de meritis operum, de purgatorio, de primatu papae etc. Utrumque horum suum obtinet effectum, quia per pretiosum illud et Christianum efficax est Spiritus s. ad aliquorum conversionem, quae non est adscribenda vili et Antichristiano eidem commixto; per vile et Antichristianum impeditur conversio et salus, nimirum si exuberet et pertinacius defendatur. Quemadmodum una eademque manu quis serere potest semina frugum et zizaniorum; ita quoque uno eodemque ministerio doctrina Christiana et corruptelae Antichristianae in novo illo orbe fuerunt proseminatae. Quemadmodum igitur semina frugum crescunt et fructum salutarem proferunt, non obstante zizaniorum mixtura; ita in quorundam cordibus per illam praedicationem verbi Spiritus s. ad conversionem fuit efficax, licet fermento, pulvere et sordibus Antichristianarum superstitionum, traditionum et errorum fuerit commixtum. Quemadmodum vero zizania in quibusdam agris segetem enecant; ita quoque Antichristianae corruptelae in quorundam cordibus segetem doctrinae coelestis corrumpunt, nimirum si pertinacius defendantur et fundamentum fidei iisdem convellatur. Christus jubebat audire Scribas et Pharisaeos *in cathedra Moysis* sedentes, id est doctrinam Mosaicam proponentes et scripta Moysis ac prophetarum praelegentes Matth. 23, v. 3. ibidem tamen v. 15. illis tribuit, quod *circumeant mare et aridam*, *ut faciant proselytum unum*, *et cum factus fuerit*, *faciant eum filium gehennae duplo pejorem quam sint* XI. 283

Digitized by Google

ipsi. Quomodo haec concilianda? nimirum quatenus proselytis doctrinam Moysis et prophetarum ex scriptis illorum proponebant, eatenus audiendi erant, eatenus etiam homines gentiles ad salutem convertebant; sed quatenus pharisaicas suas corruptelas, traditiones et superstitiones proselytis proponebant, eatenus non erant audiendi, siquidem per illas *avidius* acceptas et *pertinacius* defensas proselyti reddebantur filii gehennae. Quemadmodum autem per Scribarum et Pharisaeorum ministerium ad quorundam conversionem et salutem Deus fuit efficax et quemadmodum per ministerium Leviticum idololatria et erroribus corruptum Deus sibi genuit filios et filias, Ezech. 16, v. 20. ita quoque per ministerium illorum, qui lucem evangelii Pontificiis fumis obscuratam, massam doctrinae coelestis fermento humanarum traditionum commixtam, aurum verbi superstitionum scoriis contaminatum, margaritam Christianismi pretiosam coeno humanarum opinionum involutam novis illis insulis intulerunt, ad quorundam conversionem et salutem Deus efficax fuit, non tamen quatenus illi papales traditiones et corruptelas praedicarunt, sed quatenus verbum Dei ex Scripturis canonicis proposuerunt. Textus Scripturae, decalogus, oratio Dominica, sacramentum baptismi et coenae Dominicae sunt media, quorum dispensatione plantatur et augetur ecclesia; neque illa desinunt esse quod sunt, neque desinunt esse efficacia, cum ab impuris doctoribus haeresium et superstitionum coeno imbutis administrantur, sed manent organa salutis, per quae mediante Spiritus s. efficacia in corrupto ecclesiae statu aliqui convertuntur et salvantur. Quae omnia erunt clariora, si observetur catecheticae institutionis ratio, quam Jesuitae in in convertendis insulanis illis gentilibus observant. Persuasuri eis Christianam religionem non ordiuntur ab auctoritate ecclesiae Romanae, non ab humanis traditionibus, non a missis, non a purgatorio, non ab operum meritis et Romanarum indulgentiarum mercibus; sed istis in prima institutione praetermissis simpliciter concionantur de lapsu primorum parentum et condemnatione ab illo in totum genus humanum introducta, de gratuita nostri redemtione facta per Christum mediatorem, Dei et Mariae virginis filium, cui per fidem sit adhaerescendum et hoc nomine baptisma percipiendum. Annotabimus hac de re verba cujusdam Jesuitae Johannis Baptistae Montii, qui in literis ann. Dom. 1564. ex Bungo urbe Japoniae ad Michaëlem Turrensem exaratis sic loquitur: *Evangelium longe lateque pervagatum est et sane probatur in vulgus et fere semper ad baptismum Dei beneficio aliqui perducuntur. Ratio autem nostra cum illis agendi est ejusmodi. Quaeritur primum, quam sectam sequantur, deinde non modo, quam ipsi profitentur, sed reliquae omnes Japonicae sectae multis rationibus ita confutantur, ut earum ope ac praesidio aeterna salute se nunquam potiri posse intelligant. Id ubi perceperunt, docentur, unum esse rerum omnium opificem, qui ex nihilo cuncta procreaverit, eaque omnia fungi officio praeter angelos desertores et hominem, qui e primo illo statu sua culpa exciderit, in quo a Deo parente positus fuerat, idemque naturae legibus rectaeque rationi adversetur. Discunt deinceps, Deum esse trinum et unum, cujus imperium primus ille homo neglexerit. Et quoniam infinitae majestati ac numini facta injuria infinitam quoque satisfactionem exigeret, secundam Trinitatis personam, cum genus humanum aliave omnino creata natura solvendo non esset, humanitatem nostram ultro assumpsisse atque induisse, ut idem homo simul et Deus innocentissimus poenam nostris sceleribus debitam pretioso sanguine suo acerbaque morte persolveret et nos in omnipotentis Dei gratiam restitueret. Haec illis omnia clare et copiose explicantur, tum ad eorum quaestiones probe respondetur et omnis ex eorum animis, quoad ejus fieri potest, dubitatio tollitur, atque ut illis certae precandi formulae praeceptaque decalogi exposita sunt, promittunt, se barbaros ritus superstitionesque deposituros. Denique sacri baptismatis vis atque mysteria iisdem explicantur atque ita Christo dant nomina et baptizantur.* Ex his apparet, Jesuitas in primis Christianae religionis rudimentis tra- XI. 284 dendis a Pontificiis traditionibus et superstitionibus sibi temperare ac fundamentalibus fidei Christianae articulis imbutos, decalogo, symbolo apostolico, oratione Dominica mediocriter informatos baptizare, ut dubium nullum sit, quam plurimos hac ratione Christo lucrifieri, qui papalia dogmata vel non intelligunt, vel in tentationum igne abjiciunt. Notandum vero, non ab omnibus catechistis, nec in omnibus locis illam diligentiam et illum instituendi modum in catechizandis Indis aliisve novi orbis populis adhiberi, unde etiam opera quorundam est illic valde sterilis, sic enim scribit Acosta Jesuita lib. 4. de procurand. Indorum salute c 3: *Accusant nostri Indorum tarditatem ad capienda mysteria fidei, frustra in iis edocendis tempus teri, denique post annos jam quadraginta ab evangelii ingressu in tam immensa turba vix quemquam reperiri, qui symboli duo capita intelligat, quid Christus sit, quid vita aeterna, quid eucharistia, vel crasse agnoscat, pecudes potius habendos quam homines. Verum qui ista jactant, respondeant mihi, qua diligentia isti erudiantur? Recitant illis bis terve in hebdomade symbolum et preces, idque Hispanico idiomate, jubentur denique Hispanica haec discere, quorum ne syllabam quidem intelligunt et pronuntiant ridicule. Vulgaris tamen et tritus doctrinae tradendae iste est modus.* Ubi *exquisitius res agitur, sacerdos sermone Indico composita quaedam in catechismi formam recitat, cum tamen ipse linguae Indicae prorsus est infans, quod si peritus sit, quod rarum est, tamen mysteria fidei neque explanat, neque vero satis novit. Quis vero unquam catechista rationem auditorum exegit? Denique perinde Indis doctrina traditur, atque cum a mendicis stipis colligendae causa precationes aut versus aliqui cantillantur, qui illud tantum spectant, ut dicendo ipsi ad finem*

Digitized by Google

usque perveniant carminis; utrum vero auditores vel attendant vel delectentur, pecunia jam accepta, non admodum curant; tota igitur catechisandi ratio umbratilis et ludicrae similis. Haec Acosta, qui ibid. c. 4. subjungit: *Vere quidam nostrûm scripsit pater, non videri sibi ad Indorum horum animos penetrasse evangelium, sed ad speciem tantum receptum, negari enim non posse, quin si intimis sensibus radices egisset, copiosos manifestosque fructus cerneremus, quid enim potentius verbo Dei? quid ad immutandos homines efficacius?* lib. 5. cap. 2. concludit: *Mihi sane monstri simile semper est visum, inter tot millia Indorum Christiano nomine donatorum tam esse rarum, qui Christum agnoscat, ut quod Ephesii olim Paulo de Spiritu s. responderunt, possint hi de Christo melius usurpare: Neque an sit Christus audivimus.* Idem de Indorum praeceptoribus conqueritur Vega in opusc. de fid. et operib. c. 3: *Quidam hoc nostro tempore* (inquit) *habentes zelum Dei, sed non secundum scientiam, Indos ad baptismum venientes indiscriminatim admiserunt, nulla facta inquisitione de vita et moribus, imo nulla aut paene nulla iis tradita doctrina de vita et moribus necessario servandis, sed hoc solo contenti, quod propositis fidei articulis credere se respondeant, velle se baptizari. Revocare eos ab hoc errore debuit illud Christi: Nolite sanctum dare canibus.* Haec Vega. At num haec est salutaris ad verum Dei cultum conversio? num hic modus conversionis est apostolicus? Denique cum perpetuo glorientur Jesuitae, nomen Christi in novis illis insulis antea nunquam auditum fuisse, notandum, quod Johannes Goropius in originib. Marinus Siculus lib. 15. hist. Hispan. uti etiam Neander in cosmograph. p. 7. et seqq. ex Platone in Timaeo, Strabone, Plinio etc. ostendant, Americam non fuisse incognitam veteribus, sed nomine Atlantidis celebratam, ac cum diu latuisset, nostro seculo rursus detectam; intermissam autem navigationem ad novum orbem a veteribus vel regum civitatumque interdictis, vel ob Romani imperii inclinationem, cum totus orbis noster bellis, direptionibus et vastationibus Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, exterarum item gentium arderet et Turcici imperii incrementum omnes vires et cogitationes
XI. 285. Europae in se converteret. Verisimile igitur est, apostolicam evangelii praedicationem jam olim etiam ad illa loca pervenisse, cum Paulus Col. 1, v. 23. Rom. 10, v. 18. testetur, *evangelium in toto orbe fructificasse,* ac primis ecclesiae Christianae temporibus nulla gens fuerit nota, ad quam evangelicae praedicationis sonus nondum pervenerit. Justinus in dial. cum Tryph. p. 270. scribit, quod *nullus in terra populus fuerit, cui tum temporis non innotuerit nomen Christi.* Tertullianus adv. Jud. c. 3. memorat, *credidisse Christo Gaetulorum varietates et Maurorum multos fines et Britannorum inaccessa Romanis loca et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enumerare non possumus.* Hieronymus in c. 24. Matth.: *Non puto, aliquam remansisse gentem, quae Christi nomen ignoret.* Ambrosius in c. 10. Rom.: *Ubique audita est et in omnem locum pervenit praedicatio nominis Christiani.* Ubi enim *praedicantis hominis praesentia deficit, sonus tamen et fama pervenit.* Idem testantur Irenaeus lib. 1. c. 2. et 3. Chrysostomus hom. 76. in Matth. hom. 18. ad Rom. hom. 4. ad Coloss. Augustinus epist. 78. et 80. ad Hesychium etc. inde etiam obscura quaedam indicia Christianismi olim introducti in novo illo orbe Hispani invenerunt. Refert Petrus Martyr historicus, *sacerdotes quosdam Americanos in regno Mexicano supra Darienem anniculos pueros puellasque in templis aqua in crucem cum urceolo superinjecta baptizare visos fuisse.* Cum baptismo conjungunt circumcisionem, quod indicio est, Christianam religionem ab Aethiopibus quondam in Americam importatam, cum et illi ceremoniam Judaicam baptismi sacramento conjungant. Johannnes Lerius de Brasiliensibus commemorat, quod *animarum immortalitati adstipulentur.* Refert etiam, se aliquando ipsis de vero Dei cultu, de creatione rerum, de labe et ruina generis humani et similibus Christianae religionis capitibus disseruisse, quibus postquam duas amplius horas magna cum attentione et admiratione auscultassent, demum quendam ex senioribus respondisse, *habere se ex avorum relatu, jam inde a priscis temporibus et ante plurimos annos hominem nostro more vestitum et barbatum in illorum devenisse terras, qui simili oratione ipsos sub Dei obsequium adducere conatus sit; cum autem majores ipsorum illi fidem non adhiberent, mox successisse alium, qui ensem symbolum maledictionis illis traderet, ab eo tempore bella et dissensiones perpetuas inter ipsos viguisse.* De Peruanis scribit Hieronymus Benzo lib. 3. c. 20. quod ipsi *quoque immortalitatem animarum credant,* et ex Hispanicis scriptoribus addit, *credere Peruanos ingentem priscis temporibus terrarum inundationem accidisse, quibus omnes submersi sint mortales, paucis exceptis, qui altissimorum montium specubus abditi communem sortem effugerint.* Item, *credere illos, mundum interiturum aliquando ingenti siccitate et conflagratione aëris, qua sol ipse et luna hauriantur; credere resurrectionem mortuorum.* Brachmanae Indorum theologi gestant *terna fila* ab humero dextro in latus sinistrum; credunt, Deum in specie humana latentem terras lustravisse, ut humanum genus a peste sempiterna redimeret, dies Dominicos venerantur precatiuncula hac frequenter iterata: *Adoro te, Deus, cum tua gratia et auxilio in aeternum,* decem legis praecepta callent etc. quae omnia non obscura religionis Christianae ab apostolis olim acceptae, sed hominum contemtu et temporum decursu amissae exhibent vestigia. Chinenses idololatricis cultibus servientes nonnullam et ipsi veteris Christianismi umbram imaginibus et ritibus quibusdam exprimunt. Venerantur enim simulacrum triceps tribus capitibus sese mutuo intuentibus et in eo tres numinis facies,

Digitized by Google

quas ejusdem mentis et voluntatis esse dicunt. Colunt etiam imaginem foeminae gestantis puerulum in ulnis suis, quam *magni regis filiam* dictant, cujus in partu et post partum intemerata manserit virginitas. Huic addita est pictura duodecim virorum adumbrans dodecada apostolorum, quos sapientia et virtutibus claros exstitisse et ad ange-
XI. 286. los translatos esse praedicant. Confitentur etiam animarum immortalitatem et praemia piorum post hanc vitam aeterna, impiorum vero cruciatus sempiternos. Ac refert Mendoza, apud Chinenses magni fieri Armeniorum libros, in quibus de divo Thoma memoratur, quod Chinarum regionem in Indiam profecturus pertransierit et evangelium docuerit, nonnullos etiam ex ipsis baptizarit. Stapletonus lib 1. de auctor. script. c. 14. §. 5: *In India orientali Lusitani reliquias Christianorum invenerunt.* ** Osorius lib. 3. histor.: *Quaedam antiqua hominum Christianorum millia in India sunt inventa.* ** Xaverius libr. 1. epist. 1. et libr. 2. epist. 10: *Socotorium insula in circuitu millia passuum ferme centum, tota incolitur ab iis Christianis, qui multis abhinc annis catholicis sacerdotibus orbati nihil habent praeter nomen, hi Christianos se esse gloriantur et S. Thomam apostolum sancte colunt, quod se oriundos praedicant ab iis, quos ille in hisce locis Christo peperit.* lib. 2. epist. 3.: *Non desunt, qui S. Thomam apostolum in Sinas penetrasse confirment magnumque eorum numerum ad Christi fidem convertisse. Nam priusquam Lusitani Indiam in suam redegissent ditionem, Graeca ecclesia eo mittebat episcopos, qui Christianos S. Thomae ejusque discipulorum opera propagatos tuerentur.* Haec ergo conversionis gloria ab ecclesia Graeca Romanensibus facile posset praeripi.

An ecclesiis evangelicis amplitudo tribui possit.

189. *Membrum tertium.* Num ecclesiae evangelicae de amplitudine gloriari possint? Bellarminus hoc loco nobis insultat, *quod nostra doctrina nunquam transierit mare, nec Asiam, aut Africam, Aegyptum aut Graeciam viderit, ac illustre mendacium vocat, quod in praefatione libri Concordiae dicitur, Augustanam confessionem in toto terrarum orbe percrebuisse et in ore et sermone omnium esse coepisse, cum ex tribus orbis partibus duae majores Asia et Africa nec nomen hujus confessionis audiverint, in Europa multae provinciae, ut Graecia, Italia et Hispania eam ignorent, vel exsecrentur, Gallia, Helvetia et Britannia nominetenus duntaxat illam recipiant.* Costerus *in sola Germania Lutheranos inveniri* scribit, vel *certe non extra Europam.* ** Adamus Conzen de pace German. lib. 1. c. 18. p. 298: *Sub confessione tam exili* (Augustana), *quae in dies in arctum cogitur, quae paene animam agit, immensam ubiquitatem tegere velle, quantae est inconsiderationis, ne dicam stultitiae!* ** Respondemus: 1. si vel maxime de locali amplitudine non possemus gloriari, tamen non desineret nostra ecclesia esse catholica, cum profiteatur fidem catholicam ac proinde catholicae ecclesiae, quae omnes omnium temporum et locorum vere fideles complectitur, interna consanguinitate sit conjuncta, ut superius ostendimus. 2. Ampliores et illustriores sunt ecclesiae evangelicae, quam Bellarminus vel pontifex Romanus optat. Neque enim in Germania solum, sed et Bohemia, Ungaria, Polonia, Dania, Norvegia, Svecia etc. publicum et sincerum viget religionis evangelicae exercitium, atque ultra Europam ecclesiam evangelicam propagari ex superiori diexodo constare potest. In medio papatu quosdam evangelicae religioni addictos inveniri testantur rogi martyrum. *Puto, te scire* (scribit secretarius papae Pauli IV. in actione, an concilii Tridentini decreta armis propaganda sint fol. 69. ad pontificem) *in omnibus tuis urbibus nonnullos esse, qui Lutherano veneno infecti sunt, neque hos ex infima tantum faece populi, sed ex mediis etiam et summis viris.* 3. Cum Augustana confessio anno 1530. imperatori laudatissimo Carolo V. Germanice et Latine esset exhibita, statim in *Hispanicam, Italicam, Gallicam, Belgicam et Anglicam* linguam fuit conversa et papae aliisque regibus et principibus transmissa, qua ratione fama ejus in toto orbe Christiano percrebuit. Fuerunt etiam apud Carolum variarum provinciarum populi, in quorum uti etiam totius imperii Romani consessu recitata fuit confessio, ut dubium non sit, eam ad omnes Christianam doctrinam profitentes adeoque in totum terrarum orbem esse sparsam. XI. 287.
Eo respicit Lutherus, quando sic scribit: *Tanta est verbi Dei efficacia et virtus, ut quo plus persecutionis habet, eo plus floreat ac crescat. Considerate comitia Augustana, quae vere sunt ultima tuba ante extremum diem, quam aestuabat tum totus mundus contra verbum Dei, quam nobis orandum erat, ut Christus ipse in coelis tutus esset a Pontificiis; tandem nostra doctrina et fides ita prodiit in lucem per confessionem nostram, ut brevissimo tempore mandato etiam Caesaris ad omnes reges et principes mitteretur,* ubi multa clarissima ingenia in aulis fuerunt, quae hanc doctrinam ceu fomes apprehenderunt. Atque eo etiam unice respiciunt electores, principes et reliqui imperii proceres, quando in praefatione Formulae concordiae de Augustana confessione tam honorifice loquuntur, quorum *illustrem auctoritatem* Bellarminus convellit, quando illos tam effreni ore *illustris mendacii* reos peragit. Neque enim hoc sibi volunt constantes illi et aeterna memoria digni confessores, quod ab omnibus Christiani orbis provinciis sit recepta, sed quod ubique percrebuerit et in ore et sermone omnium esse coeperit, perinde ut Ambrosius in c. 10. Rom. dicit, *quo non pervenerunt pedes apostolorum, eo pervenisse sonum praedicationis evangelicae.* Sed quis hanc impudentiam in Jesuita miretur? 4. Bellarminus hoc loco videtur oblitus esse illius, quod in orat. tom. 4. operum praefixa sub finem scribit: *Volantes currus miram indicant velocitatem, qua nova ista secta* (Lutherana) *instar pestiferae tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta occiduis et aquilonaribus regnis ad orientem quoque et meridiem, ad Graecos, ad Indos, ad ipsum novum or-*

Digitized by Google

bem navigare ausa est. Quamquam et a Graecis cum ignominia repulsa fuit et apud Indos non permisit Dominus, ut vestigium figere posset; itemque illius, quod in praefat. tom. 1. controversiarum praefixa scribit: *Quis ignorat, pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam mox Germaniam paene totam occupasse, inde ad aquilonem et orientem profectam Daniam, Norvegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse, tum ad occidentem et meridiem pari celeritate delatam et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse et in Italiam usque penetrasse?*

SECTIO V.

DE QUINTA ECCLESIAE NOTA A BELLARMINO ASSIGNATA, VIDELICET SUCCESSIONE EPISCOPORUM.

XI. 288. 190. *Membrum primum.* Sitne successio vera et propria ecclesiae nota. Duplex est successio, una
XI. 289. quidem *locorum et personarum*, altera *doctrinae.* Illam vocare possis *externam*, hanc vero *internam.* Successio locorum et personarum est accidens quod-
XI. 290. dam externum et mutabile, nec quidquam valet absque doctrinae successione, doctrinae autem successio est verae ecclesiae propria. *Personae aliae in aliorum locum subeuntes non faciunt successionem, sed perpetuus doctrinae consensus, qui fidei vinculo posteriores prioribus conjungit,* ut recte scribit Gelasius in comment. lib. 3. Irenaei c. 3. Sic ergo con-
XI. 291. tra hanc notam argumentamur: 1. Quod ecclesiae non convenit semper ac perpetuo, non potest esse vera et propria illius nota. Atqui successio non convenit ecclesiae perpetuo ac semper. Ergo non est vera et propria illius nota. Assumtum est manifestum, quia fuit vera et apostolica ecclesia, antequam esset talis successio, scilicet in principio. Neque enim *propter successionem ab apostolis ecclesia dicitur apostolica*, ut Bellarminus suspicatur, sed a doctrina apostolica, siquidem in symbolo apostolico, quod *ab ipsis apostolis compositum* esse Bellarminus lib. 1. de justification. c. 9. statuit, ecclesia dicitur *apostolica*, cum nondum in ea esset talis successio, sed ipsimet apostoli adhuc docerent. Ecclesia illa primitiva, in qua Christus et apostoli docuerunt, fuit flos ecclesiae, ea tamen caruit locali et personali illa successione. Cui enim successit Christus? cui successerunt apostoli? epistola ad Hebraeos demonstrat, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Ergo successit Melchisedeco,
XI. 292. ergo vera successio potest esse interrupta, si modo doctrinae successionem conjunctam habeat. Paulus dicit 2. Tim. 1, v. 3. se Deo servire *a progenitoribus,* hoc est ab Abrahamo, Isaaco, Jacobo etc. probat ergo fidem suam successione interrupta per progenitores, qui fuerant ex secta Pharisaeorum; Stephanus Act. 7. de falsa doctrina accusatus ad *Abrahamum* provocat, a quo incipiens ad tempora Babylonicae captivitatis descendit atque inde ad illa usque tempora, in quibus vixerat, 400 circiter annos praetergrediens. Quemadmodum igitur apostoli fuerunt veri prophetarum successores, quia doctrinam eorum puram et receperunt et propagarunt; fuerunt veri Aaronis successores, quia fidem illius sectati sunt, licet nec prophetis, nec Aaroni immediate ratione loci succederent; sic etiam veri apostolorum successores judicandi sunt, qui doctrinam et fidem apostolorum in scriptis ipsorum comprehensam sincere amplectuntur, licet externam et localem illam successionem non habeant. Quemadmodum doctrinali illi successioni, qua apostoli, prophetis et Aaroni aliisque piis sacerdotibus ratione ministerii ecclesiastici successerunt, nulla ex parte obstabat, quod temporibus proximis sacerdotes haeretici et graviter in fide errantes ipsos praecesserant; ita quoque doctrinali illi successioni, qua pii et orthodoxi ecclesiae ministri apostolicam fidem sincere amplectentes succedunt, nequaquam obstat, quod temporibus superioribus per corruptum ministerium successio illa fuerit interrupta. Quemadmodum apostoli a successione locali et externa, qua Caiaphas gloriari poterat, ad successionem doctrinalem et internam provocarunt, quando publice protestati sunt, *quod nihil quidquam extra ea, quae Moyses et prophetae futura praedixerunt, doceant* Act. 26, v. 22. nec petierunt a Caiapha ordinationem; ita quoque hodie in ecclesiis evangelicis a successione locali et personali ad successionem doctrinalem recte provocamus, nec a pontificibus Romanis de successione ab apostolis gloriantibus, interim vero Caiapham imitantibus ordinationem vel confirmationem petimus. Excipit Bellarminus, *sacerdotium Aaronicum fuisse temporale et solum durasse usque ad inchoationem N. T. deinceps coepisse sacerdotium secundum ordinem Melchisedech a* XI. 293.
Christo institutum, cujus sacerdotii cum primitiae fuerint apostoli, ideo non debuisse illos Caiaphae succedere, sed esse principium novi sacerdotii. Respondemus: 1. fatetur ipse Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 7. §. in omni, *ecclesiam Christi non fuisse novam ecclesiam, sed solum mutationem quandam status ecclesiae.* Quodsi mutata successione status duntaxat ecclesiae externus mutatur, non autem nova ecclesia constituitur, ergo successio non est vera et essentialis, sed tantum accidentalis ecclesiae nota, quia scilicet non ad illius essentiam, sed ad externum duntaxat statum pertinet. 2. Ut Christus potuit esse sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, hoc est successor Melchisedeci, licet aliquot seculorum decursu successio illa esset interupta; sic apostolorum successores esse possunt, qui doctrinam apostolorum sinceram et incorruptam profitentur, licet interruptio aliqua temporis locorum et personarum ratione intercedat. 3. Ut in V. T. praedictum erat, Aaronicum sacerdotium cessaturum, propter quam causam apostoli recte faciebant a Caiapha et

Successio localis et personalis non est nota ecclesiae.

1. Ecclesiae non convenit semper.

Digitized by Google

Levitico sacerdotio semet separantes; sic in N. T. praedictum, *Antichristum in templo Dei sessurum* 2. Thess. 2, v. 4. apostolis et apostolicis viris successuros esse falsos doctores ecclesiam seducentes Act. 20, v. 29. fore aliquando tempus ejusmodi, ut e mystica Babylone sit exeundum Apoc. 18, v. 4. 4. Nondum evictum est, in ecclesia Romana a Christo institutam esse talem quandam successionem in sede Petri apostolica, de qua Pontificii gloriantur, qualis fuit a Deo in ecclesia Israëlitica in cathedra et sede Aaronis instituta, siquidem in ecclesia Christi nulla amplius spectari debet carnalis, localis et terrena successio, sed successio doctrinalis et spiritualis, *regnum enim ejus non est de hoc mundo* Joh. 18, v. 36. 5. Nequaquam dici potest, ut Aaroni in sacerdotio Levitico successerunt ipsius filii et posteri, ita Christo in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech successisse apostolos, quia ut docet epistola ad Hebr. 7. v. 24. Christus habet ἀπαράβατον ἱερωσύνην, *tale quoddam sacerdotium, quod ad alios non transit;* proinde in communionem hujus sui sacerdotii Christus non admisit apostolos, sed ecclesiae suae doctores illos praefecit. 6. Quod Bellarminus subjungit: *Sicut ab Aarone usque ad Christum non fuerunt veri sacerdotes, nisi qui successerunt Aaroni; ita ab apostolis usque ad finem mundi non erunt veri sacerdotes, nisi qui apostolis succedent*, id si de doctrinali successione intelligit, concedimus; si de locali et personali, negamus. Neque enim externae cuidam cathedrae et successioni in illa cathedra apostolicae doctrinae veritas est alligata, sed qui doctrinam apostolorum tenet, is verus apostolorum successor judicandus. 7. Quinimo cum ne in V. quidem T. Mosaicae doctrinae veritas et integritas Aaronici sacerdotii cathedrae fuerit alligata, quanto minus in N. T. de cathedra et sede Romana dici potest, quod apostolicae doctrinae veritas et integritas ab ea unice dependeat. Antecedens est manifestum, quia sacerdotes Levitici idololatriam aliquoties sunt sectati, unde etiam Deus excitavit *prophetas* divini cultus instauratores ac reformatores, qui licet de externa et locali successione in cathedra Mosaica sive Aaronica gloriari non possent, erant tamen veri doctores ac veri Moysis et Aaronis in officio docendi successores. 8. Concludimus igitur verbis Lyrae in c. 16. Matth.: *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis ecclesiasticae vel secularis, quia multi principes et summi pontifices et alii inferiores inventi sunt apostatasse a fide, propter quod ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia vera et confessio fidei et veritatis.*

2. Non convenit soli ecclesiae.

191. 2. Quod non convenit soli verae ecclesiae, non potest esse propria illius nota. Successio non convenit soli verae ecclesiae. Ergo non est propria illius nota. Assumtum variis exemplis demonstrari potest. Synagoga Judaica tempore Christi habebat sacerdotum successionem, quam ad ipsum Aaronem poterat deducere, nec tamen cum illa successione
XI. 294. puritas et sinceritas doctrinae perpetuo fuit conjuncta. Nicephorus libr. 2. hist. eccl. c. 4: *Aaron primus pontifex a Moyse fratre est unctus. Primus itaque Aaron, 2. Eleazar, 3. Pinehas, 4. Eliezer, 5. Bochchi, 6. Ozi, 7. Eli, 8. Achitob, 9. Abimelech, 10. Abiathar, 11. Sadoc, huic successit Achimaas, illi rursum tredecimus Azarias. Hunc secutus Joram, illum Jojadas, cui ordine successerunt Axioram, Phadaeus, Sudaeus, Iculus et vigesimus Joathamus; hunc secutus Urias, illum Neri, Joas, Selam, Chelcias. Post hunc fuit Sareas, deinde Josedec, postea Jesus Josedec filius. Huic successit Joachim, hunc secutus trigesimus Eliaseph. Illi Joachaz, deinde fuerunt Johannes Jadaeus, Onias, Simon, Eleazar, Manasses, Onias, Simon. Quadragesimus numero Onias, Jesus et Onias alius, Alcimus. Post hunc fuit Onias Oniae filius. Post hunc quadragesimus quartus ex Asamonaei filiis Judas Maccabaeus, cui ordine successerunt Jonathas frater, rursus Simon frater, Johannes qui Hircanus dictus; Aristobulus, Jannaeas, cui etiam Alexandri nomen fuit. Quinquagesimus porro fuit Hircanus, quinquagesimus primus Antigonus, quinquagesimus secundus Anaelus, quinquagesimus tertius Aristobulus, quem Herodes Anaelo rejecto substituit, idemque rursus Aristobulo caeso Anaelum restituit. Anaelo Jesus Phabi filius successit; deinde Simon Herodis socer pontifex fit; post hunc Matthias, deinde Josephus, cui Jozarus successit. Sexagesimus porro fuit Eleazarus, cui ordine successerunt Jesus Seae filius, Ananus Caiphae socer, Ismaelus filius Phabi, Eleazarus Anani filius, Simon Camythi filius. Sexagesimus septimus fuit Caiphas, qui etiam Josephus dictus est, sub quo salutiferam mortem pro nobis Dominus obiit. Post hunc Jonathas Anani filius, post hunc frater ejus Matthias, mox Elinaeus; rursum Josephus Camae filius. Ei successit Gamalielis filius Jesus, huic Matthias Theophili filius. Postremus omnium Phinaeus fuit, sub quo urbs, templum et gens cuncta a Tito capta omnesque et templi et legis res prorsus exstinctae corruerunt.* Quid quaeso in successione episcoporum Romanorum monstrari potest, quod in hac pontificum Judaicorum successione demonstrari nequeat? quinimo successio pontificum in V. T. divino mandato et promissione nitebatur, quorum neutrum de Romana successione ex Scripturis ostendi potest. Quemadmodum igitur non obstante illa pontificum successione variae corruptelae, superstitiones et errores in publicum ministerium ecclesiae Israëliticae, temporibus praesertim posterioribus irrepserunt; ita quoque non obstante pontificum successione in Romanam ecclesiam eadem mala temporibus praesertim posterioribus subintrarunt. Neve Bellarminus excipere possit, *aliam esse rationem synagogae Judaicae, aliam vero ecclesiae Christianae* (quamvis alibi ipsemet ab ecclesia Israëlitica ad Christianam argumentari consueverit), monemus, etiam in N. T. successionem ad apostolos usque exporrectam etiam aliis ecclesiis praeter Romanam, quam solam esse veram et catholicam ecclesiam gloriantur, competere. Irenaeus Lugdunens. episcopus lib. 3. c. 3. p. 170;

Digitized by Google

Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos. Et paulo post: *Valde longum est omnium ecclesiarum enumerare successiones.* Nicephorus lib. 3. hist. eccl. c. 1. cum successores Petri in ecclesia Romana enumerasset, subjungit: *In Alexandrina ecclesia post Marcum evangelistam episcopatum primus obtinuit Anianus, post hunc Abilius, qui eum successori Cerdoni reliquit. Antiochenam post Petrum et Lucam primus Evodius gubernavit, ab hoc secundus fuit Ignatius, cui successit Heros. In Hierosolymitano episcopatu, quem frater Domini Jacob 30 annos tenuerat, post Hierosolymorum eversionem Simeon Cleophae filius illi successit, tertius ibi ex ordine Justus. Quo tempore et Polycarpus Smyrnae in Asia floruit ab ipso Johanne episcopus creatus* etc. Videatur etiam Eusebius in hist. ecclesiastica lib. 3. et seqq. Ex his manifestum, non in
XI. 295. Romana solum ecclesia, sed etiam in aliis apostolicam successionem viguisse. Si Bellarminus excipere velit, *successionem in aliis ecclesiis periisse, in sola Romana ecclesia permansisse*, producimus ecclesiam Graecam, quae successionem episcoporum suorum usque ad apostolorum tempora producit. Durant adhuc quatuor illi patriarchatus, quorum ecclesiastica historia facit mentionem, Constantinopolitanus, Antiochenus, Hierosolymitanus et Alexandrinus, e quibus *Antiochenus* in urbe Damasco hodie sedem habet, *Alexandrinus* vero Cairum Aegypti metropolin translatus est, omnium vero latissime *Constantinopolitani* patriarchae dioecesis patet. Nicephorus lib. 8. hist. eccles. c. 6. catalogum episcoporum Constantinopolitanorum *ab Andrea Christi apostolo* deducit, et cum superiorioribus annis papa Gregorius XIII. Armeniis orientalibus Christianis suum calendarium atque una etiam dominatum suum obtrudere conaretur, illi consilio cum orientalibus patriarchis communicato per literas responderunt, *se non exsistere sine capite, siquidem inde a Constantino Magno et regis Tiridatae temporibus in hunc usque diem Catholicum semper archiepiscopum habuerint*, quibus literis nomina sua addiderunt patriarcha Constantinopolitanus Hieremias, Sylvester Alexandrinus, Joachimus Antiochenus et primae Justinianae Archidarum Gabriel 8. nov. anno 1582. indict. 10. Willetus in lib. de ecclesia quaest. 3. not. 3. p. 81. commemorat, exstare authenticas literas Jeremiae patriarchae Constantinopolitani, Meletii patriarchae Alexandrini, Gabrielis in ecclesia Thessalonicensi etc. ad Anglicas ecclesias exaratas, in quibus episcoporum suorum successionem ab apostolis deducunt. Excipit Bellarminus, *1. Ecclesiam Constantinopolitanam non fuisse a patribus dictam apostolicam.* Respondemus: certum est, multas ab apostolis fundatas esse ecclesias praeter Romanam, inter
XI. 296. quas etiam est Constantinopolitana, illae quamvis non dicerentur apostolicae, tamen vere fuerunt apostolicae. Baronius tom. 1. annal. anno Christi 44. sect. 12. asserit, *Petrum apostolum Byzantiis et aliis ejusdem provinciae locis primo dedisse episcopos*, quod confirmat literis Agapeti papae. Proinde non potest negari, Constantinopolitanam ecclesiam esse apostolicam. Nicephorus tradit, eam ab apostolo Andrea esse fundatam, lib. 8. hist. eccles. c. 6. quem illam successionem confinxisse, non potest idoneo aliquo argumento demonstrari, cujusque enim episcopi annos exacte annotat et catalogum deducit usque ad *Alexandrum*, cujus precibus Arius est sublatus, numerat ab Andrea usque ad Alexandrum episcopos viginti tres. Ac testantur omnes historiae, apostolo Andreae obtigisse illam provinciam, in qua erat Byzantium, ipse quoque Nicephorus lib. 1. c. 1. testatur, se ex *veterum monumentis ἀξιοπίστοις* historiam ecclesiae Constantinopolitanae fideliter descripsisse, composuit enim volumen illud Constantinopoli, ubi in templo Sophiae erat insignis bibliotheca, quam ad manum habuit. *2. Patres concilii Constantinopolitani I. in epistola ad Damasum Romanum pontificem fateri, ecclesiam illam esse novellam.* Respondemus: nequaquam hoc volunt, ecclesiam illam nuper coepisse, sed cum antea a Macedonio haeretico oppressa fuisset et paene exstincta, integritati suae substituto Nectario esse restitutam. Novellam ergo dicunt, in Graeco est *νεοπαγής*, quia nuper erat renovata et instaurata. Sed demus, *successionem episcoporum in ecclesia Constantinopolitana a temporibus Constantini duntaxat deduci posse*, quaerimus autem, num vera et orthodoxa aliqua ecclesia Constantinopoli fuerit. Si hoc conceditur, ut negari nequit, consequens fuerit, nec nostrae ecclesiae quidquam praejudicare, quod non habeat externam illam successionem ab apostolis, sed sufficere, quod doctrinae ratione communionem habeat cum catholica et apostolica ecclesia. *3. Argumentum a successione afferri praecipue ad probandum, non esse ecclesiam, ubi non est successio, ex quo tamen non colligi possit necessario, esse ecclesiam, ubi est successio.* Respondemus: verae et propriae notae competit, ut et affirmate et negate ex ea concludatur. Ut enim posito proprio ponitur res ipsa, cujus est proprium; ita remoto proprio, res ipsa, cujus est proprium, removetur. Quod si ergo a successione ad veritatem ecclesiae non potest concludi affirmate, utique successio non erit propria ecclesiae nota. Adde quod Bellarminus contradicit Costero, Lessio et aliis Pontificiis scriptoribus, qui a successione affirmatum ducunt argumentum, cumprimis contradicit Baronio, qui tom. 1. annal. anno 31. sect. 52. ait, magnam esse successionis vim, *cum ex cujusvis hominis, qui compos sit rationis, sententia certum exploratumque habeatur, illic esse legitimum templum, ipsam inquam catholicam ecclesiam, apud quam successio pontificum ab ejus exordio legitime est conservata.* Quin imo contradicit sibi ipsi, quae enim ex patribus testimonia pro successione adducit, ea concludunt affirmate. *4. Apud Graecos non esse ecclesiam demonstrari non quidem ex defectu successionis, sed ex eo, quod in tribus conciliis, Lateranensi, Lugdunensi et Florentino, sint convicti.* Respondemus: Quamvis ecclesia Graeca non careat suis er-

Digitized by Google

roribus, tamen purior est quam Romana, ut ex superioribus intelligi potest. De conciliis illis papalibus quid statuendum sit, alibi exponitur. Praeterea si ex defectu successionis non potest contra Graecam ecclesiam aliquid concludi, ergo nec contra nostram quidquam ex eodem principio concludi potest. Si dicat Bellarminus, *in concilio Tridentino nos esse damnatos*, remittimus eum ad librum eximium, qui exponit causas recusati concilii Tridentini, a proceribus imperii Augustanae confessioni addictis anno 1584. in publicum editum, ipsis inferorum portis invictum. 5. *Ecclesias illas patriarchales habuisse per longa tempora manifestos haereticos ideoque interruptam esse veterum pastorum successionem.* Respondemus: id ipsum de Romanis pontificibus demonstrare parati sumus. Zepherinus fuit Montanista, Marcellinus idololatra, Liberius Arianus, Vigilius Eutychianus,
XI. 297. Honorius Monotheleta etc. Pontifices qui temporibus proximis vixerunt, quales fuerint, historiae loquuntur et Hotomannus in bruto fulmine late ostendit.

3. Sine doctrinali successione nihil valet.

192. 3. Ubi non est successio doctrinalis, ibi nullius momenti est successio localis. Atqui potest esse successio localis, ut ei non sit conjuncta successio doctrinalis, Ergo localis illa successio destituta doctrinali successione nullius tunc erit momenti, et per consequens non est nota ecclesiae. Prior praemissarum demonstratur ex hoc fundamento. Vera ecclesia non potest esse ea, quae non habet doctrinam veram et apostolicam, quippe quae est quasi anima ecclesiae. Ergo nihil valet successio localis, nisi conjunctam habeat veram doctrinam. Agnoscunt hoc quidam ex ipsis adversariis, ut postea apparebit. Posterior praemissarum confirmatur 1. praedictionibus apostolicis. Act. 20, v. 29. Paulus Ephesinae ecclesiae presbyteros sic alloquitur: *Ego illud scio, lupos graves non parcentes gregi ingressuros esse in vos post discessum meum;* v. 30. *et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Hic manifeste praedicitur, in ecclesia Ephesina episcopis orthodoxis successuros esse falsos prophetas et seductores pessimos, quod ipsum eventus postmodum comprobavit. 1. Tim. 4, v. 1: *Temporibus novissimis discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum,* v. 2. *in hypocrisi loquentium mendacium* etc. v. 3: *prohibentium nubere, abstinere a cibis* etc. ubi vox κωλυόντων ostendit, pseudodoctores illos cum quadam auctoritate et potestate coelibatum et discrimen ciborum in ecclesiam introducturos, ex quo intelligitur, quod futuri sint illorum successores, qui auctoritatem et potestatem in ecclesia obtinent. 2. Petr. 2, v. 1: *Fuerunt vero et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Quemadmodum in populo Israëlitico sacerdotes ordinariam successionem habentes et in cathedra Aaronis sedentes saepius degeneraverunt in pseudoprophetas; ita quoque idem in N. T. metuendum esse apostolus praedicit. Cumprimis huc pertinet vaticinium de Antichristo 2. Thess. 2, v. 4. *quod in templo Dei* sit sessurus, hoc est dominationem in ecclesia sibi arrogaturus praetextu successionis ab apostolis. 2. Exemplis historiarum. In ecclesia Antiochena a Petro plantata episcopis orthodoxis successit Samosatenus haeresiarcha, Petrus Gnaphaeus Eutychianus, Macarius Monotheleta etc. In Alexandrina ecclesia ab apostolis et, ut veteres tradunt, a Marco plantata successerunt Georgius et Lucius Ariani, Dioscorus Eutychianus, Cyrus Monotheleta etc. In Constantinopolitana ecclesia Andreae successerunt Macedonius, Nestorius et Eutyches haeresiarchae. Eusebius Nicomediensis, Eustathius et alii Ariani episcopi locorum sediumque successionem ab apostolis habuerunt. In ecclesia Romana a Paulo et Petro fundata quales episcopi successerint, postea demonstrabitur. Vincentius Lerin. adv. haeres. c. 34: *A Simone Mago vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum, continua et occulta successione manavit.* Bellarminus ipse agnoscit, *haeresiarchas fere omnes aut episcopos aut presbyteros fuisse,* lib. 1. de Rom. pontific. c. 8: *Jam vero non sunt veri episcopi, nisi qui successionem habent ab apostolis*, ut in hoc capite disputat. Ergo illi, qui habent ab apostolis successionem, possunt fieri haeresiarchae. Ex quibus omnibus manifestum est, successionem localem a successione doctrinali separari posse, ac proinde a successione locali ad veritatem ecclesiae, quae sine doctrinali successione non habet locum, haudquaquam argumentum duci posse.

193. Idem confirmant pii veteres, qui nudae personali ac locali successioni doctrinae sinceritate
destitutae nihil tribuerunt. Irenaeus lib. 4. adv. XI. 298.
haer. c. 43. pag. 277: *Eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obedire oportet his, qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione et quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes, aut rursus ut hypocritas quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi decidunt a veritate. Et haeretici quidem alienum ignem offerentes ad altare Dei, hoc est alienas doctrinas, a coelesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abihu.* (Ubi Irenaeus illos demum veros apostolorum successores agnoscit, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt, ac docet, illos a principali successione absistere, qui novam et adulterinam doctrinam proferunt, sicut Nadab et Abihu erant quidem Aaronis successores, sed quia alienum ignem offerebant, ab igne furoris divini consumebantur.) lib. ejusd. c. 44. pag. 278: *Adhaerere oportet iis, qui et apostolorum doctrinam custodiunt et cum presbyterii ordine sermonem sanum et conservationem*

Digitized by Google

sine offensa praestant. Tertullianus lib. de praescript. adv. haeres.: *Si maxime talem episcoporum successionem confinxerint haeretici, ipsa doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et quantitate sua pronuntiabit, non esse alicujus apostoli auctoris, neque apostolici, quia sicut apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici viri non contraria apostolis edidissent, nisi illi, qui ab apostolis desciverunt et aliter praedicaverunt.* Tandem concludit: *Illic et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinae.* (Id ipsum de dogmatibus papalibus dicimus, quod comparatio eorum cum doctrina apostolica ostendat, non esse ea alicujus apostoli vel apostolici viri) pag. 102: *Illae ecclesiae sunt soboles apostolicarum ecclesiarum, quae conservant traducem fidei et semina doctrinae.* pag. 107: *Licet ecclesiae quaedam nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae.* Ibid.: *Si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, num ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* (Pontificii probant fidem ex personis, scilicet ex personali episcoporum successione, nos vero ex fide probandas dicimus personas.) Claudius Taurinensis episcopus: *Statuo, apostolicum esse eum, non qui sedem apostolorum, sed qui eorundem potius officium et doctrinam amplectitur. Nam et Pharisaei, scribae et pessimi quique hypocritae Moysis optimi prophetae cathedram occuparunt, cum inde nihil minus quam vera praecepta Moysis docerent.* Epiphanius haeres. 55: *Non quaerenda est personarum, sed doctrinae successio.* Nazianzenus in orat. de laud. Athanasii tom. 2. pag. 502. scribit, *Athanasium Marco successisse et electum fuisse totius populi suffragio;* mox subjungit, *illum magis pietatis et fidei quam loci et dignitatis successionem habuisse, cum non immediate Marco successerit, si locum respiciamus, sed longo post intervallo, at si fidem respiciamus, proxime illi successisse, et hanc demum esse veram successionem.* Verba ejus haec sunt: οὐχ ἧττον τῆς εὐσεβείας ἢ προεδρίας αὐτοῦ διάδοχος· τῇ μὲν γὰρ πολλοστὸς ἀπ᾽ ἐκείνου, τῇ δὲ εὐθὺς μετ᾽ ἐκείνου εὑρίσκεται, ἣν δὴ καὶ κυρίως ὑποληπτέον διαδοχὴν, τὸ μὲν γὰρ ὁμόγνωμον καὶ ὁμόθρονον, τὸ δὲ ἀντίδοξον καὶ ἀντίθρονον, καὶ ἡ μὲν προσηγορίαν, ἡ δὲ ἀλήθειαν ἔχει διαδοχῆς. *non minus pietatis quam primariae sedis successor; ut enim, si hanc spectes, remotissimus ab eo futurus est, ita si illius rationem habeas, statim illi proximus invenietur. Quae quidem proprie successio existimanda est, nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoque throni particeps est; qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoque in throno censeri debet. Atque haec quidem nomen,*
XI. 299. *illa vero rem ipsam et veritatem habet successionis etc. Non qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui vim perpessus est; nec qui contrariam sententiam tuetur, sed qui ejusdem est sententiae. Nisi quis forte ita dicat successorem, quemadmodum morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et dementiam prudentiae succedere dicimus.* Eusebius lib. 5. hist. eccles. c. 6. successionem episcoporum Romanorum enumerat, sed diserte addit, *quod apostolicae praedicationis formam retinuerint ac easdem, quas apostoli tradiderunt, praedicationes divinae fidei integras illibatasque custodierint.* Ambrosius lib. 1. de poenit c. 6. tom. 1. p. 156: *Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Hieronymus ad Heliodor. epist. 1: *Non est facile stare in loco Petri et Pauli et tenere cathedram regnantium cum Christo, quia hinc dicitur: Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Chrysostomus seu auctor operis imperf. hom. 43. in c. 23. Matth.: *Cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab ea; qui male sederit, injuriam facit cathedrae. Malus sacerdos de suo sacerdotio crimen acquirit, non dignitatem.* Augustinus lib. de unit. ecclesiae c. 4: *Quicunque a Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus ecclesia designata est, non sunt ecclesiae.* c. 16: *Nolumus nos ecclesiam nostram probare vel ex successione episcoporum, vel ex auctoritate conciliorum, vel ex miraculorum frequentia, vel ex visis et somniis. Quaecunque talia in catholica fiunt, ideo probanda, quia in ea fiunt, non itaque eam probant. Ipse Dominus Jesus cum resurrexisset, suos discipulos ad Scripturas remittit legis et prophetarum.* tract. 46. in Johan.: *Qui sedent in cathedra, audiendi sunt, nam sedendo in cathedra legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet. Si vero sua illi doceant, tum nolite audire, nolite facere.* Accedunt postremo loco testimonia **Confessio adversariorum.** ipsorum adversariorum. c. Multi dist. 40. citatur locus Chrysostomi: *Multi sacerdotes et pauci sacerdotes; multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo sedeatis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram.* c. *Non est facile* dist. ead. citatur locus Hieronymi: *Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Stapletonus in relect. princ. fid. contr. 1. de eccl. q. 4. art. 2. agnoscit, *nullam esse veram successionem absque doctrina vera.* Bellarminus lib. 4. de notis eccl. c. 8: *Dico, argumentum a successione legitima afferri a nobis praecipue ad probandum, non esse ecclesiam, ubi non est haec successio, quod quidem evidens est, ex quo tamen non colligitur, necessario ibi esse ecclesiam, ubi est successio.* (Si successio non arguit veram ecclesiam, non erit propria ecclesiae nota, quia a nota ad rem notatam recte concluditur.) ** Reihingius in exc. cont. Meisnerum p. 16: *Habet Graeca ecclesia quidem seriem, si potestas ordinis spectetur, non diffitemur; sed ejusdem doctrinae*

Digitized by Google

praedicationem cum majoribus communem et ab iis deductam, quae tamen series maximi ad veram ecclesiam demonstrandam est momenti, minime habet. (Agnoscit igitur, externam et localem successionem absque successione doctrinae cum majoribus communis nihil probare.) **

Argumenta Bellarmini pro successione ex dictis veterum.

194. Quomodo vero probat Bellarminus, successionem esse ecclesiae notam? Provocat *ad auctoritatem patrum, qui successione tanquam argumento evidentissimo usi sint ad veram ecclesiam ostendendam*, Respondemus: 1. ex solis canonicis Scripturis *apodictice*, ex patribus vero *non nisi probabiliter* in articulis fidei concluditur, ut recte Thomas Aqu. part. 1. q. 1. art. 8. 2. Patres successionem fidei et doctrinae cum successione locali ac personali conjungunt et hanc sine illa nullius momenti esse docent, ut ostendimus superius. 3. Quando successionis mentionem faciunt, proferunt eam non ut firmum et apodicticum aliquod argumentum, sed ut argumenti illustrationem, non ut apodixin, sed ut ornatum accidentarium, neque in pugna et bello, sed post pugnam velut in triumpho. Prius enim solidis et firmis ex Scriptura petitis argumentis haereticos convincunt et causam suam confirmant ac tum demum episcoporum successionem proferunt, quod episcopi ab apostolis hanc fidem acceperint et continua succedentium serie propagarint. 4. Longe alius status est ecclesiarum illarum, ad quarum successionem patres provocant, hodierno tempore, quam olim fuit. Tunc enim *tradux fidei et depositum doctrinae* adhuc servabatur integrum (sicut Hieronymus ad Damasum episcopum Romanum scribit: *Tu Petri et fidem et sedem tenes*, ut refertur part. 2. decr. caus. 24. q. 1. c. 14.), sed hodie ab integritate et sinceritate doctrinae apostolicae in illis ecclesiis est discessum, ut ipsa collatio doctrinae cum scriptis apostolicis ostendit. 5. Patres hoc argumento utuntur contra illos haereticos, qui Scripturas vel negabant vel adulterabant, vel apostolos privatim ac seorsim ita docuisse dicebant, quemadmodum ipsi docebant, vel apocryphas scripturas pro canonicis obtrudebant. Ibi ergo necessarium erat ad successionem episcoporum in ecclesiis ab apostolis plantatis confugere et contra haereticos demonstrare, quas scripturas apostoli ecclesiis tradiderint, quam fidem et doctrinam successoribus commendarint etc. 6. Quod veteres ad successionem episcoporum in ecclesia Romana potissimum provocant, id non factum est eo animo ac fine, quasi solam illam ab apostolis plantatam agnoscerent, vel in illa sola doctrinam apostolorum conservatam statuerent, vel dominatum quendam monarchicum in ecclesias reliquas illi tribuerent; sed quia ecclesia illa primis seculis erat *notissima, celebratissima et spectatissima*, propter urbis ipsius dignitatem et praeeminentiam quippe in qua erat imperii sedes, propter Pauli et Petri praesentiam, quippe quos ibi docuisse et supplicio affectos fuisse crediderunt, propter martyriorum frequentiam, propter primorum episcoporum virtutem et constantiam. Cum in oriente passim invalescerent haereses et ipsas florentissimas ecclesias Alexandrinam, Constantinopolitanam, Antiochenam etc. turbarent, Romana ecclesia fuit pacatior et in orthodoxia tuenda constantior. Irenaeus libr. 3. adv. haeres. c. 3. dicit, *longum esse omnium ecclesiarum successiones enumerare et ob eam causam se maximae, antiquissimae et omnibus cognitae Romanae ecclesiae eam quam habet ab apostolis fidem per successiones episcoporum venientem indicare.* Rhenanus in praefat. Tertull. de praescript.: *Docet quidem Tertullianus in hoc libro* (de praescript.), *unam esse aliquam ecclesiam, ex qua reliquae, sed hanc nulli loco affigit. Quanquam honorifico laudis elogio Romanam exornat ecclesiam, non tamen tantam illam facit, quantam hodie fieri videmus, nam inter apostolicas ecclesias illam enumerat, non solam facit apostolicam, hoc est summatim eam facit, non summam, ut patet ex 4. ejus adv. Marcion. Videamus*, inquit, *quod lac a Paulo Corinthii hauserint.* 7. Ex his facile apparet, quid respondendum sit argumento Bellarmini: *Si veteres tanti fecerunt ad veram ecclesiam ostendendam continuationem duodecim vel viginti aut quadraginta pontificum, quanti nos facere debemus continuationem ducentorum pontificum et amplius.* Respondemus: patres nequaquam ex nuda locali et personali successione argumentum ducunt, sed fidei, doctrinae et religionis successionem conjungunt. Demonstrent Romanenses, quod eandem cum apostolis doctrinam profiteantur, sicut antiqui illi Romanae ecclesiae episcopi in ea permanebant, tum demum argumentum a successione ductum alicujus erit roboris ac momenti.

XI. 300.

195. Haec omnia ex speciali testimoniorum a Bellarmino adductorum examine erunt clariora. 1. Irenaeus libr. 2. c. 3. *enumerat episcopos Romanos a Petro usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat, ac dicit, per hanc successionem confundi omnes haereticos.* Respondemus: refellit ibi quosdam haereticos, qui dicebant, *Christum apostolis suis secreta quaedam tradidisse et apostolos ipsos non omnia omnibus docuisse, sed secretiora quaedam mysteria perfectis et idoneis viris seorsim reservasse*, perinde ut hodie Pontificii traditiones apostolicas extra Scripturas propugnant. Contra illos haereticos Irenaeus hoc urget, si apostoli secreta quaedam mysteria tradidissent, procul dubio illis ea tradidissent, quibus ecclesias tradebant. Jam vero apostolos tale quid successoribus suis haudquaquam tradidisse probat ex eo, quod Romanae ecclesiae episcopis nihil hac de re constet, quo fine episcopos illos a Petro usque ad Eleutherium enumerat. Qualem vero successionem Irenaeus commendet, intelligi potest ex dictis ipsius superius allegatis, nimirum non localem et externam, sed doctrinalem et internam successionem laudat, unde illo ipso loco subjungit: *Annuntiatam ab apostolis fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt.*

1. Irenaeus. XI. 301.

Digitized by Google

Et postea addit: *Hac ordinatione et successione ea quae est ab apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconiatio pervenit usque ad nos.*
2. Tertulliani. 2. Tertullianus de praescript. adv. haeres.: *Cedant haeretici origenes suarum ecclesiarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem et successorem. Hoc enim modo Romanorum ecclesia Clementem a Petro ordinatum refert.* Respondemus: conjungi a Tertulliano cum successione doctrinae veritatem nec tam loci quam fidei successionem ab ipso commendari, manifestum est ex ipsius dictis superius citatis, unde eo ipso in loco ecclesiam sic loquentem introducit: *Sum heres apostolorum, sicut illi caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo.* Ibidem dicit, *ipsam haereticorum doctrinam cum apostolica comparatam ex diversitate et contrarietate sua pronuntiare, quod neque alicujus apostoli auctoris sit, neque apostolici viri.* Nec in sola successione locali pedem figit, sed ad doctrinam a Christo apostolis traditam recurrit. *Incedendum* (inquit) *est in ea regula, quam ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, unde etiam dicit, percurrendas esse ecclesias resonantes vocem apostolorum.* Ibidem: *Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa, hoc est testimonium veritatis.* Quod personalem et localem successionem attinet, illius respectu nullum facit discrimen inter Romanam et Smyrnensem ecclesiam. *Hoc modo* (inquit) *ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia habens Polycarpum a Johanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit.* In eodem etiam libro *non ex personis fidem, sed ex fide personam esse probandam docet.* Quae
3. Epiphanii. omnia Bellarmino adversantur vel maxime. 3. Epiphanius haeres. 27. enumerat episcopos Romanos usque ad Anicetum et subjungit: *Ne quis miretur, quod tam exacte singula recenseamus, per haec enim semper claritas ostenditur.* Respondemus: agit ibi de Marcellina foemina haeretica, quae Carpocratis haeresin Romae propagaverat, ac demonstrat, quo tempore illa Romam venerit, qua occasione omnes ecclesiae illius episcopos, qui ab initio fuerunt usque ad Anicetum recenset, ut historiae claritas elucescat, nuspiam vero asserit, nudam localem et externam successionem esse custodem
XI. 302. verae doctrinae ac notam verae ecclesiae. Ibidem addit, *Paulum non minus quam Petrum fuisse Romanae ecclesiae episcopum*, quod adversariis non
4. Optati Milevitani. probatur. 4. Optatus Milevit. lib. 2. contra Parmenianum enumeratis episcopis Romanis a Petro ad Siricium usque ostendit, ecclesiam non esse apud Donatistas, qui per similem successionem ad apostolos adscendere non poterant, et addit: *Vos vestrae cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vendicare.* Respondemus: Donatistarum opinio erat, ecclesiam toto orbe periisse, nec ullibi nisi apud se remansisse, jure igitur Optatus ab illis requirit, ut cathedrae suae originem ostendant. Praeterea Donatistae non impugnabant doctrinam, sed duntaxat mores Catholicorum. Sed nostra causa a Donatistarum opinione plurimum differt, neque enim ecclesiam ex orbe terrarum periisse, neque nostram ecclesiam novam esse dicimus, nec tam vitae et morum quam doctrinae corruptionem in Romanis pontificibus accusamus. 5. Augustinus 5. Augustini.
in epist. 165. eodem fine *enumerat pontifices Romanos a Petro usque ad Anastasium.* Respondemus: Non ex nuda locali et externa successione argumentum ducit, sed fidei successionem, quae in ecclesia Romana adhuc integra erat, conjungit. In eadem enim epistola scribit: *Etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil praejudicaret ecclesiae et innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de praepositis malis: quae dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite, dicunt enim et non faciunt, ut certa sit spes fidelis, quae non in homine, sed in Domino collocata nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Ac diserte addit: *Quanquam nos non tam de istis documentis praesumimus quam de Scripturis sanctis.* Agnoscit igitur, argumentum a successione esse secundarium neque quidquam roboris obtinere, nisi fidei veritas ex Scripturis demonstretur. Alterum testimonium, quod ex Augustino Bellarminus adducit, habetur in Psalmo contra partem Donati: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri et in ordine illo patrum, quis cui successerit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Respondemus: localis et personalis successio non est illa petra, de qua Christus loquitur, sed vera fidei et doctrinae successio, quam episcopi illi adhuc retinebant. Contra externam et localem successionem praevalere possunt et jamdum saepius praevaluerunt inferorum portae, sed minime contra fidei et doctrinae successionem. Hanc mentem suam clarissime exposuit Augustinus serm. 13. de verb. Domini et libr. 1. retractat c. 21: *Petra principale nomen est, ideo Petrus a petra, non petra a Petro, quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus et super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, aedificabo ecclesiam meam, super me aedificabo te, non super te aedificabo me. Nam volentes homines aedificare super homines dicebant: ego quidem sum Pauli, ego Cephae* etc. *et alii, qui nolebant aedificari super Petrum et super petram, dicebant: ego sum Christi.* Tertium testimonium quod ex Augustino Bellarminus affert, petitum est ex libr. contra epist. Fundamenti c. 4: *Tenet me in ecclesia ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum.* Respondemus: Augustinus successionem illam affert non ut firmum et apodicticum aliquod argumentum aut ut primarium fidei fundamentum, sed ut quandam per-

Digitized by Google

suasionem ad praeparandos et alliciendos Donatistarum animos. Diserte enim addit, *si adversarii doctrinae veritatem apud se monstrare possent, se velle illa omnia abjicere et ad ipsos transire*, unde in lib. de unit. eccles. c. 16. contra eosdem disputans scribit, *se nolle ecclesiam probare, vel ex successione episcoporum, vel ex auctoritate conciliorum, sed ex Scripturis canonicis.* Id ipsum faciant adversarii et successionem illam humiliter venerabimur.

XI. 303. Num in ecclesia Romana vigeat successio apostolica.

196. *Membrum secundum.* Num in ecclesia Romana vigeat apostolica successio? *Nulla est vera successio absque vera doctrina*, scribit Stapletonus loco proxime citato. Ita et nos dicimus, nulla est vere apostolica successio absque doctrina apostolica, quippe quae est quasi anima successionis. Jam vero pontifices Romani secessionem fecerunt a doctrina apostolica, ut ex Scriptis apostolorum liquido demonstrare parati sumus. Ergo destituuntur vere apostolica successione. Proinde si vel maxime demonstrent localem et personalem ab apostolis successionem, non tamen sunt veri apostolorum successores, quia doctrinam illorum repudiant ac nova dogmata apostolis plane ignota, utpote de traditionibus humanis scripto Dei verbo exaequandis, de operum meritis, de satisfactionibus propriis, de indulgentiis, de purgatorio, de missa pro defunctis et alia plura magno conatu propugnant. Excipit Bellarminus, *admisso quod sit dubium, ubi sit vera fides, quanquam apud nos certissimum est esse, tamen episcopos catholicos, qui per tot secula possederunt sedes suas pacifice, non posse eis privari, nisi legitime judicentur ac damnentur. Nam in omni controversia melior est conditio possidentis, constat autem, episcopos catholicos in nullo legitimo judicio esse damnatos, quis enim eos damnavit praeter Lutheranos? at ipsi accusatores sunt, non judices. Quis enim eos constituit judices nostros?* Respondemus: idem omnino Caiaphas cum suo sodalitio potuisset Christo et apostolis objicere. Per tot secula possedimus cathedram Moysis pacifice, ergo non possumus ea privari, nisi legitime judicemur ac damnemur, nam in omni controversia melior est conditio possidentis, constat autem nos in nullo legitimo judicio esse damnatos, quis enim nos damnavit praeter Christum et apostolos? at ipsi accusatores sunt, non judices. Quis enim eos constituit judices nostros? sed quemadmodum Christus et apostoli neglecto inani illo subterfugio ex verbo Dei errores Pharisaeorum, scribarum et sacerdotum arguerunt et vera illa successione doctrinae Mosaicae et propheticae sinceritatem complexa eos destitui demonstrarunt; ita et nos posthabito illo Bellarmini effugio ex verbo Dei errores Pontificiorum arguimus eosque vera illa successione doctrinae apostolicae integritatem spectante destitui demonstramus. In divinis enim non currit praescriptio, *nec veritati praescribere potest spatium temporum, vel patrocinia personarum, vel privilegia regionum*, ut loquitur Tertullianus de veland. virg. in princ. Jure divino desinit esse verus episcopus, qui haeretica dogmata propugnat, licet de facto sedem episcopalem adhuc occupet. Hos. 4, v. 6: *Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi.* Sane quod ad jus ecclesiasticum et politicum attinet, docet Wesenb. in parat. C. de haeret. *ut quis poenis, quae haereticis in jure imponuntur, subjiciendus sit, requiri primo praemissam denuntiationem*, auth. Gazoros vers. ad mandat. eccl. C. de haeret. c. qui dignior 24. q. 3. c. Qualiter c. super his de accusat. c. ut commissi. §. 1. de haeret. in 6. deinde *accusationem* l. 4. C. de haeret. vel inquisitionem can. 8. usque ad 17. Constit. de haeret. ac in ea observanda esse substantialia legitimae cognitionis, quae sunt *citatio partis* c. ult. eod. in 6. libr. 4. C. de apost. *examinatio causae idonea* Clem. pastor de re judic. *sententia declaratoria* c. ut commissi 12. de haeret. in 6. etc. Sed haec omnia eo tantum spectant, ut in foro politico ac ecclesiastico quis declaretur haereticus et civilibus ac ecclesiasticis poenis hisce hominum pestibus destinatis subjiciatur, divino autem foro nihil quidquam praejudicant, quia coram Deo haereticus est, qui falsam doctrinam contra fidei fundamentum amplectitur et propagat, si vel maxime totus mundus talem non solum pro haeretico non habeat, sed etiam ut Petri successorem veneretur, unde etiam quidam scriptores Pontificii recte disputant, *pontificem Romanum, si in haeresin incidat, desinere esse papam ipso jure.* Turrecremata libr. 4. part. 2. c. 20. Cajetanus de auctor. pap. c. 20. Bellarminus libr. 2. de pont. Rom. c. 30. opin. 5. Praeterea si nos non possumus nec debemus judicare de episcoporum Pontificiorum doctrina, quia sumus accusatores, consequens erit, episcopos Pontificios in concilio Tridentino de nostra quoque doctrina non debuisse judicare, quia scilicet etiam ipsi sunt accusatores. Sed absit a nobis, ut legitimum ex Scripturis sacris judicium de nostra doctrina fieri recusemus. Pontificii episcopi dum tale judicium subterfugiunt, et causae suae se diffidere ostendunt et fastus cujusdam in ecclesia minime ferendi sese reos constituunt. Christus, cujus vicarius audire cupit Romanus pontifex, judicium de doctrina sua ex Scripturis fieri non solum permittebat, sed etiam jubebat Joh. 5, v. 39. c. 7, v. 17. Petrus, cujus successor audire cupit Romanus pontifex, patiebatur, facti sui rationem exigi a fidelibus Act. 11, v. 2. et seqq. seque a Paulo objurgari Galat. 2, v. 14. Paulus ad Corinthios scribens judicium de sua doctrina illis defert, 1. Cor. 10, v. 15: *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quod dico.* 1. Cor. 11, v. 13: *Vos ipsi judicate, an deceat mulierem non velatam orare.* Beroenses apostolis haud invitis de doctrina ipsorum judicarunt *quotidie scrutantes Scripturas, an haec ita se haberent* Act. 17, v. 11. quinimo in genere pronuntiat apostolus 1. Cor. 2, v. 15. *spiritualem hominem omnia judicare.* Proinde judicium de doctrina episcoporum Pontificiorum cuivis fidelium divino jure non solum concessum, sed etiam mandatum haudquaquam patiemur longi temporis praescriptione dominationis in ecclesiam diu exercitae usur-

XI. 304.

Digitized by Google

patione et consuetudinis contrariae oppositione nobis eripi. Pontificiae dominationi ab imperatoribus et aliis piis confessoribus saepius fuit contradictum, ergo non habent quietam et pacatam successionem Pontificius primatus repugnat juri divino, ergo non sunt bonae fidei possessores. Quidquid igitur sit de successione locali et personali, cum ex Scripturis sacris intelligamus, pontifices Romanos a doctrina apostolica in multis doctrinae coelestis capitibus secessionem fecisse, ideo illos esse veros apostolorum successores negamus, unde recte Christoph. Agricola contra Pistorium scribit p. 8: *Quoties successionem appellas, toties secessionem te dicere sancte assevero.* Ac Nicolaus Vignierius in apol. pro Venetis contra papam huc accommodat, quod hodierni pontifices Romani merito comparentur Vibio Ruffo, de quo Xiphilinus in vita Dionis refert, *quod in sella Julii Caesaris sedens gloriatus fuerit, se propter illam sellam esse Caesarem.* Itemque Juliano
XI. 305. imperatori, *qui Alexandri Magni animam in se successione quadam immigrasse fingebat*, cum illi eadem phrenitide laborantes propter Petri cathedram ecclesiae monarchas se esse glorientur et Petri animam quasi successionis quodam jure in se habitare sibi persuaserint.

An localis successio in Romana ecclesia habet locum.

197. Sed nec localis et personalis successio in ecclesia Romana recto stat talo. Cum sit 1. *dubia et incerta* tum ratione *originis*, tum ratione *continuationis.* Originem illius tantopere depraedicatae successionis arcessunt ab apostolo Petro, quem statuunt Romae papalem sedem erexisse, inque ea 25 annos praesedisse. Sed strenue illud negant et variis argumentis refellunt Ulricus Velenus (qui octodecim persuasiones ad impugnationem hujus thematis affert, cujus librum vide apud Flacium in refut. invect. Bruni pag. 98.), Aventinus (qui lib. 2. annal. f. 179. septem argumentis commentum illud refellit), Sebast. Francus (qui in chron. f. 258. latissime illud impugnat), Carol. Molinaeus (in orat. Tubing. habita), Georg. Nigrinus (in vitis pontificum), ut de Johanne Celandro Mantuano, Michaële Cesenate, Marsilio Patavino et aliis, qui id negatum eunt, nihil dicamus. Quo tempore Petrus Romam venerit, perturbatissimae sunt veterum et recentiorum annotationes. Origenes tom. 3. in Gen. et Eusebius lib. 3. c. 1. docent, *Petrum sub finem vitae Romam venisse*, quod cum historia Actorum simplicissime convenire videtur, sed viginti quinque annorum episcopatui fortissime repugnat. Bellarminus lib. 2. de pontific. c. 6. dicit, *Petrum ante quintum annum a resurrectione Christi non excessisse ex Judaea*, et addit, *eum post hoc quinquennium elapsum profectum esse Antiochiam.* Sed Onuphrius statuit, *eum ante nonum annum post Christi resurrectionem non excessisse e Judaea*, et addit, *eum post hoc novennium Romam adiisse.* Bellarminus statuit, *Petrum quinque annos mansisse in Judaea et septem annos sedisse Antiochiae, atque ita duodecimo anno a Christi resurrectione venisse Romam.* Sed Onuphrius statuit, *eum in principio anni decimi a Christi resurrectione venisse Romam.* Passionale dicit, *ipsum proximo post Christi anno Romam venisse.* Damasus in pontificali docet, *Petrum Nerone Caesare urbem Romam ingressum esse;* quomodo igitur potuit 25 annos sedem papalem regere, cum Nero, sub quo Petrum martyrio affectum plerique omnes statuunt, non nisi quatuordecim annos regnaverit? De tota hac re alibi plura, possunt enim ex Scripturis sacris, praesertim ex historia Actorum et epistolis Paulinis, evidentia afferri documenta contra figmentum de illo viginti quinque annorum Petrino episcopatu. Ceterum ut *origo*, ita quoque *continuatio* papalis successionis est incerta. Tertullianus de praescript. adv. haer. post Petrum ponit *Clementem*, idem facit Hieronymus in c. 25. Esa. ac probatur haec sententia in decretis juris canonici; sed Optatus Milev. lib. 2. adv. Parmenian. post Petrum ponit *Linum*, Clementem facit tertium. Idem statuit Augustinus epist. 165. Vicissim Irenaeus lib. 3. c. 3. post Petrum ponit *Linum*, post hunc *Cletum* et *Clementem* ponit quarto loco. Idem faciunt Eusebius in chron. Epiphanius haeres. 27. Hieronymus de viris illustr. in Clemente. Alii aliter nuntiant, unde Barthol. de Caranza in summ. conc. Parisiis anno 1564. edita p. 13. scribit: *In re tam perplexa lectoris arbitrio judicium permitto.* Nec diffiteri potest Bellarminus lib. 2. de pontific. c. 5. *discordiam testium* de successione Romanorum episcoporum. Vide omnino de hac dissensione veterum et recentiorum in historia de successione Rom. pontific. Urspergensem apud Flacium cent. 1. mend. papist. pag. 32. Polanum in symph. cathol. c. 18. thesi 63. pag. 665. 2. Successio illa fuit *saepius interrupta*, primo quidem *per diuturnam vocationem.* Referente enim Platina post Johannem III. vacavit sedes Romana mensibus decem diebus tribus; post Pelagium II. mensibus sex diebus 28; post Gregorium mensibus 5 diebus 19; post Fabianum mensibus 11 diebus 26; post Bonifacium III. mensibus 6 diebus 25; post XI. 306.
Severinum mensibus 4 diebus 29; post Martinum I. mensibus 14, post Vitalianum mensibus 4 diebus 15; post Paulum anno uno mense uno; post Nicolaum I. annis 8 mensibus 7 diebus 9 etc. Quoties duo vel tres antipapae de hac sede velut esurientes vultures de praeda invicem contenderunt! Deinde *per antipaparum dissensionem* possunt viginti octo schismata ex historicis numerari, quae in sede Romana contigerunt, inter quae gravissimum fuit schisma 27. quod duravit ultra 30 annos inter Urbanum VI. et Clementem VI. (De quibus videatur isagoge chronologica Reusneri.) *Jam vero dubius et incertus papa habetur pro nullo*, fatente ipsomet Bellarmino lib. 4. de pontif. c. 8. ac schismaticos nihil juris habere in ecclesia statuitur c. didi- XI. 307.
cimus 24. q. 1. Nimis prolixum foret, historiam illorum schismatum texere, remittimus igitur lectorem ad Onuphrium, Platinam, Robertum Barnes, Balaeum, Szegedinum, Nigrinum et alios, qui historiam Romanorum pontificum descripserunt. Concilium Basileense papam *Eugenium* pronuntiavit schismaticum,

Schismata papalia.

Digitized by Google

qui tamen nihilominus sedem illam obtinuit, atque ex eo descenderunt reliqui pontifices in hunc usque
XI. 308. diem, qui omnes sunt schismatici illius successores, ergo secundum proprios ipsorum canones nullum jus habent in ecclesia. Tertio *per haereticam a vera fide discessionem.* Bellarminus libr. 4. de eccles. c. 8. diserte scribit, *in Graecis ecclesiis patriarchalibus interruptam esse successionem, propterea quod per longa tempora habuerint episcopos manifestos haereticos.*

Exempla pontificum qui fuerunt haeretici.

Atqui de Romanae ecclesiae pontificibus idem verissime demonstrari potest, in ea enim praesedit *Zephyrinus* Montanista, (referente Tertulliano adv. Prax.), *Marcellinus* idololatra, (referente Damaso in pontif.), *Liberius* Arianus, (referente Athanasio in epist. ad sol. vitam agent.), *Felix* Acatianus (Hieronymus in catal. in verb. Acatius), *Anastasius* Nestorianus (Plat. in Anast.), *Vigilius* Eutychianus, *Honorius* Monotheleta, *Sylvester* magus, *Johannes XX.* qui docuit, animas piorum a corpore solutas non visuras Deum ante judicii diem, *Johannes XXIII. qui asseruit et dogmatizavit et adstruxit, vitam aeternam non esse, ac pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano more brutorum exstingui*, ut concilium Constantiense de illo loquitur. Quodsi ergo in ecclesiis Graecis propter episcopos haereticos successio defecit, agnoscant etiam in Romana ecclesia propter eandem causam illam defecisse.

nec non eorum qui papatum illegitime occuparunt.

Denique per *illegitimam occupationem.* Nicolaus II. c. in homine dist. 23. circa annum 1059. constituit, *ut papa eligatur suffragiis cardinalium et episcoporum, consensu reliquorum clericorum ac populi Romani, ipsius denique imperatoris, et ut si quis alio aliquo modo illegitimo papatum adipiscatur, inexcommunicatus et anathematizatus sit habeaturque quemadmodum Antichristus*, c. Sicut Simonia c. Insinuatum c. Quanta. extra de Simoniaca, ut et 1. q. 1. per multos canones statuitur, *non esse legitimos episcopos, qui per Simoniam aditum sibi ad officium episcopale paraverint.* Atqui de pontificibus Romanis testantur historiae, quod 1. quidam *per vim*, 2. quidam *per fraudes*, 3. quidam *per Simoniam*, 4. quidam *per artes magicas* in sedem papalem sese intruserint. Agapetus (al. Anacletus) vi et usurpatione manifesta papatum occupavit, quem propterea Bernhardus epist. 125. vocat *bestiam apocalypticam, cui datum sit os loquens blasphemias.* Carol. Sigonius libr. 8. de regno Italiae: *Pontifices Romani ad annos ducentos non nisi per seditiones aliaque media offendiculi plena ad hanc sedem pervenerunt.* De Bonifacio VIII. dicitur, *quod intraverit ut vulpes, regnaverit ut leo ac mortuus sit ut canis.* Platina de Sylvestro II. qui prius Gerbertus dictus fuit: *Gerbertus ambitione et diabolica dominandi cupiditate impulsus largitione primo archiepiscopatum Renensem, inde Ravennatem adeptus, pontificatum postremo majore conatu adjuvante diabolo consecutus est, hac tamen conditione, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tan-*
XI. 309. *tam dignitatem adeptus.* Benedictus IX. antequam crearetur pontifex magiae beneficio in sui amorem quascunque vellet mulierculas pellicere poterat *ac malis artibus pervenit ad dignitatem pontificiam*, postea pontificatum mille libris Turonensibus vendidit suo in malis artibus sodali Gratiano, qui postea dictus Gregorius VI. Unde Platina de Gregorio VI. dicit, eum non per ostium, sed per posticum ingressum ut latronem et furem. Gregorius VII. sex ordine pontifices per administrum suum Gerhardum Brazutum sustulisse scribitur, ut ad hanc sedem adscendere posset. Vigilius viventi Sylvestro sedem Romanam per vim eripuit: Johannes XVII. itidem per vim Romanam sedem occupavit, unde Platina negat, eum per ostium intrasse. Wilhelmus Occam c. 124. operis nonag. dierum: Dicitur in chronicis, circa viginti septem vocatos episcopos Romanos, postquam ecclesia exstitit temporalibus divitiis dotata, fuisse, qui sceleribus maximis, publicis et notoriis, postquam fuerunt ad papatum assumti, vel in ipsa assumtione ad papatum irretiti, scilicet crimine haeresis, idololatriae, intrusionis fautoriae, pravitatis haereticae, blasphemiae, fornicationis et aliis multis enormibus criminibus involuti fuerunt. Sarisber. in Polycrat.: Papam hodie nulla vocat electio, sed repugnante in membris Christo ambitio coeca et cruenta non sine sanguine fraterno intrudit, quod quidem est Romulo succedere in parricidiis, non Petro in commissa dispensatione ovilis. Benno refert, *quod quinque papae se totos consecrarint Satanae, ut ad hanc sedem eveherentur*, videlicet Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. Johannes XXI. Gregorius VII. Nauclerus et Platina testantur, omnes papas *a Sylvestro II. usque ad Gregorium VII.* inclusive fuisse magos. Possent illegitimae illius occupationis exempla quamplurima afferri, sed judicamus, in re manifesta multis non esse opus verbis. Alexander VI. cum epoto per errorem veneno, quod de ipsius jussu optimatibus quibusdam propinandum erat, letaliter aegrotans ministrum Modenam in conclave mitteret, ut libellum deauratum, in quo magia conscripta erat, afferret, ut de fine vitae suae diabolum consuleret, minister invenit Satanam in sella pontificia sedentem ac habitu pontificiali indutum audivitque eum dicentem: *Ego sum papa.* Egregium vero sedis pontificiae rectorem! Nec solum dubia et interrupta est papalis illa successio, sed etiam *turpiter deformata* per papissam Johannam Anglicam feminam. Quamvis enim in libris, qui anno 1593. ex officina XI. 310
Platiniana Antuerp. prodierunt, sub titulo de utilitate legendae historiae Justo Lipsio inscriptis, auctor illorum ex professo puerperam illam Romanam

Papa femina.

amoliri cupiat; quamvis etiam Onuphrius et alii XI. 311
papalis sedis assentatores eam in serie pontificum omiserint; tamen ab auctoribus gravibus et fide dignis historia de papissa illa puerpera constanter asseritur, neque quisquam inventus, qui eam negatum iret, antequam turpitudo Romanae meretricis per Lutherum inciperet denudari, nec dubitari potest, Deum meretriculae illius successione toti mundo

Babylonicam illam in Apocalypsi meretricem demonstrare ac publice notam facere voluisse. *Don Piero di Mexia* hanc historiam in authenticis auctoribus sese reperisse testatur eamque cum nonnullis aliis memorabilibus Romanorum imperatorum invictissimo Carolo V. lingua Iberica inscripsit. *Valent. Muntzerus* in chronographia ex Fuldensis coenobii bibliotheca conscripta et Fuldensium praesuli dedicata aetate 3. ejus mentionem facit. Meminerunt ejusdem *Dominicus Jacobatius* cardinalis libr. 9. de concil. art. 9. num. 6. et 7. *Fr. Leander Albertus Bononiensis* monachus, qui se in texenda historia illos potissimum secutum scribit, qui rectius exactiusque visi sunt scripsisse in libro quodam privilegiato a Caesare,
XI. 312. regibus Hispaniarum et Galliarum. *Liber Roman. indulgent.* anno 1525. Romae editus affirmat, angelum huic papissae uterum gerenti apparuisse ipsique optionem eligendi poenam temporalem aut aeternam dedisse, ipsam vero pudorem temporarium elegisse. *Raphaël Volateranus* in commentariis, quos ipsi pontifici Julio II. inscripsit; *Stephanus Blanck* Passavianus ad Alexandrum VI. de Romanae urbis miraculis anno 1500. *Johannes Marcoville* Gallus de bonitate et malitia sexus feminei, *Platina* de vitis pontificum, *Martinus Polonus*, **Bellarminus de script. eccles. in Martino Polono p. 360: *In impressis codd. Mariani et Sigeberti irrepsit haec fabula ex Martini Poloni libro, sed in antiquis manuscriptis non habetur.* Idem habet lib. 3. de R. P. c. 24. Ceterum vide hic assertionem veritatis historicae de papa Johanne VIII. contra Bellarminum et Baronium institutam a Cunrado Deckero Oppenheimii anno 1612. in 8. Effigies papissae illius parturientis e saxo efformata mansit usque ad Pium V. qui eam in Tiberim projici mandavit, ut memoria ejus rei aboleretur. Hasenm. in triumph. papist. p. 419. Romae etiam pueris notam esse historiam memorat.** *Sigebertus Gemblacensis* in annalibus, *Marianus Scotus* in chronico ex vetustissimis coenobiorum libris collecto in anno 854. *Ranulphus* in polychron. lib. 5. c. 32. *Fasciculus temporum* Werneri Rollewinck, *Chronicon Norinbergense* Hartm. Schedelii anno 1494. excusum, *Rudolphus Flaviacensis* monachus, *Chronicon Campidonense* manuscriptum, in quo abbatis illius coenobii enumerantur, *Annales Augustani manuscripti*, *Chronicon Argentoratense* manuscriptum, *Otto Frisingensis*, *Gotfridus Viterbiensis*, *Robertus Gallus*, *Wilhelmus Occam* c. 124. operis nonag. dierum, *Martinus Minorita* in chron. cujus titulus Flores temporum, *Franciscus Petrarcha* in chron., *Johannes Bocatius* de claris mulier. c. 99. *Johannes Huss* de eccles. c. 13. *Cestrensis* lib. 5. c. 3. *Chronicon Constantiense*, *Jacobus de Regiscuria* in chronico, *Antoninus* tit. 16. part. 2. c. 1. §. 7. *Chronicon vetus* Ulmae impressum anno 1486. *Compilatio chronologica* scripta anno 1470. Francof. a Joh. Pistorio edita, *Vetus chronicon Germanicum* excusum Augustae anno 1475. *Guilelmus Jacobus* monachus Ecmondensis prope Alcmariam in rhythmis de vitis pontificum, *Baptista Mantuanus* lib. 3. tophotesiae tart. *Jacob. Philipp. Bergomensis* in supplemento chron. *Trithemius* in chron. Hirsaug. *Johannes Marius Belga* de schismatibus, *Albertus Crantzius*, *Hermannus Aedituus* lib. 2. part. 2. *Johannes Henaldus* de statu ecclesiae ad Carolum V. *Henricus Cornelius Agrippa* de nobil. et praecell. sexus feminei ac de vanit. scient. c. de monachis, *Richardus Wasseburgius Verdunensis* in chronico, Liber cui titulus *puerperium papae* editus anno 1530. *Bernardus Girardus* historiographus regius Gallicus, *Paulus Constantinus* Phrygio in chronicis, *Johannes Lucidus* in chronico, *Achilles Gassarus* in chronico, *Lud. Coelius Rodiginus* volum. 14. antiq. lect. *Valerius Anselmus* in chron. Bernensibus dicato, *M. Guazus* in chron. Ital. *Jacobus Curio* in chronolog. *Petrus Flandrus*, *Johannes Nauclerus* in chron. *M. Antonius Coccius Sabellicus* ennead. 9. lib. 1. *Johannes Stella* sacerdos Venetus, Liber cui titulus *Onus ecclesiae*, *Christianus Massaeus* in Chron. et alii plures, quorum testimonia late recenset Joh. Wofff. lect. memorab. cent. 9. anno 854. p. 224. et seqq. Historiam ipsam Polonus sic describit: *Post Leonem IV. Johannes Anglus natione Moguntinus sedit annis duobus mensibus quinque diebus quatuor et cessavit pontificatus mense uno, mortuus est Romae. Hic fertur femina fuisse et cum in puellari aetate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas fuisset ducta, in diversis scientiis ita profecit, ut nullus par sibi inveniretur, adeo ut post Romae legens magnos magistros discipulos et auditores haberet. Et cum in urbe vita et scientia magnae opinionis esset, in papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de sancto Petro in Lateranum tenderet, angustata partu inter Colossaeum et Sancti Clementis ecclesiam peperit in via. Et postea mortua ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. Et propterea quod Dominus papa eandem viam semper obliquat,*
creditur omnino quibusdam, quod ob detestationem XI. 313.
facti hoc faciat, nec igitur ponitur in catalogo sanctorum pontificum tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti. Haec ille historiographus, de quorum veritate per octingentos ferme annos in ipso Pontificio regno nunquam a quoquam dubitatum vel disceptatum, summae igitur impudentiae et audaciae fuerit tam multos et graves scriptores, quorum consentientium monumentis expressa liquet veritas, mendacii cujusdam arguere. Oswald. Crollius in itinerario Italico memorat, Senis in templo cathedrali Catharinae omnium Romanorum pontificum facies sculptas in marmore videri et in his quoque suo ordine reperiri Johannem papam adscriptis his verbis: *Femina Angla. Antoninus* memorat, quoddam signum sculpturae marmoreae in via, ubi hoc contingeret, ob hujus rei memoriam positum fuisse. *Felix Malleolus* in dial. de nobil. refert, Benedictum tertium in rei memoriam certam sellam apud Johannem Lateranensem

Digitized by Google

pertusam erexisse, quae usque in hodiernum diem compareat, ad hoc coaptatam, ut electus summus pontifex ibidem collocetur et per duos de clero fide dignos ejus testiculi de sexu virili testimonium praebentes debite tangerentur, quod Platina de sella stercoraria humanae fragilitatis monitrice interpretatur. Sed enim quia pudendum dedecus meretricula illa papali sedi intulit, ideo recentiores quidam scriptores ratiunculis quibusdam undique corrasis hanc historiam conantur reddere suspectam, vident enim, per eam structurae illius Babylonicae de perpetua a Petro successione praesidium funditus dirui. Onuphrius et auctor librorum de utilitate legendae historiae potissimum hoc urgent: *1. Quod Martinus Polonus primus sit, qui anno Domini 1320. illius mentionem faciat.* Respondemus: fuit Martinus ille monachus ordinis praedicatorum, poenitentiarius papae Nicolai tertii, postea archiepiscopus Consentinus; habuit is Vaticanam bibliothecam tanquam poenitentiarius et proximus papae apertam, ideoque res gestas pontificum eo nomine melius scire potuit. Sed et falsum est, hunc Martinum primum historiae illius esse auctorem, quia Marianus Scotus annis 234 illo superior sine ulla circuitione monstrosum illum papae partum publicae luci exposuit. Hic Marianus ex Scotia in Germaniam profectus in tribus Benedictinorum contuberniis vixit, Coloniensi, Fuldensi et Moguntino, atque ex vetustissimis illorum et aliorum coenobiorum libris chronicon suum collegit, ut de Sigeberto Gemblacensi, Rudolpho Flaviacensi, Ottone Frisingensi et aliis quamplurimis, qui ante Martinum Polonum scripserunt, nihil dicamus. *2. Quod Anastasius bibliothecarius in Chronico pontif. Ado Viennensis, Adamarius, Regino Prunensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgensis, Conradus de Lichtenau, Leo Ostiensis et Johannes Gemonensis hanc de Johanna historiam non commemorent.* Respondemus: a loco testimonii ratiocinando negate procedere, praesertim in historiis, non probatur sanioribus logicis. Quin imo ne in sacris quidem historicis negate concludi potest. Matthaeus, Marcus et Lucas Christi cum Samaritana colloquium ac Lazari resuscitationem non describunt, ergone propter id repudianda fuerit? Quare vero historici illi nullam papissae feminae mentionem facere voluerint, ejus rei causa a reliquis non tacetur. *Non ponitur in catalogo pontificum* (inquit Martinus Polonus) *tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti. Quidam scriptores* (inquit Ranulphus in polychron.) *nomen Johannis VIII. reticuerunt et Benedictum tertium Leoni quarto substitutum esse quatuor dierum intervallo scribunt, non quod Johannes ille non fuerit, sed ut nihil ignominiae aut dedecoris ad sanctam illam cathedram redundaret. Nam dedita opera a scriptoribus praeteritus est, ne qua ignominiae labe sedes inde adspergeretur. Nonnulli* (scribit Trithemius) *feminam illam inter pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. 3. Graeci Zonaras, Cedrinus et alii in suis annalibus non fecerunt illius papissae mentionem, quod pro suo erga Romanam sedem odio non omisissent, si quid veri subesse visum fuisset.* Respondemus: aliud est XI. XII
universalem mundi historiam contexere, aliud subnotare saltem ea, quae in certa ac determinata orbis parte sunt gesta, propositum illis historicis fuit praecipue de patria, non de Roma scribere, sed et falsum est, nullam omnino a Graecis illius rei mentionem fieri. *Leonicus Chalcondylas* lib. 6. de rebus Turcicis p. 411. hac de re sic scribit: *Pontificem jam pronuntiatum insidere jubent cardinales sedili foramen habenti, ut testes ex eo propendentes aliquis, cui hoc muneris injunctum est, tangat, quo appareat, pontificem virum esse. Nam constat, mulierem quondam in pontificatum esse subvectam, quia sexus ignorabatur, nam Itali occidentales paene omnes barbas radunt. Cum autem illa mulier gravida esset facta et ad festum sive sacrificium prodiisset, peperit infantem inter sacrificium in conspectu universi populi. Quapropter ne decipiantur iterum, sed rem cognoscant neque ambigant, pontificis creati virilia tangunt; et is qui tangit, acclamat: Mas nobis Dominus est! Nomina autem post electionem ilico commutant, quasi jam divinioris quam antea sint naturae et planissime mutati. 4. A quibusdam papissa illa dicitur Anglica, a quibusdam vero Moguntinensis.* Respondemus: omnes consentiunt, fuisse eam ex Moguntia oriundam, quod autem vocatur Anglica, ejus rei duplex potest esse causa. Priorem exponit Jacobus Curio in chronol.: *Narrant* (inquit), *sacerdotem quendam Britannicum cum conjuge fuisse quoque tum in migratione et ex itinere, quod uterum ferret uxor, commoratum tantisper Moguntiae esse, donec gravida peperit. Fertur autem enixa eo partu esse Gilbertam puellam illam literatissimam, quae mentito sexu monachum maritum suum sectata, tandem in pontificem electa est.* Ergo respectu parentum vocatur Anglica, respectu vero natalis soli Moguntinensis. Posterior causa petitur ex annalibus Augustanis, in quibus refertur, quod monachus ille, a quo cum per Italiam tum per Galliam mentito sexu circumducta est, fuerit Anglus, fieri igitur potuit, ut ab hoc suo comite Anglici cognomen traxerit. *5. Fabula est a Graecis sumta et assignata tempore sequenti sedi apostolicae, quod patet exemplo Leonis, qui ea de re Graecos objurgat, quod et feminam et eunuchos contra primum Nicaeni concilii capitulum in sede pontificali sublimaverint, ergo simile quid Romanis non contigit.* Respondemus: inanes illae conjecturae tot scriptorum consentientium testimoniis frustra opponuntur. Et quomodo potuit haec fabula a Graecis originem trahere, cum plerique omnes sint Latini scriptores, qui illius mentionem faciunt? Praeterea quomodo haec duo conciliari possunt, quod Graeci scriptores nullam hujus historiae mentionem faciant et quod haec fabula a Graecis sit sumta? *6. Platina, Sigebertus etc. ex vano rumore sparso has nugas hauserunt et chronicis suis indiderunt, quae non nituntur pro-*

Digitized by Google

bati alicujus auctoris testimonio. Respondemus: hoc vero est frontem perfricare. Historiam illam de papissa meretricula primus narravit Rudolphus Flaviacensis monachus auctor gravis, testis locuples, cujus etiam Trithemius mentionem facit, qui vixit anno Christi 930. et sic seculo post illam tragoediam proximo; Marianus Scotus ex vetustissimis coenobiorum libris chronicon suum collegit; Platina fuit papae secretarius et bibliothecarius, Martinus Polonus fuit papae poenitentiarius. Si illis fidem historicam denegant, quibus tandem eam adhibebunt? Aeneas Sylvius pontifex ipsemet tandem factus hanc historiam exscripsit in sexta mundi aetate p. 170. operis historici impressi Norimberg. anno 1493. per Kobergerum. Judicet ergo quilibet,
XI. 315. utrum tot historiarum per tot secula continuatarum et consentientium affirmationi credendum sit, an vero recentium paucorum inficiationi, qui id unum sibi propositum habent, ut papalem sedem quibuscunque possunt modis fulciant vel invita etiam veritate; nobis certum est, papatu illius meretriculae successionem papalem non solum esse interruptam, sed etiam turpiter deformatam, quia ut Antoninus tit 16. part. 2. c. 1. §. 7. disputat, illa utpote femina non fuit susceptibilis characteris alicujus ordinis, nec perficere eucharistiam aut ordinare potuit, nec absolvere a peccatis, unde ordinati ab ea iterum fuerunt ordinandi, quia nihil ab ea receperant. Pulcherrima est observatio Georgii Nigrini lib. 5. inquis. c. 8. quod ab anno Domini 855. quo meretrix illa Anglica in sedem pontificiam, est evecta ad annum 1521. quo Lutherus Wormatiae in comitiis inter ordines imperii Romani coram Caesare papae contradixit inque propatulo meretricem scortantem et poculo suo reges terrae inebriantem proposuit, numerentur anni 666. qui sunt character bestiae illius apocalypticae.

An episcopi Pontificii sint successores apostolorum.

198. Quod attinet reliquos ecclesiae Romanae episcopos et clericos praeter papam, illos itidem non possumus pro veris apostolorum successoribus agnoscere, 1. quia propagant et ipsi nova dogmata apostolicae et primitivae ecclesiae ignota, auctoritas Tridentini concilii apud illos est sacrosancta, in quo tamen falsa et Antichristiana dogmata stabiliuntur, ut a nostris saepius ostensum. 2. Quia omnem suam potestatem, jurisdictionem et officii dignitatem fatentur se accipere a pontifice Romano, quem pro episcopo universali et ecclesiae capite agnoscunt. Bellarminus libr. 4. de pontif. c. 24. Sed primatus ille pontificis, quem a Petro deducunt, et doctrinae et moribus Petri fortissime repugnat, nec potest manifesto aliquo Scripturae testimonio probari. 3. Illegitime sine populi consensu eliguntur, quod est contra doctrinam et praxin apostolorum Act. 1, v. 23. c. 6, v. 1. c. 14, v. 23. 1. Cor. 16, v. 3. 4. Saepius indocti et ad episcopale officium inepti praeficiuntur. Qui plus pecuniae numerat, ad ditiorem episcopatum et praebendam citius adspirat; examinator coram altari solenniter quidem jurat, se reperisse, omnes illis sacris initiandos esse idoneos aetate, moribus et scientia, cum tamen plerumque testibus Erasmo harum rerum probe conscio et ipsa experientia sint indocti, moribus corruptissimi et saepe etiam aetate immatura. In gravaminibus nationis Germanicae grav. 7: *Ecclesiarum regimina Romae minus dignis committuntur, qui ad mulos magis quam ad homines pascendos regendosque sunt idonei.* Nec dissimulant hoc cardinales in consilio de emendanda ecclesia Paulo III. pontifici dato et procurante Vergerio Argentor. anno 1555. postea edito. *Primus* (inquiunt) *abusus est ordinatio clericorum et praesertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sunt imperitissimi, sint vilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur ad sacros ordines et maxime ad presbyteratum; hinc innumera scandala, hinc contemtus ordinis ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed etiam prope jam exstincta. Alius abusus est, isque maximi ponderis in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxime curatorum, et prae omnibus episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia et non gregi Christi et ecclesiae. Alius abusus est in permutationibus beneficiorum, quae fiunt cum pactionibus, quae omnes sunt Simonianae nulloque respectu habito nisi lucri. Alius abusus est, quod plures modi inventi, quibus beneficia testamento legentur, quod filii presbyterorum habent parentum beneficia. Alius abusus est in exspectativis et reservationibus beneficiorum, quod cardinalibus conferuntur episcopatus non unus tantum, sed plures, cum tamen officium cardinalis et episcopi sint incompatibilia* etc. Similem querelam texit Ludov. Vives in libr. 17. August. de civ. Dei c. 5: *Quotusquisque est, qui sacerdotia ambiat, potius ut reli-* XI. 316.
giose colat, quam ut quaestui habeat? quem incitant parentes et necessarii ad rem ecclesiasticam alio fine, quam ut ditentur ipsi? Quis se non existimat sanctissime facere, cum filiis, si habet, habet autem nisi sit sterilis, cum fratribus, sororibus aliisque cognatis et necessariis etiam opulentis, quas ecclesiae divitias vocant, praetermissis egenis, quibus illa sunt parata, impartitur? Idem in lib. 19. de civ. Dei c. 19: *In Osea Dominus conqueritur episcopos laqueum factos speculationi et rete in monte Thabor, ceu de hujus temporis episcopis loqueretur, qui sacerdotiis laqueos tendunt et pecunias larga retia, sed non raris maculis, ne nummus effluat.* Ibidem: *Nunc ita curatum est diligentia et ingeniis quorundam, ut citra fraudem legis possit episcopatus non modo appeti licite, sed emi quoque et vendi.* 5. Nullam fere episcopalis muneris partem administrant. Quotus enim quisque illorum e suggesto populum docet, sacramenta juxta Christi institutionem administrat, aegrotos visitat etc.? Injunctum quidem illis in concilio Tridentino, *ut inposterum ipsi docerent*, sed quomodo id faciant, publice omnibus constat. *Abusus est et ille corrigendus* (loquuntur cardinales delecti in suo consilio), *ne epi-*

Digitized by Google

scopi primum et prae omnibus aliis, deinde ne curati abessent a suis ecclesiis et parochiis nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent. Per Deum immortalem quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest Christianum orbem peragranti quam haec solitudo ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenariis. 6. Secularibus negotiis et politico regimini toti sunt immersi. Duarenus lib. 1. de sacr. eccles. minist. c. 4: *Plerique episcopi nostro tempore a religione et sacris quam quivis satrapae et principes profani longe alieniores, nec eis aliud curae est, quam ut ditionem et possessiones suas quo jure, quave injuria tueantur et augeant.* Eccius in postill. homil. 2. de festo Stephani: *Nostrates praelati ordinem invertunt apostolicum, dum spiritualia graviora quam quae subeant rati in pontificalibus suffraganeorum, in judiciali officialium in absolvendis poenitentiariorum ope utuntur, in praedicatione monachum nescio quem praeferunt, in aliis spiritualibus vicarios habent. Sin qua in re de censu et temporalibus agitur, res haec ad dominum nostrum episcopum referenda est*, unde apud Caesarium Cisterciensem dist. 2. c. 28. clericus Parisiensis edixit, *episcopos Alemanniae salvari vix posse, quia pene omnes habeant gladium spiritualem et materialem deque sanguine judicent, bella exerceant magisque soliciti sint de stipendiis militum quam de salute animarum sibi commissarum.* Erasmus in annotat. 1. Petr. 5. p. 533: *Praeceptum hoc apostolorum principis in omnibus omnium episcoporum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacte velut ex officio, sed ex sincero affectu tanquam patres, neque turpis lucri gratia, quasi praesentiens hinc ecclesiae pestem orituram. Denique non dominantes more regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc episcoporum vulgus nihil audit ab assentatoribus doctis nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorundam plusquam regius, saevitia plusquam tyrannica.* Atqui dominatu politico apostolis et ipsorum successoribus fuit interdictum, unde can. apost. 8. jubet illum *ab officio removere, qui simul civilem et ecclesiasticum gerere velit magistratum.* Ambrosius in 2. Tim. 2: *Ecclesiasticus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus solicitus, a seculari negotio alienus, non enim convenit unum duplicem habere professionem.* In fragmentis apostolorum legitur, quod Petrus dixerit ad Clementem a se ordinatum episcopum: *Impietatis crimen est neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares.* 7. Plerique illorum impie vivunt, impurum coelibatum sectantur et publicis flagitiis sunt infames. Orator ducis Bavariae in concilio Tridentino hac de re domesticum profert testimonium: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei et hominum omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci quam*
XI. 317. *minima aliqua in re emendatum animadverti, ut cetera cleri vitia, quae cum populo communia habet, taceantur, at certe libido illa nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissimum infamis habetur a plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Campegius referente Sleidano libr. 4. hist. ad legatos Argentinenses dixit, *scire se, episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant*, quinimo Adrianus pontifex in legatione ad conventum Norinbergensem anno 1523. *a planta pedis ad verticem usque capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis ecclesiastici* libere confessus est, ut Ecbertus ad episcopum Coloniensem recte dixisse videatur: *Episcopari est carni indulgere, pompatice incedere, quaestui intendere et deliciose otiari.* Quomodo igitur pro veris apostolorum successoribus illos agnoscere possumus? *Si in apostolorum loco sumus*, scribit Hieronymus in c. 2. Mich. *non solum sermonem eorum imitemur, sed et conversationem et abstinentiam amplectamur.* Dicimus proinde cum Bernhardo in conc. Remensi: *Quid prodest, si canonice eligantur et non canonice vivant?* Ac quod de papa concludit Johannes Huss in libro de ecclesia, eum non esse Christi vicarium, quia moribus et vita est illi dissimillimus, idem ex eodem argumento de episcopis et clericis Pontificiis concludere possumus, quod non sint apostolorum successores, quia scilicet vita et moribus longissime ab illis discrepant. *Quia* (inquit) *vicarius debet vicem gerere superioris, a quo accepit vicariam potestatem, ergo oportet, quod in omnibus illi, cujus vicem gerit, in operibus conformetur, nam alias potestas in eo frustraretur; tunc ex illo formatur tale argumentum. Illius est homo verus vicarius, cujus vicem gerit, et a quo procuratoriam potestatem legitime accipit. Sed nemo vere gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter nisi sub illa conditione a Deo recipiat procuratoriam potestatem, igitur ad id officium vicarium requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas. Si ergo papa est homo humillimus, mundanos honores contemnens et lucrum seculi parvi pendens; si est pastor trahens a pastu verbi Dei nomen, de quo pastu Petro dixit Dominus; pasce oves meas; si pascit eas verbo et virtutum exemplo factus forma gregis si est mitis, patiens, castus et in ministerio ecclesiae laborans anxie et solicite arbitrans omnia mundi temporalia ut stercora: tunc sine dubio est verus Christi vicarius manifestus Deo et hominibus, quantum ad judicium externum sensuale. Si autem vivit istis virtutibus contrarie, cum non sit Christi communicatio ad Belial* 2. Cor. 6. *et qui non est mecum, contra me est, ait Christus* Matth. 12. *quomodo est verus et manifestus Christi et Petri vicarius et non magis Antichristi vicarius obvians Christo in vita et moribus? Unde Christus Petrum, dum fuit sibi in voluntate et verbo contrarius* Matth. 16. *post promissionem dationis clavium vocavit Satanam, hoc est adversantem, dicens: Vade post me, Satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quae sunt Dei,*

sed quae sunt hominum. Si ergo Petrus primus Christi vicarius ab ipso electus et ecclesiae spiritualiter deputatus, vocatus est a Christo Satanas, qui ex affectu dilectionis dissuadebat ei mortis subire supplicium, cur alius in vita Christo amplius contrarius non diceretur vere Satanas et per consequens Antichristus vel ejus vicarius, vel minister praecipuus Antichristi? Idem de episcopis et clericis Romanae ecclesiae concludimus, quod non sint apostolorum successores, sed adversarii, quippe cum vita et moribus illis sint dissimillimi. *Neque enim sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* cap. Non est facile. dist. 40. ex Hieronymo ac magister Alofresant vates ex insula Rhodo circa annum 1394. recte scripsit: *Qui neque Christi neque apostolorum opera exercent, quis unquam sibi tales reliquit successores et vicarios? tempus igitur putationis jam advenit.* 8. Denique illegitimo juramento pontifici sunt obstricti, adeo ut ne quidem vera contra papam dicere illis permissum sit, unde Protestantes relaxationem
XI. 318. illius juramento optimo jure postularunt, antequam ipsorum judicio in causa religionis se submittere vellent. Formula ejus exstat c. Ego. de jurejurando: *Papatum Romanae ecclesiae et regulas sanctorum patrum adjutor ero ad defendendum et retinendum salvo ordine meo contra omnes homines.* Memorat autem secretarius Pauli IV. pontificis in lib. an decreta concilii Trident. sint armis imperanda fol. 90. edit. Pfortzh. Romae haberi arctiorem et auctiorem formulam, juxta quam ante concessionem investiturae pontifici se obstringere coguntur. Ea enim sic habet: *Ego N. episcopus ab hac hora ut antea fidelis ero S. Petro, sanctae apostolicae Romanae ecclesiae dominoque meo papae ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero neque in consilio, neque in facto, ut vitam perdat et membrum vel capiatur mala captione consilium, quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuntium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanum et regulas S. Petri adjutor ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem, jura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae ecclesiae Domini nostri papae et successorum ejus conservare, defendere, augere et promovere curabo, regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab omnibus observari, haereticos, schismaticos et rebelles domino nostro papae pro posse persequar et impugnabo.* Atqui talibus juramentis ad tam coecam et illimitatam obedientiam apostoli non fuerunt Petro obstricti, sed libere eum admonuerunt, quin et reprehenderunt Act. 11, v. 2. Gal. 2, v. 14. Ergo episcopi Pontificii non sunt veri apostolorum successores.

An ministri evangelici sint apostolorum successores.

199. *Membrum tertium.* Num ministri evangelici sint veri apostolorum successores? Pontificii praefracte illud negant, sed antequam probent, doctrinam nostram ab apostolorum doctrina diversam esse, non possunt successionis apostolicae vere et proprie sic dictae inque consanguinitate doctrinae sitae laudem nobis eripere. *Ubi enim vox apostolorum sonat, ibi cathedrae apostolorum praesident.* Becanus tract. de eccles. q. 3. concl. 4. conatur ostendere, successionem doctrinae apostolicae non habere locum in nostra ecclesia; sed quam irritus sit iste conatus, cuivis patere potest, qui remotis calumniis doctrinam nostrarum ecclesiarum, prout in Augustana confessione proponitur, cum Scripturis sacris conferre voluerit. Quodsi localem et personalem quandam successionem continua et non interrupta serie ab apostolis deductam a nobis requirant, respondemus, successionem esse vel ordinariam vel extraordinariam. Ordinaria successio tunc demum habet locum, quando ministri ecclesiae et fidei et loci ratione antecessoribus suis succedunt, sed quia orthodoxis pastoribus quandoque succedunt lupi perversa docentes Act. 20, v. 29. ideo Deus in ecclesia regenda non utitur perpetuo ordinaria successione, sed extraordinarie quandoque excitat sinceros doctores, per quos corruptum ecclesiae statum reformat et illos, qui loci ratione sunt in ordinaria successione, officii sui admonet. Sic cum Eli et ipsius filii a Deo turpiter deficerent, interrupit Deus ordinariam illam sacerdotum in familia Eli successionem et sacerdotium in aliam familiam transtulit, 1. Sam. 2, v. 30. Cum tempore regis Achaz templum esset pollutum et fores ejus clausae, insuper etiam summus sacerdos Urias idololatricum cultum propagaret, excitavit Deus prophetas, per quos cultum divinum ad pristinam sinceritatem et integritatem reduxit, 2. Reg. 16, v. 10. 2. Chron. 28, v. 24. id ipsum aliis quoque temporibus in populo Israëlitico saepius factum, ut Levitici sacerdotes, penes quos erat ordinaria successio, per prophetas extraordinarie vocatos et missos redarguerentur et doctrina coelestis ab idololatriae sordibus repurgaretur. Sic Amos *ruborum mora distringens* divina vocatione *subito propheta effectus est*, ut loquitur Hieronymus ad Heliod. Quid quod Ezech. 44, v. 12. et Oseae 4, v. 6. minatur Dominus sacerdotibus Leviticis, quod propter idololatriam eos velit XI. 319.
repellere et in locum ipsorum alios substituere. Neve quis obvertat, *in V. T. ordinariam successionem interrumpi potuisse, nec doctrinae sinceritatem eidem perpetuo fuisse conjunctam, aliam vero esse rationem N. T. in quo vigeant promissiones de perpetua sanctorum pontificum in sede apostolica successione*, jubemus evidentia et perspicua hac de re e Scripturis sacris proferri testimonia. Exstant certe tristes praedictiones de apostasia quadam fere generali 2. Thess. 2, v. 3. de copiosa pseudoprophetarum turba Matth. 24, v. 5. de lupis in apostolorum locum successuris Act. 20, v. 29. de ecclesia in solitudinem fugitura Apoc. 12, v. 6. etc. et ut reliqua omnia latere patiamur, quid de Antichristi temporibus dicemus? Fatentur adversarii, tunc *desituras omnes religionis ceremonias publicas*, quomodo igitur localis et externa illa successio amplius habebit locum? excitabit Deus *duos testes* Apoc. 11, v. 3. hoc est paucos fideles doctores, qui non

Digitized by Google

in ordinaria, sed extraordinaria quadam successione erunt, si enim essent in ordinaria successione, non sustinerent persecutionem ab illis, qui jurisdictionem et potestatem in ecclesia sibi arrogant. Quemadmodum igitur Deus tempore V. T. per prophetas extraordinarie missos ecclesiae suae prospexit, cum illi qui in ordinaria successione erant, officium suum negligerent et baaliticam idololatriam invalescere sinerent; quemadmodum etiam tempore N. T. per Johannem Baptistam et apostolos ad propheticae doctrinae normam repudiatis erroribus ac superstitionibus ecclesiam revocavit, cum scribae et Pharisaei in cathedra Mosaica sedentes officio suo deessent et variis corruptelis divinus cultus esset pollutus; ita quoque his postremis mundi temporibus per fidele ministerium Lutheri et symmystarum evangelii lucem ex Cimmeriis papatus tenebris emersam in ecclesia iterum accendit, Antichristum in ecclesia pro arbitrio suo dominantem revelavit et a traditionibus humanis ad verbi sinceritatem nos revocavit, quorum doctrinae vel officio nihil quidquam derogat, quod ante ipsos ecclesiae ministerio praefecti fuerint falsi doctores papalibus erroribus penitus immersi.

An extraordinaria successio indigeat miraculis.

200. Regerit Bellarminus, *extraordinariam successionem miraculis esse confirmandam, quibus cum nostri doctores destituantur, ideo successionem illorum non esse legitimam.* Respondemus: 1. multi prophetae extraordinarie vocati ac missi fuerunt, de quibus tamen non constat, quod miracula ediderint, quae enim miracula edita sunt a Jeremia, Ezechiele, Joële, Amoso? Quoties pii reges ac prophetae collapsam religionem Israëliticam reformarunt, quorum tamen multi non fecerunt miracula? 2. De Johanne Baptista, qui itidem extraordinariam vocationem habuit *ad convertenda corda patrum erga filios*, hoc est cultus divini reformationem, diserte dicitur Joh. 10, v. 41. *quod nullum signum ediderit;* in quae verba sic commentatur Theophylactus: *Si illi credidimus, qui nullum miraculum edidit, scilicet Johanni Baptistae, multo magis huic, qui tam praeclara edidit miracula, scilicet Jesu Nazareno,* Idem statuit Chrysostomus hom. 47. in Matth. 3. De Antichristo praedictum, *quod adventus ejus futurus sit secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* 2. Thess. 2, v. 9. contra vero de piis doctoribus Antichristi adversariis praedictum, quod gladio verbi coelestis, non autem miraculis contra eum pugnaturi sint, v. 8: *Tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui,* hoc est verbo et voce evangelii Esa. 11, v. 4. De mystica Babylone, hoc est Antichristi regno, praedictum, quod ad vocem evangelii sit collapsura. Apoc. 14, v. 6: *Vidi angelum volantem per medium coeli habentem aeternum evangelium, ut evangelisaret sedentibus super terram* etc. v. 8: *et alius angelus secutus est dicens, cecidit, cecidit Babylon magna.* Non est ergo, quod alia miracula a nobis quaerant Pontificii, agnoscant efficaciam evangelicae doctrinae, qua juxta allata illa duo vaticinia papale regnum insigniter fuit diminutum. 4. Lutherus et ipsius socii non protulerunt novam doctrinam, sed veterem apostolicam doctrinam miraculis olim abunde comprobatam ex sordibus papalium errorum erutam in claram lucem collocarunt, ergo non opus fuit novis miraculis. Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 8: *Priusquam mundus crederet, miracula fuisse necessaria* dicit, *quisquis vero adhuc prodigia, ut credat, requirit, eum esse magnum prodigium, qui mundo credente non credit.* Gregorius homil. 29. in evang.: *Signa illa necessaria in ecclesiae exordio fuerunt, ut enim ad fidem cresceret multitudo, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videmus, et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.* 5. An vero omni miraculo caret evangelii per tot orbis provincias propagatio, potentiae papalis imperatoribus olim invictae diminutio et ecclesiarum nostrarum contra tot crudeles machinationes ac tam potentes hostes conservatio? An non prodigii instar est, quod

Vir sine vi ferri, vi verbi et inermibus armis
Contudit immensas totius orbis opes?
Roma orbem domuit, sed Romam papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantum isto major Lutherus major et illa,
Orbem urbemque uno qui docuit calamo.

6. Lutheri vocatio et missio non fuit solum extraordinaria, sed etiam simul ordinaria. Duo enim concurrunt in ipsius officio, quae non sunt invicem confundenda. Primo *ministerium docendi*, deinde *officium reformandi* et *Antichristum revelandi.* Ad ministerium docendi legitime et modo ordinario mediate vocatus est, primum adhuc in papatu, ubi potestatem accepit ab episcopo verbum Dei docendi, anno 1507. ubi non impuritas episcopi vocantis et ordinantis, sed ordo ministerii attendendus, qui apud impuros et in doctrina corruptos esse potuit, sicut olim scribae et Pharisaei *in cathedra Moysis sedebant* Matth. 23, v. 3. Distinguendum igitur pretiosum a vili, substantialia a vitiosis accidentibus, divinum ab humano etc. Deinde in suo doctoratu anno 1512. die Lucae, ubi iterum licentiam accepit *vanas doctrinas, peregrinas et ab ecclesia damnatas et piarum aurium offensivas non dogmatizandi,* ut habebat formula solennis juramenti, quod et facturum se juravit, unde ad hanc solennem vocationem postmodum saepius provocavit. Vide tom. 2. Jen. fol. 553. tom. 5. fol. 492. Certe in comment. Psalm. 82. anno 1530. tom. 5. Jen. Germ. fol. 157. fac. b. ad vocationem et doctoratum suum solenniter provocat. *Quidquid incepi* (inquit) *ex potestate pontificis et imperatoris doctor ordinarius et legitime vocatus, oportet me usque ad extremum vitae halitum fateri.* In resp. ad edict. imp. anno 1531. tom. 5. Jen. Germ. fol. 302. fac. b. scribit, *se cum doctor crearetur, in sacram Scripturam jurasse, quod eam fideliter et pure docturus sit; quod dum*

Digitized by Google

facio, inquit, *papatus mihi inopinanti resistere coepit.* Accedit tertio legitima ejus vocatio ad professionem academicam, ad quam similiter appellat et protestatur, *se promotione doctorali et legitima ad professionem vocatione coactum fuisse facere, quae sui erant officii*, vide tom. 1. Germ. Jen. f. 57. b. et 339. fac. b. tom. 5. f. 157. fac. b. Quod attinet officium reformandi et Antichristum revelandi, in eo peculiare aliquid, quod ad ordinariam reliquorum ministrorum vocationem non quadrat, concurrere manifestum est. Quamvis enim non fuerit ad hoc immediate a Deo vocatus, sicut prophetae et apostoli, nec ex immediato Spiritus sancti afflatu fuerit locutus, sicut illi (quo sensu etiam quidam negant, vocationem Lutheri esse extraordinariam, hoc est immediatam), negari tamen nequit, extraordinarium et singulare quiddam in hoc reformationis opere et Antichristi revelatione concurrere, unde etiam per prophetas et apostolos illud longis seculis ante praedictum Jerem. 51, v. 48. Dan. 11, v. 44. Malach. 4, v. 5. 2. Thess. 2, v. 8. Apoc. 14, v. 6. etc. ac peculiaribus et extraordinariis Spiritus sancti donis ad hoc munus fuit instructus, id quod heroicus ipsius animus, felix successio, donum interpretandi Scriptu-
XI. 321. ras singulare et alia quamplurima manifeste comprobant.

Argumenta Bellarmini contra nostram successionem.

201. Quomodo vero probat Bellarminus, ministros ecclesiarum nostrarum destitui successione apostolica? Quatuor hypotheses ponit, ex quibus contra nos argumentum, quod vocat *insolubile*, deducit: 1. *Ecclesia non potest esse ullo modo sine pastoribus et episcopis. 2. Illi soli in ecclesia semper habiti fuerunt veri episcopi, qui ab apostolis per legitimam successionem et ordinationem descendisse ostendebantur. 3. Ut episcopus aliquis dicatur ab apostolis legitime descendere, duo requiruntur, unum est successio, alterum ordinatio. Successio requirit, ut is, qui verus episcopus haberi cupit, succedat vel alicui apostolo, vel alteri, quem aliquis apostolus fecit episcopum, vel ut fiat episcopus ab eo, qui habet apostolicam auctoritatem, qui est solus Romanus pontifex. Ordinatio requirit, ut qui fit episcopus, ordinetur a tribus episcopis, qui et ipsi sint ab aliis ordinati et illi ab aliis, donec ad apostolos veniatur. 4. Antiqui haeretici consueverunt imitari ecclesiam in ordinatione episcoporum, ideo patres non reprehenderunt in his nisi defectum successionis. Ex quibus tale colligit argumentum: Lutherani episcopi non habent ordinationem, nec successionem ab apostolis, ergo non sunt episcopi et per consequens apud eos non est ecclesia. Antecedens probat, quia Lutherus non est ordinatus a tribus episcopis.* Respondemus: 1. Ecclesia quidem non potest esse sine episcopis sive pastoribus, a quibus doceatur, sed illi non obtinent semper localem et personalem illam successionem, quam Bellarminus requirit, sed sufficit doctrinalis successio, ut ex superioribus manifestum est. Neque enim ad unum locum vel ad unam sedem Romanam apostolica successio alligata est, quod adversarii semper praesupponunt, sed quicunque legitime ab ecclesia vocati doctrinam apostolicam propagant, sunt veri apostolorum successores, licet continua et non interrupta serie ab apostolis non descendant. 2. Nec Petro in reliquos apostolos, nec pontifici Romano in reliquos episcopos jurisdictiónis supremae potestas est data, ut ab illo confirmationem petere debeant. Omnes apostoli a Christo, non autem a Petro vocati sunt et ad docendum evangelium ablegati; a Christo igitur, non a Petro apostolicam auctoritatem obtinuerunt, qua de re alibi plenius tractatur. 3. Requiri ad veram ordinationem, *ut qui fit episcopus, a tribus episcopis ordinetur, qui et ipsi sint ab aliis ordinati et illi ab aliis, donec ad apostolos perveniatur*, unde tandem probabit Bellarminus? *Evagrius* episcopus Antiochiae ab antiquis habebatur, a Socrate lib. 5. c. 15. ab Hieronymo in catal. et aliis, et tamen Theodoretus de eo scribit lib. 5. c. 23. *eum a Paulino solo*, non adhibitis aliis episcopis, creatum esse episcopum. Gregorius I. Augustino Cantuariensi rescripsit, *episcopos illos, qui primi in Anglia ordinandi erant, sine episcopis ordinandos* lib. 12. epist. 31. Provocat Bellarminus ad canonem apostolicum primum, sed canones illi sunt supposititii, ut multis argumentis adeoque ex ipso jure canonico c. 16. dist. 1. evinci potest. Provocat ad 2. epist. Anacleti, sed illa ut et reliquae decretales epistolae recentioribus seculis sunt confictae, ut Erasmus et alii complures demonstrant. In eadem epist. dicit Anacletus, *sacerdotes chrismate ungendos esse, quando ordinantur*, cum tamen usus chrismatis illo tempore nondum fuerit institutus. Addit etiam, *electionem summorum sacerdotum bonis sacerdotibus et spiritualibus populis concessam*, cum tamen populus nullas hodie partes in ea habeat. Dicit etiam, *patriarchas in iis locis fuisse constitutos, in quibus erant olim archiflamines*, id vero negat Bellarminus lib. 1. de pont. c 24. Idem Anacletus asserit, Jacobum consecratum fuisse a tribus, Petro, Jacobo et Johanne, sed part. 2. decret. caus. 8. q. 1. c. 2. dicitur, quod solus Petrus Clementem Romanum episcopum ordinarit. Ergo non est absolute necessarium, a tribus episcopis ordinari episcopum. Agnoscunt hoc quidam ex ipsis Scholasticis, Petrus de Palude lib. de potest. apostol.: XI. 322.
In ecclesia unus episcopus sufficit ad alium consecrandum, nec est nisi propter solennitatem ab ecclesia inventum, ut tres concurrant; similiter Joh. Major in 4. sentent. dist. 24. q. 4: *Quis ordinavit Petrum? non dabunt tres ordinatores. Dico ego, esse constitutionem humanam, quod episcopus ordinetur a tribus, Paulus enim non quaesivit duos pro ordinatione Titi et Timothei.* Provocat Bellarminus ulterius ad c. 4. conc. Nicaen. primi et c. 4. con. Carthagin. IV. sed ex eo non potest aliud inferri, quam quod sit constitutio ecclesiastica in statu ecclesiae florentis, si pii sunt episcopi, observanda, non autem apostolica quaedam lex perpetuo in ecclesia necessaria. Ambrosius in comm. c. 4. Ephes.: *Non per omnia conveniunt scripta apostoli ordinationi, quae*

Digitized by Google

nunc est in ecclesia. In jure can. part. 1. dist. 65. c. 2. decernit Martinus, *in ordinatione episcopi omnes illius provinciae sacerdotes adesse debere.* Ergo non habetur lex quaedam universalis et uniformis. Provocat denique Bellarminus ad locum 1. Tim. 4, v. 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii;* ex quo efficere conatur, esse apostolicam sanctionem, sed hic locus adversatur ipsi vel maxime, ostendit enim, Timotheo fuisse manus impositas a presbyterio, hoc est *a congregatione pastorum*, ut exponit Hieronymus *a sacerdotio,* ut vertunt Remenses, jam vero adversarii volunt, episcopis duntaxat competere potestatem ordinandi. Respondet Bellarminus, *presbyterii nomine apud Paulum intelligi coetum episcoporum, qui simul cum ordinante manus imponebant super caput ordinandi*, quod probat ex Chrysostomo, Theophylacto et Oecumenio. Atqui illud facile a nobis conceditur, si nomen episcoporum accipiatur phrasi apostolica de ecclesiae ministris, non autem phrasi Pontificia de talibus episcopis, qui distinctam habent potestatem et jurisdictionem a presbyteris. Act. 20, v. 17. accersit apostolus ecclesiae Ephesinae presbyteros, quos dicit *a Spiritu sancto constitutos episcopos.* Quodsi episcopi nomen accipiatur phrasi Pontificia, consequens fuerit, in una civitate fuisse plures episcopos, quod juxta ipsorum hypotheses perquam est absurdum, sed phrasi apostolica absurdum non est, quia juxta eam iidem sunt presbyteri et episcopi Phil. 1, v. 1. Tit. 1, v. 5. etc. Michaël Medina scriptor alioqui Pontificius lib. 1. de sacrorum hominum orig. et contin. c. 5. late ostendit, *non solum Hieronymum, sed etiam Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium et Theophylactum statuere, quod tempore apostolorum idem fuerit presbyter, qui episcopus*, quae sententia Hieronymi et Medinae approbatur in jure canonico part. 1. c. 5. dist. 95. nosque id ex sacris literis suo loco confirmatum dabimus. Sed concedit tandem ipse Bellarminus, *episcopos non esse simpliciter necessarios in ordinatione episcopi, sed abbates infulatos posse supplere locum episcoporum ex dispensatione propter episcoporum raritatem.* Agnoscat igitur, ex ecclesiae consuetudine, non autem ex apostolica sanctione tres episcopos requiri. Argumentamur autem ex concessione illa Bellarmini hoc modo. Si est legitima ordinatio, quae fit ab episcopo praesentibus abbatibus infulatis, utique etiam erit legitima ordinatio, quae fit ab episcopo praesentibus presbyteris. Ratio connexionis est manifesta, quia presbyterorum officium et potestas nititur jure divino, sed de abbatibus infulatis altum in Scripturis est silentium. 4. Quando patres in haereticis doctoribus defectum successionis accusant, loquuntur principaliter ac praecipue de successione doctrinali, ut ex dictis ipsorum superius allatis constare potest. Localem et personalem successionem multi haeretici sibi vendicare poterant, sed quia doctrina illorum non erat apostolica, pro successoribus apostolorum agnosci non potuerunt.

202. Ex quibus omnibus infirmitas argumenti Bellarminiani, quod ex hisce hypothesibus texit, liquido apparet. 1. Lutherus ordinatus fuit presbyter et legitime vocatus est ad pastoratum Witebergensem, potuit igitur ritu apostolico cum suis in ministerio collegis per impositionem manuum alios ordinare. II. 323.
2. Ordinatio per tres episcopos non est simpliciter et absolute necessaria, quia non est sanctio apostolica, sed constitutio ecclesiastica. Sufficit ut presbyterium manus imponat ordinando ad ministerium ecclesiasticum legitime vocato, ea enim ratione presbyteri in ecclesia apostolica sunt ordinati, Act. 14, v. 23. 1. Tim. 4, 14. 3. Jure divino quilibet presbyter est etiam episcopus, quod enim Bellarminus lib. 1. de clericis c. 15. scribit, *tempore apostolorum nomina episcopi et presbyteri fuisse communia sacerdotibus tam majoribus quam minoribus, licet res ipsae et potestates essent distinctae*, illud dicitur gratis et absque probatione, *nomina sunt rerum notae et symbola*, si ergo iidem appellati fuerunt presbyteri et episcopi, utique etiam potestates non fuerunt distinctae. Ostendit hoc res ipsa. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae*, scribit apostolus ad Titum c. 1, v. 5. *ut constituas per civitates presbyteros;* v. 6: *si quis sine crimine est, unius uxoris vir* etc. postea subjungit v. 7: *oportet enim episcopum esse sine crimine sicut Dei dispensatorem.* Finge, aliam potestatem fuisse presbyterorum, aliam episcoporum, non constabit textui apostolico sua connexio. Si alia episcoporum, alia presbyterorum potestas, utique etiam aliae officii partes, alia requisita, ac proinde etiam diversa de utrorumque munere praecepta. Jam vero Tit. 1, v. 5. uti etiam 1. Tim. 3, v. 2. eadem praescribuntur episcopis et presbyteris; 1. Tim. 4, v. 14. Timotheo Ephesinae ecclesiae episcopo dicitur *gratia data*, hoc est officium docendi commissum, *per impositionem manuum presbyterii.* Ergo episcopus potest ordinari a presbyteris, ut Hieronymus in epist. ad Evagrium recte ex illo loco colligit. Non tollimus ordinem inter ecclesiae ministros, sed retinemus discrimen inter episcopos, presbyteros et diaconos, sed talem quandam potestatis distinctionem et tale discrimen, quale Pontificii volunt, nequaquam inter illos statuimus. Quodsi ergo presbyter jure divino est episcopus, et vero Lutherus ex ordinatione Romanae ecclesiae fuit presbyter, ergo quidquid est episcopi, id jure divino ad illum pertinet. Quod enim episcopi presbyteris in ecclesia sunt praelati, id factum *ex institutione humana post apostolorum tempora ad tollenda schismata*, ut docet Hieronymus in c. 1. epist. ad Titum. 4. Nostri ministri ab ecclesia juxta doctrinam et praxin apostolorum legitime vocati et a presbyterio per impositionem manuum ac preces legitime ordinati sunt veri ministri ac veri apostolorum successores, licet ab episcopis Pontificiis nec ordinentur, nec ungantur, nec confirmentur. Illi enim praeterquam quod nomine duntaxat sint episcopi ecclesiastici, re ipsa dynastae politici, quodque fidem Christi et apostolorum damnant, nunquam induci potuissent, ut ali-

Digitized by Google

quem ordinarent, qui non juraret in religionem Pontificiam, frustra igitur ab illis petita fuisset ordinatio. Hac de re sic scribit Lutherus in articulis Schmalcald. art. 10. p. 3: *Si episcopi suo officio recte fungerentur et curam ecclesiae et evangelii gererent, posset illis nomine caritatis et tranquillitatis, non ex necessitate permitti, ut nos et nostros concionatores ordinarent et confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvae, praestigiae, deliramenta et spectra pompae ethnicae. Quia vero nec sunt nec volunt esse veri episcopi, sed politici dynastae ac principes, qui nec concionantur et docent, nec baptizant, nec coenam administrant, nec ullum opus et officium ecclesiae praestant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur et condemnant, profecto ipsorum culpa ecclesia non est deserenda, nec ministris spolianda est. Quapropter sicut vetera exempla ecclesiae et patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipsi ordinare debemus et volumus, et hoc nobis prohibere non possunt etiam secundum jura, quae affirmant, etiam ab haereticis ordinatos vere esse ordinatos et illam ordinationem non debere mutari.* 5. Acceptamus igitur, quod dat Bellarminus, vocationem nostrorum ministrorum esse legitimam, ergo etiam sunt legitimi ministri et veri apostolorum successores. Quod enim ordinationem attinet, illa non est necessaria vi alicujus praecepti divini, nec ingreditur οὐσίαν ministerii,
XI. 324. nec imprimit characterem aliquem, ut Pontificii somniant (unde Rufin. lib. 1. hist. c. 10. de rege Iberorum scribit, *quod nondum initiatus sacris factus fuerit gentis suae apostolus)*, interim tamen est ritus utilis ob antiquam ecclesiae consuetudinem ac commonefactiones praeclaras, ac proinde haudquaquam rejiciendus vel temere omittendus. Colligitur enim ex Actis et epistolis apostolicis, atque ex ecclesiae historia, ipsos apostolos et proximos eorum successores hunc ritum observasse, ut unus προεστὼς nomine presbyterii ministros legitime ab eclesia electos per manuum impositionem ac preces publicas ordinaret. Multo minus absolute et simpliciter necessarium est, *ut in ordinatione adsint tres episcopi*, nullo enim Scripturae testimonio illa necessitas demonstrari potest, qua de re in tractatu de ministerio plenius dicetur.

SECTIO VI.

DE SEXTA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, VIDELICET CONSENSU IN DOCTRINA CUM ECCLESIA ANTIQUA.

An consensus cum ecclesia antiqua sit nota ecclesiae.

203. *Membrum primum.* Sitne conspiratio in doctrina cum ecclesia antiqua vera et propria ecclesiae nota? Si per doctrinam et ecclesiam antiquam intelligatur doctrina et ecclesia apostolica, facile concedimus consanguinitatem cum illa antiqua doctrina, vel quod idem est, doctrinam apostolicam esse veram et propriam ecclesiae notam, id quod superius late demonstratum fuit. Quae vero sit illa doctrina apostolica, quam antiqua apostolica ecclesia est amplexa, non potest nec debet peti ex scriptis patrum, qui posterioribus seculis vixerunt, hoc enim valde praeposterum foret; sed ex ipsis evangelistarum et apostolorum scriptis unice cognosci ac peti debet, siquidem hoc fine singulari Dei beneficio sunt ecclesiae tradita et in ea hactenus conservata. Si vero per doctrinam et ecclesiam antiquam intelligatur ea, quae post apostolorum tempora viguit, distinguimus ecclesiae tempora. Quamvis enim *non diu post apostolorum tempora ecclesia manserit virgo*, teste Hegesippo apud Euseb. lib. 4. c. 22. siquidem zizania humanarum opinionum in agro ecclesiae una cum segete doctrinae evangelicae statim prodire coeperunt, tamen nondum ea fuit doctrinae corruptio, qualis seculis posterioribus sub papatu tandem est secuta; inde quidam dicunt (quod etiam superius monuimus), *quatuor potissimum mutationes ac facies ecclesiae N. T. occurrere. Primo erat pulchre ornata tempore apostolorum et martyrum, ubi ob persecutiones latebat, sed quoad fidei puritatem vere fulgebat; secundo erat nonnihil maculata tempore patrum, ubi a prisca simplicitate paulatim deflectebatur et humanae opiniones ac traditiones subinde admiscebantur; tertio erat prorsus deformata tempore dominantis Antichristi, sub cujus tyrannide totum corpus doctrinae coelestis misere laceratum et disjectum fuit; quarto ultimis hisce temporibus denuo est reformata et pristino fidei apostolicae nitori restituta.* Verissima haec esse deprehendet, quisquis in scriptis ecclesiasticorum doctorum versari voluerit. Qui enim propinquiores sunt apostolorum temporibus, purius et sincerius tractant Scripturam, quam qui sequentibus seculis vixerunt, ac neminem tam effrictae frontis esse arbitror, qui Scholasticorum disputationes patrum vetustissimorum scriptis exaequare velit. Quamvis vere omnes et singulos fidei nostrae articulos cum Pontificiis controversos claris et perspicuis veterum patrum testimoniis comprobare parati simus, idque a nostris factitatum sit saepius, tamen non possumus nec debemus scripta patrum XI. 325.
pro norma doctrinae in ecclesia agnoscere, 1. quia haec dignitas et auctoritas solis canonicis prophetarum et apostolorum scriptis debetur; 2. quia ipsi patres scripta sua ad normam divini canonis exigere jubent; 3. quia ipsi Pontificii negant, patrum auctoritatem esse semper authenticam; 4. quia nec in dogmatibus, nec in Scripturae interpretatione patres per omnia consentiunt; 5. quia multa veterum scripta interierunt; 6. quae vero adhuc exstant, pluribus in locis sunt depravata et corrupta; 7. quia in patrum scriptis auro scoriae, gemmis stipulae et massae doctrinae coelestis fermentum humanarum opinionum inveniuntur conjuncta. Singula hujus assertionis nostrae membra latissime demonstrari possunt, ut ex parte ostensum fuit in tract. de interpr. Script.

Digitized by Google

§. 84. et seqq. ac secundum et tertium membrum paulo post uberius et plenius demonstrabuntur.

Argumenta Bellarmini pro illo consensu.

204. Bellarminus, ut probet, conspirationem in doctrina cum ecclesia antiqua esse notam ecclesiae, profert duo fundamenta: *1. Vera ecclesia dicitur apostolica teste Tertulliano de praescript. non solum propter successionem episcoporum ab apostolis, sed etiam propter consanguinitatem doctrinae, quia videlicet doctrinam retinet, quam apostoli tradiderunt, certum est autem, antiquam ecclesiam primis quingentis annis veram ecclesiam fuisse et proinde apostolicam doctrinam tenuisse. 2. Theodosius imperator laudatur a Sozomeno lib 7. hist. c. 12. quod ad haereticos sui temporis dixerit: Examinemus doctrinam vestram ad illorum scripta, et si cum illis consenserit, retineatur; sin minus, abjiciatur.* Respondemus: 1. conspiratio in doctrina cum ecclesia tempore Tertulliani et Theodosii non aliter est ecclesiae nota, nisi quatenus doctrina illa cum doctrina apostolica, et ecclesia illa cum ecclesia apostolica exacte et ad amussim consentit, unica enim duntaxat est norma et regula, ad quam omnis doctrina exigenda est, videlicet vox Christi et apostolorum in Scripturis sonans. 2. An et quatenus ecclesia tempore Tertulliani et Theodosii apostolicam doctrinam tenuerit, non nisi ex tabulis apostolicis intelligi potest, quippe quae doctrinam apostolorum perfecte exponunt. 3. Tertullianus rectissime asserit, non tam propter personalem et localem successionem, quam propter doctrinae consanguinitatem ecclesiam dici apostolicam; sed ex eo non potest inferri, quod localis successio et consanguinitas doctrinae cum doctrina apostolica perpetuo pari passu ambulent ac inseparabiliter sint conjuncta, multae enim ecclesiae, in quibus localis successio olim viguit, puritate doctrinae apostolicae hodie destituuntur, id quod etiam de Romana ecclesia ex scriptis apostolicis demonstrari potest. 4. Certum quidem est, antiquam ecclesiam primis quingentis annis veram ecclesiam fuisse et apostolicam doctrinam tenuisse, negari interim nequit, apostolicae doctrinae admisceri coepisse stipulas humanarum traditionum et opinionum, ut ex scriptis patrum ostendi potest, qua de re videantur Centuriae hist. Magdeburgensis in c. de inclinatione doctrinae. Hegesippus apud Eusebium lib. 3. c. 29. dicit, *ecclesiam superstitibus apostolis fuisse virginem, ab illorum vero excessu mirum in modum corruptam fuisse doctrina falsa et commentitia, nudo, ut ajunt, capite sincero veritatis sermoni sese de cetero ex adverso opponere ausa.* Chrysostomus hom. 36. in 1. Cor. *ecclesiam suo tempore comparat mulieri, quae a primo virginitatis flore perierit.* Hieronymus de vita Malchi sic loquitur: *Scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram aetatem, hoc est ab apostolis usque ad nostri temporis faecem, quomodo et per quos ecclesia Christi nata sit et adulta persecutionibus creverit, martyriis coronata sit et postquam ad Christianos principes pervenit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit.* Augustinus epist. 119. ad Januar. de cumulo traditionum et observationum conqueritur. At hi omnes vixerunt primis quingentis annis. Quid quod apostolis adhuc viventibus Antichristus mysterium ini- II. 376. quitatis operari et pseudoapostoli falsa dogmata spargere coeperint, proinde non nisi ex apostolicis scriptis cognosci potest, quae doctrina vere sit divina et apostolica, ideoque *ad antiquum illum dierum* semper est redeundum. 5. Theodosius recte fecit, quod haereticam doctrinam noviter in ecclesiam invectam juxta scripta antecessorum examinari jusserit, quia articulus de Trinitate, de quo tum erat quaestio, in illis veterum scriptis recte explicatur. Ex eo vero inferri nequit, quod patrum scripta in omnibus et per se ac simpliciter sint norma ac regula doctrinae, quia patres sua scripta subjiciunt canonicae Scripturarum auctoritati et omnia, quae docent, ex Scripturis probari et examinari non solum permittunt, sed etiam jubent; agnoscunt igitur, Scripturam esse normam universalem, primariam et principalem, ad quam quidquid non congruit, pro divino agnosci nequit, sed est figmentum humanitus excogitatum, a quocunque proferatur. Quamvis igitur consilium Theodosii vel potius Sisinnii, qui illud Theodosio suppeditavit, non improbemus, tamen praeferimus illi consilium Constantini Magni in concilio Nicaeno apud Theodoret. lib. 1. c. 7: *Exstant libri evangelici et apostolici et priscorum oracula prophetarum, quae nos evidenter docent, quid de re divina sentiendum sit. Itaque omissa discordia sumamus ex dictis divinitus inspiratis solutionem quaestionum.* 6. Patrum illorum, qui primis quingentis annis scripserunt, testimonia haudquaquam repudiamus, interim tamen ex Scripturis illa ponderamus et ad normam illam unicam omnia exigimus. Requirunt hoc ipsi patres: Justinus in quaest. ad orthodox. q. 119. p. 365. *argumento illi, quod quidam ex patribus docuerint, nec arborum frugibus, nec carnibus homines antediluvianos in escis usos esse,* opponit hoc, *quod apostolus, quem vocat τῶν πατέρων πατέρα καὶ εὐσεβείας διδάσκαλον, aliud docuerit.* Basilius de Sp. S. c. 19: *Quod patres nostri dixerunt, nos etiam dicimus, quod gloria communis est Patri et Filio, at hoc non sufficit nobis, quod patrum est traditio, nam et illi auctoritatem Scripturae sunt secuti.* Dionysius Alexandr. apud Euseb. lib. 7. c. 23. de Nepote dicit: *In aliis quidem multis ego amplector et diligo Nepotem, sed revera plus omnibus amanda est et praeferenda veritas. Laudari oportet et absque invidia approbari, si quid recte dictum est, discuti vero et discerni, si quid minus sane dictum est.* Hieronymus in epist. ad Minerium: *Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quae bona sunt et a fide catholicae ecclesiae non recedere;* in epist. ad Theoph.: *Scio, me aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare.* Similia his scribit in Psalm. 86. in c. 19. Esa. in c. 36. Ezech. in c. 2. Mich. in c. 2. Zephan. etc. Augusti-

Digitized by Google

nus epist. 19. ad Hieronymum cum in controversia de simulatione Petri octo patrum antiquorum auctoritatibus urgeretur, provocat ad apostolum Paulum: *Ab iis* (inquit) *omnibus, qui aliud sentiunt, literarum tractatoribus provoco ad ipsum apostolum, dent veniam quilibet aliud opinantes, ego magis credo tanto apostolo* etc. *Ego solis illis Scripturarum libris, qui jam canonici vocantur, hunc timorem et honorem deferre didici, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam, alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita sentiunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te mi frater sentire aliqua aliter existimo, prorsus inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquam prophetarum aut apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* Epist. 48: *Noli contra divina testimonia colligere velle calumnias ex episcoporum scriptis, quia hoc genus literarum ab auctoritate canonis distinguendum est, non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, si forte aliter sapuerint quam veritas postulat.* Epist. 111: *Nec quorumlibet disputationes etiamsi catholicorum et laudatorum*
XI. 327. *hominum veluti Scripturas canonicas habemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in illorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet.* lib. 2. de bapt. cont. Donat. cap. 3: *Quis nesciat, sanctam Scripturam canonicam tam V. quam N. T. certis suis terminis contineri eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita praeponi, ut de illo omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem literas, quae post confirmatum canonem vel scriptae sunt, vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem doctorumque prudentiam et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est.* lib. 11. contra Faustum c. 5: *In opusculis posteriorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo canonicae sacrarum Scripturarum excellentiae coaequantur, etiam in quibuscunque invenitur eadem veritas, longe tamen impar est auctoritas. Itaque in eis si quae forte propterea dissonare putantur a vero, quia non, ut dicta sunt, intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit* etc. lib. 2. contr. Crescon. c. 31: *Nos nullam facimus Cypriano injuriam, cum ejus quaslibet literas a canonica divinarum Scripturarum auctoritate distinguimus. Neque enim sine causâ tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi prophetarum et apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus et secundum quos de ceteris literis vel fidelium vel infidelium judicamus. Utamur illa libertate,* inquit alibi, *ad quam nos vocavit Dominus et eorum virorum, quorum laudes consequi non valemus, quorum multis literis scripta nostra non comparamus, quorum ingenium diligimus, quorum ore delectamur, quorum caritatem miramur, quorum martyria veneramur, hoc quod aliter sapuerunt, quam canonice non accipiamus. Neque ullam eis facimus injuriam, cum eorum quaelibet dicta vel scripta a canonica divinarum Scripturarum auctoritate distinguimus.* Talia ex Augustino afferri possent longe plurima. Quinimo ipsi Pontificii agnoscunt, patrum scripta non esse primam et immotam doctrinae coelestis normam. c. Noli. c. Neque. c. Ego solis. c. Quis nesciat. c Negare dist. 9. allegantur dicta Augustini modo exposita. Thomas part. 1. q. 1. art. 8: *Sacra doctrina auctoritatibus canonicae Scripturae utitur proprie ex necessitate argumentando, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae non quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi apostolis et prophetis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quae fuit aliis doctoribus facta.* Gabr. Biel lect. 41. in can. missae: *Sanctorum patrum auctoritas ad assentiendum ipsorum dictis neminem compellit, nisi in divinis fundata fuerit Scripturis, aut divinae innitatur revelationi.* Roffens in confut. prooem. Luth. §. Et nos: *Et nos aliquoties errasse patres non diffitemur, homines enim erant, sicut nos.* Cajetanus praefat. comment. in Genes.: *Si quando occurrerit aliquis sensus textui consonans, quamvis a torrente doctorum alienus, lector aequum se praebeat censorem, nullusque detestetur illum ex hoc, quod dissonet a priscis doctoribus; non enim alligavit Deus expositionem Scripturae priscorum doctorum sensibus, alioquin spes nobis tolleretur exponendi Scripturam, nisi transferendo, ut ajunt, de libro in quinternum.* Erasmus in annot. N. T. c. 2. Matth. p. 13: *Solus Christus dictus est veritas, unus ille caruit omni errore. Adfuit Spiritus divinus et Cypriano, ut est probabile, et tamen quaedam illius rejiciuntur ab orthodoxis, adfuit et Hieronymo, rejiciuntur et hujus nonnulla, adfuit Augustino, atque ipse quaedam sua recantavit.* In c. 11. Matth. p. 41: *Scio, Hieronymum, Augustinum cumque his plerosque aliter interpretari, verum liceat et a probatissimis auctoribus alicubi dissentire, quandoquidem illi non solum homines fuerunt, verum permisere sibi in* XI. 328.
tropologia nonnunquam abuti Scripturae testimoniis. In c. 22. Luc. pag. 157: *Sunt qui protinus contumeliam interpretentur, si quis a receptis auctoribus discrepat, cum hoc honoris ne ipsi postulent, imo contumeliosum fuerit opinor, si quis illos hominum more lapsos alicubi conetur adversus veritatem tueri.* Villavinc. de rat. stud. theol. lib. 4. c. 6: *Omnes patres quantumlibet insignes vitae innocentia et eruditione subinde verbo scriptoque offendere palam est.* Melch. Canus lib. 11. loc. comm. c. 6: *Non*

Digitized by Google

omnia, quae magni auctores scripserunt, sunt undique perfecta, nam et labuntur aliquando, ut ille ait, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati vulgoque etiam interdum indulgent. Ambrosius Catharinus contra Cajet.: *Ille certe Augustino non placet, cui tam immoderate placet Augustinus, ut nolit eum unquam a vero aberrasse.* Pererius in Genes. lib. 3. c. 1. q. 5: *Irenaeus affirmat, se quod de paridiso tradit, a presbyteris Asiae discipulis apostolorum accepisse, sed quid tum postea? an ideo quodcunque ab istis presbyteris proditum, tanquam certum et indubitatum doctrinae dogma haberi debet? nonne constat, istos ipsos presbyteros eodem Irenaeo referente quaedam et falsa et divinis literis contraria docuisse?* Duacensis academiae theologi in censura Bertrami, quam indici expurgatorio inseruerunt, aperte fatentur, *se in Catholicis veteribus aliis praeter Bertramum plurimos ferre errores eosque extenuare, excusare excogitato commento persaepe negare et commodum iis sensum affingere, dum in disputationibus opponuntur.* Baronius tom. 1. annal. anno 34. §. 213: *Sanctissimos patres, quos doctores ecclesiae ob illorum sublimem eruditionem merito nominamus, quantumlibet eos Spiritus sancti gratia prae ceteris imbutos esse liqueat, in interpretatione Scripturae non semper ac in omnibus catholica ecclesia sequitur.* Gregorius de Valent. in annal. p. 18. fatetur, *quod patrum scripta suo quodam modo sint arma utrique parti communia.* Salmeronius in epist. ad Rom. disp. 6. paulo ante finem: *In patribus legendis servanda videtur sententia Quintiliani, qui sic scribit: Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta, nam labuntur interdum et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati, summi sunt, homines tamen, acciditque lectoribus, ut quidquid apud ipsos reperiunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, id enim est facilius, ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Haec ille prudenter et acute.* Bellarminus lib. 2. de concil. c. 12: *Patrum scripta non sunt regulae, nec habent auctoritatem obligandi.* lib. 3. de verbo Dei c. 10: *Quis negat, patres habuisse excellenter donum interpretandi, et tamen praecipuos eorum lapsos fuisse?* Atqui si patres quandoque labuntur et errant, quomodo scripta ipsorum pro norma doctrinae acceptari poterunt?

An ecclesia Romana conspiret in doctrina cum antiqua.

205. *Membrum secundum.* Num ecclesia Romana hodierna conspiret in doctrina cum ecclesia antiqua apostolorum temporibus proxima? Bellarminus affirmat, duobus modis hoc demonstrari posse. Primo, *si proferantur sententiae veterum, quibus singula Romanae ecclesiae dogmata confirmentur, adversariorum vero refutentur;* secundo, *si ostendatur ex confessione adversariorum, dogmata Romano-papistica esse doctrinam omnium veterum, dogmata autem adversariorum habita fuisse in ecclesia antiqua pro exploratis haeresibus. Priorem modum utpote prolixissimum et multis calumniis obnoxium praetermittit, posteriorem vero viam utpote breviorem et certiorem ingressurus producit quaedam loca ex Calvino et Centuriatoribus, in quibus quosdam veterum errores cum Papistis communes in articulo de libero arbitrio, de meritis, de satisfactione, de limbo, de invocatione sanctorum, de coelibatu sacerdotum et aliis quibusdam annotant.* Respondemus: 1. quamvis patres non ut judices, sed ut indices ac testes veritatis habeamus eosque interdum ut homines errasse statuamus, tamen parati sumus singula fidei nostrae capita cum Pontificiis controversa II. 323.
ex ipsorum claris et disertis testimoniis comprobare; ideo non improbatur nobis prior ille modus, ut ex scriptis patrum, qui primis quingentis annis vixerunt, in singulis articulis testimonia colligantur. 2. Nec Calvinus, nec Centuriatores illud asserunt, quod Bellarminus illis tribuit, quasi toti antiquitati doctrinam suam repugnare seque omnium veterum suffragio destitui fateantur. Centuriatores enim in singulis centuriis clara et perspicua ex patribus afferunt testimonia, quibus nostrae sententiae suum addiderunt calculum, et Bellarminus ipse hoc quodammodo agnoscit, quando in singulis controversiis quaedam ex patribus pro nostra sententia refert, quibus respondere pro virili conatur. 3. Hoc vero est quod asserunt, *semina quorundam errorum papalium* in scriptis veterum ésse sparsa, siquidem veteres ante exortum certamen Pelagianum liberius et incommodius quandoque locuti fuerint. 4. Neque tamen omnes patres omnium papalium errorum patronos constituunt, quin imo naevos illos ac stipulas, quae in patrum scriptis inveniuntur, a Pontificiis erroribus et haeresibus accurate distinguunt ac diserte monent, patrum dicta in alienum et peregrinum sensum a Pontificiis saepius detorqueri, quod enim patres *de satisfactione ecclesiastica* scribunt, id Pontificii *ad satisfactionem pro peccatis coram Deo* transferunt; quod de libertate arbitrii *a coactione* illi statuunt, id hi ad libertatem *a corruptione* transferunt. Illi vocabulo *meriti* generalius utuntur *pro consecutione,* hi vero proprie *pro dignitate operibus inhaerente,* cui beatitudo debeatur. Illi liberam seculi sui consuetudinem referunt, hi vero in leges necessarias eam commutant. Sed hac de re in singulis articulis commodius disseritur. 5. Quod Centuriatores dicunt, *Chrysostomum et alios veteres in praedicando libero arbitrio, meritis operum, coelibatu, satisfactione, martyrio* etc. fuisse immodicos, ipsimet Pontificii quodammodo agnoscere coguntur. Primo de libero arbitrio statuit Chrysostomus, *hominem per illud se ipsum dignum facere gratia.* Toletus Jesuita in comm. c. 6. Rom. *non Chrysostomum solum, sed etiam Cyrillum, nec istos tantum, sed alios etiam doctores maxime Graecos ita statuisse* agnoscit. Maldonatus in comm. c. 6. Joh. agnoscit, *Theophylactum, Arnobium, Euthymium ita loqui, ac si homo, antequam per gratiam ad gratiam trahatur, possit gratiam mereri.* Pererius in comm. c. 9. Rom. num. 33. *Thedoretum, Oecumenium et Hieronymum in illa sententia fuisse*

Digitized by Google

scribit. Num vero hoc probatur Pontificiis? minime vero, sed Maldonatus d. l. addit: *Haec doctrina eorum nimis affinis est Pelagianorum errori. Caveat lector, si Chrysostomum in hunc locum legat, ne in Pelagianorum haeresin incidat.* Toletus d. l. subjungit: *Augustinus multo aliter quam isti, docet enim, a Deo nobis dari non modo gratiam, ut credere possimus, verum etiam ut velimus, in hoc igitur praedicti auctores non probantur.* Pererius d. l. annectit: *Profecto illa doctrina contraria videtur iis, quae in hoc loco disputat apostolus. Sententia Augustini est doctrinae Pauli convenientior.* Agnoscunt igitur, in antiquis patribus primaevam antiquitatem et vere apostolicam veritatem quandoque desiderari, ideoque tutissimum esse ad doctrinam apostolicam in Scripturis propositam recurrere et ex ea de scriptis patrum liberum judicium ferre. Secundo de meritis operum quandoque indulgentius loquuntur veteres praesertim in homiliis exhortatoriis ad populum. Agnoscunt hoc ipsimet Pontificii. Vega lib. 8. de justif. c. 8. p. 189: *Non me fugit, usurpari apud patres nomen meriti, ubi nulla est ratio meriti, neque de congruo, neque de condigno.* Stapleton. in promt. cath. fer. 5. post pass. Dom.: *Quodsi aliquis veterum vocabulo promerendi usus est, non aliter intellexit quam consecutionem de facto.* Haec ille rectissime, sed ex hoc usu vel potius abusu vocabuli perniciosa haeresis de operum meritis proprie sic dictis originem postea coepit. Tertio in coelibatu extollendo veteres quandoque nimios fuisse modestiores Pontificii agnoscunt. Erasmus adv. Albert. Pigg. de virg.: *Hieronymus fervido quodam affectu ita interdum rapiebatur in ad-*
XI. 330. *mirationem virginitatis, ut piis etiam viris videretur laedere matrimonium. Sit hoc vanum, nisi in Hieronymi scriptis inveniantur ea verba, quae sunt apud Tertullianum eo nomine damnata.* Acosta lib. 2. de Christo revel. c. 20: *Hieronymus videtur aliquando matrimonio iniquior.* Quarto de satisfactione incommodius quandoque locutos esse veteres ipse Bellarminus agnoscit, sic enim scribit lib. 4. de poenit. c. 1. §. Jam igitur: *Satisfactio non offertur pro culpa, sed pro poena. Quodsi veteres patres interdum actionibus humanis tribuere id videntur, ut pro expianda culpa satisfaciant, interpretandi sunt de satisfactione ex congruo, non ex condigno.* Atqui haec distinctio veteribus est plane incognita. Quinto martyrium baptismo exaequant, imo etiam praeferunt, eoque peccata ablui dicunt, sed in eo ἀκυρολογίαν quandam subesse nemo inficias ire poterit, nisi statuere velit, eandem esse sanguinis Christi et sanguinis martyrum efficaciam, eandem esse rationem nostri officii et beneficii a Christo in baptismo exhibiti. Quanto rectius Augustinus lib. 2. contra Julianum negat, *ullius martyris sanguinem in remissionem peccatorum esse fusum.* Bellarminus quidem lib. 1. de bapt. cap. 6. statuit, *martyrium recte dici et esse quoddam baptisma, quia conveniat cum baptismo in tribus effectis, quod 1. configuret hominem passioni et morti Christi; 2. remittat peccatum originale et reliqua omnia si quae sunt commissa; 3. remittat omnem poenam peccato debitam tam temporalem quam aeternam;* interim tamen addit haec, *non esse aeque certa*, cum Ledesmius et alii quidam theologi statuant, *martyrium non conferre gratiam ex opere operato, sed ex opere operantis*, ac sub finem capitis monet, *martyrium non esse sacramentum.*

Confessio Pontificiorum, quod in quibusdam destituantur suffragiis patrum.

206. Ceterum ut Bellarminus provocat ad confessionem nostram, quod quaedam dogmata ecclesiae Romanae in scriptis patrum occurrant, ita meliori jure ad Pontificiorum confessionem provocare possumus, quod ipsimet agnoscant, multa fidei papisticae dogmata assensu veterum patrum praesertim eorum, qui temporibus apostolorum fuerunt proximi, plane destitui. Exordiamur ab articulo de Scriptura sacra unico fidei fundamento: 1. Librum Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, duos Maccabaeorum etc. non recipimus in canonem V. T. Atqui fatetur ipse Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 20. §. Ad alteram, *Epiphanium, Hilarium et Rufinum in exponendo Scripturarum canone aperte secutos esse Hebraeos. Jam vero illi libri ab Hebraeis rejiciuntur* teste eodem lib. 1. c. 10. in init. Melch. Canus lib. 2. loc. theolog. c. 10: *Melito, qui ad orientem hujus rei sciscitandae causa perrexit, tandem diligenti investigatione reperit, hos esse a V. T. canone ejiciendos. Idem Origenes statuit, ut auctor est Eusebius* lib. 4. c. 26. *idem ipse Eusebius* lib. 6. c. 11. *nec ab hac sententia alienus fuit Athanasius et Damascenus, quos theologi multi secuti sunt.* Agnoscit ergo Canus, nos in hac controversia praestantissimos ac vetustissimos patres habere ὁμοψήφους. *Hieronymum itidem* in nostra fuisse sententia agnoscit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 10. *concilii Laodicensis* suffragium largitur nobis Ederus oecom. bibl. lib. 1. p. 22. nec altius quam ex concilio Carthaginensi III. canonicam librorum illorum apocryphorum auctoritatem arcessunt, quod tamen canonici appellatione utitur in generali significatione, pro omnibus libris, qui in ecclesia ad aedificationem legi possunt, licet non sint aequalis auctoritatis, qua de re alibi plura. 2 Ex solis Scripturis definiendas esse fidei controversias statuimus. Eandem esse veterum sententiam Pontificii quidam agnoscunt. Jac. Faber Stapulensis praefat. in evangel.: *Primitiva ecclesia nullam regulam aliam novit, utinam haec obtineret!* Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 11. testimoniis veterum pressus concedit, *quod veteres statuant, omnia necessaria esse scripta, posse nos circa dogmata plane et plene institui ex Scripturis, nullum esse vitium, ad quod sanandum non inveniatur in Scripturis aliquod remedium* etc. 3 In V. T. Hebraeum, in N. Graecum textum dicimus esse au- XI. 331.
thenticum. Id ipsum ex multis patrum testimoniis confirmat Bened. Arias Montanus unus ex concilii Tridentini patribus in praefat. super opus biblicum; Ludov. Vives in lib. 14. August. de civit. Dei c. 8.

Digitized by Google

sic commentatur: *Otiosum nimis esset, ut puto, multis verbis persuadere velle, cum de sensu aut integritate verborum evangelii Latini dubitatur, ad ipsum fontem recurrendum esse, ad Graeca scilicet exemplaria, qua lingua apostoli scripserunt. Hoc Hieronymus clamat, hoc Augustinus hic admonet et praecipit exemplo suo.* in lib. 15. c. 13: *Hoc ipsum Hieronymus clamat, hoc ipsa docet ratio. Et nullus est saniore judicio, qui repugnet. Sed frustra consensus bonorum ingeniorum hoc censet, nam rigidus stupor velut moles opponitur* etc. 4. Scripturarum lectionem omnibus Christianis commendamus. Idem a patribus fuisse factitatum Pontificii agnoscunt. Anglo-Remenses praefat in N. T.: *Chrysostomus vertebat partes Scripturae in linguam Armenicam et Gothicam.* Hardingus art. 3. sect. 38: *Armeni, Russi, Aethiopes, Dalmatae, Moscovitae Scripturas legerunt lingua vernacula* Cornel. Agrippa de vanit. scient. c. 100: *In concilio Nicaeno decretum, ut nullus Christianus bibliis careret.* In articulo de peccato originis docemus, in omnes homines, unico Christo excepto, per carnalem generationem illud propagari. Idem nobiscum patres statuere agnoscunt Pontificii. Melch. Canus in locis theol. lib. 7. c. 1: *B. Virginem fuisse a peccato liberam ex sacris literis juxta germanum literae sensum nusquam habetur; quin imo lex generalis in iis traditur, quae ex Adae carnali propagine creatos sine ulla exceptione complectitur. Nec vero dici potest, apostolorum tempore id in ecclesiam descendisse, nam constat, priscos scriptores non id a majoribus suis accepisse, imo sancti omnes, qui in hujus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverant, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse,* in quam sententiam allegat Chrysostomum, Eusebium, Remigium, Ambrosium, Augustinum, Bernhardum, Bedam, Anselmum, Erardum Martyrem, Bonaventuram, Aquinatem, Hugonem de S. Victore etc. Suaretz in part. 3. Thom. qu. 27. art. 1: *Antiqui patres pauca de speciali illo B. Virginis privilegio* (quod in prima conceptione a peccato immunis fuerit) *locuti sunt, tum quia Spiritus s. ecclesiam paulatim instruit, tum etiam quia illi in aliis gravioribus mysteriis explicandis distinebantur. Postquam vero ante quingentos annos veritas haec coepit clarius doceri, ita incendit fidelium animos crevitque paulatim ejus fides, ut jam vere omnium consensione recepta sit et praesertim abhinc ducentis annis ecclesiastici scriptores omnes, universae academiae huic sententiae subscripserunt.* Salmeronius in comment. Rom. 5. disp. 51. in initio: *Ad sententias patrum, quae proferuntur contra immaculatae conceptionis B. Virginis privilegium (quidam enim proferunt ducentos patres, alii, ut Bandellus, fere trecentos, Cajetanus quindecim, et illos quidem, ut ait, irrefragabiles), respondeo: multitudini doctorum nos opponimus aliam multitudinem, ut clavus clavo pellatur.* Postea subjungit, *juniores doctores utpote perspicaciores in hac quaestione praeferendos esse antiquis.* In loco de poenitentia 1. indulgentias papales novitatis accusamus. Non diffitentur hoc quidam ex ipsis Pontificiis. Antoninus archiepiscopus Florentinus part. 1. tit. 10 c. 3: *De indulgentiis nil expresse habemus ex Scriptura sacra, nec etiam ex dictis antiquorum doctorum, sed modernorum.* Episcop. Roffinus art. 18. contra Lutherum: *Quis jam mirari potest, quod in principio nascentis ecclesiae nullus fuit indulgentiarum usus.* Gregorius de Valent. lib. 2. de indulgent. c. 5: *Erant Catholici quidam ante Lutherum, quorum opinionem refert* Thomas part. 3. qu. 25. art. 5. *qui indulgentias pias fraudes esse dixerunt.* Alphonsus de Castro lib. 8. contra haeres. p. 255: *Inter omnes res, de quibus in hoc opere disputamus, nulla est, quam minus aperte sacrae literae prodiderint et de qua minus vetusti scriptores dixerint* (quam indulgentiae). 2. Confessionem auricularem, qualem quidem Pontificii exigunt, in primitiva ecclesia statuimus incognitam esse. Idem II. 331
agnoscit Gratianus auctor juris canonici c. in poenit. dist. 5. de poenit.: *Plures religiosi etiam confessionem secretam non necessariam esse censuerunt, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus et alii patres Graeci.* Rhenanus in praef. Tertull. de poenit.: *Publica exomologesi usi sunt antiqui multis seculis, priusquam ista secreta nasceretur, de qua Tertullianus nihil habet, quae penitus id temporis ignorabatur.* Maldonatus in summ. qu. 18. art. 4: *Sunt etiam inter Catholicos, qui putant, nullum esse praeceptum divinum de confessione, ut omnes decretorum interpretes et inter Scholasticos Scotus.* In articulo de justificatione statuimus 1. solam fidem justificare. Idem docuisse patres agnoscunt quidam ex Pontificiis. Joh. Hoffmeisterus in harm. August. confess. Fabriciana pag. 46: *Ante exortum hunc in ecclesia tumultum nemo fuit offensus particula illa* sola, *quam jam tenerae quorundam aures vix ferre queunt, nemo siquidem unquam in jus vocavit Ambrosium, quod affirmarit, hominem sola fide justificari.* Georg. Cassander in consult. art. 4. scribit, *exempla in patribus suppetere, ubi quoque justificatio, quae est post regenerationem, sola fide constare dicatur.* Erasmus: *Vox* sola *tot clamoribus in Luthero lapidata hoc seculo reverenter auditur et legitur in patribus.* 2. Opera proprie loquendo non esse meritoria. Ejusdem sententiae patronos esse pios veteres agnoscunt quidam scriptores Pontificii. Vega lib. 1. de justificat. c. 8. p. 188. et in opusc. de merit. qu. 7. p. 816: *Catholicos quosdam viros doctissimos et pientissimos adhuc video eo propendere, ut ecclesia meritum de congruo repellat, ut contra auctoritatem patrum recens inventum. Re vera hanc distinctionem congrui et condigni patres nusquam habent.* In articulo de sacramentis improbamus septenarium sacramentorum numerum; eundem ignotum fuisse veteribus agnoscit Cassander in consult. de August. confess. art. 13: *Apud auctores paulo vetustiores inter sacramenta proprie dicta nunc duo ponuntur, nunc tria, baptismus, eucharistia, confir-*

Digitized by Google

matio. *Non temere quemquam reperies ante Petrum Lombardum, qui certum aliquem ac definitum sacramentorum numerum statuerit et de his septem non omnes quidem Scholastici aeque proprie sacramenta vocabant.* In articulo de eucharistia improbamus communionem sub una specie. Eandem longis seculis ab ecclesia exsulasse non audent negare Pontificii. Cassander in cons. art. 22: *Satis constat, occidentalem seu Romanam ecclesiam mille a Christo annis in solenni et ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis et vini speciem omnibus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veteribus tam Graecorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent, inductos fuisse exemplo Christi; atque hic mos etiam adhuc per Graeciam et Armeniam obtinet, quare haud temere est, quod optimi quique Catholici et in ecclesiasticorum scriptorum lectione versati summo desiderio potiundi calicis incenduntur, ut sacramentum Domini ad consuetudinem veterem et multis seculis perpetuatam universalis ecclesiae reducatur.* Cardinalis Cusanus epist. 2. ad Bohemos: *Olim sanctissimi viri utriusque speciei sacramentum necessarium esse vi praecepti Christi verbo et opere adstruxerunt.* Agnoscunt hoc quidam ex Pontificiis. Erasmus in epist. de concord. eccles.: *Sunt qui communionem requirunt, sic, fateor, fuit a Christo institutum et ita olim consuevit observari.* Cassander in consult. art. 24: *Quod de privatis missis conqueruntur protestantes non est absque ratione, si privatarum missarum nomine intelligimus eas, ubi solus sacerdos confecta sacramenta participat, nec ulla fit mysteriorum distributio, quae apertiore nomine solitariae missae vocantur, quae veteribus improbatae fuisse videntur, absurdum enim est, ut solus sacerdos dicat Dominus vobiscum; de his scribit Odo Camerensis in canonem, antiquitus in usu ecclesiae eas non fuisse.* Transsubstantiationem veteribus dicimus fuisse incognitam. Agnoscunt hoc quidam ex Pontificiis. Erasmus annot. 1. Cor. 7: *Transsubstantiationem sero definivit ec-*
333 *clesia.* Bellarminus lib. 3. de euch. c. 23: *Scotus addit, ante concilium Lateranense non fuisse dogma transsubstantiationis.* Cassander in consult.: *Transsubstantiatio tum nomine, tum effectu nova est.* In loco de ecclesia negamus monarchicum papae dominatum. Eundem ignotum fuisse veteribus fatetur Aeneas Sylvius epist. 31: *Ante Nicaenam synodum unus quisque sibi vixit et parvus respectus ad Romanam ecclesiam habebatur.* Gregorius episcopus Romanus lib. 4. epist. 26: *Nemo praedecessorum meorum hoc profano vocabulo universalis episcopi usus est unquam.* Cusanus lib. 2. de concord. Eccl. c. 34: *Hoc inquit Gregorius, temerarium nomen episcopi universalis nullus Romanus pontifex sibi arripuit. Sed Bonifacius III. qui fuit secundus a Gregorio, magna contentione demum a Phoca id obtinuit, ut Roma caput omnium ecclesiarum diceretur, teste Platina in Bonif. III.* Electio pontificis per cardinales novitas est fatente Bellarmino lib. 1. de cleric. c. 16: *Olim fateor, episcopos quoscunque praelatos fuisse non episcopis, postea tamen mutatus est ordo. Postquam enim ad cardinales devoluta est summi pontificis electio, coepit cardinalium dignitas pluris fieri quam antea, nam primis octingentis annis cardinales vel soli vel primarii pontificis consiliarii non erant, his postremis annis sexcentis vel septingentis coeperunt omitti concilia episcopalia et res tota redigi ad senatum cardinalium.* Negamus, papae competere potestatem convocandi generalia concilia. Idem in primitiva ecclesia denegatum ei fuisse, quidam Pontificii agnoscunt. Cusanus lib. 2. concord. cathol. c. 25: *Ex illo tempore, quo imperatores Christiani esse coeperant, ex illorum nutu pendere visa sunt negotia ecclesiae, atque adeo maxima concilia ex eorum sententia convocabantur, ut ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro patet. Octo prima generalia concilia ab imperatoribus erant collecta et pontifex Romanus ad instar aliorum patriarcharum divales sacras jussiones pro veniendo aut mittendo ad concilia recepit.* Papam non posse errare novum et haereticum dogma esse dicimus. Agnoscunt hujus dogmatis novitatem quidam Pontificii. Ambros. Catharinus in comm. c. 2. Gal.: *Falsum est, papam non posse errare, etiamsi novitii scriptores ausi sunt oppositum defendere.* Bellarminus lib. 4. de pont. c. 2. §. Secunda opinio: *Papam errare posse tenuerunt doctoris Parisienses, ut Gerson, Almainus, nec non papa Adrianus Sextus.* (Si errare non potest pontifex, Adrianus ille non erravit statuendo, pontifices errandi periculo obnoxios esse. Vicissim si Adrianus papa erravit hoc asserendo, denuo consequitur, pontificem errare posse.) Jubilaeorum annorum, quos pontifices Romani promulgant, novitatem accusamus. Non possunt eam negare Pontificii. Sic enim Polyd Vergilius lib. 8. de rerum invent. c. 1. et Platina in vita Bonif. VIII.: *Hic Bonifacius primus anno 1300. jubilaeum ordinavit atque hoc solenne repeti voluit anno quoque centesimo, Clemens VI. sancivit, eum celebrari anno quinquagesimo, Sixtus V. eum ad vigesimum quintum quemque annum reduxit.* Papam esse supra concilium dicimus esse novitatem ante paucos annos in ecclesia primum auditam. Agnoscunt hoc quidam ex Pontificiis, Aeneas Sylvius ipse postmodum pontifex de gest. concil. Basil.: *Tempore antiquorum conciliorum pontifices acta conciliorum tanquam oracula observabant et papa Damasus negabat, sui muneris esse in causis a concilio definitis manum suam apponere.* Cardin. Cusanus lib. 2. de concord. cathol. c. 17: *Papam non esse supra ecclesiam ex Augustino, Cypriano et Gregorio papa, etiam ex Ambrosio et confessione pontificum constat.* Bellarminus lib. 2. de concil. c. 14: *Papam esse infra concilium Cardinalis Cameracensis, Almainus, Gerson, Nicolaus Campanus, Panormitanus, cardinalis Florentinus, et patres in concilio Basileensi censuerunt.* Clericos e potestate civilis magistratus exemtos dicere novitatem esse statuimus priscis patribus incognitam. Agnoscit id ipsum Episc. Espenc. comment. in epist. ad Tit. 3. digress. 10: *Apostolus docet, credentes*

Digitized by Google

omnes mundi potestatibus esse subjectos, sed turbi-
XI. 334. *lenti quidam mota inter regnum et sacerdotium controversia mirum est, quot quantasve turbas dederint, tot ante hunc Camerinam annorum centuriis Chrysostomus nihil tale unquam futurum suspicans ex apostolo: Omnis anima potestatibus subdita sit. Omnis, inquit, sive apostolus, sive propheta, sive evangelista, sive episcopus subditus sit. Sequuntur Chrysostomum Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus et qui non Graeci? Idem Gregorius Magnus ingenue agnoscebat, imperatoribus inquit concessum esse sacerdotibus dominari. Et Bernhardus idem colligit. Si omnis anima inquit, tum vestra, quis vos excipit ex universitate? Si quis tentat excipere, tentat decipere. Gratianus c. in synodo* etc. *si competenter dist. 65. pontifices ipsi in suis decretis fatentur, se imperatoribus obnoxios esse.* Coelibatum sacerdotum in primitiva ecclesia fuisse liberum quidam ex Pontificiis agnoscunt. Cassander in consult. art. 23: *Restat ut in ordinandis statuum coelibatus relaxetur et more veteris ecclesiae et huc usque orientalium ecclesiarum honesti quoque mariti ad ecclesiae ministerium admittantur.* Cajetanus tom. 1. opusc tract. 17: *Diu licuit in ecclesia orientali contrahere post ordinationem.* Gregorius de Valent. lib. de coelib. p. 59: *Clitovaeus, qui coelibatus legem strenue defendere voluit, putat, legem coelibatus primum fuisse a Siricio papa, hoc est circiter annum 390. inventam.* Invocationem sanctorum primitivae ecclesiae apostolorum temporibus proximae ignotam fuisse fatetur Eccius in enchirid. c. de vener. sanct.: *Non licuit*, inquit, *invocare sanctos in primordio ecclesiae in N. T., ne gentiles recens conversi se iterum ad idololatriam induci paterentur.* Purgatorii doctrinam esse novam ac priscae ecclesiae incognitam, agnoscit Episc. Roffensis art. 18. adv. Luth.: *Legat* (inquit) *qui velit Graecorum patrum commentarios et nullam quantum opinior aut rarissimam purgatorii mentionem inveniet. Sed neque Latini simul omnes hujus rei veritatem conceperunt, neque tam necessaria fuit primitivae ecclesiae purgatorii fides atque nunc est, ex qua pendet omnis indulgentiarum existimatio, his enim si nullum fuerit purgatorium, nihil indigebimus. Contemplantes igitur, purgatorium aliquandiu incognitum fuisse, deinde quibusdam pedetentim partim ex revelationibus, partim ex Scripturis creditum fuisse et tam sero cognitum* etc. Cassander in consult. art. de missa: *Usque ad hodiernum diem nunquam in ecclesia statutum fuit, quomodo nostrae preces defunctorum animis prodesse possint, sed fuisse merum testimonium caritatis nostrae erga defunctos et articuli immortalitatis animae et corporum resurrectionis futurae.* Cultum imaginum priscae ecclesiae fuisse ignotum agnoscunt quidam ex Pontificiis. Erasmus in catech.: *Usque ad tempora Hieronymi probatae religionis viri fuerunt, qui nullam faciebant imaginem, ne ipsius quidem Christi.* Cassander in consult. art. 21: *Certum est, initio praedicati evangelii et aliquanto tempore post imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente Alexandrino et Arnobio patet.* Et postea: *Quae fuerit mens Romanae ecclesiae tempore Gregorii ex ejus scriptis colligitur, haberi nimirum picturas, non ut colerentur, sed ut per eas imperiti rerum gestarum admonerentur.* Polydor. Vergilius lib. 6. de rer. invent. c. 13: *Omnes veteres patres teste Hieronymo simulacrorum cultum damnabant.* Jejunii quadragesimalis strictam observationem veteribus non fuisse in usu agnoscit Azorius, quando ex Irenaeo lib. 5. c. 25. sic scribit lib. 7. instit. moral. c. 23: *De jejunii quadragenarii numero magna fuit olim apud Christianos varietas, quam etiam Irenaeus significat. Quidam, inquit, se unum diem jejunare existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta, atque diurnis ac nocturnis horis diem suum metiuntur; quae varietas ac discrepantia non nostra modo aetate coepta est, verum etiam longe ante majores nostros.* Ceremoniarum farraginem a simplicitate primitivae ecclesiae discrepare conquerimur. Agnoscit id ipsum Cassander in concult. art. 25: *Fatendum est, novellas esse traditiones, in quibus ab aequitate et mente ecclesiae ab imperitis et superstitiosis ecclesiarum praefectis recessum est, ut de nimis severa exactione jejuniorum et ciborum* XI. 33[illegible]
delectu, item coelibatu eorum, qui nimis temere sese ad coelibatum adstrinxerunt, de votis monachorum et reliquis id genus. Assentimur Augustanae confessioni, cum ait, si episcopi hos abusus, praecipue qui missam et alias partes divini cultus invaserunt, correxissent, minus nunc esset dissensionum, neque tantum monendos et rogandos putamus, ut abusus corrigant, verum etiam ut antiquos aliquot ecclesiae ritus et mores per progressionem et inclinationem temporis obsoletos et immutatos revocari studeant. Corn. Agrippa de vanit. scient. c 56: *Plus hodie onerantur Christiani quam olim Judaei crescentibus ceremoniarum legibus.* Possent plura hujusmodi ex Pontificiis scriptoribus afferri testimonia, in quibus dogmatum et rituum suorum novitatem, nostrorum vero cum antiqua ecclesia conformitatem agnoscunt, sed haec ad specialem singularum controversiarum exegesin commodius referuntur.

207. *Membrum tertium.* Num ecclesiae evangelicae consanguinitate doctrinae cum veteri ecclesia apostolorum temporibus proxima sint conjunctae. Nos constanter illud affirmamus ac in singulis controversiis consensum illum doctrinae demonstramus. Bellarminus contra demonstrare nititur, *nos talia propugnare dogmata, quae in ecclesia antiqua pro exploratis haeresibus fuerint habita, quo fine corollam viginti haeresium texit* eamque nobis imponere satagit. Primo, inquit, *Simoniani docebant, salvari homines secundum gratiam Simonis, quem Deum faciebant et non secundum operas justas.* Irenaeus lib. 1. c. 20: *Eunomiani similiter docebant, non posse homini ulla nocere peccata, modo fidem habeat*, teste Augustino de haeres. c. 54. *At haec eadem est sententia omnium sectariorum.* Eodem modo nos calumniatur ** Costerus in enchir. c. 2. p. 78. *Beatus*, inquiens, *Augustinus inter haereses Eunomii re-*

Num ecclesiae evangelicae consensu veteris ecclesiae [illegible]

1. Haeresis Simonianorum.

Digitized by Google

censet doctrinam de sola fide, quam tot annorum spatio decurso rursus ab inferis suscitavit Lutherus. At verba Augustini de haeres. c. 54. longe aliter describunt Eunomii haeresin: *Fertur usque adeo fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obesset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, quae ab illo docebatur, fidei particeps esset.*** Becanus etiam lib. de eccles. q. 3. concl. 4. num. 22. scribit, *Lutherum damnare bona opera.* concl. 8. num. 74. *Lutherum fingere, quod fides justificans in eo consistat, ut quis certo sibi persuadeat, nulla peccata quantumvis enormia sibi nocere aut imputari.* Respondemus: egimus hac de re, quantum satis est in tract. de bonis operibus §. 44. ubi virulentam illam calumniam felle diabolico perfusam diluimus. Certe quantum Christus a Simone Mago, redemtor mundi ab impostore pessimo, gratia Dei a gratia Simonis, libertas Christiana a peccandi licentia, viva fides ab inani persuasione, imo quantum summum coelum distat ab infima terra, tantum nostra sententia ab haeresi Simoniana et Eunominiana discrepat. Eunomius talem fidem praedicavit, quae cum quibuslibet peccatis stare possit, etiamsi homo in illis perseveret teste Augustino de haeres. c. 54. Num vero nos docemus talem fidem? absolvit nos ab hoc crimine ipse Bellarminus lib. 1. de justif. c. 3. lib. 3. de just. c. 6. lib. 4. c. 1. et 4. ubi monet, *doceri a nostris, quod vera fides non possit esse sine bonis operibus.* Pontificii vero docent, fidem posse esse absque bonis operibus, illi ergo Eunomio similiores sunt quam nos. Respondeat pro nobis ipse Bellarminus: *Simoniani docebant* (scribit hoc loco), *hominem salvari secundum gratiam Simonis Magi; Protestantes dicunt* (scribit lib. 1. de justific. c. 12.), *oportere nos justificari tantum per gratiam Dei in Christo Jesu, quam per fidem tantum apprehendimus. Eunomiani*
336. *docebant* (scribit hoc loco), *non posse homini ulla peccata nocere, modo fidem habeat; confessio Augustana* (scribit lib. 4. de justific. c. 1. §. Ac primum) *per solam fidem non excludit alias virtutes, sed meritum ipsarum.* Ibidem: *Protestantes negant, fidem posse cum malis operibus consistere.* lib. 1. de just. c. 15. *dicunt, fidem solam justificare, sed eam non esse solam.* Num vero haec invicem conveniunt? imo vero e diametro sibi sunt opposita. Toletus in comm. Johan. 13: *Eunomius affirmavit, fidem ad salutem sufficere; Protestantes docent quidem, ad salutem sufficere, negant tamen, fidem illam sine operibus esse posse.* Agnoscit igitur, Eunomium praedicasse fidem inanem et mortuam, Protestantes vero vivam et per opera efficacem. Stapletonus lib. 9. de justific. c. 7: *Omnes Protestantes ad unum dicunt, fidem, quae justificat, esse vivam et operantem per caritatem aliaque bona opera.* Vega libr. 15. de justific. c. 5: *Justificationem et sanctificationem tam conjunctas tamque cohaerentes esse asseverant, ut non possit alterum ab altero divelli.*

208. II. *Florini haeresis fuit, Deum esse causam peccatorum,* Euseb. lib. 5. hist. c. 20. *eadem sine ullo pudore docet Calvinus* lib. 1. instit. c. 18. §. 2. lib. 3. c. 23. §. 24. c. 24. §. 14. *idem docuit Lutherus in lib. de serv. arbitr. et Philippus Melanthon in comm. c. 8. Rom.* **Campianus rat. 8. Protestantium hoc esse dicit axioma, *quod Deus sit causa peccati.*** Respondemus: Quae sit nostrarum ecclesiarum de causa peccati sententia, disertis verbis exprimitur in Augustana confessione art. 19: *De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli et impiorum, quae non adjuvante Deo avertit se a Deo.* Ad publicum illud ecclesiarum nostrarum symbolum exigenda sunt, quaecunque vel a Luthero, vel Melanthone fervore contentionis cum adversariis sub primis annis sunt prolata. Librum de servo arbitrio quomodo intelligi velit, exposuit ipse Lutherus in comm. cap. 26. Genes. et cap. 11. Matth. Absolvit nos ab hac haeresi Suarez Jesuita lib. de variis opusc. theol. lib. 2. c. 2. num. 5: *De actibus malis quoad formale peccati non est controversia inter Catholicos, sit ergo fide certum, Deum nullo modo inclinare ad formale peccati, nec haeretici* (sic appellat Protestantes) *hoc negant, bene enim norunt, nec Deum posse intendere formale peccati, nec inclinare voluntatem hominis, ut illud intendat.* lib. 1. c. 2. §. Non ergo: *Propriam causam peccati fatentur adversarii esse voluntatem humanam.* Videat autem Bellarminus, ne ipsemet reus fiat illius haereseos, quam mendaciter nobis tribuit, disputat enim, *hominem per peccatum amissa justitia originali constare ex carne et spiritu, unde contrariae propensiones et praeceps ad vitia inclinatio exstiterint, natae ex ipsius naturae a Deo creatae conditione. Non magis differt,* inquit, lib. 1. de grat. prim. hom. c. 5. *status hominum post lapsum Adae a statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturae non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malae qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adae peccatum amissione profluxit.* At hac ratione rebellio carnis adversus spiritum in homine refertur ad ipsam naturam a Deo conditam, ac proinde naturae auctor, hoc est Deus, constituitur causa illius rebellionis, quam vere peccatum esse docet apostolus Rom. 7, v. 7. et seqq. Gal. 5, v. 17. etc. Idem lib. 2. de grat. et lib. arbitr. cap. 8. disputat, *Deum absoluta voluntate velle salvare multos tum parvulos, tum adultos et absoluta voluntate alios non velle salvare tum parvulos, tum adultos.* Atqui absoluta illa voluntas non salvandi includit hoc ipsum, quod Deus auctor sit peccatorum, propter quae damnantur, ut patet ex disputatione de absoluto reprobationis decreto contra Calvinianos.

2. Haeresis Florini.

Digitized by Google

XI. 337. 3. Haeresis Origenis.

209. III. *Origenis haeresis fuit, perdidisse Adamum imaginem Dei, ad quam creatus fuerat teste Epiphanio haeres. 64. idem docet Calvinus lib. 2. institut. c. 1. §. 5. Item Origenis error fuit, infernum nihil esse nisi conscientiae horrorem teste Hieronymo in epist. ad Avitum; idem docet Calvinus libr. 3. instit. cap. ult. §. ult.* Respondemus: 1. de amissione divinae imaginis egimus in tract. de imagine Dei in primo homine §. 16. et seqq. item §. 129. et seqq. Si juxta Scripturae explicationem imago Dei accipitur pro justitia et sanctitate illa vera, ad quam homo conditus, ac pro concreata illa omnium virium integritate et rectitudine, quae fuit in homine ante lapsum, non Origenes solum, sed etiam alii patres recte asserunt, imaginem divinam esse per lapsum amissam, quorum testimonia recensuimus loco proxime citato. Quia vero plerique ex veteribus imaginem et similitudinem sic distinguunt, ut *imaginem* referant ad essentiales animae potentias, mentem, voluntatem, memoriam etc. *similitudinem* ad qualitates animae, justitiam scilicet ac sanctitatem; ideo hoc sensu et respectu ac juxta hanc hypothesin recte asseritur, imaginem Dei in homine adhuc esse reliquam, ac recte haereseos dica scribitur illis, qui hoc sensu asserunt, imaginem Dei per lapsum esse amissam. Sed novit Bellarminus, norunt alii Pontificii, nos de imagine Dei loqui juxta ipsius Scripturae explicationem, quod scilicet fuerit justitia et sanctitas concreata, omnium virium integritas et rectitudo conformis legi divinae, quae cum sit amissa, non potest nobis haereseos crimen impingi, si hoc sensu et respectu imaginem Dei per lapsum amissam esse dicimus. Agnoscunt hoc quidam ex ipsis adversariis Alphonsus de Castro libr. 2. adv. haeres. tit. Adam: *Origenes per imaginem intelligebat vel naturam, vel substantiam rationalem, vel significabat similitudinem seu animi qualitatem. Quodsi Origenes secundum hunc modum usurpaverit, quis non videt, ibi nullam esse haereseos suspicionem?* Maldonatus in comment. Luc. c. 15: *Solent plerique per substantiam, quam prodigus dicitur perdidisse, liberum arbitrium ceterasque naturales facultates interpretari, sic Augustinus, Beda, Euthymius, Bernhardus, quae tamen sano ab iis sensu dicta sunt. Alii per eam substantiam perditam, imaginem et similitudinem significari putant.* Vasquez in 1. 2. Thoma. tom. 1. disput. 137. num. 14. respondet, *imaginem Dei aliam esse naturaliter impressam in intellectu nempe memoriam et voluntatem, et hujus nihil minui intrinsece, sed tantum extrinsece, et ideo nunquam deleri, quantumvis extrinsece minuatur; aliam vero esse imaginem Dei homini per gratiam et caritatem impressam, his enim qualitatibus Deo similes efficimur et haec omnino amittitur per peccatum, et de hac intelligendi sunt Origenes et Augustinus.* Pererius libr. 4. in Gen. p. 474. itidem improbat discrimen illud inter *imaginem* et *similitudinem*, quod Bellarminus amplectitur. Hi ergo omnes, Alphonsus de Castro, Maldonatus, Vasquez, Pererius, agnoscunt, imaginem Dei sensu sano et orthodoxo amissam dici posse, liberant ergo nos a mendaci haereseos accusatione. Fatemur autem, haereticum esse, si quis statuat, vel ipsam animae essentiam, intellectum scilicet voluntatem et reliquas vires esse amissas, vel nullas omnino divinae imaginis superesse reliquias, maxime vero si Origenis errorem de anima praeexistente et in peccato constituta ante suam in corpus detrusionem amplectatur et hoc sensu imaginem Dei deperditam esse statuit. 2. Infernum nihil aliud esse quam conscientiae horrorem nemo nostrum dicit. Partem poenae infernalis, ac eam quidem longe gravissimam constitutam fore dicimus in alienatione a vita Dei, in sensu irae divinae perpetuo, in horroribus conscientiae aeternis, in militia omnium creaturarum adversus damnatos; interim non negamus, etiam corporeis poenis in certo quodam *ποῦ* subjectos fore reprobos, quia non solum in anima, sed etiam in corpore peccarunt. Hieronymus dicit, *ignem inexstinguibilem multos interpretatos esse de tormentis conscientiae aeternis*, quos non reprehendit, modo statuant, aeterna fore damnatorum supplicia, quod Origenes haeretice negabat. XI. 3[…] Augustinus, licet statuat, *damnatos igne corporali comburendos*, eorum tamen sententiam ut haereticam non damnat, qui ignem incorporalem fore intelligunt.

4. Peputiani haeretici.

210. IV. *Peputiani haeretici referente Augustino de haeres. c. 27. tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur; Lutherus artic. 13. ex iis, quos Leo X. damnavit, dicit, in sacramento poenitentiae aeque absolvere posse mulierem vel puerum atque episcopum vel papam, et jam re ipsa Calvinistis in Anglia mulier quaedam est summus pontifex.* Respondemus: 1. ordinariam ministerii administrationem non committimus feminis, quod faciebant olim Peputiani. Quod in extremo necessitatis casu baptismi administrationem laicis concedimus, in eo Pontificii nobiscum consentiunt. 2. Lutherus loquitur de casu necessitatis extraordinario, ubi non potest haberi sacerdos, ibi dicit, tantum valere mulieris Christianae vel etiam pueri absolutionem, quantum sacerdotis. *In remissione culpae* (inquit) *non plus facit papa, quam quivis sacerdos, imo cum sacerdos abest, quam quilibet Christianus.* Monet etiam, *vim delendae culpae non in qualitate ministri, sed in fide credentis esse sitam, nec tali cuidam potestati ministri, qualem Pontificii statuunt, sed fidei, qua verbum promissionis evangelicae amplectimur, remissionis effectum tribuendum esse.* Nequaquam vero ministerii ecclesiastici usum ac dignitatem sustulit, sic enim scribit in post. eccles. domin. pasch. prox.: *Apostolus 1. Cor. 14. requirit, ut omnia ordine fiant, at si omnes sacramenta porrigere velimus, quis futurus esset ordo? si omnes simul concionari, qualis coaxatio? Omnes sacramenta administrandi potestatem habemus, sed nemo sibi hoc temere, ut exerceat, assumere debeat, nisi is, qui ab ecclesia ad hoc destinatus fuerit.* Idem sentiendum de potestate solvendi et ligandi. 3. Elisabetham Angliae regi-

Digitized by Google

nam fuisse scimus, sed quod partes ministerii ecclesiastici sibi arrogaverit, Cochlaei est mendacium, quod Bellarminus hoc loco repetit, qui longe rectius fecisset, si Johannis Octavi papissae ex Anglia oriundae memor ab hac calumnia abstinuisset.

. Procli haeresis. 211. V. *Proclus haereticus apud Epiphanium haeres. 64. dicebat, peccatum in renatis semper vivere, concupiscentiam enim vere esse peccatum, nec tolli per baptismum, sed sopiri per fidem, quod idem postea docuerunt Messaliani haeretici apud Theodoretum libr. 4. de haeret. fab. Haec est ipsissima sententia Lutheri artic. 2. et 31. atque in assert. illorum articulor., item Philippi Melanthonis in loc. comm. cap. de peccato orig.* Respondemus: 1. Procli haeresin sic describit Methodius apud Epiphanium haeres. 64: *Proclus resurrectionem excutit, dicit, animas sine corpore ante mandatum vixisse, postea in corporis vinculum et carcerem et pedicas conjectum et sine corpore impossibile esse peccare.* Quid vero cum hac opinione nobis commune? 2. Quando Proclus dixit, *peccatum in renatis vivere*, intellexit id de peccati dominio, ut constat ex refutatione Procli apud Epiphanium. Nos contra dicimus, non solum peccati reatum, sed etiam dominium a renatis abesse. Bellarminus ipse hoc agnoscit libr. 5. de amiss. grat. c. 10: *Dicunt Protestantes, concupiscentiam in renatis esse peccatum, licet non semper regnet.* Prius disertis verbis nobiscum docet Paulus et ex eo Augustinus, posterius in Proclo damnamus. 3. Messalianorum haeresin sic describit Alphonsus de Castro lib. 3. de haeres. tit. baptismus: *Messaliani tantam vim tribuebant orationi, ut baptismo derogarent dicentes, nullam utilitatem baptizatis ex baptismo accedere, sed solam orationem studiosam daemonem inhabitantem effugare.* Quid vero cum hac Messalianorum haeresi nostris ecclesiis commune? dicimus, omnia peccata in baptismo remitti ac proinde reatum eorum tolli, quin et vim peccati adhuc in carne habitantis infringi atque minui, quae omnia suo loco abunde confirmata sunt. Cassander in consult. artic. 2. verissima distinctione
I. 339. rem totam explicat: *Si peccati*, inquit, *rationem in vitio illo et iniquitate, languore et morbo constituas, cui spiritu resistendum est, ne illicitos actus gignat, non inepte peccatum dicitur. Sin peccati rationem in ipsa offensa Dei et reatu, cui ex adverso poena et damnatio respondet, sitam intelligas, non est peccatum in regeneratis, quia nisi ei voluntas consentiat, ad peccatum non deputatur.* 4. Pontificii monachi potius errori Messalianorum sunt involuti, sic enim scribit Sixtus Senensis libr. 6. biblioth. annot. 3.: *Adversus ignavos monachos, qui tum in Africa errorem hunc a Messalianis haereticis enatum fovebant, Augustinus scripsit librum de opere monachorum, quo tria potissimum demonstrat, primum ut monachi, qui nullo evangelico negotio, nulla cura ecclesiastica occupantur, non vitam sine ullo labore manuum transigant otiosam* etc.

212. VI. *Novatianorum error praecipuus erat, non esse in ecclesia potestatem reconciliandi homines Deo nisi per baptismum, postea etiam addiderunt, non oportere baptizatos inungi chrismate ab episcopo referente Theodoreto lib. 3. de haeret. fab. et Cornelio papa apud Eusebium lib. 6. c. 33. Quae sententia pro priore parte est Calvinistrarum, quia Calvinus lib. 4. instit. c. 19. §. 17. dicit, nullum esse poenitentiae sacramentum praeter baptismum, ac improbat dictum Hieronymi, quod poenitentia sit secunda post naufragium tabula. Pro altera parte est omnium Lutheranorum, quia Lutherus rejicit poenitentiam ex numero sacramentorum.* 6. Novatianorum haeresis. Respondemus: abstersimus hanc labem Novatianae haereseos spongia veritatis tr. de poenit. §. 21. Hieronymi dictum, quo sensu accipiendum sit, exposuimus tr. eod. §. 13. Novatianorum error fuit, quod poenitentibus post baptismum lapsis veniam denegarint, Euseb. libr. 6. hist. eccl. c. 33. variarunt tamen more haereticorum suam sententiam saepius. Quandoque simpliciter negarunt, post baptismum esse poenitentiae locum; quandoque concesserunt, lapsos ad poenitentiam cohortandos esse, sed spem remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo exspectandam esse; quandoque distinctionem fecerunt inter peccata graviora, inter quae emineat crimen abnegationis in persecutione, ac leviora et quotidiana, horum quidem remissionem ecclesiae ministris concedentes, illorum vero remissionem soli Deo vendicantes. Quam fuisse Novatianorum haeresin agnoscunt ipsimet Pontificii, Vega libr. 13. de justif. c. 2. Alphonsus de Castro lib. 12. adv. haeres. tit. poenitentia, Maldonatus in c. 14. Joh. Quid vero cum haeresi illa nobis commune, qui lapsos etiam in gravissima peccata post susceptum baptismum ad seriam poenitentiam sedulo hortamur? quam si verbis, gestibus et factis testentur, consolatione evangelii illos erigimus et peccatorum remissionem illis annuntiamus August. conf. art. 12: *De poenitentia docent* (nostrae ecclesiae), *quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum quocunque tempore, cum convertuntur, et quod ecclesia talibus redeuntibus ad poenitentiam absolutionem impertiri debeat* etc. *Damnantur et Novatiani, qui nolebant absolvere lapsos post baptismum redeuntes ad poenitentiam.* Quem errorem in Novatianis Augustana conf. diserte damnat, illum Bellarminus a nobis foveri disputat. Videat autem, ne in ecclesiae Romanae gremio Novatianorum error locum inveniat. Si enim perpetuo dubitandum de remissione peccatorum, quomodo vere dici potest, quod in ecclesia vigeat potestas reconciliandi homines Deo? Si reconciliatio illa certa est, exsulare jubeatur dubitatio. Novatiani ob arrogantissimam puritatis et sanctimoniae opinionem dicebantur *Cathari* teste Augustino de haeres. c. 38. at quae major potest esse puritatis et sanctimoniae arrogatio, quam quod monachi Pontificii gloriantur, se non solum legem perfecte implere, sed etiam opera supererogationis praestare posse?

Digitized by Google

XI. 340. 7. Error Sabellii. 213. VII. *Sabellius docuit, unam tantum esse personam in Deo, non tres teste Epiphanio haeres. 57. idem docuit nostro tempore Servetus lib. 1. de Trin. et nunc ea sententia in multis locis regnat.* Respondemus: quid vero Augustanae confessioni cum blasphemiis Serveti commune est? Fatetur ipse Bellarminus praefat. controv. de Christo, *Servetum Genevae exustum esse Calvini suasu et hortatu*, eccur igitur in haereseos illius societatem nos vocat? Servetus Hispanus fuit in academiis Numidicis institutus, ex illis igitur, non ex nobis ortus fuit. ** Jesuita Armandus in epistola ad Chamier. sectam Servetianam, ut ipse loquitur, a Protestantium manifeste segregat ac distinguit. ** Quae sit confessio ecclesiarum nostrarum de mysterio Trinitatis luculente exponitur art. 1. Augustanae confess., in quo diserte damnantur *Samosateniani veteres et recentiores*, qui unam duntaxat in divinitate personam esse contendunt, neque quidquam in hoc articulo a Pontificiis censoribus fuit desideratum. Videat autem Bellarminus, quomodo Genebrardum suum a suspicione tritheismi liberare velit, is enim ita oppugnavit Sabellianismum, ut fere inciderit in tritheismum. Vega in oppugnatione Samosat. p. 10. Possevinus lib. 8. biblioth. ac Pistorius in epit. coloq. Emmertin. contendunt, *personarum in divina essentia Trinitatem non nisi ex traditione demonstrari posse*, qua ratione lubrico admodum et incerto hoc mysterium niteretur fundamento. Vulgares sunt in papatu picturae in quibus Trinitas depingitur in forma hominis tricipitis; quas picturas Tritheitarum haeresi favere et simplicioribus ansam de tribus diis cogitandi praebere non potest forte negari.

8. Manichaeorum haeresis. 214. VIII. *Manichaeorum est hominum damnare naturam et liberum auferre arbitrium, ut est apud Hieronymum in praefat. dial. contra Pelag. et Augustinum de haeres. c. 46. Peccatorum originem non tribuunt Manichaei libero arbitrio; idem aperte sectarii omnes. Lutherus art. 36. dicit, esse rem de solo titulo, in assert. autem ejusdem articuli dicit, esse titulum sine re et omnia fieri ex absoluta necessitate. Manichaei praeterea accusabant passim patres Testamenti Veteris teste Augustino lib. 22. contra Faust. Idem passim facit Calvinus.* Respondemus: 1. art. 18. Augustinae conf. nostram diserte exponit sensentiam. *De libero arbitrio docent* (ecclesiae nostrae), *quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam et deligendas res rationi subjectas, sed non habet vim sine Spiritu s. efficiendae justitiae Dei seu justitiae spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, sed haec fit in cordibus, cum per verbum Spiritus s. concipitur.* Haec totidem *verbis dicit Augustinus lib. 3. hypognosticon* etc. Hunc articulum caesar et principes approbarunt. Joh. Hoffmeister agnoscit eum ex monumentis sanctorum patrum, imo et ex sacris literis desumtum. Georg. Cassander eum commendat *tanquam consentientem doctrinae ecclesiasticae et approbat distinctionem* inter objecta liberi arbitrii. 2. Quando Lutherus liberum arbitrium vocat *titulum sine re*, loquitur de viribus liberi arbitrii ad bonum, qua in parte sequitur Augustinum, qui lib. 2. cont. Julian. c. 2. vocat *servum arbitrium*, ac lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 8. *liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valere* scribit; imo Lutherus hac in parte sequitur ipsum Christum, cujus axioma est Joh. 8, v. 34: *Qui peccatum facit, peccati servus est*, et Christi apostolum, qui *se sub peccatum venundatum esse* conqueritur Rom 7, v. 14. 3. Agnoscimus igitur, voluntatem hominis post lapsum ad peccandum esse liberrimam, imo toto impetu ad peccatum ferri; agnoscimus, in actionibus externis quandam superesse libertatem, sed in spiritualibus nullas liberi arbitrii vires esse reliquas asserimus. 4. Manichaei contra plane negabant liberum arbitrium etiam ad malum et cum substantialem in homine malitiam statuerent, alterum illi conditorem XI. 341.
affingebant, ne bono Deo malitiam aut mali originem cogerentur assignare; statuebant etiam tres hominum ordines, *primos χοϊκούς, qui non sint capaces renovationis; secundos bonos, qui non sint capaces peccati; tertios medios, qui possint purgari separatione τῆς ὕλης tanquam substantiae adversae.* Ecquid horum in nostris ecclesiis defenditur? 5. Videat Bellarminus, ne ipse in Manichaeorum castra inscius transeat. *Nos dicimus* (inquit lib. de grat. prim. hom. c. 7.), *rebellionem carnis adversus Spiritum futuram fuisse in homine ex naturae conditione, si homo in puris naturalibus exstitisset.* At hac ratione vitiositas ipsi naturae auctori cum Manichaeo asscribitur. 6. Si de quibusdam patriarcharum factis temere quippiam pronuntiat Calvinus, suo periculo faciat. Nos licet statuamus, patriarchas non caruisse suis naevis, quin et quosdam illorum in gravissima peccata esse prolapsos, tamen de specialibus quibusdam ipsorum factis ex familiari Spiritus s. impulsu factis temerarie judicare prohibemus. De polygamia patriarcharum Bellarminus ipse quatuor diversas sententias recenset. *Quidam statuunt, patriarchas habuisse unam veram uxorem, reliquas vero concubinas, ex quibus nati filii fuerint spurii; quidam statuunt, polygamiam illam ex consuetudine quadam per legem nullam reprehensa in usu fuisse, inter quos est Augustinus; alii existimant, polygamiam fuisse patribus lege concessam et divinam inspirationem intercessisse;* Bellarminus existimat, *in genere omnibus gentibus ex generali dispensatione fuisse licitam*, quae opinio a jure canonico et Innocentii III. sententia c. gaudemus de divortiis et glossa ac Scholasticis discedit. Abrahamum fuisse *idololatram*, cum adhuc trans fluvium in Ur Chaldaeorum habitaret, dicit ipse Spiritus sanctus Josuae 24, v. 2. Idem statuunt Genebrardus et Masius scriptores Pontificii referente Pererio comment. in Genes. lib. 6. num. 255. ** Idem de Abrahamo statuit Lindanus lib. 1. panop. c. 11. ex Suida et Augustino lib. 10. de civ. Dei cap. ult. ** *Judae Maccabaei* factum ex libro apocrypho non potest probari, nec ullum exstat in lege divina praeceptum

Digitized by Google

de sacrificio pro defunctis. Longe vero alio sensu ac fine patriarcharum vitia notabant et insectabantur Manichaei, quem edisserat nobis Sixtus Senensis lib. 7. bibliothec. c. 8: *Manichaei Scripturas V. T. aversati erant, idcirco in patriarcharum mores contumeliosius invehebantur. Quanquam vero patriarcharum in V. T. gravia crimina concedantur, non propterea Scripturae minuitur auctoritas, imo nobis magis commendatur, ut fidem consequamur, quia Scriptura excipit nullius adulandam personam, quaedam in vituperabilibus laudanda, quaedam in laudabilibus vituperanda non tacens.* Ibidem: *Quaedam crimina patriarcharum Scriptis produntur, ut quatuor haec, videlicet fidem, eruditionem, timorem, spem, consequamur. Fidem historiae, quae nemini adulatur; eruditionem, ut ea vitia effugiamus, quae Scriptura vituperat; timorem, ut casus majorum sit timor minorum; spem, ut in talibus lapsibus non desperemus salutem.* Haec ex Augustino Senensis. Sic ergo ex eodem flore Manichaei venenum, orthodoxi mel sugunt, quod cum Bellarmino non fuerit ignotum, quis calumniandi intemperiem in ipso non detestetur?

9. Donatistarum haeresis. 215. IX. *Donatistae ecclesiam ex solis justis constare volebant atque inde deducebant, ecclesiam visibilem periisse de orbe terrarum et in sola Africa remansisse, Augustinus lib. de unit. ecclesiae c. 12. Iidem Catholicos crudelissime trucidabant, oderant praecipue monachos et episcopos, quos vocabant Pharisaeos, inprimis episcopum Romanum, cujus sedem cathedram pestilentiae vocabant, altaria frangebant, ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant* etc. *Eandem esse doctrinam et vitam Calvinistarum certum est, nam ecclesiam ex solis bonis constare docet Calvinus lib. 4. instit. c. 1. §. 7. quod etiam docet art. 7. Augustanae conf. ecclesiam visibi-*
XI. 342. *lem a multis seculis periisse docent omnes. Porro nihil eorum, quae blaspheme vel crudeliter vel sacrilege dixerunt vel egerunt Donatistae, omisisse Calvinistas docent historia Surii, liber de furoribus Gallicis et alii auctores.* Eandem cramben reponit Becanus lib. de ecclesia p. 57: *Donatistae docuerunt* (inquit), *ecclesiam catholicam, quae antea toto orbe fuerat dispersa, postea toto orbe periisse* etc. *Idem fere docent Lutherani.* Respondemus: 1. loquatur pro nobis artic. 8. Augustanae conf.: *Quanquam ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium, tamen cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint, licet uti sacramentis, quae per malos administrantur.* Ad hunc articulum respondit Caesar et principes, quod *ille acceptetur cum Romana ecclesia*, et laudat principes protestantes, quod *damnent Donatistas et veteres Origenistas.* Bellarminus Donatistarum haeresin nobis tribuit, Carolus V. imperator laudatissimus ab ea nos absolvit. Hoffmeisterus egregiam affert distinctionem ex Augustino: *Esse in ecclesia dicitur bifariam, uno modo esse in ea tanquam membrum in compage justitiae, particeps scilicet spiritualis vitae, hoc est cohaerens ceteris membris in spiritu caritatis; alio modo, inquit, esse in ecclesia est adhaerere membris ecclesiae, sicut palea tritico.* De tota hac re plura diximus superius. 2. Cum Donatistis ergo nostrae sententiae nihil est commercii. Donatistae ecclesiam visibilem ex solis electis constare volunt; nos invisibilem ecclesiam definimus esse *congregationem sanctorum.* Donatistae visibilem ecclesiam in certum orbis angulum coërcebant; nos eam per totum mundum dispersam esse dicimus. 3. Caveat sibi Bellarminus, ne in luto illo erroris deprehendatur, in quod alios praecipitare satagit. *Donatistae ecclesiam visibilem periisse de orbe terrarum et in sola Africa remansisse* docebant, ut ex Augustino Bellarminus hoc loco scribit. Atqui id ipsum fit a Pontificiis, qui Romanae sedi ecclesiam catholicam alligant. *Omnes sedes apostolicae* (inquit Bellarminus libr. 3. de eccles. c. 8. §. Si ergo) *Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana defecerunt, sola Romana sedes Petri immobilis permansit.* Donatistae ex verbis Cantici mystice explicatis, *indica, ubi cubes in meridie*, opinionem suam deducebant, quos hoc nomine ridet Augustinus epist. 48. ad Vincent. Pontificii ex verbis Christi, *Petre, pasce oves meas*, itidem allegorice explicatis opinionem suam probare conantur. 4. Donatistae immerito tum temporis propter illud caput doctrinae reprehendebant episcopum Romanum; nos vero plurimorum errorum eum meritissime accusamus. 5. Si in mutatione ceremoniarum, praesertim vero in motibus bellicis tumultuarie vel inordinate a Calvinianis quidquam factum, ejus rei culpam praestare neutiquam tenemur. De ritibus ecclesiasticis Augustana conf. art. 15. nostram sententiam planissime exponit: *Docent* (ecclesiae nostrae), *quod ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possunt et prosunt ad tranquillitatem et bonum ordinem in ecclesia, sicut certae feriae.*

216. X. *Ariani docebant, Filium Dei esse Patre minorem, ut est apud Epiphanium haeres. 69. Deinde iidem non recipiebant ullo modo traditiones non scriptas, ut docet Maximinus Arianorum episcopus apud Augustinum lib. 1. c. 2. cont. Maxim. quam haeresin postea imitati sunt Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut habetur in VII. synodo act. 1. Denique iidem Ariani plura et majora sacrilegia patrarunt in sacramenta, altaria, sacerdotes, monachos, sanctimoniales* etc. *quam Donatistae, ut patet ex Athanasio in apol. pro fuga, Rufino lib. 11. hist. c. 3. Theodoreto lib. 4. hist. c. 19. Primum errorem Arianorum docent Tritheitae. Quamvis autem Lutherus, Philippus Melanthon, Calvinus et similes Arium habeant pro haeretico, tamen negare non possunt, quin in suis scriptis hujus erroris semina jecerint, unde postea orti novi isti Ariani, ut demonstravimus in praefat. librorum de Christo. Deinde alterum errorem docent omnes hujus temporis haeretici. Porro illa crudelia et sacrilega facinora Arianorum, si* XI. 343 (243).
tantum nomina mutentur, sunt illa ipsa, quae Calvinistae passim factitant. Respondemus: 1. ab Aria- 10. Arianorum haeresis.

Digitized by Google

nismi crimine liberat nos articulus primus Augustanae confess.: *Ecclesiae magno consensu apud nos docent, decretum synodi Nicaenae de unitate essentiae divinae et de tribus personis verum et sine ulla dubitatione credendum esse* etc. *Damnant Arianos, Eunomianos* etc. 2. Semina erroris Ariani in libris nostrorum exstare est Jesuiticum pronuntiatum. Quae Bellarminus in praefat. libror. de Christo affert, suo loco clarissime sunt exposita. De Calvino tamen recte dicitur, quod V. T. dicta mysterium Trinitatis et divinitatem Filii probantia perversis suis interpretationibus corruperit. 3. Probe dispiciat Bellarminus, ne fomenta Ariano errori subministret. Ea quae in tempore Christo data sunt, negat, secundum humanam naturam ei data esse; consequens igitur erit, secundum divinam naturam ei data esse, sed *talia sentientem in sui societatem Arius rapuit*, scribit Leo epist. 22. Disputat Bellarminus libr. 3. de Christo c. 15. apud *antiquos sedere a dextris minus honorificum fuisse quam a sinistris*, qua ratione ex sessione ad dextram Patris nunquam poterit aequalitas potentiae. majestatis et gloriae inter Patrem et Filium demonstrari. 4. Traditiones extra Scripturam in articulis fidei nolle acceptare nequaquam est haereticum, alias haereticus fuisset apostolus, qui *sacras literas nos σοφίσαι, sapientes ad salutem reddere, posse* asserit, ac *Scripturam divinitus inspiratam utilem esse* docet *ad docendum, arguendum, corrigendum et erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, 2. Tim. 3, v. 15. 16. 17. Haeretici etiam essent sancti patres, qui in articulis fidei nihil receperunt, nisi quod ex Scripturis sacris demonstrari posset; ostendemus autem inferius, proprium esse haereticorum, quod *cum ex Scripturis arguuntur, ad accusationem Scripturarum convertantur, quasi non recte se habeant, nec possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem*, teste Irenaeo lib. 3. advers. haeres. c. 2. pag. 169. Proinde Ariani non fuerunt propterea haereseos accusati, quod in articulis fidei traditiones repudiarent, sed quod demonstratam ex Scripturis veritatem de divinitate Filii acceptare nollent ad traditiones extra Scripturam illud dogma referentes. Nolebant acceptare nomen ὁμοουσίου, qui non exstet in Scripturis, cum tamen vis et sensus illius in Scripturis habeatur. Recte Bellarminus lib. 2. de concil. c. 12. §. Sic etiam: *Cum Nicaenum concilium definivit, Christum esse ὁμοούσιον Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus diserte continetur, unum esse Deum, et Patrem esse Deum, et Filium esse Deum, ex quibus sequitur necessario, Patrem et Filium ejusdem esse substantiae et divinitatis*. Idem lib. 4. de verb. Dei c. 11. §. Profert: *Haeresis Ariana ex ipsis Scripturis expresse refutatur*. Ergo non ex traditionibus, sed ex Scripturis Arius haereseos fuit convictus. 5. Ariani tantum abest, ut traditionum fuerint hostes, ut ad eas potius provocarint. Athanasius orat. 2. contra Arian. pag. 124. meminit scripti ab Ario compositi, cujus titulus fuit *Thalia*, quod scriptum in concilio Nicaeno nominatim damnatum fuisse refert Socrates lib. 1. histor. eccles. c. 6. cujus tale fuit exordium: *Ex electis Dei secundum fidem peritis Dei rectigradis, qui sanctum et Dei Spiritum acceperunt, ita didici ego*. 6. Falsum est, nos omnes traditiones rejicere, testem producimus ipsum Bellarminum libr. 4. de verbo Dei c. 3: *Protestantes concedunt, apostolos quaedam instituisse, quae ad ordinem ecclesiae spectant, dies quosdam festos observant* etc. quomodo haec conveniunt, protestantes omnes traditiones negant et tamen quasdam concedunt? Item Lindanum in panopl. lib. 1. c. 2. Brentius in apolog. *ne quid*, ait, *ambiguitatis in nomine traditionis relinquatur, non loquimur nunc de ea traditione, qua nobis sacra Scriptura et quae in ea continentur, a majoribus nobis tradita sunt, nam hanc traditionem affirmamus esse certam, firmam et indubitatam, sed de traditionibus aliis loquimur, quae non sunt ab apostolis scriptis mandatae*. Distinguimus ergo inter traditiones scriptas et non scriptas; inter necessarias et utiles ac non necessarias XI. 344. et inutiles, inter ritus et dogmata etc qua de re suo loco. 7. An Pontificii, an vero nostri crudelitatem ob diversam religionis professionem in alios exercuerint, loquitur inquisitio Hispanica et acta martyrum. Agnoscit ipse Bellarminus libr. 3. de laicis c. 21. negari a nobis, quod *haeretici ultimo supplicio sint afficiendi*.

217. XI. *Aëriani teste Epiphanio haeres. 75. et Augustino de haeres. c. 33. tres errores docuerunt:* 11. Aërianorum haeresis. *1. non esse orandum vel offerendum pro mortuis; 2. statuta solenniter jejunia non esse celebranda, sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur se esse sub lege; 3. presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Has tres sententias Centuriatores cent. 4. c. 5. col. 401. fatentur sibi cum Aërio esse communes*. Respondemus: 1. Epiphanius et Augustinus, qui Aërium in numerum haereticorum collocant, testantur, *ipsum fuisse plane Arianum*. Alphonsus de Castro libr. advers. haeres. tit. Cibus testatur, *Aërium adhaesisse Tatianorum haeresi, siquidem docuerit, non licere vesci carnibus*. ibidem tit. Nuptiae addit, *in eo ipsum errore fuisse, ut neminem ad communionem admitteret nisi continentes*. Quid ergo mirum, quod propter hos errores in numerum haereticorum ab Epiphanio et Augustino fuerit relatus? 2. Si Aërius nihil aliud docuisset, quam pro defunctis frustra orari et offerri, jejunia Christianorum non esse certis diebus Christi vel apostolorum mandato adstricta ac jure divino inter episcopum et presbyterum nullum esse discrimen, non potuisset in catalogum haereticorum referri, siquidem tria illa capita ex Scripturis sacris demonstrari possunt. Pro defunctis frustra orari docet Scriptura, quando impoenitentes statim a morte in infernum praecipitari asserit, e quo nulla speranda redemtio; poenitentes autem et vere in Christum credentes in coelum subvehi. Joh. 3, v. 18. c. 5, v. 24. Luc. 23, v. 43. Apoc. 14, v. 13. etc. ** *Statutum est homini semel mori et post mortem judi-*

Digitized by Google

ciam Hebr. 9, v. 27. Si nihil homini post mortem restat nisi judicium, ergo unus quisque hominum ut moritur, sic resurget in die novissimo. Thom. comm. in 1. Tim. 6. lect. 4: *Qualis inveneris in illa* (nempe hora mortis), *talis invenieris tunc* (in die ultimi judicii). ** Oblatio pro defunctis pugnat cum institutione coenae Dominicae, quia non oblationem, sed mysticam manducationem et bibitionem Christus instituit, eamque pro viventibus, qui mortem ipsius commemorare possint, instituit, non autem pro defunctis. Augustinus ipse de purgatorio haesitanter loquitur, quomodo igitur de oblationibus pro defunctis certi quippiam statuere potest? Oblationes olim usitatae nihil aliud erant quam commemorationes et gratiarum actiones pro beneficiis, quae per illos ecclesiae erant praestita. Leges jejuniorum a Montano haeretico profectas docet Eusebius libr. 5. c. 16. contra vero apostolos id cujusque sententiae liberum reliquisse docet Socrates lib. 5. c. 21. Augustinus ipse epist. 86. ad Casulanum hac de re sic scribit: *Ego in evangelicis et apostolicis literis video praeceptum esse jejunium, quibus autem diebus non oporteat jejunare et quibus oporteat, praecepto Domini vel apostolorum non invenio definitum.* Jejunium papisticum, quod in discrimine ciborum duntaxat consistit et sub opinione necessitatis, cultus et meriti obtruditur ac hoc fine suscipitur, ut sit satisfactio pro peccatis, *doctrinam daemoniorum* cum apostolo appellamus 1. Timoth. 4, v. 1. interim non negamus, Christianis omni tempore jejunandum esse tum spiritualiter per abstinentiam a vitiis, tum corporaliter per sobrietatem et temperantiam; nec inficias imus, jejunium suas habere utilitates in personis ideoque idoneis etiam a magistratu Christiano indici posse jejunium in publicis necessitatibus. Discrimen episcopi et presbyteri ex sacris literis probari nequit, ut suo loco plenius demonstrabitur. Michael Medina scriptor Pontificius lib. 1. de sacr. orig. et contin. cap. 5. affirmat, *non solum Hieronymum idem cum Aërianis*
XI. 345. *sensisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium et Theophylactum esse in illa sententia.* Atqui patres illi antiqui post Aërium scripserunt, quodsi ergo cognovissent hanc sententiam in Aërio haereseos damnatam, nequaquam suis verbis illi fuissent suffragati. 3. Quod ergo attinet dicta tria capita, ea cum ex Scriptura et patribus demonstrari possint, ideo propter illa Aërius nec potuit nec debuit haereseos condemnari, sicut etiam in nullo concilio propter illa damnatus est. Ac Theodoretus in libr. de fabulis Judaeorum non ponit illum inter haereticos, uti nec historia ecclesiae, sed potius Eustachium, qui eum in hisce capitibus oppugnabat. 4. Agnoscunt quidam ex ipsis Pontificiis, jejuniorum statorum exercitia nequaquam simpliciter et absolute a nobis improbari, sed corruptelas adhaerentes. Cassander in consult. art. 16: *Protestantes in sua confessione Saxonica aperte scribunt, se pacis publicae causa stata jejunia et hujusmodi traditiones libenter observare velle.* Lutherus in comm. c. 6. Matth. optat, *pii et Christiani jejunii exercitia in usum revocari.* Proinde si Aërius disciplinam ecclesiasticam temere convulsit ac intemperantiae fores aperuit, neutiquam hac in parte nobis probatur.

218. XII. *Jovinianus quinque errores cum se-* 12. Joviniani haeresis.
ctariis communes habet: 1. hominem non posse peccare post baptismum, si vere baptizatus fuerit, id est si revera fidem et gratiam Dei acceperit. Idem docet Calvinus lib. 2. instit. c. 2. §. 11. et 12. Respondemus: loquatur pro nobis Augustana confessio art. 12: *Damnant Anabaptistas, qui negant, semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum.* ** Campianus rat. 8. Stoicorum et Joviniani haeresin protestantibus tribuit, propterea *quod cum illis doceant, omnia peccata esse paria.* Respondemus: Campianus id colligit ex eo, quod statuimus, *omne peccatum sua natura esse mortale.* Sed ex illo perquam absurde id colligitur, cum in poenis etiam mortis aeternae sint gradus Luc. 12, v. 47. c. 10, v. 12. Rom. 2, v. 5. Docent hoc Costerus in enchir. c. 2. p. 96. et Azorius lib. 4. instit. c. 9. art. 5. Gersonem ab hac Stoicorum sententia liberantes. Non tollimus peccatorum gradus, sed peccatum aliud alio gravius dicimus 1. respectu objecti, id est personae, in quam committitur; 2. respectu causae efficientis, id est personae, a qua committitur; 3. respectu intentionis, cum qua committitur; 4. respectu rei ipsius, in qua committitur. Sic gravius peccatum est blasphemia in Deum quam simplex negatio, adulterium quam simplex scortatio. ** *2. Ciborum delectum et jejunia non esse meritoria.* Idem *habetur in confessione August. art. 24.* Respondemus: delectum ciborum esse coram Deo meritorium, nunquam ex Scripturis probari poterit, contrarium potius disertis verbis docent apostoli, Rom. 14, v. 6: *Qui manducat, Domino manducat, et qui non manducat, Domino non manducat.* v. 17: *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia, pax et gaudium in Spiritu s.* 1. Cor. 8, v. 8: *Esca nos non commendat Deo.* Hebr. 13, v. 9: *Bonum est gratia stabiliri cor, non escis.* Nec hoc nomine damnatus est Jovinianus a veteribus, quod negaret jejunium, praesertim quod in solo ciborum delectu consistit, id ipsum enim Scriptura negat esse meritorium; sed quod doceret, *jejunium nihil omnino prodesse.* Bellarminus lib. 2. de bonis oper. c. 11: *Jovinianus docebat, nihil prodesse ad salutem jejunia, Brentius et alii Protestantes docent quidem, jejunium esse utile ad carnis petulantiam coërcendam, ad orationis auxilium, ad signum humilitatis et poenitentiae* etc. Pererius in comm. ad Rom. cap. 14. disp. 3. num. 20: *Philippus Melanthon non negat, jejunii et rerum indifferentium observationem posse homini prodesse et conducere ad cultum Dei, non tamen immediate, sed mediate, facit enim jejunium, ut homo sit aptior ad fundendas preces, in quibus est cultus Dei.* Sic ergo Jesuitae ipsi ab haeresi Joviniana nos absolvunt. Nec in-

Digitized by Google

ciborum delectu, sed plenaria abstinentia jejunium proprie dictum consistere quidam ex ipsis Pontificiis agnoscunt. Maldonatus in summ. q. 23. art. 2: *Perfectum et verum jejunium et quasi exemplar*
XI. 346. *omnium olim fuit aliud, quod ipso nomine declaratur nihil comedere, nam proprie esse jejunium, est nihil prorsus edere, ac tale jejunium Moysis, Pauli et aliorum sine cibo et potu.* Erasmus in 1. Cor. 8: *Mihi purioris Christianismi magisque consentaneum evangelicae et apostolicae doctrinae videatur, si nullum certum cibi genus praescribatur. Nihil pietati aut addit aut adimit ciborum delectus, superstitiosum facere potest, pium non potest.* Quando igitur ciborum delectum, eum scilicet, quem Pontificii in suo jejunio observant, improbamus et jejunium illud superstitiosum, quod Pontificii commendant, rejicimus, non statim omne jejunium vero fine susceptum rejicimus. *3. Conjugium virginitati dignitate et merito aequari. Idem docet Lutherus in 1. Cor 7. et confessio Augustana art. 23.* Respondemus: Non negamus, coelibatum certo respectu in personis idoneis conjugio praeferendum, sed negamus eo sensu praeferendum, quod *virginitas sit satisfactio peccatorum maxima et meritum regni coelorum*, ut Petrus a Soto in ref. conf. Wirtenb. loquitur. Quamvis vero Hieronymus contra Jovinianum disputans alicubi recte scribat: *Ut circumcisio nihil est ac praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei; ita nec virginitas nec conjugium justificat, sed sicut conjuges salvantur, si permanserint in fide, ita per eandem oportet etiam coelibes salvari;* negari tamen nequit, admiratione coelibatus et fervore contentionis ipsum esse duriorem et acriorem in nuptias quam par est. Agnoscit hoc Erasmus in suis scholiis et res ipsa manifeste illud comprobat. Sunt enim haec Hieronymi: *Si bonum est mulierem non tangere, malum est tangere. Oro te, quale illud bonum, quod orare prohibet, quod corpus Domini accipi non permittit. Semper orandum, ergo nunquam conjugio serviendum. Quando impleo officium mariti, non impleo Christiani.* Tractans illum locum apostoli *ego vero vobis parco* etc. addit: *Tantum recenseo tribulationem carnis, taceo autem, quae damnatio maneat conjugatos in futura vita, ut infirmis parcam, qui jam sunt in matrimonio. Nuptiarum finis mors est, fructus autem sanctificationis, qui vel ad virginitatem vel ad continentiam pertinet, vita pensatur aeterna. Nuptiae replent terram, virginitas paradisum. Sicut Paulus secundum veniam loquitur de nuptiis, ita etiam de illo, qui incestum commiserat, inquit, si quid donastis et ego* etc. Talia plura in Hieronymo occurrunt, quae suppresso nomine Augustinus in l. de virgin. et de bon. conjug. modeste refellit. Unde recte scribit Ludov. Vives in lib. 16. de civ. Dei c. 34: *Cataphryges nihil a fornicatione secundas nuptias differre censebant, Hieronymus non modo secundas nuptias abominatur, sed primas etiam parum probat contra Jovinianum disputans; homo coelebs et conjugio parum aequus.*

Quodsi ergo Jovinianus errorem illum taxavit, quod virginitas sit meritum salutis aeternae, quod coelibatus sit satisfactio pro peccatis etc. recte hac in parte sensit, sed Ambrosius lib. 10. epist. 82. Jovinianistarum errores hos numerat, *baptizatos non debere virtutum disciplinis teneri, nihil illis obesse commessationes, nihil voluptatum affluentiam, virgines oportere nubere, filios facere, similiter et viduas, etiamsi se continere possint, errare eas, quae nolint iterare copulam.* Item: *Dicunt, delirare eos, qui jejuniis castigant carnem suam, ut menti subditam faciant; dicunt, virginitatis nullam esse gratiam, pari omnes aestimari pretio, castimoniam nullius esse utilitatis, nullum esse praemium virginitatis, nullum fructum viduitatis, nullum honorem castitatis.* Item: *Quicunque in Christo baptizatus est, qualiscunque ejus vita sit, acceptum esse Deo.* Haec Ambrosius de Jovinianistis, quae si vera sunt, gravissime erravit Jovinianus et in alteram partem nimis deflexit. 4. *Mariam in partu amisisse virginitatem. Idem error Buceri et Molinaei, qui dicunt, Christum nascentem adaperuisse vulvam Mariae.* ** Repetit accusationem Maldonatus in Luc. 2, v. 23.** Respondemus: credimus, Mariam ante partum, in partu et post partum mansisse virginem. Quodsi ergo Jovinianus *Mariae virginitatem destruxit et pariendo corruptam fuisse* asseruit, sicut Augustinus de ipso loquitur, nihil nobis cum ipso com- XI. 347.
mercii. ** Aliud vero est dicere, *Christum aperuisse vulvam matris suae Mariae*, aliud vero dicere, *Mariam in partu amisisse virginitatem.*** Quod igitur de apertione uteri virginalis in partu additur, ea ut virginitati nihil quidquam praejudicat, ita quorundam veterum testimonio stabilitur. Jansenius in concord. evang. in c. 2. Luc.: *Patres aliqui dicunt, Christum proprie adaperuisse vulvam matris suae, cum aliis mulieribus soleant viri uterum aperire, quae est sententia Theophylacti in hunc locum. Similis est sententia Ambrosii sic scribentis: Non enim virilis coitus virginis secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus s. infudit, sic ergo solus aperuit vulvam, ut immaculatus exiret. Similia habet Origenes.* ** (homil. 14. in Luc.)** Erasmus in annotationib. Luc. 2: *Origenes homil. 14. putat, Christum virginis matris vulvam adaperuisse, sed non more ceterorum, ceterorum enim conceptus quoque muliebris uterum aperit, cum Christus clauso virginis utero sit conceptus citra virilem operam. Porro ita nascens aperuit uterum, ut non convelleret claustra pudicitiae virginalis. Haec est Origenis sententia, quae sane pugnat cum eo quod jam pia credulitas omnium fere animis infixit, Christum sine nixu et labore parturientis clauso virginis utero prodiisse, quae sane ut est plausibilis nec irreligiosa, ita sane Scripturarum testimoniis doceri non possit.* Rhenanus in arg. ad lib. Tert. de carne Christi: *Tertullianus dicit, Mariam patefacti corporis lege peperisse, cum omnes hodie theologorum centuriae Christum clauso virginis utero prodiisse velint. Tametsi Tertulliano Ambrosius*

Digitized by Google

subscribit, sed quis divinare potuit, quid subtiles isti theologi tot post ipsum seculis essent definituri? ** Maldonatus in c. 2. Luc. addit, *sic sensisse Gregorium Nyssenum, Epiphanium, Hieronymum, Euthymium.* ** Hi omnes respondebunt, virginitatem non tolli per apertionem uteri in partu, sed per apertionem in virili coitu. ** Toletus lib. 4. de instruct. sacerd. c. 6. §. Quartus casus: *Femina quamvis ab alio superetur, si non consentiat interius, in actu turpi non peccat, nec virginitatem amittit, si virgo erat.* At si per viri coitum modo invita et non consentiente fiat virgine, non amittitur virginitas, multo minus per sanctissimi Christi corporis egressum Mariae virginitas est violata. ** *5. Praemia beatorum esse paria. Idem docet Lutherus in serm. de natali B. Mariae et in comm. 1. epist. Petri, ubi dicit, omnes Christianos esse aeque sanctos et justos, ut est mater Dei, ex qua sine dubio sequitur, fore omnes aeque beatos.* Respondemus: nec Lutherus nec quisquam nostrum differentiam praemiorum in vita aeterna negat. Quando Lutherus dicit, *omnes esse aeque sanctos et justos*, loquitur de justitia imputata, quae in Christo omnes credentes aequales facit. Agnoscit hoc ipse Bellarminus lib. 3. de justificatione c. 1. *cum docent Protestantes, omnes sanctos aeque justos esse coram Deo, loquuntur de justitia imputata;* ex eo vero non potest inferri, quod praemiorum in vita aeterna diversitas negetur, ut enim justitia imputata non excludit renovationem et bona opera, ita quoque non excludit praemia coelestia operibus et passionibus sanctorum ex gratia diversimode olim danda.

Vigilantii haeresis. 219. XIII. Vigilantius docuit *1. Sanctorum reliquias non esse venerandas. Idem docet Lutherus in serm. de cruce et in lib. de abroganda missa.* Respondemus: Hieronymus accusat Vigilantium, quod statuerit, *sanctorum reliquias nullo honore dignandas et contactu earum homines pollui;* id vero nemo nostrum dicit, sed approbamus judicium Cassandri in consult. de August. confess. pag. 148: *Cum verae et compertae reliquiae in his praesertim provinciis perpaucae sint et multae ex iis, quae ostentantur, non temere supectae haberi possint, atque illarum frequentatio et veneratio non multum pietati, plurimum vero superstitioni vel quaestui serviant, multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur et populus ad veras sanctorum reli-*
II. 348. *quias colendas, id est exempla pietatis et virtutum, quae in scriptis vel ab ipsis, exstant, vel de ipsis, imitanda provocetur.* Non igitur probari nobis potest, quod in papatu sanctorum reliquiae, eaeque incertae, exosculandae, adorandae et flexis genibus venerandae populo proponuntur, peregrinationes ad illas suscipiuntur, ac si ad eas gratia Dei et remissio peccatorum sit alligata; quodsi idem negavit Vigilantius et hoc nomine ab Hieronymo taxatus fuit, opponimus Hieronymo praeclarum illud pronuntiatum, quod in c. 23. Matth. ipse proposuit: *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua asseritur.* Jam vero superstitiosa illa et idololatrica reliquiarum veneratio nullum in Scripturis habet fundamentum. Erasmus de contentionibus illis inter Hieronymum et Vigilantium tale fert judicium: *In Vigilantium ita debacchatur Hieronymus, ut plusculum modestiae cogar desiderare. Utinam argumentis duntaxat egisset et a cönvitiis temperasset! Nam vigilias nocturnas non placuisse ecclesiasticis viris, vel illud satis arguit, quod horum auctoritate sublatae sint, nomine tantum superstites, nec hodie dissimili studio curritur ad martyrum reliquias. 2. Orationes mortuorum pro aliis non exaudiri, ex quo sequitur, frustra sanctos invocari. Idem statuit Lutherus in lib. de euchar. ad Wald. ubi invocationem sanctorum stultam et perniciosam esse dicit.* Respondemus: Apologia Augustanae confess. concedit, *sanctos in genere pro ecclesia orare.* Cassander art. 21: *Protestantes largiuntur, sanctos in coelis orare pro ecclesia in genere, sed ex eo consequens esse negant, sanctos invocandos esse.* Nostra igitur sententia distat a Vigilantii opinione. Hieronymus Vigilantium hoc nomine oppugnat, quod negaverit, *sanctorum orationes pro aliis exaudiri*, sed nuspiam in toto illo scripto ex eo infert, sanctos a nobis invocandos esse, imo diserte negat, *angelos, archangelos, martyres* etc. *in ecclesia adorari.* Quamvis enim sancti in ecclesia triumphante in genere orent pro ecclesia militante, non tamen inde sequitur, illos a nobis esse invocandos, quia singulorum aerumnas in specie et gemitus cordium nostrorum ignorant, nec invocatio ista vel mandatum, vel promissionem vel exemplum probatum in Scripturis habet. *3. Ecclesiasticos debere esse uxoratos. Idem docet Lutherus in 1. Cor. 7. ubi dicit, matrimonium jure divino praeceptum esse omnibus, etiam ecclesiasticis et monachis, qui se non sentiunt habere donum continentiae.* Respondemus: **Non potest esse haeresis et quidem antiqua id, cujus contrarium non exstat in ullo totius sacrae Scripturae loco, quippe quae data est, ut sit unica fidei nostrae regula. Jam vero sacerdotes debere esse coelibes non exstat in ullo Scripturae loco, quia coelibatus non est jure divino ordinibus sacris annexus, ut docent Bellarminus de cleric. c. 18. Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 9. qu. 5. punct. 6. §. Sed his argumentis.** nequaquam vero dicimus, omnes omnino debere esse uxoratos, sed illis, qui non habent speciale illud continentiae donum, conjugii remedium divinitus praescriptum esse asserimus juxta regulam apostolicam: *Melius est nubere quam uri, et propter fornicationem fugiendam quisque habeat uxorem suam.* Vigilantius docuit, sacerdotes *debere* uxores ducere; nos docemus, *licere* illis uxores ducere, quae non sunt ἰσοδυναμοῦντα. Costerus in enchir. c. 15: *Ex Hieronymo constat, Vigilantium haereticum docuisse, non esse diaconos ab episcopis ordinandos, nisi prius duxissent uxorem.* Bellarminus lib. 1. de cleric. c. 19: *Error erat, oportere clericos uxores ducere, antequam ordines suscipiant, quia post ordines non licuit, hic fuit, ut alii volunt, error Nicolaitarum haereticorum, quem constat Vigilantium*

Digitized by Google

expresse docuisse. Num vero nos conjugii necessitatem clericis imponimus? minime vero, sed conjugii libertatem illis vendicamus et Pontificiam coelibatus necessitatem velut jugum a cervice ipsorum removemus. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, sic enim porro scribit l. d.: *Lutherani docent, non modo ante, verum etiam post ordinationem licere uxorem ducere*, id quod cum sacris literis et primitivae ecclesiae historia convenire suo loco demonstrabitur.

XI. 349. 4. *Non expedire relinquere omnia et dare pauperibus et ad religionem relictis omnibus properare. Idem docet Lutherus in lib. de votis monast.* Respondemus: temerariam facultatum abjectionem sine speciali vocatione et extra casum necessitatis nuspiam praecepit Christus, sed *αὐτάρκειαν*, contemtum terrenorum, paupertatem spiritus et interiorem cordis aversionem a facultatibus omnibus suis fidelibus commendavit, nec in illa, sed in hac evangelica perfectio consistit. Monachi Pontificii ita deserunt omnia, ut omnibus abunde affluant. Bellarminus ipse lib. 4. de pontif. Rom. c. 14. §. De secunda, agnoscit, *Nicolaum IV. et Johannem XXII. non convenire in quaestione illa, an paupertas, quae omne dominium a se removet, solo relicto usu sit sancta et meritoria,* cum *Nicolaus* id affirmet c. Exiit de verb. signif. in 6. *Johannes* vero neget c. ad conditorum canonum extra de verb. signif.

14. Pelagianorum haeresis. 220. XIV. *Pelagiani docebant, 1. non esse in hominibus peccatum originis et praecipue in filiis fidelium; ita refert Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 2. et 3. lib. 4. ad Bonifac. c. 2. et 4. 2. per quodlibet peccatum quamvis levissimum amitti justitiam ac proinde omne peccatum esse mortale; ita refert Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos. Primum horum docent Cinglius, Bucerus, Calvinus; errorem alterum docent omnes sectarii.* Respondemus: 1. art. 2. Augustanae confessionis liberat nos a mendaci accusatione Pelagianismi. *Docent* (ecclesiae nostrae), *quod post lapsum omnes homines secundum naturam propagati nascantur cum peccato, hoc est sine metu Dei, sine fiducia erga Deum et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum et Spiritum sanctum. Damnant Pelagianos et alios, qui vitium originis negant esse peccatum.* Hunc articulum Carolus caesar et principes approbarunt, nisi quod in modo loquendi aliquid desiderarunt; Hoffmeisterus et Cassander simpliciter illum approbant, idem facit Vega Tridentini concilii assessor et interpres lib. 2. de concil. Trident. c. 6. 2. Gregorius de Valent. de peccat. origin. c. 8. ac tom. 2. disp. 6. qu. 11. punct. 1. nos accusat, *quod peccatum originis nimis exaggeremus. Protestantes* (inquit) *adeo non negaverunt peccatum originale, ut etiam prodigiosis loquendi modis illud exagitent, etiam in renatis manere dicunt, quamdiu hanc vitam degunt.* Qua igitur veritatis specie tribui potest Protestantibus, quod negent originis peccatum? De Calvinianorum opinione, a qua alienissimi sumus, alibi dictum fuit latissime. 3. Pontificios multis modis peccatum originis extenuare et Pelagianismo affines esse ostendimus in tract. de pecc. originis §. 57. et seqq. 4. Neutiquam cum Pelagianis dicimus, *omnia peccata esse actu mortalia*, sed in renatis distinguimus peccata infirmitatis et vitiosos affectus, a peccatis contra conscientiam, et haec sola, non autem illa dicimus actu esse mortalia. Quamvis enim sua natura omnia peccata, etiam levissima, sint mortalia, tamen poenitentibus, in Christum credentibus, sub umbraculo gratiae degentibus et carnis concupiscentiis resistentibus peccata infirmitatis non imputantur et hac ratione desinunt esse actu mortalia, quae doctrina tantum abest, ut sit Pelagiana, ut potius a catholicis quibusdam scriptoribus propugnetur. Vasquez in Thomam tom. 1. disput. 142. num. 7: *Ex doctoribus catholicis nonnulli graves etiam et pii Gerson, Almainus, Roffensis dicunt, omnia peccata ex se mortalia esse et sola misericordia ad aeternam poenam non imputari. Idem docet Michaël Bias.* 5. Pelagii opinio fuit, *nullum peccatum ne levissimum quidem cum justitia et gratia consistere posse;* nos distinguimus inter justitiam imputatam et inhaerentem, inter justitiam fidei et operum, quodlibet peccatum etiam levissimum inhaerentem et operum justitiam corrumpit, quominus in Dei judicio consistere possit, sed fidei justitiam cum peccatis per Dei gratiam venialibus in renatis consistere posse asserimus.

221. XV. *Nestoriani docuerunt, in Christo duas esse personas et duas naturas. Ita Theodoretus lib. 4. de haeret. fab. iidem omnes veteres contemnebant, id quod egregie praestat Lutherus, Calvinus et alii omnes. Errorem autem praecipuum Nestorii docet hoc tempore Beza, qui duas hypostaticas uniones in Christo ponit.* Respondemus: 1. mirum, quod soli Bezae (** Nestorii tamen errorem refellunt Calvinus lib. 2. instit. c. 14. art. 4. Beza in conf. artic. de Christo c. 22.)** Nestorianismum hoc loco tribuat Bellarminus, cum alibi omnes Lutheranos in societatem illius haereseos rapiat. lib. 3. de Christo c. 1: *Lutherani duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychianos, vel Nestorianos, vel monstrum ex utraque haeresi compositum. Si enim volunt, attributa divina carni Christi conjungi essentialiter, sunt Eutychiani; sin accidentaliter, sunt Nestoriani.* Sed datur tertium, videlicet communicatio personalis, qua de re alibi plura. In praefat. de Christo: *Lutherus favet Nestorio, ubi vocat Christum hominem omnipotentem et docet divinitatem posse pati.* Sed hanc calumniam alibi abstersimus. 2. Jesuitas Nestorianorum haeresi fomenta subministrare, dum propositiones personales vitiose resolvunt et communicationem divinorum attributorum carni Christi factam, uti etiam officium mediatoris secundum utramque naturam Christo competere, praefracte negant, suo loco demonstrabimus. Laur. Valla in declam. de donat. Const. de papa *Coelestino* expresse memorat, *quod Nestorii haeresi infectus fuerit.* XI. 350. 15. Nestorianorum haeresis.

Digitized by Google

3. Veteres nequaquam contemnimus, sed eos ut patres habemus. Si quid proponunt voci coelestis Patris consonum, illud fideli obsequio acceptamus, sin dissonum aliquid proponunt, vocem coelestis Patris praeferimus. Habemus eos ut *lumina*, non ut *numina*; ut fidei testes ac *indices*, non ut *judices*. Lutherus in c. 2. Genes. pag. 27: *Labores patrum venerari decet, fuerunt magni viri, sed tamen homines, qui lapsi sunt et potuerunt labi, ne efferamus eos sicut monachi, qui sic adorant omnia eorum, quasi non potuerint peccare* etc. Certum est, inter apostolorum vocationem et patrum magnum esse discrimen, cur igitur scripta patrum aestimaremus apostolorum scriptis paria? 4. Si Pontificii nolunt haberi contemtores patrum, quando scripta eorum subjiciunt judicio Romani pontificis, multo minus pro contemtoribus patrum haberi debemus, quando interpretationes et dogmata eorum subjicimus Spiritui sancto in Scripturis et per Scripturas loquenti. Sed verum prius. Duraeus in confut. resp. Witack. rat. 5: *Patres non censentur patres, cum suum aliquid, quod ab ecclesia* (hoc est a pontifice, ut docet analysis superius proposita) *non acceperunt, vel scribunt, vel docent.* Bellarminus lib. 2. de concil. c. 12: *Pontificum decreta dicuntur scripturae sacrae, ut distinguantur a profanis, et canonicae, ut distinguantur a scriptis sacris patrum, quae non sunt regulae, nec habent auctoritatem obligandi.* Stapletonus lib. 10. princip. c. 11. *recipiendam esse* dicit *episcoporum et doctorum ecclesiae interpretationem adhibitis his conditionibus: 1. si modo in unitate catholica permanserint, hoc est si auctoritati pontificis se quiete placideque submiserint* etc. Ergo posterius quoque admittendum..

16 Haeresis negantium durabilem corporis Christi in coena praesentiam.

222. XVI. *Eodem tempore fuerunt aliqui, nescio an etiam ipsi Nestoriani essent, qui docuerunt, in eucharistia non manere corpus Christi, si asservetur in alterum diem, quos Cyrillus in epistola ad Calosirium insanire dicit. Hunc errorem defendunt Bucerus, Melanthon, Calvinus.* Respondemus: de asservatione eucharistiae egimus latissime tract. de euchar. c. 17. §. 290. et seqq. Nec Christus nec apostoli asservarunt vel asservari jusserunt, multo minus in theatrica pompa circumgestarunt consecratum panem, sed manducandum exhibuerunt communicantibus. Origenes in c. 7. Levit. hom. 5: *Nam*
XI. 351. *et Dominus panem, quem discipulis dabat et dicebat eis: accipite et manducate, non distulit nec servari jussit in crastinum.* Gabr. Biel lect. 26. in can. refert verba Paschasii: *Christus volens, discipulos suos fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, nec dedit discipulis, ut ipsum honorifice conservarent, sed dedit in usum dicens: accipite, manducate; et quia per usum manducatio transit et consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem.* Georg. Cassander in consult. recitat verba Humberti episcopi Sylvae Candidae: *Legimus, Dominum non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse pane benedicto et mox fracto atque distributo, non enim benedixit tantum et reservavit in crastinum, nec fregit tantum et reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde Alexander Martyr et Papa Quintus ab apostolo Petro passionem Domini inserens canoni missae ait: Hoc quotiescunque feceritis, hoc est benedixeritis, fregeritis et distribueritis, in mei memoriam facietis, quia quodlibet horum trium fiat, scilicet aut benedictio sine fractione et distributione, aut fractio sine benedictione et distributione perfectam memoriam Christi non repraesentat, sicut distributio nulla sine benedictione et fractione.* Erasmus in tract. de amicab. eccles. concord.: *Tempore veteris ecclesiae populus non cursitabat ad videndum id, quod sacerdos ostendit, sed prostratis humi corporibus, animis in coelum erectis gratias agebant Christo redemtori, qui nos sua morte redemit.* Sequamur igitur Christi ordinationem et institutionem, qui cum benedictione et distributione manducationem eucharistici panis immediate conjunxit, et exspirabit disputatio de permanentia corporis Christi in eucharistia, si asservetur in aliquot dies. Notandum vero, ἔγκλημα illud Bellarminianum de renovato a nobis errore Nestoriano non convenire cum verbis Jesuitae Suarez, qui tom. 4. disp. 46. q. 75. art. 1. sect. 8. Protestantibus primam erroris illius originem tribuit. *Alia* (inquit) *haeresis est horum temporum docens, eucharistiam neque servandam esse in altari, neque circumgestandam, neque adorandam, hujus auctor dicitur esse Bucerus, ut Roynardus, Hosius, Castro, Cochlaeus, Sanderus affirmant.*

223. XVII. *Eutychiani docuerunt, unam esse in Christo naturam, referente Theodoreto lib. 4. de haeret. fab. Eandem hoc tempore instaurarunt Suencfeldius, Brentius et Smidelinus ubiquitatis patroni.* Respondemus: 1. loquatur pro nobis Augustana confess. art. 3: *Docent* (ecclesiae nostrae), *quod verbum hoc est Filius Dei, assumserit humanam naturam in utero B. Mariae virginis, ut sint duae naturae, divina et humana, in unitate personae inseparabiliter conjunctae* etc. 2. Cum Suencfeldio igitur, qui post adscensionem Christi humanam naturam conversam esse in divinam docuit, nihil nobis nostrisve ecclesiis est commercii. 3. Communicatio divinorum idiomatum facta humanae naturae Christi in persona τοῦ Λόγου non tollit naturarum distinctionem, ut suo loco plenius demonstratur. In concilio Ephesino caro Christi dicitur *vivifica*, jam vero vis vivificandi est proprietas divinae naturae, quae sine ulla Eutychianae confusionis suspicione de carne Christi praedicatur personaliter. 4. Agnoscit hoc quodammodo Gregorius de Valent. lib. 1. contra Ubiquit. c. 2: *Dicunt Lutherani, realem illam communicationem divinarum proprietatum cum humanitate assumta, nequaquam esse essentialem, hoc est non ita illam de humanitate affirmari, quomodo affirmatur de divinitate, quasi humanitas per suam essentiam dicatur*

17. Eutychianorum haeresis.

Digitized by Google

esse illa, nec communicatio est physica aut subjectiva, quasi in ipsa humanitate insint tanquam in subjecto, sed esse cujusdam modi singularis et arcani, quem hypostaticum seu personalem vocant, atque ita videri volunt non tollere naturarum distinctionem, quoniam inquiunt humanitas physice et sua natura manet circumscripta, at propter hypostaticam unionem divina illi competunt. Sed Eutyches dicebat, tantum esse in Christo unam naturam
XI. 352. ex duabus conflatam eamque nunc esse tantum divinam; quomodo igitur sententia nostra Eutychis haeresin ex orco revocat? 5. Tam πολυτοπία quam *omnipraesentia* proprietati corporis repugnare videntur, si posthabita verbi luce rationis tenebras sectari velimus. Thomas in supplem. q. 73. art. 3: *Si potest corpus Christi esse in duobus locis simul, tum etiam in pluribus, atque adeo ubique.* Proinde si *omnipraesentia,* hoc est omnipotens Christi secundum utramque naturam in coelo ac terra praesentis dominium, repugnat humanae naturae eamque penitus abolet, consequens fuerit, etiam πολυτοπίαν, hoc est praesentiam corporis Christi in coena diversis locis celebrata, quam Pontificii agnoscunt, humanae naturae repugnare eamque penitus abolere. 6. Quidam ex ipsis Scholasticis et Pontificiis sine ulla Eutychianismi haeresi disputarunt, *corpus naturale esse posse in pluribus locis etiam localiter et circumscriptive,* quem tamen praesentiae modum corpori Christi haudquaquam tribuimus, quando illud omnipraesens esse sano sensu dicimus. Scotus 4. sent. dist. 11. qu. 2. movet quaestionem: *Utrum idem corpus possit localiter esse simul in diversis locis? Hic,* inquit, *tenetur a multis conclusio negativa, sed diversi diversimode probant, et post recitata aliquot doctorum et sua quoque argumenta subjicit: Contra istam opinionem* (negativam) *hoc sufficit in genere, quod quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas vel contradictio evidenter concluditur.* Postea subjungit refutationem argumentorum prius allatorum et addit: *Concedo simpliciter possibile Deo, idem corpus localiter simul esse in diversis locis.* Biel 4. sent dist. 11: *Non solum in diversis locis potest esse corpus Christi definitive et sacramentaliter, sed etiam et ipsum et aliud corpus quodlibet esse potest per divinam potentiam in pluribus locis circumscriptive.* Hugo lib. 2. de sacram. part. 8. c. 12: *Quomodo corpus unum eodem tempore in pluribus locis esse potest? hic est et ibi est et totum ubique est; noli mirari, qui locum fecit, corpus fecit et locum in corpore et corpus in loco, et qui ut unum corpus in uno loco esset fecit, sicut voluit fecit, et si voluisset, aliter facere potuisset.* Franc. Mayronis 4. sent. dist. 11. qu. 3: *Utrum Deus potest facere, quod idem corpus sit ubique? Dico quod sic, quia quandocunque est aliquid determinatum ad unum, si sit indeterminatum ad plura ejusdem rationis, eadem ratione ad quaecunque se extendit. Cum igitur unum corpus non determinat sibi unum locum numero, sequitur, quod omnia poterit occupare divina virtus. Sed hoc difficile est, si potest esse in locis infinitis, dico quod sic, sed contra, quia esset infinitum? Dico quod non sequitur, tum quia hoc fit divina virtute, tum quia ratio localis est ratio extrinseca.* Paulus Kemerius Pontificius in suis propositionibus diserte scribit, *facillimum esse multis et firmis rationibus probare, Christum esse ubique suo corpore.* Illas deducit ex assumtione Christi in gloriam Dei, ex indivisibili unitate personae et ex omnipotentiae communicatione. Idem statuunt Johan. Ertlius et Casparus Francus etc. Cur igitur Eutychianismi nos accusant propterea, quod Christum ut Deum et hominem nobis praesentem esse statuimus, cum in suis scriptoribus fundamenta illius assertionis sine offendiculo legant?

224. XVIII. *Xenaias Persa primus palam asseruit, Christi et sanctorum imagines non esse venerandas, testis Nicephorus lib. 16. c. 27. Idem statuit Calvinus lib. 1. instit. c. 11. ubi etiam* §. 7. *non vult, ullo modo erigi signum crucis, ac* §. *13. dicit, primis quingentis annis nullas fuisse imagines in templis Christianorum, quod est insigne mendacium.* Respondemus: 1. in controversia de imaginibus amplectimur decretum concilii Francofurtensis, quod nervosa brevitate complectitur Carolus Magnus lib. 4. adv. synod. Graec. c. 9: *Imagines nil, si non habentur, derogant; nil si habentur, praerogant, cum tamen abdicatae quandam incautam levitatem afferant, adoratae vero culpam inurant.* Cum enim XI. 353.
in concilio Constantinopolitano sub Copronymo definitum esset, *imagines non solum non adorandas, sed ne quidem habendas;* in concilio vero Nicaeno II. sub Constantino et Irene ex adverso esset constitutum, *imagines non solum habendas, sed etiam adorandas esse;* Carolus Magnus rex Francorum, cui Adrianus pontifex acta Nicaenae synodi approbanda transmiserat, videns, ex utraque parte errari, sumta occasione a Felice Urgelitano episcopo, *qui Christum secundum humanam naturam esse adoptivum Dei filium dixerat,* convocatis episcopis, sacerdotibus, abbatibus et monachis ex omnibus suis provinciis Gallia, Italia et Germania anno Christi 794. concilium Francofurti ad Moenum instituit, in quo patres media via ingressi cum concilio Nicaeno II. contra Constantinopolitanum statuerunt, *imagines habere fas esse,* et contra cum concilio Constantinopolitano adversus Nicaenum II. statuerunt, *imagines non esse adorandas,* testibus Adone in chron. anno 795. abbate Urspergensi anno 793. Hincmaro Remensi in lib. contra episc. Jandunens. cap. 20. Aventino in annal. Bojorum lib. 4. Reginone lib. 2. chron. Eginhardo in vita Caroli Magni c. 69. etc. 2. Nec potest haec moderatio synodi Francofurtensis improbari a Pontificiis, cum Gregorius episcopus Romanus lib. 9. epist. 9. moneat Serenum episcopum, *ut populum condocefaciat, imagines quidem haberi, non autem adorare licitum esse,* quam epistolam Gregorii Carolus in scripto suo lib. 2. c. 23. recenset, cujus capitis hoc est argumentum: *Ima-*

18. Xenaiae haeresis.

Digitized by Google

gines a Gregorio Romanae urbis antistite et adorari prohibentur et frangi. Vid. c. Perlatum. dist. 3. de consecrat. 3. Calvinus non dicit simpliciter, nullas fuisse olim imagines in templis Christianorum, sed communiter ac passim eas in quibusvis templis fuisse negat, qua in parte ὁμοψήφους habet quosdam ex Pontificiis. Erasmus in symb. catech. 6. pag. 207: *Usque ad aetatem Hieronymi erant probatae religionis viri, qui in templis nullam ferebant imaginem nec pictam, nec sculptam, nec textam, ac ne Christi quidem, ut opinor propter Anthropomorphitas, paulatim autem imaginum usus irrepsit in templa.* Georg. Cassander in consult. ad impp.: *Ad imagines sanctorum quod attinet certum est, initio praedicati evangelii aliquanto tempore inter Christianos, praesertim in ecclesiis, imaginum usum non fuisse, ut ex Clemente et Arnobio patet. Quantum autem veteres initio ecclesiae ab omni veneratione imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes adv. Celsum, ubi ait:* I. 354. *Impossibile, ut qui Deum novit, fiat supplex statuis* etc. Idem adducit canonem concilii Elibertini anno 320. celebrati, *picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur, in parietibus pingatur.* Huc referendum, quod Aelius Lampridius in vita Alex. Severi narrat, *prima Christianorum templa omnibus simulacris caruisse.*

Lampetianorum haeresis.

225. XIX. *Lampetiani docuerunt, monasteria debere esse libera, hoc est sine votis perpetuis, Damascenus lib. de centum haeresib. Idem hoc tempore docuit Lutherus lib. de votis monast.* Respondemus: 1. quid de monasteriis statuendum, alibi exponitur. Vota monastica ea quidem forma et fine, quo in papatu hodie fiunt, dicimus esse ἐθελοθρησκείαν nuspiam in verbo Dei praescriptam, repugnare libertati Christianae, derogare Christi merito, obscurare opera divinitus mandata, illaqueare conscientias, esse superstitionis, hypocriseos et idololatriae plenissima etc. siquidem homines illis ad perpetuam virginitatem, paupertatem et obedientiam juxta certam quandam regulam vivendi temere sese obligant sub opinione cultus et meriti, remissionis peccatorum et justitiae coram Deo, imo etiam cum persuasione, esse hunc perfectionis statum, in quo viventes non sibi solum, sed et aliis per opera supererogationis gratiam Dei ac vitam aeternam promereri possint. 2. Lampetiani, vel ut alii legunt Lamperiani, omnia omnino vota simpliciter repudiabant dicentes, illa Christianis non prodesse, quia videantur necessitatem quandam et coactionem inferre, teste Alphonso de Castro lib. adv. haeres. tit. Vota. Sed nos concedimus, vota de quibusdam rebus fieri posse. Si ad bonos fines referantur et sint ex numero τῶν δυνατῶν, cujus rei testimonium nobis dat Bellarminus lib. 2. de monach. c. 15. 3. Vota monastica destitui Scripturae suffragio agnoscit Cajetanus in comm. Matth. 19: *Attende prudens lector, quod nullum votum a Jesu praescribitur volenti vitae perfectionem assequi, quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio.* Erasmus in praefat. ench. mil. Christ. pag. 31: *Non admodum desiderabimus in eo tria illa vota ab hominibus reperta, qui primum illud et unicum votum, quod in baptismo non homini, sed Christo nuncupavimus, sincere puriterque servaverit.* 4. Quid quod ipse papa saepius relaxat vota monastica, ut plurimis exemplis demonstrari potest, re ipsa igitur testatur, posse incidere justam causam dissolvendi vota. 5. Monasteria olim fuisse libera sine vinculis votorum testis est Polyd. Virgilius lib. 7. de rer. invent. c. 1: *Vestitum honestum pro suo jure quisque (monachus) sumebat. Item nullum votorum vinculum, ita ut integrum unicuique foret manere aut proficisci, quo terrarum vellet, vel si quem ejusmodi sui instituti poenituisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi vitam, non absque tamen inconstantiae nota. Quodsi deinceps per novas hominum leges inviolatum permanere licuisset, longe sanctissimos omni tempore monachos habuissemus, quando improbi haud diu monachi fuissent.* Hospinianus lib. 3. de monach. cap. 10. fol. 61. ex Vadiano in epit. trium terrae partium fol. 187: *In hoc vitae genere voluntate non necessitate persistebant, mutare licebat propositum, quoties ratio exegisset.*

20. Haeresis sacramentaria.

226. XX. *Quidam negabant, eucharistiam vere esse carnem Christi, et tantum esse volebant figuram seu imaginem corporis Christi. Ita refertur in VII. synodo act. 6. tom. 3. et longe antea ex Ignatio idem refert Theodoretus in dialogo, qui dicitur impatibilis. Hanc haeresin docent hoc tempore Cinglius et Calvinus* etc. Respondemus: sententia ecclesiarum nostrarum in Augustana confessione disertis verbis exposita est art. 10: *De coena Domini docent ecclesiae nostrae, quod corpus et sanguis Christi vere adsint ac distribuantur vescentibus in coena Domini, et improbant secus docentes.* Apologia confess.: *Confitemur nos sentire, quod in coena Domini vere et substantialiter adsint corpus et sanguis Christi et vere exhibeantur cum illis re-* XI. 355. *bus, quae videntur, pane et vino, his qui sacramentum accipiunt.*

Atque hae sunt viginti illae haereses vel potius calumniae, quibus nostras ecclesias onerare voluit Bellarminus; restat ut antiquas haereses, quae in papatum confluxerunt, enumeremus, modo etiam enumerari possint, vere enim scripsit Danaeus in comment. August. de haeres. c. 95: *Papismus tandem exortus est, qui superiores omnes haereses partim ut alveus recepit, partim ut mare absorpsit, alieno quidem nomine, sed tamen earum dogmate retento et confirmato.* Quare ad Pontificios merito accommodari posset, quod de Ebionaeis scripsit Epiphanius haeres. 30: *Quemadmodum si quis copulasset sibi ornamentum ex diversis lapillis pretiosis et vestem variegatam et splendide se exornasset; sic hi universum quidquid horrendum est ac perniciosum et abominabile informeque et incredibile ac odio plenum, id a singulis sectis acceperunt et se ipsos in eos efformarunt.* Id ipsum

Digitized by Google

ante ducentos annos agnovit Franc. Petrarcha, qui epist. 20. papae curiam appellat matrem omnium idololatriarum et scortationum, *nec non asylum haeresium et errorum*. Et in rhythmis Italicis Romam vocat *scholam errorum et templum haereseos*. Antequam vero enumeremus haereses post Christum natum exortas, quas papatus in suum recepit gremium, ostendemus prius, quae dogmata quosve ritus ab ethnicis et Judaeis fuerint mutuati.

Ritus gentiles in ecclesiam Romanam recepti.

227. **Quomodo Pontificii in quibusdam doctrinae capitibus consentiant cum gentilibus, late ostendit D. Hoë lib. 3. comment. in Apocal. cap. 11. pag. 419. et seqq.** Ab ethnicis quosdam ritus in ecclesiam Romanam receptos esse fatentur ipsi Pontificii, **testis est Beatus Rhenanus, *veteres ecclesias aliquandiu ethnicorum ceremonias tulisse. Nec dubium est, omnia deorum templa a Christianis occupata sanctis consecrata esse. In reformatione templorum nihil magis laboratum, quam ut sublatis deorum idolis et nominibus suorum divorum nomina certa lege colenda commendarent. Hinc illud pantheon vetustum Marci Agrippae opus divis omnibus Phocae imperatoris permissu sacratum. Festorum observatio ab ethnicis maxime videtur originem traxisse. Nam inter Hebraeos nulla erant divorum et mortuorum festa, sed apud gentes Jovis Diipolia, Saturni Saturnalia, Mercurii Mercurialia, Bacchi Dionysia, Herculis Nemea, Minervae Panathenaea, Laurentiae Laurentalia, Cereris Cerealia, Junonis Herea. Haec festorum dierum instituta imitati sunt Romani. Festis diebus templa exornare lauro, hedera aliisque festis frondibus vestire, coronas et flores spargere ethnicorum fuit. Nam haec omnia ipsi, ut Polydorus ait, idolorum cultores antea servabant. Idem Martinus primus Romanorum pontifex et testatur et vetat. Loca etiam, in quibus singulari quodam cultu divos suos afficiunt, suam ab ethnicis habent originem, a quibus in Parnasso, Soracte, Papho, Gnido, in montibus, lucis, sylvis et insulis varii colebantur divi. Ritus cereas offerendi imagines ab iisdem ethnicis proficiscitur. Sacrificia pro mortuis novendialia nonne ethnicorum sunt? lustrare agros et versus orientem orare nonne eorundem. Quod vero gentilium deorum templa ad solem orientem spectarint, testis Plutarchus in Numa. Etiam triviales deos ad trivia sacris gentium attributa, in quibus oves caedebantur et serta appendebantur, erigunt nostri Romanenses. Consuetudo quoque est, ut peractis sacris sacerdos illa verba pronuntiet, Ite, missa est. Ab ethnicis id emanasse vel ipse aureus asinus testis apud Appulejum. Unde tot et tam infinitae arae? nempe solidissime testantur, multas ethnicae religionis reliquias in Christianorum templis haerescere. Ordines monachorum unde? a Nasaraeis Hebraeorum? cur non potius fatemur, sodales Augustales, Mercuriales, Talios, Hadrianales, Aelianos, Antoninos, fratres Arvales et alios religiosorum ordines Romanis monachatum creandi occasionem attulisse? Monachas sane pontifex Romanus exemplo Vestalium virginum in suam ecclesiam introduxit etc. Imagines et idola, quibus Romani sua templa exornant, nonne ab ethnicis profecta? etc. Depingit egregie Jeremias illam Babyloniorum idololatriam et qui honor, qui cultus eorum idolis fuerit praestitus, quam convenientissime oratio illa ad Romanorum idola accommodari potest, tam a Romanis quam a Babyloniis videtis, Baruch. 6. Ad capita religionum venio, quorum mirabilis inter posteriores et veteres Romanos consensus. Paparum nomen, auctoritas, imperium apud Christianos eadem, quae olim pontificum apud veteres Romanos. Creavit Numa ex patribus pontificem maximum, qui et religionibus deorum immortalium et summae reipublicae praeesset. Erant enim pontifices constituti judices ac arbitri rerum aeque divinarum ac humanarum. Eandem auctoritatem nostri pontifices usurpant.*** Polyd. Virgilius lib. 4. de rer. invent.: *Sylva quaedam gentilium ceremoniarnm agrum Domini occupavit.* XI. Rhenanus in lib. 5. Tertulliani contra Marcion.: *Equidem quod negari non potest, ceremoniae ardentium cereorum, quos hodie Christiani eo die, qui purificatae Mariae dicatus est, ex more circumferimus, a Februalibus Romanorum sacris originem sumsere, pertinaci paganismo mutatione subventum est, quem rei in totum sublatio potius irritasset.* Jacobus de Vorag. serm. 82. de sanctis: *Festum illud in honorem matris luminis transtulerunt, ut in ejus honorem deferamus lumina, quae nobis genuit verum lumen, ut jam non fiat in honorem Proserpinae sponsae dei infernalis, sed ad honorem sponsae Dei coelestis* etc. Corn. Agrippa de vanit scient. c. 56: *Bona pars ceremoniarum teste Eusebio ab ethnicis in nostram religionem migravit.* **Pisecius Photinianus sat prolixus hic est in resp. ad 6. rat. Campiani p. 75. et seqq.** Id vero non de ceremoniis solum ac ritibus, sed etiam dogmatibus quibusdam vere dici potest, quod scilicet vel originem vel confirmationem illorum ex gentilibus mutuentur. Scotus 3. sent. dist. 24. q. 1. scribit, *theologos* (Scholasticos) *philosophiam cum theologia maximo cum fructu miscuisse.* Quod miscuerint, facile agnoscimus, sed quod maximo cum fructu miscuerint, deprehendere nondum potuimus, siquidem haec μιξοφιλοσοφοθεολογία varias corruptelas simplicitati doctrinae coelestis intulit. Ethica speculatio de justitiae et aliarum virtutum habitibus in cathedram theologicam evecta imputatam fidei justitiam sustulit et habitualem infusam atque actualem operum justitiam illius loco substituit, inde Jesuitae in cens. Colon. p. 154. ex Aristotele lib. 2. topicor. c. 1. probant, *hominem non fide, sed bonis operibus coram Deo justificari, provocantque ad judicium omnium philosophorum sive Arabes sint, sive Graeci, sive Latini, qui non concedunt, ut justus dicatur, nisi qui justitia habituali est praeditus.* Concupiscentiam pravam ex numero peccatorum exemerunt propter regulam ethicam: *Involuntariae actiones non habent rationem peccati.* Libertas arbitrii stabilita fuit ex eo, quod

Digitized by Google

Ethici nec poenae nec praemio locum esse statuunt, nisi illa praecesserit; et quod *ratio* secundum Aristotelem *semper deprecetur ad optima*, quod fundamentum urget Cochlaeus in art. 18. conf. Aug. Transsubstantiationis dogma unice nititur principio illo logico, *quod duae res disparatae non possint de se invicem affirmate praedicari, nisi mutatio essentialis intercedat.* Communionem sub una specie suffulciunt axiomate physico, *quod corpus vivum non sit sine sanguine.* Primatus ac mo-
XI. 357. narchia papae nititur discursu politico, *quod optimum regimen sit monarchicum.* Invocatio sanctorum introducta est ex speculatione politica, quod ad regem non pateat aditus nisi per proceres aulicos. Possibilitas implendae legis nititur regula politicorum, *δεῖ τοὺς νόμους κατὰ τὸ δυνατὸν τίθεσθαι.* Peccatum originale per nudam privationem definiunt, quia Metaphysicus docet, *omne ens positivum esse bonum.* **Scotus 3. sent. dist. 24. q. 1. scribit maximo cum fructu doctores philosophiam cum theologia miscuisse. Quidam monachus Tubingae eliminatis pericopis evangelicis earum loco pro suggestu ethicam Aristotelis populo tradidit. Apol. Aug. confess. in loc. de justif. Vitus Winsheimius orat. fun. Wit. 1560. 21. Apr. habita, coll. mens. Luth. p. 482.** Ignis purgatorius in Gorg. Platonis et lib. 6. Aeneid. Virgilii habet propriam suam sedem. Canonizatio sanctorum aemulatur *ἀποθέωσιν* gentilium. Ordines ecclesiasticos *imitatione gentilium* distinctos esse fatetur jus Pontificium c. decretis dist. 21 ubi postquam dictum esset, *alios esse simpliciter sacerdotes, alios archipresbyteros, alios chorepiscopos, alios episcopos, alios archiepiscopos, alios primates, alios patriarchas, alios summos pontifices*, tandem subjungitur: *Horum discretio a gentilibus maxime introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.* Ut autem principia quorundam dogmatum, ita quoque originem quorundam rituum ab ethnicis mutuantur Papicolae. **Campanas baptizant, vel ut Bellarminus lib. 4. de Rom. pont. c. 12. loqui mavult, *solenniter consecrant, ut sonitu suo daemonas fugare possint.* Haec opinio de vi tintinnabulorum ab ethnicis originem duxit. Ovidius in fastis lib. 5. *aeris tinnitu inferorum umbras in sacris Lemuralibus ab anu expelli* dicit. Alexander quoque Aphrod. in suis problematib. ait, *aeris sono malos spiritus depelli, eamque ob rem in lunae defectu aera moveri fuisse in more positum, quod* ipsum etiam Livius, Ovidius et Luc. teste Caelio Rhod. lib. 15. c. 10. scriptum reliquere. Et pervetus Theocriti Scholïastes annotavit, *olim si quis e vita excessisset, campanas fuisse pulsas, quod is sonus credebatur esse καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, avertere spectra et daemonum ludibria.* Apollodorus in libro, quem Diis inscripsit, refert, hierophantem, *id est Proserpinae sacerdotem, tintinnabulum tonante coelo Athenis pulsare consuevisse.* Plura de dogmatibus et ritibus Pontificiis ex gentilismo haustis vid. in scripto Germ. D. Agricolae Franc. Burch. Auton. opposito et in lib. Conr. Nucer. apud Wolf. t. 1. p. 954.** Eusebius l. 7. hist. eccl. c. 28. *ἐθνικῇ συνηθείᾳ imagines Petri et Pauli fuisse retentas et cultas* asserit, id quod similitudo cultus ethnici et papistici clarissime comprobat. Ethnici coluerunt deos suos auro, argento, ebore, gemmis etc. Lactantius lib. 2. instit. c. 2. Idem fieri a Papistis testatur viva praxis. Ethnici singularem numinis praesentiam simulacris affingebant. Arnobius lib. 1. contra gent.: *Tanquam inesset vis praesens, adulabar, affabar et sacrificia poscebam.* Idem fit a Pontificiis, quod ex eo apparet, quia una imago Christi, Mariae etc. magis frequentatur quam alia et quia longinquas interdum peregrinationes suscipiunt ad imaginem aliquam, cum domi sint longe elegantiores, quod ideo fieri dicit Gregorius de Valent. disp. 6. de idol. qu. 11. punct. 6. *quod certa experientia compertum, singulariter quibusdam in locis, quisdamque imagines venerantibus solitum esse Deum praeclara impertiri beneficia*, unde Polyd Virg. lib. 6. de rer. invent. c. 13: *Bene multi*, inquit, *rudiores stupidioresque saxeas vel ligneas, marmoreas, aeneas seu in parietibus pictas variisque coloribus litas imagines colunt non ut figuras, sed perinde quasi ipsae sensum aliquem habeant et iis magis fidunt quam Christo, vel aliis diis, quibus dicatae sunt.* Ethnici coram idolis thus incendebant, Arnob. lib. 7. contra gent. libamina et thymiamata illis offerebant, Socrat. lib. 2. hist. eccles. c. 4. lampades et cereos illis accendebant, Baruch 6, v. 18. Lact. lib. 6. instit. v. 62. Eusebius lib. 2. de vita Const. Hieron. in c. 26. Esai. honorabant suas statuas coronis et sertis, Baruch 6, v. 9. Actor. 14, v. 13. Arnob. lib. 7. vestimentis illas induebant, Baruch 6, v. 12. circumgestabant Esa. 46, v. 7. Amos 5, v. 26. Baruch 6, v. 3. Clem. in paraenet. ad gent. in loco sublimi constituebant, August. epist. 49. altaria illis erige- XI. 358.
bant, Arnob. lib. 7. adv. gent. adorabant simulacra prostrati in terram, Esa 44, v. 17. Arnob. lib. 6. alloquebantur ea, Jerem. 2, v. 27. Sap. 13, v. 17. vovebant illis, Baruch. 6, v. 34. August. epist. 45. Valer. Max. lib. 1. memor. c. 1. ferias illis instituebant, Exod. 32, v. 5. 2. Maccab. 6, v. 7. Theodor. lib. 8. de martyrib. Arnob. lib. 7. in quibus epulabantur, Exod. 32, v. 6. Jud. 16, v. 23. Amos 2, v. 8. Haec omnia fieri a Pontificiis publica praxis testatur. Ethnici non ab omnibus omnia, sed a certis diis apud peculiares statuas certas res petebant, teste Tatiano contra Graecos et Arnobio lib. 2. contra gentes; ita quoque Pontificii alia beneficia ab aliis atque aliis sanctis exspectant, Apollonia mederi fingitur dolori dentium, Otilia ophthalmiae etc. qui ergo dentium dolore laborat, non apud imaginem Otiliae, sed Apolloniae liberationem quaerit. Locum deorum gentilium occuparunt sancti Papistarum juxta versiculum,

Ut Martem Latii, sic nos te dive Georgi.

Apollinis loco substituerunt Sebastianum et Rochum, Martis et Bellonae Georgium, Junonis Annam,

Digitized by Google

Neptuni Nicolaum et Christophorum, Junonis Margaritam, Minervae Catharinam, Castoris Valentinum, Liberi Urbanum et Medardum etc. Theodor. de evang. verit. cognit. l. 8: *Pro Pandiis et Diasiis et Dionysiis, hoc est Jovis Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio aliisque sanctis martyribus solennitates populari epulo peraguntur.* Ethnici certis provinciis certos praeficiebant deos; sic et Pontificii praefecturas regionum, provinciarum et urbium inter sanctos suos distribuerunt. Petrus praecipue colitur Romae ut tutelaris urbis Deus, Marcus Venetiis, Ambrosius Mediolani, tres Reges et Ursula cum undecim millibus virginibus Coloniae, Vladislaus in Ungaria, Ludovicus in Gallia, Wenceslaus in Bohemia, Thomas in Anglia, Genoveva Parisiis, Udalricus Augustae, Stephanus Viennae etc. ut quod de Judaeis idololatris olim conquestus est Deus, ad Pontificios merito accommodetur Jerem. 2, v. 28: *Pro numero civitatum tuarum sunt dii tui.* Ethnici coelibes sacerdotes idolis suis praeficiebant, Hieronymus lib. 2. adv. Jov. qui rasis incedebant capitibus, idem lib. 13. in Ezech. ita quoque coelibatus et rasura requiruntur in papisticis sacrificulis. Ethnici delubra sua adeuntes aqua lustrali sese adspergebant, Justinus apol. 2. pro Christ. p. 74. Theodoretus lib. 3. hist. eccles. c. 15. Macrobius lib. 3. Saturnalium c. 1. Aventinus lib. 3. chron. Bavar. pag. 187. sic Pontificii aqua benedicta ad sanctificationem et purificationem ingressuri templa sese conspergunt. Exorcisationes ab ethnicis incantationibus originem accepere.

Sectae philosophorum ad papatum aliquid contulerunt.

228. Quantum vero damni ac periculi subsit, si a gentili philosophia dogmatum principia mutuari velimus, testes sunt pii veteres. Irenaeus lib. 2. advers. haeres. c. 37. p. 135: *Haeretici cum gentilibus philosophis eadem dicentes ejusdem generis et spiritus sunt cum eis.* Tertullianus lib. adv. Hermog. p. 339. *philosophos* vocat *haereticorum patriarchas.* Idem de praescript. p. 97. dicit, *haereses a philosophia subornari*, et lib. 5. adv. Marcion. p. 328. *philosophiae regulis constare.* **Quin et Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiae c. 11: *Ex errore Stoicorum natus est error Manichaei et Priscilliani, ex errore Platonis error Origenis, ex errore Aristotelis aut certe ex Aristotelis sententia non bene percepta error Apollinaris.*** Quid ergo mirum, quod Scholastici philosophorum placita in scholam theologicam recipientes ex duobus per se bonis fecerunt unum pessimum, ex duobus integris unum corruptum. **Erasmus in praefat. S. Hilarii: *Fidei symbolum in scriptis potius quam in animis esse coepit ac tot paene erant fides, quot homines; creverunt articuli, sed decrevit sinceritas, efferbuit contentio, refrixit caritas. Doctrina Christi, quae prius nesciebat λογομαχίαν, coepit a philosophiae praesidiis pendere. Hic erat primus gradus ecclesiae ad deteriora prolabentis. Tandem res deducta est ad sophisticas contentiones, articulorum myriades proruperunt.*** Fuerunt olim quatuor philosophorum sectae, videlicet *Academica, Peripatetica, Stoica, Epicurea,* ex illis omnibus aliquid ad papatum et dogmata papalia accessit. Academica introducebat omnium rerum ἀκαταληψίαν ac docebat, nihil omnino sciri. Ab hac modum disputandi acceperunt Scholastici, cum enim de gravissimis religionis articulis disputarent nec haberent, ubi pedem figerent, variis ratiocinationibus humano ingenio excogitatis velut fluctibus quibusdam modo in hanc, modo in illam partem jactati pleraque reddiderunt incerta, quae oportebat esse certissima, unde Ambrosius Cathar. in scripto contra Dominicum a Soto recte judicat, *Sententiarios, quia sacram Scripturam suae rationi et philosophiae postposuerunt, a recta via saepius aberrasse.* **Auctor libri cui tit. Onus eccles.: *Pagani evangelicam normam destruere quaerunt, ideo diabolus instigat doctrinam Christianorum paganicis auctoritatibus fulciri ac principiis fidei dogmata gentilium commisceri, ut tandem veritas evangelica per sophisticos dolos e medio sufflettur.* μιξοφιλοσοφοθεολογίαν in Scholasticis taxat Canus lib. 8. loc. c. 1. lib. 9. c. 1.** Ac Ludov. Vives in comm. lib. 18. Augustini de civ. Dei c. 18. graviter scribit: *Theologi magno consensu docent, soli Deo competere ex nihilo aliquid creare, disputant tamen, an potentia haec creandi possit communicari creaturae, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet, quae labefactare conatur Occamus, ut sua figat, at ista quoque Petrus Aliacensis luxat, usque adeo vel ludunt in re seria, vel affectibus et factionibus suis cogunt rem coelestem subservire. Qui mores possunt emendari, qui sedari et tolli pravi affectus, quid fieri divini ex doctrina dissidiis agitata et tracta, versaque sursum et deorsum pro libitu affectuum humanorum concussa machinis tam pertinaciter litigantium?* Eandem querelam de corruptione theologiae per Scholasticorum disputationes repetit in comm. lib. 3. de civ. Dei c. 31. lib. 2. c. 13. lib. 11. c. 11. et 24. lib. 13. c. 1. lib. 18. c. 18. lib. 19. c. 12. lib. 20. c. 16. lib. 21. c. 7. Trithemius quoque non diffitetur, *ab eo tempore, quo Scholasticorum disputationes vel potius dubitationes regnare coeperunt, sacram theologiam a philosophia seculari foedari ac contaminari coepisse.* Quin et Piggius aperte agnoscit, *articulum de justificatione primam illam doctrinae Christianae partem obscuratam magis quam illustratam esse a Scholasticis spinosis ipsorum quaestionibus et definitionibus*, referente Chemnicio part. 1. exam. pag. 231. Ab Academica secta promanavit etiam dogma Pontificium de perpetua dubitatione in negotio salutis. Ex Peripatetica Aristotelis et sequacium ipsius philosophia plurima hauserunt Scholastici, quae disputationibus theologicis intruserunt, inde adeo cum in cathedris et pulpitis scholastica theologia adhuc regnaret, citius audivisses locum ex Aristotele quam ex sacro codice. De Stoicis scribit Epiphanius haeres. 5. *quod unam deitatem partiti sint in multas partiales essentias, in solem, lunam et sidera, in animam, aërem et*

XI 33

alia. Pari ratione Pontificii deitatem in multos minutos Deos dispertiuntur ac certorum beneficiorum elargitiones certarumque rerum procurationes inter sanctos distribuunt. Sic Christophoro commiserunt prohibitionem repentinae mortis, Sebastiano et Rocho pestis, Antonio ignis sacri etc. De Stoicis etiam memorat Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 4. *tantum superbiae stuporem in illis fuisse, ut summum bonum in se sibi esse dixerint, seque a se ipsis beatos fieri putaverint,* ac lib. de Epicureis et Stoicis in his reprehendit, *quod vitam beatam per animi virtutes acquiri putaverint.* Ita quoque Pontificii docent, virtutibus et operibus quemque suis summi boni participationem mereri. Cum Stoica *ἀπαθείᾳ* cognationem habet monachorum *ἀστοργία*, cum Stoicorum *κατορθώμασι* persuasio monachalis de statu perfectionis et operibus supererogationis etc. De Epicureis notum, quod in voluptate summum bonum constituerint, providentiam divinam et animarum immortalitatem negaverint. Sed multi pontifices et praelati in ecclesia Romana vita et moribus se Epicureos esse testati sunt, unde Panormitanus dicit,
XI. 360. *multos pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum vel vitam aeternam credere.* **Gerson part. 3. de indur. cord.: *Commutavit ecclesia multos gentilium ritus, non eos penitus auferendo* etc. Baronius tom. 2. annal. anno Christi 200. num. 5. postquam agnovisset, tales consuetudines in primis Christianis adhuc ex Ethnicismo reliquas tempore Tertulliani gravi fuisse censura notatas, addit tamen, *consulto postea introductum videri, ut quae erant gentilitiae superstitionis officia, eadem veri Dei cultu sanctificata in verae religionis cultum impenderentur.* (Et certe sic visum fuit postea, non ab initio Ethnophronis, de quorum haeresi Damascenus libr. de haeres. et Nicetas libr. 4. thesaur. orth. fid. haeres. 42. quod cum gentium instituta sequerentur, in aliis fuerint Christiani gentilium rituum et superstitionum imitatores.)**

Ritus a Judaeis in ecclesiam Romanam translati.

229. A Judaeis quosdam ritus ecclesiam Romanam mutuatam esse non diffitentur quidam ex Pontificiis. Bellarminus libr. 3. de cult. sanct. c. 7. *aquam benedictam confert cum aqua probationis Num. 5. et expiationis Num. 19.* Durandus in rationali libr. 1. c. 1. luminarium usum ex V. T. arcessit: *Illuminatur ecclesia* (inquit) *ex praeceptis Domini, unde in Exodo legitur: praecipe filiis Aaron, ut offerant oleum de arboribus olivarum purissimum, ut ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonii.* Totus ornatus missaticus aemulatur Leviticorum sacerdotum vestitum etc. unde Amalaricus lib. 2. de offic. ecclesiast. c. 22. dicit, *ecclesiam vestimenta sacra recepisse ad instar sacerdotum Mosaicae legis.* Nec solum ritus quosdam ex abrogato in N. T. Levitico sacerdotio, sed etiam quaedam dogmata ab ecclesia Judaica posterioribus seculis corrupta ad se transtulerunt Papicolae. Refert Josephus lib. 18. antiq. Judaic. c. 2. et lib. 2. de bello Judaico c. 7. *Judaeos jam inde a multis retro seculis in tres sectas fuisse divisos, Essenorum, Saducaeorum et Pharisaeorum. Esseni a communi hominum societate separati vivebant, facultates habebant communes, uxores in suum coenobium non admittebant, crebro jejunabant et hanc vitae rationem pro statu perfectionis vendicabant* etc. Illis tanta similitudine conjuncti sunt monachi, ut Eusebius lib. 2. hist. eccles. c. 15. in errorem per illam similitudinem inductus statuat, Essenos illos, quorum exercitia Philo et Josephus describunt, fuisse Christianos, cum *itidem ut monachi vixerint in monasteriis, cantarint antiphona, deseruerint facultates, legerint Scripturas, fuerint continentes, convenerint ad σεμνεῖον orandi gratia, celebraverint pervigilium paschale hymnos cantantes, habuerint diaconos et episcopos.* Sed hunc Eusebii errorem validissimis argumentis castigavit Joseph. Scaliger in suis animadversionibus. Eusebii patrocinium nostro tempore suscepit Nic. Serar. Jesuita Moguntinus in lib. trihaeresium cap. 17. sed argumentis oppido leviculis, ut cuilibet primo intuitu apparet. Vim illorum hac vice non expendemus, sed sufficit nobis, monachis Pontificiis tantam cum Essenis cognationem intercedere, ut in ordinem suum sponte eosdem cooptent. Saducaeorum opinio erat, cum corpore exstingui animas, non esse angelum, nec spiritum, nec resurrectionem mortuorum Act. 23, v. 8. *Hujus sectae pauci sunt,* inquit Josephus, *sed fere dignitate praecipui,* constat enim, quosdam summos sacerdotes apud Judaeos fuisse Saducaeos. Conferri igitur possunt cum Saducaeis pontifices Romani, quorum flagitiosa vita ab historicis descripta ostendit, quid de animae immortalitate, resurrectione mortuorum et vita aeterna statuunt, quin imo quidam ex ipsis Saducaeas illas opiniones disertis verbis quandoque sunt professi. De Johanne XXIII. concilium Constantiense tale
profert elogium: *Saepe et saepius coram diversis* XI. 361.
praelatis et aliis honestis et probis viris pertinaciter diabolo suadente dixit et asseruit et dogmatisavit et adstruxit, vitam aeternam non esse, quin imo dixit et pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori et exstingui ad instar animalium brutorum, dixitque, mortuam semel etiam in novissimo die minime esse resurrecturam. Leo X. ingentem pecuniarum thesaurum cardinali Bembo ostendens dicebat: *Vide, quantum nobis profuerit fabula de Christo.* Pharisaeis clericos Pontificios jam olim comparavit Johannes Sarisberiensis, qui circa annum Christi 1150. in suo policratico de nugis curialium sic scribit: *Sedent in ecclesia Romana Scribae et Pharisaei ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus gravis et paene intolerabilis est, ita debacchantur ejus legati, ac si ad flagellandam ecclesiam egressus sit Satan a facie Domini. Nocent saepius et in eo diabolo sunt persimiles, apud eos judicium nihil est nisi publica merces. Quaestum omnem reputant pietatem, justificant pro muneribus impium, afflictas gravant conscientias, auro et argento one-*

Digitized by Google

rant mensus et exsultant in rebus pessimis, siquidem peccata populi comedunt, eis vestiuntur et in eis multipliciter luxuriantur. Innocentius, qui vixit seculo decimo tertio serm. 2. in die cinerum: *Funiculus superbiae peccatis nostris exigentibus ita nos detinet alligatos, ut jam magis velimus superbi quam humiles apparere, incedentes extenso collo, elevatis oculis, erecta cervice, magnificantes fimbrias, phylacteria dilatantes, quaerentes primos recubitus in coenis, primas cathedras in synagogis et vocari ab hominibus Rabbi*, quae verba in Pharisaeos a Christo dicta exstant Matth. 23, v. 5. Quin imo aliquot seculis ante Sarisberiensem ac Innocentium Hieronymus praefat. in lib. Didymi de Spiritu sancto clericos Romanos appellat *Pharisaeorum senatum*, vicissim in comm. c. 10. Matth. Pharisaeos vocat *clericos Judaeorum*. Et quid multis? sive doctrinam, sive vitam Pharisaeorum respicias eademque cum clericis Pontificiis conferas, tantam deprehendes cognationem, ut jurare quis ausit, animas Pharisaeorum Judaicorum per Pythagoricam quandam μετεμψύχωσιν in clericos Pontificios immigrasse. 1. Pharisaei hoc nomine se ipsos indigitabant a separatione vel divisione, quod affectata vitae sanctimonia ab aliis Judaeis essent separati et divisi, quam appellationis rationem sequuntur Origenes in c. 23. Matth. Epiphanius haeres. 16. Hieronymus in c. 23. Matth. etc. sic ministri Pontificii vocant sese clericos, *ac si soli sint de sorte Domini*, quae ratio appellationis redditur c. clericos dist. 21. ex Isidoro lib. 7. etymol. c. 12. cum tamen tota Christi ecclesia dicatur κλῆρος sive sors ejus Coloss. 1, v. 12. quam in sortem suo sanguine sibi acquisivit Ephes. 5, v. 26. Tit. 2, v. 14. Quidam existimant, Pharisaeos ab expositione Scripturarum sic denominatos, eo quod sibi solis *clavem scientiae* vendicarent Luc. 11, v. 52. et quia *in cathedra Moysis sedebant*, genuinam legis et prophetarum expositionem sibi arrogarent Matth. 23, v. 2. Rom. 2, v. 20. ita quoque episcopi Pontificii, praesertim vero caput ipsorum pontifex Romanus, authenticam Scripturae expositionem et in rebus fidei decernendi potestatem sibi arrogat. 2. Pharisaei plurimum tribuebant traditionibus, adeo ut *irrita facerent mandata Dei propter suas traditiones* Matth. 15, v. 6. neque enim contenti erant verbo Dei in Scripturis sanctis per Moysen et prophetas populo Israëlitico tradito, sed suas illi addebant traditiones, quas teste Hieronymo in epist. ad Damasc. vocabant δευτερώσεις easque docebant aeque ut scriptum verbum necessarias esse, cum tamen in multis illi repugnarent, de quo commento tractant Irenaeus lib. 4. c. 25. Origenes hom. 5. in Num. Chrysostomus hom. 52. in Matth. utque majorem auctoritatem suis traditionibus conciliarent, fingebant, *Moysen in monte Sinai accepisse a Deo duplicem legem, unam quae in scripto tradita sit, aliam vero quae oretenus solum accepta, quam succedaneo quodam ordine per Moysen ad posteros derivatam asseverant, siquidem Moyses eam tradiderit Josuae, Josua senioribus, seniores prophetis, prophetas viris synagogae magnae*, qua de re vide P. Fagium in comm. XI 32
Thalm. in sent. Patr. Galatinum lib. 1. de arcan. cath. c. 2. lib. 4. c. 4. etc. Johann. Picum Mirandul. in apol. qu. 5. Simili modo Pontificii in concilio Tridentino sess. 4. statuunt, *traditiones pari pietatis reverentia et affectu cum scripto verbo suscipi debere.* Fingunt enim, per continuam ab apostolis successionem in ecclesia Romana illas conservari, ac tantum illis tribuunt, ut scripto Dei verbo saepius illas anteferant. 3. Pharisaei somniabant, regnum Messiae fore mundanum, unionem personalem divinae et humanae naturae in Christo negabant, unde blasphemiae ipsum hoc nomine arguunt, quod se Filium Dei fuisset professus, officium Christi revocabant ad humanam duntaxat naturam etc. Pari ratione pontifex, qui se Christi vicarium esse gloriatur, temporale regnum administrat, aut igitur Christi regnum itidem temporale esse statuit, aut falso sese ejus vicarium constituit. Jesuitae etiam necessarium et immediatum consequens unionis hypostaticae, videlicet communicationem idiomatum, negantes ipsam unionem negare convincuntur, quin et Christum secundum humanam duntaxat naturam officium suum administrare disputant. Pharisaei statuebant, Heliam Thesbitem in propria persona esse rediturum ante Messiae adventum, seducti pravo intellectu vaticinii prophetici Malach. 4, v. 5. Matth. 17, v. 10. Marc. 9, v. 11. Ita quoque Bellarminus lib. 3. de pontif. c. 6. et alii Pontificii statuunt, *Eliam et Enochum ante secundum Christi adventum in propria persona apparituros et cum Antichristo pugnaturos*, quibus occinimus illud Hieronymi in c. 4. Malach.: *Judaei et judaisantes haeretici ante χλειμμένον suum Eliam putant venturum et restiturum omnia, unde et Christo in evangelio proponitur quaestio: Cur Pharisaei dicunt, quod Elias sit venturus?* 4. Pharisaei docebant, interiorem pravam cordis concupiscentiam non esse peccatum, Matth. 5, v. 28. Idem docent Pontificii, quorum sententiam late probat Bellarminus lib. 5. de statu pecc. c. 7. et seqq. Peccatum originis vel plane negasse vel plurimum extenuasse Pharisaeos colligitur ex Joh. 9, v. 34. idem colligitur ex reliquis erroribus de possibilitate implendae legis, de perfectione justitiae propriae, de praestantia virium humanarum etc. Pontificii quo modo peccatum originis tum directe, tum oblique negent et extenuent, suo loco demonstratum fuit. Pharisaei statuebant, esse peccata quaedam sua natura venialia, ut colligitur ex Matth. 5, v. 19. Idem statuunt Pontificii. Pharisaei peccatum magis definiebant παραδόσεων suarum quam legis divinae transgressione, Matth. 5, v. 33. c. 15, v. 6. Idem fieri a Pontificiis testatur praxis, c. Nulli 25. quaest. 1. et c. Violatores ead. asseritur, *quod papae leges et decreta violare sit blasphemia in Spiritum sanctum et peccatum irremissibile*, id quod de quibusvis peccatis contra legem divinam commissis dici nequit. 5. Pharisaeos liberi arbitrii vires etiam in spiritua-

Digitized by Google

libus extulisse, colligitur ex persuasione justitiae propriae et opinione de perfecta legis impletione. In eodem luto Pontificios haerere alibi demonstratur. 6. Pharisaei existimabant, externam duntaxat qualemcunque obedientiam a lege requiri, interiorem vero inobedientiam et pravorum affectuum *ἀταξίαν* ab ea haudquaquam argui, Matth. 5, v. 21. unde etiam ex lege sparabant salutem persuasi scilicet, quod perfecte eam impleverint. Pontificii perfectam legis impletionem adeo facilem esse statuunt, ut possit etiam quispiam opera supererogationis praestare. 7. Pharisaei doctrinam evangelii de gratuita peccatorum remissione per fidem in Christum repudiabant, adeoque haereseos damnabant, ut historia evangelica testatur. Eandem sortem doctrina evangelii a Pontificiis hodie experitur. Pharisaei blasphemiam judicabant, quod Christus paralytico remissionem peccatorum certo polliceretur et hac ratione salutis certitudinem stabiliret, Matth. 9, v. 3. Pontificii certitudinem gratiae divinae, justitiae ac salutis in evangelio oblatam et sacramentorum sigillis atque ipsius Spiritus sancti testimonio interno confirmatam repudiant ac perpetuam dubitationem praecipiunt. 8. Pharisaei justi-
XI. 363. tiam propriam *quaerebant stabilire coram Dei judicio* Rom. 10, v. 3. justitiam vero fidei superciliose respuebant. Pontificii itidem habitualem et actualem operum justitiam ad Dei tribunal afferunt, imputationem justitiae Christi per fidem exsibilant. 9. Pharisaei *ἐθελοθρησκείας* et cultus electitios sectabantur non contenti operibus in lege divina praescriptis, Matth. 15, v. 9. In eadem cultuum electitiorum schola Pontificios habent discipulos et asseclas. *Pharisaei onera gravia et importabilia alligabant et in humeros hominum imponebant*, Matth. 23, v. 4. Idem fieri a Pontificiis praelatis jam olim conquestus est Gerson de vita spir. anim. lect. 2: *Propter traditiones hominum fit de levi jugo Christi et lege libertatis jugum ferreum et onus grave premens cervices Christianorum, dum scilicet aliqui suas omnes leges, suas institutiones, suas regulas et statuta arbitrari volunt accipiendas esse sicut praecepta legis Dei ad aeternae mortis interitum, si praetereantur, vergentia.* Ibidem: *Si tuo tempore haec dicebas, o sapiens Augustine* (innuit epist. 119. ad Januar.), *quid nostra tempestate dixisses, ubi pro varietate et motu capitum incredibilis est varietas et dissona multiplicitas onerum ejusmodi servilium et humanarum, ut loqueris, praesumtionum, quas velut inter laqueos animarum et ligantia retia vix quisquam securus et indeprehensus incesserit.* 10. Pharisaei ex personali successione ab Aarone ecclesiae titulum sibi vendicabant. Sic pontifices Romani gloriantur, se esse Petri successores et ecclesiae monarchas. Pharisaei provocabant *ad templum Domini*, pontifices *ad sedem Petri.* 11. Pharisaei negabant, baptismum Johannis *esse ex Deo* Luc. 7, v. 30. Pontificii itidem negant, Johannem accepisse a Deo mandatum baptizandi, negant etiam, baptismum Johannis fuisse efficacem ad remissionem peccatorum et salutem. Pharisaicus error erat, sacramenta prodesse ex opere operato, unde ad Johannis baptisma sine poenitentia et fide accedebant Matth. 3, v. 7. Pontificii itidem statuunt, *sacramenta novae legis conferre gratiam ex opere operato sine bono motu utentis.* 12. Pharisaei teste Josepho lib. 17. antiq. c. 3. *regibus infesti fuerunt adeo, ut eos etiam aperte impugnare non fuerint veriti.* Pontifices Romani quam infesti fuerunt imperatoribus, historiae loquuntur. Pharisaei nolebant *intrare curiam praesidis, ne contaminarentur* Joh. 18, v. 28. Sic Sylvester in synodo Romana can. 16. *sacerdotes prohibet intrare curiam, quia dicatur a cruore et sit immolatio simulacrorum.* ***Pharisaei*, referente Epiphanio haeres. 16. *asseres sibi parabant dodrantis latitudine et in has se ad vesperam locabant, ut si quis dormiisset, in pavimentum decideret et rursus excitaretur ad orationem. Alii lapillos ex aquis collectos sibi ipsis substernebant, ut dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur. Jejunabant bis in sabbathis secunda et quinta die.* Ab his *λαμευνίας* suas, stata jejunia et similia mutuati sunt monachi austeriores in papatu. Capucini peculiarem sanctitatem in eo constituunt, si pro cubili sarmentis utantur; Papistae omnes meritum quaerunt in jejunando bis in hebdomade die sexto et septimo.** Vide plura comparationis membra inter dogmata ac ritus Pharisaeorum et Pontificiorum apud D. Henr. Eckhartum et D. Himmelium in papa pharisaizante.

230. Descendamus ad haereticos, qui post Christum natum exorti prava dogmata pertinaciter propugnarunt; illi siquidem proprie hoc nomine appellantur teste Augustino lib. 2. contra advers. legis et prophetarum c. 12. ut re ipsa appareat, papam Romanum ex omnibus prati haeretici floribus venenum suum collegisse. Quemadmodum enim de Antichristo pronuntiat Irenaeus lib. 5. adv. haeres. p. 329. *quod diabolicam apostasiam in se recapitulet*, ita papa Romanus se Antichristum declarat hoc ipso, quod ipsius doctrina est quaedam *ἀνακεφαλαίωσις* omnium ferme haeresium, quae superioribus sex seculis post Christum natum proximis in ecclesia sunt exortae, antequam Antichristianus papae dominatus Haeresis
eam subjugaret. *1. Pseudoapostoli* docebant, *praeter fidem in Christum requiri ad justificationem observationem legis Mosaicae* Act. 16, v. 5. quibus oppositum est decretum apostolicum v. 11: *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et patres nostri*, uti etiam epistola ad Galatas. Vide tract. de lege §. 181. tract. de justif. §. 152. Simili ratione Pontificii justificationem coram Deo tum fidei, tum operibus adscribunt. 1. Pseudo-apostolorum. XI. 364.
(Samaritani, teste Epiphanio haeres. 9: *Si quis ipsis diceret de David, Esaia et sequentibus post Moysen, non suscipiebant, sed immorabantur traditioni a propriis ipsorum patribus invectae.* Papistae communiter docent, Scripturas non esse necessarias, traditionum autem a patribus invectarum necessitatem mirifice depraedicant.) *2. Simoniani* 2. Simonianorum.

Digitized by Google

a Simone Mago *patre omnium haereticorum* (ut Irenaeus eum in praef. lib. 3. appellat, **Paschalis c. ult. 1. qu. 7: *Patet, Simoniacos velut primos ac praecipuos haereticos ab omnibus fidelibus respuendos et, si commoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus opprimendos, omnia enim crimina ad comparationem Simoniacae haeresis quasi pro nihilo reputari.* Jam vero ordines imperii anno 1522. Norinbergae de multiplici Simonia pontificem accusarunt** sic dicti partem non minimam ad papales errores contulerunt. Primo enim Simon Magus *affectavit divinos honores*, Nicephorus lib. 2. hist. cap. 36. pontifex Romanus itidem in jure canonico se vocat *deum.* c. Satis dist. 96. Steuch. de donat. Const. p. 141: *Adoravit Constantinus papam uti deum ac divinos honores ei contulit;* nimirum ut ostendatur, papam esse succesorem non Simonis Petri, sed Simonis Magi, Petrus enim hos honores repulit Actor. 10, v. 26. Secundo Simon *pecunia voluit emere ab apostolis, ut per impositionem manus conferre posset Spiritum sanctum* Actor. 8, v. 19. unde Simoniaci dicuntur, qui emunt, vel vendunt rem spiritualem, Lombardus 4. sent. dist. 25. c. 4. At haec Simonia in toto papatu regnat, ut Baptista Mantuanus exclamet: *Venalia nobis*

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,
Ignis, thura, preces, coelum venale Deusque.

Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu ecclesiae art. 10. f. 109. b: *Pro pecuniis celebrant, corpus Christi pro pecunia vendunt cum Juda; consecrant et ordinant et pro pecunia conferunt omnia sacramenta, sed gratiam non conferunt, quam non habent. Nihil accipitur gratis, nihil datur gratis; collatores dicunt, quod comparavimus, vendimus.* Ac Franc. Petrarcha in dial. de Rom. cur. evit. scribit, *Romae Simonem Magum cum conjuge sua Simonia revixisse.* Durandus de modo celebr. conc. gen. part. 2. tit. 10. dicit, *in ecclesia Romana regnare simoniam, ac si nullum esset peccatum.* ** Si ut est c. Quidam 24. q. 3. c. Haereticus c. Qui in ecclesia caus. et quaest. iisd. *pro haereticis sunt habendi, qui simoniam exercent, qui angelos colunt, qui nihil possidentes proprium nequaquam recipiunt eos, qui aliquo in hoc mundo utuntur, qui carnes abominantur, qui conjugia respuunt, qui nudis pedibus* (fine superstitioso) *ambulant, qui cum hominibus non manducant, qui Scripturam sacrosanctam aliter intelligunt, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, qui principatus sui gratia falsas opiniones defendunt, qui quod prave sapiunt contumaciter propugnant;* non poterunt patroni pontificis ab haereseos crimine excusari. Porro *apostolicos haereticos* vocat Augustinus haeres. 46. *eos, qui ex prava imitatione se apostolos exprimere dictabant in eo, quod tamen apostolorum non fuit, nempe quod nullum in suam communionem receperint, qui uxores aut possessiones haberet. Iidem nullo modo tolerare potuerunt illos, qui voverant coelibatum et postea matrimonium contraxerant, quamvis se votum suum servare inhabiles agnoscerent.* Epiphan. haer. 61. Sic Pontificii non concedunt virginibus post votum semel factum matrimonium. *Remens. annot. 1. Cor. 7, v. 28.*** Marsilius Patav. in defens. pacis part. 2. c. 24. Romam dicit esse *Simoniacorum undique concursum, ibi siquidem venditur coelum, venduntur omnia elementa: terra, quoties defunctorum corpora terrae mandanda sunt; aqua, quam vocant lustralem; aër et sonitus tintinnabulorum; ignis candelarum; venduntur merita tum vivorum, tum mortuorum, exiguntur vectigalia non a vivis tantum, sed etiam a mortuis, venduntur cantilenae, sacramenta, sacerdotia, ipsa denique venditur remissio peccatorum.* Restau. Castaldus tract. de imperat. *papam vocat totius simoniae monarcham.* Tertio Simonis discipuli et successores dicuntur omnes, *qui quoque modo* XI. 35. *adulterant veritatem et praeconium ecclesiae laedunt.* Iren. lib. 1. adv. har. c. 30: *Quamvis enim* (inquit) *non confiteantur nomen magistri sui ad seductionem reliquorum; at tamen illius sententiam docent Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum praeferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes, mortificant multos per nomen bonum sententiam suam male disperdentes et per dulcedinem et decorem nominis amarum et malignum principis apostasiae serpentis venenum eis porrigentes.* Haec verba Irenaei, quibus Simonianorum ingenium describit, adeo conveniunt Jesuitis, ut in ipsos dicta videantur. **De Simone memorat Epiphanius haeres. 20. *quod post corruptionem et interitum carnis tradiderit ψυχῶν κάϑαρσιν, animarum purificationem.* Papistae post mortem et corruptionem corporis docent purificationem animarum futuram in purgatorio.** Quarto Simoni et ejus sectatoribus asscribit Irenaeus lib. 1. c. 20. *usum exorcismorum*, quem constat Papistis quoque esse familiarem, qui exorcisant non solum creaturas intelligentes, sed et brutas omnique vita et sensu carentes, ut oleum, sal, herbas, candelas, aquam etc. Quinto de Simonis discipulis scribit Irenaeus loco dicto, *quod habeant imaginem Simonis factam ad figuram Jovis et Selenae in figuram Minervae easque adorent.* Eusebius lib. 2. hist. eccles. c. 12. de illis refert, *quod coram picturis et imaginibus prostati odoribus incensis, victimis et libamentis venerari eas soliti fuerint.* Eundem cultum imaginibus in Antichristi regno deferri ex praxi constat, ut Irenaeus lib. 1. c. 8. Simonianos haud immerito vocarit *Antichristi praecursores.* Sexto de Simonianis refert Irenaeus lib. 1. c. 8. *quod glorientur de iis, quae non sunt scripta, sed viva solum voce tradita.* c. 17. *quod inenarrabilem multitudinem apocrypharum scripturarum, quas ipsi finxerunt, adferant ad stuporem insensatorum et quae sunt veritatis non scientium literas.* lib. 3. c. 2. de illis dicit, *quod cum ex Scripturis arguuntur, imperfectionis eas accusent, quod non possit ex illis sciri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.* Hanc haereseos partem omnes fere sectarii ab illis hauserunt, ut merito scribat Irenaeus lib. 1. c. 20. *ex*

Digitized by Google

Simone Mago universas haereses subsistere, siquidem plerique omnes haeretici relicto Scripturarum fonte ad cisternas traditionum provocarunt, *quod de Sethianis* tradit Epiphanius haer. 39. *de Archonticis* haeres. 40. de Severianis haeres. 45. *de Encratitis* haeres. 47. *de Bardesanistis* haer. 56. *de Artemone* refert Eusebius lib. 5. c. 28. *quod de doctrina sua quasi antiqua et ab apostolis tradita gloriatus fuerit, majores enim omnes adeoque ipsos apostolos ita sensisse et docuisse.* De Basilide scribit Clemens lib. 7. stromat. p. 353. *quod praedicarit, se Glaucia quodam, qui fuisset interpres Petri apostoli, magistro usum;* de Valentino, *quod audiverit Theodadum Pauli familiarem;* de Marcionitis, *quod Matthiae discipulos habuerint magistros et ab iis traditam doctrinam teneant et producant.* De Carpocratianis Irenaeus lib. 1. c. 24. memorat, *quod commenta sua hoc praetextu defenderint, Dominum Jesum apostolis talia privatim in mysterio locutum esse, apostolos autem non omnibus, sed dignis solummodo ista tradidisse.* Ptolemaeus haereticus in epistola ad Floram, quae exstat apud Epiphanium haer. 33. gloriatur, *quod doctrinam suam ex apostolica traditione per successionem acceperit.* Eodem traditionum praetextu usum fuisse *Arium* constat ex Athanasio orat. 2. contra Arian. p. 124. itemque *Eutychen* in concil. Chalc. act. 1. quapropter in genere pronuntiat Basilius sermon. de fide tom. 2. p. 194. *esse manifestam a fide apostasian et elapsionem vel respuere aliquid eorum, quae Scriptura habet, vel inducere quidquam, quod scriptum non sit.* Jam vero notum est, Pontificios inducere ea quae scripta non sunt et traditiones pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo recipiendas ecclesiae obtrudere, quinimo disputationes cum Pontificiis testantur, traditiones esse ipsis sacram ancoram, ad quam confugiunt sacrarum literarum suffragiis de-
I. 366. stituti, et esse pixidem Pandorae, quae papales er-
Basili- rores in sese complectitur. 3. De Basilide refert Eusebius lib. 4. hist. eccl. c. 7. quod docere non erubuerit, *fidem persecutionis temporibus incunctanter etiam perjurio negandam.* Idem statuebant Helcesaitae. Ex illorum schola prodierunt aequivocationes Jesuiticae. Campianus in epist. ad generalem societatis ex Anglia scripta pag. 86: *Catholicorum conditio in Anglia gravissima, animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi est cum aliis, affirmandum juramento, quod ceteri affirmant, etiamsi animo longe aliter opineris, etiamsi conscientia plane contrarium senseris.* ** Basilides apud Epiphan. haeres. 24: *Nos homines sumus, ceteri omnes canes sunt et sues, nolite ergo margaritas projicere porcis aut dare sanctum canibus.* De Carpocratianis Irenaeus lib. 3. c. 2: *Cum ex Scripturis arguerentur, ad accusationem convertebantur Scripturarum, quasi non recte haberent, neque sint ex auctoritate et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem. Ob quam causam Paulum dixisse, sapientiam loquimur inter perfectos.* Utrumque docent Pontificii. Ledesma in lib. de Script. sacra vernacula non legend. et celebr.: *Non decet, ut divina et sacrosancta fidei mysteria in ore omnium hominum promiscue versentur* etc. *Consentaneum erat, mysteria quaedam praesertim sacra clam populo rudi habere. Non judicavi, inquit Paulus 1. Cor. 2. me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Basilidiani negabant, *Christum fuisse passum* c. 39. caus. 24. q. 3. Pontificii quamvis non in totum negent Christi passionem, tamen partem ejus principalem tollunt, nempe passionem in anima.** 4. *Car-* 4. Gnosticorum.
pocratiani, qui et Gnosticos sese vocarunt, ** apud Irenaeum libr. 1. cap. 24. commenta sua hoc praetextu defendebant, *Dominum Jesum apostolis talia privatim in mysterio locutum esse, apostolos autem non omnibus, sed dignis solummodo ista tradidisse.* Pontificii itidem ad demonstrandam Scripturarum insufficientiam abutuntur dicto Christi etc. Joh. 16, v. 12: *Adhuc multa habeo.*** cultum et venerationem imaginibus impenderunt. Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 24. p. 92: *Gnostici imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabrefactas habent dicentes, formam Christi factam a Pilato illo tempore, quo fuit Jesus cum hominibus, et has coronant et proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum.* Epiphanius tom. 2. lib. 1. haeres. 27. de Carpocrate memorat, *quod Christi et Pauli imagines cum philosophorum imaginibus collocatas adoraverit et suffitum illis fecerit.* Augustinus de haeres. ad Quodvult. haeres. 7. de Marcellina sectae Carpocratis socia scribit, *quod coluerit imagines Christi, Pauli, Homeri et Pythagorae adorando incensumque ponendo.* Hic imaginum cultus in ecclesia Romana eo excrevit, ut imaginem et prototypum eodem genere cultus honorent. Thomas part. 3. q. 25. art. 3: *Cum Christus adoratione latriae sit adorandus, imago quoque ejus eadem adoratione adoranda est.* art. 4: *Crux Christi, in qua Christus crucifixus est, cum propter repraesentationem, tum etiam propter membrorum Christi contactum latria adoranda est. Crucis vero effigies in alia quavis materia priore tantum ratione latria adoranda est.* ** In concilio Nicaeno II. definitum fuit *quod imago Dei sit adoranda eo cultus genere*, quod ipsi Deo debetur, quod idololatricum decretum defenditur a Thoma, Bonaventura, Cajetano. Bellarminus concedit *incensionem et cremationem thuris et odorum ante imagines*, Bellarminus lib. 1. de sanct. beat. c. 13. quod est pars adorationis divinae 2. Reg. 18.** De Gnosticis etiam scribit Epiphanius haeres. 26. *quod commenti fuerint evangelium quoddam perfectionis.* Ejusdem generis fuit evangelium aeternum, quod monachi confinxerunt et glorioso illo nomine appellarunt. ** *Cataphryges miscebant eucharistiam cum sanguine infantum*, Augustinus haeres. 26. Pontificii saepenumero in sacramento

Digitized by Google

monstrarunt populo sanguinem anatum et pullorum columbarum eique persuadebant, quod esset sanguis Christi; sic in Anglia sanguis Halae, quo ex omnibus regni partibus peregrinatio instituebatur per multos annos ab iis, qui putabant esse sanguinem Christi, tandem inventus est tantum sanguis draconis et monstratus prope S. Pauli crucem Londini per episcopum Rochestriae ipso rege tum praesente, Fox. p. 1188. Sic Pragae observatum, quod imago Christi in cruce pendentis ex vulneribus quinque sanguinem exsudarit per canales secretos eo deductos, ut magnum vas semiplenum forte 50 librarum illi suppositum videretur, ut testatur αὐτόπτης Anton. Wi. Anglus cent. 6. num. 5. contradict. Et quod pejus, imperator Henricus VII. anno 1313. per monachum praedicatorii ordinis veneno, quod eucha-
5. Cerinthianorum. ristiae illitum erat, e medio sublatus est.** 5. De *Cerinthianis* et Nazaraeis scribit Augustinus lib. de haeres. c. 8. et 9. *quod observent ceremonias Mosaicas Christi adventu abrogatas.* Idem fieri a Pontificiis testatur vestitus missaticus, discrimen
6. Valentinianorum. XI. 367. ciborum, aqua lustralis etc. *6. Valentiniani* praeterquam quod traditiones suas scripto Dei verbo addiderunt, ut ex Irenaeo in multis locis apparet, *morientes suos ad finem defunctionis inungere soliti fuerunt mittentes capitibus eorum oleum cum invocationibus*, idque ex opinione, quod illa unctione redimantur, Irenaeus lib. 1. c. 18. Ab illis traditiones et extremam unctionem acceperunt Pontificii. ** Valentiniani *deorum et opitulatorum ingentem introduxerunt multitudinem*, Irenaeus lib. 1. c. 16. 17. Idem faciunt Pontificii, qui inter sanctos certa officia et patrocinia distribuunt et ab illis ea petunt, quae ethnici a Baccho, Marte, Neptuno etc.**
7. Heracleonitarum. *7. Heracleonitae* Valentinianos imitati *morientes suos novo modo quasi redemerunt, videlicet per oleum, balsamum, aquam et invocationes, quas Hebraicis verbis dicebant super capita eorum*, Augustinus de haeres. c. 16. ** Similes haeretici apud Irenaeum lib. 1. c. 18. *mortuos redimebant ad finem defunctionis mittentes eorum capitibus oleum et aquam.*** Eodem modo Pontificii morientes suos inungunt et lingua peregrina super capita eorum preces recitant. ** Referamus huc Pepuzianos et Catharistas. *Pepuziani* concedunt, *feminas posse esse sacerdotes*, Augustinus haeres. 27. Pontificii habuerunt feminam pro summo pontifice, quae sedit Romae integrum biennium, ordinavit et instituit episcopos et omnia munera pontificialia peregit. *Catharistae* se ita vocabant, *quasi essent puri et perfecti*, Augustinus haeres. 38. Pontificii asserunt, quosdam esse adeo justos et puros, ut nulla poenitentia egeant. Remens. Luc. 15. *quod renati possint perfecte implere*
8. Ἀνωνύμων. *legem.*** 8. Augustinus de haeresib. c. 79. mentionem facit quorundam haereticorum, quos non appellat certo nomine, qui statuerunt, *Christo ad inferos descendente credidisse ei incredulos et omnes inde existimarunt liberatos.* Hujus haereseos (scribit Pappus in epit. histor. eccl. pag. 254.) propago est apud Pontificios, *qui de descensu Christi ad inferos statuunt, quod ex quadam inferni parte, quam limbum vocant, patres V. T. tum fuerint educti.* *9. Archontici certos angelorum ordines* commenti sunt, Epiphanius haeres. 40. Ita quoque 9. Archonticorum.
Scholastici de distinctis hierarchiis et ordinibus angelorum variis modis philosophantur, quibus opponendum illud Irenaei lib. 2. c. 54. pag. 155: *Dicant nobis, quae sit invisibilium natura, enarrent numerum angelorum et ordinem archangelorum, demonstrent thronorum sacramenta et doceant diversitates dominationum, principatuum, potestatum atque virtutum; sed non habent dicere;* et illud Augustini in enchir. ad Laur. c. 58: *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam* XI. 3..
illam societatem videtur apostolus esse complexus dicendo, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor. *10. Angelici* in angelorum cultum fuerunt 10. Angelicorum.
inclinati, Augustinus de haeres. c. 39. de quibus Angelolatris videatur Theodoretus in epist. ad Coloss. 2. et concil. Laodic. can. 35. Hic angelorum cultus probatur Pontificiis, ut apparet ex catechismo Romano p. 593. ** Helxai, qui Ossenorum fuit patriarcha, coëgit *non solum per Deum jurare, sed etiam per salem et aquam, per aethera et ventum, per terram atque coelum*, apud Epiphanium haeres. 19. Pontificii per creaturas jurant, per sanctos et sanctas et eorum reliquias.** *11. Marcitae* profitebantur, 11. Marcitarum.
verbis certis se vinum, quod est in calice coenae Dominicae, mutare in sanguinem et gratiam in eum calicem deducere, Irenaeus libr. 1. c. 9. Epiphanius haeres. 34. Idem gloriantur Pontificii transsubstantiatores. Lochmeyer serm. 112. de celebr. miss.: *Tanta est virtus sacerdotis, quod quotidie efficitur creator sui creatoris.* Stella Cleric.: *Qui creavit me sine me, dedit mihi creare se, et qui creavit me sine me, creatur mediante me.* ** Audiani *cogitatione carnali Deum fingebant in similitudinem hominis corruptibilis*, inquit Augustinus de haeres. c. 50. Armenii et Jacobitae teste Nicephoro libr. 18. c. 53. *imagines Patris, Filii et Spiritus sancti effigiabant, quod perquam est absurdum. Crucem non prius debito honore prosequebantur, quam perinde atque hominem baptizavissent.* Papistae pingunt Trinitatem in specie hominis tricipitis; res etiam inanimatas baptizant ad usus sacros, ut campanas, agnos Dei etc.** *12. Marcionitae* virginita- 12. Marcionitarum.
tem suis imperabant, conjugatos in communionem XI. 3..
suam non admittebant, Epiphanius haeres. 42. Id ipsum faciebant *Hieracitae*, qui monachos tantum et monachas et conjungia non habentes in communionem recipiebant, Augustinus de haeres. c. 47. Sic papistici monachi virginitatem multis nominibus coram Deo praeferunt. ** Marcion apud Tertullianum lib. 4. contra Marcion.: *Utramque mercedem creatoris sive tormenti, sive refrigerii apud inferos determinabat eis positam, qui legi et prophetis obedierant.* Hanc eandem imbiberunt doctrinam Pontificii, nempe patres omnes, qui legi et prophetis

Digitized by Google

obediverunt, usque ad adscensionem Christi detentos fuisse in aliqua parte inferni, quam limbum appellant, in qua fingunt locum refrigerii et consolationis. De Marcione scribit Tertullianus lib. 1. adv. Marcion. c. 14: *Copias maris* (hoc est pisces) *sanctiorem cibum deputabat.* Idem faciunt Carthusiani
13. Encratitarum. et tempore quadragesimae omnes Pontificii. ** 13. De *Encratitis* scribit Epiphanius haeres. 47: *Continentiam jactant fallaciter omnia facientes. Nam et inter mulieres reperiuntur, et mulieres undiquaque decipiunt, et cum mulieribus iter faciunt, et simul cum illis vivunt et illorum ministeria admittunt.* Idem a clericis papisticis fieri notissimum est. Quae argumenta *Tatiani* sectatores, Encratitae, conjugio opposuerunt, quae apud Tertullianum et Clementem adhuc exstant, ea a Pontificiis pro stabilienda coelibatus lege adhuc urgentur. ** Tatiani *condemnabant matrimonia, nec pluris aestimabant quam fornicationem, nec recipiebant maritatas personas in suos ordines*, Augustinus haeres. 74. Pontificii multis modis detrahunt conjugii dignitati ac
14. Montani. maritatos excludunt a ministerio. 14. ** Montani paracletus apud Tertullianum lib. de anima c. 34. hoc saepe commendavit, nempe *animam aliquid pensare apud inferos usque ad resurrectionis plenitudinem, modicum quodque delictum luens mora resurrectionis, donec solverit ad ultimum quadrantem.* Idem fundamentum habent Papistae pro satisfactionibus, quas post hanc vitam necessarias esse contendunt. ** *Montanus* primus fuit, qui de jejunio leges tulit, unde *νομοθέτης νηστείας* vocatur ab Apollonio apud Eusebium lib. 5. hist. eccl. c. 17. eo quod jejunia certis legibus definierat. Montanistarum sententiam Tertullianus et ipse Montanista lib. de jejun. adv. Psych. p. 770. sic describit: *Arguunt nos* (inquit de Catholicis loquens), *quod jejunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia et uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui, novitatem igitur objectant, de cujus illicito praescribant, aut haeresin judicandam, si humana praesumtio est, aut pseudoprophetiam pronuntiandam, si spiritualis indictio est, dum quaque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus.* Ab hoc Montano acceperunt Pontificii leges jejuniorum et monachi suas xerophagias. De Montano etiam scribit Epiphanius haeres. 48. *quod Scripturas parum curaverit;* qua in parte sequuntur eum Pontificii, qui imperfectionis et obscuritatis eas arguunt. Montanistae Spiritum sanctum *sibi, non apostolis infusum praedicabant*, in supplem. haer. phil. Sic pontifices Romani gloriantur de immediata Spiritus sancti assistentia, interim libros apo-
XI. 370. stolicos Spiritu Dei scriptos suis decretis postponunt. ** *Aquarii* haeretici sic dicti sunt, quia *aquam solam offerebant in calice*, c. 39. caus. 24. q. 3. Ad illos proxime accedunt Pontificii, una cum vino in calice eucharistico aquam necessario offerri debere statuentes. ** *15. Hieracitae* operibus vitam 15. Hieracitarum.
aeternam promerendam esse statuerunt, quia dixerunt, *regnum Dei non pertinere ad parvulos, cum non sint eis ulla merita certaminis, quo vitia superentur*, Augustinus de haeres. c. 47. Eadem est Pontificiorum opinio, *quod nostris operibus beata illa aeternitas sit promerenda.* ** Iidem Hieracitae *recipiebant tantum monachos et monachas in suam societatem*, Augustinus haeres. 47. Sic apud Pontificios monachi tantum *religiosorum* nomen assecuti sunt, maritatos non recipiunt ad ministerium. Iidem regnum coelorum parvulis denegabant, c. 39. caus. 24, q. 3. Sic Pontificii infantes non baptizatos in limbum extra regnum coelorum collocant, ** concil. Trident. sess. 6. c. 16. et can. 32. *16. Arabici* dixe- 16. Arabicorum.
runt, *animas cum corpore exstingui*, Augustinus de haeres. c. 83. Nicephorus lib. 5. hist. eccles. c. 32. Hujus haereseos concilium Constantiense reum peregit Johannem XXII. ecclesiae Romanae caput; in eo tamen est discrepantia, quod Arabici statuerunt, animas cum corporibus in fine seculi resurrecturas, sed Johannes pontifex asseruit, *animas semel mortuas in novissimo die minime resurrecturas.* ** Subjungamus his *Euchitas* et *Abelianos*. *Euchitae* nihil aliud faciebant, *quam orabant et opinabantur, non esse legitimum, monachos laborare manibus ad sustentationem vitae suae*, Augustinus haeres. 17. In papatu monachi et moniales ad certum numerum preces suas Latino idiomate murmurant, quod plurimi ex illis non intelligunt; religiosi non tenentur operari manibus. Remenses annot. 2. Thess. 2. sect. 2. *Abeliani* non sunt usi *consuetudine uxorum*, Augustinus haeres. 87. Sic Pontificii statuunt, quod *sacerdotes ante suam ordinationem maritati non debeant ad uxores suas accedere, quamvis sint adhuc eorum uxores*, Remens. Act. 21. sect. 1. **
17. Origeni tribuunt veteres, quod statuerit, *impios* 17. Origenis.
tandem esse servandos. Huic errori non dissimilis est opinio Catharini in comment. Hebr. 1. et in comm. 2. Petr. 3. *quod terra post diem judicii sit renovanda, ut sit habitaculum illorum hominum, qui nec coelo, nec inferno digni sint.* 18. De *Me-* 18. Meletianorum.
letianis refert Theodoretus lib. 4. haeret. fab. eos *in suis sacris multis usos esse tintinnabulis ad Deum placandum et deprecandum.* Eandem vim Pontificii tribuunt campanis consecratis, quod sonitus earum daemonas pellat et fulgura avertat. *19. No-* 19. Novatianorum.
vatiani docebant, perpetuo dubitandum esse de remissione peccatorum, quia exceptis gravioribus se dicebant veniam relaxare duntaxat levioribus, *ac soli Deo remittendorum criminum potestatem servatam esse*, Ambrosius lib. 1. de poenit. c. 2. et lib. 2. c. 5. Dogma dubitationis itidem stabilitum in concilio Tridentino sess 6. c. 9. ** Recusabant eos recipere, qui relapsi erant in idololatriam seu haeresin. Sic apud Pontificios relapsi in haeresin sunt curiae seculari tradendi, licet poeniteat eos et ad fidem redeant, Sext. decret. lib. 5. tit. 2. c. 4. Alex. IV. ** Novatiani etiam se puros et mundos dicebant, unde se ipsos *Catharos* gloriosissimo nomine appellabant,

Digitized by Google

Augustinus de haeres. ad Quodvultd. c. 38. Sic monachi Pontificii persuasione perfectionis superbiunt. Novatiani damnabant *secundas nuptias*, Augustinus l. d. Iisdem parum aequi sunt Pontificii, qui benedictionem ecclesiasticam illis denegant. ** Succedant his *Bonosiani*, qui Christum adoptivum Dei filium dixerunt, c. 39. caus. 24. q. 3. Pontificii affirmant, quod Christus pro se ipso sit meritus. *Beguardini*, qui affirmabant, *1. animam non indigere lumine ipsam elevante ad Deum*, Clement. lib. 5. tit. 3. c. 3. Quidam ex Pontificiis docent, quod gentiles in Christum crediderint ex proprio arbitrio. *2. Hominem hic perfectum esse posse*, Clement. ibid. Pontificii dicunt, quod homini possibile sit perfecte Dei mandata observare. 3. *Spiritualem humanae obedientiae non esse subjectum.* Clement. ibid. Pontificii dicunt, quod papa non sit subjectus ulli judicio. *Ebionitae*, qui observabant ceremonias legis veteris una cum evangelio, unde notati sunt haereseos, c. 39. caus. 24. q. 3. Papistae ex lege veteri et ritibus ethnicorum mutuati sunt incensionem thuris, lotiones, oleum, sal, cinerem, vestimenta, instrumenta etc. *Nicolaitani*, qui *praeferebant impuras concubinas honestis uxoribus*. Papistae in sacerdotibus concubinatum tolerant, conjugium prohibent,
20. Samosateni XI. 371. c. 4. dist. 34. ** *20. Samosatenus* hoc nomine ab ecclesia damnatus, quod docuerit in Christo, *τὰς δύω φύσεις παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι πρὸς ἑαυτάς*. Eundem errorem Jesuitae omnem realem idiomatum divinorum communicationem carni Christi factam
21. Manichaeorum. esse negantes ex orco revocant. *21. Manichaei* auditoribus suis ut plebeis et imperfectioribus concedebant usum conjugii, electis vero suis tanquam perfectioribus omnino interdicebant, Augustinus epist. 74. Sic Pontificii in laicis nuptias ferunt, sed in sacerdotibus et monachis, quos in statu perfectionis constitutos censent, eas omnino improbant. Manichaei *Christi quidem corpus in sacra communicatione accipiunt*, *sanguinem autem redemtionis haurire omnino declinant*, Leo serm. 4. quadrages. Pontificii non solum idem faciunt, sed etiam idem faciendum praecipiunt. Manichaei a matrimonio abhorrebant, interim variis libidinibus sese polluebant, unde Augustinus lib. 2. de morib. eccles. et Manich. c. 31. scribit, *quod non concubitum*, *sed nuptias prohibeant.* Idem fieri a plurimis in papatu sacrificulis, testatur orator ducis Bavariae in concilio Tridentino: *Clerus noster propter libidinem nimis liberam ac notoriam nunc infamis habetur.* Manichaei duo statuebant principia eaque coaeterna, Augustinus de haeres. c. 46. cum quo ex parte convenit, quod August. Steuchus in cosmop. in princ. Genes. scribit, *coelum empyraeum fuisse Deo coaeternum.* At si fuit aeternum, fuit utique principium. ** Manichaei faciebant se *salvatores Christi*, docebant enim, *quod membra Christi essent dispersa ubicunque*, *et quod in suo cibo et potu ipsi liberarent membra Christi*, *quae essent colligata creaturis. Tales* (inquit Augustinus) *sunt electi eorum, ut non sint salvandi a Deo*, *sed salvatores Dei*, *liberant enim membra Christi*, *cum manducant.* Pontificii se faciunt creatores sui creatoris et panem in corpus Christi se convertere dicunt. De illis Augustinus lib. 2. de moribus Manich. c. 13: *A regula sanctitatis non videbatur excidisse homo boletos*, *orizam*, *tubera*, *placentas*, *piper*, *laser distento ventre cum gratulatione ructans; at certo supplicio addicebatur homo parcus et frugi*, *cui coenanti oluscula cum exiguo lardo apponebantur.* In eo est differentia, quod Manichaei putabant, *carnes esse impuras ex creatione*, Pontificii *ratione maledictionis. Nam Deus maledixit terrae et non aquis*, *et ideo diebus jejuniorum praeferuntur pisces carnibus*, Durandus lib. 6. c. de aliis jejuniis. ** Manichaei jejunium constituebant in delectu ciborum, *abstinebant a carnibus*, *interim deliciis circumfluebant*, Augustinus lib. 2. de morib. eccles. c. 31. Idem fieri a Pontificiis testatur praxis. Azorius lib. 7. instit. c. 21: *Certe negari non potest*, *consueta Christianorum jejunia carnium esu et vini potu caruisse; at vero jam in more positum est*, *ut cum piscibus*, *herbis*, *fructibus vino similiter utamur.* Manichaei electos suos simpliciter ab esu carnium arcebant, Augustinus lib. 30. contra Faust c. 5. Sic qui inter Pontificios perfectiores videri volunt, ab esu carnium abstinent, ut de Carthusiensibus constat. Franc. de Victoria in suis relectionibus contendit, *si Carthusiensis monachus vitam suam carnibus gustatis posset conservare, ob votum tamen satius esse mortem obire*, *quam illicito carnium esu vitam tueri.* Si excipere velint, *Manichaeos propterea a carnibus abstinuisse, quod eas immundas et abominandas judicarent*, se vero ex alia causa ab earum usu abstinere, notandum, quod *22. Eustathius* Sebastiae in XI. 372
Armenia episcopus ob prohibitionem esus carnium 22. Eustathii.
in concilio Gangrensi fuit damnatus, qui tamen eas nequaquam cum Manichaeis immundas judicabat, sed ob accuratiorem, exactiorem et exquisitiorem disciplinam ab illis abstinendum dicebat, sic enim de illo memorat Sozomenus lib. 3. hist. c. 13. quod in synodo Gangrensi sententiam suam hoc modo exposuerit, *non contumaciae aut arrogantiae*, *sed religiosae exercitationis gratia talia a se esse instituta.* Quodsi ergo non in Manichaeo, tamen in Eustathio damnati sunt Pontificii. ** *Hemerobaptistae* quotidie lavabantur, teste Epiphanio haeres. 17. item Niceta in thesauro libr. 1. cap. 41. Papistae singulis diebus adspergunt se aqua lustrali ad purgationes peccatorum, quae venialia appellant. *Marcosii* in administratione baptismi *Hebraica nomina superfabantur*, ait Irenaeus libr. 1. cap. 18. *ut stupori essent*, vel ut ait Epiphanius haeres. 34. *quo magis admirationi essent iis*, *qui initiabantur.* Papistae usurpant linguam initiatis plerumque non intellectam, nec testibus assistentibus, ut majestatem concilient rebus sacris, ut causantur; et in baptismi administratione verba quaedam Hebraica. Iidem baptizatos inungebant opobalsamo, quod unguentum typum esse dicebant, Irenaeus libr. 1. c. 18.

Digitized by Google

Pontificii itidem *inungunt baptizatos, ut donis Spiritus s. repleti Deo et hominibus pacificentur*, ait Durandus lib. 6. ration. c. 67. Marcosius apud Epiphanium haeres. 34. *pocula vino mixta simulans se gratias agere et diutius extendens sermonem invocationis purpurea et rubicunda apparere faciebat, ut putaretur gratia ab his, quae sunt super universa, sanguinem suum instillare in illud poculum per invocationem ipsius, φάσι μεταβάλλεσθαι εὐθὺς τὸ μὲν ἐρυθρὸν ὡς αἷμα.* Papistae etiam finxerunt transsubstantiationem panis et vini et gratiam alligarunt

23. Priscillianistarum. sacramentis. ** 23. De *Priscillianistis* refert Epiphanius haeres. 49. *quod revelationes Christi* jactarint. Idem in papatu a multis factitatum. ** Augustinus lib. de mendac. c. 2. et de haeres. ad Quodvultd. c. 70. refert, Priscillianistas olim docuisse, *in corde retinendum esse quod verum est, ore autem ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum.* Item *negandum esse Christum, ut possit inter inimicos latere Christianus.* Priscillianistae statuebant, *licere aliquando mentiri*, teste Sixto Senensi lib. 3. biblioth. et Maldonato comm. in Luc. 24, v. 35. Aut ergo Jesuitae ab hac tetra haeresi serio resipiscant, aut cum Priscillianistis sint damnati haeretici. ** De iisdem refert Augustinus de haeres. c. 70. quod in suis dogmatibus habuerint haec verba: *jura, perjura, secretum prodere noli.* Idem fieri a Jesuitis testatur praxis, unde sacerdotes Wisbycenses in epistola ad Generosum quendam Catholicum sic loquuntur: *Ars est nostrorum Jesuitarum, ut in juramentis suis magistratus illudant.* ** Priscillianistae libros apocryphos fecerunt aequalis auctoritatis cum s. Scriptura, Augustinus haeres. 70. Pontificii non solum libros apocryphos, sed etiam traditiones verbo Dei addunt. ** Priscillianistae etiam conjugium ceu statum carnalem repudiabant, unde conjuges disjungebant, Augustinus l. d. ** *Conjuges*, inquit, *quibus hoc malum poterat persuadere, disjungebat et viros a nolentibus feminis et feminas a nolentibus viris.* Bellarminus lib. 2. de monach. c. 38. *matrimonium ratum non consummatum per solennem religionis professionem alterius conjugium dirimi ac repugnantem conjugem posse cogi, ut faciat, quod facere tenetur*, id est, ut liberam dimittat partem, quam solennem vovit. ** Ita quoque Siricius conjugium sacerdotum prohibiturus eo accommodat sententias Scripturae: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Coinquinatis et infidelibus nihil est mundum.* ** Acephali apud Nicephorum lib. 18. c. 45: *Communionem* (eucharistiam) *a plurimo tempore asservatam habentes feriis paschalibus in minutissimas incisam partes convenientibus ad se hominibus dederunt.* Ab ipsis didicerunt Pontificii eucharistiam diu asservare et communionem semel in anno tantum populo communiter exhibere feriis pa-

XI. 373. 24. Donatistarum. schalibus. ** *24. Donatistae ** ecclesiam alligabant parti Donati ad exclusionem reliquorum omnium coetuum;* Papistae soli parti pontificis nomen et rem ecclesiae alligant. Iidem ** rebaptizabant ab haereticis baptizatos, Augustinus de haeres. c. 69. Quibus affines sunt *Agrippiniani* ab Agrippino Carthaginensi episcopo sic dicti, qui censebant rebaptizandos eos, qui ab ecclesia catholica deficientes ad haereticos ab iis sana mente recepta ad ecclesiam rediissent, Pappus in epit. hist. eccles. p. 260. Illos imitati sunt quidam ex Pontificiis, qui in Belgio et Gallia superiori seculo infantes a ministris illarum ecclesiarum baptizatos rebaptizarunt. Donatistae ecclesiam certo loco alligabant. Idem faciunt Papistae, quando pro ecclesia catholica, quae est omnium locorum, Romanam reponunt. Donatistae vim verbi et sacramentorum a dignitate ministri suspendebant. Sic quidam ex Pontificiis disputant, *verbum Dei nisi praedicetur a ministro catholico et legitime vocato, non esse verbum Dei, sed verbum diaboli, ac non modo non salutem, sed etiam perniciem afferre.* ** Non praetermittamus *Apostolicos, qui arrogantissime se isto nomine vocaverunt*, ait Augustinus de haeres. c. 40. *hi in suam communionem non recipiebant utentes conjugibus et res proprias possidentes, nullam spem putabant eos habere, qui utuntur rebus, quibus ipsi carebant.* Monachi Pontificii arrogantissime commendant vitae suae genus tanquam apostolicum, imo et angelicum. Omnium arrogantiam superant, qui non apostolicos, sed apostolos se ipsos nominarunt in Lusitania, et ubique se Jesuitas appellant, quasi ipsius Jesu socios. *Ethnophrones* apud Damascenum in catal. haeres. et Nicetam thes. orth. fid. lib. 4. haeres. 42. habentur haeretici, quia cum gentium instituta sequerentur, in aliis erant Christiani, *gentilium rituum et superstitionum imitatores.* Papistae in omnibus fere ceremoniis suis sunt Ethnophrones, ut superius ostendimus. ** *25. Pelagiani ἐπιβάλλον μέρος* haud exiguum 25. Pelagianorum.
ad papalem fidem contulerunt. Ut enim colligitur ex Hieronymi, Augustini et aliorum libris contra ipsos editis docuerunt Pelagiani primo *peccatum Adae non transire in posteros nisi tantum reatu.* Idem docuerunt Ambrosius Cathar. lib. de laps. hom. et pecc. orig. c. 6. anno 1542. edito et Piggius controv. 1. de pecc. orig. ubi statuunt, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primaevam sine aliquo vitio proprio et inhaerente naturae devincti teneantur*, quam sententiam Bellarminus lib. 5. de stat. pecc. c. 6. mollissime vocat *minus rectam.* Idem ante Catharinum et Piggium docuit Scotus 4. sent. dist. 14. q. 1. art. 1. ac Gabr. Biel ibid. q. 1. art. 1. not. 1. ubi disputant, *nudum modo reatum poenae post quamlibet nefariam actionem in flagitiosis hominibus reliquum esse neque alia de causa dici peccatores, quam quia aeternae sint damnationis rei.* Ac Durandus de S. Porciano sine circuitione scribit 2. sent. dist. 30. qu. 3. originale peccatum *nihil aliud esse quam merum reatum.* Secundo, *parvulos non trahere nec habere a parentibus originale peccatum.* Idem docet Ruard. Tapperus in art. 2. de pecc. orig. ubi scribit, *in parvulo recens nato nihil inveniri, quod vere et proprie peccati rationem ha-*

Digitized by Google

beat. Cornel canon. Colon. tom. 2. animadv. disputat, peccatum originale non esse proprie peccatum, *cum non sit defectus perfectionis homini necessariae ad beatitudinem, pravitatem non esse hereditariam nec a parentibus in liberos transmitti posse, cum sint purgati* etc. Quomodo etiam Scholastici et Pontificii, atque inter hos Bellarminus variis hypothesibus peccatum originis partim extenuent, partim etiam negent, ostendimus tract. de pecc. orig. §. 58. et 59. Tertio, *concupiscentiam fuisse etiam in natura integra ante lapsum.* Idem docet catech. Romanus p. 848. et Jesuitae omnes. Quarto, *posse hominem in hac vita legem Dei perfecte implere.* Idem definitum in concil. Trid. sess. 6. c. 11. et can. 18. Quinto, *hominem etiam post lapsum praeditum esse libero arbitrio in spiritualibus.* ** Faustus Regiensis episcopus in veteri ecclesia haereticus habitus fuit et libri ejus de gratia et libero arbitrio a Fulgentio refutati fuerunt, ut qui continerent errores Pelagianos. Sic enim Isidorus Hispalensis de script. eccles. c. 14: *Legimus de gratia Dei et libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Galliae Regiensis urbis episcopo pravitati Pelagianae consentienti respondens obnititur ejus profundam destruere calliditatem.* Sed Bellarminus lib. 3. de grat. et lib. arb. c. 1. §. Ex Latinis etc. numerat Faustum *inter auctores catholicos, qui pro defensione liberi arbitrii scripserunt.***
XI. 374. Et idem hoc totis viribus propugnant Pontificii. In eo tamen est quaedam differentia, quod Pontificii libero arbitrio conjungunt gratiam, quam Pelagiani excludebant. ** Augustinus ad Quodvultd. c. 88: *In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum et ex his ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga, quasi non Christi ecclesia sit, quae in toto terrarum orbe clamat ad Deum: dimitte nobis debita nostra.* Ibidem: *Pelagiani dicebant, quod gratia solummodo data sit hominibus hoc fine, ut facilius agant ea, quae ipsis mandata sunt, per proprium suum liberum arbitrium.*** Sexto, *hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere super omnia.* Eandem doctrinam propugnant Biel 3. sent. dist. 27. q. 1. art. 3. dub. 1. Tapperus de lib. arbit p. 291. Andradius lib. 3. orth. explic. p. 292. Septimo, *naturalia in homine etiam post lapsum mansisse integra.* Idem est commune Scholasticorum pronuntiatum, Biel 2. sent. dist. 30. q. 1. art. 3. dub. 4. scribit, *rectitudinem voluntatis non corrumpi per peccatum.* Octavo, *meritis operum nostrorum dari gratiam.* Id ipsum docent Scholastici, *quando meritum de congruo* propugnant. Biel 2. sent. dist. 27. q. 1. art. 1. can. 1. Eccius in enchir. c. 30. Dictum Christi, *si quis me amat, diligetur a Patre meo*, ita exponit Vincent. Dom. 4. adv.: *Si quis me amat per amorem naturalem, diligetur a Patre meo per gratiam.* Bellarminus lib. 1. de justif. c. 21: *Non videmus, cur dispositionibus ad justificationem, quae ex gratia fiunt, non tribuatur nomen meriti cum additione ex congruo.* Nono, *operibus vitam aeternam promerendam esse.* Idem statuit concil. Trident. sess. 6. c. 16. et can. 32. Decimo, *Adamum fuisse moriturum, si vel maxime non peccasset.* Id quidem non docent omnes Pontificii, interim Aug. Steuchus annot. in c. 2. Genes. illud amplectitur docens, *mortem esse naturalem, peccatum non esse ejus causam* etc. Undecimo, *gentes potuisse ex philosophia et lumine naturae Deum cognoscere ac salvari.* Augustinus lib. 1. ad Bonifac. c. 21: *Distribuitis tempora et ante legem dicitis, salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum* etc. Idem propugnant Andradius lib. 3. orth. explic. Latomus, Tannerus, Erasmus. Duodecimo, *homines praedestinari propter opera*, in qua haeresi multos Scholasticos et Pontificios haerere scribit Catharinus in c. 8. Rom. Decimo tertio, *multa axiomata et multae hypotheses* Pelagianis ac Pontificiis sunt communes. *Praestantibus quod in se est, non deest gratia divina. Voluntas humana ex suis naturalibus potest se disponere ad gratiam. Liberum arbitrium ex se potest quodlibet novum peccatum cavere. Homo per liberum arbitrium ex suis naturalibus potest praecepta divina quoad substantiam actus implere. Nullum est peccatum nisi sit voluntarium* etc. *Hominem dici injustum comparatione facta ad Deum.* 26. *Nestoriani* unitatem personae in Christo dissolverunt, uti notum ex concilio Ephesino. Huic errori fomenta subministrant Jesuitae variis modis. 26 Nestorianorum haeresis.

Primo, dum unionis personalis formale constituunt in gestatione et sustentatione, quem Thomisticum errorem refellit Lutherus in lib. de concil. et eccles. ac propter illum recte statuit, multos Nestorianos esse in papatu. Secundo, dum negant, Christum secundum humanam naturam per et propter unionem personalem esse Filium Dei. Gregorius de Valent. in defens. disput. contra fundam. ubiquit. p. 42. Ac Scholastici propositiones personales: *Filius Mariae est Filius Dei; Christus homo est Deus*, resolvunt hoc modo: Filius Dei, qui sustentat humanam naturam, est Deus, quam analysin Nestorius haudquaquam improbasset. Tertio, dum *Λόγον* assumentem XI. 375.
humanam naturam conferunt cum rege, qui purpuram induit, Bellarminus lib. 3. de Christo c. 15. Quarto, dum *Λόγον extra carnem* collocant, cum tamen Scriptura unionem personalem definiat inhabitatione totius plenitudinis divinitatis in assumto corpore, Coloss. 2, v. 9. Bellarminus lib. 3. de Christo c. 17: *Licet alicubi sit Verbum, ubi non est humanitas, tamen etiam ibi Verbum est homo, quia Verbum ibi existens sustentat humanitatem.* At hac ratione Nestorianismo sese extricaturus eidem sese magis involvit, praesupponit enim, quod *Λόγον* personaliter sibi unire carnem nihil aliud sit quam *Λόγον* sustentare carnem licet alibi existentem. Atqui de omnibus creaturis affirmari potest, quod ab hypostasi *Λόγου* sustententur. Quinto, dum realem idiomatum communicationem hostiliter impugnant; jam vero negata naturarum et idiomatum communicatione, tanquam necessario consequente, negatur

Digitized by Google

ipsa unio ut immediatum antecedens, unde patres Ephesini contra Nestorium hoc modo concludebant: Quisquis negat Christi carnem vivificam et vivificatricem, is solvit unionem. Illud facit Nestorius; ergo et hoc facere censendus. Idem judicium fit de Jesuitis. Sexto, dum divinitatem ab operibus mediationis excludunt disputantes, Christum secundum humanam duntaxat naturam opera mediatoris perficere. Bellarminus in judicio de lib. conc. p. 7. Busaeus in thesibus contra Gerlachium etc. Jam vero qui negant unionis personalis proprium finem, negant ipsam unionem personalem. Jesuitae negant proprium finem personalis unionis, qui est opera mediatoris facere. Ergo convincuntur ipsam unionem personalem negare. Septimo, dum Christum secundum humanam naturam negant una adoratione cum Patre et Spiritu s. adorandum, sed humanitati Christi ὑπερδουλείαν, non autem λατρείαν tribuunt. ** *Sampsaei* referente Epiphanio haeres. 19. et Niceta lib. 4. thesauri orth. fidei haeres. 25. 25. studiose asservabant pulverem pedum duarum mulierculaгum, quas adorabant, quae *Martha* et *Marthana* dicebantur, vel ut est apud Nicetam *Maltho* et *Malthano*, quarum etiam sputa et reliquas corporis sordes auferebant, in auxilium videlicet morborum. Similiter Papistae in eundem finem abutuntur calceis, pectinibus, braccis etc. sanctorum suorum. Henr. Sedulius Franciscanus Antwerpiensis in apol. pro Alcor. Franc. pag. 244: *Ungues Francisci tentationes propellunt, sputo puellam illuminavit, lotura pedum et manuum morti proxima animalia vivificavit.* **

Messalianorum haeresis. 27. *Messaliani*, qui et *Euchitae* dicti, semper sibi orandum esse censuerunt, Augustinus de haeres. c. 57. Ac Theodoretus lib. 4. histor. c. 11. de illis scribit, quod *post cantillationes suas absolutas, quas certo numero certisque horis tanquam pensum persolvebant, toto die reliquo otiosi fuerint*, cum quo convenit, quod Augustinus l. d. addit, *Euchitas fuisse opinatos, non licere monachis sustentandae vitae suae causa aliquid operari.* Illos Pontificii monachi strenue aemulantur. Pappus **ex Theodoreto in epitom. decret. divin. c. de baptismo** in epit. histor. eccles. pag. 313. Messalianis tribuit, quod *exercitiis orationum salutem animae acceptam retulerint ac baptismi vim ad praecedentia tantum peccata, non autem ad futura abolenda et remittenda in utroque valere statuerint*, in quo consentientes habent Pontificios. Bellarminus libr. 1. de bapt. c. 18. ** *Messaliani* teste Epiphanio haeres. 80. *ecclesias et adoratoria sibi ipsis fecerunt et ad vesperam et mane multis lucernis et luminibus incensis congregabantur* etc. *extendebant manum ac petebant velut victu carentes et nihil possidentes. Item sacco conspicuo induti incedebant.* Papistae omnes in matutinis, quas vocant, et vesperis cum lucernis et luminibus incensis congregantur, imo pleno die. Omnes monachi profitentur, se nihil possidere; mendicantes omnes petunt ostiatim, tanquam victu carentes. Capucini, Recollecti et similes cum sacco conspicuo incedunt et manum etiam extendunt, ut petant, in eumque finem manticam humeris gestant. Pontificii imitantur Euchitas, praesertim monachi, professi religionem, *quae filo insertis numerat sua munera baccis*, ut loquitur Baptista Mantuan. de gestis Alphonsi lib. 4 Sed non omittendi hic *Circumcelliones*, qui referente Augustino lib. 3. contra Crescon. c. 42. *horrendis armati cujusque generis telis terribiliter vagando, non dico ecclesiasticos, sed ipsam humanum quietem pacemque perturbant* etc. *novo et antea inaudito sceleris genere calcem aceto permixtam oculis infundentes.* Quid a Pontificiis opera inquisitorum fiat, omnibus notum est, ibi equulei, ignes, rotae, laquei, gladii sunt argumenta adversus eos, qui deprehenduntur contra errores pontificios vel obloqui, vel etiam sentire. Itemque *Osseni* et *Elcesaitae*, qui lingua incognita orabant. *Nemo*, inquiebat Elxai, *quaerat interpretationem, sed solummodo in oratione haec dicat*, apud Epiphanium haeres. 19. Inter Papistas vulgus ordinarie incognita sibi lingua preces suas demurmurat. Cultus publicus fit lingua maximae populi parti incognita. **

28. Collyridianorum. 28. *Collyridiani* Mariam θεοτόκον adorabant eique collyridas seu placentulas offerebant, imaginem ejus circumgestabant et honorando colebant, Epiphanius lib. 3. contra haeres. tom. 2. haeres. 79. quibus Epiphanius hoc opponit: *Sit in honore Maria, Pater, Filius et Spiritus sanctus adoretur, Mariam nemo adoret.* XI. 376. Hunc errorem Collyridianorum papatus jampridem sibi fecit proprium. Alexander Alensis totum psalterium ad Beatam Mariam accommodavit pro nomine *Dei* ubique substituto nomine *Mariae*. In templis suis adhuc hodie illi acclamant: *Jube Filio felix puerpera, jure matris impera redemtori*, ut merito conqueratur Cassander in consult. art. 21. *eo deventum esse, ut Christus etiam in coelo regnans matri subjiciatur.* Item, *celebres quosdam viros dixisse, quod Deus regni sui, quod ex justitia et misericordia constat, dimidium, id est misericordiam, in Mariam transtulerit, ut si quis a Filio, qui ad dextram Patris sedet, terreatur, quia judex est, matrem adeat, quia medicina est.* Bellarminus et Gregorius de Valent. solent tractatibus suis hanc doxologiam subjicere: *Gloria Deo et B. Mariae Virgini Dominae nostrae, item Jesu Christo.* Tursellinus Jesuita in epistola dedic. histor. Lauret.: *Matrem suam praepotens ille Deus divinae majestatis potestatisque sociam, quatenus licuit, adscivit* etc. *huic coelestium mortaliumque principatum detulit, ad hujus arbitrium (quoad hominum tutela postulat) terras, mare, coelum naturamque totam moderatur, hac annuente et per hanc divinos thesauros mortalibus et coelestia dona largitur.* Osorius Jesuita tom. 5. dom. 4. Epiph. §. Voluit: *Cui Beatam Mariam comparemus? non Evae, non Sarae, nec Racheli, nec Esther, nec lunae, nec soli; cui igitur? plane Deo bona omnia continenti.* Quae omnia manifeste probant, divinos honores Mariae a Pontificiis deferri.

29. Petri Gnaphei. 29. De *Petro Gnapheo* presbytero Chalcedonensi in quinta universali synodo hae-

Digitized by Google

reseos damnato refert Nicephorus libr. 15. histor. c. 28. quod *auctor fuerit miscendae invocationis sanctorum inter publicas ecclesiae preces et ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur divinumque ejus nomen invocaretur.* Illud in suis precibus adhuc observant Pontificii. 30. De *Armeniis* scribit idem Nicephorus lib. 18. histor. c. 54. quod *crucem adorare et colere* dicantur, unde eos vocat *Staurolatras et Chazinzarios*, quia chazus apud eos crucem significat. Idem fit a Pontificiis, qui latrias cultum cruci deferendum esse statuunt. Thomas part. 3. quaest. 25. art. 3: *Illi exhibemus latriae cultum, in quo ponimus spem salutis, sed in cruce Christi ponimus spem salutis, cantat enim ecclesia: O crux ave spes unica, Hoc passionis tempore, Auge piis justitiam Regisque dona veniam. Ergo crux Christi adoranda est adoratione latriae.* Thomae adstipulatur Alensis part. 3. quaest. 3. membr. 3. art. 3. Albertus 3. sentent. distinct. 9. art. 4. Bonaventura distinct. ead. qu. 2. art. 1. etc. ex recentioribus Cajetanus in Thom. part. 3. qu. 25. art. 3. Gregorius de Valentia tom. 3. disputat. 6. qu. 11. punct. 6. Costerus in enchirid. pag. 438.

30. Armeniorum

31. Nudipedalium. *31. Nudipedales* ambulabant nudis pedibus, Augustinus de haeres. cap. 68. illos imitantur monachi Franciscani.

32. Pattalorynchitarum. *32. Pattalorynchitae* semper silentio studebant, Philasterius haeres. 76. Augustinus de

XI. 377. haeres. cap. 63. Illos imitantur Carthusiani, qui prae studio silentii ne quidem salutati respondent aut gratias agunt.

33. Mirabiliariorum. *33. Mirabiliarios* Augustinus vocat eos, qui miraculorum vel a se vel ab aliis editorum praetextu errores novos invexerunt vel veteres renovarunt. tract. 113. in Johann.: *Contra istos* (inquit) *Mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens: in novissimis diebus exsurgent pseudoprophetae.* Atqui Papistae ex miraculis suas superstitiones et idololatricos cultus stabiliunt.

34. Gnosimachorum. *34. Gnosimachi* omne studium cognitionis in Christianis hominibus aspernantur, unde et nomen illud sortiti sunt, Damascenus de haeres. Ad classem illorum pertinent monachi pontificii, qui se *Fratres ignorantiae* vocarunt, quibus perpetuo in ore illud apostolicum: *Litera occidit* 2. Cor. 3, v. 6. quorum ordo primum ab aliis fuit sejunctus, nunc vero omnibus immixtus, quos poëta lepido hoc epigrammate perstringit:

Cavisti bene tu, ne te ulla occidere possit
Litera, nam nulla est litera nota tibi.

** Gnosimachi igitur apud Nicetam thes. orthod. fidei lib. 4. haeres. 39. cuivis Christianismi cognitioni et scientiae resistebant illosque frustra laborare asserebant, qui in sacris literis scientiam ullam aut cognitionem investigabant, cum praesertim a Christianis Deus nihil praeter opera bona requirat. Itaque aliquem simplici rudique animo institutum suum persequi melius esse, quam multam curam in cognoscendis decretis et scientiis ponere. Papistae laicis interdicunt Scripturarum lectione et ordinem fratrum ignorantium statuerunt. **

35. Christianocategororum. *35. Christianocategori* imaginibus divinos honores decernebant eoque efficiebant, ut Christiani tanquam idolorum cultores accusarentur, unde et nomen illud acceperunt, Damascenus de haeres. circa fin. Pontificii itidem superstitioso imaginum cultu occasionem dant, ut Christiani a Turcis habeantur pro idololatris. Possent hujusmodi plura commemorari, ex quibus manifeste conspicitur, in papatum varias haereses velut sentinam confluxisse. Est autem alia quaedam haeresis pestilentior reliquis omnibus et multarum haeresium caput, fons et origo, quam Pontificii jampridem sibi fecerunt propriam, quod scilicet Romanus pontifex non possit errare. Hac enim hypothesi semel recepta et seposito plane Pontificiorum decretorum examine divinitus praecepto, quid tam haereticum ac erroneum excogitari potest, quod non promtissime recipiatur, imo et recipi necessarium judicetur? Monuit id jam olim Athanasius ad Eustathium praescribens contra eos, qui jubent credere, quae ipsi dicunt, et non prospicere, deceat, an non deceat. *Istorum haeresin*, inquit, *cunctas haereses renovare et cunctas superare. Jubent isti*, ait, *accipere simpliciter quae dicuntur, ut nemo exquirat, quid in iis aut decens aut indecens sit, non expendat quid utile, quid proposito dignum, quid cum veritate concordans.*

SECTIO VII. XII. 1.

DE SEPTIMA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, VIDELICET UNIO MEMBRORUM INTER SE ET CUM CAPITE.

231. *Membrum primum.* Sitne unio membrorum inter se et cum capite propria et genuina ecclesiae nota? Respondemus: 1. Ecclesiam esse *unam* ex symbolo apostolico et Nicaeno confitemur, cujus unitatis rationes exposuimus superius §. 34. inter quas eminet *unitas fidei et doctrinae* Ephes. 4, v. 5. An unio membrorum inter se et cum capite sit nota ecclesiae.

2. Unitas ergo per se non est nota ecclesiae, sed oportet eam esse cum fide et doctrina conjunctam, Ephes. 4, v. 5: *Unus dominus, una fides;* v. 13: *donec occurramus in unitatem fidei.* Athanasius in epist. ad Antioch. *Vera duntaxat concordia est, quae est fidei, sine qua dissensio optima, concordia perniciosissima*, ut scribit Gregorius Nazianzenus orat. 1. de pace. 3. Nec quaevis fidei et doctrinae unitas est ecclesiae nota, sed *unitas verae fidei et doctrinae,* id est propheticae et apostolicae doctrinae, ea enim sola est immotae ac perpetuae veritatis. Oportet igitur unitatem fidei, quae est ecclesiae nota, niti uno doctrinae et apostolicae fundamento, unde ecclesia dicitur *superaedificata super fundamentum prophetarum et apostolorum* Ephes. 2, v. 20. ac de coelesti Hierosolyma dicitur, *quod murus illius habeat fundamenta duodecim et in illis nomina duodecim apostolorum agni*, Apoc. 21, v. 14. inde Zachar. 8, v. 19. *veritas et pax* conjunguntur,

Digitized by Google

imo veritas paci praeponitur, ut intelligamus, eam demum pacem, concordiam et unitatem Deo probari, quae fundamento et vinculo veritatis gaudet, Joh. 8, v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Joh. 17, v. 21: *Ut sint in nobis unum.* 4. Quamvis ergo vera ecclesia sit una et vera ejus membra in una religione consentiant, ex eo tamen non potest inferri, quod ubicunque est unitas et consensio in religione, ibi statim sit vera et apostolica ecclesia. Est enim duplex unitas docente Thoma in c. 4. Ephes. lect. 1: *Una bona, altera mala; una spiritus, altera carnis. Pietatis unitas est recte credere, impietatis unitas male credere,* ut Ambrosius alicubi loquitur. Ut Dei est una ecclesia, ita diaboli est una Babylon. *Si Satanas*
XII. 2. *adversus se divisus est*, inquit Christus Matth. 12, v. 25. *quomodo stabit regnum ejus?* Unitas erat inter eos, qui vitulum aureum fabricari postulabant, Exod. 32. Omnes Baalitici sacerdotes contra Eliam et Michaeam conspirabant; tempore Jeremiae totus populus contra verum Dei cultum conspirabat; Christus communi consilio sacerdotum et seniorum ac totius populi suffragio ad mortem condemnatus est; contra Paulum tota civitas Ephesiorum insurgebat; post Christi adscensionem Judaei et gentiles contra Christi ecclesiam pugnabant; haeretici licet ab aliis discrepent, tamen in una haeresi consentiunt. De Antichristo praedictum Apoc. 13, v. 16: *Facit omnes pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos habere characterem in dexta manu sua;* in quem locum sic commentatur Ribera Jesuita: *Significat apostolus infinitam multitudinem eorum, qui Antichristo adhaerebunt* (utique concorditer et pacifice). Quae omnia ostendunt, unitatem non quamvis, sed unitatem fidei et doctrinae, neque quamvis in fide et doctrina unitatem, sed in vera apostolica doctrina et vere catholica fide unitatem esse ecclesiae notam. 5. Quo pertinent dicta veterum, in quibus unitatem ex fidei veritate aestimandam esse docent. Cyprianus lib. de unit. ecclesiae *ecclesiam* dicit *esse unam, sicut est unum solis lumen, etsi multi sunt radii; una arbor, etsi multi rami; unus fons, etsi multi rivuli, quia unitas servatur in origine*, ubi per originem intelligit Christum et Christi doctrinam. **Pagani objecerunt olim Christianis, *non vigere inter ipsos fidei unitatem.* Augustinus libr. de ovibus c. 15: *Hoc solum illis* (maledicis) *remansit, quod contra nos dicant: Quare inter vos non consentitis? Gentiles pagani, qui remanserunt, non habentes quod dicant contra Christi nomen, dissensionem Christianorum Christianis objiciunt.* Clemens Alexand. lib. 7. Stromat.: *Primum ergo hoc adversus nos adducunt dicentes, non oportere credere propter dissensionem haeresium. Retardatur enim ac differtur veritas, dum alii alia dogmata constituunt. Ad quos dicimus, quod et apud vos Judaeos et apud eos, qui inter Graecos fuere in maxima existimatione philosophos, fuere plurimae haereses* etc.** Cum Auxentius Arianus de unitate Arianorum gloriaretur, respondet illi Hilarius lib. contra Auxent. in princ.: *Speciosum quidem nomen pacis et pulchra opinio unitatis, sed quis ambigat, eam solam ecclesiae atque evangeliorum unitatem pacem esse, quae Christi est?* Postea addit, *Antichristi ministros pace sua, id est impietatis suae unitate, se jactare agentes se non ut Christi episcopos, sed ut Antichristi sacerdotes.* Gregorius Nazianzenus orat. 1. de pace: *κρεῖσσον ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις, melius est dissidium pietatis causa ortum quam vitiosa concordia.* Hieronymus in epistola ad Theophilum adv errores Joh. Hierosolym. tom. 2. p. 185: *Volumus et nos pacem, sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem in qua non sit bellum involutum, pacem quae non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat.* Augustinus cum domin. 2. post octavas paschae de pace et unitate sermon. 1. pacis studium diligenter commendasset, subjungit: *Sed haec pax cum bonis et Dei praecepta servantibus custodienda est, non cum iniquis et sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam proficit; pax quae in diabolo est, ad perpetuam venit perditionem. Pax cum bonis et bellum cum vitiis semper habendum est, mala siquidem impiorum hominum odio habenda est.* Hugo lib. 3. de claustr. anim. c. 9: *Pax alia aestimata scilicet impiorum et hujus mundi, alia simulata diaboli et haereticorum, alia imperata, scilicet ne pugnetur contra haereticos.* 6. Sic ergo contra hanc notam argumentamur. (Argumenta nostrae sententiae.) Quod non convenit verae ecclesiae soli, non est genuina et propria illius nota. Unitas per se considerata sine conjuncta veritate fidei et doctrinae non convenit verae ecclesiae soli. Ergo non est genuina et propria illius nota. Assumtum patet, quia Muhametismus, Arianismus, Judaismus et haereses omnes quandam unitatem obtinent, absque ea namque non constituerent unum corpus, ecclesiam unam; jam vero haeretici in una haeresi consentientes constituunt unum corpus atque ecclesiam unam XII. 3.
licet falsam et haereticam. Augustinus serm. de jejun.: *Pagani colentes multos deos diversos, imo litigantes atque inter se hostili odio ardescentes, tenent tamen in iis qualemcunque unitatem, cum pariter eant ad eorum templa, diis ipsis iratis ipsi concordes sunt.* Joh. Ferus in post. serm. 3. de coen.: *In omnibus gentibus major est nunc concordia quam inter nos Christianos.* 7. Addendum etiam illud, quod unitas fidei et doctrinae in ecclesia in hac vita non sit perfecta et numeris omnibus absoluta, quandoque enim inter verae ecclesiae membra incidunt controversiae, quibus sancta illa unitas scinditur. Distinguendum igitur inter *unitatem absolutam*, perfectam et dissensionis omnis expertem, quae in ecclesia triumphante demum habebit locum, et inter unitatem *fundamentalem*, quae in consensione principalium articulorum consistit, licet de nonnullis fidei capitibus minus principalibus, vel de ceremoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturae locorum controversiae incidant, ac

Digitized by Google

talis est illa unitas, quae in ecclesia militante locum habet, in ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta. *Ex parte enim in hac vita cognoscimus, ex parte prophetamus* 1. Cor. 13, v. 9. Augustinus lib. 15. de civ. Dei c. 5: *Boni et boni, si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem nondumque perfecti ita possunt, ut bonus quisque ex ea parte pugnet contra alterum, qua etiam contra semet ipsum. Et in uno quippe homine caro concupiscit adversus Spiritum et Spiritus adversus carnem. Concupiscentia ergo spiritualis contra alterius potest pugnare carnalem, vel concupiscentia carnalis contra alterius spiritualem, sicut inter se pugnant boni et mali, vel certae ipsae concupiscentiae carnales inter se duorum bonorum nondum utique perfectorum, sicut inter se pugnant mali et mali, donec eorum qui curantur ad ultimam victoriam sanitas perducatur.* Quo in loco Augustinus aperit causam dissidiorum in ecclesia. Vere pii nondum sunt perfecte renovati, sed remanent in illis reliquiae carnis, ergo non perveniunt ad exactam et perfectam mysteriorum fidei notitiam, sed in quibusdam hallucinantur ac titubant. Caro in renatis adhuc pugnat contra Spiritum, facile igitur contingere potest, accedente praesertim diaboli impulsu, ut carnalibus opinionibus indulgentes contentiones in ecclesia excitent, interim nisi accedat pertinacia ac nisi fundamentum fidei convellatur, a corpore ecclesiae propterea non statim separantur. Id ipsum comprobant exempla. *Fratres quidam expostulabant cum Petro, quod ausus fuisset evangelium gentibus praedicare*, Act 11, v. 2. *Paulus in faciem resistebat Petro non recto pede ambulanti ad veritatem*, Gal. 2, v. 11; inter Barnabam et Paulum incidebat παροξυσμός Act. 15, v. 39; in ecclesia Corinthiorum excitata erant schismata, profanatio coenae irrepserat, de adiaphoris odiose contendebant, articulum de resurrectione quidam eorum in dubium vocabant etc. neque tamen Paulus toti coetui ecclesiae nomen propterea derogat, sed scribens ad eos adhuc appellat ecclesiam Dei 1. Cor. 1, v. 2. In ecclesia Galatarum articulus de justificatione corruptelis pseudoapostolorum depravatus erat, interim quia adhuc dociles erant ac quidam adhuc recte sentiebant, ideo coetus Galatarum Paulus adhuc vocat ecclesias Gal. 1, v. 2. Agnoscit hoc ipse Bellarminus lib. 4. de eccles. mil. c. 2. §. Tertio verae: *Ecclesiae Corinthiorum et Galatarum, ad quas scribebat apostolus, verae ecclesiae erant, dicit enim apostolus, se scribere ecclesiis Dei, quae sunt Corinthi vel in Galatia, et tamen arguuntur Corinthii, quod docerent, non futuram esse resurrectionem, et Galatae per totam fere epistolam reprehenduntur, quod docerent, servandam esse legem Moysis cum evangelio.* Tempore Cypriani gravissima contentio erat in ecclesia de baptizandis illis, qui ab haereticis ad ecclesiam redibant, ex utraque parte stabant multi et docti episcopi, utraque

XII. 4. sententia diversarum synodorum decretis et approbata et improbata est, neque enim iis, qui Cyprianum sequebantur, ecclesiae et unitatis nomen ademtum fuit ab illis, qui rectam sententiam tenebant, ac vice versa illis, qui rectam fidem tenebant, non fuit ecclesiae et unitatis nomen ademtum ab illis, qui Cypriano et Africanis episcopis adhaerebant. Tempore Cornelii inter orientales et occidentales ecclesias gravis fuit contentio de tempore celebrandi paschatis. Neque tamen quispiam eorum, qui Polycarpo Smyrnensis ecclesiae episcopo adhaerebant, illis, qui cum Hygino Romanae ecclesiae episcopo faciebant, nomen ecclesiae denegavit, quinimo cum Victor Romanus episcopus dissentientes hoc nomine excommunicaret et ecclesias Asiaticas a corporis unitate abscindere conaretur, graviter hoc nomine ab Irenaeo et aliis episcopis fuit reprehensus, nec sententia ejus ullam in ecclesia auctoritatem obtinuit, ut ex Eusebio cognosci potest. Inter Basilium et ecclesiam Caesariensem controversia fuit de ecclesiasticis cantionibus ac ceremoniis; inter Chrysostomum et Epiphanium de libris et doctrina Origenis; inter Hieronymum et Augustinum de operibus legis, ex quibus neminem justificari apostolus asserit; de simulatione Petri; de origine animae etc. quinimo si scripta patrum pervolvantur, apparebit, patres non solum ab aliis, sed etiam a se ipsis quandoque dissentire, ut certum sit, omnimodam et numeris omnibus absolutam unitatem in hac vita non esse sperandam, ac proinde non quodlibet dissidium ecclesiae et unitatis communionem continuo tollit.

232. Bellarminus ut probet, unionem membrorum inter se et cum capite esse notam ecclesiae, primo loco producit testimonia Scripturae, in quibus ecclesia dicitur *unum corpus, una sponsa, unum ovile* etc. quibus addit *symbolum Constantinopolitanum*, in quo confitemur *unam ecclesiam.* Ac paulo post, ut probet, concordiam esse signum regni Dei, adducit dictum Christi Matth. 12: *Omne regnum in se divisum desolabitur*, et dictum apostoli 1. Cor. 14: *Non est dissensionis Deus, sed ordinis.* Respondemus: nemo nostrum negat, ecclesiam esse unam, probandum vero erat, unitatem per se et solitarie acceptam esse genuinam et propriam ecclesiae notam, quod nos negamus, quia inter causas, propter quas ecclesia est et dicitur una, non postremum locum obtinet *unitas fidei et doctrinae*, quod agnoscit ipse Bellarminus lib. 3. de eccl. c. 5. Unitas ergo per se et solitarie sumta non est ecclesiae nota, sed unitas in fide et quidem vera fide et doctrina; ac proinde de unitate judicandum est ex fidei veritate, sicque redimus ad notam ecclesiae a nobis assignatam, quod scilicet doctrinae propheticae et apostolicae veritas sit vera ecclesiae nota. Competit quidem ecclesiae unitas, sed non soli, cum in ipso Satanae regno et in haereticorum conventiculis quaedam unitas reperiatur, sicut Christus ibidem disertis verbis regno Satanae quandam unitatem tribuit Matth. 12, v. 25. proinde nec omnis unitas a Deo, nec omnis dissensio est a diabolo, sed est

Argumenta Bellarmini pro unione.

Digitized by Google

sancta quaedam dissensio, de qua Luc. 12, v. 51. unitas ergo est ecclesiae accidens, sed non statim est propria nota. Si vero unitas intelligatur cum veritate fidei et doctrinae conjuncta, fatemur, eam esse ecclesiae propriam, proinde etiam genuinam illius notam, sed Bellarminus hanc spiritualem et internam verae fidei ac doctrinae unitatem, per quam vera catholicae ecclesiae membra Christo capiti suo et inter se tanquam unius corporis mystici membra unita sunt, praetermittit et ad externam quandam unitatem nos revocat.

233. Subjicit enim secundo loco, per *unionem cum capite accipiendam esse unionem cum pontifice Romano*, ac *producit testimonia quaedam patrum, utpote Irenaei lib. 3. c. 3. Cypriani lib. 1. epist. 3. Ambrosii in orat. de obitu Satyri, Hieronymi in epist. ad Damas. Optati lib. 2. contra Parmen. Augustini epist. 162. ac Leonis epist. 87. quibus evincere conatur, apud veteres conjunctionem cum*
l. 5. *Romano pontifice semper fuisse habitam pro nota verae ecclesiae*. Respondemus: 1. ex Scriptura probandum erat hoc papalis fidei principium et fundamentum, quod papa Romanus sit caput ecclesiae et quod conjunctio cum papa Romano sit vera ecclesiae nota, siquidem fatetur ipse Bellarminus lib. 2. de conc. c. 12. *patrum scripta non esse fidei regulas nec habere auctoritatem obligandi;* ac Thomas part. 1. q 1. art. 8. agnoscit, *ex dictis patrum non nisi probabiliter in articulis fidei aliquid concludi*. 2. jam vero in Scripturis altum de hoc capite ecclesiae Romano papa silentium. Quae enim ex illis de primatu Petri proferuntur, ea praeterquam quod vitiose exponuntur de monarchica quadam in reliquos apostolos potestate, tam non pertinent ad papam Romanum, quam ad patriarcham Constantinopolitanum. Legantur, quae operose disputat Bellarminus lib. 2. de pontifice Romano c. 12. ut probet, *papam Romanum in ecclesiastica monarchia succedere Petro*, et liquido apparebit, quam inanibus et frivolis argutiis hanc *summam rei Christianae* (ita enim primatum papae monarchicum appellat in praefatione libri de pontific.) demonstrare conetur. Non afferuntur clara et diserta Scripturae testimonia, sed incertae tantum conjecturae et male cohaerentes conclusiunculae. *Nemo* (inquit) *gessit se pro successore Petri vel pro tali est habitus nisi episcopus Romanus et Antiochenus.* Sed *Antiochenus non successit in pontificatu, quia Petrus relicta Antiochia profectus est Romam ibique sedem fixit et mortuus est. Ergo Romanus ei successit* (quasi vero is, qui pro alterius successore sese gerit, statim jure divino illius sit successor. In apostolatu nec Romanus, nec Antiochenus episcopus Petro successerunt, in ministerio uterque ei successit. Quod additur, Petrum relicta Antiochia sedem papalem Romae fixisse, ex Scripturis erat probandum, non autem nude asserendum. Onuphrius in addit. ad Platinam strenue negat, Petrum relicta Antiochia Romam esse profectum. idque ex antiquis auctoribus probare conatur, et tamen Bellarminus tam confidenter hoc asserit). Tandem addit Bellarminus: *Observandum est, licet forte non sit de jure divino, Romanum pontificem ut Romanum pontificem Petro succedere, tamen ad fidem catholicam id pertinere. Non enim est idem aliquid esse de fide et esse de jure divino. Etsi igitur Romanum pontificem Petro succedere non habeatur expresse in Scripturis, tamen succedere aliquem Petro deducitur evidenter ex Scripturis, illum autem esse Romanum pontificem habetur ex traditione apostolica Petri, quam traditionem concilia generalia, pontificum decreta et patrum consensus declaravit* (ubi fatetur Bellarminus, non posse ex Scripturis deduci, quod pontifex Romanus Petro successerit, id quod nobis sufficit, qui Scripturae plenitudinem adoramus ac proinde pontificem pro ecclesiae capite agnoscere non possumus). 3. Scriptura non solum nuspiam dicit, papam Romanum esse ecclesiae caput, sed etiam contradicit. Nullum enim alium nominat *ecclesiae caput* quam Christum Ephes. 1, v. 22. c. 5, v. 24. nec *sponsum* alium ecclesiae constituit praeter Christum Joh. 3, v. 29. nec ἀρχιποιμένα alium agnoscit quam solum Christum Joh. 10, v. 12. 1. Petri 2, v. 25. unde apostolica et primitiva ecclesia apostolorum temporibus proxima pontificem Romanum non agnovit pro ecclesiae capite, sed hunc honorem uni Christo dependit, qui solus vitam et spiritum mystico suo corpori suppeditat. 4. Olim cum pii veteres conjunctionem cum ecclesia Romana colebant, tradux fidei apostolicae in ea adhuc servabatur, hodie vero doctrina apostolica multis corruptelis et erroribus est conspurcata. Ergo ut olim propter conservatam doctrinae apostolicae sinceritatem omnes ecclesiae cum Romana debebant communicare, ita hodie propter depravationem doctrinae apostolicae debent ab ea secedere. Quemadmodum pontifices Romani ab antecessoribus suis Romanis episcopis seculo apostolorum proximis plurimum hodie degenerarunt; ita quoque Romana ecclesia hodierna ab antiqua sinceritate ac puritate longissime recessit. 5. Patres ad ecclesiam Romanam nequaquam provocarunt hoc animo, quod monarchicum quendam dominatum in ecclesias reliquas ei concederent, quia *ante concilium non magnus respectus ad eam habebatur* XII. 6. teste Aenea Sylvio in gest. conc. Basil. sed quia constantia in fidei veritate, martyrum copia, loci splendore et aliis praerogativis reliquas excellebat, ut ostendimus superius §. 194. membr. 6.

234. Quod enim talem quandam *monarchicam* et αὐτοκρατορικὴν potestatem, qualem sibi Romanus pontifex hodie arrogat, pii veteres Romano episcopo haudquaquam tribuerint, ex verbis et factis ipsorum constat. Bellarminus inter patres primo loco producit *Irenaeum*, qui asserit, *propter potentiorem principalitatem omnem ecclesiam debere convenire ad Romanam.* At idem Irenaeus Victori episcopo Romano ecclesias Asiaticas excommunicanti restitit, proinde nequaquam infallibile judicium illi attribuit. Eusebius lib. 5. histor. eccles. c. 23. ex Irenaeo haec adducit: *Fecit Victor abscindi tantas*

Dictum Irenaei.

Digitized by Google

ecclesias, quae morem sibi antiquitus traditum custodiebant, quibus cum praedecessores communionem habuerant, nec potuit Anacletus episcopus Romanus Polycarpo persuadere, ut suum pascha observandi morem ab ecclesia Romana diversum deponeret. Ergo nec Polycarpus episcopum Romanum pro infallibili capite agnovit. Erasmus praefat. in lib. Iren.: *Irenaeus presbyter ecclesiae Lugdunensis ad componendum illud dissidium Romam mittitur, martyrum literis mirifice commendatus, qui magna libertate Victorem reprehendebat.* Cornel. Agrippa de vanit. scient. c. 59: *Victor pontifex omnes simul orientales et australes ecclesias a communione amputabat, cui tunc inter ceteros excellentissimos viros restitit Polycrates Asiae episcopus; et Irenaeus Victorem pontificem tanquam pacis turbatorem acriter objurgabat.* Aut ergo Polycarpus, Polycrates, Irenaeus et ecclesiae Asiaticae damnandae sunt, aut concedendum, quod unio cum Romano pontifice

Cypriani. non sit essentialis ecclesiae. Secundo loco Bellarminus producit *Cyprianum*, qui cathedram Romanam agnoscat *ecclesiae catholicae matricem et radicem, atque ab ecclesia principali unitatem sacerdotalem exortam esse* statuat. Atqui quomodo Cyprianus Romano episcopo jurisdictionem et monarchicam potestatem in reliquos episcopos assereret, cum ne Petro quidem in reliquos apostolos eam assignaverit? Hoc *erant utique et ceteri apostoli* (scribit tract. 3. de simpl. praelat. pag. 113.), *quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis.* Idem Cyprianus Cornelio statuenti, non esse baptizandos ab haereticis baptizatos, nequaquam sese subjecit, sed concilio Romano opposuit concilium Africanum. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei c. 6. §. Tertio seculo: *Cornelius Romae concilio habito decrevit, non esse baptizandos, qui ab haereticis baptizati essent, et postea Stephanus papa idem praecepit.* Idem lib. 4. de pont. c. 7. §. Tertia ratio: *Cyprianus in concilio LXXX episcoporum definivit haereticos rebaptizandos ac pertinaciter restitit pontifici Stephano definienti haereticos non rebaptizandos, quem in epistola ad Pompejum vocavit superbum, imperitum, caecae et pravae mentis.* Cassander in consult. art. 7: *Cum Stephanus Cyprianum a sua communione repelleret et episcopos ab illo ex Africa legatos nec ad sermonem communis colloquii admitteret et praeciperet universae fraternitati, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur* etc. *tamen Cyprianus in illo dissidio pacis et unitatis vinculum constantissime retinebat mente pacificus.* Censuit igitur Cyprianus, unitatem catholicam locum habere citra unionem cum Romano pontifice. Quod Cyprianus *unitatem sacerdotalem ab ecclesia principali ortam non esse* adstruit, id Polydorus lib. 4. c. 6. sic exponit: *Ne quis erret, nulla alia ratione*

XII. 7. *episcopalis ordo ab episcopo Romano profectus dici potest, nisi apud Italos duntaxat id factum intelligatur, cum perdiu ante adventum Petri in urbem Romam apud Hierosolymas sacerdotium rite institutum fuisse liquido liqueat.* Eodem modo intelligendum quod Romana ecclesia sit *radix et matrix ecclesiae catholicae*, nimirum quia Roma fuit Italiae metropolis et imperii sedes, alias simpliciter et absolute de ecclesia N. T. loquendo Hierosolyma est mater omnium ecclesiarum. Theodoretus lib. 5. c. 9. quia ex Sion *exivit lex et verbum Domini de Jerusalem* Esai. 2, v. 3. Alii addunt, non Romam, sed unitatem per ecclesiae catholicae matricem ac radicem a Cypriano intelligi, sequitur enim in eadem epistola: *ut ecclesiae catholicae unitatem concorditer teneamus.* Tertio loco Bellarminus adducit *Ambrosium*, cui sint *ἰσοδυναμοῦντα cum episcopis catholicis et cum ecclesia Romana consentire.* Atqui Ambrosius Romanam ecclesiam tunc temporis sanctam et orthodoxam venerabatur non ut fidei dominam, sed ut sociam, libere enim ab ea dissentiebat in quaestione de lotione pedum lib. 3. de sacram. c. 1: *In omnibus sequi cupio ecclesiam Romanam, sed tamen et nos homines sensum habemus, ideo quod alibi rectius servatur, et nos recte custodimus.* Longe vero alia ratio est ecclesiae Romanae hodiernae quam quae fuit antiquae, quia quam fidem hodierna persequitur, eam antiqua olim sequebatur, proinde Ambrosius illi utpote papali tyrannide oppressae et a puritate doctrinae apostolicae longissime digressae nequaquam illum honorem tribueret, cum ne antiquam quidem absolute et in omnibus sine ulla exceptione sequi voluerit. Quarto loco producitur Hieronymus, qui *cathedrae Petri communione consociari desideret ac potestatem dicendi tres hypostases a Damaso requirat.* Atqui non de quodam dogmate, sed de vocabuli alicujus usu tunc erat quaestio, putabat enim Hieronymus, in voce hypostaseos veneni aliquid latere. Quod igitur Damasi judicium et auctoritatem ante usum hujus vocabuli requisivit Hieronymus, argumentum est fraternae concordiae, nequaquam vero dominationis Pontificiae, cum in causis ecclesiasticis *Damasum a se adjutum* scribat Hieronymus in epist. ad Agentiam. Quid vero de primatu Pontificio statuerit, manifestum est ex ipsius verbis in epist. ad Evagrium: *Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe* (Roma). *Ubicunque episcopus est, sive Romae, sive Tanais, sive Eugubini, ejusdem est meriti, ejusdem sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Quid mihi profers urbis consuetudinem? quid mihi objicis paucitatem, de qua ortum est supercilium?* Quinto loco affertur Optatus Milevitanus, qui docet, *primam et praecipuam ecclesiae dotem esse cathedram Petri ac Donatistas non pertinere ad ecclesiam, quia non essent cum Siricio conjuncti.* Respondemus: conjunctionem cum Romana ecclesia requirebat, non ut cum matre ac domina ecclesiarum reliquarum, sed ut fidei apostolicae custode. Quod enim cum ecclesia Romana ideo coluerint unitatem, quia episcopus illius sit universale caput et monarcha omnium ecclesiarum,

Ambros. Hieronymi. Opt. Milevitani.

Digitized by Google

de eo ne γρῦ quidem exstat apud Optatum vel alios gustini. ex veteribus. Sexto producitur Augustinus, qui in ecclesia Romana *apostolicae cathedrae semper viguisse principatum* agnoscat. Respondemus: Augustinus ibidem asserit, reliquas ecclesias per literas communicatorias tunc temporis cum Romana fuisse conjunctas, sed hodie per tyrannicam oppressionem sibi omnes cupit esse subjectas, quod nec jure divino congruum, nec consuetudine illorum temporum receptum, unde recte scribit Zabarella cardinalis in c. licet. extra de electione: *Papa invasit omnia jura inferiorum ecclesiarum, adeo ut inferioris* XII. 8. *ordinis praelati pro nihilo sint, et nisi Deus succurrat, vehementer periclitaturus est status ecclesiarum.* Adde quod Carthaginensem ecclesiam, cui Augustinus tunc praeerat, non solum cum Romana, sed etiam cum ceteris per communicatorias literas fuisse conjunctam ibidem asserat. Sic enim scribit: *Cum se videret* (episcopus Caecilianus) *Romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae ecclesiae viguit principatus, et ceteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse conjunctum.* Ceterum quod Augustinus haudquaquam supremam in reliquas ecclesias jurisdictionem Romano episcopo concesserit, ex actis concilii Carthaginensis manifestum est. Cum enim Apiarius ab episcopis Africanis episcopatu suo Siccensi dejectus ad episcopum Romanum appellaret, qui eum absolvendum et restituendum ecclesiae judicabat, quod factum suum fictitio quodam Nicaeni concilii canone muniebat, Africani ad patriarchales sedes Alexandrinam, Constantinopolitanam et Antiochenam nuntios ablegabant, qui exemplaria canonum Nicaenorum ex archivis illarum Africam deferrent, sed in illis canon de appellando ad Romanum pontificem non inveniebatur, unde in concilio Africano, cui Augustinus cum aliis ducentis ac duobus patribus interfuit, conclusum fuit, nemini ad Romanum pontificem provocare licere, nisi forte (inquiunt) *credat quispiam, unicuilibet posse Deum examinis inspirare justitiam et innumerabilibus in concilio congregatis denegare*, ex quo apparet, Augustinum et episcopos Africanos unionem cum Romano pontifice tanquam cum capite et monarcha minime coluisse. In concilio Carthaginensi 3. can. 26. et Hipponensi can. 27. statuunt, *nullum episcopum vocandum esse summum sacerdotem aut principem sacerdotum*, quos canones pontificis primatui oppositos esse nemo non videt. Quid quod in eadem epistola 162. in qua Romanae ecclesiae principatus cathedrae apostolicae tribuitur, de Donatistis refertur, quod in *causa Majorini ab imperatore, non a pontifice Romano judicem petierint, quod imperator illis dederit judicem, non solum episcopum Romanum, sed etiam alios episcopos, quod ab hoc judicio pontificis et episcoporum Donatistae provocarint ad imperatorem et alios judices postularint, quod imperator alios illis dederit judices, qui post papam et priores judices causam discuterent*, quae omnia pontificis dominatui extreme adversantur.

Septimo tandem producitur *Leo*, qui asserat, *in Petro* Leonis. *Apostolorum omnium summo praedicationis evangelii sacramentum principaliter a Christo collocatum esse, ut ab ipso velut capite dona sua in corpus omne diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.* Respondemus: Idem Leo serm. 1. in nat. apost. de Petro et Paulo sic loquitur: *Hos gratia Dei in tantum apicem inter omnia ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis et virtutibus nihil diversum sentire debemus discretum, quia illos et electio pares et labor similes et finis fecit aequales*, ubi non Petro, sed Christo capitis honorem et appellationem recte tribuit. Multo minus se ipsum Leo pro capite ecclesiae venditavit vel venditare etiam potuit, ipsius enim tempore Constantinopolitana sedes potestatem habebat parem sedi antiquioris Romae *et in ecclesiasticis negotiis aeque magnificabatur* juxta canonem concilii Carthaginensis, qui exstat c. Renovantes distinct. 22. quem tamen canonem Romani pontificis assentatores postea depravarunt. Ubi enim patres Constantinopolitani dicunt ὁρίζομεν, *definimus*, illi substituerunt *petimus;* ubi Constantinopolitani dicunt et *in ecclesiasticis aeque magnificetur*, illi substituerunt *non tamen in ecclesiasticis rebus aeque magnificetur*, quam falsitatem ipsimet Pontificii coacti sunt agnoscere, in editione enim Gregoriana pro *non tamen* repositum est *nec non.* Ceterum quod Leo nondum obtinuerit monarchicam potestatem, patet ex eo, quod epist. 45. Pulcheriae augustae supplicat, ut mandet, Eutychetem in remotiora loca relegari; quod epist. 73. 74. 75. Anatolium Constantinopolitanum vocat suum *coëpiscopum;* quod epist. 24. imperatori supplicat, ut concilium in Italia XII. 9. indicat; quod epist. 73. imperatori supplicat, ut mandet Alexandrinis, ut in Dioscori locum alium episcopum eligant.

235. Testimoniis patrum addit Bellarminus experientiam. *Videmus* (inquit) *omnes illas ecclesias, quae ab isto capite* (pontifice Romano) *se diviserunt, tanquam ramos praecisos a radice continuo aruisse. Certe ecclesiae Asiaticae et Africanae, quae quondam ita florebant, ut numerosissima concilia celebrarent et semper haberent multos homines vel doctrina vel sanctitate vel utroque dei munere clarissimos, ab eo tempore, quo a Romana ecclesia schisma fecerunt, nulla concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines fama sanctitatis aut doctrinae toti orbi notos et nunc in summa ignoratione versantur.* ** Vide quoque Jacobum Grasserum de ecclesia meridionali et occidentali.** Respondemus: 1. de statu Asiaticarum et Africanarum ecclesiarum diximus superius §. 186. quod scilicet in quibusdam articulis puriorem et sinceriorem habeant fidei confessionem quam Romana, quodque duratione, antiquitate et amplitudine neutiquam illi cedant. Lib. 2. de Christo c. 30. Bellarminus eadem ferme repetit, quod *ecclesia Graeca post schisma nullum habuerit*

Digitized by Google

concilium, nullum virum sanctum miraculis clarum, paucissimos doctos, et addit: *Multi comparant ecclesiam Graecam regno Samariae, quod separavit se a templo et in captivitatem perpetuam est abductum.* Sit ergo Romana ecclesia Jerusalem et putet sibi dictum, quod exstat Ezech. 16, v. 5: *Samaria secundum dimidium peccatorum tuorum non peccavit et multiplicasti prae illis abominationes tuas.* 2. Non qui a papa, sed qui a Christo sese separant, desinunt esse ecclesiae membra, quia caput ecclesiae non est papa, sed Christus, Johan. 15, v. 6: *Si quis in me non manserit, arescet ut palmes.* Ephes. 4, v. 16: *Christus est caput, ex quo totum corpus compactum et coagmentatum crescit.* 3. Multi a papa fuerunt divisi, qui tamen vera ecclesiae membra manserunt. ** Lindanus lib. 4. panopl. c. 98. scribit, *ecclesiam Africanam ob centenariam fere separationem per centum illos annos fuisse schismaticam atque a toto Christi corpore divulsam.* Bellarminus de matrim. c. 15: *Graeci se jamdudum a Romana ecclesia separaverunt.* Idem lib. 2. de Roman. pontif. c. 25. art. 46. in quadam object.: *Ex epistolis Bonifacii 2. ad Eulalium Alexandrinum episcopum et Eulalii episcopi Carthaginensis ad eundem Bonifacium colligitur, post concilium Carthaginense sextum, quod erat anno Domini 409. in causa Apiarii presbyteri, per annos centum separatos fuisse Carthaginenses episcopos a communione Romanae ecclesiae et tum demum reconciliatos subjiciente se Eulalio Romanae sedi et anathematizanti antecessores suos.* (Africani illi episcopi in suo centenario dissidio non senserunt, unionem cum Romano pontifice esse notam verae ecclesiae.) Respondet Bellarminus l. d. *epistolam illam Bonifacii videri sibi supposititiam,* sed alii Pontificii multis probant, illam esse genuinam, et Bellarminus ipse addit art. ult. *se nihil hac in parte certi affirmare.* ** Victor excommunicavit Asiaticas ecclesias, quae tamen fuerunt verae ecclesiae et habuerunt multas synodos et orthodoxos episcopos. Marcellinus idololatra damnatus est a synodo Romana, ergo sepa-
XII. 10. ravit se ab eo ecclesia Romana, quae tamen fuit tunc temporis vera ecclesia. Liberius Athanasium acerrimum fidei catholicae defensorem damnavit, quia in ejus damnationem consensit. Bellarminus lib. 4. de Roman. pontif. c. 9: *Liberius pontifex interpretative consensit in damnationem Athanasii eumque damnari permisit, quem sciebat causa fidei persecutionem pati.* ** Athanasius ad solit. vit. agentes: *Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est minisque mortis ad subscriptionem inductus.* ** Baronius tom. 3. annal. anno Christi 357. p. 709: *Liberius sententiae adversus Athanasium latae subscripsit et decreta fidei in Sirmiensi synodo scripta suscepit.* Ad Ursacium et Valentem (Arianos) sic scribit Liberius: *Cognoscat prudentia vestra, Athanasium ab ecclesiae Romanae communione separatum esse.* ** Confer et epistolas Liberii, quarum unam ad episcopos orientales Arianos, alteram ad Ursacium, Valentium et Hermium itidem Arianos dedit, apud Baronium tom. 3. annal. ad annum 359. ** Atqui num propterea Athanasius desiit esse membrum ecclesiae catholicae? minime vero, sed per suam a capite ecclesiae Romanae dissensionem veram cum vero ecclesiae catholicae capite Christo retinuit unionem. Honorium Monotheletam damnavit VI. synodus Constantinopolitana act. 13: *Cum his simul projici a sancta Dei catholica ecclesia simulque anathematizari praecipimus et Honorium, qui fuerat papa antiquae Romae, eo quod in omnibus Sergii* (Monotheletae) *mentem secutus est et impia dogmata confirmavit.* Hac separatione a capite ecclesiae Romanae patres Constantinopolitani communionem retinuerunt cum ecclesia catholica. Possent hujusmodi exempla plura afferri, sed de his alibi commodius agitur. *Johannem XII.* suadente clero Romano deposuit *Otto I.* imperator pietatis laude illustris, Platina in vita Johan. *Leoni VIII.* clerus populusque Romanus pontificatum abrogabant, idem in vita Leon. *Johannem XXIII.* synodus Constantiensis, *Eugenium* synodus Basileensis ex solio papali deturbavit. Aut igitur unio cum pontifice Romano non est necessaria ad unitatem ecclesiae catholicae, aut illi, qui pontifices deposuerunt, ab unitate catholica fuerunt separati. 4. Cum papa haeretico non est communicandum, qui enim exploratae haeresi ac manifestis haereticis adhaeret, ab ecclesiae corpore separatur. Jam vero papa potest in haeresin incidere, quod non negant quidam ex Pontificiis. Bellarminus lib. 4. de pontif. c. 2: *Secunda sententia est, pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum et docere haeresin, si absque concilio generali definiat et de facto ita aliquando accidisse. Hanc opinionem sequitur Nilus in lib. advers. primatum papae, eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson et Almain, nec non Alphonsus de Castro lib. 1. contra haeres. c. 2. et Adrianus VI. in quaestione de confirmatione.* Hanc sententiam Bellarminus non audet vocare *haereticam, cum tolerentur ab ecclesia, qui eam sequuntur.* Atqui si non est haereticum statuere, quod papa possit in haeresin incidere, utique etiam non erit haereticum statuere, quod unio cum pontifice tanquam cum capite non requiratur ad unionem cum ecclesia catholica. Ratio consecutionis est manifesta, quia pontificem esse haereticum et communionem cum pontifice esse catholicam sunt ἀντιφατικά. Cusanus lib. 2. de concord. cathol. c. 17: *Cum papa est haereticus, tum unusquisque laicus tenetur se ab illo separare, et per ipsam separationem dicit illi anathema.* 5. Pontifex potest ab ecclesia auferri salva manente ecclesiae catholicae unitate, ut docet Gerson in libro *de auferibilitate papae.* Idem probatur ex diuturna XII. 11.
sedis Romanae vacantia et ex schismaticis dissensionibus Romanorum pontificum, quorum viginti enumerat Genebrardus, quem numerum auget Onuphrius. Fuerant quandoque simul tres papae, nec quis erat legitimus, constabat, jam vero *dubius papa habetur pro non papa*, ut disputat Bellarminus lib. 4. de Romano pontifice c. 14. Aut igitur unio cum pon-

Digitized by Google

tifice Romano non est necessaria ad unitatem ecclesiae catholicae, aut eo tempore, quo vel nullus, vel incertus fuit papa, desiit catholicae ecclesiae unitas. 6. Bellarminus ipse concedit, *incidere posse tempus ejusmodi, quo liceat pontifici resistere.* Ergo agnoscat, incidere posse tempus ejusmodi, quo liceat ab unione cum pontifice recedere. Connexio est manifesta, quia majus est resistere, minus ab unione recedere; jam vero si licet majus, licebit etiam minus. Antecedens probatur ex libro 2. de Romano pontifice c. 29. §. Respondeo negando: *Licet resistere pontifici invadenti animas vel turbanti rempublicam, et multo magis, si ecclesiam destruere anniteretur. Licet inquam ei resistere non faciendo, quod jubet, et impediendo, ne exsequatur voluntatem, non tamen licet eum judicare vel punire vel deponere, quod non est nisi superioris.* 7. Concilium generale potest papam deponere. Ergo unio cum pontifice non est essentialiter necessaria ad unitatem ecclesiae catholicae. Antecedens a multis Pontificiis adstruitur, videlicet a cardinali Cameracensi, Cusano, Panormitano, Gersone, Alphonso de Castro, Occamo etc. Idem definitum in concilio Basileensi et Constantiensi. Bellarminus etsi statuat, *summum pontificem esse supra concilium*, fateri tamen cogitur, *in nullo generali concilio id esse definitum, ideoque ad hanc diem quaestionem superesse inter catholicos*, libro 2. de concil. c. 13. §. Deinde. Aeneas Sylvius, postea Pius II. pontifex de gest. concil. Basiliens. fol. 5: *Necesse est, ut pontifex concilio subjiciatur. In Hieronymi sententia tanquam in agro fertilissimo versor, ubi dicit, auctoritas major est urbe. Magna papae auctoritas, qui Romanae ecclesiae praeest, sed major est auctoritas universalis ecclesiae, quae si mater est omnium, filium habet Romanum pontificem, alias vero, ut ait Augustinus, non habet Deum patrem, qui non habet ecclesiam matrem.*

An in ecclesia Romana sit unitas vere catholica.

236. *Membrum secundum.* Num in ecclesia Romana sit unitas vere catholica? Bellarminus ut id probet, affert haec fundamenta: *1. In nostra*, inquit, *ecclesia omnes scriptores sacri mirifice consentiunt, licet fuerint homines diversi et in locis, temporibus ac linguis diversis scripserint, quod pro re plane divina Augustinus observat lib. 18. de civitat. Dei c. 41.* Respondemus: consensus ille scriptorum propheticorum et apostolicorum potius probat, Romanam ecclesiam hodiernam non esse veram ecclesiam, quippe cujus doctrina in multis capitibus ab unanimi prophetarum et apostolorum consensu discedit, ut in singulis articulis controversis demonstratur. Nos longe honorificentius de sacris illis scriptoribus sentimus quam Pontificii, ut in loco de Scriptura docetur. Nos fundamenta causae nostrae in illis quaerimus et limitibus eorum contenti sumus. Pontificii ex illis solis fidem suam probare recusant, humanas traditiones et alia quaedam peregrina interim assuentes. Praeterea ut sancta illa unitas

De consensu scriptorum sacrorum.

XII. 12. inter scriptores sacros locum habuit, etiamsi non essent subjecti uni alicui pontifici, sic ad catholicam ecclesiae unitatem haudquaquam requiritur subjectio erga Romanum pontificem unicum visibile caput, ut Bellarminus contendit. Denique unitas illa inter scriptores sacros descendit a Spiritu sancto, cujus fuerunt amanuenses; sic illa demum est vera et catholicae ecclesiae propria unitas, quae a Spiritu sancto orta in Christo per doctrinae propheticae et apostolicae unitatem mentes hominum unit et constringit.

De consensu patrum et conciliorum.

237. *2. Omnia legitimorum conciliorum et pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus inter se conveniunt, licet edita sint a diversis hominibus, diversis locis, temporibus, occasionibus et contra diversissimas, imo saepe contrarias haereses.* Respondemus: et concilia et pontifices in suis decretis errare posse ac saepius etiam errasse proferendo decreta et Scripturis et aliis legitimis conciliis contraria, demonstrabitur suo loco. Concilium Ariminense, Seleuciense, Sardicense II. etc. ediderunt decreta catholicae fidei et Nicaenae synodi decretis de ὁμοουσίῳ contraria; Ephesinum II. Eutychis haeresin stabilivit; Neocaesariense can. 7. prohibuit, *presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum;* Nicaenum can. 12. prohibuit, *eos redire ad militiam, qui cingulum abjecissent;* Arelatense II. can. 2. statuit, *non esse assumendum ad sacerdotium eum, qui in vinculo conjugii constitutus est, nisi fuerit promissa conversio*, quod pugnat cum decretis concilii Gangrensis can. 4. Concilium Laodicenum c. 1. statuit, *ut secundum indulgentiam reddatur communio illis, qui secundis nuptiis juncti sunt*; concilium Constantinopolitanum I. quod fuit generale secundum, statuit can. 5. quod *primatus ecclesiasticus tribuendus sit Romano pontifici*, sed hoc pugnat cum c. 26. concilii Carthaginensis III. ubi statuitur, *neminem vocari debere principem sacerdotum;* idem Carthaginense III. can. 47. numerat in canone libros V. T. *apocryphos*, quod pugnat cum concilio Laodiceno c. ult. nisi canonici nomen late accipiatur pro libro, qui in ecclesia legitur; concilium Toletanum I. can. 17. statuit, *posse admitti eum ad communionem, qui habeat concubinam, modo non sit uxoratus;* concilium Wormatiense can. 3. jubet, *fures occultos explorari per sacrae eucharistiae perceptionem;* concilium Constantinopolitanum III. quod fuit sextum generale, can. 2. recipit decretum concilii Africani sub Cypriano *de rebaptizandis haereticis;* can. 72. judicat, *irrita et solvenda conjugia Catholicorum cum haereticis;* concilium Nicaenum II. statuit, *imagines esse colendas*, quod pugnat cum decretis concilii Constantinopolitani, ut fatentur patres Nicaenae synodi act. 6. et cum decretis concilii Francofurtensis. In concilio Romano sub Stephano VII. damnatus est *Formosus pontifex* et omnia illius acta abrogata; postea aliud concilium habitum fuit Ravennae sub Johanne IX. in quo *Formosus restitutus fuit et Stephanus damnatus* omniaque acta ejus concilii, quod sub Stephano fuit habitum, abrogata. Quid quod disertis verbis Platina in Stephano scribit: *Post Stephanum semper haec consuetudo servata est, ut acta priorum pontificum sequentes*

Digitized by Google

aut infringerent, aut omnino tollerent. ** Idem Platina de illis dissidiis sic scribit: *Stephanus VII. pontifex creatus tanto odio prosecutus est Formosi* (papae) *nomen, ut statim ejus decreta abrogaverit ac res gestas resciderit; Romanus I. ubi pontificatum iniit, Stephani pontificis decreta et acta statim improbat abrogatque; Johannes X. pontifex creatus Formosi causam in integrum statum restituit adversante magna populi Romani parte* etc. *Is autem Ravennam profectus 74 episcoporum habito conventu et Stephani res gestas improbavit et Formosi acta restituit. Sergius III. in Italiam rediens Formosi* (papae) *acta ita improbavit, ut denuo ad sacros ordines admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus ejus cadaver e sepulcro tractum capitali supplicio, ac si viveret, afficit corpusque ipsum in Tiberim projicit tanquam sepultura et humano honore indignum.* ** Plura exempla in quaestione de auctoritate conciliorum adducuntur, ubi etiam refelluntur ea, quae pro palliandis conciliorum erroribus Bellarminus argute magis quam vere excogitavit. Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatist. c. 3. diserte scribit, *concilia regionalia et provincialia debere cedere plenariis et inter ipsa plenaria priora a posterioribus emendari;* omnium vero auctoritatem Scripturae subjicit lib. 3. contra Maximin. Arian. c. 14: *Nec ego Nicaenum, nec tu debes Ariminense tanquam praejudicaturus proferre concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.*

XII. 13.

De consensu decretorum pontificiorum.

238. De pontificum decretis idem asserimus, quod scilicet et Scripturis et aliorum pontificum decretis saepe sint contraria. Zepherinus fuit Montanista, Marcellinus idololatra, Liberius et Felix fuerunt Ariani; Anastasius communicavit cum Photino et Achatium haereticum occulte revocare voluit; Vigilius fuit Eutychianus, Honorius Monotheleta; Johannes XXIII. negavit vitam aeternam, credidit, animam hominis cum corpore mori et exstingui ad instar animalium brutorum, dixitque, mortuam semel ne in novissimo quidem die resurrecturam. Aut ergo omnes papae illis haeresibus fuerunt infecti, aut non omnes in dogmatibus et decretis consenserunt. Gregorius de quatuor synodis, inter quas est etiam Chalcedonensis, dicit, quod *eas amplectatur ut quatuor evangelia;* sed Leo epist. 59. de synodo Chalcedonensi dicit, *se semper reprehendisse, quae in hac synodo decreta sunt.* Martinus statuit, *eum, qui semel post suam ordinationem in lapsum inciderit, deinceps non posse ullum gradum sacerdotii adipisci,* c. Qui semel. distinct. 50. contrarium decrevit Siricius c. Quis distinct. 82. *eos, qui propter peccata jubentur deponi, post condignam poenitentiam in suo ordine posse reparari.* Gregorius in epistola ad Bonifacium statuit, *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, virum si continere nequeat, posse alteri nubere;* contrarium statuerunt alii pontifices cap. Quoniam. lib. 4. decretal. tit. 9. de conjugio leprosorum. Nicolaus I. docet, *baptismum in nomine Christi sine expressa mentione trium personarum prolatum esse ratum* c. A quodam dist. 4. de consecrat.; contrarium docuit Zacharias itidem papa, *scilicet verum baptisma esse non posse, si vel una persona de Trinitate non nominetur,* c. in synodo. de consecr. dist. ead. Sabinianus Gregorii Primi antecessoris sui libros comburi jussit, Formosi decreta abrogavit Stephanus VI. Stephani decreta et acta abrogavit Romanus I. Romani acta abrogavit Johannes. Julius, Innocentius et Coelestinus Romani pontifices decreverunt, *ut viri ab uxoribus separentur, qui vel nescientes proprios filios ex lavacro baptismi suscepissent,* c. Pervenit 30. q. 1. at hoc est contrarium praecepto Christi Matth. 19, v. 6. et apostoli 1. Cor. 7, v. 10. Alexander III. c. Licet de sponsa duorum dicit, *quosdam suos praedecessores judicasse, matrimonium per verba de praesenti contractum, non tamen consummatum posse dirimi per aliud matrimonium, se tamen contrarium sentire.* Aut igitur hic, aut ejus praedecessores errarunt. ** Vide late de pontificum dissensionibus disserentem Empsychovium in refutat. causae 6. Braunianae p. 607. et seqq. Synopsis antilogiarum Pontificiarum: 1. Fingunt, *homines per gratiam et simul per bona opera salvari,* cum apostolus haec duo sibi invicem opponat Rom. 11, v. 6. 2. Exagitant *imputativam Christi justitiam,* interim opera supererogationis aliis applicant. 3. Affirmant, *Christum pro nobis passum* et nihilominus *per bona opera nos justificari* asserunt, Gal. 2, v. 21. 4. *Culpam peccati per meritum Christi deleri* dicunt, sed *non poenam purgatorii, cum tota vis culpae sita sit in poena.* 5. Flagitant a peccatore *satisfactionem pro peccatis* et tamen dicunt, *peccata a Deo gratis condonari.* 6. Varia *jejunia mandant,* cum nusquam alibi sit major heluatio et deliciae. 7. *Coelibatum jactant* et interim spurcissimis libidinibus omnia contaminant. 8. *Doctos sacerdotes habere volunt,* sed indoctos ordinant. 9. *Honestos sacerdotes habere volunt* et interim dant ipsis efficaces causas nequitiae, nimirum opes, coelibatum, impunitatem, otium et foedissima praelatorum exempla. 10. *Evangelium in abusu summe honorant* gestantes in collo, in vero usu extreme contemnunt. 11. Simulant, se *ex sacris literis velle veritatem discere,* nec tamen fontes scrutantur. 12. Simulant, *se mundum deseruisse,* et tamen in locis amoenissimis habitant. 13. *Vovent paupertatem,* cum jam ferme soli orbem terrarum possideant. 14. Monachi promittunt *obedientiam,* cum avellant se ex obedientia parentum et magistratuum. 15. Supplices *misericordiam Dei implorant* et interim statuunt, illam mendicationem esse grande meritum et supputatione lapillorum patriloquii cum Deo ex aequo contrahunt. 16. *Indulgentias papales* certis-

simam peccatorum remissionem conferre docent, et tamen dubitare de condonatione jubent. 17. Per *doctrinam dubitationes* evertunt hypothesin de salute certa ex operibus, de absolutione, de spe, de dilectione Dei. 18. Docent, *hominem praeceptis Dei integram obedientiam praestare posse*, quoad substantiam praecepti, non quoad intentionem praecipientis, cum intentio praecepti nihil aliud sit quam plena perfectio praecepti. *19. Efficaciam missarum in liberandis ex purgatorio animabus* jactant, et interim affirmant, plurimas animas majorum, quibus tot missae coëmtae sunt, in purgatorio desudare. *20. Matrimonium dicunt esse sacramentum*, et tamen ecclesiasticis personis matrimonio interdicunt, eo quod sanctitati minus conveniat. *21. Sanctos* docent *fuisse humillimos*, et contra fingunt eosdem tam ambitiosos, ut se templis et aris dignos censeant et pro opitulatoribus coli suasque reliquias et imagines adorari velint. 22. Jactitant, *se in conciliis regi a Spiritu s.* et tamen non curant a Spiritu s. inspiratam Scripturam. 23. Garriunt multa *de infusis qualitatibus*, cum totus eorum Christianismus in externis ritibus sit situs. *24. Religionem difficillimam* et *impossibilem faciunt*, quia hominem propriis suis operibus coram Deo justificari volunt; eandem facillimam faciunt, quia externam disciplinam habent pro justitia coram Deo valente, originale peccatum in renatis peccatum esse negant, de gratia Dei dubitare jubent, quod omnibus nobis est innatum, omnia collocant in externis ritibus et ceremoniis, quas facile est praestare, *sacramenta* dicunt *esse salutaria etiam sine bono motu utentis*, dicunt, *id omne esse Deo gratum cultum, quod quis facit bona intentione*, indicunt satisfactionis loco opera ludicra, qualia sunt curare aliquot fieri missas, dare eleemosynam duobus vel tribus diebus, aliquot Pater noster aut Ave Maria demurmurare etc. denique si quis nulla plane habeat bona opera, eum dicunt nihilominus per indulgentias, *missas monachorum* et *sanctorum merita* et *opera supererogationis* salvari posse. *25. Religionis curam* committunt papae et episcopis, qui nihil minus quam pietatem et religionem curant. ** Onuphrius *triginta schismata* inter pontifices Romanos conti-
XII. 14. gisse scribit; Stapletonus relect. princip. fid. contr. 1. quaest. 5. articul. 3. *viginti quinque* schismata enumerat atque addit, quod *omnia pariter computata non amplius conficiant quam annos centum et viginti quatuor et menses decem.* Quasi vero hoc non sit temporis plus satis, quo Romana ecclesia fuit plane ἀκέφαλος, quia *dubius papa habetur pro non papa*, ut scribit Bellarminus lib. 2. de concil. c. 19. resp. ad 3. argum. Id ipsum agnoscit Glovian. quando in lib. de schismate p. 181. sic scribit: *Schisma ambiguum Christianum orbem concussit, quando alter pontifex Romae, alter Avenione creatur, cum uterque magno cardinalium, episcoporum, sacerdotum, principum ac populorum assensione pontificatu defungeretur, nam cum tres simul pontifices inaugurati essent, Johannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII. tum quidem gravi schismate est ecclesia Christi dilacerata et in partes dissecta.* Quinimo ipse Bellarminus non audet hoc negare, sic enim scribit praefat. in controv. de Roman. pontif.: *Non ignoratis, quas tragoedias in ecclesia imperatores excitarunt, et quasi haec parva fuissent, addidit Satan Romanos pontifices contra pontifices commovere.* Atqui si pontifices contra pontifices commoti sunt, quomodo omnia pontificum decreta consentiuut? Referenda est ad hunc locum disputatio Erasmi in annot. 1. Cor. 7. pag. 32?. Si verum est, quod quidam asseverant, Romanum pontificem errore judiciali non posse unquam errare, quid opus generalibus conciliis, quid opus in concilium accersere jureconsultos ac theologos eruditos, si pronuntians labi non possit? cur datus est appellationi locus vel ad synodum, vel ad eundem rectius edoctum, posteaquam semel de causa pronuntiavit pontifex? quorsum attinet tot academias in tractandis fidei causis distorqueri, cum ex uno pontifice quod verum est audire liceat? imo qui fit, ut pontificis hujus decreta cum illius pugnent decretis? Ut enim taceam de Formoso, nonne papa XII. 15.
Johannes XXII. et Nicolaus decretis totis inter se pugnant, idque in his, quae videntur ad fidei negotium pertinere? quorum alter Nicolaus III. pronuntiavit *judicialiter*, ut illorum ore loquar, *Christum et apostolos nihil habuisse nec in commune, nec privatim* (c. exiit de verborum significatione in sexto); alter (Johannes) contra pronuntiat habuisse (c. cum inter extr. de verborum significatione). Id ex ipsorum extravagantibus licet cognoscere, sed propius ad id, quod hic agimus, facit, quod Innocentius III. ac Coelestinus de matrimonio dirimendo prorsus pugnantia definierunt, quorum hic jus facit alteri conjugum iterare matrimonium, si alter fuerit in haeresin prolapsus. Innocentius negat, quemadmodum legimus libro decretalium quarto tit. de divortiis c. Quanto. Nec illic dissimulat Innocentius, quendam praedecessorem suum secus statuisse, Coelestinum indicans, ut apparet glossema declarans, Coelestini super hac re constitutionem olim exstitisse in decretalibus libr. 3. titulo de conversione infidelium in fine. Ideo magis verisimile est, quod is titulus paucissimis constet capitibus, ut intelligas esse decurtatum. (Huc pertinet, quod Alphonsus de Castro lib. 1. contra haeres. c. 4. refert, *se decretum illud Coelestini vidisse.)* Praeterea Pelagius, ut exstat in decretis distinctione 31. c. *ante triennium* constituerat, ut hypodiaconi Siciliae ab uxoribus abstinerent, quas ante constitutionem legitime duxerunt. Id decretum velut iniquum et cum evangelico pugnans praecepto retractat et abrogat Gregorius ejus nominis primus, qui Pelagio successit, statuens, *ut in posterum nemini ad eum ordinem pateret aditus, nisi vovisset castitatem.* Ceterum durum et iniquum esse, ut ad castitatem cogatur, qui non voverit castitatem, nec ulla culpa commeruerit, ut eo debuerit compelli. At quod hic iniquum videtur Gregorio, non visum est iniquum

Innocentio III. loco, quem modo adduximus, qui ita respondet iis, qui objiciebant, *praeter aequum videri, conjugem relictum suo jure privari sine culpa, praesertim cum contumeliosior sit in Christum, qui baptizatus recidit in haeresin, quam qui natus ethnicus recusat ad Christi professionem converti.* Ad haec seculis aliquot hanc sententiam amplexa est ecclesia Mutinensis, ut qui contraxisset cum Barbara verbis legitimis et ex animo, sed non intercedente coïtu, postea contraheret cum Cornelia et coïtum adjungeret, cogeretur priore relicta posteriori convivere. Id palam rescindit Innocentius Romanus pontifex ex diametro, quod ajunt, diversam pronuntians sententiam, videlicet priorem esse legitimam uxorem, quod cum posteriore sit actum, adulterium esse, non matrimonium, ut proditum est libro decretalium epistolarum 4. tit. 4. c. *Tuas dudum* et ejusdem tituli c. *Licet.* Alexander Tertius indicat, suo rescripto fuisse statutum ac definitum aliquando a praedecessoribus suis, id est Romanis pontificibus, quod in Mutinensi ecclesia damnat Innocentius etc. ut non commemorem interim, quod in causa fidei schola Parisiensis aliquando publicitus improbarit Romani pontificis sententiam eumque ad palinodiam compulerit, si qua fides historiis. Haec omnia Erasmus Leonis X. pontificis Romani dilectus filius. Quae vero a Bellarmino afferuntur ad palpabiles illas Pontificiorum decretorum contradictiones palliandas et excusandas primo statim intuitu sui infirmitatem demonstrant et diligenter expenduntur a Guil. Witakero in controv. de pontif. Rom. quaest. 6.

De consensu Pontificiorum. 239. *3. Nunc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei idem sentiunt, nec possunt aliter sentire, cum subjiciant sensum suum sensui unius et ejusdem summi pastoris ex cathedra*
XII. 16. *Petri cum consilio aliorum pastorum ecclesiam dirigentis.* Iisdem fere verbis Fr. Costerus in ench. controvers. c. de ecclesia gloriatur: *Catholici omnes ubivis terrarum sub uno capite Romano pontifice, cui omnes parent et principes et reges, ut Christi vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia et nec in minimo quidem religionis articulo discrepant.* Respondemus: ** Ante Lutheri tempora homines docti et intelligentes conquesti sunt de erroribus doctrinae, de multiplici abusu et superstitione, quae in ecclesiam irrepserunt. Videatur scriptum scholae Parisiensis de periculis ecclesiae compositum circa annum Domini 1389. Speculum aureum papae, ejus curiae, praelatorum et aliorum spiritualium scriptum ante annos fere 200. item Francisci Petrarchae, Jo. Baptistae Mantuani, Joh. Pici Mirandulani, Laurentii Vallae, Hieron. Savonarolae Italorum; Guilielmi Occam, Roberti Barnes Anglorum; Johannis Wesseli et Abbatis Spanheimensis Germanorum; Johannis Gersonis Galli de vita spirituali animae, potestate ecclesiae et auferibilitate papae, Marsilii Patavini tractatus de translatione imperii et liber de defensione pacis, Antonii de Rosellis de potestate papae et imperatoris, Alberici de Rosati et Petri Ferrariensis commentarii passim; Confutatio primatus papae a Gregorio Heymburgensi ante annos 170 conscripta et alia innumera. ** Concedimus vero, in regno Pontificio esse hodie externam quandam unitatem, sed veram illam internam in fide catholica et in Christo unitatem illi competere negamus. Matthias Flacius Illyricus scripsit librum de sectis, dissidiis et dissensionibus Pontificiorum, in quo septem species papisticae concordiae statuit. Prima est *satanica* orta ex diabolo, qui modis omnibus praecavet, ne regnum illud sui vicarii dissolvatur. Si enim *Satanas in se ipsum divisus esset, quomodo staret regnum ejus?* Matth. 12, v. 25. Luc. 11, v. 18. Inde multi cardinales et episcopi, multi etiam ordines monachorum, licet vehementer inter se dissentiant sibique infensissimi sint, tamen dissensiones suas premunt et occultant, ne quid detrimenti capiat Pontificium illud regnum, cujus subditos sese profitentur. Secunda est *politica*, cum ideo consentiunt homines, quia se subjiciunt nutui et voluntati unius monarchae, sic scriptores Pontificii judicio unius pontificis omnia sua subjiciunt a clarissima Scripturae luce in gratiam illius discedentes. Thomas in 4. sent. distinct. 27. quaest. 3. artic. 1. disputans de quaestione: *An doctus, pius et idoneus, sed bigamus, qui non proprie, sed canonice, hoc est papistica fictione talis est, ob viduam unicam olim ductam, in sacerdotem aut episcopum electus promoveri possit?* postquam pro affirmante parte firmas rationes et manifesta Scripturae dicta protulit, tandem in partem negantem concedit, addita hac sola ratione, quia *papa in decretalibus contrarium dixerit et praeceperit.* Gabr. Biel cum in lectionibus super canonem missae lect. 57. multis argumentis confirmasset, *indulgentias papales non prodesse animabus purgatorii*, tamen post librum evulgatum videns bullas Sixti IV. et Innocentii VIII. pontificum, qui *recta dabant indulgentias defunctis*, priorem sententiam retractavit referente Molinaeo. Omnes episcopi arctissimo juramenti vinculo pontifici Romano tenentur obstricti, propter quod ne minima quidem in re ipsi contradicere audent, nec in conciliis liberas habent linguas, unde Aeneas Sylvius, Pius II. dictus, ut refertur in paralipomenis Urspergensis ad capitulum Moguntinum scripsit, *peccare episcopum contra juramentum papae praestitum, si contradicat ei etiam vera loquendo.* Idem Sylvius in lib. de gestis concilii Basileensis commemorat querelam patrum istius concilii longe verissimam et adhuc hodie repetendam: *Episcopi, qui debent ecclesiae corruptelas tollere, videtis quam pauci nobiscum sunt et quam terrenam faciem potentis* (pontificis) *extimescunt!* Tertia unitatis species est *belluina seu pecuina*, cum homines nihil de religione intelligunt, sed instar gruum aliorum opinionem sequuntur atque ea vera esse censent, quae vulgo sunt recepta. Talis unitas plerisque laicis in regno Pontificio competit, illi enim sine ullo examine et scrutinio recipiunt, quae a monachis et sacrificulis ipsis propo-

Digitized by Google

nuntur, neque enim Scripturarum lectio illis conceditur, sed jubentur audire pastores suos ordinarios,
XII. 17. quidquid tandem proponant; hinc Bellarminus lib. 1. de clericis c. 7. disputat, *debere quidem populum discernere verum prophetam a falso, sed non alia regula quam attendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicebantur a praedecessoribus, iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, praesertim ab apostolica* (Romana) *sede et ecclesia principali.* Ibidem concludit: *Cum pastor ordinarius et aliquis alius qui praedicat non vocatus contraria docent, quod debeat omnino populus pastorem suum potius sequi quam illum alterum, qui non est pastor, etiamsi forte contingeret, ut pastor erraret.* Huc pertinet carbonarius ille, qui tentatus a Satana et de fide sua interrogatus respondebat, *se credere, quemadmodum ecclesia credit*, cumque instaret diabolus et quaereret, *quaenam esset ecclesiae fides*, respondebat, *ecclesiam credere id, quod ipse credat;* uti etiam mercator ille Placentinus (quem tantopere commendat Gregorius de Valentia in analysi de eccles. p. 205. ut scribat, *Deum nihil omnino habiturum, quod in tremendo illo judicio ipsi opponere possit),* qui statuebat, *velle se Pontificiam potius quam Lutheranam amplecti religionem ob id inprimis, quia illic compendio quodam discere possit veritatem, videlicet si affirmet, quod pontifex affirmat, neget, quod ipse negat; hic vero si Lutheranus fieri vellet, catechismum sibi discendum et Scripturam esse scrutandam* etc. Quarta unitatis species est *Iscariotica*, quando homines muneribus et praemiis corrupti idem sentiunt, atque haec causa multos in unitate papali detinet. Refert Sleidanus lib. septimo histor. proverbio olim jactitatum fuisse, quod *pauper et tenuis Lutherus multos locupletaverit, eo quod ejus impugnatores ampla honoraria a papa et episcopis acciperent, ac plurimos defendere oleum et chrisma, ut ipsi discedant unctiores.* Cui ignotum est, Eccium mercede fuisse conductum, ut contra Lutherum scriberet? Erasmus itidem muneribus solicitatus est, ut calamum adversus eum stringeret, sed respondit, *majorem esse Lutherum, quam ut contra ipsum insurgere velit.* Cur adhuc hodie tantopere reluctantur, ne constitutio pacificationis Passaviensis (quod salva existimatione, dignitate et regimine a Pontificia fide ad Augustanam confessionem cuilibet imperii statui transire liceat) ad episcopos extendatur, quod ipsi quoque suos episcopatus retinere debeant Augustanae confessionis doctrinam amplectentes, nisi quia verentur, ne id regno Pontificio fraudi sit? Refert Aeneas Sylvius, *multos concilii Basileensis patres in partes Eugenii papae praemiis ac muneribus adductos fuisse.* Jacobus Almainus in libris contra Cajetanum editis inter alia scribit, *multos valde praedicare auctoritatem papae non propterea, quod ipsi ita sentiant, sed tantum ut hisce assentationibus gratiam papae sibi concilient et beneficia ecclesiastica ad se trahant.* ** In chronico cujusdam Carthusiani Coloniensis titulo *Fasciculus temporum* ante multos annos edito in anno Christi 1044. sic habetur: *De pluralitate beneficiorum, quae circa haec tempora nimis invaluisse videtur et deinceps continuata, multumque dolenda ambitione praelatorum et simoniaca labe quam plurima scripta patrum habentur detestantia abusiones istas. Et nota, quod facile inventi sunt pauperes clerici et doctores, qui pluralitatem beneficiorum et pompam ecclesiasticorum reprehenderunt, donec offerret se occasio participandi, qua accepta communiter avaritia excaecavit eos. Fertur de quodam magistro magnae literaturae, qui valde sublimiter disputavit contra divitias praelatorum et fastum eorum, quasi omnino sic vivere non liceret. Haec cum nuntiata domino papae fuissent, plausibiliter respondit, demus ei bonam praeposituram et haec et illa beneficia, et bene pacatus erit. Factum est ita, et ecce protinus sententiam mutavit dicens: Nunque intellexi hanc materiam praeter modo, quippe qui de inope dives, de contemtibili repente gloriosus apparuerat.* ** Quinta species est concordia *tyrannica et servilis*, quando minis, persecutionibus et carceribus prohibentur homines aliter sentire. Sic in papatu ne mutire quidem licet contra papae tyrannidem ac scelera, contra abusus, superstitiones et idololatriam. Videatur liber Germanicus de tyrannico Hispanicae inquisitionis mysterio Joachimi Beringeri editus Ambergae anno 1611. et tractatus Petri Asili jurisconsulti de tyrannide Romanorum pontificum editus Francof. anno 1594. XII. 18.
Cum in comitiis Norinbergensibus anno 1523. a statibus Romani imperii postularetur ac sedulo urgeretur, ut in Germania Christianum liberumque institueretur concilium et ut omnes episcopi et praelati juramenti obstrictione a papa liberarentur, quo alioqui prorsus serviliter ei obstricti tenerentur et vice versa contrario juramento promovendae veritatis publicique boni citra ullius respectum severissime obligarentur, legatus pontificis aegerrime illud ferens prorsusque recusans dixit, *id nihil esse aliud quam colligare manus pontifici.* In oratione synodica Tridenti 4. Septembris anno 1562. coram patribus concilii nomine regis Galliae recitata sunt haec puncta: *Nostra patrumque nostrorum et avorum memoria synodos indictas fuisse, episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus peractos fuisse scimus. Vix tamen ullus aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores ventosque colligere, hoc certe praetermittere non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, quod minus legitima minusve libera dicuntur fuisse concilia. Qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur aut potius annuebant, qua re nulla in judiciis perniciosior nullave capitalior esse potest.* Sed non obstante gravissima illa Gallici oratoris admonitione nihilominus papalis illa tyrannis in Tridentino concilio dominata est, qua de re audiamus Vergerium testem oculatum, qui in epistola ad regem Poloniae p. 119. sic scribit: *Ego nullam aliam ob causam fui ex synagoga illa rejectus, nisi*

Digitized by Google

quia cum in Germania ut duorum paparum internuntius aliquandiu fuissem et causam hanc utcunque intelligerem, suspicio erat, me rem totam probe nosse et ejus ingenii esse, ut facile sinerem mihi a nonnullis episcopis persuaderi, ut contra papam voce praeirem et veluti viam sternerem, propter istam duntaxat suspicionem ejiciebar etc. *Ejiciebatur post me alius quoque, nempe Jacobus Nachiantes Fossae Clodiae episcopus. Cum enim legeretur decretum tertiae sessionis, pie et summa modestia dixit, sibi dura videri verba, mutuata scilicet ex c. ecclesiasticarum distinct. 11. in quibus dicebatur, eodem pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse eas, quas Papistae vocant traditiones, qua ipsummet evangelium, nihil enim esse quod cum evangelio conferri ullo modo possit. At duntaxat propter hoc jussus est a legatis Tridento discedere et Romam petere, si forte papa vellet illi ignoscere, quod tam fuisset temerarius, quod decreto ab ipsomet papa Romae condito ausus fuisset contradicere.* p. 122: *Nullum decretum, nullus canon fuit in sessionibus concilii Tridentini lectus, qui e Roma missus non fuerit, cogebantur vero miserrimae illae creaturae, mox ubi illud audissent recitari, annuere capite mitrato et demisse pronuntiare: placet, tametsi sentirent, vulnerari eorum conscientiam, vel quod alioquando non intelligerent, quid id esset, quod approbarent, nam plerique eorum erant valde rudes et indocti, vel quod ignorarent esse contra verbum Dei saltem aliqui.* 6. Sexta species unitatis est concordia *Herodiana*, siquidem Pontificii non consentiunt in omnibus, sed in uno illo extremo, quando contra Protestantes agendum, perinde ut olim Herodes ac Pilatus inter se vel maxime discordes, de Christo tamen e medio tollendo consentiebant. Constat ex historiis, multas viguisse dissensiones inter pontifices, cardinales, episcopos, monachos etc. Jesuiticam societatem reliqui monachorum ordines extremo odio prosequuntur, neque id injuria, quia *generatio unius est corruptio alterius*, dum Jesuitae reliquos monachos velut ignavum pecus fucos e pristinis suis alvearibus expellunt et sedes eorum occupant, perinde ut vulpeculae meles e cavernis suis graveolente stercorum nidore expellunt, qua similitudine illustrissimus meus princeps Dominus Johannes Casimirus ducum Saxoniae senior in colloquio cum episcopo Bambergensi Johanne Philippo a Gebsattel aliquando utebatur. Septima denique unitatis species est *extrinseca et accidentalis* non in interiore religionis unitate, sed in ceremoniarum,
XII. 19. rituum et externi cultus conformitate consistens. Pontificii enim licet de variis fidei articulis acerrimas contentiones et dissensiones foveant, tamen ceremoniarum similitudine speciem quandam unitatis utcunque prae se ferunt, ut rectissime ob id scripserit Lutherus in libro contra regem Angliae tom. 2. L. fol. 513: *Sub papa est quidem pompa externa unitatis, sed intus non nisi confusissima Babylon.*

Dissensiones fidei Pontificiae generales.

240. Dissensiones illas Pontificias fidei unitatem discerpentes idem Flacius in libro antea citato dispescit in *generales* et *speciales*. *Generales* vocat, quae concernunt ipsum corpus doctrinae Pontificiae, quod fuit diversis temporibus saepius variatum atque immutatum, nec eandem semper obtinuit faciem. Tales diversas ac variantes Pontificiae theologiae formas numerat quinque. Prima est *theologia Lombardica* orta circa annum 1150. cujus in articulo justificationis summa erat confusum quoddam chaos ex gratia et nostris operibus. Fuit haec Lombardica theologia in multis capitibus purior quam papistica hodierna, ut ex quatuor libris sententiarum demonstrari potest, unde etiam Parisienses toties ad marginem notant: *Hic Magister non tenetur.* Secunda est theologia *Scholastica* centum fere annis post Lombardicam orta, cujus in articulo justificationis summa erat, nudis humanis operibus, sed tamen secundum mandata Dei factis justificationem et salutem obtineri. Sunt autem distincti Scholasticorum ordines a se ipsis plurimum discrepantes, inter quos eminent *Thomistae*, *Scotistae*, *Occamistae* etc. ** Sorbonistae in Thoma non pauca dogmata damnarunt, ut patet ex iis, quae in fine Magistri sententiarum de erroribus Parisiis damnatis adduntur. Vide exemplar Lombardi Colon. anno 1576. apud viduam Johann. Bircmanni cum privil. caes. majest. impressum, f. 479. 480. 481. 482. 483. in quibus antilogiae in articulis fidei, item erronea et haeretica Thomae Aquinatis dogmata condemnantur. ** Wesselus theologus Parisiensis conqueritur, *sententiarios adeo invicem esse discordes et dissentientes, ut vix ex numero eorum unus atque alter reperiatur, qui in una et eadem sententia constanter consentirent.* Idem agnoscunt Roffensis contra Lutherum et Ambrosius Catharinus archiepiscopus concilii Tridentini assessor in scriptis contra Dominicum a Soto editis. Ludovicus Vives in comment. lib. 18. de civitat. Dei c. 18: *Disputant theologi, an potentia creandi possit communicari creaturae, de quo multa Thomas, cujus argumenta nititur infirmare Scotus, ut sua confirmet, quae labefactare conatur Occamus, ut sua figat; at ista quoque Petrus Aliacensis luxat. Usque adeo vel ludunt in re seria, vel affectibus et factionibus suis cogunt rem coelestem subservire.* Nec dissimulant hoc Lombardus et Scholastici. Sic enim Lombardus 2. sent. dist. 30. lit. E: *De peccato originali Scholastici doctores varie senserunt.* Dionysius Carthusian. 1. sent. dist. 2. quaest. 2: *Quaestio de distinctione divinorum attributorum est una ex praecipuis difficultatibus theologiae facultatis, de qua inter doctos famosos invenitur dissensio, inquisitio et concertatio, Thomamque valde lancinat Aegidius, aliique in utrosque feruntur.* Tertia est theologia *monastica*, cujus summa in articulo justificationis haec fuit, salutem sperandam ex indulgentiis papalibus, ex operibus supererogationis, ex ἐθελοθρησκείαις, unde populo inculcarunt, imagines esse adorandas, fiduciam in sanctos collocandam, pere-

Digitized by Google

grinationes ad sancta loca suscipiendas, fraternitates monachales, missas funebres, vigilias emendas etc. legenda sanctorum et conficta miracula in concionibus extulerunt. Quarta est theologia *interimistica*. Cum enim per lucem evangelii palpabiles illi errores manifestarentur, Papicolae cautiores fieri coeperunt et crassiora illa dogmata vel abjecerunt vel palliarunt, unde libellus Metaxycus admittit, nos justificari fide in Christum, sed per caritatem formata; concedit, per solum Christi meritum nos salvari, sed addit, bona opera ad salutem esse necessaria; concedit, missam non esse sacrificium propitiatorium, sed addit, esse applicatorium, per quod meritum Christi jamdudum acquisitum nobis applicetur. Quinta est theologia *Jesuitica*
XII. 20. *hodierna*, quae Scholasticis et superioris aevi scriptoribus Pontificiis in multis contradicit, nec tamen sibi ipsi constat in omnibus fidei articulis. Summa ejus est in doctrina de justificatione, quod justitia habitualis coram Deo valens consistit in habitu infuso, justitia vero actualis in meritis operum.

pecia-is. 241. Speciales Pontificiorum et Jesuitarum dissensiones revocari possunt ad haec duo capita, quod quaedam concernant *religionis principium*, quaedam vero *articulos fidei reliquos* ex principio illo deductos. Principium theologiae unicum est verbum Dei in canonicis Veteris et Novi Testamenti libris propositum. Sed quinam sint libri vere canonici, nondum convenit inter Pontificios. Concilium Tridentinum sess. 4. libris canonicis adjungit *Tobiam, Judith*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *duos Maccabaeorum*. Sed Cajetanus cardinalis Hieronymum e canone illos excludentem sequitur; Benedict. Arias Montanus, quem papa Gregorius XIII. filium suum appellat, in Bibliis Hebraicis cum interlineari interpretatione excusis et a theologis Lovaniensibus approbatis de illis sic judicat: Ecclesia *orthodoxa Hebraeum canonem secuta inter apocryphos recenset*. Idem statuunt Antoninus archiepisc. part. 3. tit. 18. c. 5. Dionysius Carthus. in comm. in Genes. Franc. Picus de fide et ordine credendi theor. 5. Erasmus in symb. catech. 4. p. 153. etc. unde Pererius praefat. in lib. 16. comment. in Daniel. p. 742. diserte scribit, *multos Catholicos nobiscum censere libros illos controversos apocryphos*. Sixtus Senensis lib. 1. biblioth. Stapletonus lib. 9. princ. fidei doctr. c. 6. alios V. T. libros dicunt *protocanonicos*, alios *deuterocanonicos*, utique ergo non erunt omnes aequalis auctoritatis. Papa Adrianus c. Sextam dist. 16. canonizavit synodum Constantinopolitanam sextam, sed in hac synodo confirmatur concilium Laodicenum, quod libros illos ex canone removet. Pistorius in prima motiva apostasias Badensis pag. 34. accusat Lutherum, *quod duos posteriores Esdrae e Bibliis evulserit*. Genebrardus in chronol. p. 90. *quartum librum Esdrae ad canonem pertinere* contendit; sed Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 20. *et tertium et quartum Esdrae apocryphos esse* agnoscit, quin etiam addit, *contineri in quarto Esdrae quaedam fabulosa ac Rabinorum Thalmudistarum somnia*, quod repetit lib. 2. de verbo Dei c. 1. Sic librum Baruch extra canonem esse agnoscit Johann. Driedo lib. 1. catalog. script. c. 4. ad difficult. 11. et Canus lib. 12. locor. c. 6. dicit, *non adeo explorate et firmiter in sacrorum numero ab ecclesia illum esse repositum;* sed Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 8. contendit, esse canonicum. Supplementum Esther Sixtus Senensis lib. 1. biblioth. sect. 3. secutus Lyranum e canone rejicit, sed reliqui Pontificii auctoritatem canonicam illi tribuunt. Apocrypha capita Danielis, videlicet historiam Susannae, Belis et Draconis Hieronymum secuti repudiant Joh. Driedo lib. 1. catal. script. c. ult. Ludov. Vives in lib. 18. August. de civ. Dei c. 31. Sixtus Senensis lib. 1. biblioth. sect. 8. sed reliqui Pontificii pro canonicis ea acceptant. Tertium et quartum Maccabaeorum esse extra canonem agnoscunt Pontificii plerique omnes, sed Fr. Turrianus pro canonibus apostolorum lib. 1. c. 11. vehementer suadet, *tertium Maccabaeorum in canonem recipi*. Quin imo Bellarminus ipse sibi in quaestione de libris canonicis V. T. fortissime contradicit, fatetur enim lib. 1. de verbo Dei c. 7. *Esdram constituisse canonem Hebraeum*, quem lib. 2. de verbo Dei c. 2. annumerat *Prophetis*. Quicunque igitur sub anathematis fulmine pro canonicis libris haberi jubent illos libros, quos Esdras in canonem non recepit, illi propheticae auctoritati contradicunt. Patres concilii Tridentini et Bellarminus hoc faciunt. Ergo. Ad textum Hebraeum in V. et ad textum Graecum in N. T. a vulgata versione Latina provocari posse negant patres concilii Tridentini, quos sequuntur Jesuitae. Sed in jure canonico cap. ut veterum dist. 9. expresse illud praecipitur. Id ipsum multis argumentis comprobant Ludov. Vives in lib. 14. August. de civ. Dei c. 8. in lib. 15. c. 13. Benedictus Arias Montanus unus ex patribus concilii Tridentini in praef. XII. 21.
super opus Biblicum, Erasmus a Leone X. dilectus filius appellatus in versione et annot. N. T. Maldonatus in comment. ad c. 8. Matth.: *Existimo, Latinam nostram vulgatam esse in hoc loco ex Graecis corrigendam*. Franc. Lucas praefat. annot. in Bibl.: *Ridiculum est hoc quorundam responsum*, *vulgatam Latinam authenticam esse*, *nec esse ex Hebraeis et Graecis corrigendam*. Fontes Hebraeos *corruptos* esse statuunt Lindanus lib. 1. de opt. gen. interpr. c. 2. Canus lib. 2. locor. c. 13. Contrarium ostendunt Joh. Isaacus, Benedict. Arias Montanus, Andradius etc. Disputat Bellarminus et quidem recte lib. 3. de verbo Dei c. 3. *ex solo sensu literali Scripturae sacrae peti posse argumenta efficacia*, *cum certum sit*, *illum sensum*, *qui ex verbis immediate colligitur*, *esse sensum Spiritus sancti*. Sed cardinalis Cusanus epist. 2. et 3. de communione sub una specie ad Bohemos contendit, *Scripturas esse ad tempus adaptatas et varie intellectas*, *ita ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponerentur*, *mutato ritu iterum sententia mutaretur ac mutato judicio ecclesiae*

Digitized by Google

mutatum esse et Dei judicium. Scripturam esse perfectam, hoc est continere ea omnia, quae ad fidem et mores pertinent, communiter negant Jesuitae, sed praeter perspicua Scholasticorum dicta ex Thoma, Scoto, Cameracensi, Durando, Bonaventura, Biele etc. pro perfectione Scripturae adducta ipsimet recentiores Pontificii calculum suum nostrae sententiae addunt. Cajetanus in 2. Tim. 3: *Scriptura utilis est ad doctrinae redargutionem etc. ut perfectus sit homo Dei, hoc est integer constans ex omnibus requisitis ad perficiendum hominem Dei.* Costerus in enchir. p. 48: *Non inficiamur, praecipua illa fidei dogmata ad salutem omnibus necessaria perspicue satis comprehendi in Scripturis.* Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 11: *Dico, illa omnia scripta esse ab apostolis, quae sunt omnibus necessaria et quae ipsi palam omnibus vulgo praedicaverunt.* Jesuitae in colloquio Ratisbonensi edit. Spir. anno 1602. §. 216. ad locum Augustini ex libro de unit. eccles. c. 16. a nostris adductum aperte annotarunt, *se paratos esse, ex sola Scriptura suam ecclesiam adversus Lutheranos demonstrare, imo articulos fidei ex sola Scriptura sufficienter defendi posse adversus eos, qui ecclesiae et conciliorum auctoritatem non admittunt.* Pari ratione Pistorius jactitat, *se ex sola Scriptura sacra cum Lutheranis disputare ac errorum eos convincere velle*, sed huic contradicit Eccius, qui coram Wilhelmo Bavariae duce in comitiis Augustanis fassus est, *ex patribus quidem Lutheranam religionem quodammodo refutari posse, sed non ex Scriptura*, ut refertur tom. 5. oper. Germ. Luth. fol. 35. unde etiam Alb. Piggius lib. 1. de eccles. hier. c. 4. certamen illud improbat. *Si hujus*, inquit, *doctrinae* (scilicet cum Lutheranis non esse disputandum ex Scripturis) *fuissemus memores, meliore sane loco res nostrae essent, sed dum ingenii ostentandi et eruditionis gratia cum Luthero in certamen Scripturarum descenditur, excitatum est hoc, quod proh dolor videmus, incendium.* Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes *pari pietatis affectu et reverentia cum libris scriptis suscipiendas* esse decretum est in concilio Tridentino sess. 4. c. 1. Sed Jacobus Nachiantes Fossae Clodiae vel Clugiensis episcopus in ipso concilio Tridentino dixit, *verba illa sibi dura videri, nihil enim esse, quod cum evangelio conferri possit.* Verger. epist. ad Reg. Polon. fol. 119. ac Stanislaus Hosius cardinalis disputat, *primum locum obtinere scriptum evangelium, proximum vero traditiones.* Scripturarum lectione laicis interdicendum esse plerique Pontificii censent, sed aliter visum est Claudio Espencaeo theologo Lorbonico comment. in c. 2. Tit. et 2. Tim. 3: *Aliqui* (inquit) *existimant,*
XII. 22. *Scripturas difficiliores esse quam ut debeant laicorum manibus conteri, sed aliter visum est patribus V. et N. Testamenti.*

242. Scripturam sacram esse unicum et proprium theologiae principium Pontificii non agnoscunt, sed *ecclesiae*, hoc est, ut ultima analysis ostendit, *pontificis Romani*, auctoritatem principii loco habent. Verum enimvero ne in hoc quidem principio omnes consentiunt. Disputat enim Bellarminus lib. 4. de pontif. Rom. c. 2. de judicio pontificis, an sit certum atque infallibile, quatuor esse diversas sententias. *Prima, pontificem etiam ut pontificem, etiamsi cum generali concilio definiret aliquid, posse esse haereticum in se et docere alios haeresin et de facto aliquando ita accidisse.* Hanc sententiam nobis (quos *haereticos* vocat homo totus haeresibus immersus) tribuit. ** Sed ipse Tostatus defens. part. 2. c. 30. scribit: *papa potest errare in fide et operibus et effici haereticus, ut in Marcellino, Liberio et Johanne XXII. apparet. Neque sequitur: papa condemnat aliquam propositionem tanquam haereticam, ergo est haeretica.*** Secundam sententiam tribuit illis, qui statuunt, *pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum et docere haeresin, si absque generali concilio definiat, et de facto ita aliquando accidisse. Hanc opinionem* (inquit) *tuetur Nilus in libro suo adversus primatum papae, eandem secuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson et Almain in libris de potestate ecclesiae nec non Alphonsus de Castro lib. 1. c. 2. contra haereses et Adrianus VI. papa in quaestione de confirmatione, qui omnes non in pontifice, sed in ecclesia sive concilio generali tantum constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei. Tertia sententia est, pontificem non posse ullo modo esse haereticum, nec docere publice haeresin, etiamsi solus rem aliquam definiat.* Ita Alb. Piggius lib. 4. hier. eccles. c. 8. *Quarta sententia est, pontificem, sive haereticus esse possit, sive non, non posse ullo modo definire aliquid haereticum a tota ecclesia credendum.* Postea addit de singulis hisce sententiis ἐπίκρισιν. *Prima, inquit, est haeretica; secunda non est proprie haeretica, nam adhuc videmus ab ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur, tamen videtur omnino erronea et haeresi proxima; tertia probabilis est, non tamen certa; quarta certissima est et asserenda.* Atqui si non est haereticum statuere, *pontificem etiam ut pontificem posse esse haereticum*, ubi manet certitudo illius principii, in quod fides Pontificia ultimo resolvitur, quod judicium Romani pontificis sit infallibile? Huc pertinet, quod libr. ejusd. c. 7. §. 2. disertis verbis scribit Bellarminus, *non esse omnino certum* (in ecclesia Romana), *an possit, nec ne esse haereticus pontifex;* itemque quod lib. 2. de pontif. c. 30. operose disputat, *an papa haereticus deponi possit*, ubi quinque opiniones Catholicorum enumerat. Atqui si est ex numero τῶν ἀδυνάτων, pontificem fieri haereticum, quo fine quaeso disputatur, *an papa haereticus deponi possit?* Perinde enim hoc est, ac si quis disputet, an angeli sancti in peccatum prolapsi coelo exturbari possint, cum post confirmationem in bono non possint in peccatum prolabi, ideoque frustra quaeratur, an coelo exturbari possint. Ceterum ut de infallibili pontificis judicio, ita quoque de auctoritate ejusdem supra concilium nondum conveniunt. *Majorem esse concilii quam papae auctoritatem* statuunt Came-

Digitized by Google

racensis et Gerson in libris de potestate ecclesiae, Occamus lib. 6. part. 1. Cusanus libr. 2. de concord. Cathol. c. ult. Alphonsus libr. 1. contra haeres. c. 8. ac Sorbona Parisiensis, quinimo ipse Aeneas Sylvius, postea Pontifex Pius II., lib. 1. de gestis concil. Basil. fol. 5. diserte scribit: *Necesse est, ut pontifex concilio subjiciatur. In Hieronymi sententia tanquam in agro fertilissimo versor, ubi dicit, auctoritas orbis major est urbe. Magna papae auctoritas, qui Romanae praeest ecclesiae, major est auctoritas universalis ecclesiae, quae si mater est omnium, filium habet Romanum pontificem, alias vero non habebit Deum patrem, quia non habet*
XII. 23. *ecclesia matrem.* ** Anno 1409. *quidam cardinales et episcopi, 124 theologi, 300 jurisconsulti Pisis concilium congregarunt, et quia eo tempore erant duo pontifices, quorum unus Avenione in Galliis sedebat Benedictus scilicet XIII., alter vero Romae in Italia sedem constituerat Gregorius scilicet XIII. Concilium Pisanum utrumque tanquam haereticum et seditiosum deposuit inque eorum locum Alexandrum V. elegit, quem priores a concilio depositi haereticum declaraverunt.* Naucl. anno 1409. Hic jam difficilis oritur quaestio, an alteruter a concilio depositorum, an Alexander V. fuerit verus pontifex? Si prius, Alexander V. erit haereticus ac schismaticus, et successores ejus habebunt ordinationem ab haeretico, adeoque successio erit interrupta. Si posterius, concilium erit supra papam. Basileense concilium itidem *deposuit duos pontifices de sede Romana vulturum instar digladiantes* et eorum loco elegit Felicem V. anno 1431. Constantiense concilium tempore Sigismundi imperatoris *tres deposuit pontifices*, Johannem XXIII. Gregorium XII. Benedictum XIII. et elapso demum biennii ac sex mensium decursu Martinum eorum loco elegerunt. ** Contra vero *papam esse supra concilium* probare conantur Canus lib. 5. locor. c. 5. Piggius lib. 6. de eccles. hierarch. c. 13. Cajetanus in pecul. tract. Turrianus libr. defens. locor. script. pag. 294. ubi scribit: *Statuere, quod concilium sit supra papam, est repugnare naturae nihilque aliud quam partem toti praeferre*, unde expressis verbis fatetur Bellarminus libr. 2. de concil. c. 13. *usque ad hanc diem quaestionem ea de re superesse inter Catholicos.* Atqui si papae judicium est fidei principium, si in papa infallibilitas formaliter et principaliter quaerenda, utique certum esse debet, quod sit supra concilium, quippe cui infallibilitatem unice impertit et communicat. Si vero nondum certum est, papam esse supra concilium, utique judicium papae non potest esse principium fidei. Denique pontifici competere summam jurisdictionem ac potestatem in temporalibus negant Marsilius Patavinus in defensore pacis, auctor oneris ecclesiae c. 20. §. 6. Alber. Rosates in lexico verb. Electio. Petrus Ferrariensis in forma libelli act. confess. verb. plenam, Petrus de Vineis cancellarius Friderici Secundi in epistolis, Michaël Ulcurunnus Pampilonensis in tract. de regim. mundi ad imper. Carol V. Hieron. Venderamus in assert. contra detractores reipubl. Venetae etc. Contrarium statuunt Franciscus Bozzius, qui de temporali ecclesiae monarchia quinque libros scripsit et in publicum edidit Colon. anno 1602. Mariana de rege libr. 1. c. 2. Martinus Becanus in scriptis contra regem Angliae, quae publico Parisiensis scholae decreto sunt condemnata. Bellarminus lib. 5. de pont. c. 6. distinctione utitur: *Pontifex ut pontifex etsi non habet ullam mere temporalem potestatem, tamen habet in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianornm.* Sed hanc Bellarmini opinionem publicis scriptis refutavit Barclaius, qui in libr. de potestate papae c. 13. pag. 101. scribit, *se ex patribus ordinis Jesuitici intellexisse, quod Sixtus V. aegerrime tulerit a Bellarmino doceri, non nisi indirecte convenire pontifici potestatem temporalem, indeque parum abfuisse, quin omnia illius opera, quae haeresin hodie summo successu oppugnant, censura Pontificia cum magno ecclesiae detrimento* (scilicet) *abderentur.* Certe Sixtus ipse hanc Bellarmini distinctionem aperte refellit, quando in bulla contra Henricum III. Franciae regem asserit, *se supremam in omnes reges ac principes universae terrae cunctosque populos, gentes et nationes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere.*

243. Nec minor dissensio in reliquis articulis. In articulo *de persona Christi* Jesuitae plerique omnes Scholasticos secuti statuunt, *Christum esse mediatorem tantum secundum humanam naturam.* Lombardus 3. sent. dist. 19. Bellarminus lib. 5. de Christo c. 3. Pistorius in hodeg. p. 161. appellat *blasphemiam, si Christus secundum utramque naturam statuatur mediator.* Sed Claudius Espencaeus episcopus comm. in 1. Tim. 2. in tract. de Christo mediat. c. 2. XII. 24.
et 5. hunc errorem et argumenta, quae pro illo stabiliendo afferuntur, late et exacte refellit, ac Suarez in Thomam tom. 1. q. 1. art. 2. disp. 4. sect. 5. ostendit, *sibi omnino displicere modum loquendi, qui negat, Christum et sibi et toti Trinitati pro nobis satisfecisse, cum sit aperte contra Scripturas, et adducit dictum apostoli: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, ubi* (inquit) *sicut Deus dicitur esse in Christo ratione divinae naturae, ita ratione ejusdem dicitur reconciliasse mundum sibi.* In articulo *de electione* Bellarminus lib. 2. de grat. et libr. arbit. c. 9. Francisc. Suarez et quidam alii negant, *praedestinationem ad gloriam factam esse ex praevisis meritis*, unde et distinguunt *inter voluntatem praedestinantem et exsequentem.* Sed Becanus in theol. scholast. part. 1. tract. 1. c. 14. p. 146. contra sententiam illam late disputat concludens, *Deum efficaciter elegisse aliquos ad gloriam ex praevisis meritis*, ac pro hac opinione praeter antiquos adducit Piggium, Osorium, Ruardum, Driedonem, Eccium, Turrianum, Stapletonum, Ludov. Molinam, Gregorium de Valentia, Vasquez etc. Anno 1614. Jac. Hackerus professor theologiae in academia Friburgensi edidit tractatum de prae-

Digitized by Google

destinatione, in quo disputationem Andreae Urciani de eadem materia a tredecim diversorum ordinum fratribus et patribus subscriptam refellit et in quatuor elementa, videlicet mendacia, haereses, antilogias ac sermonis sordes, resolvit. Bellarminus lib. 1. de grat. et lib. arbit. c. 12. et 13. ex Scripturis, patribus et ratione probare conatur, *Deum largiri nonnullis gratiam sufficientem ad eorum conversionem, quae non est efficax ad eos convertendos.* Sed Paulus Bennius in lib. de efficac. gratiae Clementi VIII. dedicato c. 14. contra illam distinctionem late disputat: *Per inconsiderantiam* (inquit) *isthaec Jesuitis permiserunt nostrates theologi quidam atque in varias salebras incaute inciderunt. Nam dicere, per sufficientem gratiam habere nos posse tantum, actu vero converti haberi ab efficaci, nil aliud est quam posse sine posse largiri et pugnantia loqui.* Adducit etiam pro sua sententia Ozorium et Johan. Antoninum Delphensem, qui concilio Trident. interfuit. In articulo *de imagine Dei* Bellarminus libr. de gratio primi hominis c. 2. et plerique omnes Jesuitae statuunt, *imaginem Dei consistere in essentialibus animae facultatibus, mente, voluntate ac memoria; similitudinem vero in qualitatibus animae, quod intellectus illuminatus fide, memoria confirmata spe, voluntas caritate.* Sed hanc sententiam refellit Pererius libr. 4. in Genes. pag. 474. atque ex immotis Scripturae fundamentis probat, *et imaginis, et similitudinis nomine* idem intelligi. In articulo *de peccato originis* multas fovent dissensiones. Jac. Faber in c. 5. Rom. docet, *nos nihil ex Adamo trahere nisi obligationem ad mortem.* Alb. Piggius controv. de pecc. orig. et Ambros. Catharinus libr. de laps. hom. et pecc. orig. c. 6. statuunt, *peccatum originis non habere veram peccati rationem, sed esse tantum reatum, quo posteri primorum parentum propter transgressionem illorum primaevam sine aliquo vitio proprio et inhaerente naturae pravitate devincti teneantur.* Ruard. Tapperus in art. de pecc. orig. scribit: *In parvulo recens nato nihil invenio, quod vere et proprie peccati rationem habeat.* Cornelius canonicus Colon. tom. 2. animadv. disputat, *peccatum originale non esse proprie peccatum, cum non sit defectus perfectionis necessariae ad beatitudinem* etc. Qua in parte sequuntur quosdam ex Scholasticis. Durandus enim in 1. sent. dist. 30. q. 2. disputat, *peccatum originis esse merum reatum nulloque modo culpam dici posse vel debere.* Occam in dial. in c. 2. ait, *se si non impediretur auctoritate patrum, dicturum, peccatum originale nihil esse nisi non acceptationem divinam propter aliquod demeritum praecedens in alio.* Sod Pelagianam illam opinionem refellit Bellarminus lib. 5. de amiss. grat. et statu peccati c. 6. ubi quam mollissime eam vocat *minus rectam.* Andradius lib. 3. defens. Trid. fatetur, *admodum illustres theologos* (Pontificios) *adhuc laborare in explicatione peccati originalis, quia concilium Tri-*
XII. 25. *dentinum cum definiret peccatum originis vere esse peccatum, illius tamen propriam rationem consulto silentio involvit.* An peccatum originis in quadam positiva qualitate consistat, *de eo inter Catholicos* (Pontificios) *adhuc disceptari agnoscit Bellarminus* lib. 5. de amiss. gratiae et statu pecc. c. 15. *An B. Maria speciali quodam privilegio a labe originalis peccati fuerit immunis*, de eo plurimum apud ipsos disceptatur, ut ostendit concertatio inter monachos ordinis Dominicani et Franciscani anno 1370. Antoninus part. 3. tit. 24. c. 11. §. 3. p. 315. *S. Brigitta revelationem (ut asserit) habuit, virginem Mariam conceptam sine originali peccato; B. Catharina de Senis non, ut creditur, minoris sanctitatis et canonizata, habuit revelationem in contrarium.* Catharinus narrat, cum in concilio Tridentino de hac quaestione deliberatum esset, aliis aliud esse visum, atque interim dum patres ea de re consultant a magistro sacri palatii et aliis theologis editum fuisse librum cardinalis de Turrecremata contra incontaminatam B. Virginis conceptionem scriptum, illum paulo post Catharinus aspero et prolixo scripto refutavit. Jod. Clichtovaeus duos libros edidit de immaculata puritate conceptionis B. Mariae, quam septendecim argumentis probare nititur. Bellarminus lib. 4. de amiss. gratiae et statu pecc. c. 15. dicit, *non haberi apud Catholicos pro re certa et explorata ac fide catholica tenenda B. Virginem fuisse sine peccato conceptam.* Sed obstat illi determinatio concilii Basileensis, quam presse urget Biel 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 2. In articulo *de peccatis actualibus* nondum per omnia consentiunt. Communis Jesuitarum schola statuit, *quaedam peccata esse sua natura venialia.* Sed hoc improbatur Gersoni de vita spirit. lect. 1. Bieli 4. sent. dist. 16. q. 2. art. 1. Roffensi acerrimo Lutheri adversario. In articulo *de libero arbitrio* quoad doctrinam de efficacia gratiae non conveniunt. Becanus de auxil. gratiae part. 2. c. 3. thes. 6. disputat, *causam, quod gratia Dei non semper sit efficax, neque omnes convertantur, esse in libero arbitrio, esse enim in viribus humanis gratiae vel assentiri, vel non. Qui ergo vi liberi arbitrii gratiam illam acceptet, eum converti, qui vero non acceptet, illum non converti; proinde si quaeratur prima radix, quare haec gratia sit efficax, illa inefficax, recurrendum esse ad liberam cooperationem voluntatis.* Sed dissentit aperte a Becano Bellarminus lib. 1. de grat. c. 12. et 13. ubi refellit eos, qui statuunt, *gratiam ideo sortiri effectum, quia voluntas humana cooperetur, addita ratione, quia sic fidelis ab infideli per liberum arbitrium discerneretur et fidelis coram infideli gloriari posset, quod est contra 1. Cor. 4, v. 6.* In articulo *de justificatione* multis modis dissentiunt, sive theoriam, sive praxin respicias, ut late ostendimus in tract. de justificatione §. 218. sub finem tomi tertii locorum. De *dubitatione* publicis scriptis disceptarunt Ambrosius Catharinus et Dominicus Sotus. Imputationem justitiae plerique omnes Jesuitae negant et vocant *putativam justitiam;* sed Stapletonus lib. 7. de justific. c. 9. et Vega libr. 15. de justificat. c. 20. p. 712. agnoscere coguntur, *Catholicos aliquos pios*

Digitized by Google

et doctos viros statuisse, nullum alium esse justitiae conservandae modum, quam si justitia Christi nobis imputetur. Meritis operum plerique omnes patrocinantur, sed Vega opusc. de meritis q. 4. agnoscit, *multos Catholicos meritum omne negasse.* Septenarium sacramentorum numerum communiter propugnant, sed Gregorius de Valent. lib. de num. sacr. c. 3. et c. 7. agnoscit, *non esse in eo universalem Pontificiorum consensum. Catholici* (inquit) *alii negant, matrimonium, confirmationem, alii extremam unctionem esse univoce sacramentum.* ** Ambrosius Catharinus archiepiscopus Minoriensis et Dominicus de Soto theolog. Hispanus Caroli V. confessor complures annos libris partim Romae, partim Venetiis, partim Antuerpiae excusis de primariis et plane necessariis articulis, nempe de *certa fiducia gratiae Dei* vel *dubitatione*, de *praedestinatione*, de *originali peccato*, de *libero arbitrio* et *induratione peccatoris* atrociter digladiati sunt. Idem archiepiscopus Catharinus scripsit etiam contra Cajetanum cardinalem et in ejus opusculis 204 errores tanquam impios et Antichristianos refutavit. Franciscus Torrensis objicit Catharino, *quod negarit, legem Moysis esse legem Dei, et neget, Pauli praecepta esse Christi praecepta, idque cum quorundam veterum seductorum haeresi habeat commune.* Vicissim in libro adv. Torrensem Catharinus Torrensem inter alia accusat, *quod asserat, coelibatum ministrorum ecclesiae catholicae esse praeceptum de jure divino scripto sancitum, teneri episcopos, presbyteros, diaconos, hypodiaconos continere se perpetuo a suis uxoribus, quas ante habuerunt, idque praecepto Christi per Christum et apostolos praedicato et ab ipso scripto. Erravit igitur* (inquit Catharinus) *universus Scholasticorum coetus et Thomas, qui docuit, ex statuto tantum ecclesiae esse debitum continentiae* etc. ** In articulo *de*
XII. 26. *coena* quot contradictiones occurrunt! in quaestione de transsubstantiatione, de communione sub una specie, de consecratione etc. *Coelibatum* jure divino sacris ordinibus annexum esse statuunt Clichtovaeus lib. de continent. sacerd. c. 4. Torrensis, Pererius, Michaël Medina etc. alii vero contra disputant, *non jure divino, sed ex ecclesiae consuetudine et decreto* id esse, Cajetanus in opusc. tom. 1. tract. 27. Dominicus Sotus lib. 7. de justit. q. 6. art. 2. Joh. Caspar. Rulandus tit. 16. Bellarminus lib. 1. de cler c. 18. et lib. 1. de matrim. c. 21. Costerus in enchir. c. 15. Petrus a Soto in confut. confess. Wirtemberg. etc. Aeneas Sylvius postea pontifex Pius II. reliquit hoc dictum, *sacerdotibus magna ratione ademtum esse conjugium, majori autem restituendum videri,* referente Platina et Sabellico. Conjugium etiam *quoad vinculum* per adulterium dissolvi statuunt Erasmus in annot. 1. Cor. 7. Cajetanus in lib. proprio et in c. 19. Matth. Ambrosius Catharinus lib. 5. annot. etc. sed concilium Tridentinum sess. 8. sub Pio IV. can. 7. et Bellarminus ejus hyperaspistes statuunt contrarium. ** Catharinus in lib. contra Torrensem affirmat, *jejunium quadragesimale non esse juris divini, et Thomam citat, qui universaliter dicit, ex statuto ecclesiae factam esse jejunii determinationem* etc. At contra Torrensis in lib. de residentia ministrorum jejunium quadragesimale censet esse juris divini. ** In articulis reliquis quam graves foveant dissensiones et quomodo in singulis fere controversiis nostram vel inscii vel veritatis vi coacti propugnent sententiam, suo expositum fuit loco et sequentibus etiam articulis ostendetur. Videatur liber Flacii de dissensionibus, sectis ac dissidiis Pontificiorum, in quo late demonstrat, *multos pontifices cum ecclesiis orientalibus et Africanis litigasse, non paucos contraria decreta statuisse, nonnullos a fide resiliisse, aliquot schismata in ecclesia Romana contigisse, multa concilia sibi ipsis adversari, ordines monasticos raro consentire, Thomistas, Scotistas, Occamistas in plurimis dissidere, monachos mendicantes maxima certamina excitasse, discordare Lombardum et Gratianum, quorum ille theologiam conscientiariam, hic judiciariam scripsit, reformationes a pontificibus promissas esse, quae testes sint rixarum et corruptelarum, doctrinam papisticam sibi ipsi in multis contradicere* etc. Haec omnia Flacius. ** Singuli fere episcopatus sua propria breviaria, missalia, suas peculiares ceremonias, agenda, imo etiam proprios sanctos, festa, cultus et idola habuerunt et etiamnum habent ac secundum illorum diversitatem diverso ab aliis modo religionis cultum exercent. Quot monachorum ac monialium ordines! cuivis ordini sunt sui servatores ac mediatores, suae propriae vestes, regulae, ceremoniae, peculiares sancti, missalia, breviaria, agenda et libri ceremoniales praescripti. ** Videri etiam potest de hoc argumento liber D. Pappi, in quo collegit contradictiones doctorum Romanae ecclesiae ex Bellarmino, Papa non papa Osiandri, Apologia catholica Mortoni, de papatu se ipsum destruente D. Hunnii etc. Bellarminus ad objecta monachorum ac Scholasticorum dissidia utcunque respondet, *nomina Benedictinorum, Franciscanorum, Dominicorum desumta esse non ab auctore doctrinae, sed ab institutore severioris disciplinae, Thomistas et Scholasticos Scotistas dicit non dissentire in rebus, quae ad fidem pertinent; se et sua subjicere ecclesiae Romanae definitioni omnes Catholicos, ideo in rebus fidei omnes convenire.* Respondemus: 1. ostendimus superius, XII. 27.
Dominicanos et Franciscanos de conceptione B. Mariae discordes fuisse. Praeterea monachi ordinis sui regulas observant sub opinione cultus et meriti ac in suis illis electitiis operibus quaerunt justitiam et salutem, tot igitur inter illos sunt diversae de justificatione opiniones, quot ordines. Adde quod ordines reliqui a Jesuitarum doctrina et moribus plurimum dissideant. 2. Dissensiones Scholasticorum versari etiam in rebus fidei, si non directe, tamen per indirectum, multis exemplis ostendi potest. 3. Pontificii scriptores licet se et sua judicio Romanae ecclesiae subjiciant, hoc tamen nequaquam efficit, quo minus sentiant id quod sentiunt, hoc est, quo minus invicem opinionibus dissentiant; sed arguit praeposterum erga Romanum pontificem obsequium, quod

Digitized by Google

in illius gratiam repudient ac damnent ea, quae ex clara sacrarum literarum luce cognoverunt.

An in evangelicis ecclesiis sit vera unitas.

244. *Membrum tertium.* Num in ecclesiis evangelicis sit vera unitas. Negat hoc Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 7. § *denique* duobus potissimum argumentis: *1. Constat* (inquit) *ex Friderico Staphylo in libro de concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vixdum natos dividi coepisse in Anabaptistas, Confessionistas et Sectarios, et rursum singulas sectas in alias atque alias usque ad 34 et hoc quidem tempore Staphyli, nunc autem numerantur fere 110 diversissimae sectae ab uno Luthero prodeuntes.* Idem nobis objicit Canisius in praefat. lib. Vegae de justif.: *Protestantes se hydram ostendunt, nec unius sunt labii, ut prophetae verbis utar.* Respondemus: 1. Staphyli apostatae calumnias et convicia non debuisset nobis iterum Bellarminus obtrudere, cum iisdem vixdum in lucem editis solide et nervose nostri responderint. ** *Quodsi praeter scandalum tot sectarum ne inter praecipuos quidem reformationis duces per omnia potuit convenire, cur adeo miremur? homines utique erant, via, quam insistebant et in qua verum cupide quaerebant, angusta, solet autem iter angustum rixas transeuntium concitare, cum illa diffusa et patens via elogio Scripturarum damnata ne populos quidem collidat. Quid? nonne in seculorum omnium historia ecclesiastica simile potest observari? nonne Basilius Magnus et Gregorius Nazianzenus, ut alios taceam, ejusmodi querelis et epistolas et alia sua scripta complerunt?* etc. Casaubonus in praefat. exercit. ad annal. Baronii. ** 2. Ab Anabaptistis et aliis sectariis Augustana confessio ecclesias nostras disertis verbis separat, qua igitur fronte Bellarminus in societatem nostram illorum errores ac sectas compingit? 3. De sectariis dicimus cum apostolo 1. Joh. 2, v. 19: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* ** Vide omnino Lutherum tom. 6. Jen. Germ. f. 315. b, ubi ex ipsa ecclesia haereticos ortos docet et tom. 7. Jen. fol. 127. ubi utitur similitudine a corpore humano ducta.** 4. Id ipsum potuisset objici et vere etiam objectum fuit a gentilibus ecclesiae apostolicae, hoc est ab apostolis plantatae, de qua Paulus Act. 20, v. 30. ad Ephesinos episcopos dicit: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Refert Clemens Alexandr. lib. 7. stromat. fol. 155. *Judaeos et gentiles tunc temporis valde exagitasse ecclesiam Christianam hac potissimum calumnia, quod Christiani inter se ipsos dissideant ac nulla inter eos sit concordia* etc. Erant enim illo tempore plusquam viginti haeresiarchae, quorum quisque suos coetus ecclesiasticos et scholasticos habebat, in quorum numero doctissimi viri reperiebantur. *Hoc* (inquit Clemens d. l.) *adversus nos adducunt Judaei dicentes, non oportere credere propter dissensiones haereseon, retardatur veritas, dum alii alia docent, ad quod dicimus, quod apud vos Judaeos et illos Graecos plurimae fuerunt haereses, nec tamen dubitarunt alii philosophicae se tradere disciplinae. Oportere esse haereses praedictum est a Domino et fieri non potest, ut non fiat, quod praedictum est esse futurum, hujus causa est, quod quidquid est pulchrum, sequitur momus* etc. Postea similitudinibus quibusdam respondet isti objectioni: *Si appositus est fructus verus et maturus, alius fructus ex cera quam maxime similis, num propter similitudinem abstinendum est ab utroque? et quomodo, si una est via regia et aliae multae, ex quibus quaedam etiam* III. 25 *ferunt in praecipitium, aliae in fluvium, aut in mare profundum, non dubitabit quisquam in viam ingredi ob dissensionem, sed quaerit regiam; ita non est propter dissensiones a veritate discedendum, sed exactius et diligentius inquirendum.* Idem apparet ex Chrysostomo, qui hom. 33. in Act. p. 679. edit. Gr. sic scribit: *Quid respondebimus gentibus? Venit gentilis ac dicit: Vellem fieri Christianus, sed nescio, cui adhaeream, multae inter vos sunt pugnae, seditiones ac tumultus, nescio quod dogma eligam, quod praeferam. Singuli dicunt, ego verum dico, cui credam nescio, cum ego Scripturarum sim ignarus et illi utrinque idem praetexunt. Sane hoc multum pro nobis, nam siquidem diceremus, nos rationibus credere, merito turbareris, sed cum Scripturas accipimus et illae simplices sunt ac verae, facile tibi fuerit judicare, si quis illis consensit, Christianus est; si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone* etc. Et postea: *Sit autem quis nulli omnino dogmati addictus, si etiam ille dicat, id quod tu de Christianis dicis? Tanta multitudo hominum est et varia habent dogmata, nam ille quidem ethnicus est, alius autem Judaeus et iterum alius Christianus, nullum dogma amplecti oportebit, quia inter se pugnant* etc. Fuerunt Nicaeae post symbolum editum, qui licet se Arianorum hostes profiterentur, intestinis tamen dissensionibus unitatem fidei non parum lacerabant, quos Constantinus imperator gravissimo sermone compescuit apud Theodoretum lib. 1. c. 7. Augustinus, qui quarto post natum Christum seculo floruit, 88 haereses in ecclesia excitatas commemorat in lib. ad Quodvultdeum. Idem ante Augustinum fecerunt Philastrius et Epiphanius. Agnoscit hoc ipse Bellarminus, sic enim scribit lib. 1. de concil. c. 10: *Tradit Isidorus, ante Constantini Magni tempora ecclesiam Christi in diversas sectas fuisse divisam.* Quodsi ergo apostolicae et primitivae ecclesiae unitatem minime labefactavit, quod ex ea egressi sunt Hymenaeus, Philetus, Cerinthus, Nicolaitae, Simoniani etc. quomodo sectarum origo ecclesiis nostris fraudi esse poterit? Haec est fortuna ecclesiae omnium temporum, *ut sint in ea schismata* et oriantur haereses 1. Cor. 11, v. 19. ubi bonum semen, ibi diabolus superseminat errorum et corruptelarum zizania Matth. 13, v. 25. ubi ovile, ibi grassantur lupi rapaces Actor. 20, v. 29. Regerit Bellarminus, *hoc esse discrimen inter divisionem haereticorum ab ecclesia et divisionem ab aliqua haeresi, quod in ecclesia inveniatur certa regula componendarum controversiarum, id est sen-*

Digitized by Google

tentiae summi pontificis vel concilii plenarii, ideo vel non oritur ex doctrina ecclesiae dissensio, vel si oriatur, mox scissura resarcitur. At apud haereticos non est ulla regula finiendarum controversiarum, quisque enim vult esse judex aliorum seque aliis praeponit. Respondemus: ex Chrysostomo hom. 13. in 2. Cor. 7. circa fin.: *ἔχομεν ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων καὶ γνώμονα καὶ κανόνα τῶν θείων νόμων τὴν ἀπόφασιν.* Scriptura sacra est unica, immota et adaequata fidei regula, ut alibi late demonstratum fuit, quod huic regulae in dogmatibus congruit, acceptamus, quod non congruit, respuimus. Quod vero haeretici ac schismatici regulae illi ac judicio Spiritus sancti sese non subjiciunt, id nequaquam probat, hanc regulam esse imperfectam atque insufficientem, cum nec ipsius pontificis vel concilii sententiae sese subjiciant. Neque in hac vita exspectandum tale judicium, quo haereses omnes sopiantur et aboleantur, tale enim in die decretorio novissimo demum succedet, quinimo ne quidem per pontificis vel concilii sententiam haereses plane sopiri possunt, agnoscit hoc ipse Bellarminus, unde lib 2. de concil. c. 19. col. 129. ad objectionem: *Si ecclesia habet malum pontificem, erit sine remedio,* sic respondet: *Non est mirum, si manet ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex sit Deus* etc. Quemadmodum igitur miraculo quodam per scissum rete copiosa piscium multitudo concludebatur Luc. 5, v. 6. sic in ipsis haeresium scissuris unitas ecclesiae mili-
XII. 29. tantis conservatur et ad vitae aeternae portum homines adducuntur. Merito autem miramur, quod Bellarminus pontificis et concilii sententiam hoc loco disjungat, cum alibi disputet, *infallibilitatem judicii residere in solo pontifice, et concilia etiam generalia nullam habere auctoritatem, nisi a pontifice confirmentur.* Quodsi ergo sibi constare voluisset, solius pontificis vel in concilio vel extra concilium judicantis sententiam debuisset unicam fidei regulam statuere, at quam irregularis, incerta et falsa sit ista regula, suo loco demonstratum fuit.

245. *2. Iidem auctores haeretici secum non consentiunt, quae est certissima nota falsae doctrinae. Lutheri contradictiones innumeras collegit Johan. Cochlaeus in septicipite, ubi ad finem adjecit 36 varias sententias unius Lutheri de uno articulo, qui est de communione sub utraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam omnes pro sacrosancta habent, ita immutarunt et varie ediderunt, ut nesciant ipsi, quae sit vera confessio, teste Andrea Fabricio Leodio in harmonia.* Et postea: *Inter Confessionistas Lutheranos rigidi et molles gravissime contendunt, ut apparet ex libris Wigandi et Illyrici contra Georgium Majorem et Philippum Melanthonem et horum contra illos. Praeterea inter ipsos rigidos quaestio gravissima orta est de peccato originis, nam Illyricus contendit peccatum originis esse substantiam, cui contradicunt Wigandus, Hesshusius et alii. Denique ex eadem provincia Saxonica intra decem annos prodierunt contradictoriae sententiae publico nomine editae, nam in synodo Dresdensi anno 1571. explosa est sententia Brentii, Illyrici et aliorum de persona Christi, et tamen illam ipsam sententiam a se damnatam anno 1580. in libro Concordiae publice receperunt* etc. Respondemus: 1. Pleraeque illae, quae Luthero objiciuntur contradictiones, sunt verae et constantis sententiae depravationes, ut contra calumnias Cochlaei, Nasi, Pistorii, Ungersdorffi etc. a nostris abunde fuit demonstratum. Negari certe nequit, Lutherum in illa sententia, quam de fidei articulis in Augustanae confessionis delineatione, in articulis Schmalcaldicis, in Catechismis majore et minore, in Confessione majore etc. exposuit, ad finem usque vitae constanter permansisse. Si in scriptis prioribus quaedam occurrunt, quae cum posterioribus de purgatorio, de communione sub una specie, de invocatione sanctorum etc. minime conveniunt, meminerimus, ipsum Lutherum in praefat. tom. 1. Lat. huic cavillo jamdudum satisfecisse *Ante omnia* (inquit) *oro pium lectorem et oro propter Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, imo cum multa miseratione et sciat, me fuisse aliquando monachum et papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae, ut paratissimus fuerim omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari et consentire, qui papae vel una syllaba obedientiam detrectarent* etc. *Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa et magna humiliter concesserim papae, quae posterioribus et istis temporibus pro summa blasphemia et abominatione habeo et exsecror. Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel ut ipsi calumniantur, antilogiam tempori et imperitiae meae.* Et postea: *Haec ideo narro, optime lector, ut si lecturus es opuscula mea, memor sis me unum fuisse ex illis, qui ut Augustinus de se scribit, scribendo et docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt summi, cum nihil sint neque operati, neque tentati, neque experti.* Idem monet Nicol. Amsdorffius in praefat. tom. 1. sic scribens: *Cum dissimilitudo scriptorum D. Lutheri non modo adversariis calumniandi occasionem praebeat, sed etiam pios et candidos lectores interdum offendat, necessaria admonitio hoc loco recitanda est, ut et hostes evangelii ἀντιλογίας ex scriptis Lutheri colligere desinant et pii majore judicio et candore in his legendis versentur. Quantum igitur aurora a luce meridiana distat, tantum discrimen est inter libros Lutheri a principio scriptos, qui primo tomo continentur, et eos, quos aliquando post edidit* etc. Eo accommodat sententiam Salomonis Prov. 4: *Justorum semita similis est luci, quam aurora spargit,* ac subjicit,
quod lux Spiritus sancti subinde clarior et firmior XII. 30.
in mente Lutheri facta sit etc Nimirum Lutherus profundissimo superstitionum et errorum papalium coeno ita immersus erat, ut primis statim annis ex eo plene eluctari minime potuerit. Qui plura desi-

Digitized by Google

derat, legat gravissimum Lutheri responsum, quod antilogiarum compilatoribus opponit in articulis Schmalcaldicis tom. 6. Jen. Germ. p. 510. et in lib. de concil. et eccles. tom. 7. Jen. Germ. p. 234. 2. Objectum de variatione confessionis Augustanae solide refellitur in praefatione Formulae concordiae electorum, principum et statuum evangelicorum nomine scripta et ab iisdem subscripta. *Ne* (inquiunt) *adversariorum nostrorum calumniis de ingenio suo confictis, quibus jactant, ne nobis quidem constare, quae sit vera et genuina Augustana confessio aliqui se turbari sinant, sed ii, qui nunc in vivis sunt et posteritas etiam diserte et firmiter doceatur ac certior reddatur, quaenam illa pia confessio sit, quam et nos, et ecclesiae ac scholae nostrarum ditionum omnibus temporibus professae et amplexae fuerint; post sinceram et immotam verbi Dei veritatem solam primam illam Augustanam confessionem imperatori Carolo V. in celebribus illis comitiis Augustanis anno 1530. exhibitam, solam (dicimus) nec ullam aliam amplecti nos velle, luculenter testamur; cujus exempla in archivis antecessorum nostrorum excellentis memoriae, qui ipsi Carolo V. in comitiis illis eam exhibuerunt, reposita, per fide dignos homines, ne quid ad accuratissimas rationes diligentiae in nobis desideraretur, cum eo, quod imperatori ipsi exhibitum est et in sacri Romani imperii archivo asservatur, conferri voluimus, et certi sumus, nostra et Latina et Germanica exempla per omnia sibi invicem respondere* etc. Non imus inficias, variatam esse Augustanam confessionem, sed mutatio illa haudquaquam facta est electorum, principum ac statuum eidem addictorum vel decreto, vel consensu, sed privato unius hominis ausu, quinimo elector Saxoniae per D. Pontanum hoc nomine Philippum Melanthonem redarguit, ut refertur in historia Augustanae conf. p. 220. edit. Magd. anno 1584. ac in colloquio Ratisbon. anno 1541. (cui ipse Philippus Melanthon interfuit) verba illa in mutata confessione omissa: *et improbant secus docentes*, restituta sunt, unde etiam confessores evangelici in omnibus imperii comitiis publice testati sunt, se nullam aliam quam invariatam illam Carolo V. imperatori Augustae oblatam confessionem amplecti, cujus rei testimonium ipsis datur in Autonomia Burckhardi p. 286. unde etiam in conventu Naumburgensi anno 1561. non *privatam illam* a Philippo Melanthone variatam et interpolatam, sed *publicam* imperatori Carolo V. communi evangelicorum statuum nomine oblatam confessionem subscripserunt et imperatori Ferdinando obtulerunt. Facessat igitur calumnia, quod ne ipsi quidem confessores sciant. quae sit vera confessio. 3. Controversiae inter theologos Augustanae confess. quondam excitatae Dei gratia per *Formulam concordiae* sunt sopitae et sublatae. Fraudes etiam Calvinianorum, quibus in synodo Dresdensi usi fuerant, singulari Dei providentia patefactae sunt, quo nomine Deo potius agendae erant gratiae, quam quod pristinas contentiones et turbatum olim ecclesiae statum odiose nobis quisquam objicere velit.

246. Vere omnino gloriari possumus, nos in doctrina illa, quam ex sacris literis ab initio relucescentis evangelii didicimus, immota et invariata adhuc persistere, adeoque triplicem ecclesiis nostris unitatem vendicare possumus. Prima est *canonica*, qua scilicet cum canonicis V. ac N. T. libris nostrae, quam profitemur, doctrinae per omnia convenit, nondum enim ab ullo Pontificio ullius erroris in fidei articulis ex Scriptura sacra convinci potuimus, quin imo praestantissimi scriptores Pontificii agnoscere coguntur, ex Scriptura sacra nostram confessionem everti minime posse. Altera est *ecclesiastica*, qua scilicet cum scriptoribus ecclesiasticis, quos patres vocant, praesertim illis, qui apostolorum temporibus proximi fuerunt, doctrinae nostrae convenit; parati enim sumus in singulis articulis controversis evidentia et perspicua ex patribus testimonia pro nostra sententia afferre. Tertia est *symbolica*, qua scilicet communi consensu amplectimur doctrinam in libris symbolicis ecclesiarum nostrarum, in Augustana confessione ejusdemque Apologia, in Catechismis Lutheri, in articulis Schmalcaldicis et in Formula concordiae comprehensam, cui si quis nomen suum dare recusat, eum pro fratre in negotio fidei et confessionis haudquaquam agnoscimus. Haec ecclesiarum nostrarum unitas Pontificiorum unitati multis modis praeferenda. Illa enim est *interna et essentialis* in fidei et doctrinae unitate consistens; haec vero magna ex parte est duntaxat *externa et ceremonialis* in qualicunque ceremoniarum conformitate haerens, vigentibus interim gravissimis de rebus fidei dissensionibus. Illa est *Christiana ac libera*, quia nemo apud nos minis vel persecutionibus cogitur, ut doctrinam nostram amplectatur; haec vero est *simulata et coacta*, negari enim nequit, multos sub papatu ex metu periculorum aliud profiteri, quam in corde sentiunt. Illa nititur immoto verbi Dei fundamento, ideoque est *stabilis et immota;* haec vero mutabili papae judicio et instabili traditionum arena nititur, ideo est *instabilis et incerta.* Nec potest Bellarminus ipse inficias ire in dogmatibus fundamentalibus, de quibus cum Pontificia cohorte nostris ecclesiis intercedit controversia, unitatem et consensum nosmet tueri. Audiat sua ipsius verba lib. 1. de verb. Dei c. 10: *Omnes protestantes sex illos libros, quos apocryphos vocant, ut Tobiae, Judith* etc. *negant, pro canonicis esse habendos.* libr. 2. de verbo Dei c. 10: *Mirifice inter se consentiunt negantes, vulgatam Latinam translationem habendam esse pro authentica.* lib. ejusdem c. 2: *Omnes omnia ad textum Hebraeum et Graecum examinari volunt.* lib. 4. de verb. Dei c. 3: *Docent omnes, omnia ad salutem necessaria in Scripturis expresse contineri.* lib. 1. de verbo Dei c. 15: *Omnes in eo conveniunt, quod oportet sacras Scripturas in linguis vernaculis omnibus legendas tradi.* praefat. de Roman. pontif.: *Clamant omnes, Romanum pontificem ut pontificem in haeresin esse prolapsum.* libr. 1. de justif. c. 12: *Protestantes inter se conveniunt, cum dicunt, nulla re alia ju-*

Unitas ecclesiarum evangelicarum triplex.

XII. 31.

stificationem apprehendi quam sola fide. lib. de confirm. c. 1: *Negant protestantes fere omnes, confirmationem esse univoce sacramentum.* lib. 5. de euch. c. 20: *Vehementer iis omnibus placet hic articulus, eucharistiam esse sub utraque specie laicis communicandam.* libr. 1. de sacr. extrem. unctionis c. 1. et libr. 1. de matrim. c. 1: *Negant omnes Protestantes, extremam unctionem et matrimonium esse sacramenta proprie dicta.* lib. 5. de sacram. in genere c. 2: *Docent omnes, characterem sacramentalem nulla Scriptura aut ratione probari.* libr. 1. de amiss. gratiae c. 8: *Docent omnes Lutherani, nullum esse peccatum veniale ex sua natura.* praefat. de eccles. triumph.: *Cultum imaginum omnes Protestantes aversantur.* lib. 5. de amiss. grat. c. 5: *Communis est eorum sententia, concupiscentiam sua natura esse peccatum in renatis.* lib. de clericis c. 19: *Voto continentiae ordinibus annexo repugnant omnes.* praefat. in lib. 1. de monachis: *Omnes in vitam monasticam uno ore invehuntur.* lib. 1. de purgat. c. 2: *Invocationem defunctorum omnes reprehendunt.* lib. 4. de poenit. c. 4: *Omnes communi consensu negant purgatorium, suffragia et indulgentias pro defunctis.* In his et aliis articulis nos omnes universos, unanimiter, uno ore, communi consensu vehementer mirificeque convenire agnoscit Bellarminus, eccur igitur fidei unitatem ecclesiis nostris hoc loco detrahit?

Quid de dissensionibus in nostra ecclesia statuendum.

247. Non negamus, diaboli malitia et hominum protervia dissensiones quandoque in ecclesiis nostris excitatas esse et adhuc excitari posse, sed illae nec unitatem fidei in cordibus piorum labefactant, nec doctrinae veritatem suspectam reddunt, quin potius fidei unitas et doctrinae veritas ex illis confirmatur. 1. Ex eo enim, quod diabolus tantopere oppugnat hanc doctrinam per varias haereses, non sine causa colligimus, quod sit diabolo maxime adversa, ideoque verissima; ex eo, quod diabolus doctrinam no-
XII. 32. stram tanto conatu oppugnatam expugnare non potuit, non sine causa colligimus, quod sit divinae et immotae veritatis. Diabolus omnes idololatras et haereticos vinculis suis tenet constrictos 2. Tim. 2, v. 26. cur igitur discordias inter eos excitaret et regnum suum labefactaret? Pios vero a cognitione veritatis per discordias abstrahere conatur, ut progressum evangelii impediat. 2. Ex eo, quod pii ac fideles doctores contra falsas doctrinas tanto zelo pugnant, haud immerito colligitur, quod sint Spiritus sancti organa et quod doctrina ipsorum sit verissima. Proprium hoc est fidelium doctorum, quod omnia Satanae excrementa, a quocunque demum in ecclesiam invecta sint vel invehantur, ex ecclesia quam mundissime purgare satagunt, unde nec ad minimas corruptelas, si quasdam deprehendunt, vel ad horam connivent. In luce etiam pulvisculi, in tenebris ne quidem ingentes trunci conspiciuntur. 3. Quae humana est infirmitas et hujus vitae imperfectio, facile contingere potest, ut quis a veritatis tramite paululum aberret, vel propter sermonis ἀκυρολογίαν et perversum aliorum intellectum a veritate aberrasse videatur, atque hoc nomine alii sinceri doctores acri zelo contra ipsum commoveantur. Cumque hoc sit praecipuum Satanae studium, ut sinceritatem doctrinae contaminet ac corrumpat ac doctoribus ecclesiae dissidium immittat, facile profecto evenire potest, ut aliquis πικρισμὸς ac παροξυσμὸς, adeoque triste aliquod contentionis incendium subito inter illos oriatur. 4. Causa quorundam dissidiorum in nostris ecclesiis non tam nostris doctoribus, quam ipsis Pontificiis tribuenda. Ut enim non sunt accusandi medici, qui de curando vulnere aliquantulum dissentiunt, sed illi potius, qui vulnus inflixerunt; sic theologorum dissidium, quod circa restitutionem doctrinae apostolicae et sanationem vulnerum ecclesiae ortum est, non tam doctoribus illis, quam Pontificiis, qui tam graviter ecclesiam afflixerunt et tot erroribus doctrinam contaminarunt, tribuendum est. Verger. dial. 1. contra card. Hosium fol. 154. ad hanc rem illustrandam tali utitur similitudine: *Succidit quispiam ingentem sylvam, radices exstirpavit, terram aratro saepius subegit ac probe comminuit, mox optimum semen in eam projecit, quod enatum est feliciter, crevit ac maturuit; verum quid? una cum frumento enata sunt zizania (ut fieri solet, praesertim si sint novalia), quae possunt quidem evelli et a frumento segregari, sed labore ac studio opus est. Laudandus nihilominus, qui bonos agros, illic ubi erat sylva, magnis laboribus et aerumnis fecit bonumque frumentum seminavit, non vituperandus, quia videtur fuisse origo et causa, ut zizania enata fuerint, quae tamen omni studio curat a frumento segregare; sic laude, non vituperio digni sumus, cum superstitionum, idolomaniarum et blasphemiarum, quae in nostris ecclesiis creverat, silvam adjuti a Deo securi verbi succiderimus et exstirpaverimus, purum autem evangelium ibidem seminaverimus. Quodsi aliquae malae doctrinae in perversis quorundam mentibus inter ea enatae sunt, non sumus vituperandi.* Ibidem fol. 155: *Vis dicam, unde sint sectae et haereses? a papa et ejus clientibus. Nam cum is sua tyrannide impediat, ne auctoritate principium et magistratus possit ubique fieri ecclesiarum ad normam evangelii reformatio, populi autem interea esuriant bonum Dei verbum, inde multi incidunt in clancularios praeceptores, quibus malam, proh dolor, doctrinam hauriunt.*

SECTIO VIII.

DE OCTAVA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST SANCTITAS DOCTRINAE.

An doctrinae sanctitas sit nota ecclesiae.

248. *Membrum primum.* Sitne sanctitas doctrinae nota ecclesiae? Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 11. id adstruit sequenti ratiocinatione. *Vera*

ecclesia non solum est catholica, apostolica, una,
XII. 33. *sed etiam sancta, ut habet symbolum Constantinopolitanum. Constat autem, sanctam dici ecclesiam, quia professio ejus est sancta, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam, nihil injustum quoad doctrinam morum.* Respondemus: ecclesiae sanctitas nec solum, nec principaliter ex sanctitate professionis dependet, sed *1. ex causa efficiente principali*, Christo, qui eam *sanctificat*, Ephes. 5, v. 26. *2. Ex causa instrumentali* tum *offerente et exhibente*, hoc est verbo et sacramentis, *tum recipiente et apprehendente*, hoc est fide. Vocatur enim *vocatione sancta* 2. Tim. 1, v. 9. *in veritate verbi sanctificatur* Joh. 17, v. 17. *mundatur lavacro aquae in verbo* Ephes. 5, v. 26. *et fide purificatur* Actor. 15, v. 9. *3. Ex causa formali*, videlicet imputata per fidem Christi sanctitate 1. Cor. 1, v. 30. *4. Ex causa finali*, quia tendit ad sanctitatem, quae in hac vita inchoatur, in futura perficitur Luc. 1, v. 75. Ephes. 1, v. 4. Augustinus in Psalm. 85. ecclesiam esse sanctam dicit, *quia accepit gratiam sanctitatis, gratiam baptismi et remissionis peccatorum.* Vide superius §. 34. Quod professionis sive doctrinae sanctitatem attinet, ea aestimanda est ex conformitate cum sancto Dei verbo, sive quod idem est cum sacris literis. Cum enim haeretici non minus quam orthodoxi doctrinae sanctitatem sibi vendicent atque ut in vita, ita quoque in doctrina externam sanctitatem mentiantur, non potest nisi ex sanctis Scripturis disci, quaenam doctrina sit vere sancta, a *sancto sanctorum*, hoc est ab ipso Deo, profecta. Sic ergo semper redeundum ad nostram notam superius assignatam. Si enim doctrinae sanctitas est ecclesiae nota, multo magis ipsa doctrina erit nota, sic ergo omnis quaestio redit ad doctrinam, de cujus puritate et sanctitate non nisi ex sacris literis statui potest. Et hac ratione non negamus, sanctitatem doctrinae, hoc est doctrinam sanctam et puram, cum sacris literis congruentem esse ecclesiae notam, sed Bellarminus, modo sibi constare velit, non potest doctrinae sanctitatem statuere propriam et infallibilem ecclesiae notam, sic enim scribit lib. 4. de eccles c. 2. §. Sed dices: *Esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa ecclesia, nam schismatici puri, ut quondam Luciferiani et Donatistae, integram habent doctrinam et tamen sunt extra ecclesiam.* Inde sic argumentor: Doctrina ab omni errore pura est etiam sancta, quod ἔνδηλον. Atqui doctrina ab omni errore pura potest esse in falsa ecclesia. Ergo sancta doctrina, sive quod idem est sanctitas doctrinae, potest esse in falsa ecclesia. Ulterius, quod verae et falsae ecclesiae commune est, non potest esse genuina et propria verae ecclesiae nota. Atqui sancta doctrina, sive quod idem sanctitas doctrinae, est verae et falsae ecclesiae communis ex hypothesi Bellarmini. Ergo sancta doctrina non est genuina et propria verae ecclesiae nota.

An doctrina ecclesiae

249. *Membrum secundum.* Num doctrina ecclesiae Romanae in articulis controversis sit sancta. Bellarminus id confitenter asserit. *Ecclesia nostra catholica* (inquit, hoc est Romana) *nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etsi multa supra rationem, proinde sola est absolute sancta, eique soli convenit, quod in symbolo dicimus: Credo sanctam ecclesiam. Quam rem ostenderunt adversus paganos Justinus in utraque apologia, Tertullianus in apolog. c. 36. Arnobius lib. 1. 2. et 3. contra gentes, Minutius Felix in Octavio, Augustinus in libris de civitate Dei; contra paganos autem et haereticos omnes idem accuratissime ostendit Thomas in libris contra gentes.* Respondemus: ecclesiae catholicae vere sic dictae doctrinam esse sanctam, idque a veteribus contra paganos luculenter demonstratum esse, facile concedimus, sed quid hoc ad ecclesiam Romanam, quae ab integritate et puritate apostolicae ac primitivae ecclesiae jampridem longissime recessit? Definit Bellarminus doctrinae sanctitatem ex eo, quod nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem contineat. Non instituemus hac vice rigidum examen illius definitionis, quod vix sustinere posset, cum sanctitati proprie et directe non error, sed turpitudo sit opposita, cumque contra rationem aliquid doceri ambigue dictum sit, ut postea apparebit, sed ex hypothesi illius definitionis ostendemus, Romanae ecclesiae hodiernae non posse hanc notam, videlicet doctrinae sanctitatem, tribui, cum errores, peccata et paradoxa quamplurima contineat.

Romanae si. sancta

XII. 34.

Errores ecclesiae Romanae.

250. Errores ecclesiae Romanae sive papalis (hanc enim nomine ecclesiae Romanae intelligimus, non autem coetum fidelium, quem Christus sub medio papatu, imo in ipsa Roma sibi adhuc colligit) in singulis articulis alibi enumeravimus et ex immotis Scripturae fundamentis confutavimus. Hac vice juxta symboli apostolici articulos digito tantum indice praecipuos errores ostendemus. Primus articulus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli ac terrae.* Contra hunc articulum Pontificia ecclesia pugnat, 1. dum negat, *fidem esse fiduciam misericordiae divinae* propter Christum peccata nobis remittentis et paterno amore nos complectentis, contra vero propugnat dubitationem, concil. Trident. sess. 6. c. 12. 2. Dum asserit, *non ex fide, sed ex fallacibus duntaxat conjecturis nobis constare, quod sit Spiritus sanctus, qui nos moveat*, cum Deum vocamus Patrem nostrum, Bellarminus lib. 3. de justif. c. 11. 3. Dum statuit, *fidem etiam in sanctos ponendam*, concil. Trident. sess. 25. de invocat. 4. Dum docet, *caritatem esse fidei formam*, cens. Colon. p. 85. 5. Dum negat, *fidem esse notitiam et assensum*, imo *melius eam definiri* statuit per *ignorantiam quam per notitiam*, Bellarminus lib. 1. de justif. c. 7. 6. Dum negat, *promissionem evangelii de misericordia Dei in Christo et gratuita peccatorum remissione esse proprium fidei justificantis objectum*, Ruard. Tapperus in explic. art. 9. pag. 75. Pistorius in disp. de justif. th. 19. 7. Dum statuit, *veram in Christum fidem cum pec-*

Digitized by Google

catis mortalibus consistere posse, concil. Trident. sess. 16. c. 15. 8. Dum docet, *gentiles habere potuisse fidem justificantem ex naturali Dei cognitione*, Andradius explicat. orthod. lib. 3. p. 290. 9. Dum propugnat *fidem generalem et implicitam*, qua quis cum carbonario profitetur se credere quod credit ecclesia, Gregorius de Valent. in anal. de eccles. p. 205. 10. Dum negat, *hominem justificari sola fide absque operibus legis*, concil. Trident. sess. 6. de justificat. c. 9. 11. Dum Trinitatem depingit *in forma unius hominis habentis tres facies*, ut constat ex praxi. 12. Dum negat, *Dei nomen esse Deo proprium*, Corn. Mussus tom. 2. p. 545. 13. Dum contendit, *mysterium Trinitatis non nisi admissis traditionibus demonstrari posse*, Imm. a Vega in oppugnatione Samosat. p. 10. Pistorius in epit. colloq. Emmering. 14. Dum negat, *Deum solum esse creatorem*, quia secundum Lombardum 4. sent. dist. 5. §. 3. *potestas creandi communicari potest creaturae* et sacrificuli in missa dicuntur *creatores sui creatoris*, Gabr. Biel lect. 48. sup. can. missae. 15. Dum asserit, *praeter Deum aliquid posse esse aeternum*, quia secundum Thomam part. 1. qu. 46. art. 2. et Ariminens. 2. sent. dist. 1. art. 1. qu. 3. *nihil repugnet quamvis creaturam esse ab aeterno.* 16. Dum *justitiae et misericordiae divinae perfectionem* negat, neque enim perfecta justitia est, quae humanis satisfactionibus imperfectissimis acquiescit, neque perfecta misericordia, quae tantum supplet, quod meritis hominum deest. 17. Dum quidam Romanae ecclesiae alumnus Augustinus Steuchus in cosmopol. docet, *coelum ab aeterno exstitisse, non autem in tempore creatum fuisse.* Secundus articulus: *Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum Dominum nostrum.* Hunc articulum papalis ecclesia corrumpit, 1. dum negat, *Christum secundum humanitatem per et propter unionem personalem esse Deum*, Gregorius de Valentia in defens. disput. contra fundam. ubiquit. p. 42. 2. Dum *realem idiomatum divinorum communicationem* assumtae naturae factam explodit, Bellarminus lib. 3. de Christo c. 1. Busaeus contra Gerlachium etc. 3. Dum negat, *Christum esse mediatorem secundum utramque naturam*, Bellarminus lib. 5. de Christo c. 2. 4. Dum negat, *Christum esse unicum mediatorem nostrum*, cui adjungit sanctos, cumprimis B. Virginem, Duraeus in confut.
15. resp. Witak. ad rat. p. 641. Bellarminus lib. 1. de sanct. beat. c. 20. 5. Dum negat, *Christum esse perfectum nostrum salvatorem*, cui adjungit operum humanorum merita, concil. Trident. sess. 6. can 16. ac statuit, Christum esse quidem universalem salutis nostrae causam, sed *nec totalem, nec integram*, cum alias causas in hoc genere causae accedere oporteat, Biel 3. sent. dist. 19. conclus. 5. 6. Dum officium Christi propheticum, sacerdotale et regium multis modis labefactat. Prophetico Christi officio detrahit, dum *traditiones hominum et decreta papae verbo Christi exaequat*, contra vero negat, *perfectam salutis doctrinam ex V. et N. T. scriptis peti posse*, concil. Trident. sess. 4. de can. script.; dum ex Christo *novum legislatorem* facit, concil. Trident. sess. 6. can. 21. Sacerdotali Christi officio detrahit, dum per sacrificulos *in missa ipsum adhuc quotidie Deo Patri offerri statuit*, concil. Trident. sess. 22. c. 1. et can. 2. catech. Rom. part. 2. c. 4. *ac dum sanctos ut mediatores intercessionis* Christo associat, Eccius in enchir. prop. 15. p. 155. Regio Christi officio detrahit, dum papam *ejus vicarium* constituit et *monarchicum in ecclesiam dominatum* eidem tribuit, Bellarminus lib. 4. et 5. de Rom. pontif. Tertius articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Hujus articuli integritatem Romana ecclesia contaminat, 1. dum *Mariam sine peccati originalis labe conceptam esse* statuit et sic honorem soli Christo debitum cum Maria communicat, concil. Trident. sess. 5. in append. ad can. 5. Bellarminus lib. 4. de statu peccati c. 15. 2. Dum *Christi corpus non semel duntaxat in utero Mariae virginis formatum, sed panem per consecrationem in missa adhuc quotidie in illud transsubstantiari* docet, concil. Trident. sess. 13. c. 4. et can. 1. Quartus articulus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos.* Hunc articulum labefactat papana ecclesia 1. dum statuit, Christum passione et morte sua *pro originali duntaxat peccato* satisfecisse, Thomas Aquin. tom. 17. operum opusc. 58. de sacram. altar. c. 1. 2. Dum negat, *Christum in passione vere sensisse iram Dei et dolores infernales*, Bellarminus lib. 4. de Christo c. 8. 3. Dum asserit, *satisfactionem per sufficientiam* (ita appellat satisfactionem Christi eamque a satisfactione secundum efficientiam distinguit) *non mereri nomen perfectae satisfactionis*, Tapperus tom. 1. art. 6. de satisfactione p. 241. 4. Dum statuit, *Christum pro culpa duntaxat, non autem pro poena satisfecisse*, Bellarminus lib. 4. de poenit. c. 1. 5. Dum negat, *patres ac fideles V. T. virtute passionis ac mortis Christi statim post mortem in paradisum translatos*, contra vero in limbum detrusos esse statuit, catech. Rom. part. 1. c. 2. Petrus a Soto in meth. confess. fol. 28. 6. Dum asserit, *Christum nobis sua passione et morte primam tantum gratiam, hoc est infusionem caritatis, meruisse*, Gabr. Biel 3. sent. dist. 18. 7. Dum statuit, *Christum morte sua operibus nostris hoc promeruisse, ut sint meritoria ac satisfactoria*, concil. Trident. sess. 6. can. 32. Costerus in enchir. c. 7. de merit. oper. p. 293. 8. Dum opus redemtionis *inter Christi passionem ac Mariae dolores dividit*, Taulerus in libello pass. edito a Laur. Surio Lugduni pag. 158: *Duo hic altaria Patri praeparata, unum in corpore Christi, alterum in corde Mariae.* 9. Dum negat, Christi satisfactionem per passionem ac mortem fuisse *absolute necessariam* ad remissionem peccatorum et salutem nobis impetrandam, Petrus Tataretus in 4. sent. distinct. 15. fol. 524. 10. Dum Christum *secundum animam ad infernum* descendisse docet, ut patres ex limbo liberaret, Fab. incarn. in scrutin.

Digitized by Google

sacerdot. part. 1. tract. 5. fol. 81. Bellarminus lib. 4. de Christo c. 7. Quintus articulus: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Hujus articuli sinceritati repugnat, 1. quod Christum resurrexisse propter justificationem nostram, ita exponitur a Bellarmino lib. 2. de justif. c. 6. *resurrectionem Christi esse exemplar renovationis et regenerationis internae, ac nostram justificationem per id constitui potius in renovatione interna, quam in remissione peccatorum.* 2. Per doctrinam *de meritis humanorum operum*
XII. 36. revera occultatur et negatur Christi resurrectio. Cum enim fructus resurrectionis Christi sit nostra coram Deo justitia in fide Christi consistens, ideo quotquot merita humanae justitiae propugnant, reipsa Christi resurrectionem negant, perinde ut apostolus pronuntiat Phil. 3, v. 18. *pseudoapostolos*, qui negabant, in solo Christo esse nostram coram Deo justitiam quaerendam, esse *inimicos crucis Christi.* 3. Superstitiosum est, quod *peregrinationes* instituuntur ad sepulcrum Christi opinione cultus et satisfactionis. Sextus articulus: *Adscendit ad coelos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.* Huic articulo detrahit ecclesia papalis, 1. dum negat, *solum* Christum ad dextram patris sedentem esse nostrum mediatorem et intercessorem, sed *sanctos* illi conjungit, Lombardus 4. sent. dist. 45. lit. F. 2. Dum negat, per collocationem Christi ad dextram Patris ipsi secundum humanam naturam datam *esse omnem potestatem in coelo ac terra, ut praesens omnibus creaturis adsit et potenter ubique dominetur*, Bellarminus lib. 3. de Christo c. 16. Septimus articulus: *Inde venturus est judicatum vivos et mortuos.* In hunc articulum ecclesia Romana impingit: 1. dum Christum *secundum merita operum judicaturum* docet, Ruard. Tapperus tom. 2. art. 8. p. 17. 2. Dum *ipsum diem adventus ad judicium praecise definit*, exactis scilicet tribus annis cum dimidio ab Antichristi adventu, Bellarminus lib. 3. de pont. c. 8. *a morte Antichristi usque ad diem judicii numerant 45 dies*, Vega in apol. Gregorius de Valent. tom. 4. oper. disp. 11. q. 2. Octavus articulus: *Credo in Spiritum sanctum.* Hunc articulum labefactat ecclesia papalis, 1. dum *judicio Spiritus sancti* in Scripturis loquentis non acquiescit, sed judicium papae illi praefert, imo diserte negat, *Spiritum sanctum judicare posse haereticos per Scripturas*, Gretserus in in colloq. Ratisbon. 2. Dum fingit *infallibilem Spiritus sancti assistentiam Romano pontifici promissam*, unde in decretis suis errare nequeat, catech. Rom. part. 1. c. 10. 3. Dum *internum Spiritus sancti testimonium* et obsignationem de gratia Dei in cordibus piorum elidit dubitationis dogma stabiliendo, concil. Trid. sess. 6. c. 9. 4. Dum Scripturam sacram, authenticas et publicas Spiritus sancti tabulas, vocat *imperfectam, insufficientem, obscuram, ambiguam, regulam Lesbiam, literam mortuam, nasum cereum* etc. censura Colon. p. 221. Petrus a Soto in defens. de uno praesente judice eccles. p. 1087. etc. Nonus articulus: (Credo) *sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.* Hujus articuli sinceritatem contaminat ecclesia Romana, 1. dum negat, *ecclesiam proprie esse congregationem sanctorum*, concil. Constant. sess. 15. 2. Dum sibi *soli* ecclesiae *catholicae* nomen arrogat, Costerus in apol. contra Gomar. p. 224. 3. Dum statuit, *ecclesiam esse coetum hominum ita visibilem et palpabilem, sicut est coetus populi Romani vel regnum Galliae aut respublica Venetorum*, Bellarminus lib. 3. de ecclesia milit. c. 2. 4. Dum *ecclesiae caput et sponsum* statuit *Romanum pontificem*, Bellarminus praefat. lib. de pontif. 5. Dum ecclesiae nomine *solum Romanum pontificem intelligit*, Thom. Bozius de eccles. lib. et potest. lib. 1. c. 6. 6. Dum docet, *illum coetum non esse ecclesiam, nec partem ecclesiae, qui Romanum pontificem non agnoscit pro capite*, Bellarminus lib. 3. de eccl. c. 5. sub finem: *Nemo potest, etiamsi velit, subesse Christo et communicare cum ecclesia militante, qui non subest pontifici.* 7. Dum negat, *praedicationem evangelii et administrationem sacramentorum esse veras ecclesiae notas*, contra vero alias substituit communes et accidentarias notas. 8. Dum docet, *majorem esse auctoritatem ecclesiae*, hoc est, ut docet analysis papae Romani, *quam scripturae*, hoc est ipsius Dei in Scripturis loquentis, conf. Petricov. c. 15. fol. 18. 9. Dum docet, *ecclesiam tempore apostolorum fuisse rudem, informem et in infantia constitutam, nunc vero longe splendidiorem*, Costerus in enchir. p. 71. 10. Dum negat, *ecclesiam errare posse*, Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 14. Articulus decimus: *Credo remissionem peccatorum.* Hunc articulum depravat ecclesia Romana, 1. dum negat, *pios de remissione peccatorum certos esse posse*, conc. Trid. XII.
sess. 6. can. 13. Bellarminus lib. 1. de justif. c. 9. §. Deinde sic scribit: *Articulus de remissione peccatorum in symbolo apostolico non docet specialem et absolutam benevolentiam, sed benevolentiam generalem et quae suis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat.* Et postea: *Itaque sensus articuli non est, credo aut confido, mihi remissa esse peccata, sed credo et confiteor, in ecclesia catholica esse donum remissionis peccatorum.* 2. Dum docet, post hanc vitam *in purgatorio* quaedam peccata remitti, Costerus in enchir. controv. c. 16. prop. 5. At peccatum ibi remittitur, ubi committitur. 3. Dum *remissa culpa* negat *remitti poenam*, catech. Rom. part. 2. c. 4. p. 54. 4. Dum *satisfactiones nostras et nostra merita* ad peccatorum remissionem requirit, adeoque bona opera et sacramenta *ex opere operato* remissionem peccatorum conferre statuit. Fab. incarn. in scrutin. sacerdot. part. 1. tract. 1. fol. 31. 5. Dum *judiciariam peccata remittendi potestatem* sacerdotibus tribuit, concil. Trident. sess. 14. c. 1. 6. Dum ex merito Christi et meritis sanctorum parat thesaurum *indulgentiarum*, cujus dispensationem soli pontifici assignat etc. Articulus undecimus: (Credo) *carnis resurrectionem.* Hunc articulum Johannes XXIII. pontifex Romanus, ecclesiae Romanae caput et sponsus ac in decretis suis infallibilis, penitus negavit, testibus patribus concilii

Digitized by Google

Constantiensis sess. 11. tom. 2. concil. p. 160. *Specialem fidem resurrectionis ad vitam fideles justificatos habere* negat Costerus in apol. 1. contra Gomarum p. 228. Articulus duodecimus: *Et* (credo) *vitam aeternam.* Hunc articulum itidem negavit Johannes XXIII. pontifex. Ac labefactatur illius integritas a Pontificiis, 1. dum negant, *fideles certos esse posse ac debere de vita aeterna consequenda*, cens. Colon. p. 92. 2. Dum audacter determinant, *quae aureolae* quibus electis olim in vita aeterna dandae sint, *ac fructum tricesimum* conjugatis caste viventibus, *sexagesimum* viduis continentibus, *centesimum* virginibus assignant, ut constat ex Scholasticis. 3. Dum *infantes piorum ac fidelium casu quodam necessitatis a baptismo exclusos regno coelorum privant et in limbum inferno proximum detrudunt*, Sonnius lib 2. demonstrat. tract. 4. c. 2. Atque hos errores contra fidei articulos in Symbolo apostolico propositos ecclesia papalis complectitur. Quodsi eodem modo reliquos doctrinae coelestis articulos percurrere velimus, ingens errorum Pontificiorum chaos deprehenderetur, videatur liber Heshusii de de sexcentis erroribus Pontificiorum, Wolff. Platzii lucus succisus errorum papalium, Gabr. Povelus de Antichristo lib. 2. c. 19. et seqq. qui tamen cum judicio discretionis legendus.

[P]eccata [e]cclesiae [R]omanae.

251. Peccata, quae ecclesiae Romanae doctrina fovet, juxta praecepta decalogi enumerabimus. *Contra primum praeceptum* in papatu ** peccatur et quidem circa *dilectionem Dei.* Toletus lib. 4. de instruct. sacerd. c. 9: *Quantum ad intentionem, quae consistit in fervore et vehementia quadam ipsius actus, non tenemur sub praecepto Deum plus diligere omnibus.* Contra Deut. 6, v. 5. Matth. 22, v. 37. Luc. 10, v. 27. Deinde circa *fiduciam in Deum.* Thesaurus praeconiorum Mariae c. 52. ex Anselmo de excell. Virg. c. 6: *Velocior nonnunquam in periculis salus est memorato nomine Mariae, quam invocato nomine Christi.* Item: *Deus regni sui, quod misericordia et judicio constat, dimidium, hoc est misericordiam, transtulit in Mariam, altera regni parte, id est judicio et severitate, vel sibi retenta, vel translata in Filium, ut si quis forte a Patre terreatur, quia severus est, aut a Filio, quia judex est, is matrem intueatur et ad eam confugiat, quia medicina est et misericors.* Vid. Cassandrum in consult. art. 21. c. de merit. intercess. sanct. Rob. Holeottum in lib. sent. lect. 36. Bernhardinus in suo Mariali Alexandro VI. dedicato part. 3. serm. lit. V: *Confidenter unusquisque appellet ad illam* (Mariam), *nam licet ad illam appellare, si quis a Dei justitia se gravari sentiat, quod significatum fuit Esth. 5. ubi dicitur, quod cum rex Assuerus Judaeis iratus esset, regina Ester ad ipsum placandum accessit, cui rex ait: etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi. Ista ergo imperatrix figuravit imperatricem coelorum, cum qua Deus regnum suum divisit. Cum enim Deus habeat justitiam et misericordiam, justitiam sibi in hoc mundo exercendam retinuit et misericordiam matri concessit, et ideo si quis sentit, se gravari a foro justitiae Dei, appellet ad forum misericordiae matris ejus.* Vide Gabr. Biel. in Can. lect. 80. lit. c. Contra Hebr. 4, v. 14. c. 7, v. 25. c. 9, v. 11. Rom. 5, v. 1. Eph. 2, v. 18. 1. Tim. 1, v. 5. 1. Joh. 2, v. 1. Et quis neget, quod in papatu regnet** *1. atheismus*, non quidem manifestus, sed occultus. Est autem atheismus *occultus*, quando quis tres personas in una divina essentia agnoscit, interim tamen per consequentias necessarias partim ex aliis doctrinae aut fidei capitibus, partim ex ratione colendi Deum deductas evertit, id quod bene erat confessus. Stapletonus part. 1. orat. p. 418: *Est atheismus non solum nullus aut plurium deorum cultus, sed etiam ipsius veri atque unius Dei non verus, non legitimus cultus.* Hujus atheismi reos agimus Pontificios, dum enim merita et satisfactiones humanas propugnant, *misericordiae et justitiae divinae* perfectionem oblique negant, ut superius fuit ostensum. Praeterea *qui negat Filium, nec Patrem habet*, 1. Joh. 2, v. 23. at Pontificii negant Filium, dum communicationem divinorum idiomatum Christo in tempore datorum ad carnem referre reformidant, sicque *in societatem ab Ario rapiuntur*, ut docet Leo epist. 11. dum negant, *Christum esse mediatorem secundum utramque naturam*, et hac ratione infinitam meriti efficaciam tollunt, dum Christo in prophetico et regio officio adjungunt papam, quem vocant *ecclesiae suae caput ac sponsum* eique tribuunt potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, determinandi infallibiliter controversias, praecipiendi XII. 38.
angelis, absolvendi subditos a juramentis, quibus magistratui sunt devincti etc. in officio sacerdotali adjungunt Christo copiosissimam turbam sacerdotum, qui quotidie modo incruento pro peccatis mortuorum ac viventium in sacrificio missae Christum offerant; Christo unico mediatori et intercessori adjungunt multos sanctos, quorum meritis et intercessione confidendum esse docent. Merito Christi conjungunt merita sanctorum et opera supererogationis, quem thesaurum per indulgentias papales dispensari fingunt, docent, Christum esse novum legislatorem etc. Quae omnia probant, Pontificios negare Filium, hoc est doctrinam de officio Christi horribiliter corrumpere, proinde nec patrem habent. 2. *Idololatria*, eaque multiplex. Invocantur enim sancti non solum ut intercessores, sed etiam ut opitulatores ac quandoque ardentius quam ipse Deus, qua ratione committunt ἁγιολατρείαν. Bodinus im meth. histor. c. 5: *Antonius a plerisque in Italia et Gallia Narbonensi ardentiore voto, oerte majore metu colitur, quam Deus immortalis.* Lud. Vives in lib. 8. de civ. Dei c. 27: *Multi Christiani in re bona plerumque peccant, quod divos divasque non aliter venerantur quam Deum. Nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis et id quod gentiles putabant de suis diis.* Cassander in consult. art. 21: *Multi in intercessionibus sanctorum plus quam in Christi meritis fiduciae ponunt, Christum matri substituentes.* Mariam in precibus vo-

Digitized by Google

cant *dominam suam*, *reginam*, *quae praesit Filio*, *mediatricem*, *vitam ac spem suam*, eamque invocant, *ut ab hoste protegat et in hora mortis suscipiat*, qua ratione committunt *Μαριολατρείαν*. Imagines quasdam adorant cultu latriae, Thomas part. 3. q. 25. art. 3. sic committunt *εἰκονολατρείαν*, Corn. Agrippa de vanit. scient. c. 57: *Dici non potest*, *quanta idololatria alatur apud rudem populum per imaginum cultum.* Panem eucharisticum in processionibus adorant etiam extra usum a Christo institutum ac totum sacramentum adorant, quod constat non solum re coelesti, corpore scilicet et sanguine Christi, sed etiam re terrena, pane scilicet et vino, sicque committunt *ἀρτολατρείαν*. Angelis honorem adorationis deferunt, et hac ratione committunt *ἀγγελολατρείαν*. Ligno crucis deferunt cultum latriae, sicque committunt *σταυρολατρείαν*. Fiduciam cordis ac spem salutis defigunt in bonis operibus, peregrinationibus, jejuniis, eleemosynis, indulgentiis, operibus supererogationis, cultibus electitiis, veste Franciscana, cucullis monasticis etc. qua ratione itidem committunt idololatriam, siquidem fiducia cordis et spes salutis in sola Dei misericordia et Christi merito collocanda. Reliquias sanctorum religiose venerantur, eas osculando, coram illis procidendo, peregrinationes ad eas instituendo ad gratiam apud Deum promerendam, sicque committunt *σκελετολατρείαν*. Pontifici Romano et nomen Dei et honores divinos deferunt, qua ratione committunt *παπολατρείαν*. Aug. Steuchus tom. 3. lib. 2. de donat. Const. cont. Vallam f. 230: *Audis summum pontificem a Constantino Deum appellatum et habitum pro Deo; hoc videlicet factum est*, *cum eum praeclaro illo edicto decoravit*, *adoravit uti Deum*, *uti Christi et Petri successorem*, *divinos honores ei*, *quoad ejus potuit*, *contulit*, *velut vivam Christi imaginem veneratus est.* **P. Aemilius lib. 7. refert, quod papa legatos Siculos humi venerabundos sibi acclamare permiserit: *Sancte Pater*, *qui tollis peccata mundi*, *miserere nostri*, *qui tollis peccata mundi*, *dona nobis pacem.*** Bellarminus in praefat. lib. de summo pontifice dicta scripturae *de lapide pretioso*, quae soli Christo competunt, ad pontificem transfert. Joh. Andradius c. ad honorem de aut. et usu pallii, Hostiensis c. Quanto de transl. episc. et Panormitanus c. licet. de elect. scribunt, *papam et Christum facere unum consistorium et excepto peccato papam quasi omnia posse*, *quae potest Deus*, *et a nemine judicari posse.* Praeterea cum non solum idololatria sit, *quando id quod non est Deus colitur divine*, sed etiam *quando verus Deus colitur non divine*, hoc est modo in verbo praescripto, quisquis enim alia ratione Deum co-
XII. 39. lere instituit, quam in verbo praescripsit, is non verum Deum, sed idolum cordis sui adorat et colit, ideo ad idololatriam Pontificiam merito etiam referuntur variae *ἐθελοθρησκεῖαι*, quae maximam cultus partem in regno Pontificio absolvunt teste Durando. *3. Apostasia a fide*, 1. Tim 4, v. 1: *Spiritus manifeste dicit*, *quod in novissimis temporibus quidam discedent a fide*, *ἀποστήσονται τῆς πίστεως*, *attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum*, v. 2: *in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium conscientiam*, v. 3: *prohibentium nubere*, *abstinere a cibis*, *quos Deus creavit* etc. id vero in papatu compleri viva praxis ostendit. *4. Haereses*, ostendimus enim superius, papatum esse sentinam, *ἐπιτομὴν* et *ἀνακεφαλαίωσιν* variarum haeresium. *Contra secundum praeceptum* regnat in papatu: *1. Magia*, eaque multiplex. Viget enim illic *magia divinatrix*, *μαντική*, qua revelante diabolo res futurae et occultae cognoscuntur. Responsa quaerunt et accipiunt a statuis, quas certis sanctis attribuunt. Sylvester II. habuit figuram aenei capitis, quod instar oraculi in dubiis negotiis consuluit; Gregorius VII. Hildebrandus dictus ex pane consecrato contra imperatorem adversarium suum responsa quaesivit, quae cum aliquando non redderentur, in ignem illum conjecit; Alexander VI. e poto per errorem veneno, quod ex ipsius jussu optimatibus quibusdam propinandum erat, letaliter aegrotans ministrum Modenam in conclave suum secretius misit, ut libellum deauratum, in quo magia conscripta erat, afferret, quo de fine vitae suae consuleret Deum suum. Minister offendit Satanam sedentem in Pontificia sede, habitu pontificali indutum ac dicentem: *Ego sum papa.* Lipsius de idolis Virginis Hallensis et Aspricollis scribit, quod responsa dederint et homines consilium eorum postulantes erudierint. Huc pertinet *steganographia* Trithemii, qua consilia clancularia per deferentes spiritus occulte sibi invicem communicare possunt, qui eam norunt. Item adjuratio spirituum sive animarum apparentium, quae quomodo, quibusve ceremoniis instituenda sit, docet Wierus lib. 1. de praestigiis daemonum c. 13. ex Jacobo de Chusa. Deinde viget in papatu *magia praestigiatrix* in fascinationibus et illusionibus sita. Quando enim defunctorum animas apparentes adjurant, tunc illae de suo, quem in purgatorio igne sustineant, cruciatu conqueruntur, postulant suffragia, certum numerum missarum, jejuniorum, eleemosynarum etc. quae omnia sunt merae praestigiae diaboli. Quando obsessi aqua lustrali adsperguntur, vel exorcismi super illos decantantur, diabolus illudit spectatoribus ac se torqueri illis naeniis simulat. Huc pertinent illusiones
et fascinationes satanicae per conficta miracula, XII. 4
qualia multa in papatu fuerunt edita. Denique viget in papatu talis *magia operatrix*, quae ope et collusione diaboli mirificos effectus edit. Sic sacrificuli diabolum ex obsessis ejiciunt, spectra ex domibus abigunt, mirabilia quaedam operantur, sponte scilicet cedente diabolo et mirificos illos effectus producendo, ut in idololatria et superstitione homines confirmet. Isengrinus in libro de Maria in Veteri Oetinga refert, P. Canisium puellam quandam obsessam peculiari plane modo a daemone liberasse. Jussit afferri cariosam illam Mariae virginis in Veteri Oetinga statuam et a tergo capiti puellae eam imposuit, tunc Satanas illico exclamavit: *Dimitte me o meretrix*, *et quid me tam virulenter calcas?* sed Canisius coëgit daemonem, ut hoc convicium resorberet ac

Digitized by Google

laudes Mariae diceret, septies terram oscularetur, Christum adoraret, quinquies orationem Dominicam totiesque salutationem angelicam recitaret, quibus omnibus rite peractis egredi jussus saepius ingeminavit: *Vae, vae, vae mihi misero, intra viginti annorum spatium nullus daemoniorum tantis tormentis subjectus fuit, quantis ego* Hasenmüllerus in hist. Jesuit. c. 8. p. 296. ex Turriano refert, quod aliquando Romae femina quaedam a diabolo obsessa Ignatium Loyolam secuta sit et clamarit: *Tu solus me liberare et juvare potes.* Tunc Loyolam recitasse versum Virgilii:

Speluncam Dido, dux et Trojanus eandem,

qua voce audita daemonem mulierem prostravisse ac egredientem clamasse: *O fili Loyola, tu ceu leo me ad speluncam inferni abire cogis, sed rogo te, ne me aeternae speluncae injicias.* Postea Ignatium illi dixisse: *Vade quocunque volueris, modo nullum amplius hominem obsideas*, ac statim daemonium magno cum strepitu egressum esse. Solent etiam in expulsione daemonum ab obsessis adhibere signum crucis, adspersionem aquae benedictae, pulsum campanarum, incensum cereorum, admotionem reliquiarum etc. At quis non videt, hunc modum expellendi daemones ab apostolico plurimum differre et collusionem vel certe illusionem diaboli in illis expulsionibus intercedere? *2. Abusus nominis divini* per multiformes exorcisationes et adjurationes, item olei, salis, aquae, herbarum et aliarum rerum consecrationes, quae nihil aliud sunt quam horrendus nominis ac verbi divini abusus, fingunt enim, sine omni mandato, promissione et exemplo illis consecrationibus et exorcisationibus novam quandam eamque spiritualem δύναμιν creaturis conferri, ut docent consecrationum formulae in pontificiali ac ceremoniali. Oleum infirmorum benedicitur his verbis: *Exorciso te, immundissime spiritus omnisque incursio Satanae et omne phantasma, in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus s. habitare per nomen Dei Patris omnipotentis et per nomen dilectissimi filii ejus Domini nostri Jesu Christi.* Et postea: *Emitte quaesumus Domine Spiritum s. paracletum de coelis in hanc pinguedinem olivae, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguento coelestis medicinae peruncto tutamen mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates omnemque aegritudinem mentis et corporis, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres, sit chrisma tuum perfectum nobis Domine a te benedictum permanens in visceribus nostris in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Chrisma sic benedicitur: *Exorciso te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli omnisque incursio et omne phantasma eradicetur et effugetur a te, ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum s. in nomine Dei Patris omnipotentis et in caritate Jesu Christi filii ejus, Domini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti.* Et postea: *Te precamur Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum, ut creaturae hujus pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris* XII. 41.
et sancti Spiritus ei admiscere virtutem cooperante Christi Filii tui potentia, a cujus nomine sancto chrisma nomen accepit, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres tuos, ut spiritualis lavacri baptismo renovandis, creaturam chrismatis in sacramentum perfectae salutis vitaeque confirmes, ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primae nativitatis absorpta sanctum uniuscujusque templum acceptabili vitae innocentiae odore redolescat, ut secundum constitutionis tuae sacramentum regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi vestimento incorrupti muneris induantur, ut sit his, qui renati fuerint ex aqua et Spiritu s. chrisma salutis eosque aeternae vitae participes et coelestis regni faciat esse consortes. Neve quid impietatis ac superstitionis desit, pontifex inclinato capite postmodum salutat chrisma dicens: *Ave sanctum chrisma.* Vide plura exempla talium exorcisationum et incantationum in apol. confess. Wirtenb. part. 1. c. de baptismo p. 478. Pertinet huc consecratio campanarum, de qua late egimus tom. 4. locor. c. de baptismo §. 166. Item quod *evangelium Johannis* chartae inscriptum collo appendunt ad febris, epilepsiae et aliorum morborum remedium, quod *characteribus et verbis sacris* ad morborum medicationes abutuntur; quod *superstitiosas suas ceremonias* et errores Scripturae dictis male detortis probare nituntur etc. Cumprimis huc referendum, quod monachi Franciscani linguas suas ad maledicendum venales exponunt et conducti ab iis, qui hostem habent, quem velint perditum, *psalmum centesimum nonum recitant*, propheticum sacrosanctum oraculum exsecrabili malitia profanantes. *3. Perjuria.* Pontifex sibi arrogat potestatem absolvendi subditos a juramento magistratui praestito ac rescindendi juramenta vera et legitima. Cum vero talem potestatem divinitus sibi traditam neutiquam obtineat, fit doctor et auctor perjuriorum. Azorius libr. 5. instit. moral. c. 15. p. 127: *Canonicus quidam invehitur in pontificem Gregorium, quod tempore magni schismatis, antequam pontifex crearetur, juraverat, publico et solenni ritu sese abdicaturum Pontificia potestate. Postea vero pontifex electus noluit pontificatum deponere. At potest pontifex Romanus se ipsum solvere a voto et jurisjurandi religione et lege, modo debita subsit causa.* Sic ergo non solum alios, sed etiam se ipsum a juramento absolvere potest pontifex, nimirum ut ludat juramentis, sicut pueri astragalis. Ostendit vero eventus, absolutionem a juramento etiam hosti praestito per pontificem factam Deo haudquaquam fuisse approbatam. Agrippa de vanit. scient. c. 61: *Eugenius pontifex ob violatum Turcae jusjurandum Christianam rempublicam in*

Digitized by Google

tot funestissima bella conjecit, ac si non etiam hosti esset fides servanda. Ut autem pontifex perjuriorum auctor, ita episcopi ipsius hac in re egregie patrissant. Titulares enim illi episcopi, qui ad peregrinum aliquem episcopatum ordinantur, jurant, se eo quamprimum profecturos et illius loci homines conversuros, mox tamen ab illo juramento per pontificem absolvuntur. Recensetur ille lusus in libro qui continet causas recusati concilii Tridentini p. 38: *Ubi ordinati sunt, festinant eo versus sedulo. Verum ubi ad primum aut secundum lapidem progressi sunt, occurrunt eis tabellarii, qui afferunt a fide dignissimis ejus loci hominibus literas indicantes, rem esse plane impossibilem et extremi periculi plenissimam, quam tentent. Quid ergo cothurnati illi ac mitrati patres in tam inopinato tristique casu facerent? Redeunt toti conturbati denuo ad sanctissimum patrem, qui omnibus difficultatibus promtum remedium de sua potestatis plenitudine sacroque omnium jurium scrinio pectoris afferre potest. Exponunt tristes incurva cervice praeclarissimam suam voluntatem, pulcherrimum conatum ac iter jam susceptum; exponunt quoque, quid comperérint de periculis et impossibilitate rei; allegant leges, quod ad impossibilia nemo obligetur, sicque tandem pontifici persuadent, ut a praestito juramento ipsos absolvat.* Ex quo apparet, titulares illos episcopos scientes ac volentes perjurium committere, jurant enim, se facturos, quod in animum
XII. 42. nunquam serio receperunt. Refert Flacius in refut. invect. Bruni p. 38. *omnes ordinandos aut sacris initiandos examinari initio ab episcopo aut ejus suffraganeo. Facto examine progreditur examinator ad altare et solenniter jurat, omnes illos initiandos esse idoneos aetate, moribus et scientia, cum plerique etiam Erasmo teste sint indoctissimi, moribus corruptissimi et saepe etiam aetate adhuc immatura.* Sic ergo examinatores illi pontificii lucelli causa scientes ac volentes pejerare non erubescunt. Haeretico non esse servandam fidem etiam jurejurando confirmatam docent, ut praxis in concilio Constantiensi ostendit, qua ratione iterum perjuriorum auctores fiunt. Exigunt a monachis et monialibus juramentum, quo se ad perpetuam continentiam obstringant, cum ne millesimus quidem ex illis dono isto sit instructus. Docent *aequivocationibus* uti in juramentis, hoc est artem perjurii profitentur. Toletus lib. 4. de instruct. sacerd. c. 21: *Tenetur homo aliquando secundum mentem aliorum jurare, id est uti verborum significatione communi, quamvis non semper teneatur ad hoc, sed aliquando licet uti aequivocatione et decipere audientem, non semper, sed quando judex contra justitiam petit juramentum, licet uti aequivocatione et jurare secundum suam mentem, contra mentem judicis, ut puta quaerenti judici, fecistine illud? respondeat: non feci, intelligendo inter se, ut dicam tibi, vel hoc tempore, vel quid simile. Et si vir uxorem petat, an sit adultera, ista respondere potest, non sum, quantumvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem. Sic qui cogitur jurare alteram in sponsam accepturum, intelligendo, si postea placuerit. Et a latronibus comprehensus juraverit, se postea daturum centum aureos, ut liberetur, et aequivoce jurans, inter se dicens, si postea libuerit, tunc non tenetur solvere. Sic a custode injuriose detentus, ut dimittatur, jurans, se rediturum postea, potest uti aequivocatione et non tenetur redire.* Molanus tract. 2. c. 4. concl. 3: *Si quis a magistratu interrogetur, num cantarit aut audierit missam in loco hoc vel illo, potest respondere: quod non, imo et jurare, cum non ea de causa ibi sit, ut judici id aperiat.* Gregorius de Valentia tom. 3. p. 1346. aequivocationes illas vocat *prudentem defensionem.* Martinus Azpilcueta Navarrus dicit, *eas fundari in insigni illo facto Francisci*, quod recitat in c. humanae aures c. 22. q. 5. c. 2. num. 11. p. 348. et in manual. confess. tom. 3. c. 12. n. 8. p. 58. etc. Sacerdotes Wisbycenses in epist. ad Catholicum Generosum: *Ars est nostrorum Jesuitarum, ut in juramentis suis magistratus illudant, cum a magistratibus quaeritur, Esne sacerdos? tum sacerdoti licebit* (inquiunt) *respondere: non sum talis, sed addita hac intentione intus in animo concepta, non ore prolata, qualem me esse cupitis, aut narrem tibi, aut aliquid simile* etc. En perjuriorum doctores et auctores. *4 Honoris divino nomini solummodo debiti ad creaturas translatio.* In juramentis magistratui praestandis non solius Dei, sed etiam nomina *sanctorum mortuorum* usurpantur, qua ratione divinus honor illis tribuitur, quod pejerantem punire possint. Confessiones peccatorum non solum Deo, sed etiam *Mariae virgini, angelis, apostolis, martyribus et omnibus sanctis* faciunt. Defendunt baptismum illum, qui fit *in nomine Patris et Filii et Spiritus S. et B. Mariae virginis.* Guido in manipul. curatorum c. 3. Costerus in apolog. 1. contra Gomarum p. 231. ** Peccant insuper contra secundum praeceptum docendo, preces ignotas plus saepe valere ad devotionem et plus facere ad aedificationem quam cognitas. Anglo-Remenses in 1. Cor. 14, v. 13: *Non dubitamus, quin Deo sit gratius et conducibilius in omnibus necessitatibus et conventibus sui totius Christiani populi precari in lingua Latina quam in vulgari, licet unusquisque in particulari non intelligat, quid loquatur, tamen planum est, tales preces non minore cum consolatione spiritus, non minore cum taedio, non minori devotione et affectu, imo saepius majori fieri quam alias illas, quae fiunt lingua nota.* Pugnat hoc cum 1. Cor. 14, v. 2. usque 20. Huc refer illud Azorii: *Pro obstinate malis et sceleratis orandum est, at pro haereticis et schismaticis non est orandum*, lib. 9. instit. c. 31. §. Sexto quaeritur. Contra 1. Tim. 2, v. 1. *Orate pro persequentibus* Matth. 5, v. 44. Christus pro inimicis oravit Luc. 23, v. 34. at nulli magis hostes et inimici ecclesiae quam haeretici. ** *Contra tertium praeceptum* viget in papatu: *1. sabbati* XII. 4
profanatio, neque enim sanctificationem sabbati constituunt in verbi auditu, lectione, meditatione,

eucharistiae juxta Christi institutionem administratione inque sabbatismo animae interno, sed in *ceremoniis externis* ludicris et superstitiosis, videlicet in spectandis missis, in demurmuratione preculārum in lingua ignota, in processionibus, candelarum accensionibus, statuarum et reliquiarum venerationibus etc. Neque solum in praxi, sed etiam in theoria sabbati profanationem docent. Toletus lib. 4. instruct. c. 24: *Homo tenetur sub mortali ad sanctificandum festum, sed non tenetur ad bene sanctificandum.* c. 25. *Licet iter facere audito prius sacro et venari, licet studere super lites propter pecuniam, licet carnes vendere, animalia occidere ad victum propter pecuniam, licet in solennitatibus construere loca pro spectaculis, quando non possunt fieri nisi in festo. Denique pontificis aut episcopi licentia licet in festo operari.* Azorius lib. 7. instit. moral. c. 7: *Mos non est improbandus, quo vidua pro dignitate personae post obitum viri causa luctus domi se continet ad annum nec missam audit.* 2. *Festorum multiplicatio*, quae in honorem sanctorum instituuntur, et in quibus sancti invocantur, statuae illorum circumgestantur, reliquiae illorum ad venerationem religiosam ostentantur etc. 3. *Baalitismus* ac boatus ille in templis, sacellis, basilicis et monachorum claustris, quo lingua ignota plerumque psalmi non intellecti decantantur ac tribuitur huic decantationi ad certas horas restrictae cultus ac meritum, cum tamen nec ex fide procedat, nec in solius Dei honorem instituatur, nec seriam attentionem habeat conjunctam. Docet enim Aquinas 4. sent. distinct. 15. quaest. 4. articul. 2. *sufficere, dicentem preces horarias intentionem generalem habere servitium divinum dicendi, ceterum non referre, quamvis animus ejus ad alia divagetur.* 4. *Scripturae contemtus*, eam enim vocant *imperfectam*, *obscuram*, *materiam litis*, *literam mortuam*, comparant illam *naso cereo, gladio Delphico, vaginae vacuae* etc. ab ejus lectione laicos arcent, qua ratione non solum in ipsum Deum Scripturae auctorem injurii sunt, sed etiam veram sabbati sanctificationem, quae potissimum in meditatione verbi consistit, et pietatis profectum impediunt. Prodeat testis hujus rei domesticus Claud. episcopus Espencaeus theologus Parisiensis in 1. Tim.: *Ubi verbum negligitur nec auditur, fidem ibi perire necesse est, id quod hodie proh dolor omnibus locis cernimus, ut ad tempora appropinquare videamur, de quibus Dominus: Putas, Filius hominis veniens fidem inveniet in terris? qualiter in hac tempestate legatur sacrae Scripturae canon, satis est manifestum, ubi ex desuetudine et indevotione ministris ecclesiasticis sacra in fastidium venerunt.* 5. *Doctrinae coelestis depravatio.* Pontifex, cardinales et episcopi a docendi munere plerique omnes abstinent, si qui vero ex illis, praesertim Jesuitae et quidam monachi, docere praesumunt, non proferunt viva Dei eloquia, sed aniles nugas de vitis sanctorum, traditiones humanas, convicia contra doctrinam evangelii, commendant superstitiones et cultus idololatricos etc. *Contra quartum praeceptum* docetur in papatu *1. contemtus parentum.* Docent enim, liberos parentibus inconsultis, imo repugnantibus posse monasticam vitam suscipere, ab ipsorum visitatione, congressu et colloquiis abstinere et hac ratione ἀμοιβὰς ac pietatis officia jure naturali et divino ipsis debita non reddere, quo accommodant illud Hieronymi ad Heliodorum: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus* XII. 44. *te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcato perge patre, solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.* Bellarminus libro 2. de monachis c. 36: *Licet filiis invitis parentibus transire ad religionem* (vitam monasticam), *postquam ad annos pubertatis, id est aetatis suae 14. pervenerunt, nisi parentes in tali necessitate sint, ut non possint sine auxilio filiorum vivere.* Qualem vero ἀστοργίαν haec doctrina cordibus liberorum erga parentes inserat, ejus rei exempla vide apud Hasenmullerum in histor. Jesuit. c. 5. Docent insuper, *matrimonia liberorum praeter, imo contra parentum voluntatem contracta esse rata.* Toletus libr. 5. instruct. sacerd. capit. 1: *Potest filius uxorem ducere se dignam invitis parentibus sine peccato mortali.* Pontifex non solum liberos ab obedientia erga parentes absolvit, sed etiam filios adversus parentes armat. Paschalis II. Henricum V. jussit gladium stringere adversus parentem Henricum IV. quem instinctu papae in vincula conjecit et ad mortem usque detestando scelere in carcere detinuit. 2. *Contemtus magistratus.* Pontifex cum suis episcopis et clericis ab obedientia magistratus politici nefarie et contra expressum Dei verbum Rom. 13, v. 1. sese avulsit, dominatum politicum contra regulam Christi Luc. 22, v. 26. sibi arripuit, unde se effert supra imperatorem, reges ac principes et vendicat sibi summum jus Romani imperii, juramentum fidelitatis ab imperatore exigens, quin imo negans, sine suo consensu et inauguratione quenquam imperii gubernacula capessere posse, ceremoniale Romanum lib. 3. sect. 7. titul. de reverentiis quae papae exhibentur. *Caesar ut primum videt papam, detecto capite illum genu terram tangens veneratur, et iterum cum appropinquat ad gradus sedis genu flectit et papae pedes osculatur,* sect. 5. titul. de ingress. urbis. *Caesar tenet stapham, quoad papa equum adscenderit, et accepto equi freno per aliquot passus ducit equum papae. Quodsi papa non equo, sed sella veheretur, tunc imperator vel rex, si adsunt, debent ipsam sellam suis humeris portare,* lib. 1. cerem. sect. 2. titul. Ordo processionis. Sic ergo summus in terris magistratus officium statoris sive constablii papae exhibere cogitur. 3. *Seditio adversus magistratum.* Docent enim, papam subditos a juramento, quo magistratui suo tenentur obstricti, absolvere posse, nimirum si magistratus ad nutum et arbitrium pontificis sese accommodare nolint. Bellarminus libro 5. de Romano pontifice c. 6: *Pontifex Romanus suo jure potest principes seculares excommunicare et*

Digitized by Google

aliquando, si ei ita visum, regnis suis privare. Id ipso facto saepius demonstrarunt. Gregorius VII. c. Nos sanctorum. 15. quaest. 6: *Nos sanctorum praedecessorum nostrorum statuta tenentes eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a juramento absolvimus, et ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus.* Pius V. in bulla adversus Elisabetham Angliae reginam: *Volumus et mandamus, ut adversus reginam haereticam et excommunicatam subditi arma capessant.* Inde communis schola concludit, *principibus a papa excommunicatis nullam a subditis deberi obedientiam.* Dominicus Bannes in commentariis super Thomam 2. 2. quaest. 12. articul. 2: *Post latam sententiam declarativam de crimine haeresis injuste princeps possidet regnum aut principatum et exercet jurisdictionem in subditos, tenenturque subditi eximere se ab ejus obedientia* (nota) *et bellum gerere contra illum, si vires suppetant. Ex hac conclusione sequitur* (pergit Bannes), *primo excusandos esse Anglicanos et Saxonicos fideles, qui se non eximunt a potestate superiorum, nec bellum contra illos gerunt, quoniam communiter non habent facultatem ad haec bella gerenda contra principes et imminent illis gravia pericula*, ubi singulariter observa ex hypothesi doctrinae Pontificiae, subditis non solum *licere*, sed ipsos etiam *obligari*, ut obedientiam legitimo suo magistratui detrectent, si is a papa excommunicetur. Wilhelmus Rossaeus de vindiciis reipublicae Christ. adversus reges impios et haereticos p. 156. disputat,
XII. 45. *subditos jure posse resistere tyranno*, et addit, *omnem regem haereticum* (qui Romanae ecclesiae placita non agnoscit in omnibus) *esse simul tyrannum.* Jesuitae Parisienses contra Henricum III. Valesium pronuntiarunt, *licere populo salva conscientia contra magistratum haereticum, cui religioni obstrictus sit, se armare, unire ac eum cum adhaerentibus persequi juxta constitutionem Innocentii IV. in concil. Lugdunens.* c. 1. de homicid. in 6. et c. ult. de poen. Notum est, qui Romae plausus excitati, qui paeanes decantati fuerint, cum de regis Galliae Dominicani (rectius dixeris daemoniaci) monachi venenata sica ex insidiis obtruncati caede nuntium esset allatum, cujusmodi oratione parentaverit ipsi Sixtus V. in purpuratorum senatu 2. Septembr. Anno 1589. in qua horrendum illud facinus laudibus in coelum, aut etiam supra coelum effert, omnibus heroum ab omni aevo rebus praeclare gestis praefert tandemque cum adorando incarnationis mysterio confert. Et quidni? cum juxta Immanuelem a Saa in aphorismis confessorum in voce Clericus, *clerici rebellio in regem non sit crimen laesae majestatis, quia non sit subditus regni.* Idem in voce Princeps: *Rex potest per rempublicam privari regno ob tyrannidem et si non faciat officium suum, et cum est aliqua causa justa, et eligi alius a majore parte populi; quidam tamen solum tyrannidem causam putant.* Ex quibus hypothesibus Jesuiticis concludit auctor orationis ad regem Christianissimum (qui se vocat Catholicum et assessorem parlamenti) pag. 31: *Si papa potest reges excommunicare, et bonum est factum ac meritorium, si quis post vibratum fulmen papale eos occiderit, continuo sequitur, martyrium ferri potius constanter oportere, quam in causa esse, cur ii tradantur morti, qui iter ad vitam aeternam ostenderint, hae propositiones catena quadam inter se connexae sunt.* Conjungatur vero etiam praxis Jesuitica. Sicarii enim illi, qui regibus Galliarum et Angliae insidias struxerunt, confessi sunt, a Jesuitis se instructos et edoctos, quod caedes regum haereticorum a papa excommunicatorum sit meritoria. Vide catech. Jesuiticum et librum Marianae. Witakerus in respons. ad epist. Campiani in princ. simile exemplum commemorat: *Suspensus est* (inquit) *superioribus diebus sacrificus quidam Everardus e seminario Remensi in Angliam emissus, qui in carcere clare atque affirmate asseveravit adstantibus atque audientibus sedecim honestissimis viris, proditionem in principem* (haereticum) *non esse peccatum in Deum.* Idem licet oblique et indirecte propugnat Becanus in libris adversus regem Angliae editis, qui propterea decreto Sorbonae Parisiensis sunt prohibiti. Et quid multis? Petrus Matthaeus jurisconsultus singularis encomii loco illud de Jesuitis commemorat, quod *reges ac principes haereticos e medio tolli* posse statuant, sic enim scribit in libro, qui continet decretales Pontificias a Gregorio IX. usque ad Sixtum V. sub decretalibus Pauli anno 1545: *Dum superseminat inimicus homo zizania, adsunt divino Pneumate acciti patres Societatis Jesu, qui Petri sedem illustrant, in Lutherum arma divini eloquii parant, tyrannos aggrediuntur, lolium ab agro Do-* XII.
minico evellunt etc. Merc. Gallo-Belgicus tom. 2. lib. 20: *Arnoldus ab academia Parisiensi ad hoc munus designatus litem Jesuitis intendit, accusationis articulus secundus fuit, eos votum suscipere obediendi suo generali, qui si dixerit, interfice regem Franciae, eundum est.* In publicis concionibus laudarunt factum Jacobi Clementis regis Henrici III. interfectoris. 4. *Officii, quo parentes ac liberi, domini ac servi, maritus et uxor sibi invicem tenentur obstricti, turbatio.* Papalis enim ecclesia non solum permittit, sed etiam laudat, si uxor, liberi, servi vocationem suam deserant et peregrinationes ad loca sanctorum suscipiant. Erasmus in 1. Tim. 5. p. 473: *Paulus dicit, si quis suorum curam non habet, infideli est deterior, scilicet qui hoc officii non praestat suis, quibus naturae vinculo jungitur, quod ethnici quoque instinctu naturae praestant. At hodie summa habetur pietas, si quis domi relictis liberis et uxore, aut etiam grandaevis parentibus vel Hierosolymas abeat vel in monasterium abdat se sibi victurus, aut fortassis etiam ventri. Contra quintum praeceptum* defenduntur in papatu: *1. Insidiosae regum et principum interneciones*, illorum scilicet, qui ad pontificis nutum sese accommodare nolunt, ut praxis superioris seculi multis exemplis comprobavit. *2. Caedes illorum*, qui a synagoga Romana seces-

Digitized by Google

tionem fecerunt. Quot bella jam inde a principio reformationis gesta, quot rivi sanguinis Christiani propter religionem effusi! *3. Carnificina conscientiarum* per leges confessionis et enumerationis singulorum peccatorum, per doctrinam de satisfactionibus, de dubitatione, de purgatorio. *4. Caedes infantum* vel in utero, vel statim in ipso partu enecatorum a monachis, monialibus et clericis perpetrata. Tertullianus de vel. virg. c. 14. p. 195: *Difficile mulier semel fit, quae fieri timet, quaeque jam facta potest virginem mentiri sub Deo, quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot jam infantes et perfici et perduci ad partum integros duxerit debellatos aliquandiu a matribus. Facillime semper concipiunt hujusmodi virgines et felicissime pariunt et quidem simillimos patribus. Haec admittit flagitia coacta et invita virginitas.* Barlette praedicator olim in Galliis in serm. fol. 262. col. 2: *O quot luxuriae! o quot Sodomiae! o quot fornicationes! Clamant latrinae latibula, ubi sunt pueri suffocati. Utinam haberemus aures apertas et audiremus voces puerorum in latrinis suffocatorum et in fluminibus* etc. *5. Pharisaica legis de non occidendo perversio.* Toletus lib. 5. de instruct. sacerdotal. c. 6. §. Tertia causa: *Cum quis motu repentino correptus, adeo ut non sit rationis compos, alium occiderit, peccato mortali liber est.* c. 9: *Cum homo profert verbum contumeliosum non ex plena deliberatione, non est mortale peccatum; vel si adsit plena deliberatio, tamen sit inter personas parvi momenti, ut inter mulierculas.* lib. 4. c. 13: *Cum homo ira aliqua vel alia animi passione non advertens verba, quae proferebat, protulit blasphemiam, non est peccatum mortale, nisi homo assuetus sit blasphemare. Contra sextum praeceptum* in papatu ** varie peccatur. Quot scurrae, cynaedi, adulteri, scortatores et Sodomitae in coenobiorum Angliae visitatione facta anno 1538. ab Henrico VIII. rege proditi et deprehensi, quot infantum misere occisorum ossa et capita fuerint monstrata, quot nefanda dictu et horrenda cogitatu facinora fuerint comperta, de eo videatur praefatio ad lectorem Joh. Balaei praefixa actis Rom. pontificum. Erasmus in c. 19. Matth.: *Scortari licet, uxorem ducere non licet, si profitentur concubinam, sunt catholici sacerdotes, sin uxorem dici malint, in ignem conjiciuntur.* Papa Clemens *scortationem* publice approbavit et *mulieres communes esse* voluit in epist. decret. 5. quae extat. c. dilectissimis fratrib. 12. q. 1. *Adulterium* numerant inter leviora crimina. In specie peccantur dum ** 1. permittuntur *lupanaria* contra expressum Dei mandatum Deuteron. 23, v. 17. quin imo pontifex *censum annuum a meretricibus* exigit, Sleidanus lib. 12. comm. Dum Tridenti concilium celebrabatur, conscripta sunt Romae viginti quatuor millia scortorum. 2. Clericis potius *concubinatum* quam conjugium permittunt. Campegius ad Argentinenses legatus in comitiis Augustanis
XII. 47. dixit, *scire se, episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant. Quod vero sacerdotes fiant mariti, multo esse gravius peccatum, quam si plurimas domi meretrices alant,* Sleidanus lib. 4. histor. anno 1524. Quam sceleratam vocem repetunt Eccius, Piggius, Hosius et Costerus. ** In enchir. art. de coelib. §. Nona propositio. Armand. in epistola ad Chamierum *Costeri propositionem* dicit *esse doctrinae Christi et apostolorum, omnibus conciliis et patribus maxime consentaneam.* ** Claud. Espencaeus in comm. c. 1. Titul. *Turpissimum est, quod officiales permittunt, clericos cum concubinis, meretricibus et pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt accepto ab iis certo quotannis censu, atque adeo alibi a continentibus, nam habeant, ajunt, si velint.* De eadem injuria graviter conqueritur Cassander in consult. articul. 23: *Fatendum est, graviter a posteris peccatum esse, qui coelibatus legem, pro tempore utilem, multis in laqueum verterunt, cum juvenes nondum sibi exploratos temere ad ministerium ecclesiasticum admiserunt, et cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosdam concubitus dissimularunt et quodammodo probarunt, quam ut sinerent, humanam constitutionem eorum gratia mutari, qui eam sine offensione divinae legis observare non poterant. Quare nimis rigida hujus constitutionis exactione abominanda in ecclesia scandala exstitisse videmus* etc. *3. Laqueis votorum* multis datur occasio immundiciae, molliciei et aliorum nefandorum delictorum. Carolstadius in praefat. libri de coelib. et monach. Witeberg. anno 1521. editi: *Utinam demissa vox in aurem quaedam tibi loqui posset, horreres certe illa, quae auditores et judices peccatorum, quos nunc confessores vocant, a confitentibus didicerunt et me docuerunt dedocenda magis quam docenda.* Et postea: *Opinantur se non delinquere, cum in cuniculis et cellis et solitudine haud scio quid efficiant confricatione* etc. *at perpetrant seminis jactu crimen et fornicatione et adulterio incomparabiliter pejus.* ** Bellarminus de monach. c. 30. et c. 34: *Magis peccat, qui post votum nubit, quam qui fornicatur, majus enim malum est post votum nubere quam assidue fornicari.* Jesuita Fabricius Romae dixit Hasenmullero: *Ego mallem sodomiam exercere quam contra papae mandatum inire matrimonium.* ** 4. Permittunt matrimonia *in gradibus ipsa lege Dei prohibitis* Levit. 18. Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 27. *5. Connubia post votum contracta* judicant esse irrita. Maldonatus in summ. q. 12. artic. 5: *Quidquid senserint multi antiqui auctores, an sit verum matrimonium post votum, illud nunc certum est, matrimonium contractum ab iis, qui votum fecerunt solenne castitatis, non esse verum, quia in concilio Toletano virgines post votum nuptae non solum adulterae, sed etiam incestae dicuntur.* Atqui contrarium a Cypriano et Augustino disertis verbis asseritur. 6. Statuunt, per *votum solenne* dirimi matrimonium, Bellarminus libro 1. de matrimonio c. 21. Item propter *haeresin* dissolvi matrimonium, statuit Coelestinus III. pontifex. *7. In conjugium* sanctam Dei ordinationem multis modis sunt injurii.

Digitized by Google

Cens. Colon. p. 71: *Matrimonii doctrina impudicitiae janua aperitur ac animis libidinis faces subministrantur.* Bellarminus lib. 1. de clericis c. 18. et 19: *Actus conjugalis totum hominem reddit carnalem et ineptum ad divina et ne sanctorum quidem conjugium sine pollutione quadam et turpitudine exerceri potest.* Costerus in enchirid. c. 15. *conjunctionem conjugalem ex se tam foedam et immundam esse* dicit, *ut sanctificatione sacramenti indigeat, quo sanctificetur;* item, *animam hominis per illud ad inferiora deprimi, ut minus idoneus sit coelestia meditari ac tractare.* Can. 7. distinct. 34: *Si quis non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur*, ubi glossa notat: *Luxuria quandoque plus juris habet, quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non.* *8. Sodomiam*, exsecrabile illud scelus, publico
XII. 48. scripto praedicavit Johannes de la Casa archiepiscopus Beneventanus edito Venetiis anno 1550. apud Trojanum Nave, ut refert Carol. Molin. in orat. Tubingae habita anno 1554. Sixtus IV. ad instantiam quorundam cardinalium potestatem illis dedit tribus mensibus aestivis sodomiam exercendi. *Contra septimum praeceptum* in papatu *1. furta et fraudes* excusantur. Maldonatus in summ. qu. 8. artic. 3: *Pauperes non faciunt furtum, cum pressi extrema necessitate rem alienam capiunt, quia res tum proprie non est aliena, sed communis vitae periclitantis, nec necessitas extrema est, quae jam fere non potest admittere remedium, ut cum pauper exhalat animam, sed cum vix alia ratione potest subveniri.* Molanus tractat. 2. c. 7. conclus. 1. prop. 6. statuit, *furtum in re minima non committi.* Toletus instruct. sacerdotal. tractat. de septem peccat. c. 49: *Is qui justo pretio non potest vendere vinum vel propter iniquitatem judicis, vel propter emtorum malitiam, qui conveniunt inter se, ut pauci emant, ad pretium remittendum, tunc possit minuere mensuram aut paululum aquae miscere ac vendere pro puro vino et pro completa mensura justum exigendo pretium, dummodo non dicat mendacium; quod si dicat, non erit mortale peccatum.* ** Contra Rom. 3, v. 8. 1. Thess. 5, v. 15. Prov. 20, v. 22. Rom. 12, v. 16.** 2. Pontifex *maximam imperii partem* ad se rapuit, supremum in omnia regna imperium et jus ab uno ad alium ea transferendi sibi vendicat, episcopatus et abbatias eo modo sibi appropriavit, ut *pallium* investiturae signum administratores eorum magna pecuniae vi emere cogantur, indulgentias magno aere vendit et multis modis simoniam exercet. *3. Clerici papales in avaritia fictis verbis de populo negotiantur* 2. Petri 2, v. 3. vendendo missas, vigilias, indulgentias etc. deliciantur et luxuriantur de eleemosynis ecclesiae neque quidquam officio ecclesiastico dignum agunt. *Monachi* pigri ventres pauperum sudores absumunt. 4. *Sacrilegium ποτηριοκλεψίας* e sacra coena propugnatur, vigent furta spiritualia clerici enim abstulerunt *clavem scientiae* Luc. 11, v. 52. Laicis consolationem et instructionem ex Scripturae lectione et meditatione exspectandam eripuerunt. *Contra octavum praeceptum* in papatu 1. *publica et notoria mendacia* defenduntur. *Donatio Constantini* merum est figmentum, quod jam olim explosum a cardinale Cusano, Antonino archiepiscopo, Aenea Sylvio pontifice etc. *Legenda sanctorum* scatent fabulis ac mendaciis, unde Ludovic. Vives auctorem eorum dicit fuisse *hominem ferrei oris et plumbei cordis.* Reliquiae sanctorum maxima ex parte sunt fictae et commentitiae, unde Erasmus scribit, *tantum ligni crucis diversis in locis ostentari, ut vel oneraria navis illius pondus ferre nequeat.* De eadem fraude, quae in reliquiis committitur, graviter etiam conqueritur Cassander in consult. Miracula pleraque sunt conficta et constant imposturis. Vide centurias mendaciorum papisticorum apud Rauscherum et Flacium contra invectivam Bruni. ** Toletus in instr. sacerd. c. 21. 22. 23: *Licet aliquando uti aequivocatione et per juramentum decipere audientem. Exempli gratia si vir uxorem interroget, an sit adultera, ista potest dicere et jurare: non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem.* Contra Hebr. 6, v. 16. unde ipse Maldonatus in Luc. 24, v. 36: *Quisquis fingendo alium fallere conatur, etiamsi aliquid praeterea significare velit* (hoc est uti aequivocatione) *haud dubie mentitur, alioqui nullum esset mendacium, quod ista ratione defendi non posset.* (Illa mulier bis hoc modo constituitur ac evincitur adultera, corporis videlicet stupro et mentis mendacio. *Ut enim castitas corporis, sic veritas mentis est virginitas* docente Augustino in enchir. c. 22. adeoque sicut illa violatur adulterando, sic haec mentiendo.) ** 2. *Scripta supposititia et spuria* pro genuinis venditantur, utpote liturgia Jacobi, canones apostolorum, decretales epistolae pontificum, libri Dionysii Areopagitae, Hippolyti, Abdiae Babylonii etc. 3. *Genuina veterum scripta depravantur*, quibusdam additis, quibusdam subtractis, ut constat ex indicibus expurgatoriis. Canones concilii Nicaeni falsarunt, ut primatum suum stabilirent, uti constat ex actis concilii Carthaginensis. 4. *Convitia et calumniae* mendacissimae in evangelii confessores proji- XII. 49.
ciuntur. Lutherus in praefat. art. Schmalc.: *Fuit apud nos Witebergae doctor quidam ex Galliis missus, qui nobis palam indicabat, regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse ecclesiam, nullam politiam, nullum conjugium, sed promiscue omnes pecudum more vivere pro arbitrio.* Alphonsus caesaris cancellarius Hispanicus Augustae in comitiis ad Melanthonem dixit: *Longe aliter Philippe in Hispaniis de vobis fama tulit, quam ex confessione vestra intelleximus. Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem, de Christo et Maria impie loqui, sacramenta corrumpere, coenam Dominicam convivii profani more administrare, magistratum contemnere, libidines stabilire.* Quinimo in ipsis illis comitiis maleferiati quidam Pontificii Carolo V. imperatori et reliquis imperii ordinibus persuadere conabantur, *in nostris ecclesiis simpliciter prohiberi disciplinam et omnem carnis mortifi-*

Digitized by Google

cationem ac publice defendi haeresin Jovinianorum, quam calumniam postmodum refricare voluit Johannes a Daventria scribens in refutat. Augustan. confess. *Lutheranos statuere, quod tum demum vere ac plene utantur libertate Christiana, si carnem nunquam affligant, si nunquam jejunent, si sese supra modum et supra naturae vires omnis generis cibis etiam diebus festis infarciant et ventrem distendant*, ut videre est in harmonia Andreae Fabricii p. 435. Gregorius de Valent. in anal. p. 213. calumniatur, *apud Lutheranos ita esse omnia comparata, ut in eorum religionis ratione vix aliquod Christianae disciplinae signum sit reliquum, quo eos ab ethnicis nulla veri Dei cognitione imbutis discernere queas.* Bellarminus libr. 4. de justificatione c. 1. contra conscientiae suae testimonium probare conatur, *operum necessitatem a nobis negari.* De Luthero sparserunt rumorem integro ante ipsius mortem anno, *quasi misere perierit et corpus ejus a diabolo sit abreptum*, quod mendacium Lutherus ipse confutavit tom. 8. Jenens. German. fol. 206. 207. *5. Judicum injustitia* oblique approbatur. Toletus lib. 5. instruct. sacerdotal. c. 56: *Cum in judicio probatur aliquis esse nocens, quem judex in privata sua persona innocentem esse novit, quamvis sint in hac quaestione variae opiniones, tamen communior et verior est, quod judex licite possit damnare innocentem.* Maldonatus in summa quaest. 7. articul. 3: *Non peccat judex, si aliquem damnat secundum legem, licet ipse sciat, eum esse innocentem. Contra nonum ac decimum* praeceptum papalis religio docet, *concupiscentiam interiorem* non esse peccatum, qua ratione pharisaica persuasio de perfecta legis impletione et meritis operum stabilitur. Johannes a Daventria in refutat. secundi articuli Augustan. confess. in harmonia Fabricii p. 22: *Non praeceptum est carni nec animae sensitivae, sed intellectivae non concupisces, quod illa non potest non concupiscere carnalia. Si enim carni praeciperetur non concupisces, perinde hoc esset, ac si Deus soli et lunae praecepisset, ne lucerent, igni, ne arderet, aquae, ne defueret, lapidi funda emisso, ne decideret.* Toletus lib. 5. instruct. sacerd. c. 13: *Si quis desideret habere pollutionem ob bonum finem, ut ob sanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum affligitur, non est peccatum.* ** Contra Exod. 20, v. 17. Deut. 5, v. 21. Rom. 7, v. 7. 1. Cor. 6, v. 9. *Mollities*, definiente Tolleto, *est voluntaria seminis emissio absque copula. Cum aliquis motu repentino correptus alterum occidit, etiam cum intentione occidendi, a peccato mortali liber est*, Toletus in instruct. sacerd. lib. 5. c. 6. §. Tertia causa. Item: *Cum quis repentina ira correptus profert verbum contumeliosum in proximum, si non adest deliberatio, non peccat mortaliter, nec etiam licet adsit deliberatio, dummodo sit aut de re levi, aut inter personas parvi momenti, aut inter mulierculas, quae saepe rixari solent et multa convitia invicem jaculari, aut inter servos et famulos*, idem ibid. c. 9. §. Primus est et seqq. Item: *Cum homo ira aliqua vel alia motus passione profert in Deum blasphemiam, non peccat semper mortaliter*, ibid. lib. 4. c. 13. §. Circa peccatum. Contra Matth. 5, v. 22: *Qui dixerit fratri raca, fatue, reus erit gehennae.* Exod. 20, v. 13: *Non occides.* Lev. 24, v. 16: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* ** Sed quid contra singula decalogi praecepta ecclesiae et religionis papalis peccata XII. 50.
commemoramus, cum in totum decalogum multis modis sit injuria, quando scilicet docet 1. legem Dei talem praecipere obedientiam, quam homo renatus *perfecte* praestare et per eam vitam aeternam *promereri* possit, concil. Trident. sess. 6. cap. 11 2. Praeceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima etc. esse *doctrinale, non autem obligatorium* in hac vita, Stapletonus lib. 6. de justificat. c. 10. Bellarminus lib. 3. de monach. c. 13. 3. Lege Dei non prohiberi *omnia peccata*, sed quaedam eaque enormia esse peccata, de quibus lex omnino silet, Andradius explicat. orthodox. lib. 5. p. 381. *4. Preces in specie pro inimicis* non esse praecepti, sed consilii; neminem obligatum esse ad salutandum inimicum causa amicitiae; pro haereticis et schismaticis non esse publice orandum, Azorius libr. 9. instit. moral c. 31. 5. Hominem *ex puris naturalibus* Deum diligere posse super omnia, Gabr. Biel 3. sent. dist. 27. quaest. unic. art. 3. Cochlaeus in 18. art. confess. August. 6. Hominem *plus posse facere*, quam Deus praecepit, adeoque opera supererogationis praestare, Bellarminus lib. 4. de justif. c. 13. 7. Dum praecipuum discrimen legis et evangelii, videlicet quod lex promittat vitam sub conditione perfectae obedientiae, evangelium vero *gratis* propter Christum credentibus salutem offerat, prorsus tollit, cens. Colon. pag. 195. 8. Dum negat, *peccatum originis* a lege accusari, Ruard. Tapperus tom. 1. art. 2. p. 37. 9. Dum pontifex gloriatur, se *contra praecepta decalogi* dispensare posse, Angelus de Clavisio in summa indictione, papa. Nicol. Boerius cons. 20. num. 26. etc.

252. Ostendimus hactenus, falsam esse Bellarmini gloriationem, quod ecclesia Romana nullum errorem nullamve turpitudinem doceat, quod attinet tertium, videlicet *nihil contra rationem in eadem doceri*, ad id respondemus: 1. Normam fidei et veritatis in ecclesia non esse principia rationis vel regulas philosophiae, sed Scripturam sacram. 2. Falsum esse, quod simpliciter Bellarminus hoc loco asserit, *mysteria et articulos fidei esse supra rationem duntaxat, non autem contra rationem.* Sane si ratio in sua sphaera se contineat, nec in secreta mysteriorum divinorum sese intromittat, sed reverenter de summis fidei mysteriis usurpet illud: *Quae supra captum meum posita, de illis ex meis principiis non praesumam judicare*, si, inquam, ratio talem se praestet, fatemur, articulos et mysteria fidei non esse contra rationem; sed si, quod saepe contingit, ratio de mysteriis fidei ex suis principiis et juxta philosophiae regulas judicare ac pronuntiare praesumat, si efferat se supra dominam suam theo-

Contra rationem, an aliquid credendum.

Digitized by Google

logiam instar Agaris refractariae, tunc certe fidei mysteria sunt non solum supra rationem, sed etiam contra rationem, ut ex articulo de Trinitate personarum in una divina essentia, de resurrectione mortuorum, de praesentia corporis Christi in coena etc. oppido conspicuum. 3. Distinguendum igitur est inter *rationem sibi relictam ac solutam*, quae sine freno discurrit ac suis fertur logismis, quae judicat ac statuit ex suis principiis, quae sunt communes notiones, sensus, experientia etc. et inter rationem *per verbum Dei refrenatam* et sub obsequium Christi redactam, quae judicat ac statuit ex proprio theologiae principio, videlicet ex verbo Dei in Scripturis sacris proposito. Mysteria fidei non sunt contra rationem scilicet respectu posteriore consideratam, sunt autem contra rationem scilicet respectu priore consideratam. 4. Quidam illud sic efferunt, quod distinguendum sit inter *rationem renatam et non renatam*, sed ut plena sit illa distinctio, necessario addendum, quod renata ratio, quando ex suis principiis oppugnat articulos fidei in Scripturis diserte traditos, eatenus non amplius agat ut renata ratio; perinde ut renatus homo, quando cognatam carnis corruptionem secutus peccato contra conscientiam indulget, eatenus non amplius agit ut renatus, imo desinit esse renatus,
XII. 51. qua de re tom. 1. loc. de interpretat. Scriptur. § 174. latius egimus. 5. Ut ergo ratio in articulis fidei dupliciter considerari potest, ita quoque παράδοξον rationi oppositum duplex statui potest. Aliud enim paradoxon opponitur rationi non renatae ex suis principiis judicanti, id quod in mysteriis fidei non magnopere attendendum, cum in articulis fidei propter paradoxum humanae rationis non sit a litera discedendum; aliud vero paradoxon opponitur rationi non renatae ex principio theologiae proprio, ex verbo scilicet judicanti, atque illud in mysteriis fidei attendendum est, cum et rationis et fidei, hoc est rationis principia fidei amplectentis iisque arcte inhaerentis respectu sit paradoxum. Distinctionis hujus fundamentum traditur in sequentibus Scripturae dictis Genes. 18, v. 14: הֲיִפָּלֵא מֵיְהֹוָה דָּבָר, *an difficilis res erit Domino?* ut vertit Arias Mont. *Nunquid abscondetur quidquam a Domino?* ut vertit Vatablus. *Nunquid Deo quidquam impossibile?* Ut reddit Lutherus. פָּלָא est separatum et divisum vel a cognitione et intelligentia, vel ab actione et viribus hominum, ut nec ratione illud assequi, nec viribus praestare possint. Sensus igitur divini oraculi est, si vel maxime aliquid supra captum humanae rationis ac supra vires humanas positum sit, non tamen Deo illud est difficile, nedum impossibile, quia Deus *plus potest praestare, quam nos intelligimus* Eph. 3, v. 20. פֶּלֶא nomen est mirabile et occultum. Sensus igitur est, si vel maxime hominibus aliquid videatur mirabile et paradoxum, Deo tamen illud non est mirabile et occultum. Zach. 8, v. 6: *Sic dixit Dominus exercituum: si* יִפָּלֵא, *mirabile vel difficile, paradoxon et impossibile hoc videtur in oculis populi illius, num etiam in oculis meis erit* יִפָּלֵא, *mirabile ac paradoxum?* Luc. 1, v. 34. cum Maria θεοτόκος admirabunda quaereret, quomodo virgo viri nescia parens fieri possit? angelus ipsi respondet: v. 37. *οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα*, q. d. licet apud homines impossibile videatur et rationi absonum sit, virginem sine virili semine concipere ac parere, tamen apud Deum hoc non est impossibile vel absurdum. Matth. 19, v. 26. Christus itidem sic distinguit, quod *apud homines quaedam sint impossibilia*, id est quod ipsorum judicio multa sint *ἀδύνατα, ἄτοπα καὶ παράδοξα*, sed apud Deum omnia esse possibilia. Luc. 5, v. 26. cum Christus divino miraculo paralyticum sanaret, populus dicit: *Vidimus hodie παράδοξα*, quae scilicet sint supra captum rationis posita. Eadem vox de miraculis divinis usurpatur Sap. 16, v. 17. c. 19, v. 5. Ecclesiast. 43, v. 30. ac *παράδοξον τῆς σωτηρίας* Sap. 5, v. 2. appellatur coelestis illa beatorum gloria, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, quaeve in cor hominis non adscendit* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9.

253. His ita praemissis dicimus, in ecclesia Ro- Paradoxa ecclesiae Romanae
mana talia paradoxa proponi, quae sint generis posterioris, videlicet quae et fidei, et rectae rationi a Spiritu s. per Scripturas illuminatae iisdemque inhaerenti adversentur. Possent illius generis paradoxa quam plurima recenseri, sed hac vice sequentibus contenti erimus. 1. Paradoxum est in articulo justificationis, quod Pontificii negant, *meritum Christi per fidem nobis imputari posse*, et tamen asserunt, *merita sanctorum et opera supererogationis a monachis praestita nobis communicari posse.* 2. Paradoxum est, quod statuunt, *gentiles per legem naturae sine Christi cognitione salvos fieri potuisse*, cum ipsi gentiles in perpetuis dubitationibus de Deo, de immortalitate animae, de salute aeterna fluctuaverint. 3. Paradoxon est, quod *infinito et perfectissimo Christi merito sanctorum merita ac perfectissimae satisfactioni Christi nostras satisfactiones conjungunt.* 4. Paradoxon est, quod statuunt, *nos nostris operibus Deo jam ante debitis infinitum bonum, videlicet vitam aeternam, promereri posse*, cum recta ratio doceat, ne quidem panis frustulum nos posse promereri. 5. Paradoxon est, quod statuunt, *legem Dei perfecte a nobis impleri et opera supererogationis praestari posse*, cum cujusvis pii conscientia et recta ratio doceat, multiplices quoti-
die lapsus in via bonorum operum a nobis committi. XII. [illegible]
6. Paradoxon est, quod statuunt, *fieri posse, ut pontifex diabolicis artibus operam navet, et tamen negent, papam errare posse;* quod statuunt, *papam errare posse ut privatam, non autem ut publicam personam; errare ipsum posse in praemissis, sed non in conclusione; errore facti, non juris; in temporalibus, non in coelestibus.* 7. Paradoxon est, quod statuunt, per *indulgentias contingere plenissimam omnium peccatorum indulgentiam*, ut habet bulla jubilaei anno 1600. et tamen eos, qui indulgentias emerunt, adhuc in purgatorium ablegant. 8. Paradoxum est, quod statuunt, *satisfactiones a*

Digitized by Google

confessariis impositas poenitentibus esse utilissimas, et tamen commendant indulgentias, quae sunt istarum satisfactionum remissiones. 9. Paradoxon est, quod statuunt, *etiam pueris presbyteratum et episcopatum conferri posse.* 10. Paradoxon est, quod *monachi paupertatem voveant*, cum omni rerum abundantia affluant. 11. Paradoxon est, quod disputant, *a conjugio ministros ecclesiae arcendos*, ne curis rerum secularium distrahantur, cum tamen episcopi seculares principatus administrent. 12. Paradoxon est, quod papam statuunt *Christi successorem et Petri vicarium*, cum tamen regnum papae a regno Christi, doctrinae et mores papae a doctrina et moribus Petri δὶς διὰ πασῶν dissideant. 13. Paradoxon est, quod statuunt, *crucem adorandam esse cultu latriae*, interim tamen disputant, humanam Christi naturam non nisi ὑπερδουλείας cultu venerandam. 14. Paradoxon est, quod commendant *fidem implicitam et carbonariam*, cum fides in Scripturis definiatur, quod sit γνῶσις ac σύνεσις. 15. Paradoxon est, quod sacra peragenda statuunt *lingua ignota ac peregrina*, etc.

An doctrina evangelicarum ecclesiarum sit sancta.

254. *Membrum tertium.* Num doctrina ecclesiae nostrae vere sit sancta? Affirmamus hoc sequenti syllogismo. Quaecunque doctrina ad solius Dei et Christi mediatoris gloriam spectat, contra vero humanum fastum et arrogantiam deprimit, illa est vere sancta. Doctrina evangelica ad solius Dei et Christi mediatoris gloriam spectat, contra vero humanum fastum et arrogantiam deprimit. Ergo est vere sancta. Major probatur ex Joh. 8, v. 49. ubi Christus dicit, *se honorare et glorificare* per suam doctrinam *Patrem coelestem*, atque ex eo doctrinae suae veritatem et sanctitatem probat. Nec dubitari potest, illam doctrinam esse sanctam, quae connatum hominibus fastum deprimit, cum sincera humilitas sit fundamentum vere sanctitatis. Minor confirmari potest multis specialibus exemplis. In articulo de Scriptura sacra damus Deo gloriam bonitatis, quod in Scripturis revelaverit nobis omne suum de salute nostra consilium, et gloriam sapientiae, quod ipse ut mentis ac linguae artifex clare ac perspicue locutus sit, inde etiam sacras literas velut omnipotentis Dei ac regis omnium regum decreta veneramur et majestatem earum praedicamus, etc. Pontificii negant Scripturae perfectionem et perspicuitatem, exaequant ei humanas traditiones, quae ignominia in ipsum Deum Scripturae auctorem redundat. In articulo de Christo agnoscimus, Christum esse unicum mediatorem, redemtorem ac salvatorem nostrum, a quo etiam firma cordis fiducia unice pendemus ac pendendum esse docemus. Pontificii hunc honorem ex parte transferunt ad sanctos, quorum intercessione et meritis confidere docent, quin et ad nostra opera, per quae vitam aeternam nos promereri posse statuunt. In articulo de praedestinatione beneficam Dei erga omnes voluntatem praedicamus, quod scilicet serio velit omnes homines salvos fieri et hoc nomine Filium suum toti mundo redemtorem miserit ejusque beneficia in verbo evangelii omnibus offerat. Pontificii vero, praesertim Jesuitae, cum Calvinianis absolutum electionis decretum propugnant, per quod benefica illa Dei erga omnes voluntas negatur. Scholastici praevisionem meritorum statuunt electionis causam. In articulo de imagine Dei docemus, primum hominem esse a Deo conditum justum, sanctum et rectum ad Dei imaginem, quae complectitur sapientiae lucem in mente, conformitatem cum lege Dei in voluntate et omnium animae XII. 53.
virium rectitudinem. Jesuitae contra disputant, in primo homine considerato in puris naturalibus fuisse concupiscentiam malam et odio dignam, repressam tamen per originalis justitiae frenum ac per eandem obtectam, ne in actum erumperet. Item concupiscentiam illam malam ex materiae conditione ortum ducere, neque tamen ex intentione auctoris naturae, sed praeter ejus intentionem ex materia consecutam esse, quae omnia derogant divinae omnisapientiae et omnipotentiae et bonitati, ut suo loco demonstratum fuit. In articulo de peccato originis statuimus, omnes omnino homines, solo Christo excepto, post protoplastorum lapsum nasci originali peccato obnoxios. Pontificii excipiunt B. Virginem, quidam etiam Johannem Baptistam et Franciscum, qua ratione honor soli Christo debitus cum aliis communicatur. Concupiscentiam in renatis adhuc reliquam cum Scriptura peccatum proprie dictum appellamus, quae doctrina de reliquiis peccati in renatis inflectit eos ad veram humilitatem, ut agnita adhaerente infirmitate et imperfectione coram Deo sese vere humilient; ad seriam orationem, ut pro peccatorum remissione quotidie ingemiscant; ad timorem filialem, ut in solius Dei misericordia propter Christum promissa omne perfugium constitutum habentes ab opinione perfectionis et gloriatione de justitia propria abducantur; ad patientiam sub cruce, ut memores quotidianorum lapsuum paternae castigationi sese reverenter submittant; ad veram contritionem et quotidianam poenitentiam, ut concupiscentiis carnis resistant; ad promtitudinem ignoscendi proximo, ut ad veniam faciles sint, qui se venia indigere noverint; ad contemtum mundi et voluptatum mundanarum, ut hos pravae concupiscentiae fomites fugiant; ad studium audiendi verbi, per quod interior homo roboratur, exterior vero debilitatur ac mortificatur; ad certitudinem de inhabitatione Spiritus s. cum luctam illam carnis et spiritus non nisi renati et illi, qui sunt Spiritus s. templa, sentiant; denique ad desiderium vitae aeternae, in qua perfectam renovationem et plenariam a peccato liberationem cupide exspectant. Pontificii vero negantes, concupiscentiam illam in renatis adhuc reliquam esse peccatum, fomenta praebent pharisaicae persuasioni de justitia et perfectione operum inque exercitiis poenitentiae, fidei, orationis, patientiae etc. homines reddunt remissos. In articulo de libero arbitrio conversionem hominis soli Deo adscribimus, quae doctrina bonitatem Dei amplificat. Pontificii extollunt liberi arbitrii vires in spiritualibus et opus conversionis inter gratiam Dei et voluntatem huma-

Digitized by Google

nam dividunt. In articulo de lege docemus, perfectam et omnibus numeris absolutam legis impletionem in hac naturae infirmitate ne quidem a renatis praestari posse, quae doctrina gloriationem humanam de propriae justitiae perfectione plane deprimit, neque ullo modo in Deum legis auctorem injuria est, ut calumniatur Bellarminus libr. 4. de justific. c. 13. rat. 3. sic scribens: *Si lex esset impossibilis, sequeretur, Deum omni tyranno crudeliorem esse et stultiorem, quippe qui ab ipsis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo solvere posset, et leges ferret, quas sciret a nemine observari.* Distinguendum enim inter naturam institutam et destitutam. Deus recte exigit a natura, quod ei dedit et quod sibi juste debetur, licet homo propria culpa ἀδυναμίαν id praestandi sibi attraxerit, ut pulchre ostendit Anselmus libr. de concept. Virgin. c. 28. Pontificii contra docentes, renatos non solum legem Dei perfecte implere, sed etiam opera quaedam supererogationis praestare posse, superbae de perfectione gloriationi causam praebent. In articulo de evangelio Christum statuunt fuisse legislatorem et sic novum Moysen ex eo formantes detrahunt ipsi gloriam, quam Spiritus sanctus illi tribuit, *quod missus sit ad evangelizandum pauperibus, ad alligandum contritos corde, ad praedicandam captivis libertatem et vinctis apertionem* Esa. 61, v. 1. Luc. 4, v. 18. *quod diffusa sit gratia in labiis ejus* Psalm 45, v. 3. *quod Dominus dederit ei eruditam linguam, ut sciat dicere in tempore sitibundo verbum* Esa. 50, v. 4. etc. Nostrae vero ecclesiae
XII. 54. discrimen legis et evangelii exacte retinentes Christo gloriam debitam tribuunt et contritis conscientiis firmam consolationem praestant. In articulo de poenitentia Pontificii de perfectione contritionis, de merito confessionis et de necessitate propriae satisfactionis disputantes remissionem peccatorum fide propter solius Christi meritum gratis nobis contingere negant, qua ratione Christi gloriam imminuunt, hominibus vero de suorum meritorum ac satisfactionum virtute gloriandi materiam praebent. Nostrae vero ecclesiae remissionem peccatorum non meritis nostrae contritionis, confessionis et satisfactionis, sed gratis propter solius Christi meritum credentibus contingere docentes Christi gloriam extollunt, hominum gloriationem deprimunt. In articulo de justificatione et bonis operibus docemus, gratis nos justificari fide in Christum sine operibus legis, bona opera esse fructus fidei ac Spiritus multis nominibus Deo debitos, meritum autem aliquod proprie dictum illis tribui posse totis viribus negamus, qua ratione iterum Christi salvatoris nostri gloria extollitur, hominum vero gloriatio excluditur, ut merito dixerit Staupitius ordinis Augustiniani vicarius ad Lutherum sub reformationis initium: *Hoc mihi valde placet, quod haec doctrina, quam praedicas, gloriam et omnia soli Deo tribuit, hominibus autem nihil, jam vero Deo non potest nimium gloriae ac bonitatis tribui*, referente ipsomet Luthero tom. 4. Jen. Latinor. fol. 23. in c. 1. ad Galat. 1. Pontificii contra *de meritis congrui et condigni* disputantes in gratiam Dei et meritum Christi sunt injurii. *Deest enim gratiae, quidquid meritis deputatur*, ut pie scribit Bernhardus serm. 67. in Cant. col. 696. In articulo de sacra coena docemus, juxta institutionem Christi fideliter ab omnibus observandam corpus Christi mediante benedicto pane manducari, sanguinem Christi mediante benedicto vino bibi. *Separatim comestio nominatur* (scribit Andreas Fricius lib. 4. de emend. reipubl. Christ. c. 19.), *separatim bibitio ab illa sapientia, cui omnis sapientia humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet, non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda* etc. Pontificii vero disputationibus suis de concomitantia ad stabiliendam ποτηριοχληψίαν excogitatis *justificant Christi sapientiam*, Matth. 11, v. 19. figmento de sacrificio missae derogant honori unici illius sacrificii propitiatorii in ara crucis a Christo praestiti, quo *consummavit in aeternum sanctificandos*, Hebr. 10, v. 14. Possent hujus generis complura in medium adduci et ex iisdem principiis contra Calvinianos et Photinianos doctrinae nostrae veritas ac sanctitas demonstrari, sed hoc loco contenti erimus illis, quae in medium sunt allata, ex quibus de reliquis facile judicari potest.

Argumenta Bellarmini contra nostrae doctrinae sanctitatem.

255. Bellarminus demonstraturus, foveri a nobis exploratos rectaeque rationi contrarios errores, primum recenset *varias easque absurdas opiniones paganorum, philosophorum antiquorum, Muhametanorum, Judaeorum, haereticorum antiquorum, puta Gnosticorum, Carpocratianorum, Montanistarum, Manichaeorum, Donatistarum.* Sed nihil nobis cum illis Satanae monstris vel erroribus illorum commercii, ideo ex eo nihil quidquam contra nostras ecclesias concludi potest, nisi probetur, nos eosdem, vel certe similes absurdos et exploratos errores in nostris ecclesiis fovere. Quomodo vero id probat Bellarminus? *Sectarii nostri temporis*, inquit, *docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisque certo credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest, non enim id est supra vel praeter rationem, sed plane contra rationem. Quaero enim, cum incipio credere, me esse justum, vel sum justus, vel injustus. Si justus, igitur non justificor per fidem, qua credo, me esse justum, quia ista fides est posterior mea justitia; si injustus, ergo ista fides est falsa; ergo non fides divina justificans, nisi dicamus, homines justificari per mendacium. Praeterea Lutherani omnes maxime spiritum precum et invocationem extollunt, et tamen haec fides* XII. 55.
tollit orationem Dominicam, nam si credo, me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico, dimitte nobis debita nostra. Praeterea Calviniani (imo et Lutherani) *Anabaptistas omnino damnant nec censent, posse eos justificari nec salvari, nisi convertantur a suis erroribus, et tamen sciunt, Anabaptistas certo credere, se esse justos; ergo coguntur dicere, eos simul esse justos et non justos.*

Digitized by Google

Respondemus: 1. Sententia nostra de gratuita justificatione per fidem in Christum nititur perspicuis et immotis Scripturae fundamentis, ut suo loco demonstratum fuit. Quid manifestius pronuntiatis illis apostolicis? Rom. 3, v. 28: *Statuimus, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Galat. 2, v. 16: *Scientes, quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis.* Quodsi ergo vel maxime rationi humanae haec nostra de justificatione sententia adversaretur, ex eo tamen veritati ejus nihil decederet, quia de mysteriis fidei non ex ratione, sed ex Dei verbo judicandum. 2. Num vero contra omnem rationem pugnat, alium pro alio satisfacere, ac per hanc satisfactionem alterum ab obligatione debiti liberari? Homines coram Dei judicio sunt debitores, amiserunt enim concreatam justitiam et integritatem in primo parente ac foenus hoc originale propriis debitis quamplurimis auxerunt, unde denotantur per *servum, qui Domino suo decem millia talentorum debet* Matth. 18, v. 24. Filius Dei incarnatus patitur, sibi eam summam transscribi, ac nostri loco perfectam satisfactionem praestat, *exsolvit, quod non rapuerat* Psalm. 69, v. 5. hanc Christi satisfactionem homo poenitens fide amplectitur sibique applicat firmiter statuens, se propter Christum in gratiam a Deo recipi, propter Christi persolutionem debita peccatorum sibi remitti et coram Dei judicio a culpa et poena absolvi. Ecquid in hac nostra sententia cum verbo Dei et recta ratione pugnat? 3. Pontificiorum vero opiniones, quod infinitae et perfectissimae justitiae Dei nostris operibus jam ante debitis, inquinatis et imperfectis satisfieri possit, quod merito Christi nostra merita sint conjungenda, quod operibus nostris vitam aeternam infinitum illud bonum promereri possimus, quod merita sanctorum et opera monachalia nobis applicari possint, quod alius homo nudus pro nobis satisfactionem praestare possit etc. et verbo Dei, et rectae rationi directe adversantur. 4. Argutiae Bellarmini, quas contra nostram de justificatione per fidem sententiam affert, facilem habent explicationem et alibi, videlicet in tract. de justif. tom. 3. locorum c. 19. §. 145. et seqq. latius sunt expositae. *Cum credo* (inquit), *me esse justum, vel sum justus, vel injustus.* Respondemus: *τὰ πρός τι ἅμα φύσει.* In promissionibus evangelicis offeruntur nobis Christi beneficia, inter quae eminet justitia coram Deo consistens, haec beneficia fides amplectitur sibique applicat, qua ratione homo fit justus coram Deo, hoc est peccata illi remittuntur et Christi justitia ipsi imputatur. Ergo in disjuncto Bellarmini est *ἐλλιπές*, datur enim tertium, scilicet vel fio justus. Augustinus lib. 83. qq. 76: *Quodsi cum crediderit, mox de hac vita discesserit, justificatio fidei manet cum illo* etc. Si captivo cuidam libertas ex gratia promittatur cum hac conditione, si eam amplecti velit, quamprimum illam gratiam amplectitur, statim liberatur. Idem de fide speciali nobiscum docet Bernhardus serm. 1. de annunt.: *Si credis, peccata tua non posse deleri nisi ab eo, cui soli peccasti et in quem peccatum non cadit, bene facis, sed adde adhuc, ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur, sic enim arbitratur apostolus, gratis justificari hominem per fidem.* 5. *Fides illa specialis* (inquit Bellarminus) *tollit orationem Dominicam.* Respondemus: minime vero, *quia justificati fide pacem habemus et cum fiducia ad thronum gratiae accedimus*, Rom. 5, v. 1. Peccatorum remissionem quotidie ex Christi instituto petimus, quia scimus, peccatum in carne adhuc habitare, nosque eo quotidie per illud ad lapsus solicitari, saepius etiam ad lapsus impelli, interim fide statuimus, per Christum nobis contingere peccatorum remissionem et sordium adhaerentium per sanguinem ipsius ab- XII. 56.
lutionem. Non credimus, nec credere debemus, nos non habere peccata, sed credimus et credere debemus, per Christum nobis remissa esse et quotidie remitti peccata. Quaerimus autem a Bellarmino, quomodo absque illa fide speciali, quam hisce argutiis oppugnat, Deum in oratione Dominica Patrem appellare possint? quaerimus etiam, qua fronte asserant, se meritis operum vitam aeternam impetrare posse, cum panem quotidianum emendicare a Christo instituantur; quaerimus insuper, quare gloriari ausint de operibus supererogationis, cum se debitores esse profiteantur condonationem debitorum suorum petentes; quaerimus denique, quo ore asserant suas satisfactiones, cum remissionem peccatorum in oratione Dominica petere doceantur. Ad istaec omnia aperte et sine fuco nobis respondeat Bellarminus, antequam nostram de fide justificante sententiam cum oratione Dominica pugnare fingat. 6. *Anabaptistae* (inquit Bellarminus) *certo credunt, se esse justos, et tamen ob errores suos a Lutheranis damnantur.* Respondemus breviter: fides justificans est non solum fiducia, sed etiam notitia et assensus, qua ratione objecti loco habet verbum Dei in Scripturis propheticis et apostolicis propositum. Quotquot igitur exploratos et fundamentales errores contra Dei verbum amplectuntur et pertinaciter propugnant, quod faciunt Anabaptistae, in illis fides justificans non potest habere locum. Quae de proprio quodam Lutheranorum errore, *de fide scilicet infantum baptizatorum*, Bellarminus addit, ea late discussa sunt in tract. de baptismo §. 226. quo lectorem remittimus. Quae de Anabaptistarum et Calvinianorum erroribus subjungit, ad nos non pertinent, cum ab utrisque Augustana confessio nos sejungat.

Digitized by Google

SECTIO IX.

DE NONA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST DOCTRINAE EFFICACIA.

An efficacia doctrinae sit nota ecclesiae.

256. *Membrum primum.* Sitne efficacia doctrinae genuina et propria ecclesiae nota? Bellarminus hoc probat ex eo, *quod sola ecclesia habeat veram doctrinam non solum immaculatam, sed etiam convertentem animas* Psalm. 18. *et sermonem vivum penetrantem usque ad divisionem animae et spiritus* Hebr. 4. *Contra vero philosophi antiqui nunquam vel vicina oppida ad leges suas trahere potuerunt, ut docet Athanasius de incarn. verbi et Theodoretus libr. de legibus, quia verba eorum non erant verba viva, sed mortua, non Spiritus Dei, sed spiritus hominum. Muhametani traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, non vi et efficacia doctrinae, docent enim in Alcorano c. 18. et 19. bello cogendos homines ad fidem. Haeretici nunquam leguntur convertisse ullos ethnicos aut Judaeos ad fidem, sed solum pervertisse Christianos, quod notat Tertullianus de praescript.* Respondemus: 1. Efficacia doctrinae duplici modo intelligi potest, vel quod multis persuadeat et a multis recipiatur, vel quod homines ad Deum salutariter convertat. Si efficacia doctrinae priore sensu accipitur, tunc non est nota ecclesiae, quia etiam falsae doctrinae quandoque multis persuadent et a multis recipiuntur. Si posteriore sensu doctrinae efficacia accipitur, fatemur, in sola ecclesia vigere illam doctrinam, quae homines salutariter ad Deum convertit, sed illa efficacia non potest perpetuo aestimari a multitudine eorum, qui doctrinam illam recipiunt, *nunquam enim tam bene agitur cum rebus humanis, ut meliora pluribus placeant*, juxta sententiam Senecae. Homines ad errores recipiendos natura magis proclives sunt, quam ad veram doctrinam, sicut ad vitia magis inclinant quam ad virtutes, adeoque *falsa facilius amplectuntur quam vera*, ut
XII. 57. scribit Stapletonus lib. 8. de princ. fidei doctrin. c. 2. *proni sunt homines ad descensum, ad viam latam et facilem, quam haeretici aperiunt*, ut hoc loco Bellarminus fatetur. 2. Haereticae doctrinae quandoque magis sunt efficaces, id est a pluribus recipiuntur quam coelestis veritas, 1. Reg. 22, v. 22: *Spiritus mendax est in ore omnium prophetarum*, quibus solus Michaeas sese opponit. *Ibis* (inquit Dominus ad spiritum illum mendacem) *et praevalebis. In V. T. infiniti prope homines adhaerebant falsis prophetis, et tamen inde non poterat colligi, vel ipsos a Deo missos, vel eorum vaticinia divinitus fuisse inspirata*, scribit disertis verbis Becanus libr. de ecclesia qu. 3. concl. 11. num. 124. Quomodo igitur efficax persuasio in se ac per se erit nota veritatis? 2. Thessal. 2, v. 9: *Adventus Antichristi est κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει* etc. v. 10: *pro eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent;* v. 11: *propterea mittet illis Deus ἐνέργειαν τῆς πλάνης* (NB.), *ubi efficax persuasio* Antichristianis erroribus tribuitur. Apoc. 13, v. 8. *adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitant terram.* De pseudoapostolorum doctrina conqueritur apostolus 2. Tim. 2, v. 17. *quod serpat velut gangraena* et 2. Tim. 3, v. 13. *mali homines ac seductores proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.* Galat. 3, v. 1. errores conferuntur *fascino*, quo miseri homines efficaciter dementantur. Justinus libro de monarchia Dei ab initio ostendit, magnam esse efficaciam idololatriae et pravae consuetudinis in animis gentilium. *Cum principio* (inquit) *natura humana conjunctionem sapientiae et salutis ad cognitionem veritatis atque unius ejusdemque omnium Domini cultum accepisset, invidia obiter subingressa ad simulacra fingenda excellentem hominum amplitudinem evertit et longinquo tempore prolixa durans consuetudo errorem pro multis tanquam vernaculum quiddam et verum per manus tradidit* etc. Tertullianus de praescript. adv. haereticos c. 1: *Vane ergo et inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum haereses valeant, quantum sint.* c. 2: *Quia scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet, ut malum vires suas habeat, nisi quod haereses apud eos multum valent, qui in fide non valent.* Chrysostomus sive auctor operis imperf. in Matth. homil. 19. de haereticis dicit: *Ecclesias etiam regentes palam cum libertate subvertunt et sic multiplicati sunt ex diverso, ut Christiani vagi potius videantur quam illi.* Vincentius Lerinensis adv. haeres. c. 7. dicit, *universum jam paene mundum saeva repentinae haereseos tempestate perculsum. Arianismus* diluvii instar totum fere orbem olim occupaverat, ut ostendimus superius. *Muhametismus* quantum accepit incrementum, non solum vi armorum, sed etiam ipsa τῆς πλάνης ἐνεργείᾳ! Certe enim in principio non poterat armis propagari; qui hodie illi assentiuntur, opinantur, se coelesti veritati credere. Quomodo igitur efficacia doctrinae potest esse genuina et propria ecclesiae nota, cum errores et haereses sint quandoque efficaciores, id est a pluribus hominibus recipiantur? 3. Falsum est, quod Bellarminus absolute et simpliciter asserit, *haereticos nunquam convertisse ullos ethnicos aut Judaeos ad fidem*, et quod Lessius in consult. p. 42. ex eo colligit, *illam esse veram religionem, ad quam facta est gentium conversio*, quia negari nequit, ad religionem Judaicam, qualis erat tempore adventus Christi in carnem, factam esse multarum gentium conversionem. Matth. 23, v. 15. Christus de Pharisaeis et Scribis testatur, *quod circumiverint mare et aridam, ut facerent unum proselytum.* Actor. 2, v. 5: *Erant in Jerusalem habitantes Judaei viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est.* Nihilominus Judaica religio illo tempore fuit valde corrupta et depravata. Tempore Valentis imperatoris Gothorum gens a paganismo ad Arianismum per Ulphilam et alios ministros Arianos fuit con-

Digitized by Google

versa referente Freculpho in chronico tom. 2. lib. 4. c. 20. Bellarminus ad hoc exemplum sic excipit, *Gothos ab Arianis non esse conversos, sed deceptos, voluisse enim Gothos fieri Christianos et hoc nomine petiisse episcopos, sed ab imperatore missos esse Arianos;* deinde addit, *majorem partem illorum Gothorum fuisse Christianam.* Atqui hoc nobis sufficit, quod Gothi ab Arianis fuerint decepti, ex eo enim constat, non omnem religionem esse veram et incorruptam, ad quam gentiles convertuntur. Nec probari potest ex historia ecclesiastica, majorem partem Gothorum jam ante fuisse Christianam, cum a Socrate lib. 4. c. 27. et Sozomeno lib. 6. c. 37. ante illam conversionem dicantur *barbari* et belli occasione Christianorum doctrina eis primum innotuerit. Praeterea *ecclesiarum Graecarum* confessionem multi ex Muhametismo et gentilismo olim receperunt, neque tamen Pontificii concedunt, eam esse catholicam. 4. Denique si efficacia doctrinae est nota ecclesiae, stabit nostra sententia, quod vera doctrina propheticis et apostolicis libris conformis sit nota ecclesiae, siquidem de efficacia illa doctrinae judicandum est ex Scripturis sacris, cum non omnis efficacia arguat doctrinae veritatem et sinceritatem, nisi vim et facultatem salutaris ad Deum conversionis habeat conjunctam, alias enim erit potius ἐνέργεια τῆς πλάνης quam ἐνέργεια τῆς θείας ἀληθείας.

XII. 58.

An doctrina Romanae ecclesiae sit efficax.

257. *Membrum secundum.* Num doctrina Romanae ecclesiae salutarem illam conversionis efficaciam conjunctam habeat? Bellarminus triplicem conversionem gentilium affert, de qua distincte pronuntiandum. Primo loco ponit *conversionem gentilium per apostolos factam,* quam Augustinus lib. 22. de civitat. Dei c. 5. merito *inter miracula* praecipua numerat, erant enim apostoli numero pauci, externa specie contemti, humanae potentiae et eloquentiae viribus destituti, ac nihilominus totum terrarum orbem praedicatione evangelii ad Christum converterunt. Sed quid haec conversio gentilium ad ecclesiam Romanam hodiernam attinet? Facta est ista per praedicationem et doctrinam apostolorum, a qua ecclesia Romana hodierna in multis ac praecipuis quibusdam capitibus discessit. Nostra vero doctrina est illa ipsa, quam apostoli praedicarunt, quod ex scriptis ipsorum demonstrare parati sumus. Secundo loco enumerat Bellarminus *conversiones gentilium factas seculis posterioribus per Gregorium, Cilianum, Bonifacium, Adelbertum, Vincentium* etc. Respondemus: conversiones illae, quae post sextum ecclesiae seculum factae sunt, omnino distinguendae sunt ab illis, quae factae fuerunt per apostolos et viros apostolicos prioribus ecclesiae seculis. Tunc enim videlicet post sextum ecclesiae seculum labefactari coepit doctrinae puritas, superstitionibus paulatim irrepentibus et fermento traditionum humanarum doctrinae apostolicae admixto. Interim tamen quia potuit Deus etiam per corruptum ministerium filios et filias spirituales sibi generare, ac quia tempore Gregorii, Ciliani, Bonifacii nondum fuit tanta doctrinae corruptio, quanta postremis temporibus consecuta est, ideo conversio illa gentilium non desinit esse opus divinae benignitatis *ac pretiosum a vili* semper est separandum. In eo quoque conversiones illae posterioribus seculis factae discrepant a conversionibus per apostolos et apostolicos viros prioribus seculis factas, quod potius metu armorum ac violentia belli quam efficacia doctrinae fuerint factae. Bonifacius enim Thuringos terrore armorum convertit, ut ex chronico Isenacensi commemoratur cent. 8. eccles. hist. cap. 10. Carolus Magnus funestis bellis Saxones ad fidem Christianam pertraxit etc. Praeterea gentes illae, quas per Gregorium, Bonifacium etc. ad ecclesiam Romanam conversas esse Bellarminus asserit, jam ante erant Christianae. De Britannia testatur Polydorus Virgil. lib. 1. de rer. invent. c. 1. quod *opera Josephi Ariminensis provinciarum omnium prima evangelium publice receperit.* Gilfridus lib. 8. de gestis Britann. refert, *eo ipso tempore, quo Augustinus monachus in Britanniam missus est a Gregorio, Christianismum viguisse, cum fuerint in ea septem episcopatus et unus archiepiscopatus.* Sic per Cilianum Francos, per Bonifacium Thuringos ad fidem conversos esse, Bellarminus asserit, sed *Germanicarum ecclesiarum* meminit Tertullianus et ante illum Irenaeus, ac *Thomam in Germania praedicasse* auctor est Hieronymus in catal. Tertio loco XII. 59.
producit Bellarminus *conversionem Indorum ac aliorum novi orbis populorum,* de qua quid statuendum sit, superius late exposuimus §. 188. membr. 4. Bellarminus conversioni gentilium ad Muhametismum hoc opponit, quod *terrore armorum fuerit facta,* atqui id ipsum etiam de Indorum conversione testantur Ludov. Granatensis, Petrus Martyr et alii complures, quorum testimonia adduximus superius. Idem conversionis modus circa Maranos et haereticos ab inquisitoribus in Hispania et alibi observatur, sic enim scribit Cornelius Agrippa de vanit. scient. c. 96: *Inquisitores nostri jurisdictionem suam in pontificum decretis fundatam crudelissime exercent, unam Romanam ecclesiam, quae, ut dicunt, errare non possit, sibi scopum fidei praefigunt non aliud quaerendo expostulantes, quam si credat in Romanam ecclesiam, quodsi quis opinionem suam defendere conetur, respondent, cum haereticis non argumentis et Scripturis, sed igne et fasciculis decertandum* etc. Nisi obstaret haec inquisitio Hispanica, prohibitio librorum evangelicorum, imo ipsius Scripturae sacrae legendae plusquam tyrannica proscriptionis, exilii et direptionis facultatum comminatio, nullum esset dubium, quin papalis religio in multorum cordibus exstingueretur, contra vero evangelicae veritatis lux iisdem affulgeret. ἐπισάγματος loco addit Bellarminus, *quod singulis annis aliqui Judaeorum et Turcarum tum Romae, tum alibi convertantur et baptizentur.* At hae sunt conversiones *particulares* quarundam personarum, quales etiam in nostris ecclesiis per Dei gratiam aliquam multae in diversis locis fiunt.

Digitized by Google

Gloriationi insuper de annua Judaeorum et Turcarum conversione opponimus illud Erasmi annot. in Matth. c. 23: *Fortassis et hoc ad mores nostros pertinet, qui magnum quoddam existimamus, Judaeum ad baptismum pellexisse. Non quod hoc non sit optandum nobis omnibus, ut omnes Judaei resipiscant, sed quod quidam ex ea re suae gloriae consulunt, nec ea via pelliciunt, qua oportet, et pellectum non ea docent, quae veri sunt Christianismi. Nam qui fieri potest, ut alios reddamus Christianos, nisi prius fuerimus ipsi Christiani? Fit igitur aliquoties, ut pro scelerato Judaeo sceleratiorem habeamus Christianum, cujus rei vel Hispaniae testes esse possunt. Et sunt, qui novo exemplo armis Christianos faciunt sub religionis ampliandae praetextu suis opibus suaeque ditioni consulentes. Nihil agetur his rebus, nisi negotium animo pure Christiano suscipitur.*

An doctrina evangelicarum ecclesiarum sit efficax.

258. *Membrum tertium.* Num nostrarum ecclesiarum doctrina salutarem conversionis efficaciam habeat conjunctam? Bellarminus hoc ἀποτόμως negat. *Lutherani* (inquit) *vix unum aut alterum converterunt, cum tamen comparent se cum apostolis et evangelistis et habeant in Germania plurimos Judaeos et in Polonia ac Hungaria vicinissimos Turcas.* Respondemus: 1. ex negatione actus secundi non potest inferri negatio actus primi. Si nostri homines paucos vel nullos converterunt, non id tribuendum ipsi doctrinae, quippe quae cum apostolica est eadem, sed personis tum concionatorum, quibus Deus non adnumeravit eandem fidei ac donorum cum apostolis mensuram; tum auditorum, qui semen evangelii in agro cordium suorum recipere noluerunt. Sic ecclesiae doctores, qui apostolorum tempora secuti sunt, non tam multos converterunt quam apostoli, neque tamen quidquam ex eo doctrinae veritati decedit. **Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam primo dicit, *haereticos nunquam convertisse ullos ethnicos aut Judaeos ad fidem, sed solum pervertisse* c. 12. art. 1. sed ibid. art. ult. *Lutherani vix unum aut alterum converterunt.* Atqui *si unum aut alterum*, id est valde paucos, converterunt, ergo saltem aliquos converterunt. Et si aliquos, falsum est, *illos nunquam ullos convertisse.*** 2. Quaecunque conversiones per praedicationem apostolicam olim factae sunt, eae per doctrinam, quae in nostris sonat ecclesiis, factae sunt, est enim illa omnino eadem cum doctrina apostolorum. Si Bellarminus id negatum eat, descendat nobiscum in arenam et ex solis scriptis evangelistarum et apostolorum, quibus propter ὁμογένειαν etiam prophetarum scripta accensenda sunt, de doctrinae
XII. 60. veritate disputet. 3. Per lucem evangelicae veritatis superiori seculo reaccensam integrae provinciae et regna integra ab Antichristi dominatu sunt avulsa, id quod Bellarminus intelliget, si reditus aerarii papalis, quales fuerint ante annos centum et quales hodie sint, computare velit. An ulla veritatis specie negari potest, magnam fuisse doctrinae evangelicae efficaciam, quod frustra renitentibus ac frementibus pontificibus ac dynastis tanta in multis provinciis acquisiverit incrementa?

Vir sine vi ferri, vi verbi et inermibus armis,
Vir sine re, sine spe contudit orbis opes.

Ad propagationem religionis nostrae nec violentia, nec fraudulentia utimur, neque enim dissentientes a nobis carceribus, proscriptionibus, direptionibus etc. terremus, nec blandientibus honorum, divitiarum et dignitatum promissionibus eos solicitamus, quos ad eam amplectendam invitamus, sed solius doctrinae efficacia conversiones ad nostram ecclesiam fiunt. 4. Elucet etiam efficacia doctrinae evangelicae ex eo, quod in angoribus conscientiae ac tentationibus solidam et efficacem consolationem suppeditet ac in mortis agone mentes hominum sustentet ac roboret, ex quo principio Christus ipse Joh. 8, v. 51. doctrinae suae veritatem comprobat. Exempla hujus rei vide tom. 4. locor. tract. de bonis operibus §. 107. circa finem. 5. Quodsi omnino a nobis exigat Bellarminus, ut gentilium cônversionem ad nostras ecclesias factam esse monstremus, remittimus illum ad Islandiam, Grönlandiam, Laponiam, Livoniam, etc. in quibus regionibus evangelii praedicatione multa hominum millia ab ethnica idololatria ad verum Deum sunt conversa. Conjunge ea, quae superius §. 186. ex historiis sunt allata.

SECTIO X.

DE DECIMA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST VITAE SANCTITAS.

259. *Membrum primum.* Sitne vitae sanctitas genuina ac propria ecclesiae nota? **Schmaltzius in refut. D. Frantz. pag. 278: *Nemo infallibiliter scit, quisnam vitam in melius convertat vel vere pie vivere satagat, cum virtus facile simulari possit. Unde concludit, falsum esse, quod ex consideratione vitae solidum judicium dari possit, quaenam gentes sint vera ecclesia.* Contra vero Socinus in libr. quod evangel. c. 3. sub finem: *Peccata, quae in nostris ecclesiis perpetruntur, licet non approbentur, satis tamen causae esse, ob quam se ab illis pietatis studiosus segregare debeat, praesertim ubi alii sunt coetus hominum Christum Jesum colentium, qui sibi ista non permittunt.* Pisecius *inter salutaris doctrinae in coetibus Photinianorum sonantis* notas refert studium pietatis. *Negabis* (inquit p. 110. contra Camp.), *apud nos esse ecclesiam? jam igitur evidentiores salutaris doctrinae notas, circumstantias, effecta consule, uti sunt pietas ad doctrinam Christi conformata, caritas, patientia, benignitas, temperantia, justitia et alii salutares doctrinae fructus.*** Negantem defendimus sententiam. Aut enim intelligitur sanctitas interna aut externa. Interna sanctitas consistens in vera fide et interiore renovatione Actor. 15, v. 9. non patet hominum

An vitae sanctitas sit nota ecclesiae.

Digitized by Google

conspectui, Roman. 10, v. 10. proinde non potest esse visibilis ecclesiae nota. Bellarminus lib. 3. de eccles. c. 10: *Nemo potest certo scire, qui sunt vere justi et pii inter tam multos, qui justitiam et pietatem exterius prae se ferunt, cum certum sit, multos ubique esse hypocritas et falsos fratres.* Externa sanctitas non potest esse ecclesiae nota, 1. quia non est ecclesiae propria. Idem libr. 5. de libr. arbitr. c. 10: *Certum est, ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, non posse cognosci doctrinam, cum opera interna non videamus, externa autem sint communia utrisque, et propterea comparantur vestimentis ovium, quibus lupi quoque se tegunt. Itaque Dominus quoniam sciebat, non posse discerni doctrinam ex opere, cum saepe mali bene doceant, sic*
XII. 61. *monuit: Quae dicunt, facite, secundum autem opera illorum nolite facere.* De haereticis dicit apostolus 1. Tim. 4, v. 2. *quod in hypocrisi loquantur mendacium.* 2. Tim. 3, v. 5. *quod habeant speciem pietatis.* 2. Cor. 11, v. 13. *quod transfigurent se in apostolos Christi,* et addit: *Si ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis, quid mirum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae?* Col. 2, v. 18. *quod ambulent in humilitate et religione angelorum.* Christus de Pharisaeis testatur Matth. 23, v. 14. *quod longas orationes praetenderint;* v. 27. *quod fuerint similes sepulcris dealbatis,* etc. De Novatianis sive Catharis et Donatistis constat, quod mirificam sanctitatem simulare consueverint; de Catharis testatur Augustinus de haeresibus ad Quodvultd. c. 38. *quod propter mundiciem odioso illo nomine sese appellaverint;* de Manichaeis scribit lib. 1. de morib. eccl. cath. c. 1. *quod sanctitate morum multos deceperint;* de Pelagianis scribit Hieronymus tom. 2. libr. 3. adv. Pelag. p. 308. *quod per nimiam sanctitatem securamque justitiam audacter sibi bona coelestia vendicarint.* Origenis *sanctitatem* mire commendat Vincentius Lerin. adv. haeres. c. 23. et tamen Bellarminus libr. 4. de eccles c. 9. eum facit *haeresiarcham.* De Donatistis scribit Alphonsus de Castro lib. adv. haeres. tit. Ecclesia, quod *sanctitatem adeo professi fuerint, ut ecclesiam esse negarent, ubi malorum communione boni commacularentur;* de Anabaptistis et Photinianis notum est, quod glorientur, se vitam sanctam et apostolicam agere. 2. Non est ecclesiae perpetua. Quandoque enim multitudine scandalorum, quandoque vero furore persecutionum ecclesiae sanctitas ita obnubilatur, ut non sit publice conspicua. Tempore ante diluvium proximo flagitia publica et notoria *inter Dei filios,* id est in ecclesia visibili, grassabantur. Elias conqueritur, *filios Israël dereliquisse pactum, destruxisse altaria, occidisse prophetas, seque relictum esse solum.* Notae sunt querelae Esaiae c. 52. Jeremiae c. 50. Ezechielis c. 36. et aliorum prophetarum de auditorum suorum impietate. Eusebius memorat, maximam illam persecutionem a Diocletiano excitatam *propter depravatos Christianorum mores, maxime vero ecclesiasticorum, qui inter se certantes tyrannidem potius quam sacerdotium sapere videbantur,* divinitus esse immissam. Costerus in ench. tract. de ecclesia §. Coetus igitur, disputat, *tempore passionis Christi in sola virgine Maria viguisse sanctitatem,* quod in apol. part. 2. c. 3. sic exponit, *viguisse quoad externum judicium.* Quae igitur tunc fuit publice conspicua in ecclesia vitae sanctitas? 3. Non est nota infallibilis, quia Antichristus cum sua synagoga itidem simulat sanctitatem, Dan. 11, v. 38: *Deum Maosim in ipsius loco venerabitur et Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro et argento* etc. Apoc. 13, v. 11: *Bestia de terra adscendens habebat cornua duo similia agno.* Apoc. 17, v. 4: *Erat mulier illa amicta purpura et cocco et inaurata auro et lapidibus pretiosis et margaritis habens poculum aureum in manu sua* etc. Ut meretrix sese virginem mentitur et externo in splendore commendare nititur; sic Antichristus cum sua synagoga externo hypocriticae sanctitatis splendore sese commendabit. Neque id negant Pontificii, licet pontificem suum esse illum Antichristum negent. Pererius lib. 14. comm. in Daniel.: *Antichristus futurus erit callidissimus et variis artificiis utetur ad homines decipiendos, principio eos, qui studebunt pietati et religioni, capiet specie et simulatione sanctitatis, castitatis, abstinentiae, pietatis.* Et *Hippolytus testatur, Antichristum fore hypocritam.* Acosta de temp. noviss. c. 20: *Erit in eo composita ad decipiendum sanctitatis simulatio, quae solet homines parum cautos externa specie vehementer allicere, erit enim vel primus eorum, qui in hypocrisi loquuntur mendacium habentes speciem quandam pietatis.* 4. Patres nunquam statuerunt doctores ex ipsorum vita, sed ex doctrinae genere judicandos. Ergo vitae sanctitas in doctoribus non est certa et infallibilis ecclesiae nota. Dictum Christi Matth. 7, v. 20: *Ex fructibus cognoscendos esse falsos prophetas,* de falsa doctrina veteres intelligunt, quae explicatio confirmatur ex Luc. 6, v. 45. Vincentius
Lerinensis adv. haeres. c. 36. dicit, *haereticos divi-* XII. 62.
nae legis sententiis quasi quibusdam velleribus obvolvere se, sed tamen ex fructibus, hoc est ex falsis interpretationibus, lupos agnosci posse. Theophylactus in c. 7. Matth. *χρηστολογίαν προβάλλονται (οἱ ψευδοπροφῆται) καὶ βίον ὑποκρίνονται σεμνὸν, ἀλλ' ἔσωθέν ἐστι τὸ ἄγκιστρον, ἔνδυμα δὲ προβάτου καὶ ἡ πραΰτης, ᾗ τινι χρῶνται τινες σχηματιζόμενοι διὰ τὸ κολακεύειν καὶ ἐξαπατᾶν.* Hieronymus in c. 7. Matth. super verba *qui veniunt in vestitu ovium:* Specialiter *de haereticis hoc intelligendum, qui videntur continentia, castitate, jejunio quasi eadem pietatis veste se circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum, ut simpliciorum fratrum corda decipiant.* Eodem modo exponunt auctor imperf. operis in Matth. hom. 19. Theodoretus lib. 3. haeret. fabul. in princ. etc. De Tatiano haeretico scribit Epiphanius lib. 1. tom. 3. haeres. 46. *quod praetextu continentiae et continentium morum nequitiosam vitam duxerit.* Hieronymus lib. 3. apolog. contra Ruffinum: *Quis unquam Catholicorum in*

Digitized by Google

disputatione sectarum turpitudinem ei, adversus quem disputat, objecit? (at hoc solenne est Pontificiis contra nos disputantibus.) Justinus in dial. cum Tryph. p. 241: *Non ita, ut principes populi vestri vivimus, quos probro incessit Deus verbis hujusmodi: principes vestri socii furum diligentes munera etc. Quodsi quos etiam inter nos tales esse scitis, non continuo ea de causa Scripturas et Christum maledictis proscindite.* Chrysostomus hom. 4. in Matth.: *Omnes species justitiae, quas habet servus Dei in veritate, habere possunt servi diaboli in similitudine, habet diabolus suos castos, jejunos, eleemosynarios; et simplices homines, qui boni veri et simulati differentiam non norunt, dum quaerunt bonos viros, incurrunt in seductores diaboli.* Idem homil. 88. in Matth. circa finem: *Cum illos* (gentiles et Judaeos) *saepissime dogmatibus vicerimus, improbam multorum vitam nobis objiciunt, eorum qui nobiscum vivunt, vulnera, animi* videlicet *morbos proferunt* etc. Auctor operis imperf. hom. 49: *Conversatio Christianorum aut omnium aut multorum olim erat sancta, nunc autem aut tales aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt haeretici ac gentiles, proinde qui vult agnoscere, quae sit vera Christi ecclesia, unde cognoscat nisi tantummodo per Scripturas.* Augustinus epist. 137: *Hic mos est haereticorum* (ut hodie Bellarmini et aliorum Pontificiorum) *crimina objicere doctoribus, cum non possint reprehendere doctrinam.* Et *tamen etiam ipsi* (inquit) *cum maritata aliqua invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Et postea concludit: *Ne objiciatis haereticis, nisi quia non sunt Catholici, ne similes eis sitis, qui non habendo, quod in causa suae divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant et ea ipsa plura falsissime jactant, ut quia ipsam divinae Scripturae veritatem, qua ubique diffusa Christi ecclesia commendatur, criminari et obscurare non possunt, homines, per quos praedicatur, adducant in odium, de quibus et fingere, quidquid in mentem venit, possunt.* (Viva haec est descriptio calumniatorum apud Pontificios, qui ecclesiae nostrae doctores inauditis calumniis gravant.) Pergit Augustinus: *Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis et in ipso edocti estis. Ipse quippe fideles suos securos facit etiam de dispensatoribus malis mala sua facientibus et bona ejus loquentibus, ubi ait: Quae dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite.* Idem lib. 1. de moribus eccles. cathol. c. 34: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando ecclesiae catholicae maledicere desinatis vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.* lib. de catech. rudib. c. 25. refert *paganos propter impietatem quorundam Christianorum doctrinam evangelii fuisse calumniatos.* **Idem epist. 136: *Doctores possunt loqui vera et tamen male vivere.* Idem in qq. ex utroque Testam. c. 102: *Quis sit iste, cujus causa me despicis, nescio, ego ad eum in causa accessi, quia tuus dicebatur antistes. Te quaesivi, te desideravi, tibi credidi, de homine nihil speravi. Quare ergo mala ejus mihi obsint, quem nescirem, nisi te quaesivissem? Si bona ejus mihi possent proficere, justum videretur forte, ut et mala ejus obessent mihi. Sed sicut bona ejus si dubie credidissem, nihil proderant mihi, ita et mala ejus nihil obesse mihi debent bene credenti. Ego enim verbis ejus fidem dedi, quae a te data dicuntur.*** 5. Consensus adversariorum accedat. c. Ego solis dist. 9: *Alios ita lego quantalibet sanctitate polleant, ut non ideo* XII. es. *verum putem, quia ipsi ita senserunt* etc. ubi glossa, *non esse considerandum, quis dicat, sed quid dicatur;* in quam sententiam allegat Thomam 2. 2. q. 70. art. 3. Acosta lib. 2. de procur. Indor. sal. c. 18: *Illud multum ab Augustino commendatum in catechizandis rudibus documentum accurate servetur, ut admoneantur ii, qui fidem suscipere parant, ne religionem nostram ex nostris hominibus metiantur, sed ex ipsius potius aequitate et sanctitate.* Stapletonus disertis verbis concludit lib. 1. de princ. doctr. c. 19. *sanctam esse ecclesiam, sed sanctitatem non esse ecclesiae notam.* **Idem in promt. cathol. 7. post. pentec. loc. 4: *Haereticorum fructus, ex quibus cognosci debent, nec sunt aliqua vera quae docent, nec sunt semper ipsa opera quae faciunt sive bona sive mala* (mala enim non semper ex ipsa haeresi, sed aliquando ex personae improbitate proveniunt), *sed sunt partim dogmata ipsa haeretica, falsa et impia, quae singulis haereticis sunt propria et a singulis architectis proprie inventa; partim etiam quaedam mala opera haereticis propria et ex ipsa haeresis radice pullulantia.*** Huc referendum illud Bellarmini tract. de indulg. in append. ad librum de summo pontif. c. 22: *Bocatius taxat quidem clericorum et monachorum turpitudines, sed ex hoc non sequitur, ut propterea religio et doctrina ipsa videatur esse falsa.* Addit insuper, *hanc impietatem sacerdotum potius argumentum esse veritatis fidei quae Romae colitur, quia nec pagani, nec mali mores possunt illam sedem subvertere.* Sic ergo impietas sacerdotum Bellarmino est argumentum veritatis fidei, adeoque etiam ecclesiae, sed hoc loco contrarium pronuntiat, id est ex uno ore calidum et frigidum efflat.

Argumenta Bellarmini sanctitatem vitae esse notam ecclesiae.

260. Demonstraturus enim, vitae sanctitatem praesertim in auctoribus seu primis patribus religionis esse notam ecclesiae, affert primo loco *patriarchas, prophetas et apostolos*, secundo *doctores, qui contra singulas haereses dimicarunt*, denique *institutores ordinum religiosorum, quos constet, omnes fuisse sanctos, castos, pios, sobrios, contra vero ethnicorum doctores fuisse vel poëtas leves, vel philosophos superbos, Muhameto nihil incontinentius fingi potuisse, haeresiarchas plurimis vitiis fuisse coopertos, omnibus autem communem esse superbiam, id quod specialibus quorundam exemplis de-*

Digitized by Google

monstrat. Respondemus: 1. quod Bellarminus patriarchas, prophetas et apostolos cum institutoribus ordinum religiosorum conjungit, in eo magnam illis injuriam facit, illi enim fuerunt immediate a Deo vocati, vera sanctitate conspicui et habuerunt privilegium non errandi; hi vero, ne quid gravius dicam, fuerunt superstitiosi, qui contra expressum apostoli interdictum schismata in ecclesiam introduxerunt, ut unus dicat, *ego sum Francisci*, alter *ego sum Dominici* etc. 1. Corinth. 1, v. 12. 2. Imo ne quidem cum doctoribus sive patribus primitivae ecclesiae comparari debent patriarchae, prophetae et apostoli, cum et illi immediata vocatione et privilegio infallibilitatis destituantur. Augustinus epist. 19. ad Hieron.: *Non arbitror, te sic velle legi tuos libros tanquam prophetarum aut apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est.* 3. Quae vero haec consequentia: patriarchae, prophetae, apostoli et doctores ecclesiae fuerunt sancti; ergo sanctitas est ecclesiae nota? Num omne, quod est in doctoribus ecclesiae, statim erit nota ecclesiae? num ex vita potius quam ex doctrina judicabimus de doctoribus? at hac ratione efficitur, doctrinam a Juda proditore propositam fuisse falsam, contra vero doctrinam pseudoapostolorum, qui se transfigurabant in Christi apostolos,
XII. 64. fuisse veram. 4. Ecclesiae doctores fuerunt sancti, interim tamen suis adhuc laborarunt naevis ac infirmitatibus, quidam etiam ut Noachus, Lothus, Aaron, David, Petrus in enormes lapsus inciderunt, at num propterea doctrina ipsorum desiit esse vera? 5. Si ex sanctitate patriarcharum, prophetarum et apostolorum de ecclesia judicandum, nostra potius quam Romana ecclesia laudem illam sibi vendicat. Nostra enim ecclesia insistit doctrinae patriacharum, prophetarum et apostolorum, nos doctores illos sequimur et *consanguinitate doctrinae* ipsis conjuncti sumus; Pontificii vero ab integritate doctrinae propheticae et apostolicae jam olim recesserunt, ut alibi demonstratur. 6. Ethnicorum doctores et haeresiarchas fuisse superbos non negamus, interim ex eo confici nequit, sanctitatem vitae in doctoribus esse notam ecclesiae, fieri enim potest, ut etiam catholicus doctor sit superbus et ut haereticus doctor superbiam suam occultet; quomodo igitur occultum illud vitium potest esse visibilis nota falsae ecclesiae? Haeresiarchae semper obtendunt, se studio promovendae gloriae divinae et salutis humanae dogmata illa proponere, contra vero ambitionem et superbiam suam sedulo premunt; quomodo igitur ex superbia illorum occulta de doctrina fieri potest judicium?

An vitae sanctitas Romanae ecclesiae doctoribus competat.

261. *Membrum secundum.* Num vitae sanctitas doctoribus Romanae ecclesiae tribui possit? Bellarminus hic provocat *ad patriarchas, prophetas et apostolos, ad primitivae ecclesiae doctores et ad ordinum religiosorum institutores.* Sed plane ἀπαιδεύτως, quia nec prophetae, nec apostoli, nec primitivae ecclesiae doctores amplexi sunt dogmata papalia, quae nos ex scriptis illorum oppugnamus, ergo non possunt dici doctores sive patres ecclesiae papalis, quin imo ne quidem tempore Antonii, Augustini, Basilii, a quibus fingunt ordines quosdam monasticos institutos, tantae fuerunt doctrinae coelestis corruptelae, quales hodie in Romana ecclesia regnant. Franciscum, Dominicum, Benedictum etc. superstitiosos fuisse concedimus, sed vere sanctos fuisse negamus. Quodsi vel maxime tam sancti fuissent quam apostoli, imo angeli (sicut de Francisco in libro conformitatum impresso Bononiae anno 1589. dicitur, *quod Franciscus fuerit plusquam Johannes Baptista* f. 24. *quod fuerit melior apostolis* f. 39. *quod Filius Dei per omnia eum sibi similarit* f. 5. *quod datus sit in lucem gentium* f. 17. *quod meritis similis sit angelis et archangelis* f. 247. *quod omnes virtutes sanctorum V. et N. T. in Francisco positae fuerint unitive et conjunctim* f. 5. *quod in eo passio Christi in genere humano sit renovata* f. 144. etc. de Dominico scribit Antoninus archiepiscopus, *quod plures mortuos exitaverit, quam ipse Christus, quod potestas coelestium, terrestrium et inferorum sit ipsi communicata, quod facilius per istum eatur ad Christum quam per Paulum, quod trinam disciplinam de manu propria non cordula, sed catena ferrea suscepit usque ad sanguinis effusionem, unam pro suis culpis, quae minimae erant, pro in purgatorio exsistentibus aliam, pro iis qui in mundo versantur tertiam* etc. part. 3. tit. 23. c. 1. §. 1. et seqq.) tamen ipsorum doctrina judicanda fuisset ex verbo Gal. 1, v. 8: *Sed si vel nos, apostoli, vel angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Apage igitur immania illa pronuntiata verbo Dei
e diametro contraria, *quod ex laterali Christi vul-* XII. 66.
nere Franciscus exsilierit, lib. conf. f. 247. *quod Franciscus primo vita, demum passione factus sit ad imaginem et similitudinem Jesu Christi crucifixi* fol. 13. *quod stigmatis quinque vulnerum suorum servet a morte aeterna viros, qui a tempore illius usque ad finem mundi vixerunt et vivent*, Bernhardus in rosar. part. 2. serm. 27. pag. 224. quae nunquam persuaderi nobis patiemur, licet Franciscus fuerit tam sanctus, quam aliquis e coelo angelus, ac licet adhuc alii tres pontifices sub haereseos poena stigmata illa Francisci ab omnibus credi juberent, quod jam ante factum a Gregorio IX. Alexandro V. et Nicolao III. denique licet mille alii cum Bonaventura in legenda Francisci statuant, *Francisco mortuo stigmata a pluribus fuisse agnita clavis in ea immissis*, cui contradicit Matthaeus Paris, qui eo ipso tempore, quo Franciscus obiit, floruit, in hist. Henr. III. reg. Angl. p. 329. negans, ulla praedictorum vulnerum in latere vel pedibus sive manibus remansisse stigmata.

Sanctitas urbis Romae.

262. Intueamur vero tantopere depraedicatam ecclesiae Romanae sanctitatem in curia et urbe Romana, in pontifice tanquam capite, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, sacerdotibus, monachis, Jesuitis et laicis non a nostris, sed a suis ipsorum scriptoribus potissimum, vel ex iis, quos suos esse contendunt, deli-

Digitized by Google

neatam. De corruptissimo Romanae curiae et urbis statu notae sunt totius orbis querelae. ** Platina pontificis bibliothecarius in vita Bonifacii V. p. 81: *Instant nunc Turcae terra ac mari, ut nos tanquam cuniculos ex his ecclesiae latebris eruant. Sedemus otiosi, alter alterum exspectantes, quasi hoc malum universae reipublicae Christianae non immineat. Exspectant sacerdotes, ut a secularibus hoc tantum bellum et tam necessarium sumatur; exspectant item seculares, ut presbyteri tuendae religionis causa pecunias in sumtus polliceantur et subministrent bellicos, nec in pejores usus effundant, quemadmodum facere plerique consuevere, pecunias eleemosynis et sanguine martyrum comparatas in aurea et argentea vasa et praegrandia quidem fundentes parum de futuro soliciti, Dei, quem tantum utilitatis gratia colunt, et hominum contemtores.*** In revelat. extravag. Brigittae c. 51: *Christus ad quendam archiepiscopum dicit: inquire ulterius et audi, qualis est dispositio Romanae curiae, quae sedes mea esse deberet. Sicut enim in sede quatuor sunt columnae sustentantes et medium quoddam, in quo sedes quiescit; sic in sede mea, quam summis pontificibus reliqui, deberent esse quasi quatuor columnae, humilitas scilicet, obedientia, justitia ac misericordia, et medium scilicet, divina sapientia cum divina caritate. Sed haec mutata est et assumta nova sedes, in qua est superbia pro humi-*
XII. 66. *litate, propria voluntas pro obedientia, amor pecuniae pro justitia, ira et invidia pro misericordia; medium autem vocari sapiens et magister ad mundum. Ecce sic inversa est et immutata mea sedes.* Vide similes querelas lib. 1. cap. 41. et 56. lib. 3. c. 27. etc. ** Eadem Brigitta, quae floruit anno Christi 1370. papam vocat *animarum interfectorem, ovium Christi dispersorem et laceratorem, dicit eum abominabiliorem Judaeis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, pejorem et deteriorom ipso Lucifero. Sedem papae dicit demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum, assessores ejus arsuros in igne sulphureo et inexstinguibili.* Vetustus quidam sermocinator in cap. 17. Apoc. sic describit Romanam sedem: *Romana civitas meretrix appellatur, Romana civitas versa est in scoriam. Ante omnia sapientes sunt, ut faciant malum, bonum enim facere nesciunt, inimici sunt terrae et coelo, impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi ad invicem, aemuli in vicinos, inhumani in extraneos; hi sunt, qui subesse non sustinent, praeesse non negaverunt, superioribus infideles, inferioribus insupportabiles, inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi, importuni ut accipiant, ingrati ubi acceperunt, docuerunt linguam suam loqui grandia, cum operantur exigua; largissimi adulatores, mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, malignissimi proditores, cum qua fornicati sunt reges terrae, id est terreni principes Deum relinquentes et ipsi servientes,* allegat Itampot. Dominicus Brixiensis episcopus libellum ad Pium II. titulo *Reformationis curiae Romanae* scripsit, molli tamen cubito rem attigit, utpote qui in eodem luto cum aliis haeserit, catal. testium verit. lib. 19. f. 1862. *Caesar Sigismundus paraverat reformationem quandam, quae vulgari sermone impressa exstat, qua voluit in Constantiensi concilio papae ejusque spiritualium superbiam, pompam et simonias non nihil reprimere, et cum quidam dicerent, oportere incipere a Minoritis, respondit ille, non a Minoritis, sed a Majoritis, sed admodum callide a papa deceptus piusque ejus conatus elusus fuit,* catal. lib. 19. f. 1876. Conferatur Marsil. Patav. apud Wolff. t. 1. p. 616.** Adrianus VI. (cujus utpote pontificis judicium hac in re certum et infallibile) in instructione Francisco Cheregato episcopo Aprutiensi legato ad conventum Norinbergensem data anno 1523. fatetur, *a planta pedis ad verticem usque capitis nihil esse sani in toto corpore ordinis ecclesiastici*, referente Sleidano lib. 4. fol. 82. comm. Verba instructionis sic habent: *Dices, nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem ecclesiae suae inferre permittit propter peccata hominum maxime sacerdotum et ecclesiae praelatorum.* etc. *Propterea, ut ait Chrysostomus, Salvator noster curaturus infirmam civitatem Hierosolymam ingressus est prius templum, ut peccata sacerdotum primo castigaret, instar boni medici, qui morbum a radice curat. Scimus, in hac sancta sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis et omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si aegritudo a capite in membra, a summis pontificibus in alios inferiores praelatos descenderit. Omnes nos declinavimus, unusquisque in vias suas, nec fuit jamdiu, qui faceret bonum, non fuit usque ad unum* etc. ** Confer Goldast. tom. 1. Const. imp. part. 2. fol. 29. Fascic. rerum agendar. Colon. edit. Claud. Espens. in comm. Tit. c. 1. p. 69. et 70.** Qui sint illi abusus, per species postea expositum fuit Paulo III. a delectis ad hanc rem cardinalibus. Editum enim est a Vergerio Argentinae anno 1555. consilium de emendanda ecclesia conscriptum a Johanne Petro Caraffa Neopolitano cardinali Theatino, qui postea sub Pauli IV. nomine creatus pontifex, datum Paulo III. pontifici et subscriptum a quatuor cardinalibus, duobus archiepiscopis, episcopo, abbate et magistro sacri palatii, in quo illi sic loquuntur: *Abusibus tanquam pestiferis morbis ecclesiam Dei jam pridem laborare, praesertim curiam, manifestum est, quibus effectum prope, ut paulatim ac sensim ingravescentibus his pestiferis morbis magnam ruinam traxerit. Principium horum malorum inde fuisse dicunt, quod pontifices nonnulli praedecessores Pauli III. coacervaverint sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio et calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Ex hoc fonte,* inquiunt, *sancte pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in ecclesiam Dei tot abusus et tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad despe-*

Digitized by Google

rationem salutis fere laborasse ac manasse harum
XII. 67. *rerum famam ad infideles usque; credat sanctitas vestra scientibus, quod ob hanc praecipue causam Christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes* etc. Et postea: *Primus abusus est ordinatio clericorum et praesertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sint imperitissimi, sint vilissimo genere orti, sint malis moribus ornati, sint adolescentes, admittantur ad sacros ordines et maxime ad presbyteratum, hinc innumera scandala, hinc contemtus ordinis ecclesiastici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, sed prope jam exstincta* etc. *Alius abusus est, isque maximi ponderis, in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxime curatornm et imprimis episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, et non gregi Christi et ecclesiae. Alius abusus est in permutationibus beneficiorum, quae fiunt pactionibus, quae omnes sunt simoniacae, nulloque respectu habito nisi lucri. Alius abusus est, quod plures modi inventi, quibus beneficia testamento legentur, quod filii presbyterorum habent parentum beneficia* etc. *Alius abusus est in exspectativis et reservationibus beneficiorum, quod cardinalibus conferuntur episcopatus non unus tantum, sed plures, cum tamen officium cardinalis et episcopi sint incompatibilia. Abusus et ille corrigendus, ne episcopi primum et prae omnibus aliis, deinde et curati abessent a suis ecclesiis et parochiis, nisi ob gravem aliquam causam, sed residentiam facerent. Per Deum immortalem quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest Christianum orbem peragranti quam ista solitudo ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus, commissi sunt omnes fere mercenariis. Abusus etiam est, quod tot reverendissimi cardinales absint ab hac curia, nec aliqua in parte faciant quidquam ejus officii, quod spectat ad cardinales* etc. *Alius abusus magnus et minime tolerandus, quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis, quae inferuntur episcopis in gubernatione suarum ovium, maxime in puniendis scelestis et corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines praesertim clerici a jurisdictione sui ordinarii, deinde si non exemti, confugiunt statim ad poenitentiam vel ad datariam, ubi confestim inveniunt viam impunitati et quod pejus est, ad pecuniam praestitam. Hoc scandalum, beatissime pater, tantopere perturbat Christianum populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur, obtestamur sanctitatem tuam per sanguinem Christi, quo redemit suam ecclesiam, tollantur hae maculae, quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum republica aut regno, confestim aut paulo post in praeceps rueret. Alius abusus corrigendus est in ordinibus religiosorum, quod adeo multum deformati sunt, ut magno sint scandalo secularibus exemploque plurimum noceant. Conventuales ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, sed prohibendo, ne novos possint admittere* etc. *Alius abusus turbat Christianum populum in monialibus, quae sunt sub cura fratrum conventualium, ubi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalo* etc. *Abusus magnus et perniciosus est in gymnasiis publicis, praesertim in Italia, in quibus multi philosophiae professores impietatem docent, imo in templis fiunt disputationes impiissimae et si quae sunt piae, tractantur in eis coram populo res dininae valde irreverenter* etc. *Alius abusus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post votum solenne a sua religione recedunt impetrantque, ne teneantur gerere vestem sui ordinis, imo nec vestitum habitus, sed tantum vestem honestam clericalem* etc. *Alius abusus est in quaestuariis Spiritus sancti, Antonii aliisque hujus generis, qui decipiunt rusticos et simplices eosque innumeris superstitionibus implicant* etc. *In hac urbe Roma meretrices ut matronae incedunt per urbem seu mula vehuntur, quas assectantur de media die nobiles familiares cardinales clericique. Nulla in urbe vidimus hanc corruptionem praeterquam in hac omnium exemplari, habitant etiam insignes aedes; corrigendus est hic abusus. Sunt etiam in hac urbe privatorum civium* XII. 68.
odia et inimicitiae etc. *Te speramus electum, ut nomen Christi jam oblitum a gentibus et a nobis clericis restituas, in cordibus et in operibus nostris aegritudines sanes, oves Christi in unum ovile reducas amoveasque a nobis iram Dei et ultionem eam, quam meremur, jam paratam, jam cervicibus nostris imminentem.* ** Quam vero reformationem pontifices susceperint, vel potius quomodo vana et inani spe reformationis mundum ludificati fuerint, late exponit Claud. Espencaeus in comm. ad Tit. 1. a. p. 65. ad p. 91. et ex eo Mayerus de vuln. eccl. Rom. p. 99.** Haec delecti illi cardinales. ** Erasmus in epist. ad Steuchum: *Fieri potest, ut in Germania sint, qui non temperent a blasphemiis in Deum, sed in hos horrendis suppliciis animadvertitur. At ego Romae his auribus audivi quosdam abominandis blasphemiis debacchantes in Christum et in illius apostolos, idque multis mecum audientibus, et quidem impune.* Ubertinus a Casali: *Hodierna ecclesia dicitur nova Babylon, quae est meretrix magna, quia verus cultus et amor sponsi Jesu Christi est turpiter adulteratus et spiritus justorum hujus temporis supra modum opprimitur in praedominio Babylonis et velit nolit in multis meretricis ejus actibus servire compellitur, ideoque magna pericula nos exspectant hoc tempore.* Nicolaus de Clemang. in epistolis *ecclesiam Romanam* vocat *domum latronum, non secus ac olim templum flagello repurgandam.* Idem: *Ecclesia Romana quid est aliud quam ambitionis, cauponationis, latrocinii officina? venalia sacramenta, venales ordines, venalis ecclesia ipsa, quin et missae et corporis Christi administratio venalia. Nundinatio est illa publice, prostibulum,*

lupanar, synagoga, imo Babylone ipsa detestabilior. Vide cumulum ejusmodi querelarum apud Polanum in symph. catholica p. 770. De generali illa morum corruptione et universali omnium statuum pollutione, quae spiritualis alicujus leprae ac funestae tabis instar et caput et membra Romanae ecclesiae infecit, vide Gersonem in operibus suis passim, Brigittam in revelationibus, Vincentium Ferrariensem in prognostico, Petrum de Alliaco in lib. de reform. ecclesiae Nicolaum de Clemangiis in bibliotheca patrum, Walterum Mapes in poëmatibus, Maillardum et Menottum in sermonibus, Holkot lect. 182. in lib. Sapient. et alios complures. Quadringentis abhinc annis *Bernardinus Morlanensis* monachus a Possevino in Appar. sacr. in appendice priori ad tom. 1. lit. B. celebratus tres de *contemtu mundi* libros artificiosis rhythmis conscripsit, in quibus impietatem ecclesiae Romanae a capite ad calcem depingendo primum quidem generatim omnibus statibus adulteria, ebrietatem, ambitionem, dissimulationem, fraudes, furta, homicidia, dein speciatim clero ignorantiam, negligentiam, sodomiam, simoniam aliaque scelera objicit. Tandem Romam ingressus foeditatem Romanae Babylonis tam clare toti mundo ob oculos ponit, ut dubium alicui videri possit, majorne sit illius impietas, an hujus παῤῥησία. Jacobus Junterbeck Germanus Cartusianus anno 1460. avisamentum scripsit ad papam pro reformatione ecclesiae, teste Possevino App. sacr. tom. 2. lit. I.** Franc. Petrarcha in dial. de Romanae curiae evitatione Romam vocat *aulam superbiae, gulae sepulcrum, luxuriae palum cunctorumque malorum progeniem.* Idem epist. 16: *Nulla Romae pietas, nulla caritas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil aequi, nihil justi, omnia ibi mendaciis plena, penetralia templorum, judicum subsellia, pontificum sedes.* **Idem epist. 17: *Vides Romae populum non modo Christi adversarium, sed quod est gravius sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Satanae.* Epist. 18: *Veritas ibi* (Romae) *dementia est. abstinentia vero rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia, et quo pollutior, eo clarior vita.* Ibidem: *Futurae vitae spes inanis quaedam fabula et quae de inferis narrantur, fabulosa omnia, resurrectio carnis et mundi finis et Christus ad judicium venturus inter naenias habentur.*** Epist. 19: *Romae quid faciam, ut videam bonos mergi, malos erigi? reptare aquilas, asinos volare? vulpes in curribus, corvos in turribus, columbas in sterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, Christum exsulem, Antichristum Dominum, Beelzebub judicem? Quis eversos mores reformabit, quis colliget sparsas oves? quis pastores erroneos arguet? Quidquid usquam perfidiae et doli, quidquid inclementiae superbiaeque, quidquid impudicitiae effrenataeque libidinis audivisti aut legisti, quidquid denique impietatis et morum pessimorum sparsim aut habet aut habuit orbis Romanus terrae, totum istic cumulatum videas acervatimque reperias.* ** Claud. Espencaeus in epist. ad Titum digress. 2. p. 69: *Innocentii octavi regularum scholiastes modo cameram apostolicam pecuniarum matrem appellat, modo venalia Romae omnia ex Jugurtha Salustiano agnoscit, modo multa statui concedique pecuniae indirecte extorquendae causa non dissimulat et magnam scilicet sedis apostolicae liberalitatem plumbum dantis, aurum exigentis.* Ibidem: *Sed et hoc vel pueris notum, quibus impune legitur ex Mantuano ecloga 5. et 9:*

> *Si quid Roma dabit, nugas dabit, exigit aurum,*
> *Verba dat, heu Romae nunc sola pecunia regnat.*
> *Hoc est Roma viris, avibus quod noctua,* scilicet captatrix.

in comment. tit. 1. p. 76. *Et ubi quaeso sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impuritas, ne dicam infamia et impudentia (quam Romae)? talis et tanta, ut nemo credat, nisi qui viderit, neget nemo, nisi qui non viderit. Missam faciam omnium temporum ab Hieronymi usque seculo querimoniam et quidem perpetuam, eccujus fuit hoc distichon?*

> *Vivere qui sancte cupitis, discedite Roma,*
> *Omnia cum liceant, non licet esse pium.*

Certe non poëtae tantum, sed et philosophi et theologi et monachi et quidem Itali Mantuani a Clenardo itidem theologo, linguae S. professore Lovanii, Lutetiae, in *Lusitania* etc. *in epistolis non semel laudati; et ausus est homo nihil minus quam Lutheranus idem altero disticho comprehendere, sic:*

> *Quisquis opes sacras nummo reperire profano*
> *Quaerit, eat Romam, sacra sunt venalia Romae.*

p. 78: *Ante auditum Lutherum Raphaël Volaterranus, hoc est Italus, idque Romae scribebat, sacerdotia tribui mercedis loco, spiritualemque thesaurum quaestui haberi ac negotiationi.*** Nicolaus Florentinus referente Wolffio praefat. partis 2. lection. III. 69.
memorab.: *Quodsi haec tam diligens cura divini cultus a reipublicae Christianae principibus observata esset secundum primam institutionem et praecepta ejus, qui illam nobis tradidit, longe majori felicitate ac pace frueremur in orbe terrarum Christiano, nunc cum nusquam minus vel pietatis vel religionis sit quam in iis hominibus, qui Romae viciniores habitant, eaque Christianae religionis caput censeatur, facile conjicere potes, Christianum orbem magnopere periclitari. Quodsi quis etiam diligenter consideret eum religionis cultum, qui nostra aetate jam in usu est, eumque conferat cum prima Christianae religionis institutione ac veris fundamentis, is non potest illius interitum non metuere vel divinam ultionem non formidare, imo omnis Italiae infelicitas ex eo redundat, quia Romana ecclesia nequaquam secundum Christianae religionis praecepta vivit, sed ea adulterat atque corrum-*

Digitized by Google

pit. Johan. Francisc. Picus comes Mirandul. in orat. ad Leonem X. et concil. Lateranense habita anno 1512: *Apud plerosque religionis nostrae primores, ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset, aut nullus, aut certe exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia, justitia vel in odium, vel in gratiam declinavit, pietas in superstitionem paene procubuit, palamque in omnibus hominum ordinibus sic peccatur, ut saepenumero virtus probis viris vitio vertatur, vitia autem loco virtutum honorari soleant ab his, qui suorum criminum quasi septa et tanquam moenia inauditam petulantiam et diuturnam impunitatem esse putaverunt.* Johan. Staphileus Siburicensis episcopus in oratione habita ad auditores rotae 15. Maji anno 1528. de excidio urbis Romae, quod anno proxime praecedente contigerat: *Nos, nos, qui hujusce sumus professionis, nostra insuper propria damna sentimus, qui domesticam hujus urbis jacturam fecimus, nos inquam reverendi patres, integerrimos gravissimosque collegas nostros amisimus. Sed unde hoc quaeso? nempe quia omnis caro corruperat viam suam, eramus omnes cives et inhabitatores non Romae urbis sanctae, sed Babylonis urbis peccatricis, de qua impletum est temporibus nostris verbum Domini in Esaia: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis* etc. *Ne quisquam arbitretur, vaticinium hoc prophetae jamdudum fuisse impletum in eversione Babylonis et Jerusalem, animadvertendum censeo, juxta ecclesiasticam veritatem futura fuisse praesentia prophetis, quasi jam futura jam praesentia cerneret oculis mentis* etc. *Hoc ipsum declarat nobis propheta subjungens: Derelinquetur filia Sion et desolabitur sicut in vastitate hostili. Hanc filiam Sion Johannes apostolus in Apocalypsi interpretatur non Jerusalem, sed Romanam prorsus, quod ex illius descriptione in aperto est. Mulier, inquit, quam vidisti, est civitas magna, quae habet regnum, quod de spirituali regno vult intelligi, super reges terrae. Dicit illam sedere super septem montes, quod proprie Romae convenit, quae ob hoc ab antiquis potissimum dicta est septicollis* etc. *dicit praeterea, plenam esse nominibus blasphemiae, matrem immunditiae, fornicationum et abominationum terrae, haec quippe verba demonstrationem urbis hujus magis specificam non exigunt, cum haec flagitia etsi ubique fere regnent, hic tamen sedem et imperium habeant.* Aonius Palearius Verulanus in act. adv. pontific. Rom. testim. 20: *Scorta ubique publica, ita ut Romae superioribus annis censa sint meretricum publicarum capita ad decem millia, earum quaestus portionem quandam sibi pendi jubent, sicut et a Judaeis pontifices, quod foenerari*
XII. 79. *impune permittant, centesimam exigunt. Acerbissimae vero exactiones, crudelissimi dominatus simoniae, doli, Spiritus sancti venditiones et emtiones et cetera abominanda sic Romae regnant, ut qui Spiritum Christi habent, liquido videant scriptum in fronte curiae Romanae, Babylon magna mater fornicationum et abominationum terrae.* Ante hos omnes Bernhardus libr. 1. de considerat. ad Eugenium papam col. 1014. conqueritur, *ad curiam Romanam de toto orbe confluere ambitiosos, avaros, simoniacos, sacrilegos, concubinarios, incestuosos et quaeque ejusmodi monstra hominum, ut ipsius auctoritate vel obtineant honores ecclesiasticos, vel retineant, sicque papam servire iniquitati.* Bernhardus Monclanensis libr. 3. de contemtu mundi pag. 86:

Roma dat omnibus omnia, dantibus omnia Romae
Cum pretio, quia juris ibi via, jus perit omne,
Ut rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma,
Quae solet ubere fruge fragescere sicut aroma,
Roma nocens nocet atque viam docet ipsa nocendi.

263. De pontificum Romanorum vitis omnium scelerum generibus plerunque refertissimis legantur Platina, Nauclerus, Baleus, Johan. Stella, Robertus Barnes, Zegedinus, Nigrinus etc. Panormitanus scribit, *multos pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, illos vel resurrectionem mortuorum, vel vitam aeternam credere.* Georg. Gothardus can. Paris. adv. Heerbrand. p. 116: *Hoc etiam te scire volo, me in asserenda pontificum Romanorum dignitate non tam personas quam officium spectasse, neque omnium pontificum defensionem suscipere, cum plerosque vitam turpem ac flagitiosam duxisse luce sit clarius.* ** Erasmus in chiliad. Sileni Alcibiadis p. 543: *An magis convenit, Julios, Alexandros, Croesos et Xerxes, nihil aliud quam magnos latrones, imitari Christi vicarium quam ipsum Christum unicum ecclesiae ducem et imperatorem?* etc. in encom. Moriae ad finem: *Nullos esse ecclesiae hostes perniciosiores, quam impios pontifices, qui et silentio Christum sinunt abolescere et quaestuariis legibus alligant et coactis interpretationibus adulterant et pestilente vita jugulant.*** Aegidius Corrocetus Italus de Raphaele Urbinate pictore refert, quod reprehensus aliquando fuerit a cardinalibus, *quod Petri et Pauli facies insolito rubore praeter decorem expressisset*, ipsum vero respondisse, *apostolos illos rubore suffusos erubescere vicariorum suorum scelera nefaria intuentes.* Johan. Stella sacerdos Venetus in chronico multa plurimorum paparum pessima facta recenset et concludit suam historiam his verbis: *Fateor atque Deum meum testor, me non falsa scripsisse.* Costerus in enchir. c. 3: *Fatemur, fieri posse, ut Petri successor idola colat, apud se forte de fide non recte sentiat, adeoque diabolicis artibus operam navet.* Bellarminus in praefat. lib. de pontif. Rom. τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferens scribit: *Permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi pontifices aliquando hanc sedem tenerent et regerent, quales sane fuerunt Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Johannes XII. aliique non pauci, si vera sunt, quae de eorum vita et rebus gestis apud hi-*

Sanctitas Romanorum pontificum.

storicos eorum temporum scripta leguntur. Ac postea: *Nos agnoscimus et fatemur, vitia pontificum fuisse non pauca* etc. Atque ut in specie pontificum facinora insigniora ex parte enumeremus. Quidam infames fuere: *1. Magia.* Refert enim Benno, quod quinque papae se totos consecrarint Satanae, Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. Johannes XXI. Gregorius VII. Nauclerus et Platina te-
XII. 71. stantur, *omnes papas a Sylvestro II. usque ad Gregorium VII. inclusive fuisse magos.* De Sylvestro II. prius Gereberto dicto in specie commemorat Platina, quod ambitione et diabolica dominandi cupiditate impulsus Pontificiam dignitatem adjuvante diabolo consecutus sit, hac tamen lege, ut post mortem totus illius esset, cujus fraudibus tantam dignitatem erat adeptus, quo nomine etiam diabolo homagium fecerat, teste Arnoldo Albertino de agnos. assert. cathol. et haeret. q. 9. num. 12. Benedictus IX. antequam crearetur pontifex, magiae beneficio in sui amorem quascunque vellet mulierculas poterat pellicere. De Gregorio VII. refertur, quod quando manicas excuteret, ignis scintillarum in morem exsilierit. ** Aventinus lib. 5. annal. p. 460. recitat decretum episcoporum ex Gallia, Italia et Germania congregatorum, in quo Gregorium VII. vivis depingunt coloribus. *Quoniam Hildebrandus falsus monachus, magus, divinaculus, somniorum prodigiorumque est conjector, male de religione Christiana sentit. Primus pontificatum maximum contra morem majorum invitis omnibus bonis emit et contra voluntatem nostram orbis terrarum dominium retinere conatur. Berengarii antiquissimi erroris symmystes et discipulus, conjuratus est hostium reipublicae atque sacrosancti imperii caesaris Christianissimi, qui saepius pacem ei ejusque sociis ultro obtulit, saluti corporis et animae insidiatur, vitam imperiumque perdere conatur, jus divinum humanumque pervertit, falsa pro veris docet, sacrilegia, perjuria, mendacia, homicidia, incendia velut bene facta indulget, collaudat, ad haec perpetranda classicum canit, tyrannum perfidum suo more tutatur, discordias inter fratres, amicos, cognatos serit, lites nutrit, inter conjuges divortia facit, suavis homo sacerdotes, qui uxores habent legitimas, sacrificos esse pernegat, interim tamen scortatores, adulteros, incestuosos aris admovet, quidquid uspiam pacis Christianae fuerat, labefactavit.* ** Johannes XII. diabolum in alea invocavit eique vinum libavit. Paulus III. cum Asculano insigni mago magnam habuit familiaritatem. ** Profluxit hinc *Epicurea securitas.* Concil. Basil. sess. 11. sub fin. tom. 4. conc. Venet. f. 294. de Johanne XXIII. saepe et saepius coram diversis praelatis et aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixit, asseruit, dogmatizavit vitam aeternam non esse neque aliam post hanc, quinimo dixit et pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore exstingui et mori instar brutorum animalium, dixit, mortuum semel esse etiam in die novissimo minime resurrecturum. Idem Johannes XXIII. art. 5. dicitur vitiorum fex, infamiae speculum ac diabolus incarnatus. ** *2. Seditione adversus magistratum.* De Gregorio VII. refert Benno, quod Henrico III. imperatori insidias vitae struxerit et quidem in loco sacro. De Alexandro III. referunt Funcius in chron. Naucler. generat. 14. Johannes Stella in Alexandro III. pag. 27. quod Fridericum Barbarossam, quia ei morem in bello protrahendo non gessisset, excommunicaverit eique fulmine excommunicationis turbato ac perterrito diem dixerit, quo se Venetiis in summo templo ad pedes ejus supplex provolveret, quo facto papa pede imperatoris collo imposito acclamari a suo clero sibi jussit: *Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* Cum vero generosus Friderici animus indignitate rei permoveretur, palam audiente pontifice dicit: *Non tibi, sed Petro;* sed pontifex plusquam tyrannice reclamavit: *Et mihi et Petro.* Consulantur vero historiae, quomodo pontifices sese gesserint erga Henricum IV. quem papa Gregorius VII. excommunicavit et contra eum Rudolphum Suevorum ducem concitavit, qui amissa in praelio dextra justas perfidiae suae poenas dedit, referente Urspergensi anno 1080. Helmoldo, Crantzio etc. erga Henricum V. contra quem Romam profectum, ut imperator renuntiaretur, papa Paschalis II. seditionem movit, ut imperatorem ipsum de vita et fortunis suis dimicare oportuerit; erga Philippum, quem itidem papa Innocentius III. excommunicavit ac principibus interdixit, ne imperium ei traderent; erga Ottonem IV. quem anathemate perculsum privari imperio praecepit; erga Henricum VII. contra quem edidit decretum, in quo omnia regna Christiani orbis Romanae hierarchiae subjicere conatur. c. Pastoralis Clementin. libr. 2. tit. 11. de sent. et re judic.
3. Scortationibus, adulteriis, incestibus. Sergius III. XII. 7
ex Marozia Johannem XII. postea papam spurcissimus adulter genuit, Luitpr. Ticinensis libr. 3. de gestis imperat. c. 12. Johannes XIII. in adulterio deprehensus et confessus est, Sigeb. anno 963. Lando I. inter meretrices majorem vitae suae partem exegit. ** Gregorius VII. familiariter usus est Mathilde; Clementem V. Urspergensis vocat *publicum fornicatorem.* De Innocentio VIII. narrat Volaterranus: *Pontificum omnium primus erat, qui novum et ipse exemplum introduceret palam liberos nothos jactandi ac soluta omni antiqua disciplina divitiis eos omnibus cumulandi.* Vide plura ejusmodi exempla apud D. Hoë in c. 2. Apoc. p. 270. ** Johannes VIII. papa mulier scortationi operam dedit, concepit ac peperit. Innocens VIII. sedecim filios spurios ex diversis mulieribus suscepisse scribitur, unde Marullus:

Octo nocens pueros genuit totidemque puellas,
Hunc merito poterat dicere Roma patrem.

** Aeneas Sylvius (Pius II. postea dictus) quid de se ipso scribat, vide epist. 45. et 92. Paulus Jovius de Leone X. in ipsius vita pag. 192: *Non caruit sodomiae infamia, quod parum honeste nonnullos adamare et cum his tenerius ac libere jocari videretur. Sed demus aliquid humanitati*

Digitized by Google

Leonis ut in summa licentia fervidae aetatis ac prosperae valetudinis aestum aegerrime sustinenti. Deinde alia sunt vitia principis, alia hominis. Julius III. tanquam Jupiter Ganymedem nomine Innocentium fovisse ac Hieronymi Mutii sodomiam defendentis apologiam pro tanto scelere adornatam approbasse scribitur, Sleid. lib. 21. Vergerius, Balaeus cent. 8. c. 27. append. Pius IV. fornicationibus adeo erat deditus, ut in decrepita etiam senectute libidinem certis potionibus in se promovere studeret et tandem libidinum atque mangeguerrae aestu superatus animam profundere cogeretur. Benedictus IX. magicis artibus obtinuit, ut quibuscunque vellet feminis ultro amplexum ejus desiderantibus et tanquam avidis vulpeculis cadaverosam escam inquirentibus potiri posset, Sabellicus, Volaterranus, Benno, Platina etc. Onufrius in Alex. VI. *Mulieribus maxime addictus, ex quibus quatuor filios et duas filias tulit. Omnium praecipua fuit Vannocia Romana, quam a formae venustate et morum illecebris miraque demum facunditate in minore fortuna legitimae prope uxoris loco habuit.* ** Johannes XXIII. in concilio Constant. accusatus est, quod cum uxore fratris sui et cum monialibus incestum commiserit, quod virgines stuprarit et cum conjugatis adulteria perpetrarit. Sixtus IV. fuit sodomita et concessit illud flagitium familiaribus cardinalibus tribus aestivis mensibus Junio, Julio et Augusto exercendum. Wolff. tom. 1. p. 836. Idem teste Corn. Agrippa lupanaria utrique Veneri erexit, unde tale ei positum fuit epitaphium referente Weselo lib. de indulgentiis:

Sixte jaces tandem, deflent tua busta cinaedi
Scortaque, lenones, alea, vina, Venus.

Alexander VI. cum Lucretia filia sua incestum commisit, quam et filius pontificis Lucretiae frater incestuoso concubitu polluit, hinc epicedium:

Hoc jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais Alexandri filia, sponsa, nurus.

Ac. Sannazarius p. 30. Paulus III. cum nepte ex sorore Laura Farnesia in incestu a marito ejus Nicol. Quercaeo deprehensus pugione notatus est. Idem ante suum pontificatum Alexandro VI. sororem suam Juliam Farnesiam stuprandam tradidit, ut cardinalis et episcopus Hostiensis fieret. Sed quid multis? *Totam pontificis scholam fidemque nascentem, vegetam excute et ruentem, nil hic comperies nisi Lupercos, Lupercale, lupos, lupas, lupanar.* Ac ut Mantuanus canit: *Petrique domus polluta fluente marcescit luxu* etc. *Roma est jam tota lupanar.* ** *Quid quod a perjurio etiam non liberi? Paschalis II. Henrico V. imperatori jurejurando sese obstrinxit, jus investiturae sacerdotum cum annulo et baculo Henrico et ejus successoribus integrum esse debere atque in testimonium veritatis fideique servandae vinculum hostiam consecratam in duas fregit et unam ipse comedit, alteram Henrico dedit hisce verbis: Sicut pars haec vivifici corporis divisa est, ita divisus sit a regno Christi Domini nostri, qui pactum hoc violare tentaverit*, Sigonius lib. 10. de regno Italiae. *Sed vix Henricus V. ab urbe discesserat, statim Paschalis II. pontifex contra suum factum venire et testimonio propriae vocis resistere coepit jusque investiturae Henrico confirmatum ademit et anathemate praeterea imperatorem percussit*, Sturcius de vita Germ. impp. c. 43. n. 10. 11. et 12. Eugenius papa persuasit Vladislao, ut foedus cum Turca initum violaret, sed Vladislaus misere periit, Anton. Bonifinius lib. 26. rer. Ungar. Wolff. tom. 2. p. 423. Lipsius lib. 2. monitorum c. 11: *Certissimum habetur, quod Clementi quinto pontifici maximo evenit, qui cum Templarios coetum religiosum et diu bonum atque utilem Viennae in concilio damnasset et in sodales ferro atque igne passim vel animadvertisset, vel ut alii saevisset, a pluribus eorum citatus ad tribunal superum paulo plus anno post obiit, quasi ad vadimonium obeundum a supremo praetore accersitus*, Gobelinus aetate 6. c. 84. de Bonifacio IX.: *Comitem Fundorum, qui principium schismatis stabilivit, penitus exterminavit, et ipse Romanus non solum ut papa, sed tanquam rigidus imperator dominabatur, multos quidem eorum sibi suspectos de infidelitate per justitiarios suos fecerat occidi capitolium et palatium suum fortius munivit, nec fuit ante eum quisquam Romanorum pontificum, qui talem potestatem temporalem Romae et in patrimonio S. Petri exercuisse legatur.* Matth. Paris. in Henr. III. Romanos pontifices vocat *piscatores non hominum, sed nummorum, officiales non Christi, sed fisci.* ** 4. *Caedibus ac bellis.* Cruentissima enim proelia cum multorum millium Christia- XII. 73.
norum internecione gesta sunt a Gregorio VII. Paschali II. Eugenio IV. Gregorio IX. et cumprimis Julio II. cujus opera plus *sanguinis uno die hausit terra, quam ipse cum combibonibus vini in toto pontificatu*, quique clavibus Petri in Tiberim projectis exercitum adversus hostem educens dixisse fertur:

Cum Petri nihil efficiant ad proelia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

De Gregorio VII. memorat Benno card. quod sex ordine pontifices per ministrum suum Gerhardum Brazutum sustulerit, ut ad sedem papalem adscenderet. De Johanne XII. scribit Platina in ipsius vita, *quod fuerit omnibus probris et turpitudine contaminatus, quod uni cardinali nasum, alteri manum absciderit, quod fuerit monstrum potius quam homo.* De Bonifacio VII. idem in ipsius vita scribit, *quod fuerit sacrilegus et homicida, quod tyrannidem exercuerit et cardinalem sibi resistentem oculis privarit.* De Paulo III. scribit Vergerius, *quod matrem et sororem interfici curarit, quo hereditatem totam ad se derivaret atque hac ratione ad papatum assurgeret.* Alexander VI. *plus veneni quam aquae miscuisse* dicitur, unde etiam ipse justo Dei judicio periit epoto per errorem veneno, quod de ipsius jussu quibusdam optimatibus propinandum erat. ** Aon. Palearius test. 19. in act. adv. pont. p. 255. ** Quanti sanguinis Christiani rivi instinctu pontificum inde a tem-

Digitized by Google

pore reformatae religionis in Gallia, Belgio aliisve regnis ac provinciis sunt effusi! *5. Avaritia et simonia.* Cum Johannes XXII. ad ecclesiam Graecam scriberet, *unicam tantum esse ecclesiam, cujus ipse sit caput et Christi vicarius*, ac moneret, ut se illi subjicerent; Graeci breviter responderunt referente Johanne de Mandevill. lib. 1. c. 7: *Potentiam tuam summam circa subditos tuos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam tuam satiare non valemus, diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Hic Johannes XXII. post mortem in aerario reliquit vicies quinquies millena aureorum millia, Franc. Petrarcha, vel ut alii numerant, ducentas quinquaginta tonnas auri. A Gregorio IX. Fridericus imperator absolutionem ab excommunicatione impetrare non poterat, nisi numeratis centies mille auri uncis referente Guicciardino. Clemens VII. referente Onuphrio in append. ad Platin. p. 385. hasta in foro proposita tres cardinalitios galeros venales fecit plurimum offerentibus pro auro bono et praesentario. In Clemente V. curia simonia maxime viguit, scribit Anton. part. 3. tit. 20. c. 3. p. 3. Alexander VI. opulentissimum quemque in aula sacerdotem et in his aliquot cardinales ceteris ditiores veneno tollendos constituit, ut eorum opibus in fiscum redactis potitus profusissime largiretur, ut testatur Onuphrius, quod et de Leone X. testatur Actius Sannazarius. Et quid multis?

— — *Venalia nobis* (canit Baptista Mantuanus)
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronae,
Ignis, thura, preces, coelum venale Deusque.

XII. 74. *6. Fastu.* De Paulo II. refert Platina in ipsius vita, *quod publice progrediens mitram gesserit, in qua multae opes erant coëmtis omnis generis pretiosis lapidibus, quod inspici ab hominibus et admiratione haberi voluerit.* ** *Franciscum Dandalum Venetiarum ducem Cretae Cyprique regem catenis vinctum infra mensam, ut instar canis ossa liguriret, papa abjecit*, Sabellicus ennead. 9. lib. 7.** Clemens V. in pompa coronationis ex tiara amisit *carbunculum sex millium pretio aestimatum*, unde Agrippa de vanit. c. 61. scribit: *Pontificis Romani pompam et fastum nullum unquam tyrannorum aequavisse.* ** *7. Mendaciis et fraudibus.* De Alexandro VI. sic scribit Machiavellus papista in libro de principe c. 18: *Nihil aliud quam ad mortalium impostorem egit, ad nihil aliud quam ad malitiam et fraudem (quo hominum genus falleret) mentem suam exercuit. In asseverando autem qui magis fuerit efficax, aut qui speciosius juraverit juramentum et vicissim qui minus praestiterit, nemo unquam fuit.* Costerus in enchir. c. 3. p. 151: *Fieri potest, ut Petri successor idola colat, quod Marcellinum fecisse semel legimus, apud se forte de fide non recte sentiat, adeoque diabolicis artibus operam navet.* **

Sanctitas cardinalium. 264. De cardinalium superbia, luxuria, avaritia et sceleribus aliis non minores exstant querelae apud historicos. Nicolaus de Clemangis, qui ante 200 annos floruit, in lib. de ruina et reparat. eccles. scribit, *artificem si velit simulacrum superbiae effingere, nulla congruentius ratione id facere posse quam cardinalis effigiem intuentium oculis objectando.* ** Fridericus imperator in literis responsoriis ad Adrianum pontificem: *Cardinales non videmus praedicatores, sed praedatores, non pacis corroboratores, sed pecuniae raptores, non orbis reparatores, sed insatiabiles corrasores.* Carol. Molin. in orat. de dignit. et usu legum imperialium habita Tubingae anno 1554. quae annexa est refutationi a Flacio invectivae Bruni oppositae p. 180: *Vidimus et adhuc in regnis captivitati papisticae servientibus fit, cardinales non solum ex infima plebe, sed etiam e vilissimis mendicis eo evectos sese statim regum cognatos et consanguineos palam nuncupare et vocari.* Marsilius Patavinus part. 2. defens. pacis f. 170: *In coetum cardinalium assumuntur lascivi juvenes et divinarum literarum indocti quam plures.* ** Quando papa quosdam creat cardinales, his verbis illos affatur: *Estote fratres mei et principes mundi.* referente Augustino de Ancona lib. de potest. eccles et Anton. part. 3. tit. 21. c. 1. quid ergo mirum, quod ipsis regibus ac principibus praeferri velint, quamvis interdum ex ima hominum fece genus trahant suum id quod jure fieri Thyraeus de Antichristo c. 20. th. 18. probare nititur ex Psalmo 45, v. 17: *Praepones eos principes in tota terra.* Hasenmüllerus in histor. ord. Jesuitici c. 10. memorat, *se coram vidisse cardinales aliosque clericos publica porta ad vicina lupanaria rapere et meretrices in publicis plateis ad rhedas currusque suos trahere et in hortos abducere*, quod etiam non diffitentur dilecti ecclesiae Romanae reformatores in consilio suo Paulo III. dato. Erasmus de rat. concion. lib. 3. refert, *quod Robertus a Licio* Minorita cardinalibus ac pontifici fastum ac luxum salse hoc modo exprobravit. Erat apud illos dicturus, quos cum videret strepitu plusquam regio ingredi, denique et pontificem gestari hexaphoro et ab omnibus adorari, ubi tandem consedissent jamque exspectaretur vox hominis, is nihil aliud prolocutus, *pfui sanctum Petrum, pfui sanctum Paulum*, subinde cum exsecrantis voce exspuens, nunc in dextrum, nunc in sinistrum, nec aliud addens e medio proripuit se relinquens omnes attonitos, aliis suspicantibus, eum versum in furorem, aliis dubitantibus, num in haeresin quandam, aut Judaismum, paganismumve prolapsus in eas blasphemias erupisset. Cumque ageretur de homine conjiciendo in vincula, cardinalis quidam, qui propius noverat ejus ingenium atque etiam amabat, persuasit, ut prius ad pontificem evocaretur paucisque cardinalibus testibus audiretur. Rogatus, quomodo in tam horrendas blasphemias erupisset, respondit, *sibi longe aliud argumentum fuisse praeparatum et paucis summam orationis exposuit. Ceterum ubi spectarem*, inquit, *vos tanto strepitu tantisque in deliciis vivere, simulque reputarem, quam* XII. 75. *humilem, laboriosam et inamoenam vitam gesserint apostoli, quorum vices geritis, colligebam, aut illos fuisse dementes, qui tam spinoso itinere contende-*

Digitized by Google

rint in coelum, aut vos recta ad inferos proficisci. Sed de vobis, qui tenetis claves regni coelorum, nihil malae suspicionis in animum inducere potui, supererat, ut illorum stultitiam detestarer, qui cum licuisset ad illum modum splendide suaviterque vivere, maluerunt per omnem vitam jejuniis ac laboribus discruciari. In libro cui titulus Onus ecclesiae edito anno 1517. dicitur, *quod cardinales omnem substantiam, qua reliquus clerus sustentari deberet, devorent atque ita census ecclesiasticus ad cardines coeli dissipetur.* ** Cives Veneti in resp. ad paraen. Baronii p. 45: *Ecquid ab aliquot jam seculis aliud agunt purpurati isti satrapae, quam ut feralibus bellorum facibus inflamment ac collidant orbem terrarum? si qui mitiore sunt ingenio inito hoc honore, hoc solum sibi negotii datum credunt, ut ethnicorum epulonum luxum ab orco revocent.* p. 46: *Quod ethnici quoque exhorrescant, inter purpurae hujus candidatos exstitere, qui praeposterae libidinis sordes non modo in deliciis haberent, sed laudes etiam carminibus ornarent, quod in hac ipsa urbe a Joh. Caso archiepiscopo Beneventano papae legato factitatum.* Caraffa Pauli IV. ex fratre nepos et legatus cum solita pompa Lutetiam Parisiorum ingrederetur et signum crucis, ut fit, ederet, occursante passim populo et in genua ad illius conspectum procumbente, loco verborum, quae proferri mos est, saepius secreta murmuratione ingeminavit: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur,* Thuanus 12 f. 298. Platina in vita Stephani III. pontificis p. 119: *Nunc adeo refrixit pietas et religio, non dico nudis pedibus, sed caligati et cothurnati vix supplicare dignantur. Non flent inter eundum, vel dum sacrificatur, ut illi sancti patres, sed rident et quidem impudenter. De his etiam loquor, quos purpura insigniores facit. Non hymnos canunt, id enim servile videtur, sed jocos et fabulas ad risum concitandum inter se narrant. Quid plura? Quo quis dicacior est et petulantior, eo majorem in tam corruptis moribus laudem meretur. Severos et graves viros reformidat hic noster clerus. Quid ita? quia in tanta licentia malunt vivere quam bene monenti aut cogenti obtemperare, et ob eam rem Christiana religio quotidie in pejus labitur.* ** Paulus Langius monachus in chronico Ziticensi anno 1405: *Cardinalis Iserniensis reliquit post mortem triginta millia ducatorum. Cardinalis Mopolitanus decedens ultra centum millia ducatorum auri reliquit. Sed o quot ecclesias et monasteria et alia beneficia ecclesiastica, antequam tot millia acquirerent, aestimantur gravasse et depauperasse?* Ravisius Textor in officina refert de Petro Presbytero cardinali, qui sedente in pontificatu Sixto IV. vixit, *quod duobus annis trecenta aureorum millia luxu prodegerit et vanitatibus sexaginta millia aeris alieni ac argenteorum 300 pondo dimiserit.* Franciscus Petrarcha in epist. de cardinalibus scribit, *quod tam calidi tamque praecipites in Venerem senes sint sicque in libidine exardescant et sic in omne ruant dedecus, quasi omnis eorum gloria non in cruce Christi sit, sed in commessationibus et ebrietatibus, et quae has sequuntur in cubilibus et immunditiis;* cujus rei horrenda aliquot exempla subjicit Petrus Paulus Vergerius in histor. de idolo Lauretano: *Fuit patrum nostrorum memoria cardinalis quidam Venetus e Pisana familia, qui inter reliquas suas interiores et reconditas literas duos libellos habuit sepositos variis obscoenis picturis et detestandis nefariarum libidinum simulacris refertos. Exstabant in eorum altero complures viri cum muliere concubitus formae omnis turpitudinis et foeditatis plenae atque a natura prorsus alienae; in altero exsecrabilis illius Veneris, quam (quia Sodomitis familiarem fuisse constat) sodomiticam appellant, dissimiles summaque varietate distincti modi expressi videbantur. Post obitum cardinalis excussa libraria supellectile, quam domi suae instructam habuerat, alter e duobus illis libellis venereis repertus, tempore papae Julii II. Romae typis in lucem evulgatus, denique pontificatum gerente Adriano VI. publice divenditus distractusque fuit.* De Angelo Politiano cardinali testatur Ludovic. Vives lib. 2. de verit. fid. Christ. quod *Pindari odas psalmis Davidicis praetulerit.* ** Victorinus Strigelius in explicatione Psalmorum p. 30. refert, quod cum cardinalis Bembo ad Jacobum Sadoletum venisset et eum in enarratione epistolae ad Romanos aliquid operae collocare intellexisset, dixerit ei: *Omitte has nugas, non decent gravem virum tales ineptiae.* ** De eodem P. Bembo refert Fabricius, eum dixisse: XII. 76. *Semel legi biblia, quodsi iterum mihi essent legenda, perderem omnem latinitatem.*

265. Episcoporum, sacerdotum et clericorum Pontificiorum qualis sit sanctitas domestici et αὐτόπται testes loquuntur. Bernhardus serm. 33. in Cant. col. 909: *Ministri Christi sunt et Antichristo serviunt, honorati incedunt de bonis Domini, cui Domino honorem non deferunt. Inde is, quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frenis, in sellis, calcaribus et plus calcaria quam altaria fulgent, inde splendidae mensae et cibis et scyphis, inde commessationes et ebrietates, inde cytharae et lyra et tibia, inde redundantia torcularia et promptuaria plena, eructantia ex hoc in aliud, inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia, pro hujusmodi volunt esse et sunt ecclesiarum praepositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi* etc. ** Idem serm. 77. in Cant. col. 1098: *Quem dabis mihi de numero praepositorum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis quam vitiis exstirpandis? ubi qui orando flectat iram? ubi qui praedicet annum placabilem Domino?* Serm. ad clerum in conc. Rhemensi col. 2244: *Ubi proh dolor reperiemus episcopos, qui post adeptam dignitatem in humilitate se contineant? nempe superbia eis occasio est, ut ad tantam dignitatem adspirent, ut in ovile Christi impudenter irrumpant* etc. ** Vide ejusdem querelas serm. 6. in Ps. 91. col. 291. lib. 3. de consid. ad Eugen. col. 1027. lib. 4. de consid. col. 1035. etc.

Episcoporum et clericorum pontificiorum sanctitas.

Digitized by Google

** Platina in Gregorio IV.: *In omnem luxum et libidinem sese effundit ecclesiasticus ordo. Coccinatos et trabeatos nunc inspiceres, non homines, quod leve fortasse videretur, sed equos et jumenta; praecedente, dum incedunt, magno adolescentum et altero presbyterorum agmine subsequente; non in asinis, ut Christus nostri dogmatis auctor et bene vivendi unicum in terris exemplar, sed in equis praeferocibus et phaleratis, ac si ex hoste devicto triumphum ducerent. De argenteis vasis et egregia eorum supellectile deque cibariis non attinet dicere, cum et Siciliae dapes et Attalica ornamenta et vasa Corinthia, si haec inspicias, nullius pretii dici possint. Quod vero ex hac intemperantia nascatur, praetermittam, ne os, ut ipsi ajunt, in coelum ponam.* ** In libro cui titulus *Onus ecclesiae: Episcopi debitam solent omittere hospitalitatem pauperes Christi negligendo, semet ipsos impinguando, canes aliaque animalia alendo et sic una bestia nutrit aliam etc. passim quoque episcopi paene omnes morbo cupiditatis, quae mater est omnium haeresium, laborant, aliena rapientes, ecclesiastica bona dilapidantes, quae divinis usibus et pauperibus Christi dispensare deberent, aliorsum expendunt etc. Fit nunc temporis, ut episcoporum status et dignitas perpendatur in terrenis opibus, in sordidis ac plebejis curis, in bellorum procellis, in imperiis mundalibus etc. In ecclesiis tam cathedralibus quam conventualibus innumera committi solent scandala, ubi hodie plerunque feces mundi ecclesiasticis gubernaculis praeficiuntur, utpote quibus mundus uti vel frui nequit etc. Ambitio et simonia in clero jam ubique regnat, ut hodie verificetur illud prophetae: A minore usque ad majorem omnes, scilicet clerici, avaritiae student et a propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt dolum.* Ecber. ad episc. Colonien. in catal. testium veritatis episcopari sic describit, *quod sit carni indulgere, pompatice incedere, quaestui intendere et deliciose otiari.* ** Innocentius papa serm. 2. in die cinerum de clericis papisticis: *Noctu filium Veneris agitant in cubili, mane filium Virginis sacrificant in altari, nocte Venerem amplexantur, mane Virginem venerantur.* Ulricus episcopus Augustanus in epist. ad Nicol. I circa annum 860. cujus epistolae etiam Aeneas Sylvius meminit, pontificem, episcopos et archidiaconos *ita praecipites esse* dicit *in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum turpissimos amplexus sciant abhorrere, tamen casta clericorum conjugia dicunt sibi foetere et ab eis jubent et cogunt clericos abstinere. Patrum uxores subagitant, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrent, alienis uxoribus non dubitant abuti.* Vide Chemnic. part. 3. exam. f. 63. In Lavacro conscient. omn. sacerd. impress. Lyptzig per Baccalaureum Wolffgangum Monacensem anno salutis 1497. die 3. mensis Octobr. exstat epistola Luciferi ad clericos Romanos cap. 4. de vitio luxuriae fol. 12. b. quae sic habet: *Beelzebub princeps daemoniorum et dux tenebrarum cum satellitibus suis omnesque tartareae potestates archiepiscopis, abbatibus, praepositis, decanis, presbyteris ceterisque ecclesiarum rectoribus, suis carissimis amicis, nunc et in aeternum tartareas salutes et inviolatae societatis foedera, quae dissolvi non possunt in aeternum! Magna nobis fiducia est in amicitia vestra, amici carissimi, multumque de vobis congratulamur, quia sentitis optime nobiscum et quae nostra sunt, diligenter quaeritis ubique tuendo atque fovendo, quidquid ad nostrum jus pertinere cognoscitur. Sciatis igitur, vos universitati nostrae multum esse acceptos, et multa gratiarum actione studia vestra prosequimur, eo quod infinitae multitudines animarum per vestrum ministerium et exempla a via veritatis abductae quotidie nobis captivae adducuntur, unde regni nostri potentia magnifice roboratur. Perseverate igitur tanquam fideles et intimi nostri in amicitia nostra et in opere, quod coepistis, quod profecto parati sumus pro omnibus his vobis rependere retributionem condignam et mercedem congruam ex inferioribus inferni. Valete et salus nostra sit vobiscum in aeternum.* Joh. Aventinus lib. 1. annal. Boior.: *Decuriones mystarum et parochi impune et passim in aestu, adulteriis, stupris contaminant omnia, amant, potant, virgines plures uno anno vitiant et implent sub superficie pietatis, potantur, fraudant, compilant, litigant, templa, sacerdotia diripiunt, quasi caballos venalitios commutant, ceremonias nundinantur, religiones cauponantur, scortantur, lasciviunt, venantur, belligerantur, humanum sanguinem et impune sitiunt, effundunt, latrocinia exercent.* ** Platina in vita Marcelli I. p. 39: *Vitia nostra eo crevere, ut vix apud Deum misericordiae locum nobis relinquant. Quanta sit avaritia sacerdotum* III
et eorum maxime, qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio et pompa, quanta superbia et desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius, tum doctrinae Christianae, quam parva religio et simulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos seculares vocant, detestandi, non attinet dicere, cum ipsi ita aperte et palam peccent, ac si inde laudem quaererent. Hugo cardinalis in quadam glossa scribit: *Diabolum duas habere filias, avaritiam et luxuriam; illam Judaeis, hanc ethnicis olim elocasse, nunc vero clericos et sacerdotes utramque suis viris eripuisse et tanquam proprias habere.* Idem de clericis conqueritur, *quod legem nesciant, vanitates discant, otio, commessationibus et ebrietatibus studeant, terrena capiant, assidui in plateis, rari in ecclesiis, tardi ad investigandam culpam peccatorum, parati ad insequendum vestigia leporum, velociores ad congregandum canes quam ad convocandum pauperes, citius porrigant panem canibus quam pauperibus, citius extendant manum ad taxillum quam ad missae librum, quod sint, quorum thalamus ornatior quam altaria, scyphus pulchrior calice, equus carior quam missale, mappa pulchrior casula, camisia delicatior quam alba, in ipso templo Dei lascive et luxuriose cantent, ut amasiis placeant.* Johan. Gerson in tra-

Digitized by Google

ctat. quem inscripsit *Declaratio defectuum virorum ecclesiasticorum* ex justissimo dolore conqueritur, *nullibi episcopos bonos et opere ac doctrina probatos eligi, sed homines carnales ac spiritualium ignaros, in clericis dominari crapulam et ebrietatem, esse eos aleatores ac venatores, officia ecclesiastica pecunia obtineri, praelatos adeo esse superbos, ut homines se esse nesciant. Equos, canes et aves ac copiosam familiam patrimonium ecclesiae comedere potius quam pauperes Christi, gladium ecclesiae, hoc est excommunicationem, leviter et crudeliter in pauperes vibrari, episcopos plus esse officiales fisci, quam Christi* etc. ** Franciscus Belleforestus Gallus: *Nullius dabo quidquam auribus, sed veritatem ingenue fatebor, tot haeresium et schismatum causam esse neminem praeter nostros rasos, unctos, clericos et sacerdotes sua turpissima et sceleratissima vita. Non ergo accusent alium quenquam, nisi semet ipsos seque solos castigandos et emendandos esse noverint.* ** Auctor libri Stella clericorum dicti exclamat: *O Domine pastores tui mutati sunt in tonsores, defensores in dissipatores; qui deberent esse sobrii, quotidie sunt ebrii; qui praelati, pilati; qui casti, incesti; qui pastores, impostores* etc. Nicolaus de Clemangis archidiaconus Bajocensis et doctor Parisiensis integrum scripsit librum de corrupto ecclesiae statu, in quo inter ce-
78. tera sic loquitur p. 22: *Si quis hodie desidiosus est, si quis a labore abhorrens, si quis in otio luxuriari volens, ad sacerdotium convolat, quo accepto statim se ceteris sacerdotibus voluptatum sectatoribus adjungit, qui magis secundum Epicurum, quam secundum Christum viventes et cauponulas seduli frequentantes potando, commessando, pransitando, convivando cum tesseris et pila ludendo tempora tota consumunt. Crapulati vero et inebriati pugnant, clamant, tumultuantur, nomen Dei et sanctorum suorum pollutissimis labiis exsecrantur sicque tandem compositi ex meretricum suarum complexibus ad divinum altare veniunt.* Pet. Ferrariensis in form. sent. definit. §. sed ad quemcunque: *Clericorum animus et appetitus est enixus prae ceteris in pecuniis cumulandis contra honestatem communem et fidem Deo promissam, non attendentes nec studentes bonis moribus nec Scripturis tam divinis, quam moralibus.* Episc. Bipont. in orat. coram concilii Trid. patribus habita inter alia sic loquitur: *Duae illae sanguisugae, quae semper clamant: Adfer, adfer, altera mater, altera nutrix omnium malorum, cupiditas, inquam, et ambitio, utraque subtile malum, utraque secretum virus, pestis et monstrum orbis, dum ab iis, quos tanquam vivas et animatas leges sequi oportuerat, virtus ac doctrina, vitium et ignorantia eorum loco summis extolluntur honoribus, effecerunt tandem, ut aedificatio in destructionem, exemplum in scandalum, mos in corruptelam, custodia legum in contemtum, severitas in relaxationem, misericordia in impunitatem, pietas in fucum et hypocrisin, praedicatio in contentionem et rixam, festum in turpissimum mercatum atque, ut uno verbo dicam, vitae odor in mortis odorem infelicissime commigraverit etc. Hinc illis* (episcopis) *aliud agentibus et in utramque aurem dormientibus, quos greges pascebant, non pascebantur greges ab eis, nam parvuli petierunt panem et non erat, qui illis frangeret.* ** *Quibus turpitudinum monstris, qua sordium colluvie, qua peste non sunt foedati, non corrupti in ecclesia Dei populus et sacerdos? In vestro judicio causam repono, patres, et a sanctuario Dei incipite, si ullus jam pudor, si ulla pudicitia, si ulla superat bene vivendi vel spes vel ratio, si non libido effrenata et indomita, si non audacia singularis, si non scelus incredibile; heu quomodo obscuratum est aurum! quomodo mutatus color optimus!* Idem ibid.** Legatus Alberti Bavariae ducis in eodem concilio sic loquitur (**oratio Patavii in Italia est impressa**): *Cum clerus sal terrae esse debuerit, jam vero infatuatus sit, nec ad eam rem, ad quam maxime oportebat, utilis, magnam in clero culpam hujus mali* (corruptionis ecclesiae) *versari, omnes sapientes oportet confiteri. In visitatione nuper habita, quanta omnis generis flagitia in moribus cleri comperta sint, quanta socordia et supina negligentia in quibusdam proceribus seu ecclesiarum praelatis, aurium pudore, ne manifestentur, prohibemur. Ipsa morum turpitudo efflagitat, ne maneant diutius impunita. Atque haec si quis vellet sigillatim, prout per sese res ipsa habet atque explorate constat, enarrare, castis piisque reverendissimorum patrum auribus omnino fieret molestum, aliis vero qui minus firmati sunt, ingens periculosumque offendiculum praeberetur* etc. Et postea: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quam minima aliqua in re emendatum animadverti. Ut cetera cleri vitia, quae cum populo communia habet, taceantur, at certe libido illa in clero nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissime infamis est, a plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Concludit tandem, *submovendos esse inutiles ac flagitiosos sacerdotes, qui suis moribus turpissimis ecclesiam vehementer deformant et sua inscitia labefactant non mediocriter.* Cum oratore isto consentit Agrippa de vanit. scient. cap. 64: *Sacerdotes multi sacras virgines stuprant, vitiant viduas, et quod ego scio et vidi, Platonica lege cum popularibus suis feminas communes prostituunt et quorum animas debent lucrari, eorum corpora sacrificant diabolo.* ** Protestantes apud Sleidan. lib. 11. pag. 303: *Quemadmodum malis artibus et inhonestis rationibus per vim atque dolum ad ejusmodi praefecturas perveniant, quam turpem vitam agant, quam illaudatis exemplis praeluceant, quam nihil sui muneris faciant, quomodo suae fidei commissos homines negligant et in omni vitae nequitia bacchentur, id vulgo sic notum est atque testatum, ut explicatione prolixiori non sit opus.* Anton. de Rosellis in monarch. part. 3. cap. 25: *Notorium esse quiritatur, quod in nonnullis partibus clerici incedunt in ha-*

Digitized by Google

bitu seculari, *magis conveniente satrapis et militibus quam personis regularibus*, *et intendunt venationibus et aucupationibus magis quam officiis divinis*, *unde si non reformantur*, *discoloratur status universalis ecclesiae.* Alexander, qui sub Wilhelmo imperatore Romano 28. sedi apostolicae praefuit, apud Aventinum Bavaros episcopos et clericos sic alloquitur: *Vos corruptela et communis pernicies religionis Christianae estis; populus vestri non dissimilis vitia vestra aemulatur. Licentia deteriores facti estis, copia rerum vos corrupit, per vos nomen Dei male audit, devoratis pauperes, exeditis et oc-*
XII. 79. *ciditis.*** Duarenus lib. 1. de sacr. eccl. minist. c. 4. intrepide pronuntiat, *plerosque episcopos nostro tempore a religione et sacris quam quosvis satrapas et principes profanos longe alieniores, nec aliud eis curae esse, quam ut ditiones et possessiones suas, quo jure quave injuria, tueantur.* Albericus a Rosate in lexico in voce Decimae: *Praelati et clerici violenter et crudeliter extorquent decimas a pauperibus rusticis et cultoribus debitas et indebitas, si possunt, non ut eas distribuant pauperibus, sed ut concubinis et fornicariis suis et filiis adulterinis, quod vere Dominus non relinquet inultum, alias mentirentur Scripturae divinae.* Orator reipublicae Venetae ad Paulum V. de sacerdotibus Venetae ditionis tale fert elogium: *Utinam, beatissime pater, nostra haec aetas tales sacerdotes haberet, de quibus merito dici posset, Nolite tangere Christos meos! nullibi eorum dignitas major quam apud nos foret. Sed res longe secus se habet, quam pauci enim sunt, qui ordinis, muneris et sacrorum memores, uti deceret, aetatem agunt, quam contra multi, qui non a stupris, non ab adulteriis, non a caedibus, non a veneficiis, non a parricidiis abstineant, aut si quid gravius potest excogitari.* Nicol. Crassus in antiparaenesi ad card. Baronium Patavii anno 1616. edit. p. 70: *His temporibus cupiditas atque aviditas clericorum eo magis excrevit, quo facultatibus et potentiis sunt magis aucti.* **Erasmus in annot. 1. Petri 5: *Nunc episcoporum vulgus nihil aliud audit ab assentatoribus doctis nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorundam plusquam regius, saevitia plusquam tyrannica.* Fornerus contra jubil. conc. Norinb. p. 64: *Esto non eo inficias, non abnuo, ut olim ita et nunc, non tamen in tanta copia vitia ac scandala vigere in clero nostro Pontificio.* Salmeronius tom. 9. tract. 9. p. 57: *Modo in pluribus sacerdotibus et religiosis, qui de patrimonio Crucifixi vivunt, illud propheticum impletur: Saturavi eos, et moechati sunt et in domo meretricis luxuriabantur, Jer. 5.* De fratre Cornelio monacho refert Meteranus part. 2. hist. Belg. lib. 8. p. 385. quod anno Christi 1578. *Brugis formosissimis virginibus et mulieribus pro concione persuaserit, ut se toto corpore nudatas ab isto hirco ferula lenissime percuti paterentur, quod et multae fecerunt, quibus ipse persuasit, quod in hac spontanea nudatione corporis tanquam humilitatis signo bona poenitentiae pars consisteret.* Simile exemplum ex Paulo Grillando recitat Joh. Wierus lib. 3. de praestig. daemon. cap. 7. p. 288.** Possent hac de re longe plures adduci querelae ex veteribus et recentioribus, puta Hildegardis prophetissae, quae *exstinctae religionis* clerum accusavit, Roberti Lincolniensis, qui seculi sui pastores vocavit *desolatores terrae, gregis dominici dispersores, vineae dilaceratores ac depastores;* Marsilii Patavini, Johannis de Rupescissa, Petri de Aliaco, Cassandri, Savonarolae et aliorum, sed quid opus, hanc camarinam ulterius movere?

266. Monachos ac moniales ab ordinum suorum regulis, maxime vero a pietatis regula a Christo praescripta longissime recessisse ipsimet Pontificii conqueruntur. Johan. Gerson in tract. declaratio defect. eccles. scribit, *claustra monialium esse prostibula meretricum.* In libro cui titulus *Onus ecclesiae* sic legitur: *Sunt nonnulla monialium monasteria adeo propatula, ut ipsa loca Veneris prostibulo sint similiora, quam Dei sacrario, hinc procacitas, stuprum, incestus mulierum sacrarum, hinc quoque verenda scandala et offendicula oriuntur* XII. 8[...]
quam plurima. ** Cassander in consult. art. 25. p. 236: *Qua longe monachatus hodie a prima sua origine degeneraverit et quantis abusibus contaminatus et deformatus sit, satis per se est manifestum, nam paulatim religio vera et solida in superstitionem et inanem speciem religionis conversa est et accrescentibus opibus decrevit pietas et in ejus locum larvae ceremoniarum successerunt, in quibus verae pietatis operibus paene neglectis summa totius religionis constituta est, quarum ceremoniarum inanis observatio usque adeo veram apud plerosque monachos religionem imminuit et obscuravit, ut mirum non sit, si cujusmodi nunc fere est vita monastica, multorum odio et reprehensioni exponatur.*** Petrus de Aliaco in lib. de reform. ecclesiae: *Monachi suis immunditiis ecclesiam commacularunt.* Brigitta in revel. fratres istos *gentem pomposam, vanam, superbam* vocat. Erasmus in enchir. mil. Christ. p. 31: *Videmus passim monasteria ad mores plus quam profanos degenerasse. Olim secessus erat vita monachorum, nunc illi vocantur monachi, qui toti in meditullio mundanorum negotiorum versantur, plane tyrannidem quandam in rebus humanis exercentes. Et tamen ii ob cultum, ob titulum nescio quem tantum arrogant sanctimoniae sibi, ut ceteros prae se non habeant pro Christianis.* Idem in meth. theol. p. 189: *Non aliter sunt extra mundum, quam renes extra corpus animantis.* p. 139: *Ipsis mundi visceribus immixti monachos se vocant et regium luxum affectantes mendicitatem praetexunt.* De hoc monachorum luxu exstat proverbium Friderici imperatoris:

Vise monasterium, si vis cognoscere luxum.

Hermannus in chronico quod inscribitur Flores temporum de coenobio Erestheim sic scribit: *Proh dolor, tanta moderno tempore in eodem coenobio facta est mutatio non dextrae Excelsi, sed potius sinistrae diaboli maledicti, in tantum quod potius dici possit prostibulum lasciviae carnalis quam monasterium*

Mo[...] rum [...] ctiae

Digitized by Google

continentiae regularis. Idem: *Falluntur nostrae aetatis militares et ordinis equestris viri existimantes, coenobia esse filiorum suorum xenodochia etc. taceo de collegiis pro femineo sexu institutis. Utinam sexus ille Deo dicatus, qui de Christo patrimonio delicate pascitur, se ipsum non aliquando de stupro et adulterio prolisque partu suspectum redderet atque infamem. Utinam non herbis, non quarundam incisione venarum, non luridis potionibus, non lotionibus pedum, exquisitis, vel abortum procuraret, vel foetum praefocaret etc.* **Petrus Ferrariensis in forma libelli, quo agitur ex substit. §. ex suo corpore: *Imperatores concesserunt privilegium, ut bona ingredientium monasteria applicarentur ipsis monasteriis, propter quod privilegium multiplicata sunt et fundata monasteria infinita per universum orbem, olim causa devotionis, licet hodie causa rapinae et avaritiae, in tantum quod destruxerunt hodie mundum et annihilarunt statum imperii et omnium laicorum.* Erasmus in chiliad. p. 540: *Sunt, atque utinam non tam passim obvii sint, quos si quis e barbae sylva, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, cingulo, supercilio vultusque truculentia velit aestimare, Serapiones ac Paulos esse dicat; sin explices, meros invenies balatrones, heluones, planos, ganeones, imo praedones ac tyrannos, sed alia via et haud scio, an hoc pestilentiore, quo tectiore etc.* Paling. in Leon. lib. 10:

Sed tua praecipue non intret limina quisquam
Frater vel monachus, vel quavis lege sacerdos;
Hos fuge, pestis enim nulla hac immanior, hi sunt
Fex hominum, fons stultitiae, sentina malorum,
Agnorum sub pelle lupi mercede colentes,
Non pietate Deum, falsa sub imagine recti,
Decipiunt stolidos ac religionis in umbra
Mille actus vetitos et mille piacula condunt.
Raptores, moechi ac puerorum corruptores,
Luxuriae atque gulae famuli.

Aeneas Sylvius, postea Pius II. dictus:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus plenaque fraudis anus.

Buchananus ad Antonium p. 49:

Diceris, Antoni, porcos pavisse subulcus
Vivus, adhuc monachos lumine cassus alis.
Par stupor ingenii est ventrisque abdomen utrisque,
Sorde pari gaudent ingluvieque pari.
Nec minus hoc mutum pecus est brutumque suillo,
Nec minus insipidum, nec minus illepidum.
Cetera conveniunt, sed non levis error in uno est,
Debuit et monachis glans cibus esse tuis.

Paling.:

Proh pudor, hos tolerare potest ecclesia porcos,
Duntaxat ventri, veneri somnoque vacantes.

Nicolaus de Clem. de corrupt. eccl. statu: *Si quis hodie desidiosus est, si quis a labore abhorrens, si quis in otio luxuriari volens, ad sacerdotium convolat* etc. Vide supra Bernhardum in epist. ad Guiliehn. abbat.: *Fercula ferculis apponuntur et pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur.* Giraldus Cambrensis in specul. lib. 2. cap. 3. refert, *monachos Vintonienses graviter fuisse conquestos, quod ex tredecim ferculis, quae singulis prandiis et coenis apponebantur, tria illis demta essent*, et addit, *monachos vix sedecim ferculis fuisse contentos.* Martinus Peresius de traditionibus part. 3. p. 244: *Monachi jejunare se putant, quando cibos in tanta quantitate sumunt, ut vel Miloni olim pro tribus diebus possint sufficere.*** Joh. Keisersbergius Argent. concionator propter corruptissimum monastices statum animo in monachos erat infenso, ideo eos, *qui nigrae camisiae ordinem assumserant*, appellabat *diabolos*, qui vero *album induerant cucullum*, hos *diaboli matrem* esse dicebat, qui *medii coloris erant et cinericia toga incedebant*, istos *progeniem illorum superiorum ac sobolem* esse dicebat.

267. De Jesuitarum sanctitate videatur catechismus Jesuiticus, cujus auctor Catholicum se vocat. Jesuitarum sanctitas.
Ex coecae, quam generali suo vovent, obedientiae fonte profluunt innumera illa peccata, quod scilicet credunt, se recte facere cum coram magistratu promovendae suae religionis causa mentiuntur mendaciumque juramento confirmant, hinc tot fraudes et imposturae, tot perjuria et mendacia, tot insidiae ac caedes regum ac principum, tot *ἀλλοτριοεπισκοπίαι*, quae omnia pallio *coecae obedientiae* se tegere posse fortiter persuasum habent, ut objicit illis auctor dicti lib. 2. c. 17. a quo, uti etiam ab aliis rei peraguntur, *1. Jactantiae*, quod se prae reliquis *Jesu socios* appellent. Ludolph. Carthusiens. de vita Christi c. 10. ex Augustino: *Nomen Jesus est nomen proprium, nomen* XII. 81.
Christus est nomen commune et sacramenti. Item: *nomen Christus est nomen gratiae, sed nomen Jesus est nomen gloriae. Sicut enim hic per gratiam baptismalem a Christo dicimur Christiani, sic in coelesti gloria ab ipso Jesu diceremur Jesuitae, id est salvati.* Quando igitur hoc nomen Christo proprium Jesuitae sibi solis vendicant, quid aliud quam cordis sui fastum et jactantiam exprimunt? Inde Eustach. Bellaius episcopus Parisiensis in sua de Jesuitis censura *nomen Jesuitarum ut arrogantiae plenum* improbat, quippe cum ita solis sibi tribuant, quod ecclesiae catholicae competit, quae proprie fidelium congregatio dici potest, cujus caput est Christus, illi vero cum hoc nomen solis sibi sumunt, et hoc dicere videntur, solos se ecclesiam constituere. Jacobus Sylvanus in sua Philippica Jesuitas vocat *fidei Romanae* principes. In praefat. sicae tragicae Francisci Costeri jactitant, *se Catholicis esse instar scuti*, sed auctor catechismi Jesuitici contrarium nititur probare, quod scilicet malis suis artibus regno papali plus obfuerint quam profuerint, cujus controversiae decisionem ipsis Pontificiis relinquimus. Benedictus Arias Montanus in Bibliis Antuerpiensibus de hac Jesuitarum jactantia itidem conqueritur: *Qui* (inquit) *cum sibi soli sapere, soli bene vivere Jesumque propius insequi et comitari videntur, atque id palam professi jacti-*

Digitized by Google

tant, me, qui minimum atque adeo inutilem Jesu Christi discipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi quod neminem, qui alias bene audiatur, improbare audent, aliorum, quos ad eam rem occulte inducere possint, ingeniis et nominibus abutuntur. 2. *Hypocriseos*, de qua Jacobus Augustus Thuanus sic canit:

Hesperiae fuscis gens emissaria ab oris,
Fucum affectata quae pietate tegis etc.

Hieron. Vendram. theol. Venetus in disquisitionibus inter Paulum V. et rempublicam Venetam cap. 1. p. 13: *Nihil dico de his* (Jesuitis), *qui personatas facies habent ac vestibus ovium amicti lupinos mores*
XII. 82. *ac naturam occultant.* 3. *Fraudum et perjuriorum.* Campianus in epistola ad generalem societatis ex Anglia scripta et Treveris anno 1583. typis evulgata pag. 24: *Habitu dementissimo sum, quem saepe commuto itemque nomina.* ibid. p. 86: *Catholicorum in Anglia conditio gravissima, animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi cum aliis, affirmandum juramento, quod ceteri affirmant, etiamsi animo longe aliter opineris, etiamsi conscientia contrarium plane senseris.* Alexander Hajus de sui ordinis sociis dixit: *Jesuita est omnis homo.* Henricus Garnetus Jesuitarum provincialis in Anglia vocavit se, ut ex impresso Anglico processu apparet, modo *Walleus*, modo *Darcus*, modo *Robert Farner*, modo *Philippes*, unde advocatus regius in processu dixit, *Garnetum Jesuitam esse virum multorum nominum, sed non boni nominis.* Creswellus in resp. ad edictum Elisabethae reginae Angliae ad praef. num. 2. pag. 6: *Sacerdotes catholici ex seminario Hispanico Vallisoletti emissi apostolico quidem more, sed habitu, prout opus erat, vario ac dissimulato Angliam fuerant subingressi et inscia regina exploratorum manus praeterlapsi ad opus jam per regni intima erant divisi.* Vide plura superius §. 260. in peccatis contra secundum praeceptum num. 3. et in Lysandro Jesuitico Eliae Ehingeri. Memorabile exemplum istarum fraudum Jesuiticarum in Moscovia superioribus annis notari potuit, quod cives Veneti in resp. ad paraenesin Baronii pag. 5. hisce verbis commemorant: *Ne Sauromatas quidem et glaciali oceano conterminos Scythas nostri* (Jesuitarum) *latuere doli, cum renovato Persicorum magorum exemplo Demetrium quendam tanquam interpolatum Smerdem in Moscorum theatrum mangonio nostro produximus, sed non satis poliorcetica helepoli instructum ac prius ex proscenio explosum, quam Dianae nostrae simulacrum διοπετὲς erigere et cerussa ac purpurisso Romuleo pingere sotericisque calamistris inurere licuerit. Nimirum ut Simonides olim stupidiores esse Thessalos dictabat, quam ut carminum suorum illecebris capi possent, sic rupices illos et petrones Moscos feriores esse expertus est ille Δήμητρος sive Terrae filius, quam ut Romanarum Sirenum cantu ac pellacia mitescerent. Ergo vix degustato imperio illo, dum adhuc promulsidem ligurit, funestae ac plusquam tragicae pompae ferculum apparavit Scythis barbaro sarcasmo accinentibus:*

En agros et quam technis Jesuita petisti,
Moscoviam metire jacens, haec praemia, qui me
Fraude ausi tentare, ferunt, haec sceptra reportant.

4. *Luxuriei* ac libidinum, quae occasionem dederunt epigrammatis illis ex his vocabulis sectae Jesuitarum exstructis, in Jesuitico catechismo propositis:

Tute mares vitias, non scortum, non tibi conjux.
Dic Jesuita mihi, qui pater esse queas.

Et vicissim:

Tu matres vicias torosque sacros,
Antistes pie, virginesque sacras,
Hoc qui martyrio fidem propagat,
Hoc qui consilio propagat orbem,
Is vere est pater et pater beatus.
O tuam veneror beatitatem,
Amplectorque piam paternitatem
Jesuita patrum pater supreme.

Simon Steinius in resp. ad Gretserum scribit, *nusquam alibi quam in iis regionibus, in quibus florent res Jesuitarum, plus reperiri libidinum, impuritatis, profanitatis, superstitionis, blasphemiae, hypocriseos* etc. **De Doctore Melchiore Stoer et Doctore Friderico Sommermann refert Hasenmullerus in hist. Jesuit. p. 134. *quod alter eorum abbatissam impense amaverit, alter vero monialem daemonem exire jubendo ipse iniverit et loco Satanae infantulum substituerit.* De patre Wilhelmo Postello nobilis Stephanus Pasquier consiliarius et advocatus regis Galliarum in discursu suo de secta Jesuitarum f. 64. scribit, *quod mulier factus fuerit et monstrum meretricum in lucem pepererit.*** 5. Parricidiorum in reges ac principes, ut ex theoria et praxi constat. Anno 1614. 22. Junii senatus Parisiensis per carnificem publice Parisiis exuri XII. 83.
curavit librum *Francisci Suarez Jesuitae*, cujus titulus *Defensio fidei catholicae adversus Anglicanae sectae errores*, in quo publice docebat, *reges et principes, qui aliam quam Romanam tolerarent religionem, non solum ab externo, verum etiam a proprio subdito impune perimi posse.* Eandem sortem ibidem expertus est liber Martini Becani Jesuitae ejusdem cum priore argumenti. Mariana in libro de rege et regis institutione edito anno 1605. libr. 1. cap. 6. 7. et 8. pag. 58. et seqq. docet, *jus fasque esse subditis, reges principesve, quibus viri graves et eruditi* (utique Jesuitae) *haereseos crimen impegerint, quacunque ratione e medio tollere, praescribit etiam, quomodo venenum conficiendum sit, quomodo vestibus, chirothecis, gladiorum capulis, aut etiam ephippiis illinendum, ut non minus praesens praecepsque exitium sequatur, quam si ferro urgerentur.* pag. 60. post recitatum factum Jacobi Clementis, qui Henricum III. Galliae regem voluit e medio tollere, subjungit: *Praeclare*

Digitized by Google

cum rebus humanis ageretur, si multi homines tam forti pectore invenirentur pro libertate patriae, vitae contemtores et salutis. pag. 74: *Si hujusmodi* (sicarii) *post designatum facinus evaserint, instar heroum in omni vita suspiciuntur; si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati.* Magister provincialis huic Marianae operi sic praefatur: *Si ad hanc praescriptam formam actiones et consilia referantur, nae magnum atque incredibile operae pretium existet.* Scilicet his armis, hoc denique milite Christi res geritur! Creswel. in resp. ad edict. reg. Angl. sect. 2. num. 162. p. 153: *Certe non tantum licet, sed etiam summa juris divini necessitate ac praecepto, imo etiam conscientiae vinculo arctissimo et extremo animarum suarum periculo ac discrimine Christianis omnibus hoc incumbit, ob haeresis manifestum crimen principes deturbare, vel obsistere, ne admittantur, si praestare possunt.* num. 157. pag. 149: *Universa theologorum schola tenet et est certum ac de fide, quemcunque principem Christianum, si a catholica Romana religione manifeste deflexerit et alios avocare voluerit, excidere statim omni potestate et dignitate, ex ipsa vi juris divini et humani, hocque et ante omnem sententiam pontificis ac judicis contra ipsum prolatam et subditos quoscunque liberos esse ab omni obligatione juramenti, quod de obedientia praestitissent, posseque et debere hujusmodi hominem tanquam apostatam et haereticum ex dominatu ejicere, ne alios inficiat.* Ceterum quod verbis docent, id etiam in praxi demonstrarunt. De monacho illo Jacobo Clemente, qui Henrico III. Galliae regi insidias vitae sic struxit, sic memorant annales Gallici in linguam
XII. 84. Germanicam translati Mumpelgart. part. 2. p. 349: *Saepius conversabatur cum Jesuitis, qui peculiarem locum in paradiso ipsi pollicebantur, si forsan propter hoc facinus martyrio coronaretur.* Auctor de jure belli Belg. testatur, *quod Jesuitae Clementem illum minime omnium clementem regicidam, alterum Aod regis Moabitici interfectorem nominarint ac horribile illud scelus specioso titulo ictum de coelo datum* appellarint. Homicida ipse et latro regii capitis in numerum sanctorum relatus, illius affines et propinqui e pulvere et sordibus educti ad honores cardinalitios provecti sunt. Johanni Castellano, qui Henrici IV. regis Galliae vitae insidias struxerat, in locum aedium paternarum destructarum anno 1597. pyramis erecta est, in qua haec habentur, quod *malis magistris et schola impia sotericum* usus. In Aresto curiae Parisiensis contra eundem Castellanum Jesuitae vocantur *corruptores juventutis, publicae tranquillitatis perturbatores, regis et regni hostes.* Wolffius in lect. memorabil. cent. 16. anno 1597. p. 1048. ex scripto quodam Germanico de occultis Jesuitarum virtutibus commemorat, *quod Philippum regem Hispaniarum eo compulerint, ut suum tunc unicum superstitem filium, qui super Belgio propter saevissimam in eo exercitam tyrannidem singulari commiseratione ducebatur et intime condolebat, interfici pateretur. Cumque regia ejus majestas ex paterno, innato et radicitus inhaerente amoris affectu super filio suo neci tradendo ingenti dolore ac moerore conficeretur, judicium inde fecerunt, ipsum quoque patrem Lutheranae, ut vocant, haereseos contagio infectum esse, regemque eo pertraxerunt, ut venam sibi in fronte incidi pateretur, quo haereticus ille sanguis hoc modo e regia ejus majestate exsorberetur, nec amplius afflueret et adaugeretur. Eodem modo in Maximilianum Romanum regem laudatissimi imperatoris Ferdinandi filium constituerant. Procul dubio enim adhuc in caesareae majestatis aula manifestum et cognitum est, quod post discessum ex hac vita caesareae quondam majestatis honorificentissimae memoriae Ferdinandi ejusdem carissimus filius, haeres et electus Romanus imperator Maximilianus in sui domini parentis beatissimae memoriae relictis secretioribus literis et monumentis epistolam invenerit, a quodam Jesuita Petro Canisio ad suum dominum parentem datam, in qua inter alia et haec referuntur, se* (Canisium) *certo exploratum habere, Maximilianum filium Lutheranis vel Augustanis confessoribus se addicere constituisse. Quoniam igitur hoc modo catholica Romana ecclesia (quam vocat) in periculum et magnum detrimentum incidere possit, suum esse consilium, ut caesarea majestas mature imminenti huic malo remedium paret et vel filium severiter in melius emendet, vel omnino e regni finibus in exilium propulset. Haec modo memorata epistola a caesare Maximiliano praedicto Jesuitae praemonstrata fuit, is ad propriae manus subscriptionem dignoscendam serio commonefactus est, postea praemissa quaestione, quid is, qui inter patrem et filium, praesertim tantae dignitatis personas, tanta dissidia suscitet, commeruerit, eidem praelecta.* Turco-Papismus lib. 1. c. 8. p. 59. enumerat complures sicarios, qui a Jesuitis subornati ac persuasi reginae Angliae Elisabethae vitae insidias struxerint. Vide plura hujusmodi exempla in centenariis Wolffi et in catechismo Jesuitico. *6. Avaritiae.* Johannes Passeratius in praefatione libri de ridiculis scribit, *vix quenquam sibi illud persuadere posse, quod Jesuitae gratis doceant, qui eos bene noverit. Testes* (inquit) *honestissimae amplissimaeque familiae, quarum sanguinem pro exiguo minervali istae hirudines exsorbuerint. Testis immanis* XII. 85.
eorum census, qui cum regum ac principum opibus certare possit. Ibidem paulo ante vocat illos *Harpyias* et addit: *Meminisse debemus, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi quam Scythae nova gratuitae doctrinae professione vulgo commendati huc irrepserint et ἀέκητι θεῶν in academiae* (Parisiensis) *parte consederint, quibus artibus inhiantes locupletum fortunis divites orbos vel coelibes deliros senes, superstitiosas mulierculas et adolescentes imperitos deceperint et velut Circaeo poculo repente immutarint, ut religionis specie, quam inexplebili avaritiae suisque fraudibus obtendunt, equum Trojanum paulatim introduxerint* etc. Vovent quidem

Digitized by Google

paupertatem cum reliquis monachis, sed hac conditione, ut quamdiu maneant in voto simplice, quod vocant, divitias hujus mundi possidere et hereditate acquirere possint in linea directa et collaterali, unde votum hoc a Navarro juris canonici interprete nominatur *magnum et mirabile*, quippe quod divitias et paupertatem in unum subjectum compingere possit, qua de re disserit Montaignes in defens. verit. contra Anton. Arnold. c. 5. Atque inde est, quod Sorbona Parisiensis in censura de diplomatibus et privilegiis a Paulo III. et Julio III. pontificibus huic ordini concessis anno 1554. durum contra illos profert judicium, inter cetera enim sic loquuntur: *Haec nova societas insolitam nominis Jesu appellationem sibi vendicans tam licenter et sine delectu quaslibet personas, quantumlibet facinorosas, illegitimas et infames admittens, nullam a sacerdotibus secularibus habens differentiam in habitu exteriore, in tonsura, in horis canonicis privatim dicendis aut publice in templo decantandis, in claustris et silentio, in delectu ciborum et dierum, in jejuniis et aliis variis ceremoniis, quibus status religionum distinguuntur et conservantur, tam multis tamque variis privilegiis, indultis et libertatibus donata, praesertim in administratione sacramenti, poenitentiae et eucharistiae, idque sine discrimine locorum aut personarum, in officio etiam praedicandi, legendi et docendi, in praejudicium ordinariorum et hierarchiae ordinis, in praejudicium quoque aliarum religionum, imo etiam principum et dominorum temporalium, contra privilegia universitatum, denique in magnum populi gravamen, religionis monasticae honestatem violare videtur, studiosum, pium et necessarium virtutum, abstinentiarum et austeritatis enervat exercitium, imo occasionem dat libere apostatandi ab aliis religionibus, debitam ordinariis subjectionem et obedientiam subtrahit, dominos tam temporales quam ecclesiasticos suis juribus injuste privat, perturbationem in utraque politia, multas in populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, aemulationes, rebelliones variaque schismata inducit. Itaque his omnibus atque aliis diligenter examinatis et perpensis haec societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis ecclesiae perturbativa, monasticae religionis eversiva et magis ad destructionem quam ad aedificationem* etc.

Sanctitas Pontificiae plebis.

268. Quod ad promiscuum vulgus in regno papali attinet, illud cum a Scripturae sacrae lectione arceatur, in concionibus vero, quae plerisque in locis rarissimae habentur, fabulas, superstitiones et traditiones loco verbi coelestis audiat, inde mirum non est, pro pietate superstitionem, pro notitia veri Dei crassam ignorantiam, pro vero Dei cultu ἐθελοθρησκείας ubique dominari. Episcopus Bitontinus in oratione coram Tridentini concilii patribus habita inter cetera sic loquitur: *Quibus turpitudinum monstris, qua sordium colluvie, qua peste non sunt foedati, non corrupti in ecclesia Dei sancta et populus et sacerdos?* etc. *Quid mirum, si inde* (propter negligentiam et impietatem pastorum) *et dispersae sunt oves et errarunt in cunctis montibus et agris, et potentiores quidem ab auctoritate in dominium, a dominio in tyrannidem, a jure in injuriam, a sceptro in virgam ferream, a Dei cultu ad impietatem, a tutela ecclesiae ad internecionem, a modo ad libidinem, a ratione ad nutum, a tributis ad importabilia onera, a pace ad bella crudelia, a* XII. 86. *simplicitate ad dolos, a prudentia ad malitiam, a liberalitate ad luxum, a parsimonia ad avaritiam, ab ornatu ad pompam, ab obedientia ad apertam rebellionem conversa sunt? Utinam non a religione ad superstitionem, a fide ad infidelitatem, a Christo ad Antichristum, quin a Deo ad Epicurum vel ad Pythagoram velut prorsus inanimes declinassent; dicentes in corde impio et in ore impudico, Non est Deus* etc. ** Bellarminus in conc. de lumine fidei, de Catholicorum tum laicorum tum sacerdotum impietate tempore Lutheri passim grassante sic conqueritur: *Erant mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi, sacramenta, religio, disciplina ecclesiastica contemnebantur et regnabant omnia genera vitiorum.* Vid. ib. plura in hanc sententiam.** Claudius Espencaeus in comment 1. Tim. p. 374. ex Bernhardo hanc repetit querelam: *Vae vae generationi huic! totum corpus ecclesiae laborat, quo latius, eo desperatius serpit hodie putida tabes hypocriseos per totum corpus ecclesiae; nunc impletur illud Esaiae: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Franciscus Lambertus in praefat. libri de conjugio: *Ego in inclyta Galliarum Avenione natus et in palatio ejus saepe versatus, quod genitor meus legationis ejus, quae apud eandem civitatem est et palatii, ut vocant, apostolici secretarius esset, novi sanctitatem regni ejus, id est impietates et horrendissima simul atque nefandissima scelera, tametsi ab eorum multitudine fateor victum, quod tam multa atque enormia sint, ut vix unquam ea recitare possim.* Forte vero major sanctitas in Italia ob vicinam Romani praesulis sedem? imo vero contrarium testatur Machiavellus lib. 1. comment. c. 17: *Quanquam* (inquit) *Italia omnium Christiani nominis provinciarum ecclesiae Romanae maxime finitima sit, nulla tamen est, quae minus religionis habeat, quoniam sanctissima illa Romana curia perpetuas ibi factiones et discordias serit.* Bodinus de daemonoman. refert, *Trescalem insignem magum sibi dixisse, in uno quodam regno ecclesiae Romanae addicto esse supra centum millia magorum.* Sed quid camarinam hanc diutius movemus? Dies Domini revelabit, quanta flagitia, quantasve impuritates vel unica illa lex papalis de perpetuo coelibatu a sacerdotibus, monachis et monialibus servando in ecclesiam Romanam introduxerit.

An vitae sanctitas sit in evangelicis ecclesiis.

269. *Membrum tertium.* Num vitae sanctitas a doctoribus et auditoribus in ecclesiis evangelicis exsulet? Bellarminus illud demonstraturus et Lutherum et Lutheranos acriter perstringit. De Luthero scribit *1. quod ex mera invidia et ambitione papatum oppugnare coeperit, aegre enim ipsum tulisse, quod munus promulgandarum indulgentiarum a sui*

Digitized by Google

ordinis monachis ad monachos ordinis praedicatorum fuerit translatum, cujus rei testem citat Cochlaeum in actis Lutheri. ** Erasmus in epist. contra pseudoevangel.: *Profer mihi, quem istud evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores. Quis unquam vidit in illorum concionibus quemquam pro suis peccatis fundentem lacrimas, tundentem pectus aut ingemiscentem? circumspice mihi sodalitatem istam evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames.* Allegat et laudat Gretserus in comm. de duobus nummis p. 57. Cornel. a Lapide in 2. Petr. 2. Bellarminus lib. 1. de indulg. c. 1: *Martinus Lutherus, qui nostro seculo ab indulgentiarum reprehensione principium fecit sectae suae propagandae, ut perspicuum est, ex resolut. de indulg. ex assert. artic. a Leone X. damnatorum, ex initio libri de captiv. Babylon. et aliis ejus libellis.* ** Respondemus: ** Lutherus diligentissime munere suo functus est, tota ipsius vita non in otio fuit consumta, quod fieri solet apud Pontificios etiam eos, qui inter religiosos sanctissimi habentur, sed in docendo, praedicando, consolando, in ecclesia pie instituenda et gubernanda aliisque suae vocationis muneribus, id quod historia vitae et opera in publicum edita testantur. ** Mendacem Cochlaeum redarguit Guicciardinus in histor. sic scribens: *Luthero occasionem dederunt indulgentiae nimis licenter concessae a pontificibus, quae quia pecuniae tantum a mortalibus exigendae gratia concedi notum erat, magnam*
XII. 87. *turbam excitarunt et quandoquidem in se ipsis, quae damnari poterant, non correxerunt, qui pontifici adhaerebant, ignem flatu accendebant, et ut homines natura ad vehementia medicamenta adhibenda sunt proni, quod dissimulatione dissolvi potuisset, rigor et minae perdiderunt.* Idem testatur Jac. Augustus Thuanus libro 1. histor. anno 1515: *Peccatum* (inquit) *in sacris muneribus dispensandis admissum Leo X. pontifex mox longe graviore cumulavit. Nam cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii cardinalis hominis turbidi impulsu, ut pecuniam ad immensos sumtus undique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam aeternam pollicitus est constituto pretio, quod quisque pro peccati gravitate dependeret, in eamque rem per provincias quaestores et aeraria ordinavit, quibus additi praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent et orationibus artificiose compositis propositisque palam libellis rei efficaciam immoderate extollerent, quod licentiose nimis a Pontificiis ministris passim atque in Germania praecipue fiebat, ubi qui redimendam pecuniam Romae a pontifice conduxerant, per lustra et popinas quotidie sine pudore in aleae lusum ususque turpissimos potestatem extrahendi animas functorum ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus Witebergensis in Saxonia theologiam professus, qui refutatis primum, mox damnatis praeconum concionibus eo postremo devenit, ut ipsam pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret ac tandem ad doctrinae examen, quam successu temporis labefactatam dicebat, crescentibus per contentionem animis descenderet.* Haec Guicciardinus et Thuanus cum Sleidani relatione, adeoque cum historiae veritate exacte consentientes. Nequaquam igitur invidia vel ambitio Lutheri, sed avaritia pontificis et impudentia Tetzelii primam hisce motibus causam dederunt, is enim indulgentiarum praeco et aeruscator a suo pontifice constitutus impudentissime praedicabat, *nullum esse tam magnum peccatum, etiamsi quis per impossibile matrem Dei constuprasset, quin per indulgentias solvi possit; animas de purgatorio statim evolare, ubi auditus fuerit sonus pecuniae in cistam conjectae; nolle se de potiore loco in regno coelorum cum Petro optionem inire cum suis indulgentiis, cum plures ab interitu animas redemerit quam Petrus evangelii sui praedicatione.* ** Notari hic illud Augustini lib. 3. contra Petilian. c. 10. potest: Inimico detrahenti non credendum. Lutherus tom. 6. f. 315. a: Also gehet mirs, wer unter dem Papst kann aus dem Luther den ärgsten Rottengeist machen, so die Sonne beschienen hat, der hat es getroffen. Wiederum wer mich unter den Rottengeistern kann zweifältigen Papisten und ärger weder den Papst machen, der kann nicht fehlen. Tom. 2. Jenens. fol. 149. b. im Buche wider den König von England: Der Schwindelgeist führet ihn, daß er mein Leben strafet, das ich selbst noch nicht habe für heilig ausgegeben. Ueber das 11. Cap. Matth.: Es ist Alles ums Wort zu thun, weil sie das nicht können leiden, so hängen sie sich an unser Leben, das können sie kehren wie sie wollen nach ihrem giftigen Herzen. Tom. 4. Jenens. Lat. fol. 319. b: Ich mache mich nicht zu einem Heiligen, auch disputire ich nichts von meinem Leben, sondern von der Lehre Christi, sagte er, weil ich vor kaiserl. Majestät und Ständen des Reichs zu Worms tom. 1. Jenens. f. 443. ** Saniori igitur quam Bellarminus judicio scribit Cassander in consult. art. 14. sub fin. pag. 102: *Accusandi sunt nostri* (pontifices), *qui inani titulo inflati eoque ad dominatum abutentes hominibus non malis huic ecclesiastico ordini detrahendi et ab eo deficiendi occasionem dederunt.* Idem art. 7. de ecclesia p. 52: *Non negarim, multos initio pio studio ad acriorem reprehensionem quorundam manifestorum abusuum impulsos fuisse, et praecipuam causam hujus calamitatis et distractionis ecclesiae illis assignandam* (NB.), *qui inani quodam fastu ecclesiasticae potestatis inflati recte et modeste admonentes superbe et fastidiose contemserunt et repulerunt. Quare nullam ecclesiae firmam pacem sperandam puto, nisi ab iis initium fiat, qui distractionis causam dederunt, hoc est ut ii, qui ecclesiasticae gubernationi praesunt, de nimio rigore*

Digitized by Google

XII. 88. *aliquid remittant et ecclesiae paci aliquid concedant ac multorum piorum votis et monitis obsequentes manifestos abusus ad regulam divinarum literarum et veteris ecclesiae, a qua deflexerunt, corrigant. 2. Quod in disputatione cum Eccio habita Lipsiae anno 1519. exclamaverit: Haec causa nec propter Deum coepta est, nec propter Deum finietur, teste eodem Cochlaeo in actis.* Respondemus: hanc calumniam ab Emsero mutuatam Lutherus ipse verbis perspicuis et nervosis diluit in responso ad Emserum anno 1521. tom. 1. Jen. Germ. f. 404: Er, der Emser, hat nun zweimal lassen drucken, lateinisch und deutsch, und sonst hin und her geplaudert, wie ich soll gesagt haben: Ich habe das Spiel nicht in Gottes Namen angefangen, es soll auch nicht in Gottes Namen ausgehen. Was sollte er thun, wenn er etwas gründlich von mir wüßte? Wie sollte alsdann seine christliche Liebe, der er sich rühmete, gegen mich brennen, so er in diesen giftigen, selbsterdachten, unverschämten Lügen so unruhig ist? 2c. Postea recitat verborum illorum occasionem et intentionem: Es ist geschehen zu Leipzig auf dem Schloß in der Kanzlei, da durch die Eckische Praktika gehandelt ward von der Disputation nach seinem Vortheil und meinem Nachtheil, und wir sahen, daß die Ehre ward mehr denn die Wahrheit gesuchet von dem Widerpart, und ich bis zu der Zeit gehoffet, sie hätten es in Gottes Namen, wie ich, angefangen. Da sprach ich mit kläglichen Worten und betrübtem Gemüth: Das Ding ist nicht in Gottes Namen angefangen, es wird auch nicht in Gottes Namen ausgehen 2c. Tandem concludit: Also haben meine Worte nicht auf mich, sondern auf Eck, der die Disputation angefangen, und die Leipziger Theologen gelautet, welche mir Emser verkehret auf jüdische Art 2c. Fol. 415. ejusd. libri: Wenn ich gleich so besessen wäre, da Gott für sei, daß ich noch sagte, ich hätte es nicht in Gottes Namen angefangen, was fichtest du darwider, dieweil du ausschreiest, du wollest nur meine Lehre antasten. Vide ibi plura. ** Citant multa ex colloquiis mensalibus, sed de his nota ipsius Lutheri judicium part. 2. postill. domest. domin. Jubilate f. 34. b: In St. Augustini Büchern findet man viele Sprüche, die Fleisch und Blut geredet haben, und ich muß auch von mir bekennen, daß ich viele Worte rede, welche nicht Gottes Worte sind, wenn ich rede außerhalb dem Predigtamt, daheim über Tische und sonst.** Possent huc referri 600 loca, in quibus Lutherus expresse provocat ad Dei mandatum, honorem, protectionem etc. Tom. 2. Jen. G. wider den falschgenannten Stand der Geistlichen f. 107: Ich bin gewiß, daß mein Wort und Anfang aus Gott sei, daß meine Lehre nicht mein, sondern Christi ist. Tom. 5. in der Glossa aufs vermeinete kaiserliche Edict p. 321: St. Johannes Huß hat von mir geweissaget, da er aus dem Gefängniß im Böhmerland schrieb, sie werden jetzt eine Gans braten, denn Huß heißt eine Gans, aber über hundert Jahre werden sie einen Schwan singen hören, den sollen sie leiden, da solls auch dabei bleiben, ob Gott will. *3. Quod in epistola ad Argentoratenses dicat, se libenter negaturum fuisse, in eucharistia esse verum Christi corpus, si Scripturae non essent tam clarae, quia ea ratione videret, se multum papatui posse incommodare.* Respondemus: arguit hoc reverentiam debitam erga Scripturam et odium debitum adversus Antichristi regnum. *4. Quod in libro contra regem Angliae tanta superbia jactitet se et sua, ut dicat reges, principes, pontifices* etc. *non esse dignos, qui solvant suorum calceamentorum corrigiam et se pro sancto viro haberi velle, velint, nolint homines, se non magni facere mille Cyprianos et mille Augustinos.* Respondemus: non de sua persona, sed de doctrina loquitur, ac de illius certitudine sese firmissime persuasum esse non ex carnali praesumtione, sed ex fidei παῤῥησίᾳ pronuntiat, unde ad unicum Dei verbum provocat, cui omnia omnium patrum scripta omnino subjicienda sunt. Sic enim habent ipsius verba: Meiner Lehre halben bin ich dem Teufel, Kaiser, König, Fürsten und aller Welt
viel, viel, viel zu stolz, steif und hoffährtig, aber mei- XII. 89.
nes Lebens halben bin ich auch einem jeglichen Kinde demüthig und unterworfen. ** In comitiis Wormatiensibus hos gemitus protulit et ingeminavit: O du mein Gott, du mein Gott, stehe mir bei wider aller Welt Vernunft und Weisheit. Thue du es, du mußt es thun, du allein; ist es doch nicht meine, sondern deine Sache, habe ich doch für meine Person allhier nichts zu schaffen und mit diesen großen Herren der Welt zu thun, wollte ich doch auch wohl gute, geruhige Tage haben und unverworren sein, aber dein ist die Sache. Tom. 2. Germ. Jen. in admon. ad omnes Christianos ut sibi caveant a seditione p. 71: Es ist nicht möglich, daß ein Mensch sollte ein solch Wesen anfachen und führen, es ist auch ohne mein Bedenken und Rathschlag so ferne kommen, es soll auch ohne meinen Rath wohl hinaus gehen und die Pforten der Hölle sollens nicht hindern. Ein anderer Mann ists, der das Rädchen treibet. Ad ἔγκλημα de fastu ac superbia respondet ipse Lutherus tom. 1. Jenens. Germ. f. 363. a. ac tom. 3. f. 332. a. tom. 1. Germ. Jenens. f. 363. a: Meine Person taste an, wer da will und wie er will, ich gebe mich für keinen Engel aus; aber meine Lehre, dieweil ich weiß, daß sie nicht mein, sondern Gottes ist, will ich Niemand unverantwortet lassen antasten. Ich achte aber, man soll es meinen Wittenbergern, die mein Wesen täglich sehen und mit mir umgehen, mehr glauben, denn dem abwesenden Lügner Emser.** *5. Quod in libro de missa angulari dicat, se a diabolo doctum, quod missa esset res mala, ac rationibus diaboli convictum abolevisse missam, ut scilicet ostenderet patrem suum esse eum, qui est rex super omnes filios superbiae.* Idem repetit Becanus lib. 3. de ecclesia qu. 3. concl. 11. num. 129: *Lutherus* (inquit) *a diabolo accepit suam doctrinam de abroganda missa.* Respondemus: videatur hac de re scriptum Dn. D. Balduini amici nostri singularis contra Jesuitam Serarium de Lutheri magistro editum, in quo haec διαβολὴ penitus obteritur atque contunditur. **Tom. 6. fol. 87. Jen. Germ. in libro de missa an-

Digitized by Google

gulari et unctione sacerdot. anno 1553. Diabolus non apparuit Luthero in illa synaxi αὐτοπροσώπως nec cum ipso locutus est αὐτοφώνως, quia Lutherus descriptionem illius historiae sic exorditur: *nisi in corde meo diabolus istam disputationem incipiebat.* ** Lutherus nequaquam hoc fine disputationem illam cum diabolo habitam consignavit, ac si diabolum in abrogatione missae privatae praeceptorem agnosceret, siquidem jam ante ex verbo Dei cognoverat, quid in missa privata cum Christi institutione pugnet, sed ut suo exemplo comprobatum daret, quam lubrico nitantur papales illae rationes fundamento et quam omnino non possit illis mens Christiana in tentationibus acquiescere, quas pro stabilienda missa privata in medium afferre solent. Hunc esse scopum illius narrationis, integer contextus docet. Ecquid igitur in Luthero ob istam narrationem damnant? Num colloquium cum diabolo? Atqui pontifices quidam non solum cum diabolo colloquium instituerunt, quod in se ac per se damnari nequit, sed etiam pactum cum illo inierunt, quod est plane damnabile. ** Polyd. Virgilius lib. 6. c. 9. *festi omnium animarum occasionem et originem ad diabolos lamentantes* refert, *quibus mendacibus spiritibus Odilo abbas Cluniacensis credens id festum instituit* anno 1002. ut Petrus Damianus et Durandus lib. 7. c. 35. testantur. Si Pontificii desiderant exempla eorum, qui cum diabolo familiaritatem habuerunt, non opus est, ut apud nostros ea quaerant, cum domi abunde eis suppetat. Legantur historiae de Sylvestro II. Benedicto VIII. Gregorio VII. Hildebrando antea dicto etc. ** Christus ipse in suis tentationibus cum diabolo collocutus est Matth. 4, v. 4. 7. 10. Num illud damnant, quod Lutherus diabolo mendaci fidem habuit? Atqui licet diabolus sit mendax et *pater mendacii*, tamen quaedam vera profert, ut quando Christum vocat *filium Altissimi* Luc. 8, v. 28. Sic quando diabolus ad desperationem homines solicitare conatur, objicit eis illud, quod est certissimae veritatis, videlicet quod sint peccatores ac suis peccatis iram Dei et aeternam damnationem promeriti, qua de re in eod. lib. sic scribit Lutherus: *Diabolus est mendax, cujus mendacia callidiora sunt et instructiora, quam animus humanus assequi possit. Sic adoritur, ut semper arripiat aliquam solidam veritatem, quae negari non potest; adeo speciose fucat suum mendacium, ut fallat cautissimos; talis est cogitatio illa, quae Judae cor percussit; tradidi sanguinem justum, hoc*
XII. 90. *Judas negare non potuit, sed hoc erat mendacium, quod desperandum sit de gratia Dei. Ergo non mentitur Satan cum accusat, ibi enim habet duos inconvincibiles testes graves, legem Dei et nostram conscientiam*, etc. Hoc ergo propositum fuit diabolo Lutherum ad desperationem solicitare, ad quem finem obtinendum assumsit id, quod erat certissimae veritatis, videlicet missam esse idololatricam, ideoque Lutherum gravissime peccasse tot missas privatas celebrando, ubi nec potuit, nec debuit Lutherus negare, quod a diabolo tanquam certum praesupponebatur, id enim ipsemet ex verbo Dei et ex institutione coenae Dominicae cognitum habebat, sed consequentiam negavit ac negare etiam debuit, quod scilicet propterea desperandum sit, sic enim loco dicto subjungit: *Non possum negare, me peccasse, sed ibi mentitur Satan, quod ultra urget, ut desperem. Confessus quidem sum coram diabolo, me peccasse ut Judam, sed verto me ad Christum cum Petro, Christum invoco, in Christum credo, qui meum peccatum delevit per sanguinem suum.* Num illud in Luthero damnant, quod diabolo missam oppugnanti non fuerit reluctatus, cum non sit verisimile, oppugnari aliquid a diabolo, quod est idololatricum? Atqui diabolus ut tortuosus serpens missam modo oppugnat, modo ad eam hortatur. Refert enim Delrius ex Surio lib. 4. de magia c. 1. q. 3. §. 5. *diabolum aliquando in specie angelica cuidam abbati apparuisse eumque hortatum fuisse, ut missam celebraret.* Ergo ex diaboli vel approbatione, vel oppugnatione de missa nihil certi potest statui, sed ex verbo Dei, cum quo exactissime consentiunt argumenta, quibus in corde Lutheri diabolus eam oppugnavit, licet fine pessimo, videlicet ut Lutherum ad desperationem solicitaret. ** Tilmannus Pontificius et ex eo Fornerus contra conc. jubil. Norinb. referunt, *Maximilianum I. vidisse cacodaemonem forma corporea Lutheri humeris insidentem.* Respondemus: 1. ipsimet addunt, *baronem pincernam a Maximiliano vocatum, ut adspiceret diligentissime Lutherum, quod et factum, ipsum vero nihil vidisse nisi monachum cuculla indutum.* 2. An verisimile est, Lutherum Augustae Vindelicorum, cum comitia celebrarentur anno 1518. spectatum venisse, quomodo Maximilianus patentibus valvis pranderet? 3. Literae Maximiliani ad Leonem X. quae tom. 1. f. 99. et 109. tom. 5. f. 112. b. exstant contrarium testantur. Confer Matthesium conc. 2. de Luth. f. 14. a. 4. Diabolus stat in medio filiorum Dei Job. 1, v. 6. stat ad dextram sacerdotis, ut adversetur ei Zach. 3, v. 1. duxit Christum in pinnaculum templi. ** *6. Quod referente Conr. Gesnero et Tigurinis ministris fuerit homo contentiosus, pertinax, vehementis ingenii, impatiens et qui nisi per omnia sibi consentientes ferre non possit.* ** Sub calcem histor. eccles. Theodoreti retulerunt catalogum caesarum, episcoporum, haereticorum etc. in quo sub tit. Chrysostomi p. 433. de ipso commemoratur, *quod fuerit immitis et asperae cujusdam libertatis, erga omnes insultator et iracundus; item, quod tam libere in Augustum invehi solitus fuerit ut maledicus haberetur, quod severitatis odiosae fuerit, quod pertinacia ejus reprehendatur.* Sed additur: *Profecto illorum quoque temporum vitia secari atque uri, non levibus medelis curari voluere.* Idem de pertinacia et severitate Luthero objecta respondemus. Fornerus et alii ex Pontificiis tribuunt Luthero, *quod rusticorum seditionem excitaverit.* Contrarium testatur Sleidanus lib. 4. hist. p. 107. lib. 5. p. 117. Vide ipsummet Lutherum tom. 3. Jen. Germ. f. 102. 104. b. 105. b. 108.

Digitized by Google

113. b. 114. b. 115. 134. b. tom. 6. fol. 6. tom. 1. Isleb. f. 277.** Campianus Pistorius Ungersdorffius et reliqui calumniatores addunt, *quod fuerit meribibulus, incestuosus* etc. Becanus lib. de ecclesia qu. 3. concl. 10. num. 105. quod fuerit *infamis;* concl. 11. num. 126. quod *concesserit libidines.* Respondemus: imo vero quidam ex ipsis Pontificiis juratis licet hostibus vitam ipsius probarunt. Erasmus in epistola ad Thomam cardinalem Eboracensem lib. 11. epistol. 1: *Hominis* (Lutheri) *vita magno omnium consensu probatur, jam id non leve praejudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Idem in epistola ad cardin. Moguntinum lib. 12. epistol. p. 421: *Si illi faverem ut viro bono, quod fatentur et hostes, quae esset invidia?* Roffensis art. 34. adv. Luth. adducit piam Lutheri admonitionem: *Quanto rectius faceremus, si primum orationibus, imo totius vitae mutata*
XII. 91. *ratione Deum propitium faceremus?* et subjungit: *Nemo qui sapit, tuae* (Luthere) *sententiae refragabitur.* Ostendimus autem alibi, videlicet in praefatione libro D. Johan. Fabri, qui continet refutationem papistici discursus etc. praefixa, quod calumniis in Lutherum et ipsius scripta projectis adversus ecclesiarum nostrarum doctrinam parum proficiatur: 1. quia scriptores papistici, qui vivente adhuc Luthero in certamen cum ipso descenderunt, nihil tale de ipso memorant, non praetermissuri illud, si quid veritatis calumniis illis subesset. 2. Quia auditores suos a lectione librorum Lutheri arcent, cur igitur tam atroces accusationes ipsi intentant, cui omnia pro se respondendi media in animis auditorum denegant? *Si accusasse sufficit, quis innocens erit?* 3. Quia ex propriis ipsorum historicis constat, qualiter plerique pontifices seculis posterioribus vixerint, cum quorum flagitiis si comparentur ea, quae Luthero tribuunt, ludum ac jocum dixeris. 4. Quia Lutherum nec pro apostolo immediate vocato, nec pro pontifice infallibilitatis dono instructo habemus, sed pro salutari et electo organo, quo Deus ad reformationem doctrinae et revelationem Antichristi usus est. 5. Quia multa in ecclesiam bona Deus per Lutherum contulit, quo minus dubitamus, ipsum ut Spiritus sancti organum et salutaria scripsisse et pie vitam egisse, cujus rei testes αὐτόπται Philippus, Mathesius, Justus Jonas et alii luculentum ipsi ferunt testimonium.

Bellarmini judicium de Lutheranis doctoribus et auditoribus.

270. A Luthero progreditur Bellarminus ad *Lutheranos,* quos in doctores atque auditores dispescit. *De doctoribus* pronuntiat, *quod si ex ipsorum libris jactationes, mendacia, scommata, maledicta et convitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici possent;* de *auditoribus* expresse asserit, quod *inter illos nullus sit bonus,* quo fine affert testimonia Lutheri, Andr. Musculi, Jacobi Andreae et Erasmi, quibus *de corruptelis vitae ac morum* in ecclesiis evangelicis conqueruntur. ** (Sunt vero paternae pastorum querelae non Rhadamantheae judicum sententiae. Eaedem querelae de suis auditoribus occurrunt apud prophetas. Jerem. 5, v. 1: *Circumite vias Jerusalem et adspicite et considerate et quaerite in plateis, an inveniatis virum facientem judicium et quaerentem fidem et propitius ei ero* etc. Es. 53, v. 1: *Domine quis credidit auditui nostro?)*** Eadem testimonia Lutheri et Musculi repetit Becanus lib. de ecclesia quaest. 3. concl. 2. num. 8. Respondemus: 1. utrius partis scripta magis scateant convitiis et maledictis, omnium pie eruditorum judicio committimus, res ipsa manifeste ostendit Cochlaeum, Surium, Pistorium etc. in convitiandi arte facile primas tenere. 2. An vero posset gravius convitium dici quam quod Bellarminus hoc loco eructat, *nullum inter nos esse bonum?* ** Repetit tamen Jac. Reihingus in muris civit. sanctae fund. 8. p. 204: *Ecclesia catholica multos malos, sed et innumerabiles bonos et multos illustres sanctos habet, vestra ecclesia malos sine numero, nullum sanctum habet.* Costerus in enchir. c. 2. p. 105: *Haeretici sanctum neminem vel habent vel habuerunt, neque quenquam ad coelos praemiserunt.*** Quid vero fiet de baptizatis infantibus in nostra ecclesia, num et illi non sunt boni? Atqui si legitimus in nostra ecclesia administratur baptismus, quod ipsimet Pontificii agnoscunt ac fatentur, utique Spiritus sanctus per illum in cordibus infantum ad regenerationem ac renovationem efficax est, adeoque bonos illos efficit. **Ipsi Jesuitae alibi testimonium bonitatis Protestantibus praebent. Costerus in enchir. c. 2. p. 201: *Edunt illi moralia nonnunquam bona, largiuntur eleemosynas, xenodochia erigunt, moderate eorum quidam vivunt, a conviciis et juramentis abstinent.* Maldonatus in Matth. 7, v. 15: *Nihil in eorum ore nisi Pater noster coelestis, nisi Christus, nisi fides, juramentum inauditum, nihil in eorum factis nisi eleemosyna, nisi temperantia, nisi modestia.* * Sandaeus in castigat. de prodig. Jes. liberal.: *Multi Protestantium probitatis nonnihil habent, quandoque boni civis officia exsequuntur, moralia quaedam opera non mala exercent.*** 3. Verbum Dei ab omnibus corruptelis et superstitionibus humanis repurgatum auditoribus nostris proponimus, fieri ergo nequit, ut in quorundam cordibus non ferat fructum, Esaiae 55, v. 10: *Quo-* XII. 92.
modo descendit imber et nix de coelo et illic ultra non revertitur nisi inebriaverit terram et foecundat eam et germinare eam facit etc.; v. 11. *sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.* Legem Dei omnis sanctitatis ac pietatis normam sincere docemus et auditoribus inculcamus, ut ad agnitionem peccatorum perducti et fide Christi beneficia amplexi juxta normam legis bona opera proferant. Docemus, veram et salvificam fidem non esse otiosam, sed in studio bonorum operum efficacem, ac proinde ubi opera non apparent extra, ibi veram fidem non esse intra; docemus, per peccata contra conscientiam a renatis excuti Spiritum sanctum et fidem salvificam; proponimus auditoribus nostris gravissimas et urgentissimas causas, propter quas bona opera necessario facienda sint, videlicet propter Deum, propter

Digitized by Google

proximum et propter nos ipsos; hortamur auditores nostros, ut carnem cum concupiscentiis suis mortificent, veterem Adamum crucifigant, adeoque cum timore ac tremore salutem operentur. Fieri igitur nequit, quin per haec media Spiritus sanctus in aliquorum cordibus sit efficax ad veram sanctitatem. ** Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 223: *Tum salutis omnium causa mortem oppetebant, nunc autem pastores ovibus mortem inferunt, non corpora jugulantes (levius hoc malum esset), verum animis offensionem afferentes; tum jejuniis corpus castigabant, nunc autem ut luxu et deliciis exsultent, efficiunt; tum bona sua egentibus distribuebant, nunc autem pauperum bona in rem suam vertunt; tum virtutem colebant, nunc virtutis cultores proscribunt et eliminant; tum castitatem mirificis laudibus, nunc autem —, sed nihil molesti dicere volo.* ** 4. Interim non negamus, multos doctrina evangelii ad securitatem carnalem pessime abuti inque cursu scelerum esse admodum strenuos, sed haec querela de quorundam auditorum perversitate nobis communis est cum Christo, patriarchis, prophetis et apostolis, qui et ipsi saepius conqueruntur, quod doctrina ipsorum non fructificaverit apud omnes. De Corinthiis conqueritur apostolus, quod *audiatur inter eos scortatio, qualis nec inter gentes nominetur,* 1. Cor. 5, v. 1. de Chorazin, Bethsaida et Capernaum pronuntiat Christus Matth. 11, v. 20. quod propter contemtum verbi urbium istarum incolae gravius puniendi sint in die judicii quam Tyrii, Sidonii ac Sodomitae. 5. Quemadmodum *prophetae et apostoli saepe reprehendunt universum populum, quasi nemo sit bonus, cum tamen permulti sunt boni* (verba sunt Bellarmini libro 3. de ecclesia capit. 16. §. ad quartum. ex August. lib. de unit. eccles. c. 12. et lib. cont. Donat. post. collationem c. 20.) ** Casp. Sanctius in Act. apost. c. 1. p. 15: *Ex Scripturae consuetudine ubi aliqua in multis fiunt, ab omnibus illa fieri dicuntur; sicut etiam negat, ab aliquo fieri, quae fieri solent ab admodum paucis; quam regulam ibi multis exemplis declarat.* Esai. 1, v. 6: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Ezech. 3, v. 7: *Omnis domus Israël attrita fronte est et duro corde.* Melch. Canus lib. 4. locor. theol. c. ult. §. secundum: *Plerumque ait Augustinus, sermo divinus impias turbas ecclesiae sic redarguit, tanquam omnes tales sint et nullus omnino remanserit.* Augustinus epist. 59. ad Paulinum circa med.: *Scripturae mos est ita loqui de parte tanquam de toto, sicut Corinthios in primis epistolae suae partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum et postea in nonnullis ipsius epistolae locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent propter quosdam, qui tales erant.* Ibid.: *Istam Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quae inter se videntur contraria.* ** Sic doctores in nostris ecclesiis impietatem quorundam auditorum graviter taxant, ex quo tamen inferri nequit, quod nullos bonos inter eos agnoscant, quin imo hoc ipsum arguit gravissimum pietatis zelum in doctoribus, quod in auditorum impietatem tam acriter invehuntur. 6. Quamvis in precibus, eleemosynis et jejuniis nostris nequaquam sectemur externum illum ceremoniarum apparatum, nec coram hominibus ad applausum eorum captandum opera nostra faciamus, qua in parte sequimur praescriptum Christi Matth. 6, v. 1. et seqq. ex eo tamen neglectus exercitiorum pietatis haudquaquam nobis tribui potest, *dies Domini manifestabit, quod in occulto gestum.* ** Sed et apud Pontificios similes exstant XII. 93.
querelae, Bellarminus in conc. de lumine fidei §. At quibus: *Erant mores hominum Christianorum magna ex parte corruptissimi, sacramenta, religio, disciplina ecclesiastica contemnebantur et regnabant omnia genera vitiorum.* Vide ibid. in hanc sententiam plura. Platina in vita Marcellini: *Quid futurum nostra aetate arbitramur, qua vitia nostra eo crevere, ut vix apud Deum misericordiae locum nobis reliquerint? quanta sit avaritia sacerdotum et eorum maxime, qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio et pompa, quanta superbia et desidia, quanta ignoratio tum sui ipsius, tum doctrinae Christianae, quam parva religio et simulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus, quos seculares vocant, non attinet dicere, cum ipsi ita aperte et clam peccent, ac si inde laudem quaererent.* Erasmus in epist. ad Spalatin. apud Scultet. in annal. decad. 1. pag. 58. scribit, *quod tempore Lutheri publica morum corruptela tanta fuerit in Romana ecclesia, cui nemo non fateretur opus fuisse publico remedio.* In epist. ad Barbirium apud eund. p. 92: *Nemo non fatetur, vehementi quadam medicina opus fuisse ecclesiae nimium collapsis moribus.* ** Concludimus igitur verbis apostoli 1. Cor. 4, v. 5: *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.*

SECTIO XI.

DE UNDECIMA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST GLORIA MIRACULORUM.

An miracula sint vera ecclesiae nota.

271. *Membrum primum.* Sintne miracula genuina et infallibilis ecclesiae nota? Negantem sequimur sententiam statuentes, *per miracula non posse probari oracula.* Illud ut evidentius demonstremus, praesupponimus miraculorum divisiones. 1. *Miraculum* voco (scribit Augustinus libr. de util. credend. cap. 6. circa med.), *quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus quam id, quod sensibus ad-*

Digitized by Google

movetur. Haec definitio miraculi est valde generalis, complectitur enim omnia, quae nostram opinionem, spem et exspectationem superant ac proinde pro miraculis habentur, licet non sint miracula proprie
XII. 94. et specifice sic dicta. Subjicit porro Augustinus divisionem suae definitioni. ** Scholastici in definitione miraculi ab Augustino tradita quatuor notant, quae ad hoc requirantur, ut aliquid sit miraculum, quorum duo priora rem miraculi, posteriora vero duo modum respiciunt. Primum est, *ut sit arduum,* non quidem propter rei, quae fit, magnitudinem, quam in miraculis non semper conspici docet Augustinus tract. 24. in Joh. sed propterea quod naturae facultatem excedit. *2. Ut sit insolitum,* non quidem quod raro eveniat, sed quia non sic solet secundum communem naturae cursum fieri. *3. Ut sit supra facultatem naturae*, non quidem tantum vel semper propter substantiam facti, quatenus scilicet illud, quod Deus in natura facit, natura nullo modo potest imitari, sed etiam propter ordinem et modum faciendi. Est autem modus naturae, ut quod facit, faciat in tempore et non in instanti; ordo vero ut faciat quippiam, sed non in quovis subjecto. *4. Ut praeter spem admirantis appareat.* Intellige autem spem naturae, non gratiae, Rom. 4, v. 14. ideoque apparet interdum miraculum oculis corporis, interdum solum oculis fidei.** *Sed rursus* (inquit) *haec in duo dividuntur, quaedam enim sunt, quae solam faciunt admirationem; quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori affert commodi, praeter ipsum spectaculum miratur tantummodo; si quis autem gravi et desperato morbo affectus mox, ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suae sanantis etiam caritate superabit.* Juxta hanc Augustini divisionem quaedam miracula sunt *ludicra*, quaedam vero *utilia* ac salutaria. 2. Miracula quaedam dicuntur esse privativa, quaedam positiva. Prioris generis sunt, cum rei actiones naturales ad tempus inhibentur non interventu causarum physicarum, sed peculiari virtute Dei causae summae et universalis. Sic sol stat immotus Josuae 10, v. 13. regreditur per decem lineas in horologio Achas Esaiae 38, v. 8. obscuratur Christo patiente Matth. 27, v. 45. ferrum natat 2. Regum 6, v. 6. Posterioris generis sunt, cum res novis qualitatibus donantur, ut quando steriles pariunt Psalm.
XII. 95. 113, v. 9. morbi praeter naturae cursum sanantur, etc. ** Tribus modis fieri potest, ut miracula excedant facultatem naturae; *1. quoad substantiam facti;* tale fuit, quod sol retrocessit 2. Reg. 20. *2. quoad subjectum, in quo fiunt;* talia sunt resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum etc. *3. quoad modum et ordinem faciendi*, ut cum per divinam virtutem Petri socrus in instanti a febri liberatur, Matth. 8. Thomas de pot. Dei qu. 6. art. 2. resp. ad 3. dicit, *has tres miraculorum species eo modo differre, quod primus est eorum, quae sunt contra naturam; secundus eorum, quae supra naturam; tertius eorum, quae praeter naturam.* Thomas part. 3. q. 29. art. 1. resp. ad 2. *miracula* dividit *in ea, quae sunt ad fidei confirmationem et ea, de quibus ipsis est fides, quale est miraculum partus virginei. Illa sunt facta in multorum conspectu; haec vero Deus voluit esse occulta, ut fides Christianorum magis probaretur, quando ea amplectitur propter solam Scripturarum assertionem.* Augustinus in sent. prosper. c. 134. distinguit *miracula* in *visibilia et invisibilia, illaque sic discernit, quod illa ad illuminationem vocant, ista vero vocatos illuminant.* Alphonsus de Castro lib. 10. adv. haereses verbo *Miraculum: Miraculum est res insolita supra naturae potentiam operata. Ideo duo oportet inesse, ut aliquid possit dici miraculum, quod videlicet sit supra naturae potentiam et quod non sit ex communi consuetudine. Et si alterum horum desit, miraculum minime dicetur. Hac enim de causa creatio animae humanae non est censenda miraculum, quia etsi illius creatio excedat potentiam naturae, non est tamen res insolita, cum Deus quotidie novas creet animas. Eadem ratione si unus homo nascetur cum septem digitis in qualibet manu, non diceretur miraculum, quia etsi hoc sit insolitum, non tamen excedit potentiam naturae, quoniam a causis naturalibus hoc procedere potest. Si tamen res est insolita et vires naturae exsuperans, illa merito miraculum dicetur.*** 3. Scholastici in quaestione, an diabolus miracula facere possit, distinguunt inter *mirabilia* et inter *miracula*, illorum operationem diabolo concedunt, horum vero negant. Thomas part. 1. quaest. 110. art. 4: *Non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat praeter ordinem alicujus naturae particularis, sic enim aliquis miraculum faceret lapidem sursum projiciendo, ex hoc autem aliquid dicitur miraculorum, quod sit praeter ordinem totius naturae creatae, quo sensu solus Deus facit miracula. Nobis non est omnis virtus naturae creatae nota, cum ergo fit aliquid praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam, est quidem miraculum quoad nos, sed non simpliciter.* Illud latius declarat Gabr. Biel 2. sent. dist. 8. quaest. 2: *Potest dupliciter contingere miraculum, quantum ad rem factam et quantum ad modum faciendi. Quantum ad rem factam, quando effectus producitur non concurrente causa secunda naturali aut in subjecto non habente ordinem naturalem ad talis effectus susceptionem; quantum ad modum faciendi, cum aliquid producitur a causis naturalibus, sed in mora breviore, quam sit solitus naturae cursus. Illae conversiones miraculosae fiunt dupliciter, vel quod effectus illi non producuntur a principiis naturae, sed immediate ab ipso Deo sive in instanti, sive successive, et tunc est miraculum juxta primum modum; vel potest effectus produci a principiis naturae in instanti vel in tempore subito propter instantaneam vel repentinam applicationem activorum ad passiva praeter solitum naturae cursum, et tunc non est proprie miraculum, sed mirabile, hoc est miraculum secundo modo acceptum.* 4. Quamvis igitur diabolus miracula proprie et spe-

Digitized by Google

96. cifice dicta edere nequeat, tamen cum per instantaneam applicationem causarum activarum naturalium, quarum vim et operationem exquisitissime perspectam habet, multa mirabilia perficere possit, quae nos pro miraculis habemus, quia illorum causam ignoramus et quomodo fiant non videmus (unde Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 11. scribit, *facile esse spiritibus nequissimis per aërea corpora facere multa, quae mirentur animae terrenis corporibus aggravatae, etiam melioris affectus)*; praeterea cum diabolus hominum oculis glaucoma ac varias praestigias objicere possit, ut videre sibi videantur, quod non vident, ideo miracula ulterius dividuntur in *divina* et *diabolica*. Illa auctorem habent Deum, qui in miraculis perficiendis utitur quandoque ministeriali opera angelorum vel hominum, quandoque vero immediate ipsemet in miraculis agit; haec auctorem habent diabolum, qui impiorum hominum servitio sibi addictorum ministerio ad hanc rem saepius utitur. D. Rungius in c. 7. ex. parte 2. loc. 2. sex differentias inter divina et diabolica miracula constituit, differre enim illa dicit: *1. causis efficientibus*, Psalm. 136, v. 4: *Deus facit* נִפְלָאוֹת גְּדֹלוֹת, *mirabilia magna*, id est proprie dicta miracula *solus;* diabolus miracula quaedam facit, sed non nisi permittente Deo. *2. Causa materiali sive subjectis*, Dei opera fiunt manifeste contra naturae ordinem; diabolus etsi miranda quaedam facere potest vel agilitate et subtilitate naturae suae vel peritia rerum et causarum naturalium homini ignotarum, tamen ipsam naturam interius mutare nequit, quia non est creator. *3. Causa formali*, miracula divina nunquam sunt putativa vel imaginaria, sed actu et re ipsa creaturae vel mutantur, vel innovantur; diabolus ut Dei simia conatur exprimere similia opera, sed plerumque praestigiis, fascino et fallaci auxilio ludit mortales. *4. Causis finalibus*, Dei miracula tendunt ad doctrinae coelestis et mandatorum Dei confirmationem; diaboli miraculis confirmantur mendacia, idololatria, invocationes mortuorum etc. *5. Causis instrumentalibus*, Deus vel immediate efficit miranda vel utitur opera prophetarum, apostolorum et aliorum pietate ac virtute praestantium virorum, vel certe in ordinaria vocatione; diabolus utitur veneficis, hariolis, praestigiatoribus, sagis et similibus hominum monstris. **Auctor imperf. operis homil. 29. in Matth.: *Quemcunque videris daemonia ejicientem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei.*** *6. Modo agendi*, Deus simpliciter quid fieri velit mandat atque interdum adhibet media, sed pauca; diabolus vult adhiberi certas formas verborum, pulveres, figuras, imprecationes, decoctiones, venena etc. Atque haec sit tertia miraculorum divisio. ** *Vera miracula fiunt per apertam et seriam Dei invocationem, daemonis vero ludibria illis absonis, abditis, vanis, ridiculis aut superstitiosis precibus vel signis*, ut loquitur Delrio Jesuita libr. 2. disquis. magic quaest. 7.** 5. Quia igitur Deus est ipsa veritas, diabolus vero mendax et mendacii pater, Johan. 8, v. 44. ideo miracula Dei sunt *vera*, sed miracula diaboli sunt *falsa*. Gabr. Biel l. d.: *Miracula sunt vel vera, quae ordinantur ad bonum finem, scilicet eruditionem ecclesiae et salutem fidelium; vel falsa, quae ordinantur ad deceptionem et subversionem videntium, licet res veras sint, quae videntur, unde omnia miracula daemonum sunt falsa.* ** *Vox miraculorum interdum in genere significat admiranda et stupenda opera cujuscunque sint auctoris, sic olim celebrarunt septem miracula mundi. Eodem sensu Satanae opera nova et stupenda dicuntur miracula* 2. Thessal. 2, v. 9. *signa et prodigia, quia praeter communem naturae cursum facta videntur et singulari impetu feriunt hominum oculos, sed Dei miracula sunt quae fiunt supra et contra naturae ordinem, quem eadem potentia, qua creatus est, mutare potest et solet Dominus.* Rungius in cap. 34. Exodi.** 6. Falsa miracula duplici sensu dicuntur, vel *ratione formae*, quia sunt ementita et ludificantia, unde vocantur miracula κατὰ δόξαν, non κατ' ἀλήθειαν; vel *ratione finis*, quia ad decipiendum composita et ad mendacium inducunt. Sic Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 19. disputat, quo sensu miracula Antichristi dicantur *prodigia mendacia* 2. Thessal. 2, v. 9. *Solet ambigi* (inquit), XII. 97.
utrum propterea dicta sint signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur; an quia illa ipsa etiamsi sunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maxime quando tantam, quantam nunquam habuit, accepit potestatem. Non enim quando de coelo ignis cecidit et tantam familiam cum tantis gregibus pecorum S. Jobo uno impetu absumsit et turbo irruens et domum dejiciens filios ejus occidit, phantasmata fuerunt, quae tamen fuerunt opera Satanae, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia et signa mendacii, tunc potius apparebit. Noluit Augustinus determinare, quo respectu Antichristi miracula dicantur mendacia. ita Chrysostomus homil. 4. in 2. Thessal. statuit, dici fallacia utroque respectu: οὐδὲν ἀληθές, ἀλλὰ πρὸς ἀπάτην, καὶ τέρασι ψεύδους ἤτοι διεψευσμένοις ἢ εἰς ψεῦδος ἄγουσι. ** Idem statuit Theophylactus Gloss. ordin. et Lyranus.** Interpres Latinus disjunctivam convertit in copulativam: *In prodigiis falsis et inducentibus ad mendacium.* Ambrosius etiam in comm. 2. Thessal. 2. propter deceptionem Antichristi miracula dici mendacia asserit. *Antichristus* (inquit) *signorum virtutibus faciet credibile, se esse Deum, ideo portenta mendacii dixit apostolus, quia hoc se vult credi Antichristus per signa, quod non est, ut decipiat quos circumventurus est.*

272. Hisce praesuppositis sententiam nostram confirmamus sequentibus argumentis. 1. Quodcunque non est ecclesiae proprium, non potest esse propria, genuina et infallibilis ecclesiae nota. Miracula non sunt ecclesiae propria. Ergo non sunt propria, genuina et infallibilis ecclesiae nota. Assum- Argumenta pro parte negante.

Digitized by Google

Miracula facere videntur: 1. Gentiles. tum probatur, quia miracula fecerunt etiam ethnici et haeretici, apud quos veram ecclesiam esse nemo dixerit. 1. Quod ethnicos attinet, refert Cornel. Tacitus libr. 4. histor. *Vespasianum caeco visum, claudo gressum restituisse;* Aelius Spartianus refert, *feminam caecam ab Adriano sanatam esse et caecum quendam natum corpus Adriani mortui tangentem visum subito recuperasse.* Apollonius Thyanaeus cum esset in concilio coram imperatore Domitiano, dicitur *statim evanuisse, ut amplius non inveniretur.* Hujus Apollonii meminit etiam Augustinus epist. 5. a quo ut et Appulejo *multa miracula* edita esse scribit. Idem lib. 10. de civit. Dei c. 16. commemorat haec gentilium miracula, quod *effigies deorum penatum, quos de Troia Aeneas fugiens advexit, de loco in locum migrasse referuntur; quod cotem Tarquinius novacula secuit, quod Epidaurius serpens Aesculapio naviganti Romam comes adhaesit, quod navim, qua simulacrum Matris Phrygiae vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam una muliercula zona alligatam ad suae pudicitiae testimonium movit et traxit, quod virgo Vestalis de cujus corruptione quaestio vertebatur, aquam impleto cribro de Tiberi neque profluente abstulit controversiam,* quae omnia ex profanis historiis Ludov. Vives in comm. ibidem latius declarat. Libr. de unitate ecclesiae cap. 16. circa medium: *Audiant* (qui ex miraculis ecclesiam
XII. 96. probare volunt), *quae narrent pagani de diis et templis suis mirabiliter vel facta, vel visa et tamen dii gentium daemonia.* Excipit Bellarminus libr. 4. de ecclesia c. 14. §. ad quartum, *Vespasianum nec vere caecum, nec vere claudum curasse, cum medici interrogati, an morbi duorum illorum curabiles essent, affirmate responderint,* Cornelio Tacito referente. Atqui si vel maxime illi, qui a Vespasiano curati, non fuerint vere caeci et vere claudi, sed medicorum opera restitui potuerint, negari tamen nequit, daemonum ac magorum opera fieri posse, ut qui vere coeci et vere claudi medicorum etiam judicio apparent, sanitati restitui possint. cujus rei et historia et experientia testis est. Aliter igitur excipit Bellarminus, *credibile esse, quod totus ille morbus fuerit a diabolo, qui insidens in oculo unius et alterius tibia impedierit usum illorum membrorum, idque eo fine, ut videretur sanare, cum desineret nocere.* Respondemus: sufficit hoc nobis ad nostrae sententiae confirmationem. Quia enim diabolica miracula quoad externam speciem cum veris ac divinis conveniunt, licet quoad rem toto coelo differant, ideo periculosum est ex solis miraculis externis de doctrina velle judicare. Sola externa species miraculi in oculos incurrit, dignotio rei ac diversitatis illius discretio, quae inter divinum et diabolicum miraculum intercedit, nec oculis nec aliis sensibus est obvia, fieri ergo potest, ut diabolica miracula ob externam speciem et apparentiam, qua cum veris et divinis miraculis conveniunt, pro veris habeantur. Agnoscit hoc quodammodo ipse Bellarminus, siquidem hoc ipso loco §. est autem: sic scribit: *Ante approbationem ecclesiae non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, quia non constat nobis certitudine, cui non potest subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis. Daemon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quaeque.* Quodsi igitur cum specie et apparentia externa in miraculis rei veritas non est perpetuo conjuncta, magni omnino periculi est ex specie externa de veritate miraculi et de ipsa doctrina pronuntiare.

273. 2. Haereticos ac pseudoprophetas miracula facere ex verbo Dei et ex historia ecclesiastica demonstrari potest, Deut. 13, v. 1: *Cum surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium et dederit tibi signum vel portentum,* v. 2. *et venerit signum et portentum, quod locutus est ad te dicendo: Eamus post Deos alienos,* etc. In quae verba sic commentatur Theodoretus: *Permissu Dei pseudopropheta prodigiosa facit. Instruimur autem non credere, quando qui talia edit, contraria pietati docet.* Et paulo ante: *Permittente Deo daemones operantur. Sic et medici Pharaonis prodigium virgae, fluvii et ranarum ediderunt, ita concedente sapientissimo Deo ad arguendam operantis insaniam.* Item Paulus Fagius in Thargum: *Dare signum est praedicere aliquid venturum, quod non est naturae insolens, sed in signum promissionis aut comminationis, sicut Samuel occursum trium virorum Sauli praedicit. Prodigium autem sive portentum, ubi supra id, quod creditur naturae esse, aliquid in signum datur, sicut conversio virgae in serpentes. Porro si roget quis, quomodo falsus propheta signa facere possit, respondent Hebraei bifariam. Quidam putant, locum istum intelligendum de signis aliquid repraesentantibus, sicut Sedechias imposuit capiti suo cornua ferrea pollicens regi victoriam mendacem,* 1. Reg. 22. *alii intelligunt de signis, quae fiunt per incantationem vel magicam artem, qualia signa fecerunt magi in Aegypto.* Addit Fagius: *Locus iste diligenter notandus, quod scilicet Deus permittit aliquando Satanae facere miracula in hoc, ut tententur sui, quam constanter verbo suo adhaerere velint.* Pertinent igitur huc miracula *magorum Aegyptiorum* Jannis et Jambris 2. Tim. 3, v. 8. qui incantationibus suis virgas in medium projectas commutarunt in serpentes Exod. 7, XII. 9
v. 12. cujus miraculi rationem Josephus lib. 2 antiq. c. 5. sic explicat, quod *incantatores illi praestigiis fascinaverint oculos spectatorum, ut baculi ipsis viderentur esse serpentes.* Quamvis vero tales praestigias et possit et soleat diabolus oculis hominum objicere, tamen cum serpentes magorum dicantur devorati a serpente Aaronis, ideo rectius dicitur cum Cyrillo l. 7. in Johan. c. 8. *artificio et opera diaboli factum esse, ut in locum projectarum virgarum modo invisibili serpentes aliunde allati substituerentur.* Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 8. hac de re sic disputat, *quod diabolus pro subtilitate sui sensus et corporis semina rerum istarum nobis occultiora noverit et ea per congruas temperationes*

2. Pseudoprophetae.

Digitized by Google

elementorum latenter spargat atque ita gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum praebeat occasiones. Neque tamen propterea ipsum dici posse creatorem, *cum occultorum et invisibilium istorum seminum in corporeis hujus mundi elementis latentium creator sit solus is, qui est omnium rerum creator, cujus permissione mirabilia illa diabolus facit.* Idem judicium sit de spectaculo aquarum in sanguinem mutatarum regi objecto Exod. 7, v. 22. ac de productione ranarum ex aquis Exod. 8, v. 7. quae mutatio aquarum ac productio ranarum vel fuit praestigiatoria, vel facta per subitam translationem sanguinis in locum aquae et repentinam ranarum ex alio loco deportationem. Tandem vero illa magorum potentia, ubi ad minutissima et abjectissima animalcula, videlicet ad pediculos ex pulvere producendos deventum est, omnino defecit, *ut intelligatur, quidquid hactenus potuerunt, id non nisi data desuper potestate potuisse*, ut loquitur Augustinus libr. 3. de Trinit. c. 7. ideo autem *quaedam mira facere permissi sunt, ut mirabilius vincerentur*, ut idem loquitnr lib. 10. de civ. Dei cap. 8. Ceterum quod in V. T. a magis Aegyptiis ac pseudoprophetis factum, idem in N. T. fieri posse Christus et apostoli testantur. Matth. 7, v. 22: *Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo δυνάμεις πολλὰς, miracula multa, fecimus* (ita enim hoc vocabulum accipitur Matth. 11, v. 20. c. 13, v. 58. et alibi passim); v. 23. *et tunc confitebor illis: Non novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*, ex quibus verbis ita infert Justinus in qq. et respon. ad orthod. q. 5. p. 309: *Virtutum ac miraculorum repraesentatio si probatio ad indicium esset verae religionis, minime gentium Dominus eos reprobasset et indignos familiaritate sua pronuntiasset, qui dixerant: Domine, nonne per nomen tum prophetavimus* etc. Matth. 24, v. 24: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi;* v. 25: *ecce praedixi vobis. (In quae verba sic commentatur* Cornelius Jansenius scriptor Pontificius cap. 123. concord. evangel. pag. 842: *Nostris temporibus apud nos Christianos fuerunt, qui se Christum esse regem Sion ac salvatorem hominum mentiti sunt stultissime, quibus nec defuerunt sui prophetae, nec signa et prodigia, quibus imposuerunt hominibus quibusdam in fide non radicatis. Inter quae signa illud censeri potest, quod apud eos baptizati post calicis cujusdam, ut dicitur, potionem, mox cum hominum admiratione Scripturas sacras tenerent melius quam qui in eis assidue essent versati, et in alios plane homines essent mutati mortem pro suae sectae defensione intrepide subeuntes omnesque suas facultates in commune conferentes. His adeo potenter homines seduxerunt, ut si fieri potuisset, etiam electis imponere potuissent.)* Luc. 11, v. 19. Chri-
XII. 100. stus testatur, *Pharisaeorum filios, id est discipulos, ejecisse daemonas.* 2. Thessal. 2, vers. 9: *Adventus Antichristi erit secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*, vers. 10: *et in omni seductione iniquitatis* etc. Apocal. 13, vers. 13: *Bestia facit signa magna, ut etiam ignem faciat de coelo descendere in conspectu hominum*, vers. 14. *et seducit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu prioris bestiae* etc. De Marco haeretico et impostore pessimo scribit Irenaeus libr. 1. adv. haeres. cap. 8. p. 43: *Alius quidam ex iis, qui sunt apud eos* (Colarbasios), *magistri emendatorem se esse glorians, Marcus est autem illi nomen, magicae imposturae peritissimus, per quam et viros multos et non paucas feminas seducens ad se convertit velut ad scientissimum et perfectissimum et virtutem maximam ab invisibilibus logis habentem fecit, praecursor quasi vere existens Antichristi. Anaxilai enim ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiscens, per haec virtutes perficere putatur apud eos, qui sensum non habent et a mente excesserunt.* cap. 9. pag. 44: *Fingens se poculis, quibus vinum infusum ac immixtum est, gratiis actis precari atque longius extendens sermonem invocationis efficit, ut purpurea et rubicunda appareant, ut putetur gratia ab iis, quae supra universa sunt, sanguinem suum in illud poculum stillare per invocationem ipsius, et qui adsunt maxima cupiditate ducantur gustandi illius poculi, ut in ipsos more pluviae influat gratia, quae per hunc magum invocata est. Rursum vero mulierculis tradens pocula vino commixta ipsas gratias agere et precari jubet se praeside. Quod ubi peractum est, ipse proferens aliud poculum paulo majus eo, super quo decepta muliercula gratias egit atque transfundens e minore illo in majus, quod ita praeparavit, simul ita dicit. Gratia, quae ante universa est, neque mente comprehendi, neque sermone exprimi potest, impleat tuum interiorem hominem etc. Et talia quaedam locutus, ubi infelicem illam velut oestro pupugit, visus est admiranda facere, postquam majus poculum a minore, ita ut superflueret, impletum est. Atque alia quaedam his similia faciens multos fefellit et post se abduxit.* (Graeca Irenaei verba dilucidiora refert Epiphanius libr. 1. tom. 3. haeres. 34.) cap. 12. p. 58. refert, *quendam divinum senem et concinnum veritatis praeconem ad hunc Marcum dixisse: Idolorum fictor Marce et portentorum inspector, astrologicae et magicae artis perite, quibus confirmas doctrinas erroris, ostendens signa iis, qui a te seducuntur, quae sunt operationes apostaticae virtutis, quas tibi Satanas pater subministrat, quasi per angelicam virtutem Azazel, qui te potest praecursorem facere callidae nequitiae, quae Deo adversatur.* lib. 2. adv. haeres. c. 57. p. 160: *Eorum quae Christus ad utilitatem hominum et firmitatem fecit* (haeretici Valentiniani), *nihil tale nec simile, nec secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sed si aliquid*

Digitized by Google

faciunt per magicam operationem, fraudulenter seducere nituntur insensatos fructum quidem et utilitatem nullam praestantes, in quos virtutes perficere se dicunt, adducentes autem pueros investes et oculos deludentes et phantasmata ostendentes statim cessantia et ne quidem stillicidio temporis perseverantia, non Jesu Domino nostro, sed Simoni Mago similes ostenduntur. De Donatistis commemorat Augustinus, quod ipsi quoque de miraculis gloriati fuerint, unde tract. 13. in Joh. ipsos vocat *mirabiliores*, ac libr. de unit. eccles. c. 16. scribit: *Non dicat, ideo verum esse, quia illa et illa mirabilia fecit Donatus, removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* De Novatianis itidem referunt ecclesiasticae historiae scriptores, quod miracula fecerint. Socrates lib. 7. c. 17: *Cum Judaeus quidam veterator Christianam fidem simulans, jam ante saepius baptizatus, a Paulo Novatianorum episcopo baptismum peteret, isque Judaeum ad baptisterium deduceret, aqua universa divina quadam virtute, quae oculis percipi non po-*
XII. 101. *terat, subito evanuit.* De Turcis refert Septemcastrensis libr. de moribus Turcarum c. 14. quod ipsorum religiosi plurima miracula faciant tum vivi, tum mortui. Huc pertinent dicta veterum. Tertullianus de praescript. c. 44: *Adjicient* (seducti ab haereticis rationem Christo in die judicii reddituri) *multa de auctoritate cujusque doctoris haeretici, illos maxime doctrinae suae fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, uti merito apostoli crederentur; quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptas praedicationis.* Athanasius lib. qq. ad Antiochum q. 110. tom. 2. p. 306: *Non sit nobis mirum, quosdam haereticos signa edere, audivimus enim Dominum dicentem: Multi dicent in die illa* etc. ** *Saepe enim non virtute miracula edentis, quae sanationem efficiat, miracula fiunt, sed fide ad eum adeuntis hominis. Scriptum est enim: Fides tua te servavit. Oportet et hoc notari, quod multi prave credentes multos labores obtulerint Deo per exercitationem et mercedem pro eis a Deo acceperint in hoc seculo sanationum et prophetiarum donum, ut in futuro seculo audiant: Accepistis bona vestra et labores vestros, nunc non amplius vobis dabitur.* Idem in Psalm. 9. col. 67: *Cum signa illa* (Antichristus) *facere coeperit, quanto mirabiliora videbuntur hominibus, tanto illi sancti, qui tunc erunt, contemnentur et quasi pro nihilo habebuntur, quos ille, cui per justitiam et innocentiam resistent, mirificis factis superare videbitur* etc. ** Hieronymus in comm. ad Galat. lib. 3: *Observandum est, quod operari virtutes dicantur ii, qui non tenent evangelii veritatem, hoc dico adversum haereticos, qui probationem esse fidei suae ex eo, si signum aliquod fecerint, arbitrentur.* Augustinus lib. 15. cont. Faust. c. 5: *Miracula* (vos Manichaei) *non facitis, quae tamen si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum et dicentem: Exsurgent pseudochristi* etc. Theophylactus in c. 9. Luc.: *Multi saepenumero miracula per daemonas fecerunt, at illorum praedicatio sana non fuit, quare neque miracula illa ex Deo fuerunt.* Nec possunt ipsi Pontificii inficias ire, etiam haereticos quandoque vera miracula edere. In jure canon. part. 2. decret. caus. 1. q. 1. c. 56: *Praeter unitatem et qui facit miracula, nihil est. In unitate erat populus Israël, et non faciebat miracula. Praeter unitatem erant magi Pharaonis et similia Moysi faciebant.* Maldonatus in comm. Matth. 7: *Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus probant exemplis, etiam per alios quam Catholicos vera miracula fieri, et ex hoc ipso loco: multi dicent in illo die* etc. *facile colligitur, falsos illos prophetas, de quibus Christus loquitur, vera miracula fecisse, vere prophetasse, vere daemonia ejecisse, nec enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos, quamvis ista fecerint, non nosse. Nec magnum est, si moneret nos falsa miracula facientibus ne crederemus, sed magnum et admirabile est omnino, quod monet, ne falsis prophetis credamus vera etiam miracula facientibus.* Idem in c. 9. Marci p. 765: *Potuit* (is, qui in Christi nomine ejiciebat daemonia) *neque corpore, neque animo, id est fide doctrinaque secutus Christum, daemones pellere, ut docemur testimonio Christi Matth. 7. et August. lib. 4. de cons. evang. c. 5. et Beda ac Theophyl. hoc loco sentiunt.* Claud. Espencaeus in comm. 2. Tim. p. 83. *miracula Deo et diabolo, Christo et Antichristo communia esse scribit.* Salmeronius tom. 4. part. 2. p. 260. Daemon nolentibus claritatem veritatis recipere falsa miracula adhibere solet ad mendacia confirmanda. Pererius comm. in Genes. c. 7. disp. 5: *Etiam haeretici per sacra verba, aut nomen Christi, aut sacramenta Christiana expellunt daemonas; cum autem malum jubentibus daemones voluntario cedunt; cum vero inviti in honorem excellentissimi imperatoris Christi. Talis fuit is, de quo discipuli loquuntur ad Christum* Marc. 9, v. 38: *Magister in nomine tuo ejicit daemonia, cum tamen Christum non sequeretur.* Sta- XII. 1[illegible]
pletonus in promtuar. morali dom. 24. post. Pentecost. p. 627: *Etiam vera miracula non solum Antichristus ipse ejusque praecursores proximi, sed quilibet haeretici non secus quam magi Deo permittente operari possunt.* Acosta de temp. noviss. cap. 19: *Tempore Antichristi difficile erit signa vera discernere a falsis, ubi multa et magna erunt veris simillima.* Costerus in enchir. loc. de eccles. concedit, Novatianos olim sua habuisse miracula.

274. Bellarminus ex his quaedam deligit, quibus Exceptiones Bellarmini
exceptiones suas opponat. 1. De miraculis Antichristi Matth. 24, v. 24. 2. Thessal. 2, v. 9. 10. Apoc. 13, v. 13. 14. respondet, quod *futura sint non vera et solida, sed apparentia vel mirabilia hominibus, non autem absolute miracula, qualia arte daemonis fieri possunt,* id confirmat ex 2. Thess. 2. ubi vocantur *mendacia*, et ex Apoc. 13. ubi pro *maximis Antichristi miraculis* ponitur, *quod faciet*

Digitized by Google

ignem de coelo descendere et ut imago bestiae loquatur, haec autem facillima esse diabolo palam est. At miracula sanctorum sunt illuminationes caecorum, curationes claudorum, excitationes mortuorum, quae non nisi divina virtute fieri possunt. Respondemus: Antichristi miracula dicuntur mendacia, vel, ut ex Graeco rectius vertitur, *prodigia mendacii, τέρατα ψεύδους*, non tam ratione formae, quasi omnia futura sint falsa et apparentia duntaxat, quam ratione finis, quia scilicet ad confirmationem mendacii erunt directa, ut ex Chrysostomo et Augustino paulo superius audivimus. Quemadmodum enim magi Aegyptiaci ante liberationem Israëlitarum ex Aegypto miracula mendacii edentes non ludebant nudis praestigiis, sed arte sua diabolica verum serpentem oculis sectatorum objiciebant ad idololatriae Aegyptiacae confirmationem; ita quoque Antichristus ante finalem liberationem filiorum Dei ex hoc mundo non nudis ludet praestigiis, sed talia miracula ad confirmationem suorum mendaciorum faciet, qualia per extremam et summam diaboli potentiam fieri possunt. Id ipsum confirmatur ex emphasi dictorum. Matth. 24, v. 24. dicitur, *pseudochristos et pseudoprophetas illos talia ac tanta miracula edituros, ut si fieri posset, etiam electi per illa seducerentur.* Atqui si essent mera phantasmata ac praestigiae satanicae, seductionis non tantum metuendum esset periculum. 2. Thessal. 2, v. 9. notanter dicit apostolus, quod *Antichristi adventus futurus sit κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους*, v. 10. *καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις*, id est diabolus omnem vim suam in miraculis Antichristi organi sui exseret, neque quidquam, quod ad seductionem hominum facere possit, intentatum relinquet. Audiat Bellarminus hac de re Cornelium Jansenium suae religionis, non tamen Jesuiticae professionis hominem in comment. concord. evang. c. 123. fol. 843: *Quod Antichristi signa et miracula dicuntur mendacia, non sic accipiendum est, quasi omnia illa signa sint efficienda per sensuum et phantasmatis ludificationem, ut quod non sit, esse tamen videatur, quaedam enim vere efficiet per conjunctionem occultam causarum naturalium, quomodo ignem vere potest e coelo deducere et alia multa facere mirabilia, quae tamen dicuntur signa mendacia, sive quia ad mendacium pertrahunt, dum creduntur fieri virtute divina, sive quia quamvis sint verae res, non tamen sunt vera signa et miracula, quia id demum vere et proprie miraculum est, quod fit supra naturam et virtute supernaturali, quae soli Deo competit.* Audiat Pererium suae religionis et professionis, hoc est Jesuiticae societatis hominem comment. in Daniel. libr. 4: *Duo sunt miraculorum genera, quaedam hujusmodi ut non nisi per omnipotentiam Dei fiant, hujusmodi non faciet Antichristus; alia quae fieri possint potentia causarum naturalium, operante daemone, hominibus ignota, quae modo invisibili adhibebuntur et quasi miracula existimabuntur. Haec signa vera sunt, sicut illa magorum vera fuisse arbitratur Augustinus, nihilominus mendacia, quia qui faciet, se ea facere miraculose virtute divina falso profitebitur.* Audiat Thomam Aquinatem, in cujus verba juravit part. 1. XII. 103. quaest. 114. art. 1: *Etiamsi sint vera Antichristi miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros.* Imo audiat Bellarminus se ipsum libr. 3. de Rom. pontif. c. 15. §. Porro: *Miracula, quae operaturus est Antichristus, erunt mendacia signa ratione omnium causarum, finalis, efficientis, materiae et formae. Finis enim eorum miraculorum erit ostendere, Antichristum esse Deum et Messiam, quod erit perniciosissimum mendacium. Chrysostomus in hunc locum* (2. Thess. 2.) docet, *mendacia vocari ea miracula, quia ad mendacium inducent* etc. *Deinde vocantur mendacia signa ab efficiente, nam causa efficiens principalis erit pater mendacii, id est diabolus. Erunt etiam mendacia multa ex illis* (ergo non omnia, ut hoc loco asserit), *quia erunt phantastica et praestigiae quaedam. Denique erunt quaedam ex illis mendacia ratione formae, licet vera ratione materiae, quia interdum res veras operabitur, sed quae non superabunt vires totius naturae et ideo non erunt miracula formaliter.* Quod Bellarminus hoc loco subjungit, *illuminationes caecorum, curationes claudorum et excitationes mortuorum non nisi divina virtute fieri posse,* id facile concedimus, interim tamen certum est, id non nisi de veris illuminationibus vere caecorum ac veris excitationibus vere mortuorum accipiendum esse, cum diabolus etiam quoad externam speciem similia facere possit, qua de re sic scribit Bellarminus libro 3. de pontific. c. 15. §. Erunt etiam: *Antichristus videbitur excitare mortuos et sanare aegrotos, sed illusiones daemonum erunt, non verae excitationes aut sanitates, propter quod Apocal. 13. dicitur facturus miracula in conspectu hominum, id est apparentia et deludentia conspectum hominum, non solida et vera, ut Aretas in eum locum annotavit.* Et postea §. Exempla: *Antichristus finget se mori et resurgere.* Idem lib. 4. de eccles. c. 14. resp. ad 4. recte disputat, *coecum et claudum hoc modo a Vespasiano curatum, quod diabolus insidens in oculo unius, in alterius vero tibia usum istorum membrorum impedierit, idque eo fine, ut videretur sanare, cum desineret nocere.* Jam vero externo intuitu dignosci ac distingui nequit, an illuminatio caeci, sanatio claudi et excitatio mortui sit vera, an saltem apparens; an facta sit divina virtute, an vero daemonis illusione. Diabolus enim *transfigurat se in angelum lucis* 2. Cor. 11, v. 13. unde ipse Bellarminus dicto loco §. Est autem, diserte scribit: *Non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis, daemon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quaeque.* 2. De miraculis Donatistarum respondet, *ea non fuisse talia, qualia sunt sanctorum, sed occultas quasdam visiones tantum, quas sine ullo teste jactabant se vidisse.* Addit Bellar-

Digitized by Google

minus fabulam de quadam visione, ex libro qui inscribitur *Somnium Lutheri*, ubi Lutherus narratur *apparuisse quibusdam Lutheranis tristique vultu conquestus, quod tam se, quam doctrinam suam discipuli sui brevi essent deserturi*, a quibus visionibus distinguit vera miracula, quae ab Augustino maxime fieri probat ex lib. 22. de civit. Dei c. 8. ubi contra paganos adducit *miracula maxima, facta ad reliquias sanctorum, praecipue Stephani protomartyris.* Respondemus: Donatistae non solum occultas visiones, sed etiam manifesta miracula jactitabant, sic enim de illis scribit Augustinus libr. de unit. eccles. c. 16: *Non dicat, ideo verum esse, quia illa et illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant et exaudiuntur, aut quia illa et illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster et illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit* etc. ubi Augustinus et visiones et miracula Donatistarum conjungit et addit: *Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quae dicuntur, aut si haereticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quod cum dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer*
XII. 104. *commendans et ait: Ecce praedixi vobis.* Ita quoque tractat. 13. in Johan. contra illos mirabiliarios praedictionem Christi urget: *In novissimis diebus exsurgent pseudoprophetae facientes signa et portenta magna* etc. et addit: *ergo cautos nos fecit sponsus, quia et miraculis decipi non debemus.* Atqui si Donatistae duntaxat occultas quasdam visiones jactitassent, quorsum opus fuisset vanam illam jactantiam operose confutare et praedictionem Christi de pseudoprophetarum miraculis tantopere contra ipsos urgere? Quae vero miracula et quo respectu Augustinus et nos cum ipso maximi faciamus, ex sequentibus intelligetur. Fabula de Lutheri visione, quam Bellarminus forte somnians vidit, oblectet se, quamdiu velit. Hominis est nimium creduli talibus nugis et figmentis fidem adhibere. 3. De miraculo Novatianorum respondet, *factum id esse non in confirmationem fidei Novatiani, sed catholici baptismi.* Respondemus: alia est quaestio de miraculi veritate, alia vero de miraculi fine. Sufficit nobis, quod Bellarminus concedit, *etiam per haereticos vera miracula fieri posse, quibus tamen non confirmetur doctrina ipsorum haeretica, sed baptismus et alia quaedam dogmata ad catholicam ecclesiam pertinentia, quae in haereticorum coetibus quandoque integra adhuc habentur.* Eadem fere ratione disputat Athanasius in qq. ad Antioch. qu. 110: *Saepe non virtute miracula edentis, quae sanationem efficiat, miracula fiunt, sed fide ad eum adeuntis hominis, scriptum est enim: fides tua te servavit. Oportet et hoc notari* (inquit), *quod multi prave credentes multos labores obtulerint Domino per exercitationem et mercedem pro eis a Deo acceperunt in hoc seculo sanationum et prophetiarum donum* etc. Idem agnoscit Mart. Delrius lib. 2. disquis. magic. qu. 7: *Solet quidem Deus hanc gratiam* (miracula faciendi) *gratuito etiam perperam de fide sentientibus largiri, sed in verae fidei probationem, ut quando dedit prophetiam Bileamo et Caiphae. In falsae fidei confirmationem nec dedisse, nec magis dare Deus possit, quam potest veritas mentiri.* Paratam igitur ex ipso Bellarmino habemus responsionem ad miracula Jesuitica, quae per nomen Christi in novo orbe faciunt, ut apparebit inferius.

275. 2. Exposuimus hactenus primum sententiae nostrae argumentum, succedit alterum. Quodcunque ecclesiae non convenit semper ac perpetuo, non est genuina, propria et infallibilis ejus nota. Miracula non conveniunt ecclesiae semper ac perpetuo. Ergo non sunt genuina, propria et infallibilis ecclesiae nota. Assumtum confirmatur, quia donum miraculorum fuit primitivae ecclesiae proprium, progressu vero temporis cessavit. Fuerunt miracula velut buccinae atque praecones, quibus evangelium primitus commendabatur. Ut enim legi Moysis compluribus miraculis in monte Sina et per desertum auctoritas fuit conciliata, quae tamen postea, cum ad terram promissionis ventum est, cessarunt; eadem ratione sublata sunt miracula, cum praedicatio evangelii per universum orbem fuisset diffusa. Confirmari illud potest ex Scripturis sacris, ex historia ecclesiae et ex testimoniis patrum. Marc. 16, v. 17. Christus apostolos suos ad *praedicandum evangelium* in toto terrarum orbe ablegans instruit eos dono miraculorum edendorum, quibus doctrinae evangelicae veritatem gentilibus confirment, quemadmodum etiam jam ante tum ipsos, tum septuaginta discipulos ad praedicandum in Judaeam ablegatos dono illo instruxerat Matth. 10, v. 1. Marc. 3, v. 13. Luc. 9, v. 1. c. 10, v. 1. 9. 17. 19. nequaquam vero generalem quandam promissionem dedit, quod donum illud etiam post praedicationem evangelii in mundo receptam ordinarie et perpetuo in ecclesia vigere debeat. De *dono enim linguarum*, quod apud Marcum inter illa miracula apostolicae ac primitivae ecclesiae refertur, dicit Paulus 1. Cor. 14, v. 22: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus,* ex quo loco Claudius Espencaeus comm. in 2. Tim. 3. colligit: *Ubi nullus est infidelis, faciendorum miraculorum nulla est necessitas.* **Chrysostomus in Matth. hom. 4. et 33. et 47. multis docet, *hodie postquam plantata est religio Christiana, nullam esse miraculorum necessitatem. Legi Moysis compluribus miraculis quondam per desertum auctoritas conciliabatur, quae postea, cum ad terram promissam venirent, fieri desinebant.* Augustinus lib. de vera relig. c. 25: *Miracula in nostra tempora durare permissa non sunt, ne anima semper visibilia quaereret et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.*** Virtute illius promissionis a Christo apostolis factae in XII. 105
ecclesia aliquamdiu viguit donum miracula faciendi,

Miracula ecclesiae non conveniunt semper.

ut ex Actis apostolicis et historia ecclesiastica colligitur. Irenaeus lib. 2. advers. haeres. c. 57. p. 160. de suis temporibus sic scribit: *In Christi nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in ecclesia; alii autem scientiam habent futurorum et visiones et dictiones propheticas; alii autem laborantes aliqua infirmitate per manuum impositionem curant et sanos restituunt. Jam etiam et mortui resurrexerunt et perseverarunt nobiscum multis annis, et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Postea vero recepta in mundo evangelii praedicatione donum miraculorum non fuit tam generale, sed quibusdam duntaxat personis ex gratia datum, sicut de Gregorio Thaumaturgo ob id dicto commemoratur ab Eusebio lib. 7. c. 25. et Hieronymo in vir. illustr. quod virtute edendi miracula instructus fuerit. Neque passim in omnibus locis, sed in quibusdam duntaxat fiebant miracula, quibus gentes adhuc incredulae ad fidem invitarentur, unde Eusebius lib. 5. histor. c. 7. scribit: *Statim post apostolorum tempora, etiam Irenaei tempore non passim, sed in quibusdam duntaxat ecclesiis ea adhuc patrata esse*, et Augustinus lib. 22. de civit Dei c. 8. licet aliquot miracula suo tempore facta recenseat, de caeco Mediolani circa sepulcra martyrum Protasii et Gervasii illuminato, de Innocentio Carthagini a fistula liberato, de Innocentia ibidem a cancro mammillari ad signum crucis curata etc. tamen in principio capitis distinguit inter tempus illud, quo evangelium nondum fuit in mundo publice receptum, et inter tempora posteriora evangelii in toto orbe praedicationem consecuta. *Possem* (inquit) *dicere, necessaria fuisse prius, quam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Idem libr. de utilit. credendi c. 16: *Talia miracula* (salutaria) *facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quemadmodum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus* etc. *Sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur,* inquis, *ista modo non fiunt? quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent* etc. *facta igitur sunt illa opportunissime, ut his multitudine credentium congregata atque propagata in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.* Hanc suam sententiam sic declarat libr. 1. retract. c. 14: *Hoc dixi, quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo miracula.* libr. de vera relig. c. 25: *Accepimus majores nostros eo gradu, quo a visibilibus ad aeterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter potuerunt) secutos esse, per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quaereret et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit*, quae verba sic declarat libr. 1. retract. c. 13: *Verum est quidem, non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium, aut nunc usque per umbram transeuntium praedicatorum Christi sanantur infirmi et si qua talia tunc facta sunt, quae postea cessasse manifestum est, sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri nulla miracula credantur* etc. *tam multa enim etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quae cognoscimus, enumerare possimus.* Chrysostomus hom. 23. in Joh. non longe a princ.: *Nonne et*
nunc quoque signorum petitio tentantium est? Sunt XII. 106.
sane et hac nostra aetate, qui quaerant, quare et nunc signa non fiunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis, signa enim incredulis dantur. Hom. 6. in 1. Cor. ante med.: *Et tunc* (tempore apostolorum) *utiliter fiebant miracula et nunc utiliter non fiunt* etc. *quo enim sunt manifestiora et magis necessaria, quae fiunt, tanto magis minuitur fides, quo ergo fuerit signum manifestius ostensum, eo magis fidei merces minuitur.* Hom. 49. operis imperf.: *Antea multis modis ostendebatur, quae esset ecclesia Christi et quae gentilitas; nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quae sit vera Christi ecclesia, nisi tantummodo per Scripturas. Antea per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani et qui falsi, donec enim vocatio fuit ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa servi Christi, quia signa divinae vocationis testimonia sunt, ut praedicationis veritas miraculis commendetur. Cessante autem vocatione incipiet seductio revocans homines a fide ad infidelitatem, quo fit, ut nunc signorum operatio omnino sublata sit, magis autem et apud eos invenitur, qui sunt falsi Christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum est danda potestas.* Damascenus libr. 1. orthodox. fidei c. 3: *ἡμεῖς μήτε τῶν θαυμάτων, μήτε τὸ τῆς διδασκαλίας δεξάμενοι χάρισμα* etc. Bernhardo multa miracula tribuuntur, sed is in serm. de Benedicto fatetur, se non edidisse miracula. *Licet* (inquit) *non habemus nostra, consolatio nobis magna esse debent patroni nostri miracula.* Ac serm. 1. in die adscens.: *Quis nunc daemonia ejicit, linguis loquitur* etc. Tarasius in act. 4. concil. Nicaen. II. sic loquitur: *Quare nostras imagines nulla hodierna die edunt miracula? Respondeo cum apostolo, miracula non credentibus data sunt, sed incredulis.* Gregorius homil. 29. in evangel.: *Numquid fratres mei, quia ista signa non facitis,*

Digitized by Google

minime creditis? sed haec necessaria in exordio ecclesiae fuerunt, ut multitudo ad fidem cresceret, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. ** *Ut fide cresceret multitudo credentium, miraculis fuit nutrienda* etc. *Sancta quippe ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat, quae nimirum miracula majora sunt, quando per haec non corpora, sed animae suscitantur. Haec itaque signa, fratres carissimi, auctore Deo si vultis, vos facitis.* ** Lib. 27. moralium c. 11: *Sunt nonnulli, qui cum mira apostolorum opera audiunt, quod accepto Spiritu s. mortuos verbo suscitarent, ab obsessis daemonia pellerent, umbra infirmitates amoverent* etc. *quia has virtutes nunc in ecclesia non vident, subtractam jam ab ecclesia supernam gratiam suspicantur nescientes pensare quod scriptum est: Adjutor in oportunitatibus, in tribulatione. Tunc quippe sancta ecclesia miraculorum adjutoriis indiguit, cum eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis et illa per multos cum oportunitas exigit, ostendit. Scriptum quippe est, linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Ubi ergo omnes fideles sunt, quae causa exigit, ut signa monstrentur?* Et postea: *Etsi Deus virtutum signa nunc per vitam fidelium crebro non exserit, ab eisdem tamen fidelibus per virtutem operum nunquam recedit.* Sic igitur miracula etiam posterioribus seculis facta sunt, sed non tam frequentia et copiosa quam in ecclesia primitiva apostolica et apostolicae vicina. Quod autem miracula his postremis ecclesiae temporibus a vere fidelibus facienda sint, de eo nulla exstat divina promissio, quin potius de Antichristo in *templo Dei sedente* exstat, quod *miraculis mendacii* mundum sit seducturus, inde Trithemius abbas in libro octo qq. ad imperat. Maxim. qu. 3. concludit, *hodie a veris Christianis nulla miracula quaerenda vel exspectanda*, ac discip. de temp.
XII. 107. serm. 12. scribit: *Tempore Antichristi boni non facient miracula et in hoc apparebit eorum constantia.* Ac Gerson in libr. contra sectam se flagellantium pulcherrime scribit, *quod mundus senescens patiatur phantasias falsorum miraculorum non secus, ac senex quispiam variis deluditur somniis*, unde concludit, *miracula ut plurimum hodie esse suspecta.* Idem in exposit. pass. sic concludit: *Miracula praeterita* (ab apostolis et praecipue a Christo ad confirmationem doctrinae coelestis facta), *tibi sufficere debent, si ea credis. Quodsi ea non credis, neque profecto nunc illis fidem adhiberes, quae videres et audires, imo ea contemneres, calumniis afficeres et reprobares. Non est certe miraculum ullum, quod firmius me faciat in Deum credere, quam quod in eum ex gratia sua credo. Satis enim mihi constat, nullum esse adeo magnum miraculum, quin ipsum divina potentia facere possit etiam majus millies.* In eandem sententiam Didacus Stella auctor Pontificius in c. 11. Luc. scribit: *Crede evangelio, quod fuit miraculis confirmatum. Sed dices, nonne rationi consentaneum est, ut nunc quoque fides confirmetur miraculis? Non, nam nunc quoque damnum potius afferrent, quam commodum, etiamsi in principio nascentis ecclesiae fuerint necessaria. Puer enim cum ambulare nequit, adjuvatur vehiculo, quod homini adulto est impedimento.* Ita quoque Acosta lib. 2. de proc. Indor. sal. c. 9: *Religio Christiana, ubi humana praesidia prorsus aberant, divinis est fundata miraculis; at nostrorum temporum longe alia est ratio* etc. Ibidem ex Chrysostomo disputat, *fidem jam satis firmatam miraculis novis non indigere confirmari, quin potius utilius esse signis nunc carere, cum majoris meriti sit sine illis credere.* Cornel. Mussus in concion. dom. Pentec. p. 412: *Cessant in nobis signa illa miranda potius quam imitanda, quae in primitiva ecclesia passim abundabant, ut sunt sanare infirmos, suscitare mortuos, ejicere daemones, nationes ad fidem convertere etc. haec signa facta sunt, ut religio plantaretur, nunc autem ea plantata non sunt necessaria.* et ante hos Roffensis episcopus advers. Luther. de captiv. Babyl. c. 10. initio hujus certaminis scripsit: *Promisit Christus, ut discipuli daemonia ejicerent, quam promissionem nullum his diebus effectum sortiri dilucide cernimus. Nemo enim est, qui nunc corporaliter daemonia ejicit aut morbos sanat, et tamen minime ambigimus, quando plurimi sint, qui fidem eandem et aeque magnam cum priscis fidelibus habeant, nec tamen inanis illa promissio fuit, quam noluit efficaciam habere perpetuam, sed pro tempore nascentis et adolescentis ecclesiae.* Quae omnia evidenter probant, miracula non requiri omnibus ecclesiae temporibus, quomodo igitur erunt genuina et propria ecclesiae nota, cum non sint illi perpetua?

276. 3. Miracula si non habeant doctrinae veritatem conjunctam, nihil probant. Ergo sola et per se non sunt genuina et infallibilis ecclesiae nota. Antecedens multis confirmari potest testimoniis. Deuter. 13, v. 1: *Si surrexerit in medio tui propheta aut qui somnium somniavit, et praedixerit signum aut portentum, et evenerit quod locutus est*, v. 2: *et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis*, v. 3: *non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum in toto corde et in tota anima vestra;* v. 4: *Dominum Deum vestrum sequimini et ipsum timete et mandata illius custodite et audite vocem ejus, ipsi servietis et ipsi adhaerebitis.* Hoc divino oraculo manifeste prohibentur Israelitae, ne ex solo miraculo de doctrina alicujus prophetae statuant, neve sequantur eum, qui signo ac portento quodam idololatricam suam doctrinam confirmat, contra vero jubentur, ut nulla habita thaumaturgi illius pseudoprophetae doctrina mandatis Domini firmiter adhaereant et vocem ejus unice amplectantur, quibus verbis exprimitur norma

ac regula, juxta quam de miraculis sit pronuntian-
XII. 108. dum. Quae miracula abducunt a Dei verbo et a fiducia in verum Deum ad falsas doctrinas et cultum idolorum, ea non sunt pro divinis, sed diabolicis miraculis habenda. Exprimitur etiam causa, propter quam permittat Deus talia miracula virtute diaboli per pseudoprophetas fieri, nimirum ut tentet et exploret nos, an velimus ipsi et verbo ejus unice adhaerere, adeoque ex toto corde ipsi servire, ex quo evidenter colligitur, non omnia miracula doctrinae confirmandae ergo, sed quaedam hominum explorandorum causa fieri, quemadmodum et Augustinus lib. 3. de Trin. c. 7. de magorum Aegyptiorum miraculis recte pronuntiat, quod *data fuerit illis potestas edendi quaedam miracula vel ad fallendos fallaces Aegyptios, vel ad admonendos fideles, ne tale quid facere magnopere desiderarent, vel ad exercendam et manifestandam justorum patientiam.* **Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 14: *Ante approbationem ecclesiae non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis. Daemon enim etsi non potest facere vera miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quaeque.*** Trithemius in resp. ad octo quaest. ad imper. Maxim. q. 3: *Ubi veritas non colitur, si qua fiunt miracula, non Deus, sed diabolus operatur. Deus enim cum sit veritas, religiones falsas non instituit et ideo suis miraculis mendacium nunquam illustravit.* Ceterum ut sensus loci illius Mosaici fiat illustrior, conjungimus locum Deut. 18, v. 20: *Propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quae ego non praecepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.* v. 21: *Quodsi tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?* v. 22. *hoc habebis signum, quod in nomine Domini propheta ille praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem propheta confinxit et non timebis eum.* Docentur Israelitae, pro falso propheta habendum esse eum, qui praedicit aliquid futurum, cui non respondet eventus; sed ne ex illo colligerent, omnes illos pro veris prophetis ac sanis doctoribus habendos, quorum praedictionibus eventus respondet, ideo c. 13, v. 1. diserte prohibentur illum prophetam sequi, qui ad idololatriam ipsos pellicere conatur, si vel maxime praedictionum veritatem subsequens complementum probet: Ex quo immote colligitur, ex praedictionibus et miraculis solis non posse aliquid de doctrina statui, sed contra potius ex doctrina de praedictionibus et miraculis esse judicandum. Miracula sunt doctrinae tesserae ac *sigilla*, quemadmodum igitur sigillum a literis avulsum nihil probat, ita quoque miracula sine doctrina nihil valent. Ideo cum dives epulo in flammis infernalibus constitutus Abrahamum rogaret, ut misso ad fratres in vivis adhuc superstites Lazaro miraculosa illa praedicatione ipsos converteret, accipit hoc responsi Luc. 16, v. 29: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos*, quibus verbis doctrina Moysis et prophetarum apparitionibus mortuorum et omnibus miraculis praefertur. Ac Petrus exposita miraculosa transfiguratione Christi in monte Thabor subjungit 2. Epist. 1, v. 19: *ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, habemus firmiorem sermonem propheticum*, ubi non confert invicem sermonem prophetarum et vocem Patris coelestis in transfiguratione auditam, quia eadem etiam vox per prophetas sonuit, sed confert miraculosam Christi transfigurationem ac Moysis et Eliae miraculosam apparitionem cum sermone prophetico, *atque hunc illis longe firmiorem ac stabiliorem dicit*, miracula enim non tam solidum praebent fidei fundamentum quam ipsum Dei verbum, quo pertinet observatio Chrysostomi hom. 23. in Joh. statim in princ.: *Firmiores erant discipuli non signorum tantum gratia, sed et doctrinae Jesum secuti (ἐκεῖνοι ἀκριβέστεροι ἦσαν οἱ μαθηταὶ, ὅσοι μὴ ἀπὸ σημείων προσῄεσαν μόνον, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς διδασκαλίας.) Qui enim crassiori erant ingenio, signis trahebantur; acutiori vero, prophe-
tiis et doctrina. ¡Quicunque igitur per doctrinam* XII. 109.
crederent, constantiores erant, quos etiam beatos appellavit dicens: Beati qui non viderunt et crediderunt. Augustinus de consensu evangel. lib. 4. c. 10: *Christus regulo dicit: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis, usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipsa miracula, quae quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quaeri velit.*

277. At, inquis, si haec ita se habent, cur Christus toties provocat ad sua miracula, ut per illa auditores ad fidem perducat? Joh. 5, v. 36: *Habeo testimonium majus Johanne, opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa testimonium perhibent de me.* Joh. 10, v. 37: *Si non facio opera Patris, nolite mihi credere;* v. 38. *si autem facio et mihi non vultis credere, operibus credite* etc. Respondemus: Praeterquam quod distinguendum sit inter statum ecclesiae Christianae nascentis et adultae (ut paulo superius admonuimus), non dicimus absolute et simpliciter, miracula nihil probare, sed miracula sine doctrina nihil probare, conjungenda igitur cum miraculis doctrina, ad quam confirmandam adhibentur. Si doctrina convenit cum ea, quae per Moysen, prophetas, Christum et apostolos revelata est, tunc etiam miracula, quae ad illam confirmandam eduntur, pro divinis sunt habenda; sin vero doctrina illa, ad quam confirmandam miracula fiunt, pugnet cum doctrina coelesti per Moysen, prophetas, Christum et apostolos generi humano revelata non possunt nec debent pro divinis haberi, ut ex dicto Mosaico evidenter colligitur. Sic Christus ipse, qui tamen *αὐτόπιστος* et ipsa veritas non ad sola miracula provocabat, sed ad Moysen ac prophetas, ex quorum scriptis dogmata sua confirmabat Matth. 5, v. 17. cap. 11, v. 3. cap. 22, v. 29. Joh. 5, v. 39 etc. idem etiam miracula non praemittere solebat concionibus, sed conciones miraculis. Disserit hac de re egregie Tertullianus lib. 3. adv. Marcion.

Digitized by Google

c. 3. in princ.: *Non fuit, inquis, ordo ejusmodi necessarius, quia statim se et Filium et missum et Dei Christum rebus ipsis esset probaturus per documenta virtutum. At ego negabo, solam hanc illi speciem ad testimonium competisse, quam et ipse postmodum exauctoravit. Si quidem edicens, multos venturos et signa facturos, nec tamen ideo admittendos temerariam signorum et virtutum fidem ostendit ut etiam apud pseudochristos facillimam.* Beroënses Actor. 17, v. 11. videbant quidem multa ab apostolis edi miracula, non tamen ex illis solis de doctrina judicabant, sed cum Scripturis praedicationem apostolicam conferebant, quibus quoniam conformis deprehendebatur, et doctrinam et miracula vera esse statuebant, quo nomine a Spiritu sancto commendantur. Sic apostoli dono miraculorum instructi ex Mosaicis et propheticis scriptis doctrinam suam demonstrabant Act. 26, v. 22. Rom. 3, v. 21. etc. inde recte scribit Theophylactus in c. 9. Luc.: *Docet Christus, ut is, cui concredita est doctrina, et praedicare et miracula patrare debeat, tunc enim praedicatio per miracula confirmatur, miracula autem per praedicationem.* Alterius sic altera poscit opem res et conjurat amice. Contra vero suspecta est *omnis revelatio, quam non probat lex cum evangelio,* ut habet vulgatum illud Gersonis, quod ipsum etiam de miraculis statuendum, ideo addit Theophylactus l. d.: *Multi saepenumero miracula fecerunt per daemonas, sed illorum praedicatio sana non fuit, quare neque illorum miracula ex Deo fuerunt.* In eandem sententiam hac de re disserit Maldonatus Jesuita in comm. Matth. 7. postquam enim ex Scriptura et patribus demonstrasset, etiam falsos prophetas vera miracula facere, subjicit quaestionem, *an ergo nullum ad probandam veram doctrinam argumentum ex miraculis sumi possit?* cui respondet hoc modo: *Non sequitur omnino nullum, sed non necessarium sumi posse. Scimus enim, Christum ad confirmandam doctrinam suam potestatem faciendi miracula apostolis suis tradidisse. Scimus, vi miraculorum totum paene orbem ad fidem fuisse pertractum, quod qui negant, ut disputat Augustinus, majus ipsi miraculum miraculo tollendo faciunt; in-*
XII. 110. *credibilius enim tot philosophos, tot sapientes viros, tam paucis apostolis, tam imperitis tamque incredibilia humanae rationi praedicantibus sine ullis miraculis credidisse, quam illa ipsa miracula, quae ab ipsis facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem saepe, sine fide raro fieri solent. Nec necessario demonstrant ecclesiam, nisi potestas miracula faciendi ordinaria contingit.* Haec Maldonatus, cujus dissertatio esset perfectior, si addidisset, ex miraculis cum vera doctrina conjunctis necessarium omnino argumentum exstrui posse. Ferus in comm. c. 24. Matth.: *Non doctrina ex miraculis, sed miracula ex doctrina aestimanda sunt.*

278. Hujus loci est regula Augustini libr. 10. de civ. Dei c. 16: *Si hi* (angeli) *mirabilibus factis humanas animas permoverent, qui sacrificia sibi expetunt, illi autem, qui hoc prohibent et uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur; profecto non sensu corporis, sed ratione mentis praeponenda esset eorum auctoritas.* Ex quo manifeste colligitur, doctrinam esse miraculis potiorem neque ex solis miraculis de doctrina ferendum esse judicium. libr. 13. contra Faustum Manich. c. 5. cum de Manichaeis dixisset: *Miracula non facitis, quae si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus per instruentem nos Dominum et dicentem: Exsurgent multi pseudochristi* etc. subjungit hoc epiphonema: *Usque adeo nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum auctoritatem, quae fidem suam in rebus ipsis probat.* Eodem fine disputat, miracula sola non demonstrare ecclesiam, sed ideo approbari miracula, quia in ecclesia fiunt. Verba sic habent lib. de unitate eccles. c. 16. post med.: *Utrum ipsi* (Donatistae) *ecclesiam teneant, non nisi divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos dicimus propterea nobis credere oportere, quod in ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostrae communionis episcopi, aut quia nostrorum collegarum conciliis ipsa praedicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quae frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum vel sanationum fiunt, ita ut latentia per tot annos corpora martyrum, quod possunt a multis interrogantes audire, Ambrosio fuerunt revelata et ad ipsa corpora coecus multorum annorum civitati Mediolanensi notissimus oculos lumenque receperit, aut quia ille somnium vidit et ille spiritu assumtus audivit, sive ne iret in partem Donati, sive ut recederet a parte Donati. Quaecunque talia in catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus, cum resurrexisset a mortuis et discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciae se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis et prophetarum et psalmorum confirmandos esse judicavit ostendens ea de se impleta, quae fuerant tanto ante praedicta. Sic et ecclesiam suam commendavit dicens, praedicari in nomine suo poenitentiam et remissionem peccatorum* etc. Quid manifestius pro nostra sententia dici potuisset, quod non ex solis miraculis, sed ex Scripturis s. de doctrina judicandum sit? Bellarminus regerit, *Augustinum contrario modo loqui in lib. cont. epist. fundam. cap. 4. et 5. ubi dicit, ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis, imo Scripturas demonstrari ex ecclesia.* Addit etiam Bellarminus observationem, *ex miraculis ecclesiam et ex ecclesia miracula demonstrari, sed diverso genere demonstrationis, quemadmodum ex effectu demonstratur causa et ex causa effectus. Ex miraculis enim demonstrari ecclesiam, non quoad evidentiam vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam et certitudinem credibilitatis. At ex ecclesia demonstrari miraculum quoad certitudinem rei.*

Digitized by Google

Respondemus: 1. Augustinus lib. cont. ep. Fundam. c. 4. et 5. loquitur de miraculis ecclesiae primitivae. *Tenet* (inquit) *me in ecclesiae gremio consensio po-*
III. 111. *pulorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.* Jam vero alia est ratio ecclesiae apostolicae ac primitivae, quam temporum postremorum. De miraculis in primitiva ecclesia edendis exstant vaticinia prophetica Esai. 35, v. 5. Joël. 2, v. 28. etc. quod autem postremis ecclesiae temporibus miracula a veris doctoribus ordinarie sint edenda, nuspiam in Scripturis exstat, quin potius contrarium in illis habetur, quod scilicet *pseudoprophetae* et *Antichristus* miraculis suis multos sint seducturi Matth. 24, v. 24. 2. Thess. 2, v. 9. 2. Augustinus miraculis non tribuit apodicticam et infallibilem vim ecclesiam demonstrandi, sed duntaxat probabilem, addit enim, si Manichaei ex Scripturis demonstrare possent, quam jactitant veritatem, se velle missis miraculis et aliis, quae ibidem commemorat, ad ipsorum partes transire. *Apud vos* (inquit) *sola personat veritatis pollicitatio, quae quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, praeponenda est rebus illis omnibus, quibus in ecclesia catholica teneor.* 3. Ex solis miraculis ecclesiam demonstrari, nuspiam dicit Augustinus, sed *teneri se* in ecclesia catholica auctoritate miraculis inchoata, consensione populorum ac gentium, successione episcoporum, nomine catholicae etc. ubi nec sola miracula commemorat, nec infallibilem demonstrandi vim illis tribuit, sed enumeratis omnibus veritatem ex Scripturis demonstratam praefert. 4. *Si ante ecclesiae approbationem non potest esse certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum* (quod disertis verbis hoc loco Bellarminus asserit), qua veritatis specie dici potest, ex miraculis ecclesiam demonstrari?

rgu- ienta ellar- ini pro iracu- s.

279. Videamus, quomodo Bellarminus probare conetur, miracula esse veram et propriam ecclesiae notam. Fundamenta praemittit duo: unum, *quod miracula sint necessaria ad novam fidem vel extraordinariam missionem persuadendam;* alterum, *quod sint efficacia et sufficientia. Ex priore pollicetur, se demonstraturum, non esse apud adversarios ecclesiam; ex posteriore, eam apud Romanenses esse.* Pro confirmatione prioris fundamenti producit 1. testimonia Scripturae. Exod. 4. *cum Moyses mitteretur a Deo ad populum ac diceret: non credent mihi neque audient vocem meam; non respondit illi Deus, debent credere velint nolint, sed dedit illi potestatem faciendi miracula et ait: ut credant, quod apparuerit tibi Dominus.* Et in N. T. Matth. 10: *Euntes praedicate dicentes: Appropinquavit regnum coelorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Joh. 15: *Si opera non fecissem eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* 2. Argumentum: *Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus, a quo mittitur, suam auctoritatem, alioqui nemo tenetur eum recipere. Omnis autem qui mittitur ad praedicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios praelatos, vel extraordinarie a solo Deo; et quidem qui mittitur per ordinarium praelatum, debet ostendere testimonium ordinarii praelati, nimirum literas ejus sigillo munitas. Qui vero mittitur a solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil est aliud quam miraculum. Sic enim dicitur* Marc. c. 16: *Illi profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Hebr. 2. *contestante Deo signis et virtutibus. 3. Testimonium Augustini, qui libr. 22. de civ. Dei c. 8. dicit, miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet. 4. Consensum Philippi Melanthonis, qui in c. 3. Matth. dicit, quando magnae sunt tenebrae, vocari novos doctores et semper a Deo addi miracula, ut certo sciamus, esse a Deo missos.* Respondemus: 1. Nova fides duplici ratione sic dicitur, vel quod sit *vere*, τῷ εἶναι, nova, vel quod *apparenter* duntaxat, τῷ φαίνεσθαι, nova. Saepe enim fit, quod aliquid novum dicitur, quando renovatur, cum tamen sit antiquum. 2. *Missio extraordinaria* itidem duplici ratione dicitur, vel *respectu ordinis tunc in ecclesia publice recepti*, vel *respectu ordinis a Deo instituti;* illa spectat ad corruptelas vulgo receptas abolendas, XII. 112.
haec ad cultum, quem Deus instituit, mutandum. Ad fidem sensu priore novam et ad missionem sensu posteriore extraordinariam miracula requiri, probant argumenta a Bellarmino allata (si tamen aliquid probant); sed nostra fides, quam profitemur, non est nova, sed per omnia conformis antiquae fidei in Scripturis sacris propositae, ac missio Lutheri et aliorum symmistarum non fuit extraordinaria sensu posteriore, sed ordinaria, ergo non debent Pontificii miracula quaedam externa a nobis exigere. **(Becanus de vocat. ministr. th. 45: *Christo inter cetera missionis praesidia adhuc opus fuisse miraculis.* Atqui 1. miracula deficiunt in quibusdam personis, utpote Aarone, prophetis etc. 2. deficiunt in certis actibus, in quibus sine signo creditum fuit Christo a Samaritanis Joh. 4, v. 42. Paulo a Beroënsibus Actor. 17, v. 11. a Lydia c. 16, v. 14. etc. Petro a Hierosolymitanis Actor. 2, v. 37. Apollini a Judaeis Actor. 18, v. 28. Necessario et perpetim cohaerentia nunquam divelluntur. At signa et vocationis probatio divelluntur. His ultimis temporibus non poterat vocatio immediata miraculis confirmari, 1. quia Deus miracula in signa constituit Antichristo Matth. 24, v. 24. 2. Thess. 2, v. 9. 2. Placuit Deo varios agendi modos in causa fidei olim usurpatos tollere et homines verbo adstringere, quod etiam in clade Antichristi ceu oris spiritum adhibiturus erat 2. Thess. 2, v. 8. 3. Causa, ob quam olim miracula et signa requisita sunt, non erat alia, quam quia homines propheticis vaticiniis eo remittebantur Esai. 35, v. 5. Deut. 18, v. 22. quae cum nos destituat, neque Christus hoc medio doctores probare jubeat, ab eo tanquam electitio merito desistimus. Grodicius in post. p. 184: *Miracula sunt infallibilis tessera immediate vocati a Deo.* Costerus dom. 3. adv. p. 46: *Deum nec notabiles ullos in eccle-*

Digitized by Google

siam mittere solere reformatores, ut aliquam in moribus mutationem introducant sine signis. Respondemus: quamvis Deus extraordinariam vocationem suorum ministrorum ut plurimum miraculis conspicuam reddiderit, non ut verbi veritas ab auctoritate miraculorum penderet, Deuter. 13. sed ut impiorum pertinacia validius percelleretur, imbecillitas etiam infirmorum adjuvaretur; tamen ad omnem divinam et extraordinariam vocationem ἁπλῶς necessaria esse miracula negamus.)** 3. Ad fidem posteriore sensu novam et ad missionem priore sensu extraordinariam miracula necessario requiri, ex Scripturis non poterit demonstrari, quin potius contrarium ex illis colligitur. Quoties enim pii reges ac prophetae in ecclesia Israëlitica corruptelas doctrinae et cultus baaliticos removerunt, qui tamen nulla fecerunt miracula! Quoties orthodoxi episcopi N. T. ecclesiam ab Arianismo et aliis haeresibus expurgarunt, qui tamen dono faciendi miracula non fuerunt omnes instructi! 4. Miracula etiam dicuntur duplici respectu, vel quae *exterius* in oculos occurrunt ac magnam speciem obtinent, qualia sunt, mortuos excitare, coecos illuminare, claudos sanare; vel quae *interiore* Dei virtute peraguntur, neque ita perstringunt oculos externos, qualia sunt doctorem aliquem divinitus excitari, singularibus Spiritus sancti donis exornari, mirifico successu doctrinam illius contra conatus adversariorum propagari, etc. Si de miraculis sensu priore acceptis loquamur, negamus, ea in reformatione ecclesiae et in missione extraordinaria requiri, quia de Johanne Baptista, per quem ecclesiae Israëliticae corruptelas Deus reformavit, expresse dicitur Johan. 10, v. 14. *quod nullum fecerit signum.* Si de miraculis sensu posteriore acceptis quaestio sit, ea non possunt ecclesiae nostrae denegari.

Roma orbem domuit, Romam sibi papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quantum isto major Lutherus, major et illa,
Orbem urbemque uno qui domuit calamo.

Item:

Lutherus decimum confecit strage leonem,
De clava noli quaerere, penna fuit.

Item:

Vir sine vi ferri, vi verbi et inermibus armis
Totius immensas contudit orbis opes.

5. Si miracula ad novam fidem et extraordinariam missionem duntaxat sunt necessaria, tum ne ipsi quidem Pontificii *vera ac necessaria miracula* habent, neque enim novam fidem vel extraordinariam missionem jactitant, sed de antiquitate suae fidei et missionis apostolicae auctoritate perpetuo gloriantur.

280. His ita praemissis ad argumenta Bellarmini
XII. 113. facile responderi potest. 1. Moysis vocatio erat immediata et penitus extraordinaria, erat ipse Israëlitis omnino ignotus et mirandum illud opus, videlicet liberatio ex servitute Aegyptiaca, erat plane extraordinarium, ergo necessarium illi fuit miraculis suam vocationem et praedicationem demonstrare. Praeterea Israëlitae eo tempore nondum habebant Scripturas, ex quibus Dei voluntatem de hoc mirando beneficio discere potuissent. Nos vero habemus Scripturas publico ecclesiae consensu receptas, ex quibus Lutherus doctrinam suam demonstravit et ad eas unice provocavit, neque unquam *immediatam* quandam vocationem jactitavit, sed quia ad praedicationem evangelii mediate et ordinarie fuit missus, illud juxta Dei voluntatem in Scripturis patefactam purum a sordibus ac corruptelis praedicare et voluit et debuit. 2. Sub initium N. T. miracula fuerunt necessaria, ut publice constaret de adventu Messiae, de quo praedictum erat, quod miraculis suam missionem ac doctrinam demonstraturus sit Esa. 35, v. 5. hodie vero non est talis necessitas miraculorum evangelii praeconio publice in toto orbe recepto, quo pertinent dicta veterum paulo superius hac de re citata. 3. Ex verbis Christi Joh. 15, v. 24: *Si opera non fecissem inter eos, quae nullus alius fecit, peccatum non haberent,* nequaquam colligi potest, plane non esse adhibendam fidem doctoribus illis, qui sine miraculis veniunt, etiamsi doctrinam Scripturae conformem tradant, alias recte fecissent Judaei non adhibentes fidem doctrinae Johannis Baptistae, qui nullum faciebat signum, cum tamen Luc. 7, v. 30. Christus hoc nomine Pharisaeos ac legis peritos accuset, *quod consilium Dei spreverint non baptizati a Johanne Baptista.* Sed loquitur Christus *comparate,* Judaeos scilicet non quidem nullum, sed non tantum habituros peccatum, si Christus non tot ac tantis miraculis doctrinam suam confirmasset. Collationis gratia huc afferri potest dictum Christi Matth. 11, v. 21: *Vae tibi Chorazin, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro ac Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* v. 23: *Si in Sodoma factae fuissent virtutes, quae in te* (Capernaum) *factae sunt, mansissent forte usque in hanc diem,* ubi Christus Tyrios, Sidonios ac Sodomitas non excusat ab *omni,* sed a *tanto* peccato, quantum incolis Chorazin, Bethsaidae et Capernaum tribuit, quod scilicet tanta miraculorum copia et majestate non fuerint ad consortium ecclesiae vocati, ideoque etiam tanto tam gravis peccati reatu non teneantur constricti. 4. Qui aliquid agit vel docet contra ordinem publice receptum, si ordo ille sit corruptus, non necesse habet miraculis suam vocationem et doctrinam confirmare, sed sufficit, si vocationem habeat ab illis, quibus ecclesia vocandi partes dedit, et si ex Scriptura doctrinam suam probet. Quare cum Lutherus non jactitaverit immediatam missionem, sed ad ministerium fuerit ordinario modo vocatus, nec protulerit novam doctrinam, sed veterem a novis corruptelis repurgaverit, non debent ab ipso miracula exigi, alias longe majori jure a Johanne Baptista Pharisaei eadem exigere potuissent. 5. Augustinus quidem dicit, *miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet,* sed diserte addit, *qui nunc quaerit mira-*

Digitized by Google

cula', publice scilicet recepta evangelii doctrina, *magnum esse prodigium.* Distinguit igitur inter fidem Christi propagandam ac propagatam, inter statum ecclesiae primitivae et tempora ejus postrema, ac disertam addit rationem, quare confirmata semel doctrina Christi miraculis non amplius fuerit opus. *Canon quippe sacrarum literarum* (inquit), *quem diffamatum esse oportebat, illa* (antiqua miracula a Christo et apostolis edita) *facit ubique recitari et memoriae cunctorum inhaerere populorum.*

[Exc]eptio- [nes] Bel- [lar]mini. 281. Sed invenit Bellarminus aliquid, quod hisce opponere voluit. *1. Nostram doctrinam esse novam et cum tota antiquitate pugnantem.* Respondemus: contrarium ostendimus superius. *Quod ab antiquo dierum* descendit et in *antiquis Scripturarum sacrarum tabulis* monstrari potest, id novum nemo
[XI]L 114. dixerit. At quaecunque dogmata ecclesia nostra profitetur, ea ab antiquo dierum descendunt et in antiquis Scripturarum sacrarum tabulis monstrari possunt. Ergo etc. *2. Constare, nos saltem aliter docere, quam doceant ordinarii pastores, constare etiam, nos non esse missos ab ordinariis pastoribus; ergo nec debere, nec tuto posse doctrinam nostram recipi, nisi divino testimonio missio demonstretur.* Respondemus: Prophetae repurgantes ecclesiam a cultibus baaliticis et peregrinis doctrinis itidem aliter docebant quam ordinarii pastores, sacerdotes scilicet Levitici; Johannes Baptista itidem aliter docebat quam ordinarii pastores, scribae scilicet ac Pharisaei; nihilo tamen minus Israëlitae non solum tuto poterant, sed etiam tenebantur doctrinae ipsorum fidem adhibere, etiamsi externo quodam miraculo missionem suam non confirmaret. Nostri ministri non alia docent, quam quae apostoli et primitivae ecclesiae pastores docuerunt, illis debebant se conformare, qui se apostolorum successores esse gloriantur, non a nostris exigere, ut potius respiciant, quid ipsi doceant, quam quod Christus et apostoli docuerunt. Quod additur, *Lutherum non fuisse missum ab ordinariis pastoribus*, de eo dictum fuit superius in examine quintae notae. *3. Johannem quidem non fecisse miracula, in ipso tamen multa et magna fuisse facta, utpote quod natus de anu ac sterili, quod pater ejus obmutuerit et postea soluta sit lingua in filii nativitate, quod in utero exsultaverit, quod a puero in desertis locis vixerit.* (**Eandem exceptionem repetit Becanus in disp. de vocat. ministr. th. 46. *multa scilicet circa Johannem facta esse miracula.* Respondemus: 1. plerique auditores Johanni adhaerentes illa nunquam cognoverant vel audierant; 2. alii densissima oblivione sepelierant, adeoque facta fuerunt signa non ad auditores Johannis, neque tunc quando vocationem probare opus erat; 3. nec hoc effectu et fine, ut talem vocationem demonstrarent aliis, multi forent immediate vocati, de quibus diversum constat. Circa populum Israeliticum quot contigere miracula! circa paralyticos, leprosos, daemoniacos etc. a Christo liberatos, circa Mirjam, Naamanem Syrum, socios Danielis etc.**) Respondemus: haec non omnibus, nec toti populo, sed paucis duntaxat in vicinia fuerunt nota, Luc. 1, v. 65. ac facta fuerunt, antequam docendi munus Johannes aggrederetur; sed Pontificii exigunt externa et manifesta miracula, quibus doctores suam missionem confirment. Ergo non quaerunt in quo, sed a quo miracula fiant. Ac si miracula illa Johannis vel fuissent publice nota, vel pro miraculis proprie sic dictis habita, quare synedrion Hierosolymitanum ex ipso quaesivisset, *quam haberet vocationem ad docendum et baptizandum* Joh. 1, v. 25? quorsum etiam diceret populus Joh. 10, 41: *Johannes quidem nullum fecit signum?* in quae verba sic commentatur Maldonatus: *Videtur in hoc verbo duplex argumentum implicatum esse. Alterum est, Johannes nullum unquam miraculum fecit et illi credimus, multo magis ergo huic Christo credere debemus* etc. Salmeronius tom. 4. hist. evang. part. 2. p. 264: *Johannes, ut et alii multi prophetae, signa non edidit.* Quodsi Bellarminus existimat, sufficere ad demonstrandam divinam missionem miracula quovis modo sic dicta, si vel maxime externo splendore non incurrant in oculos, opponimus illi mirabilem doctrinae evangelicae successum, dona docendi singularia in Luthero, defensionem ejusdem contra tot potentissimorum hostium minas atque insidias etc. Quod Bellarminus inter miracula in Johanne facta numerat *commorationem ipsius in deserto* a puero, de eo annotamus verba Chemnicii c. 16. harm. pag. 295: *Varia de illo deserto Johannis disputata exstant. Multi enim ita accipiunt, quasi locus fuerit invius, ubi inter feras extra omnem hominum conspectum vixerit. Nicephorus recitat traditionem, cum Herodes circa Bethlehem puellos undique ad crudelem necem conquireret, matrem Elisabetham cum puerulo suo latitandi causa fugisse ad desertum locum et Johannem postea in deserto illo, ad quod tali occasione pervenerat, mansisse. Haec opinio aliquam habet speciem, sed Lucas dicit, Spiritum et manum Domini fuisse cum Johanne, ita ut de pueritia et adolescentia ejus omnes dicerent: Quis putas puer iste erit? Non ergo in deserto invio extra hominum conspectum et con-* XII. 115.
versationem inter feras Johannes in pueritia et adolescentia vixit. Hebraeis enim distincta sunt vocabula deserti et solitudinis, ac desertam esse terram minus cultam et foecundam loca Scripturae testantur Es. 32, v. 15. Jer. 12, v. 10. Matth. 14, v. 15. etc. *rarior itaque et minus frequens nec adeo culta fuit habitatio in deserto, sicut in aliis locis.* *4. Johannem fuisse filium sacerdotis, et proinde sacerdotem et ordinarium ministrum.* Respondemus: si a synedrio Hierosolymitano pro sacerdote et ordinario ministro fuisset habitus, nequaquam missa ad ipsum legatione cum eo expostulassent, quod secessione a templo facta in deserto doceret et baptizaret. *Fuit Johannes in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israël* Luc. 1, v. 80. ergo in adolescentia sua non fuit missus ad collegia illa, quae Hierosolymis magno numero pro

Digitized by Google

theologiae studiosis, futuris olim sacerdotibus constituta erant Act. 6, v. 9. ut ibi literis institueretur, nec cooptatus fuit in collegium sacerdotum, ut parentis loco in templo ministraret, sed vixit in deserto et extraordinario modo Deus ipsum idoneum reddidit ad tantum ministerium, sicut etiam antea fecerat, quando religionem collapsam illustri aliqua et immediata vocatione voluit instaurare, ut ex Amos. 7, v. 15. manifestum, quae sunt verba Chemnicii loco dicto. Urgemus igitur hoc argumentum. Ordinarii sacerdotes Levitici in templo, non extra templum, officium suum administrabant. Johannes Baptista non in templo, sed extra templum in deserto officium suum administravit. Ergo non fuit ordinarius sacerdos Leviticus. Item, nullus sacerdos Leviticus novam et inusitatam ceremoniam, baptismi puta, administravit. Ergo non fuit ordinarius sacerdos Leviticus. Christus de ipso testatur, quod fuerit *plus quam propheta* Matth. 11, 8. quomodo igitur in censum sacerdotum Leviticorum et ordinariorum ministrorum compingi potest? *5. Johannem nihil docuisse contra communem doctrinam, neque se a ceteris sacerdotibus et populo separasse. Quamquam enim principes et Pharisaei eum odissent, quia Christum praedicabat, tamen interrogati a Christo Matth. 21. quid sentirent de baptismo Johannis, non sunt ausi illum improbare. Josephus etiam lib. 18. antiq. Jud. c. 10. testatur, Johannem a Judaeis fuisse habitum inter praecipuos viros justitiae et probitatis causa, unde mendacium est, quod centuriatores dicunt, Johannem habitum a sacerdotibus et Pharisaeis pro haeretico.* Respondemus: imo vero Bellarminus hoc negans aperte fallitur, Luc. 7, v. 30: *Pharisaei et legisperiti spreverunt consilium Dei adversus se ipsos non baptizati a Johanne.* v. 33: *Venit Johannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum et dicitis, daemonium habet,* in quem locum sic commentatur Toletus: *Pharisaei et scribae seu legum doctores nullatenus credebant Johannem a Deo missum, sed hoc consilium Dei contemnebant et interpretabantur Johannem virtute daemonis austeram vitam vixisse.* Quo etiam pertinet expostulatio illa Joh. 1, v. 25: *Quid baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* Si eum non habuissent pro haeretico, cur baptismum ab eo non suscepissent, cur daemonium illi tribuissent, cur de vocatione controversiam ipsi movissent? Neque quidquam poterat absurdius dici, quam quod Bellarminus asserit, *Johannem nihil docuisse contra communem doctrinam, neque se a ceteris sacerdotibus et populo separasse.* An non erat contra communem doctrinam, totum cultum Leviticum abolendum esse, sacrificia esse typos unici illius sacrificii in ara crucis per Messiam offerendi, quem propterea vocat agnum Dei, ac Messiam illum praesto esse? An non a ceteris sacerdotibus ac populo Johannes sese separavit, quando in deserto extra templum novam baptismi ceremoniam inchoat ac Pharisaeos et Sadducaeos ad baptismum suum venientes *progeniem viperarum* appellat? Quod Matth. 21, v. 25. non audent Johannis baptismum improbare, ejus rei causa ibidem ab evangelista exponitur, non quod de persona vel de baptismo ipsius honorifice sentirent, sed quia *turbam timebant, a qua Johannes habebatur pro propheta*, de quo judicio promiscuae turbae etiam loquitur Josephus lib. 16. antiq cap. 10. quod enim Pharisaeos attinet, de illis scribit XII. 114 Hieronymus in cap. 17. Matth. *quod in Johannis necem consenserint*, id quod ex evangelica historia non obscure colligitur, dissimulant enim Herodis violentiam odio Johannis baptistae, atque adeo illis hoc factum non displicet, ut statim incipiant agitare consilia de opprimendo etiam Jesu, quem Johannes commendaverat Joh. 1, vers. 15. unde Matth. 17, vers. 12. Christus inquit, *filium hominis ab iis passurum*, qui in Baptista idem antea fecerant.

An miracula sint sufficientia fidei testimonia

282. Alterum suum fundamentum, *quod miracula sint efficacia et sufficientia fidei testimonia*, Bellarminus confirmat hoc modo: *Vera miracula non possunt fieri nisi Dei virtute, dicitur enim miraculum, quod superat vires omnium creaturarum et ideo omnibus creaturis est mirabile, et propterea in Scripturis dicuntur testimonia Dei. Quare quod miraculo confirmatur, testimonio Dei confirmatur, Deus autem non potest esse testis mendacii; quod ergo miraculo confirmatur, verum sit necesse est.* Respondemus: 1. concedimus, vera miracula nulla vi nisi divina fieri posse; atqui saepius aestimantur vera miracula, quae tantum sunt mirabilia ac diaboli opera fiunt. Externo adspectu vera miracula a falsis, divina a diabolicis discerni nequeunt, accedat igitur oportet judicium Spiritus, quod *ex doctrina* de miraculis fertur. **Bellarminus lib. 3. de Rom. pont. cap. 15. disputat, *quod miracula vera a falsis non possint dignosci, imo quod occulta sit ratio, quae sint vera et falsa miracula.*** 2. Deus etiam falsis doctoribus potestatem edendi miracula concedit, non ad probationem dogmatum haereticorum, sed vel ad probationem piorum, Deut. 13, v. 2. vel ad confirmationem illorum, quae adhuc sana et integra apud haereticos habentur, sicut ipse Bellarminus de miraculo Pauli Novatianorum episcopi sub finem hujus capitis scribit, quod *factum sit non in confirmationem fidei Novatianae, sed catholici baptismi*, qua de re plura superius. 3. Quod Bellarminus addit, *miracula fieri vel ad confirmandam fidem, vel ad illustrandam alicujus sancti gloriam, ita ut ostendant, eum hominem vere esse sanctum*, illud itidem non potest absolute et simpliciter concedi, quandoque enim illi edunt miracula, quibus Christus in die judicii dicet, non novi vos Matth. 7, v. 22. 23. Quomodo vero de illis dici potest, quod vere sint sancti? Unde recte statuit glossa in verbo Miracula c. Audivimus extr. de reliq. et venerat. sanctor.: *Non continuo eum, qui miracula facit, nos venerari debere pro sancto*, cum secundum c. Teneamus 1. quaest. 1. *fiant miracula quandoque etiam per malos.* Audiat hac de re Bellarminus se ipsum, si enim disputat libr. 1. de grat. et libero arbitrio cap.

Digitized by Google

10. §. Secundo quaeri potest: *Dubitari non potest, quin gratiae gratis datae a gratia gratum faciente separari possint. Posse enim esse sine caritate donum linguarum, prophetiam, sapientiam, scientiam et fidem, testatur apostolus 1. Corinth. 13. Constat autem, caritatem vel ipsam gratiam gratum facientem esse vel ejus comitem individuam.* Ad haec Matth. 7. *Dominus ait, multos dicturos in die judicii: Nonne in nomine tuo prophetavimus et virtutes multas fecimus? qui tamen audient: Nescio vos, et discedite a me omnes operarii iniquitatis. Denique et Balaam hariolus multa de Christo vere prophetavit Num. 22. et 23. et Caiphas vir alioqui perditissimus, cum esset pontifex illius anni, prophetavit Johan. 11. Negandum tamen non est, ut plurimum gratias gratis datas cum gratia gratum faciente conjungi, quia ut Gregorius docet homil. 17. in Ezech. ejusmodi donis servos suos Deus donat exterius, ut appareat, quid sint apud Deum interius.* Haec Bellarminus, ex quibus evidenter colligitur, non esse perpetuae immotae veritatis, *quod is sit vere sanctus, qui miracula facit*, cum absque caritate vera sanctitas locum non habeat et tamen a fide miraculorum caritas abesse possit.

An in ecclesia Romana vigeant miracula. XII. 117.

283. *Membrum secundum.* Num in ecclesia Romana vigeant miracula? Possemus brevi linea agere ac rem totam hoc syllogismo complecti. Miracula quae fiunt in ecclesia Romana aut confirmant doctrinam propheticam et apostolicam, aut corruptelas, superstitiones et cultus idololatricos. Si prius, demonstrandum est, ex sacris literis doctrinam Romanae ecclesiae, qualis est hodie, omni ex parte cum doctrina prophetica et apostolica convenire; si posterius, miracula illa non debent attendi. Sed ut de miraculis illis, quae tantopore a Pontificiis jactitantur, rectius fieri possit judicium, in certas classes illa distribuemus, praemissa necessaria ista admonitione, quod quaedam narrationes de miraculis in ecclesia Romana celebratis sint falsae ac fabulosae etiam ipsorum saniorum Pontificiorum judicio. Petrus Cluniacensis abbas lib. 5. epist. 29: *Nosti, quantum me pigeant falsa in ecclesia Dei cantica*, etc. ubi inter alia recitat canticum quoddam Sancti Benedicti 24 mendacia comprehendens. Lindanus lib. 3. de interp. Script. cap. 3. meminit veteris cujusdam querelae Agoberti episcopi Lugdunensis, quem antiphonarium correxisse scribit amputatis *quae superflua, levia, falsa, blasphema, phantastica multa videbantur*, et subjungit Lindanus: *Sic hic episcopus jam in vivis esset videretque nostra missalia et antiphonaria, Deum immortalem, quo ea pingeret nomine?* **Gelasius c. sancta Romana dist. 15: *Secundum antiquam consuetudinem singulari cautela gesta sanctorum martyrum in S. Romana ecclesia non legi, quia et eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur et ab infidelibus aut idiotis superflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur.* Johann. Gersonius in declarat.: *Quae veritates sint credendae de necessit. salut. part. 1.* numerat *legendas sanctorum inter illas veritates, quae tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionis religiosam pietatem, ubi pietas devota magis adspicitur quam veritas certa.* Lindanus de opt. Script. interpret. genere cap. 3. p. 103. fatetur, quod *breviaria, et inter ea etiam novum Romanum* (de quo dicit, *quod alioqui doctorum et piorum non fugiat reprehensionem plurimis de causis justissimis) quaedam festa sanctorum praescribat, de quibus ipse dubitat, an eorum nomina sint satis vendicata.*** Ludovicus Vives vir gravissimus et eruditissimus de farragine mendaciorum in legenda aurea talem texit querelam: *Sed mentio haec rerum a magnis viris actarum in mentem revocat mihi eum dolorem, quem saepenumero coepi animo maximum, dum ipse mecum reputo, quam diligenter, quanta cura Alexandri, Annibalis, Scipionis, Pompeji, Caesaris et aliorum ducum, Socratis, Platonis, Aristotelis et aliorum philosophorum acta perscripta sunt et sempiternae memoriae infixa, ut periculum non sit, ne unquam excidant. Acta vero apostolorum, martyrum, denique divorum nostrae religionis et ipsius sive crescentis ecclesiae, sive jam adultae operta maximis tenebris fere ignorari, tanto sive ad cognoscendum, sive ad imitandum quam ducum et philosophorum fructuosiora. Nam quae de iis sunt scripta, praeter pauca quaedam, multis sunt commentis foedata, dum qui scribit, affectui suo indulget et non quae egit divus, sed quae ille egisse eum vellet, exponit, ut vitam dictet animus scribentis, non veritas. Fuere, qui magnae pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere, quod et periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa et minime necessarium, quoniam pro pietate nostra tam multa sunt vera, ut falsa, tanquam ignavi milites et inutiles oneri sint magis quam usui.* **(Gelasius papa nonnullorum sanctulorum, quos Romana colit ecclesia, *ut S. Quirini, S. Georgii, S. Judithae legendas* rejicit *ut fabulosas et ab haereticis scriptas*, dist. 15. c. 4. De Antonio scribunt in chron. Minor. part. 5. c. 21. *tanta cum efficacia ipsum potuisse concionari, ut ad duo milliaria a muliere religiosa fuerit auditus.* Vide Martinum Eisengrinium von der uralten Capelle unsrer lieben Frauen zu Altenöttingen anno 1571. Ingolst. impressus, et Hasenmullerum de mirac. Jesuit. c. 8. pag. 399.) ** Idem alibi sic scribit: *Sed fortassis haec quamvis gravia ac tolerabilia fuerint. Quale est, in res sacras hanc quoque licentiam mentiendi irrepsisse, seu potius aperte esse invectam, ut quae traduntur de lepra Constantini et balneo sanguinis puerilis, de lepra Vespasiani,* XII. 118.
de Gamaliele, de Beronice, de actis Christi et divae Virginis? Clamamus et latramus ad minora, connivemus ad haec, quae si in manus impiorum hominum veniant, sanctissimam et gravissimam nostram pietatem ridiculam illis et exsibilandam reddiderint. Nec in rebus propinquioris memoriae tradendis sumus religiosiores. Scribunt Galli Gallica, Itali Italica, Hispani Hispanica, Germani Germanica, Britanni Britannica, aut alii in gra-

Fabulosae de miraculis narrationes.

Digitized by Google

tiam gentis cujuspiam, putat rerum auctor, id se tantum munus suscepisse, ut quantum possit, gentem illam evehat, non oculum ad veritatem adjicit, sed ad decus illius nationis etc. *Nec in actis sanctorum scribendis major est veritatis custodia, in quibus omnia oportebat esse exacta et absoluta. Unusquisque eorum acta scribebat, ut in quemque erat affectus, ita ut animus historiam dictaret, non veritas. Quam indigna est divis et hominibus Christianis illa sanctorum historia, quae legenda aurea nominatur! quam nescio cur auream appellant, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid foedius dici potest illo libro? O quam pudendum est nobis Christianis, non esse praestantissimos divorum nostrorum actus verius et accuratius memoriae mandatos* etc. In gravaminibus Germanicae nationis, quae omnes imperii ordines tam papistici quam Lutherani anno 1523. pontificis Adriani legato in comitiis Norinbergensibus obtulerunt c. 21. eadem exstat querela: *Conductitii illi pastores (an praedones rectius quis eos dixerit, dubium est) simplici Christi plebeculae pro evangelii limpidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas propinent lacunas, dum legendas quas vocant sanctorum, nec ab ecclesia receptas et gentilibus fabulis quam Christianae et evangelicae doctrinae similiores ad populum Christi publice in concione docent.* **Erasmus in argumento libr. confession. Augustini: *Quid eos commemorem, qui fabulis vanis et miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare nonnunquam ea laudantes, quae laudatus nec fecit unquam et probavit? et arbitror fuisse, qui pium existimarunt animum hujusmodi fucis ad religionis studium accendere. Ergo semper exsecratus sum hoc rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui est veritas.*** Laurent. Valla in orat. de donat. Constant.: *Nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia.* Dantes Florentinus cant. 29. dicit, *ubique sonare e populis fabulas et populum vento pasci.* Melchior Canus libr. 11. locor. commun. c. 6: *Negare non possumus, viros aliquando gravissimos in divorum praesertim prodigiis describendis sparsos rumores et excepisse et scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi aut fidelium certe vulgo indulserunt, quod vulgus sentiebant non tantum ea miracula facile credere, sed impense etiam flagitare et auctoribus nobilissimis placuisse, veram historiae legem esse ea scribere, quae vulgo vera habentur.* **Et postea: *Nec ego hic libri illius auctorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur* (Jacobum de Voragine episcopum Genuensem), *nec historiae etiam ejus, quae Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra saepius quam vera miracula legas, hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi et prudentis.* ibid.: *Dolenter hoc dico potius quam contumeliose, multo a Laertio severius vitas philosophorum scriptas quam a Christianis vitas sanctorum, longeque incorruptius et integrius Suetonium res Caesarum exposuisse, quam exposuerint Catholici non res dico imperatorum, sed martyrum, virginum et confessorum.*** Cornel. Agrippa de vanit. scient. cap. 97: *Ceteri divorum construunt historias pie nonnihil admentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula confinguntque terribiles fabulas.* Erasmus in epistola ad Albertum archiepiscopum Moguntinum praefixa methodo theologiae pag. 9: *Nunc Siculis gerris vaniora, nunc cujuslibet deliri senis, aut etiam aniculae somnia huc irrepserunt et in dies magis ac magis irrepunt.* Idem alibi sic scribit: *Quid commemorem eos, qui fabulis vanis et miraculis fictis memoriam eorum, quibus favent, student vulgo commendare* etc. *Ego semper exsecratus sum hoc rabularum genus, qui non norunt veram pietatis imaginem depingere, sed mendaciis fallunt discipulos ejus, qui est veritas.* Johannes Capgravii le- XII. 118
genda de sanctis Britannicis sunt fabulosissima. Sed nec Jesuitarum relationes de miraculis Ignatii certam fidem facere possunt. Maffeus lib. 2. de vita Ignatii cap. 5. et Ribadeneira lib. 2. cap. 12. referunt, *Ignatium comitatum duobus sociis Petro Fabro et Jacobo Lainez non procul a Roma in templo quodam Deum invocasse et in ecstasi Deum ipsi visum, qui filium suum Jesum Ignatio et sociis commendarit, Jesum autem promisisse, se ipsorum tutorem fore et addidisse: Ego vobis Romae propitius ero.* Sed catechismus Jesuiticus lib. 1. c. 8. aliquot argumentis hanc apparitionem mendacii arguit, primo quia Maffeus addit, hanc fuisse causam, cur Ignatius societati suae a pontifice confirmatae nomen Jesuitarum dederit, cum tamen jam ante in libello supplice Paulo III. pontifici oblato eo usus fuerat. Ita enim in isto libello loquuntur inclusae bullae anno 1540: *Quicunque in societate nostra, quam Jesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo militare* etc. Secundo, quia Jacobus Lainez post Ignatium generalis illud non revelavit Congordano agenti aut Versori advocato suo, cum propter hoc ambitiosum nomen a parlamento Parisiensi accusarentur. Tertio, quia Jesuita Montaignes c. 66. de la verité defendue dicit, *a pontifice illud nomen societati inditum,* La. Fon. c. 35. idem tribuit pontifici, sed hujus visionis Ignatianae neuter ipsorum mentionem facit. Lermaeus in introd. in artem Jesuit. pag. 8. addit, *Jesum illum, qui Ignatio Loyolae apparuit, habitum gessisse monachi, talem scilicet, qualem Jesuitae hodie gerunt, ac cum Ignatius Romae in tabem letalem incideret, eundem Jesum, qui secus viam ipsi apparuerat, sub forma canis iterum se ei adspectandum praebuisse ac horribilibus emphasibus non raro perculisse.* Ecquis vero de salvatore nostro Jesu Christo Dei et Virginis filio tale quid sine blasphemia cogitet? Iidem auctores Maffeus et Ribadeneira referunt, *Ignatium habuisse visionem, in qua Deus Pater omnia instrumenta ad creationem mundi adhibita ipsi ostenderet, quod Petrus ipsi apparuerit ac postea virgo Maria,*

Digitized by Google

quod bis a diabolo visibiliter tentatus fuerit, quod viderit Trinitatem in coelo, Christum corporaliter in hostia, quod viderit animam socii sui Hosii in coelum adscendere splendidiore quam reliqui habitu multoque illustriore, etc. Sed hi scriptores sunt testes in propria causa, referunt, se ex Ignatio ista audivisse, non sunt testes oculati, addunt, haec ab Ignatio esse visa et gesta, antequam ordo a pontifice confirmaretur, at in bullis pontificum non fit illorum mentio. Praeterea in actione coram parlamento Parisiensi Pasquier a Jesuitis exquisivit, quaenam miracula ab Ignatio societatis auctore sint gesta, sed Jacobus Lainez Ignatii socius et successor generalis nullum istorum protulit. De Jesuita quodam Augustano in diabolum se transformante et pugione exinde confosso historiam recenset Ludov. Lavaterus libro de spectris part. 1. c. 9. Ecquis igitur incertis illis relationibus fidem adhibere velit? ** Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 14: *Hoc nostro seculo claruit in Indiis omni genere miraculorum Franciscus Xaverius societatis Jesu presbyter.* Ozorius tom. 4. concion. concione de obitu Xaverii: *Hic Xaverius erat novi mundi apostolus, innumera patravit miracula, daemones ejecit, coecos illuminavit.* Contra vero dubiam fidem miraculorum istorum faciunt ipsimet Pontificii scriptores. Franciscus de Victoria professor regius in academia Salmanticensi in Hispania relect. 5. propos. 5: *Non satis mihi liquet, an barbaris Indis fides Christiana ita a nobis proposita fuerit et annuntiata, ut teneantur credere sub novo peccato, nam miracula et signa nulla audio, nec exempla vitae adeo religiosae, imo contra multa scandala et multas impietates, unde videtur, quod religio Christiana non sit iis satis commode et pie praedicata, ut illi teneantur acquiescere.* Xaverius ipse, qui de rebus Indicis epistolas familiares quinquaginta exaravit, de sanatis illis coecis, claudis, surdis, mutis nihil habet; lib. 2. de reb. Indicis epist. 3. naturae miraculum recitat de capro lacte suos parvulos haedos alente, non praetermissurus miracula gratiae, si quae divina virtute edidisset. Excipiunt, *hoc argumentum esse modestiae, non impotentiae.* Atqui de apostolis dicitur Act. 14. *transeuntes apostoli retulerunt, quanta per eos fecisset Dominus.* c. 15. *enuntiantes, quanta per se fecisset Deus.* In quae loca Ferus sic commentatur: *Apostoli exponunt Spiritus sancti virtutem, ut a multis pro collata in gentes gratia gratiae dicerentur Deo et mutua fide confirmarentur. De his gloriandum, si Dei gloria promoveatur, ut proximus adjuvetur, non enim se ipsos commendant, sed Dei opera, ut Christus praecepit daemoniaco: Vade et annuntia, quanta fecit Dominus.* Adde quod dono linguarum miraculoso ad conversionem Indorum vel maxime necessario ipsi destituantur. Morton. part. 1. p. 488. Acosta lib. 6. de salut. Indor. cap. 4: *Quae est praedicatio nostra? quae fiducia? Signa quidem non edimus.* cap. 12: *Nos prodigia, quibus evangelicas voces confirmemus, nulla producimus.* cap. 17: *Neque vero opus est, bonis operibus ita lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui est in coelis, est omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.* **

284. Miracula, quae pro veris in ecclesia Romana celebrantur, sunt varii ac diversi generis. 1. Quaedam sunt *fallacia et mendacia*, fraudibus pessimorum hominum conficta, unde Lyranus jam olim conquestus in c. 14. Daniel. *aliquando maximam deceptionem populi fieri in ecclesia per miracula ficta a sacerdotibus;* et Astexanus in summ. libr. 6. de reliquiis sic scribit: *Hi qui causa devotionis accedunt ad ecclesiam aliquam, propter miracula quae fiunt, non sunt falsis et fictitiis documentis decipiendi, sicut occasione quaestus consuevit fieri.* Cum Coelestinus V. pontifex curiae reformationem meditaretur, Bonifacius VIII. ipsius postea in pontificatu successor quendam subordinavit, qui per fistulam in cubiculum papae directam simulans, se esse Dei angelum, insonabat: *Coelestine cede, si salvus esse cupis*, quo miraculo permotus Coelestinus ad eremum rediit. Balaeus, Nauclerus, Massaeus et alii referunt, unde proverbium de Bonifacio illo exortum: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.* Gregorius VII. insidias vitae struens Henrico III. in templo oranti ordinabat aliquem, qui ex loco superiore ingentem lapidem in ipsum projiceret, ut ita divino miraculo periisse videretur, sed factum est justo Dei judicio, ut minister tanti sceleris una cum lapide isto exemtili decideret; Benno cardinalis in vita Gregorii. ** Ex Nicolao Palladio Dano Selneccerus parte 4. exam. p. 537. citat hanc historiam: *Quidam monachi ante aliquot annos non erant contenti mortua figura Christi pendentis in cruce, sed scribebant ad quendam mirabilem artificem, ut faceret eis vivum crucifixum, qui respondit: Si vivum fecero, fortassis a novo interficietis. Tandem precibus et muneribus adductus fecit crucifixum, quasi vivum, caput in cruce mobile, oculos et labia mobilia. Hanc imaginem Christi crucifixi in suo templo super januam chori collaverunt et illa magnam hominum multitudinem longo tempore deceperunt. Quoties enim magna hominum turba conflueret ad videndam et adorandam statuam, quidam monachus a tergo stans traxit funiculum, quo avertebat caput idoli, quasi nollet illos respicere et exaudire, unde fiebat magna animorum consternatio. Statim clamavit monachus inquiens: Date, offerte opulenter nobis miseris fratribus, tunc rursus convertet ad vos placidum vultum. Tunc coeperunt homines offerre munera ad aram. Interea monachus traxit alium funiculum, quo convertit caput imaginis ad populum, ac si donis se placari significasset. Tandem idolum proditum est et monasterium destructum.* Hasenmullerus c. 8. p. 299: *Conficta sunt miracula illorum pleraque, quorum copiam recensent quotidie ab hora undecima usque ad duodecimam, et a 6. usque ad 7.* ** Dominicani ut fidem facerent suo dogmati de conceptione Mariae in peccato originali ad subsidia praestigiarum decurrerunt, cujus rei exemplum commemora-

XII. 120. Miracula pontificia quaedam 1. sunt fallacia.

Digitized by Google

tur de Bernensibus Dominicanis anno 1509. editum, ubi in statuam B. Virginis ad hunc usum artificiose instructam monachi sese abdentes et statuae gestus mirificos affingentes gemere illam, lamentari, quiritari, profundere lacrimas, responsa dare sciscitantibus populo persuaserunt. Subprior involvens se linteo in cellam fratris Johannis Jezeri hominis simplicis noctu irrumpebat ac modo *Barbaram*, modo *Catharinam Senensem*, modo *B. Virginem* se esse simulabat, aliquando etiam clavum ferreum per ipsius manum adegit etc., sed fraude patefacta auctores sceleris sunt cremati. Vide relationem integram hujus historiae apud Wolffium cent. 16. p. 10. Philippum lib. 5. chron. pag. 703. et Lavaterum lib. de spectris part. 1. c. 7. De Franciscanis similem ludum commemorat Sleidanus lib. 9. comment. de stat. relig. anno 1534. p. 221. et ex illo Osiander cent. 16. hist. eccles. lib. 2. c. 26.

XII. 121. Aureliis in Gallia praetoris uxor testamento caverat, ut sine pompa sepeliretur atque strepitu. Maritus ergo, qui conjugis memoriam diligeret, morem ei gessit et Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit, juxta patrem et avum muneris loco dabat sex tantum aureos, cum illi multo sperassent majorem praedam. Et cum deinde silvam caederet atque divenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valde graviter et cum antea minus illum probarent, ulciscendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent, *ipsius uxorem in sempiternum esse damnatam*. Architecti erant hujus tragoediae Colimannus et Stephanus Atrebatensis, ambo theologiae doctores et ille quidem erat exorcista totumque suum apparatum in ejusmodi rebus adhiberi solitum habebat in promtu, rem vero sic administrant. Novitium quendam adolescentem supra testudinem templi collocant, is intempesta nocte, cum ad demurmurandas preces illi more consueto venirent, magnum excitat strepitum, adhibentur adjurationes et exorcismi. Sed nihil ille proloquitur jussus edere signum, quo declaret, num sit mutus spiritus, denuo tumultuatur et perstrepit. Eo jacto fundamento cives aliquot et celebres quidem ac ipsorum studiosos adeunt, narrant, sibi triste quoddam accidisse, rogant, ne graventur nocturnis precibus interesse. Cum hi venissent et precationum esset factum initium, ille de superiori loco turbam excitat, rogatus, quid vellet et quis esset? significat non sibi licere loqui. Jubetur ergo per signa respondere ad interrogata. Foramen autem erat factum, per quod admotis auribus exorcistae vocem haurire poterat et intelligere. Deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic ut infra posset exaudiri. Primum itaque rogatur, num sit ex eorum numero, qui ibi sint sepulti? postea multis ordine recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita, venitur tandem ad uxorem praetoris; ibi dato signo se spiritum ejus esse demonstrat. *An sit damnatus et quonam suo merito seu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non praestitam caritatem, an vero propter Lutheranismum? deinde quid sibi velit illo strepitu et inquietudine? num ut corpus loco sacro sepultum effodiatur alioque transportetur?* Ad haec omnia, sicut jussus erat, per signa respondet, quibus aliquid vel affirmabat, vel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret. Quomodo vero fraus detecta tandem sit, ibidem vide. Tempore Henrici VIII. regis Angliae idolum quoddam fuit, dictum imago gratiae, quod rotis et ponderibus ita elaboratum fuit, ut aliquis concavitatem ejus occupans singulas idoli partes, os, manus, oculos, labra etc. movere posset, dona afferentibus manum porrexit, parum dantes tristi, multum hilari vultu adspexit. Hoc idolum opera baronis Cromwelli destructum est atque instrumenta, rota et pondera ejus, ad crucem S. Pauli Londini populo monstrata sunt. Foxus in martyr. pag. 1188. Antimachiavellus lib. 2. de relig. theor. 2. p. 256. simile fraudis exemplum recenset. Erat Lutetiae in officina pictoris cujusdam vetus tabula atque in ea picta imago Virginis, quam pro tabernae suae signo palam proponere pictor solebat; eam paucis nummis emit cujusdam vicini pagi parochus presbyter, duo foramina ad oculos imaginis perforavit iisque quo tempore lacrimantur vites, viridium palmitum resectos ramos ita solerter accommodavit, ut effigies plorare videretur. Quid multa? tantam undique peregrinantium frequentiam, tantam donorum copiam concivit, ut miraculi quoque fama inter alios pictor commotus eo cum uxore viseret, sed ea res dolum aperuit; nam illi tabella agnita, quae tot annos in sua taberna jacuerat, famam divulgant. Itaque judicio curiae parochus ille capitis damnatus ac tabella confracta. In apologia Augustan. confession. in cap. de invocatione sanctorum dicunt confessores: *Vidimus in quodam monasterio simulacrum B. Virginis, quod quasi αὐτόματον arte movebatur, ut videretur aut aversari petentes, aut annuere.* Stumpffius lib. 13. chron. Helvet. c. 34. annotat, *quasdam sanctorum statuas excavatis earum capitibus et infuso oleo flere fuisse visas.* Erasmus XII. 122. lib. 22. epistol. ad episcopum quendam commemorat pag. 229. quod parochus quispiam, probaturus animarum apparitionem sub noctem parasceves clam immiserit in coemiterium vivos cancros affixis ad latus cereolis ardentibus, qui cum reperent inter sepulcra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propius. Attonitis vero et consternatis omnibus parochus e suggesto docet populum, has esse defunctorum animas, quae missis et eleemosynis flagitarent a cruciatu purgatorii liberari. Tandem vero fucus est proditus, quia mane quidam cancri cum exstincto cereolo reperti sunt, quos parochus non recollegerat. De patre Justiniano Jesuita refertur, *quod Romae se leprosum simulaverit*, ut ex sanatione miraculum faceret, sed fraudem fuisse deprehensam. 2. Quaedam miracula papistica sunt *magica*, quae scilicet opera diaboli per artem magicam fiunt. Gersonius contra impugnat. ordin. Carthus.: *Multa miracula non* Quaedam magica.

Digitized by Google

Christianae fidei, sed magicae artis ostentamenta sunt, quae a simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur. Franciscus de Victoria relect. 12. de arte magica: *Etiamsi utantur homines signo crucis in signis edendis et solis verbis religiosis, tametsi sint ritus et observationes peculiares et determinatae et certis horis ad certum situm stellarum, sive certo numero crucium et candelarum, ita ut aliter non speretur effectus, certum est, non esse hanc gratiam, sed magiam.* At quam hoc in papatu usitatum! quid vulgatius exorcisationibus et incantationibus? quarum exempla commemorat Brentius in confess. Wirtenberg. tom. 1. pag. 478. cap. de baptismo. De Gregorio VII. commemorat Benno cardinalis, quod *quandocunque manicas excuteret, ignis in morem scintillarum exsilierit;* illud procul dubio miraculi loco a simplicioribus fuit habitum. Nec fuit vel monachis, vel etiam ipsis pontificibus difficile talia miracula edere, cum plurimi ipsorum artium magicarum peritissimi fuerint, quod multis exemplis historici comprobant.

3. Quaedam absurda et pudenda.

3. Quaedam sunt *absurda et pudenda*, indigna illis, quibus tribuuntur. In speculo historiali Vincentii lib. 6. c. 87. et in Stellario coronae lib. 12. c. 3. parte ult. commemoratur tale miraculum. *Abbatissa quaedam fuit devotae et sanctae vitae in religione, quae insolentes acriter pungebat, et ideo magnam illarum indignationem in se concitabat. Accidit autem quadam vice, ut illa hilarior prae crapula et vino effecta ad luxuriae concupiscentiam accenderetur et cum suo servitore moechando conciperet filium. Cumque ejus impraegnatio ventre intumescente a monialibus esset cognita, contra eam conspirant eo magis, quo ipsam oderant propter pristinas correctiones ipsarum, revelantque factum et literis et nuntiis adventum episcopi requirunt, ut cum confusione deponatur et e claustro ejiciatur. Praesciens abbatissa adventum episcopi ingressa oratorium B. Virginis tota profusa lacrimis sic dicebat: O beatissima Virgo, tu es refugium peccatorum, adjutrix in omni tribulatione, considera nunc instantem confusionem meam. Non enim sum digna ex foeditate peccati mei accedere ad tuam praesentiam, sed superabundat tua clementia, ubi abundat delictum. Et sic fatigata lacrimis obdormivit et in sopore eidem B. Virgo apparuit dicens: Non est fas, ut, cum sim advocata peccatorum, contritos corde deseram, et ideo obtinui tibi a filio meo peccatorum remissionem et confusionis liberationem. Tunc Virgo praecepit duobus angelis adstantibus, ut onere prolis eam exonerarent et filium cuidam probo viro portarent per quinque annos enutriendum. Evigilans abbatissa invenit se privatam praegnamine, et ecce adveniente episcopo audacter occurrit honorifice, qui repellens eam cum opprobrio dum per honestas personas* (Vincentius addit, fuisse duos clericos) *de accusatione requireret veritatem, munda comperitur, moxque episcopus veniam petiit et cum moniales punire vellet propter infamationem ejus, abbatissa episcopo et in confessione aperuit rei veritatem et miraculum factum. Tunc episcopus de puero scita veritate cum viro illo probo ipsum enutrivit et ad aetatem adultam in bonis moribus perduxit ad laudem B. Virginis.* Idem Vincentius XII. 122. lib. 6. c. 85. refert, *quod B. Virgo cuidam clerico lac infundens linguam ejus restauravit, ad lectulum enim aegri propius accedens exserta ubera visa est protinus in os aegri immittere et sancti lactis sui rore infuso subito linguae integritatem restituit.* Simile quid de phrenetico commemorat Hondorpius in speculo historiali, qui cum quotidie in honorem Mariae recitasset angelicam salutationem, hanc ab ea remunerationem acceperit, *ut admorsam in phrenesi linguam et derosa labia lactis sui instillatione ipsi repararit.* Johannes de Lambsheim in libr. de institutione rosarii B. Virginis refert, *B. Virginem ingressam fuisse aliquando in cellulam cujusdam monachi Alani concinnasseque ei ex suis capillis annullum et monachum illum sibi desponsasse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas et lactandas papillas et denique illi fuisse tam familiarem, ut sponsa solet esse sponso.* Discipulus de tempore in miraculis Mariae exemplo 24. refert, *quod Maria per quindecim annos cujusdam monialis Beatricis dictae vices in monasterio sustinuerit, ipsa interim in publico lupanari scortationibus indulgente.* At quis non detestetur absurda et pudenda ista commenta, quae parum vel nihil distant a blasphemis in S. Deiparam projectis?

4. Quaedam ludicra et puerilia.

4. Quaedam miracula sunt ludicra et puerilia a Christi et apostolorum miraculis quam maxime dissimilia. Baronius in annalibus anno Christi 805. num. 3. ex annalibus Francorum tale recitat miraculum: *Rex et imperator Carolus pro more venationi deditus locis vicinis venationi aptis exturbabat rabidas feras a suis saltibus, inter quas mirae magnitudinis ursum insequitur, qui jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium undique campis late patentibus ac mortem imminentem jamque capiendus crebris differret flexibus, propere cursu recto contendit Morsellam et in S. Salvatoris irrumpit ecclesiam, ubi tum res contigit, quam facilius sit admirari quam eloqui. Nam Deus qui, ut scriptum est, homines salvat et jumenta, bestialem quodammodo ursi sensum permutavit rationemque quandam intelligendi in eo formavit. Erat enim cernere prope lipsana sacrae virginis cum se inferre et sub tanta protectione a strepitu insequentium eum securum procumbere, deinde oblitum feritatis suae flexa cervice submissoque humiliter capite sanctimonialium advenientium vestigia lambere ac more lascivientium catulorum omnibus blandiri, et hoc ipso satis indicare, se fuisse defensum patrocinio famulae Dei, ejusdemque deinceps paratum esse servire obsequiis etc. Tumque ursus e sylvestri coepit esse domesticus et in reliquum apud ejusdem loci sanctimoniales non aliter vixit, quam ab illis jussus esset.* Johannes Capgravius in legend. de sanctis Britannicis in vita S. Aidi narrat, *quod sanctus ille octo lupis esurientibus octo bidentes*

Digitized by Google

dederit, miserebat enim eum luporum famelicorum, sed postmodum eosdem bidentes jam devoratos a lupis oratione sua integros ex ventribus luporum recepit; in vita Bernaci narrat, *postquam fures vaccam illius Bernaci occidissent et in frusta secuissent et in lebetem imposuissent, mugitum ad vocem ejus auditam e lebete edidisse;* in vita Dunstani narrat, *diabolum a Dunstano misere vapulasse et sanctum illum virum virgam in tergo diaboli fregisse.* De Bernhardo memorant, *quod muscas excommunicaverit;* de Bonifacio, *quod vulpem coëgerit, ut redderet gallinas devoratas* etc. **Huc pertinet historia *de apibus circa sacramentum pyxidi inclusum suavissime cantillantibus, de gallo assato et in quatuor partes diviso, praeter exspectationem tamen currente* etc.** In libro conformitatum de Francisco referuntur ejusmodi miracula complura: *Cum Franciscus aliquando concionaretur et asinus in populo tumultuabatur, Franciscus ei dixit: Frater asine, esto tranquillus, donec concionem absolvero. Confestim asinus dicto audiens se intra Francisci pedes composito gestu reponit.* Ibidem: *Franciscus dicendo missam in calice invenit araneam, quam*
XII. 124. *nolens projicere bibit cum sanguine, postea fricans crus et scalpens, ubi pruritum sentiebat, ipsa aranea a crure exivit sine laesione fratris. Franciscus etiam aliquando monuit ovem, ut et laudibus divinis intenderet, et ab omni fratrum offensione caveret; ovis audiens fratres in choro cantantes et ipsa ecclesiam ingrediens vocemque balatus emittens flectebat genua ante altare virginis matris agni, ac si eam salutare gestiret.* Ludovicus Granatensis conc. 4. de festo Francisci. At num Christus vel apostoli in his terris docentes tam ludiera et puerilia miracula fecerunt? hominum salutem spectabant, quaecunque edebant miracula, non ad solam

5. Quaedam confirmant idololatriam. admirationem. *5. Quaedam miracula confirmant idolomaniam, superstitiones et falsos cultus,* videlicet purgatorium, invocationem sanctorum, transsubstantiationem, ἀρτολατρείαν, venerationem imaginum etc. quae dogmata cum Scripturis sacris directe adversentur, tenenda est de illis regula divinitus tradita Deut. 13, v. 1. Talia miracula describuntur longe plurima in libris quatuor dialogorum Gregorii, in speculo historiali Vincentii, in historiali Antonini archiepiscopi Florentini etc. ac similibus libris, de quibus miraculis recte pronuntiat Machiavellus lib. 1. hist. Florent. ad Clementem VII. *quod miracula modernae ecclesiae cum fide antiquae ecclesiae pugnent.* In act. 4. concil. Nicaen. II. refertur, *monachum quendam a spiritu impudicitiae fuisse tentatum ac cum diu multumque jejuniis et precibus restitisset, apparuisse tentatorem eique dixisse: Si a me* liberari velis, *imaginem hanc*, erat autem *pictura virginis Mariae,* colere desinas. Tale etiam est, quod Martinus Isengrinius refert ad comprobandam sanctorum invocationem de obsessa quadam puella, quae ex peculiari Mariae revelatione adducta fuerit ad capellam Virginis in Antiqua Oetingen, quam tamen nihil commotum fuisse scribit, cum P. Canisio praeside litania cantaretur et invocaretur misericordia, liberatio et auxilium Dei, diabolumque istaec surdis veluti auribus praeteriisse. Cum vero Lauretana litania de Maria inchoaretur, tunc demum Satanam coepisse in obsessa turbari, clamare ac furere, mox vero Canisium arrepta lignea cariosa imagine Mariae, eam imposuisse capiti obsessae, tum denique diabolum exclamasse: *Ah mulier, quid me calcas et caput meum conteris!* Huic igitur cum ex obsessa exeundum esset, loco scilicet satisfactionis injunctum fuit, ut per os obsessae aliquoties recitaret orationem Dominicam et angelicam salutationem, quod cum faceret, quanquam coactus et invitus, cum gemitu demum et indignatione miserabiliter conquestus fuit ac dixit: *Videte, Johannes non vult invocare sanctos, cum tamen nos diaboli vel inviti hoc cogamur facere.* Cum igitur expansis manibus et flexis genibus orationem Dominicam supplex et devotus diabolus recitasset et jam in salutatione angelica eo devenisset, *Ave maria gratia plena*, dicit, eum sonora ac devota voce hanc apostillam intertexuisse: *O Maria, gratia et misericordia tua sit super omnes illos, qui hanc capellam visitant, ah ora pro omnibus illis.* Ita demum diabolum relicto post se, ut solet, foetore exiisse. Tale miraculum fuit, ubi ad templum Mariae Formosae Ratisbonensis anno 1516. passim omnes ex Germania velut enthusiasmo quodam correpti accurrebant, qua de re Sebast. Francus in chronico sic scribit: *Circa annum 1516. Balthasar Hubmeierus theologus apud Regensburgenses suis concionibus magistratum ita inflammavit contra Judaeos, ut excisa illorum synagoga in area ipsa templum B. Mariae Formosae aedificarint. Quae cum nescio quae miracula edidisse diceretur fama longe lateque per Germaniam sparsa tantus repente peregrinorum concursus esse coepit, ut nec templum, nec coenobium, vix etiam urbs ipsa, ampla alioqui vereque regia, tantas colluviei sufficeret. Auctus inde furor, ut qui Formosae Mariae Ratisbonensis vel obiter meminisset velut enthusiasmo correptus posthabitis parentibus, conjugibus, liberis recta ad eam dies noctesque irrequieto cursu obviis in itinere nec salutatis nec agnitis contenderet. Neque vero vel minis vel vinculis coërceri poterat. Instrumenta artis (nam plebeios fere et opifices haec vesania agebat), quae mente motis ad manum fuissent secum* XII. 12
abrepta, statuae anathematis loco afferebant. Vidisses mulierculas trahentes pueros, senes scipionibus innitentes, pueros panis frustum vel pomum donarii loco obtendentes, aegros cum linteaminibus et stragulis adrepentes, cibi, potus somnique interea immemores, mutos, surdos et apertis coecos oculis. Templum ingressi non omnes eodem modo afficiebantur, sed qui ad summam gratiae, uti persuadebant sacrificuli, pervenissent, ubi primum formosum simulacrum adspexissent, nulla missa voce sideratis similes concidebant, ad se reversi una cum furore morbis se liberatos profitebantur etc. Sed haec et similia miracula, (quorum prolixum catalogum ex

Vincentio, auctore Marialis, discipulo de tempore et aliis collectum vide apud D. Binderum in theolog. scholastica c. 9. p. 213. et seqq.) cum non ad confirmationem doctrinae propheticae et apostolicae, sed potius ad depravationem illius facta fuerint, dubium non est, utut mira videantur, quin ab ipso Satana sint profecta. 6. Denique si vel maxime quaedam vera et divina miracula in ecclesia Romana, praesertim apud Indos ac novi orbis populos fierent, nondum tamen evictum foret, omnia et singula doctrinae capita, quae in ecclesia Romana proponuntur, esse certae ac immotae veritatis, siquidem de miraculis illis idem dici posset, quod de Novatianorum miraculis Bellarminus dicit, *fieri scilicet illa ad confirmationem illius, quod in doctrina adhuc est sanum atque integrum, ut infideles eo citius convertantur ad fidem Christi*, nequaquam vero ad confirmationem illius, quod in doctrina Romanae ecclesiae est depravatum et corruptum. **Constat, olim Judaeos et Samaritanos, quos rex Assyriorum abductis decem tribubus in terris suis reliquit, non habuisse puram religionem et cultum veri Dei, nihilo tamen minus Deus misit leones in Assyrios et alias exoticas gentes in Samariam introductas, pepercit vero indigenis; anne ad confirmationem impii cultus? nequaquam, sed ad confirmationem religionis Judaicae in lege comprehensae.**

L Quaedam confirmant capita doctrinae adhuc sana.

Bellarmini gloriatio de Romanae ecclesiae miraculis.

285. Bellarminus enumeratis prius quindecim seculorum miraculis (de quibus ex antea dictis facile judicari potest) *nostro etiamnum tempore in ecclesia Romana miracula fieri gloriatur. Hoc nostro seculo* (inquit) *claruit miraculis plurimis Franciscus de Paula, ut exstat in bulla apud Surium, claruit etiam in Indiis omni genere miraculorum pater Franciscus Xaverius societatis Jesu presbyter. Constat enim ex Indicis literis, quas ii, qui cum eo versabantur, huc miserunt, ab eo paralyticos, surdos, mutos, coecos esse curatos, mortuum quoque ad vitam revocatum et cum mortuus deferretur ad insulam Goam ex Malacca, maris tempestatem sedatam, denique corpus ejus post 15 menses a morte integerrimum et suaviter olens repertum, cum tamen jacuisset per multos menses calce obrutum, nec dubium est, quin usque ad hanc diem integrum et incorruptum conservetur.* **Bartscius dom. 3. adv. p. 247: *Miraculorum testimonio nullo unquam seculo penitus caruit ecclesia et si unquam alias, hoc tempore maxime claret, contra ministri evangelici penitus omnium sunt fueruntque semper expertes.*** Respondemus: 1. non immerito de fide illorum miraculorum dubitari posset, cum nulla in hisce propinquis regionibus a Jesuitis miracula fieri experiamur, et ut maxime aliqua ab illis fuerint attentata, infeliciter tamen cesserint. 2. Dubitanter de illis pronuntiat Franciscus de Victoria professor regius in academia Salmanticensi in Hispania relect. 5. propos. 5: *Non satis mihi liquet, an barbaris Indis fides Christiana ita a nobis proposita fuerit et annuntiata, ut teneantur credere sub novo peccato, nam miracula et signa nulla audio nec exempla vitae adeo religiosae, imo contra multa scandala et multas impietates, unde videtur, quod religio Christiana non sit iis satis commode et pie praedicata, ut illi teneantur acquiescere.* Quo pertinet etiam illud Acostae lib. 6. de procur. Indor. salute c. 4: XII. 126.
Quae est praedicatio nostra? quae fiducia? signa nulla edimus. c. 12: *Nos prodigia, quibus evangelicas voces confirmemus, nulla producimus.* c. 17: *Neque vero est opus; bonis operibus ita lucere coram hominibus, ut videntes glorificent Patrem, qui in coelis est, id est omnium ad persuadendum miraculum potentissimum.* 3. Si Jesuitae dono miraculorum instructi essent, illud cumprimis divinitus eis daretur, quod ad convertendos infideles maxime necessarium, videlicet miraculosum charisma variarum linguarum, quemadmodum apostoli ad ignotas gentes praedicandi evangelii ergo missi divinitus illo dono instruebantur Act. 2, v. 4. Sed Jesuitae ipsi conqueruntur, se dono illo destitutos atque ex eo non mediocres remoras in convertendis infidelibus sibi objici. Nicol. Pimenta in epist. ad Claudium Aquav. p. 14: *Nostrae societatis pater Franciscus Corsi sic scribit ad suos, totus, inquit, sum in Persico idiomate addiscendo.* Ibid. p. 80: *Quod autem ad conversionem attinet, vitio meo utpote idiomatis ignaro, inquit pater Fernandes, parum effectum est.* Acosta lib. 1. de Indor. salut. procur. c. 2: *Ferunt, olim septuaginta linguis confusum fuisse genus mortalium; at Indi septingentis et eo amplius inter se discrepant linguis.* lib. 4. c. 8: *Qua ex re praedicando verbo Dei impedimenta nobis gravia fiunt.* c. 9: *Non igitur immerito nostrae societatis fundator Ignatius Indicae linguae lectiones publicas praecepit, sunt enim perquam necessaria ista praesidia, ut facultas paretur verbi divini in gentibus annuntiandi.* Xaverius ipse lib. 3. epist. 5: *Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani, faxit Deus, ut brevi eam addiscamus, tum demum aliquam Christianae rei navabimus operam, nam nunc quidem inter eos tanquam mutae statuae versamur* etc. Cum ergo necessario illo linguarum dono Jesuitae destituantur, ecquis relationibus ipsorum de aliis miraculis minus necessariis fidem habebit? 4. Horatius Tursellinus, ex quo miracula illa Xaverii Bellarminus commemorat, lib. 2. cap. 3. addit, *quod Xaverius in India vulgo coeptus sit appellari apostolus, sicut etiam antea in Lusitania, idemque postea cognomen a Xaverio quasi capite ad ejus socios manasse*, a qua appellatione merito sibi temperare debuissent. Lib. 5. cap. 16. refert, cum corpus Xaverii Goam delatum esset, *magnam candelam accensam esse in ulnae longitudine, quae viginti duos dies tot idemque noctes continue ardens non tamen fuerit consumta.* Sed hoc miraculum non convenit cum apostolicis. 5. Xaverius ipse de hisce miraculis a se editis magis mutus est quam piscis. De rebus Indicis quinquaginta epistolas scripsit, sed in illis nihil quidquam de sanatis mutis, claudis, coecis etc. vel resuscitatis mortuis habetur. Neque responderi

Digitized by Google

potest, *hoc modestiae ipsius tribuendum*, siquidem Dei gloria in miraculis elucens exemplo apostolorum Act. 14, 27. et c. 15, v. 4. et potuisset et debuisset absque ulla immodestiae accusatione praedicari. 6. Si vel maxime quaedam vera et divina miracula in novo illo orbe a Jesuitis essent edita, illa tamen non ad confirmationem dogmatum papalium de purgatorio, de invocatione sanctorum, de potestate papae monarchica etc. de quibus imprimis fidei Christianae rudimentis tradendis altum apud ipsos silentium, sed ad confirmationem vere catholicorum dogmatum, de mysterio Trinitatis, de persona, officio et beneficiis Christi, de baptismo etc. fuissent facta, quemadmodum de Novatianorum miraculis ipse Bellarminus respondet.

An in evangelicis ecclesiis fiant miracula.

286. *Membrum tertium.* Num in evangelicis ecclesiis nulla fiant miracula? Bellarminus hic proterve nobis insultat dicens, *quod Lutherus ne unam quidem muscam excitare potuerit*, alii nobis vitio vertunt, *quod ne claudum quidem canem sanare possimus.* Addit Bellarminus ex Staphylo et Cochlaeo, *quod Lutherus frustra tentaverit diabolum ex obsessa puella expellere et Nesenum in Albi submersum in vitam revocare*, quod ipsum repetit Becanus in lib. de ecclesia. Item *quod post mortem*
XII. 127. *cadaver ejus, cum deferretur in media hieme, quo tempore corpora mortua in multos dies conservari solent, et esset inclusum in arca stannea optime clausa, ut Witebergae sepeliretur, tam tetrum odorem spirare coeperit, ut nemo eum ferre potuerit, ac proinde coacti fuerint corpus relinquere in itinere.* Respondemus: 1. non proponimus novam aliquam doctrinam, quae miraculorum confirmatione indigeat, sed antiquam illam doctrinam stupendis Christi et apostolorum miraculis satis superque confirmatam. ** *Sumus in illo corpore, in quo illi* (prophetae et apostoli) *miracula fecerunt*, inquit Augustinus. Aut ergo prophetica et apostolica miracula, quae nostrae religionis sunt sigilla, in dubium vocari, aut apostolicae ac nostrae doctrinae discrepantiam aliquam ostendi oportet.** Nequaquam igitur novis miraculis indigemus, sed quamprimum ex sacris literis confirmatum, doctrinam nostram ab apostolica nullatenus discrepare, simul etiam confirmatum est, doctrinam nostram miraculis non destitui. ** Pontificii nos irrident, *quod inter miracula recensemus opus reformationis*, sed Chrysostomus in 1. Cor. hom. 6. et Augustinus in lib. 22. de civ. Dei c. 8. *mundi conversionem per apostolos factam* in miraculis numerare non dubitarunt. Augustinus serm. 18. de verb. Dom. col. 76: *Nunc majores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus, tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic et melior salus animi quam corporis. Modo caro caeca non aperit oculos miraculo Domini, et cor coecum aperit oculos sermone Domini. Modo non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quae mortua jacebat in vivo cadavere. Modo aures corporis surdae non aperiuntur, sed quam multi habent aures clausas cordis, quae tamen verbo Dei penetrante patescunt, ut credant, qui non credebant, et bene vivant, qui male vivebant, et obediant, qui non obediebant.*** 2. Nec ulla exstat divina promissio, *quod sub finem mundi* per miracula veritas doctrinae confirmanda sit, sed praemonitio exstat Matth. 24, v. 24. 2. Thess. 2, v. 9. Apoc. 13, v. 13. quod a fallacibus Antichristi miraculis cavere debeamus. 3. Si miraculi nomine intelligimus omne id, quod speciali Dei gratia et virtute agitur, quamvis non ita in oculos incurrat, sicut miracula externa, non potest negari, miraculi loco habendum, quod misellus et inermis monachus papam *mundi stuporem et regum terrorem*, minas spirantem, anathematis fulmina vibrantem et supera inferis miscentem aggressus regnum ejus non mediocriter convulserit et quod ipse contra tot potentissimos adversarios aperte et occulte ipsi insidiantes incolumis ad finem usque vitae permanserit, quod singularibus prophetiae donis et spiritu heroico instructus mirandum illud opus, doctrinae scilicet reformationem et Antichristi revelationem, feliciter confecerit, quod doctrina evangelica tam mirabili successu a tot regnis ac provinciis recepta inter saevissimas persecutiones hactenus fuerit conservata etc. Quod miraculum evadet illustrius, si quis ex historiis memoria repetat, quam frustranea fuerit opera plurimorum potentissimorum imperatorum ac regum in Pontificia potentia coërcenda, ac si quis secum cogitet, quantis Christiani sanguinis rivis evangelicae doctrinae cursum, sed tamen frustra, impedire fuerint conati. Jesuita Maldonatus in comm. c. 7. Matth. judicat, *longe incredibilius esse, tot philosophos, tot sapientes viros tam paucis apostolis, tam imperitis tamque incredibilia humanae rationi praedicantibus sine ullis miraculis credidisse, quam illa ipsa miracula, quae ab ipsis facta narrantur.* Id si verum (ut est verissimum), negari nequit, miraculum, vel certe miraculo proximum esse, quod tot hominum millia ab inveteratis papatus erroribus ministerio Lutheri et ipsius symmystarum liberata. ** Erasmus in hyperaspist. diatrib. contra Lutherum a. 5: *Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam orbis favorem, animadvertebam, quo vehementius a theologis ac principibus obsistebatur, hoc latius propagari ac magis invalescere negotium; ex his ratiocinabar, rem non sine numine geri, itaque decreveram spectator esse tuae tragoediae sic apud me cogitans juxta Gamalielis sententiam, si Deus haec movet, non est meum resistere, sin aliunde ortum est, quod agitur, sua sponte dissipabitur.*** 4. Matthesius in vita Lutheri scribit, *ipsum veneni plurimum concoxisse ac divinitus praeservatum, ne ullum ex illo contraheret nocumentum.* Spangenbergius in chron. Mansf. refert, quod doctor quidam medicinae in XII. 12
Polonia pecuniis ab ejus loci episcopis illectus retia sua Witebergae vicinisque in locis anno 1523. ad capiendum Lutherum explicuerit, sed irrito plane successu, saepenumero etiam illito suggestui toxico manubriisque infectis insidias ipsi positas

Digitized by Google

fuisse, quae tamen Deo aliter ordinante in nihilum evanuerint. Anno 1521. cum Lutherus ad conventum Wormacensem abiret, in itinere Erfordiae rogatus concionem habuit. In media concione trabs pondere pressa gravi multitudinis ei incumbentium gemere ac ruinam minari coepit, fit fuga, substantes pavor occupat. *Nil agis*, inquit Lutherus, *nil agis istis*

Agnosco insidias, hostis acerbe, tuas,
Extentaque manu nihil est hic ecce pericli,
Ille suas artes insidiator agit.
Sic intellecto vecors errore resedit
Impetus inceptum nec prohibebat opus,

ut canit Eobanus. Cum anno 1541. Fridericus Myconius superintendens Gothanus graviter decumberet et tabe consumeretur, atque ejus rei causa ad Lutherum scriberet, *decumbere se quidem, non tamen letaliter, sed vitaliter;* Lutherus illi rescripsit, ut habetur tom. 7. Jen. Germ. pag. 393: *Ego oro et peto Dominum Jesum vitam nostram, salutem et sanitatem nostram, ne hoc mihi etiam addi sinat malum, ut me superstite videam te aut aliquot nostrum perrumpere et irrumpere pel velum ad quietem et me sinatis foris relictum inter daemonas, et vos praecedere. Peto, ut loco tuo me faciat Dominus aegrotum et jubeat deponere tabernaculum meum hoc inutile, emeritum et exhaustum.* Et in calce literarum: *Vale mi Friderice et Dominus non sinat me audire tuum transitum me vivo, sed te superstitem faciat mihi, hoc peto, hoc volo, et fiat mea voluntas, Amen. Quia haec voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem nec copiam quaerit* etc. Hisce precibus convaluit Myconius et per sex annos adhuc vixit. Ejusmodi plura recenseri possint, quae argumentum praebent, Lutheri preces miraculose efficaces ac vitam ejus miraculose incolumem fuisse. Foxus in martyr. multa commemorat miracula edita in martyribus a Pontificiis supplicio affectis, utpote quod Crammeri flammis exusti cor illaesum fuerit inter cineres repertum; quod Stephani Bruni corpus comburi non potuerit, quod Manginus post linguae exsectionem fuerit locutus, quod corpus Fanini fragrantissimum odorem ex igne spiraverit, quod Roberti Samuelis corpus argenti instar in igne splenduerit etc. sed nos hisce non utimur contra Pontificios argumentis, sed ex Scriptura doctrinam nostram probamus. 5. Cum Augustinus serm. 18. de verb. Dom. statuat, *quemadmodum animus melior est corpore, sic salutem animae meliorem esse quam corporis, modo non resurgit* (inquit) *mortale corpus, resurgit anima, quae mortua jacebat in mortuo cadavere,* cumque Isidorus lib. 1. de summ. bon. c. 27. statuat, *nunc in ecclesia bene vivere plus esse quam signa facere;* ideo inter spiritualia miracula merito refertur, quod per praedicationem doctrinae coelestis a sordibus papalibus repurgatae multi homines a cultibus idololatricis ad verum Dei cultum, a superstitionibus ad opera divinitus mandata, ab hypocrisi ad veram pietatem revocati sobrie, juste et pie in hoc mundo vivant atque efficacem in ipsa morte consolationem sentiant. 6. Quod Lutherus irrito conatu nisus fuerit puellam quandam obsessam liberare et Nesenum in Albi suffocatum in vitam revocare, nemo credet apostatae Staphylo et mendacissimo Cochlaeo, cui notum est, quod Lutherus a miraculis ad doctrinam perpetuo homines revocaverit. **Eandem tamen mendacem calumniam de Luthero conatu irrito cupiente Nisenum suffocatum excitare et diabolum ex obsessa puella ejicere repetunt Laur. Surius comment. rerum in orbe gestarum anno 1546. pag. 415. Wilh. Lindanus dial. 3. c. 1. dubitantis, Tilmannus Bredenbachius lib. 7. collation. sacrar. c. 5. Staphylus in absoluta responsione contra Smidelinum p. 404. Tribonianus Cassius in pseudojubil. Witeb. p. 237. Sed respondemus illis, *testi alteri parti inimico non creditur* c. per tuas et ibi glossa in verbo inimicitias capitales Extr. de simoniacis. c. Accusat et ibi glossa. caus. 3. q. 5. argum. l. licet. ff. de arbitrio et in auth. de testib. §. Si vero dicatur vers. si vero quis dicat. Lutherus in coll. mensal. fol. 101. edit. Lips. et fol. 204. edit. Isleb.: Wir sollen jetzt nicht und können auch nicht die Teufel austreiben mit gewissen Ceremonien und Worten, wie vor Zeiten die Propheten, Christus und die Apostel gethan. Beten sollen wir im Namen Christi, die Kirche mit Ernst vermahnen zum Gebet, daß der liebe Gott und Vater unsers lieben Herrn Jesu Christi durch seine Barmherzigkeit den besessenen Menschen wolle erlösen; geschieht nun Solches im Glauben auf Christi Zusage: Wahrlich, wahrlich ich sage euch, was ihr den Vater bitten werdet ꝛc., so ist es stark und kräftig, daß der Teufel aus dem Menschen weichen muß, wie ich etliche Exempel erzählen könnte, sonst können wir die bösen Geister nicht austreiben, vermögen es auch nicht zu thun. Wo aber Einer wäre ohne Mittel von Gott berufen und einen Glauben hätte, Wunder zu thun, der könnte Teufel austreiben, so den Menschen leiblich besitzen, wie vor Zeiten die Propheten und Apostel ꝛc. Er läßt sich nicht mit schlechten Worten austreiben, als da sind: fahre aus, du unreiner Geist, so haben es auch die Beschwörer im Papstthum mit Ernst nicht gemeinet, die Kraft Gottes muß es thun und muß Einer sein Leben daran setzen, daß ihm der Teufel bange genug machet, ohne Schrecken gehet es nicht ab. Confess. fol. 102.** Dominic. II. advent. in explic. epist. sic scribit: *Non fidendum est miraculis, quae fieri* XII. 129.
vel mentiuntur, vel etiam vere praedicant, sed soli doctrinae Christi et apostolorum. Apostoli ediderunt signa (inquit in festo ascens. homil. 2.) *ad evangelii confirmationem. Postquam vero evangelium late propagatum est et universo mundo promulgatum, non est opus porro miracula facere.* Quinimo oravit Deum, ne sibi ostenderet miracula, cum verbo sit contentus. Diabolum ab obsesso juvene vere expulsum et chirographum diabolo a quodam datum ad preces Lutheri relatum esse, historiae testantur et late commemorat Foxus in mar-

Digitized by Google

tyr. pag. 864, suscitare non fuit conatus. Bucholzerus refert, parentem suum in ripa tum adstitisse Luthero et suis oculis haec vidisse atque auribus audivisse, quod Lutherus vehementer doluerit et haec verba addiderit: *Si possem miracula edere, nunc te excitarem.* 7. Quantum tribuendum sit fabulae de intolerabili foetore ex Lutheri corpore exhalante, facile colligitur ex eo, quod vivo adhuc Luthero fabulam sparserint de tragico ipsius obitu, quam Lutherus in vivis adhuc exsistens mascule confutavit tom. 8. Jenens. German. fol. 206. quemadmodum etiam de Beza fabulati fuerant, *ipsum ad ecclesiam Romanam in agone mortis rediisse*, sed Beza adhuc vivus publico scripto illud commentum repulit. Ipsa quoque fabulae verba mendacium produnt, dicitur enim, quod ob intolerabilem foetorem corpus Lutheri in itinere fuerit relictum, cum in praesentia aliquot millium Witebergae honorifice illud sit sepultum et quidem, ut Melanthon scribit, *honorificentius quam multorum principum corpora.* Facile autem credimus Bellarmino, Lutherum non tunc solum, sed adhuc hodie odorem papatui intolerabilem exhalare, cum juxta ipsius vaticinium pestis fuerit papae adhuc vivus, moriens autem ipsi mors exstiterit. 8. Quod de irrito ac frustraneo miracula edendi conatu Luthero Bellarminus tribuit, id rectius de societatis suae hominibus dici posse testantur historiae, de patre scilicet Justiniano lepram simulante, ut ex sanatione miraculum fabricaret, de Jesuita Augustano in spectrum se transformante, sed pugione confosso etc. Baruch Molithoraeus in novis Jesuiticis p. 38. de Scherero simile quid commemorat. *Quam* (inquit) *doctrinam confirmavit P. Georgius Schererus, cum Viennae pessimo cuidam homini persuaderet, ut sese mortuum simularet ac feretro sese imponi pateretur, quem cum Jesuita ex composito suscitare vellet, vere mortuus est repertus.* Sed de his plus satis.

XII. 130.

SECTIO XII.

DE DUODECIMA ECCLESIAE NOTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST LUMEN PROPHETICUM.

An lumen propheticum sit nota ecclesiae.

287. *Membrum primum.* Sitne lumen propheticum genuina et propria ecclesiae nota? Quod de miraculis, idem de vaticiniis pronuntiamus, quod scilicet sola et per se considerata non probent doctrinae veritatem, tum quia non sunt ecclesiae propria, tum quia illi non sunt perpetua. Quod prophetiae donum non sit ecclesiae verae proprium, patet ex his fundamentis. 1. Deut. 13, v. 1. diserte praemonet Dominus: *Si exsurgat pseudopropheta et praedicat aliquod signum vel portentum, idque postea eveniat, ne sequamur eum ad cultum alienorum deorum* ac doctrinam peregrinam nos avocantem. 2. *Bileamus* ex revelatione Dei praedixit futura Num. 24, v. 16. qui tamen fuit falsus propheta et religio ipsius fuit ethnica. 3. In populo Israëlitico complures *pseudoprophetae* divina somnia ac revelationes divinas jactitarunt. Jerem. 23, v. 25. dicit Dominus: *Audivi quae dixerunt prophetae prophetantes in meo nomine mendacium atque dicentes, somniavi, somniavi.* v 32: *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in nugis suis* etc. Memorabile hujus rei exemplum exstat 1. Reg. 13, v. 18. ubi senex quidam propheta *in Bethel* habitans viro Dei ac vero prophetae falsum ac noxium aliquid persuadet. *Et ego* (inquit) *propheta sum similis tui et angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: Reduc eum tecum.* 4. Ex unius prophetico dono instructi vaticinio non est pronuntiandum, quod totus ille coetus, quo vivit, sit vero ecclesia. *Daniel* in consessu Belsazeris et procerum ejus futura praedicit Dan. 5, v. 28. nec tamen ille coetus erat ecclesia. *Caiaphas* pontifex in synedrio Hierosolymitano prophetat Joh. 11, v. 51. neque tamen coetus ille erat vera ecclesia. 5. Difficillime cognosci potest, quae praedictiones sint divinae. Daemones enim cum teste Isidoro triplici acumine polleant, *subtilitate naturae, experientia temporum et revelatione superiorum potestatum,* ideo quaedam futura praescire ac praedicere possunt. Augustinus lib. 9. de civ. Dei c. 22: *Daemones non aeternas temporum causas et quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum majore experientia multo plura quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque suas aliquando praenuntiant et saepe falluntur.* lib. 4. de Trinit. c. 17: *Potestates aëreae fallaces, etiamsi quaedam a sanctis prophetis vel angelis audita vere per suos vates dixisse reperiuntur, hoc fecerunt, ut per aliena vera homines ad sua falsa traducerent.* Chrysostomus homil. 19. oper. imperf. in Matth.: *Concessum est diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si enim nunquam verum diceret, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus.* homil. 29. in 1. Cor. docet, *judicium esse difficillimum, quo falsus propheta a vero dignosci possit, tum quod prophetarum dicta de futuris plerumque sunt concepta, nec ante tempus exactum cognosci possit, an quis mentiatur, tum quod falsi prophetae vera praedicunt.* Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 4: *προλέγουσι δὲ καὶ οἱ δαίμονες ποτὲ μὲν τὰ μακρὰν γινόμενα βλέποντες, ποτὲ δὲ στοχαζόμενοι, ὅθεν καὶ τὰ πολλὰ ψεύδονται οἷς οὐ δεῖ πιστεύειν κἂν ἀληθεύωσι πολλάκις.* ** Josephus lib. 15. antiq. c. 13. memorat, *Manahem Essenum Herodi adhuc puero ludum literarium petenti obviam factum regnum illi praedixisse, cui Herodes aetate puer, sed prudentia canus responderit, memento privatum me esse.* Isidorus lib. 1. sent. citat dictum Gregorii lib. 7. moral. c. 1: *Aliquando non dignis, sed reprobis dona Spiritus s. conferuntur,*

Digitized by Google

sicut Saulo data est prophetia et Bileamo, unde etiam multi in fine seculi dicturi sunt, Domine nonne virtutes in nomine tuo fecimus? quibus dicturus est, nescio vos, unde sitis, Matth. 7, v. 23. Luc.
XII. 131. *13, v. 25.*** Daemones igitur quandoque praedicunt futura *vel ex revelatione superioris potestatis*, sic quando Deus Cyrum et Josiam in Scriptura suis appellat nominibus, potuit illud diabolus scire; *vel ex probabili conjectura* effectuum ex causis in actu exsistentibus, sic Sauli praedixit mortem 1. Sam. 28, v. 19. vel quia ex impietate ipsius tragicum exitum collegit, vel quia Deus exsecutionem sui judicii adversus Saulem ei revelavit. Sic gentibus olim praedixit idolorum ruinam sub Christi adventum futuram, eam quippe in Scripturis noverat revelatam. 6. Novum non est vel insolitum, *etiam falsos doctores* de prophetiae dono gloriari. Matth. 7, v. 22: *Multi dicent in die novissimo, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* quibus Christus dicet: *non novi vos*, ubi per donum prophetiae etiam futurorum praedictiones intelligi non est improbabile, cum donum miraculorum eidem conjungatur. Lyra in comm. 1. Reg. 13: *Prophetia respicit actum intelligendi, caritas autem, quae facit hominem bonum, est actus voluntatis; prius potest esse sine posteriori.* Ut autem in impiis, ita quoque in falsis doctoribus potest esse donum prophetiae, quia notitia literae differt a notitia spiritus. *De Essaeis* scribit Josephus lib. 2. de bello Judaico c. 7: *Sunt in eis, qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris et variis sanctificationibus prophetarumque dictis a primis aetatibus adhaerentes; raro autem accidit, ut praedicationes eorum frustratio consequatur. De Montanistis* notum, quantopere prophetias jactitarint, habebant *Priscam et Maximillam* divites ac opulentas mulieres prophetissarum loco. Hieronymus in comment. c. 1. ad Tit. refert, *Epimenidem scripsisse librum de oraculis ac responsis, in quo multa factura praedicebantur, eumque a Paulo lectum esse et hinc sumtum versiculum: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται* etc. Idem in c. 7. Matth.: *Et Saul et Balaam et Caiphas prophetarunt nescientes, quid dicerent.* 7. Accedant testimonia ipsorum adversariorum. Thomas 2. 2. q. 172. art. 6. probat, *etiam falsos prophetas interdum vera praedicere, aliquando ex daemonum revelatione, aliquando ex divina inspiratione*, quod confirmat exemplo Bileami et Sibyllarum atque ex Augustino lib. 12. de Genesi ad literam c. 19. Bonaventura 3. sent. dist. 9. q. 6: *Non debet homo omni spiritui credere, sed probare, qui ex Deo sint. Qui enim cito credit in talibus, levis est corde et fortasse etiam inflatus corde, dum ad tales visiones et apparitiones se idoneum esse existimat, unde tales visiones potius sunt formidandae, quam desiderandae* etc. Tolosanus lib. 3. de republ. c. 33: *Permisit, imo jussit Deus verus multa praedici per idolorum sacrificulos et per oracula eorum verissima, non secus quam per asinam Bileami annuntiari voluit approbationem eorum, quibus praedixit Deus, ne falsos prophetas sequerentur, sed necarent.* Ibidem: *Deus permisit aliquando inter gentiles et abhorrentes a lege Dei vates vera quaedam praescire et praedicere futura.* Ederus in oecon. Bibl. lib. 2. in Deut. 13: *Si praedixerit quis signum et portentum et evenerit, quod locutus est, non audies verba prophetiae illius et ratio est, quia falsam doctrinam profert et Dominus Deus vester vos tentat. Etsi ergo evenerit, quod falsi prophetae praedixerunt, tamen non esse sequendos, Scriptura ipsa copiose docet.* Pererius comment. in Exod. c. 11. disp. 11: *Sinit nonnunquam Deus pseudoprophetas nonnulla praedicere, quae eveniant.* Maldonatus in c. 7. Matth.: *Balaam falsus alioqui et infidelis propheta vera praedixit. Et ex Matthaeo facile colligitur, falsos prophetas vere prophetasse et vera praedicando non suam, sed populi Dei fidem confirmasse.* Quod prophetiae donum non sit ecclesiae perpetuum, patet ex eo, quia de *primordiis ecclesiae* N. T. duntaxat praedictum exstat, quod visiones et prophetiae tunc temporis in ea locum habebunt, Joël. 2, v. 28. Act.
2, v. 17. sed de novissimis ecclesiae temporibus XII. 132.
nullibi tale quid promissum. Agnoscit hoc Ribera Jesuita in comment. Joël. 2: *In illo solo tempore* (inquit), *quod Petrus indicavit, intelligendum esse hunc prophetiae locum, docent Hilarius lib. 8. de Trinit. Chrysostomus hom. 4. in Acta, Hieronymus ad Hedibiam, Oecumenius in c. 2. Act. et alii viri doctissimi, qui omnino de hoc tempore interpretantur, nec unquam alterius temporis meminere. Sed quid ego sanctos patres commemoro, cum et Judaei nonnulli ad tempora Messiae referant? et ex Actibus apostolorum intelligimus, impletam esse hanc prophetiam post Domini adscensionem, quidam enim prophetabant, ut Agabus et filiae Philippi et nonnulli ex Corinthiis, erant etiam in Antiochena ecclesia prophetae, etiam Johannes apocalypsin vidit et Petrus et Paulus etiam visiones.* Claud. Espencaeus comment. in 1. Tim. libro 1. digress. c. 2: *Prophetae nunc dicuntur Scripturarum interpretes et explanatores, ut docet Ambrosius, quamvis inter fidei primordia ad commendanda ejus rudimenta fuerint prophetae etiam prophetantes, quales fuerunt Agabus et quatuor filiae Philippi virgines.* Idem etiam comprobat res ipsa, quia in V. T. aliquot secula abierunt, quando nullus fuit propheta 1. Maccab. 9, v. 27. in N. T. a temporibus apostolorum propie et specifice dictus propheta nullus fuit.

Argumenta Bellarmini pro lumine prophetico.

288. Videamus, quomodo Bellarminus probet, lumen propheticum esse ecclesiae notam. *1. Sicut Christus Marc. c. 16. promittit ecclesiae donum miraculorum, ita etiam Joël. 2. exponente Petro Actor. 2. promittit donum prophetiae.* Responsio: ostendimus jam ante, vaticinium illud pertinere ad primordia ecclesiae Christianae, in quibus suum sortitum est complementum; nos vero hoc loco quaerimus perpetuas et inseparabiles ecclesiae notas. *2. Do-*

Digitized by Google

num prophetiae est longe maximum, cum certum sit, neminem cognoscere futura contingentia excepto Deo, Esa. 41: Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos. Respondemus: sane solius Dei proprium est futura contingentia angelis et hominibus abscondita prospicere ac praedicere, interim tamen diabolus ex causis in actu positis nobis ignotis praedicit futuros effectus, id quod pro futurorum praedictione proprie sic dicta ab hominibus habetur. Praeterea ex Dei revelatione daemones proprie dicta futura praescire ac praedicere possunt, ac falsis prophetis donum illud ad probandos homines interdum communicatur, perinde ut de miraculis dictum fuit. *3. Deut. 18. ponitur tanquam nota falsae doctrinae, si propheta praedixerit aliquid, quod non evenerit.* Respondemus: ex eo autem inferri non potest nec debet, quod statim sit verus propheta ac quod in omnibus illi credendum, qui praedicit, quod postea revera evenit, contrarium enim disertis verbis exstat Deut. 13, v. 1. et seqq. *4. Apud ethnicos et hareticos nulla fuerunt vera vaticinia, sed multa falsa, nisi forte fierent in testimonium nostrae fidei, ut fuerunt vaticinia Sibyllarum et Balaam. Etsi enim ethnici habuerunt plurima oracula Apollinis, tamen illa vel per ambages respondebant, quando scilicet Apollo non sciebat revera, quid esset futurum; vel ea praedicebant, quae daemones ipsi facturi erant; vel ea, quae coepta erant, fieri ignorantibus nuntiabant tanquam futura; vel demum ea praedicebant, quae naturales habent causas nobis ignotas, illis autem notas propter majorem subtilitatem. Haeretici quoque quotiescunque aliquid praedicere voluerunt, decepti sunt, id patet de falsis prophetis in V. T. 1. Reg. 22. ac de Montanistis, quae praedixerunt bella et nescio quae alia futura, sed contrarium evenit, ut est apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 16. et 18.* Respondemus: cum Bellarminus non possit inficias ire, daemones ex causis naturalibus nobis ignotis quaedam praedicere, quae pro veris et proprie dictis futurorum praedictionibus a nobis habentur, cumque etiam falsi prophetae interdum vera praedicant; ideo lumen propheticum non potest pro vera ecclesiae nota haberi. Quod Bellarminus
XII. 133. addit, *ethnicos et haereticos non habuisse vera vaticinia, nisi forte fierent in testimonium verae fidei,* idem de praedictionibus, quas Bellarminus profert pro stabilienda Romanae ecclesiae veritate dicere possumus, quod scilicet non ad papalium dogmatum, sed ad fidei Christianae, cujus quaedam capita adhuc integra obtinet, confirmationem fuerint editae. Ad doctrinam igitur perpetuo redeundum, aut enim veritas fidei et ecclesiae aestimanda est ex veritate prophetiae, aut contra veritas prophetiae aestimanda est ex fidei et ecclesiae veritate. Prius dici nequit, quod ipse Bellarminus agnoscit, quando diserte scribit, *ethnicos et haereticos non habuisse vera vaticinia, nisi forte fierent in testimonium verae fidei.* Manet igitur posterius. De Montanistarum praedictionibus, num verae, vel falsae fuerint, non magnopere laboramus, sufficit nobis, quod praedictionibus suis multos deceperint, qui relicta doctrinae apostolicae luce peregrinas ipsorum doctrinas prophetiis illis permoti sunt secuti. Pseudoprophetae illi, qui 1. Reg. 22. auctores erant Achabo, ut in proelium contra regem Syriae adscenderet, decepti erant a spiritu illo mendacii, qui stans coram Domino dicit v. 22: *egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum;* potuisset autem idem spiritus suis prophetis interitum Achabi ex divina revelatione cognitum manifestare ac per illos regi id praedicere, si e re sua illud esse judicasset.

289. *Membrum secundum.* An vigeat in ecclesia Romana lumen propheticum? Bellarminus ad id probandum affert *1. prophetas V. T. 2. illos, qui fuerunt primis quingentis annis a Christi adventu, ut Agabum* Act. 11. *Gregorium Thaumaturgum, de quo Basilius lib. de S. S. c. 29. Antonium, de quo Athanasius in ejus vita, et Abbatem Johannem, de quo Augustinus lib. 5. de civ. Dei c. 26. 3. monachos, qui posterioribus seculis in ecclesia floruerunt, ut Benedictum, de quo Gregorius lib. 2. dial. c. 25. Bernhardum, de quo in ipsius vita, et Franciscum, de quo Bonaventura in illius vita.* Respondemus: 1. Prophetae et apostoli non possunt ecclesiae Romanae hodiernae annumerari, cum ab ipsorum doctrina in multis defecerit. 2. Gregorius Thaumaturgus fuit episcopus Caesariensis Graeco patre natus, Niceph. lib. 6. c. 17. Antonius fuit Aegypti monachus, Niceph. lib. 8. c. 40. Abbas Johannes itidem vixit in Aegypti eremo teste Augustino l. d. ergo ecclesiae Graecae et Aegyptiacae potius quam Romanae illorum vaticinia sibi arrogare possent. 3. Si vel maxime Bernhardus, Benedictus, Franciscus et alii quaedam praedixissent, non continuo sequitur, omnia quae docuerunt esse vera, multo minus ecclesiam Romanam, in qua vixerunt, esse veram. Sibyllae inter gentes et Daniel in convivio Belsazeris vera praedixerunt. *4. De Brigittae, Elisabethae* et aliarum revelationibus, quas itidem Romana ecclesia magni facit, quidam ex ipsis Pontificiis dubitant. Delrius lib. 4. disquisit. magicar. c. 1. quaest. 3. sect. 4: *Henricus de Hassia et Sybillanus ambo catholici, ambo religiosi volunt, Brigittae et similium revelationes non debere haberi pro indubitanter veris;* Picus Mirandulanus contendit, *harum sanctarum revelationes contradictorias esse* etc. Nec potest negari, in revelationibus illis multa contra papam et praelatos admodum duriter dici; Hildegardis de monachorum interitu prophetavit dicens, muneribus et donis cessantibus tanquam canes famelicos circumvolitaturos; Brigitta praedixit ecclesiam Romanam instar alicujus condemnati a judice futuram, cui pellis detrahenda et caro in partes secanda; Catharina Senensis de tali ecclesiae reformatione et pastorum renovatione locuta est, cujus solius recordatione spiritus ipsius in Domino exsultatus fuerat. Quodsi ergo revela-

An in ecclesia Romana vigeat lumen propheticum.

Digitized by Google

tiones illas agnoscunt esse veras, agnoscant etiam ea, quae contra papam dicuntur, esse vera. 5. Bellarminus non potuit aliquos proferre, qui hoc postremo seculo prophetiae dono instructi fuerint, alias eos non praeteriisset, cum in
II. 134. capite proxime praecedente de Xaverii miraculis fuerit gloriatus. Agnoscat igitur, vel donum prophetiae non esse ecclesiae perpetuum, vel Romanam ecclesiam non esse veram ecclesiam.

In :lesiis ange- ls :eat nen ophe- am.

290. *Membrum tertium.* Num in ecclesiis evangelicis lumen propheticum fulgeat? Bellarminus ex Cochlaeo refert, *Lutherum anno 1525. praedixisse, fore ut si ipse adhuc per duos annos suam doctrinam praedicaret, evanesceret papa, cardinales, episcopi, monachi, moniales, turres, campanae* etc. *ac Lutheranorum prophetas anno 1533. constanter asseruisse, illo anno futurum ultimi judicii diem, sed neutri praedictioni eventum respondisse.* Respondemus: 1. Cochlaeo juratissimo Lutheri hosti in notoriis mendaciis non semel deprehenso, quis hac in re fidem habebit? 2. Diminutionem papalis eminentiae ac regni antichristiani a Luthero praedictam eventus comprobavit. Plenariam papatus ante novissimum judicium destructionem nuspiam praedixit, noverat enim apostolicum illud 2. Thessal. 2, v. 8. *quod Antichristus destruendus sit τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας* Christi. Id ipsum disertis verbis repetit Lutherus in explicat. Psalm. 10. tom. 2. Germ. Jenens. fol. 93. Allein der jüngste Tag soll das Papstthum zerstören. 3. Ungersdorffius in gratulatione ad proceres Austriacos p. 78. contrarium plane vaticinium Luthero tribuit de doctrinae evangelicae secuturis corruptelis adeoque ipsius interitu. Cui ergo credimus, Cochlaeo, an Ungersdorffio? 4. Ipsa vaticinii verba, quae exstant in comment. Galat. 3. tom. 1. Witeberg. fol. 195. Lutherum ab antilogias crimine ab Ungersdorffio intentato satis tuentur. Praedicit Lutherus, *doctrinam evangelicam a sectariis et falsis fratribus cumprimis in articulo justificationis corruptam iri, non tamen abolendam ante novissimum diem.* Prius tempore interimistico completum est, posterioris veritas tamdiu stabit, donec sonat nostrae doctrinae praedicatio. *5. Tenue est mendacium, si diligenter inspexeris, pellucet,* inquit Seneca. Idem in hoc Cochlaeano mendacio deprehenditur. Nugatur, praedixisse Lutherum, intra duos annos abolendum papam, cardinales, episcopos et inter haec etiam turres et campanas. At quis credat, de abolitione turrium et campanarum, quae adhuc apud nos retinentur, Lutherum quidquam fuisse locutum? 6. Diem novissimi judicii Lutherus nuspiam determinavit, quin potius acriter illorum temeritatem, qui tale quid tentare fuerunt ausi, redarguit. Melchioris Stifelii (praedicentis, extremum diem praecise cadere in annum 1533. mensem 10. hebdomadam 42. in diem Lunae circa horam octavam) vanitatem ipse Lutherus damnavit, ut est in colloq. mensalibus c. 43. ac in c. 11. Genes. tom. 2. fol. 2. hac de re sic scribit: *Conjicio, Deum certo suo consilio in Abrahamo 60 annos voluisse intercidere, ne ex annorum mundi certa ratione quisquam de fine mundi certi aliquid praedicere praesumeret. Ostendit quidem signa novissimi diei et ea exstare ac conspici vult, sed hunc diem non vult sciri, imo ne quidem annum, ut pii perpetuo in exspectatione hujus gratissimae lucis exercerent fidem et timorem erga Deum.* 7. Papisticae praedictiones falsitatis potius arguendae sunt. Johannes Taisnierius Hannonius in physign. Pauli opere mathematico p. 457. ex astris praedixit anno 1572. *religionem Lutheranam intra triennium exstirpandam.* Similes praedictiones ab aliis etiam prolatae sunt, quarum falsitatem ipse eventus comprobavit.

291. Nos contra vere affirmare possumus, et a Luthero et de Luthero vaticinia esse edita, quorum certitudinem res ipsa luculente confirmavit. ** Lutherus tom. 7. Jen. f. 304: *Non libenter vaticinor, nec vaticinari volo, quidquid enim praedico, praesertim malum, plerumque ita evenit et saepius quam velim, ita ut cum S. Micha saepe exoptem: Utinam non essem vir habens Spiritum et mendacium loquerer.* Tannerus in anat. conf. August. part. 1. dem. 4. Luthero tribuit, *quod falsa praedixerit et proinde sit falsus propheta, cum eventus vaticiniis non responderit.* Respondemus: observanda sunt de talibus praedictionibus quatuor membra: *1. Praedictionum origo.* Aut enim quis spiritum jactat propheticum ac revelationes, unde nascantur vaticinia, vel causis nititur in verbo divino monstratis aut naturalibus et civilibus iisque mutabilibus, e quibus futuros eventus praesagiat. Sin prius, jactantia auctorem facit fanaticum; sin posterius, taliter deceptus non est pseudopropheta. *2. Praedictionum materia.* Vaticinia aut concernunt fidem et religionem, et qui in religionis confirmationem praedixit, quod non sequitur, fraude egisse creditur, his praesertim seculis, quibus talia signa in Antichristi notas degenerarunt; vel civilia sunt, naturalia et similia, ubi observandum, an talia vaticinia sint divinis opposita vel secus; si illa, quae non eveniunt, ideo doctorem falsum arguunt, quia veritati divinae opposita; sin haec, ex errore praedictionis civilis vel naturalis non erit falsus doctor. *3. Praedictionum modus.* Distinguenda sunt omina a vaticiniis. Ex signis coelestibus et terrenis futura praesagire solent ii, qui talia excipiunt, concionatores mala ominantur auditoribus immorigeris, cum specialia exempla poenarum occurrunt, nec tamen quando non sequuntur, concionator est pseudopropheta. Luc. 13, v. 3. *4. Causa non secuti eventus.* Quae Deus praedicit, non semper eveniunt, quia intercipitur eventus vel per poenitentiam, si minetur perditionem, vel malitiam, si felicitatem promittat, vel per causas hominibus ignotas etc. Vaticinia a Luthero edita vide apud Wolff. cent. 16. pag. 78. tom. 2. pag. 419. Quae Lutherus de Arianorum haeresi in Germania, de poenis Germanorum ob contemtum verbi et neglectum scholarum praedixit tom. 3. Jen. Germ. f. 433.

Digitized by Google

tom. 5. f. 185. 202. 365. 433. tom. 6. fol. 210. tom. 7. f. 289. de sectis ipsum secuturis et similibus, eventus nimis vera comprobavit, unde dicere solebat tom. 7. f. 283. se non libenter vaticinari, quia expertus sit, vaticinia sua esse nimis vera.** Praedixit Lutherus, se ab hostium furore incolumem
XII. 135. futurum; praedixit se vivo bellum religionis causa haudquaquam exoriturum, **vide tom. 2. p. 119. 120. 388. 389. tom. 5. p. 185. 356. 433. tom. 7. p. 30 a. b. 434. tom. 8. p. 344.** utriusque praedictionis veritas eventu comprobata. Melanthon in orat. de vita et obitu Lutheri hujus generis plura commemorat. In comitiis Augustanis cum res videretur sub acie novaculae constituta, Lutherus tunc absens post serias ad Deum preces e cubiculo prodiit laetabundus et clara voce saepius repetiit: *Vicimus*. Cognitum vero est, eadem hora promulgatum fuisse caesaris decretum, *ne quis propter doctrinae evangelicae professionem damni quippiam pateretur*. Vaticinia de Luthero edita revocari possunt ad duas classes, quaedam enim in sacris literis, quaedam in ecclesiastica historia proponuntur. Ex sacris literis huc referri debet, quod Dan. 8, v. 25. de Antichristo sub typo Antiochi dicitur, ipsum *sine manu conterendum*, id est non armis corporalibus a potentibus hujus seculi, sed evangelii praedicatione per Lutherum conficiendum. Dan. 11, v. 44. praedictum exstat: *Turbabit illum* (Antichristum) *fama ab oriente et ab aquilone;* per famam intelligitur sincera praedicatio evangelii ac testimonium veritatis Antichristi erroribus oppositum juxta interpretationem apostolorum 2. Thess. 2, v. 8. et Apoc. 14, v. 6. quae Christum orientem ex alto Luc. 1, v. 78. illucescere faciens 2. Petr. 1, v. 19. valde perturbabit Antichristum, per eandem fiet, ut ii, qui aliquando sub regis aquilonis Antichristi potestate fuerunt, eundem praedicatione evangelii oppugnent. Osiander in notis margin. **Lutherus tom. 8. Jen. p. 344: Die Papisten sind toll und unsinnig wider uns, wollen ihre Lehre mit langen Spießen und Gewalt verfechten, weil sie mit der Feder und Warheit nichts wider uns aufbringen können. Ich habe mit großem Ernst Gott gebeten und bitte noch täglich, er wolle ihrem Rath steuren und keinen Krieg in Deutschland kommen lassen bei meinem Leben, und bin gewiß, daß Gott solch mein Gebet fürwahr erhöret, und weiß, daß weil ich lebe kein Krieg in Deutschland sein wird, wann ich nun sterbe, ruhe und schlafe, so betet auch. Per *aquilonem* etiam intelligi possunt illi, qui prius in castris Antichristi meruerunt, quia in principio capitis Antichristus vocatur rex Babylonis. Sic Lutherus et alii, qui papatum oppugnarunt, in tenebris papisticis et monasticis prius haesere. ** Potest etiam fama ab oriente haud incommode sic exponi, quod initium et quasi prodromus illius oppugnationis Antichristi per praedicationem evangelii postmodum secutae in oriente fuerit, quia Graecae et orientales ecclesiae nunquam passae sunt, se potestati papae
XII. 136. subjici, sed quia vox illa ecclesiarum orientalium *(superbiam tuam ferre non possumus, avaritiam tuam exsatiare non valemus, diabolus tecum, quia Dominus nobiscum)* utpote ex locis transmarinis et longe dissitis aures pontificis minus perculit, ideo eadem vox ab aquilone insonuit, primum quidem tempore Caroli Magni delato ad Germanos imperio et aetatibus subsequentibus, quibus semper aliqui exstiterunt, qui voce et literis, quidam etiam sanguine suo testatum fecerunt, *Romanum papam vere Antichristum esse;* tandem circa annum Christi 1414. Johannes Huss et Hieronymus Pragensis vocem suam instar tubae adversus superstitiones et tyrannidem papae elevarunt, quos post centum annos secutus est D. Martinus Lutherus, qui in expugnando Antichristi regno suis scriptis et concionibus plus profecit quam omnes regum et imperatorum copiae. Gesnerus in c. 12. Dan. Wigandus in Daniel. pag. 440. 476. Jerem. 51, v. 48: *Ab aquilone venient illi* (Babylonis) *vastatores, dicit Dominus*, illud completum, quando per Lutherum ex locis aquilonaribus oppugnata est tyrannis spiritualis Babylonis, ut regnum Antichristi in Apocalypsi vocatur. v. 27. et 33: *Ararat, Menni et Ascenez triturabunt Babylonem.* Jam vero Menni et Ascenez fuerunt metallarii, ut ex historiis et lingua Hebraea constat; denotatur igitur Lutherus metallarii Islebiensis filius in comitatu Mansfeldensi natus, qui a Menis sive Mannis nomen habere dicitur; is malleo verbi spiritualem *Babylonem trituravit*, qua phrasi ipsemet utitur tom. 2. Jen. Germ. f. 62. Vide Matthes. in concionibus de vita Luther. ***Ascenez* sunt *Tuiscones* sive Germani, unde nomen Ascanien oder Aschersleben. *Ararat* est mons, in quo arca Noë resedit et columba folium olivae ad Noahum attulit. In Mansfeldicis fodinis saepe inveniuntur lapides fissiles, in quibus aureo colore pisces depicti inveniuntur, quibus significatur, quod post spirituale diluvium arca Domini ibi sit locum habitura et evangelii doctrina exinde in totum orbem propaganda. *Menni* significat rem metallariam, Minererz. Mannus fuit Tuisconis filius, primus rex Germanorum. Parum igitur abest, quin Spiritus s. dixerit, ein Mansfelder, ein Bergmann wird wider Babel erwecket werden. Sicut 1517 annis ante Christi nativitatem populus Israëliticus ex captivitate Aegyptiaca et tyrannide Pharaonis fuit liberatus; sic praecise 1517 post Christi nativitatem annis ex spirituali Aegypto Romani Pharaonis majores nostri liberati etc.** Mal. 4, v. 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, v. 6: *et convertet cor patrum ad filios et corda filiorum ad patres* etc. hoc vaticinium primario et principaliter pertinet ad Johannem Baptistam, qui per praedicationem poenitentiae in primo Christi adventu viam ipsi paravit Matth. 11, v. 13. c. 17, v. 10. Marc. 9, v. 12. Luc. 1, v. 17. interim tamen secundario ad Lutherum etiam accommodari potest, cum Christus ipse hoc vaticinium eo modo ad Johannem Baptistam accom-

Digitized by Google

modet, ut interim non neget, venturum adhuc Eliam alium Marc. 9, v. 12. ac velut tuba praedicationis evangelicae sonuit ante primum Christi adventum, ita quoque ante secundum Christi adventum post revelationem Antichristi et tristem illum ecclesiae statum sub Antichristi regno, *praedicatum evangelium in testimonium omnibus gentibus* Matth. 24, v. 14. antequam scilicet *magnus et terribilis ille ultimi judicii* dies ingruat. Elias singulari zelo Baaliticos prophetas oppugnavit; idem zelus heroicus in Lutheri concionibus et scriptis spiravit. Elias ab omnibus persecutionem fuit perpessus; sic Luthero non fuit in imperio datus locus, habuit adversus se fulminantem papam, proscribentem caesarem, frementes cardinales, horrenda minantes principes, insectantes episcopos, criminantes monachos et totum agmen Pontificium; sed haec omnia fortissimo animo contemsit, nec ullo metu frangi potuit, ut a proposito desisteret. Elias querebatur, se relictum fuisse solum, omnia esse occupata cultibus Baaliticis etc. sic Pontificiae tenebrae videbantur totum orbem occupasse. Elias convertit corda filiorum ad patres, hoc est reduxit veram doctrinae antiquitatem expulsis superstitionibus et corruptelis
II. 137. noviter introductis; sic Lutherus pristinam doctrinae apostolicae sinceritatem restituit etc. **Cyriacus Spangenbergius in concione 4. de Luther. septem circumstantiis probat, vaticinium Malachiae de Luthero esse intelligendum: 1. ex nomine, 2. patria, 3. tempore, 4. miraculis, 5. donis Spiritus sancti, 6. doctrina et vita, 7. vitae exitu, in quibus Lutherum cum Elia confert.** 2. Thess. 2, v. 8: *Tunc revelabitur ille ἄνομος, quem Dominus interficiet Spiritu oris sui et destruet apparitione adventus sui.* Per ἄνομον intelligitur Antichristus, de quo Dan. 11, v. 36. dicitur, quod *faciat juxta voluntatem suam*, quem apostolus hoc loco vocat *hominem peccati et filium perditionis*, v. 3: *qui est ἀντικείμενος et extollit se supra omne, quod dicitur Deus, sedens in templo Dei ostendit se tanquam sit Deus*, v. 4: *tandem vero interficiet eum Dominus Spiritu oris sui*, id est per verbum, ut colligitur ex Esa. 11, v. 4. id quod ministerio Lutheri superiori seculo fuit completum. Vide D. Hunnium in assert. contra Pezelium pag. 256. Apoc. 14, v. 6: *Vidi angelum volantem per medium coeli habentem aeternum evangelium, ut evangelizaret sedentibus super terram et super omnem gentem et tribum et linguam et populum* v. 7. *dicentem voce magna: Timete Deum et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, et adorate eum, qui fecit coelum et terram et mare et fontes aquarum.* Postquam in praecedentibus regnum Antichristi sub figura *bestiae habentis duo cornua similia agni* et sub figura *meretricis insidentis bestiae decicorni* descriptum, introducitur angelus evangelicae doctrinae praeco, per quem Lutherus intelligitur, ut ostendit Funcc. in comm. h. l. Nomen *angeli* denotat ecclesiae doctorem, quae significatio hujus vocis in libro Apocalypseos est usitatissima. *Volatus per medium coeli* notat celerem doctrinae evangelicae progressum per varias provincias et regna. Quod angelus iste dicitur *habere aeternum evangelium*, eo exprimitur summa doctrinae, quam Lutherus proposuit. Non quidem omisit doctrinam legis, sed contra Antinomos et Epicureos graviter eam inculcavit, interim tamen potissima pars ministerii ipsius in repurganda evangelii doctrina fuit occupata, siquidem ea horribilibus tenebris erat involuta. Abducebantur homines a fide in Christum ad merita sanctorum, ad opiniones de propriis meritis et satisfactionibus ad vias salutis complures; sed Lutheri et παραστατῶν opera evangelii doctrina fuit repurgata, unde etiamnum ex eo nos vocant *evangelicos*. Dicitur autem *aeternum* evangelium, ut hoc opponatur clamoribus adversariorum de novitate doctrinae, cum a prima statim mundi origine post lapsum fuerit revelata, quando primi parentes acceperunt promissionem de semine mulieris, ac postea in typis sacrificiorum adumbrata, per prophetas latius exposita, per apostolos in totum orbem propagata etc. Porro praedicatio illius angeli sic describitur, quod annuntiarit sedentibus super terram: *Timete Deum, date illi honorem et adorate eum*, quibus verbis significatur, doctrinam de vera conversione et invocatione ministerio Lutheri repurgandam et urgendam. In papatu docebatur, poenitentiam in externis satisfactionibus consistere, onerabantur conscientiae variis traditionibus et ἐθελοθρησκείαις, denegabatur Christo debitus honor, invocabantur sancti demortui, fiducia collocabatur in propria merita, qua ratione opera manuum suarum homines adorabant; sed a Luthero haec omnia ad normam verbi repurgata etc. Denique in Apocalypsi sequitur ἐπινίκιον omnium fidelium ecclesiae ministrorum de ruina Babylonis mysticae, id est tyrannidis Antichristianae. v. 8: *Et alius angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes;* v. 9: *et tertius angelus secutus est illos dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus et acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua*, v. 10: *et hic bibet de vino irae Dei* etc. **Apoc. 18. post illustrem regni Antichristi sub Babylonicae meretricis figura picturam additur: *Et posthac vidi alium angelum descendentem de coelo habentem potestatem magnam et terra illuminata est a claritate ejus. Et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna.* In quae verba sic commentatur Thomas Brigtmannus Calvinianus fol. 389: *Hic angelus fuit Martinus Lutherus exorsus palam traducere Antichristum ad annum 1517. qui pestem hanc execratus est quidem acerbius, quo revelante Spiritu foeditatem Romanae bestiae compertam magis habuit. Spiritus hic illi tribuit turbulentam et tumultus plenam concionem. Ac nemo quidem est, qui sancti illius viri lucubrationes gustaverit, cui non videatur coelestem severita-*

Digitized by Google

tem spirare, sic passim incalescunt et ardent et igneo quodam fervore flammant etc.**

XII. 138. Vaticinia de Luthero ex historiis.

292. Ex historia ecclesiae talia vaticinia afferri possunt longe plurima. In hymno ecclesiastico Ambrosii et Augustini *Te Deum laudamus* etc. literae numerales in versiculo: tIbI CherVbIn et SeraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant, conficiunt annum 1517. in quo reformationis opus a Luthero coeptum. **Dresserus millen. 6. part. 2. p. 352. memorat, anno 1266. fuisse in domo Saxonica quendam ducem, qui Lutherus fuerit dictus.** Wolfius cent. 3. p. 73. ex Illyric.: *Prophetia quadam carmine comprehensa, cui Sibyllae nomen adscriptum, diserte praedicuntur tum alia, tum etiam exilium et reditus potentum ob veram pietatem, praedicitur quoque ruina phantasticae ecclesiae* (quo vocabulo ecclesiae papisticae ratio et forma aptissime exprimitur, quippe quae speciem quandam pietatis habet, sed vim et efficaciam ejus abnegat atque omnia in externis ritibus et ceremoniis collocat) *ac successus verae.* Jam vero non constat, inde usque a Christo principes aliquos ob veram pietatem exulasse et postea rediisse, sicut hoc nostro seculo elector Saxonicus et Coloniensis, qui tamen pro reditu ad terrenum principatum ejusque longiore perfruitione maluit ad coeleste regnum commigrare. Exsulavit et pientissimus princeps Otto Henricus, comes Albertus, Casparus Pflug, Baro Bohemicus aliique insignes ac illustres viri. Abbas Joachim in Jer. c. 24: *Non ambigo, quin sit futurum, quod ira Dei veniat super ecclesiarum rectores et praesides pro eo, quod Dei servitium non solum impediunt, sed etiam adulterant verbum Dei.* Circa annum 1152. Fridericus Barbarossa templum exstruxit in Carinthia, das große Thumstift bei Igingen im Wüsterthal genannt, illud variis picturis et statuis exornavit, inter illas reperta est imago saxea, quae habuit formam monachi vertice raso, corpus ejus fune circumdatum et supra caput haec majusculis literis scripta sunt LUTHERUS. Refert Theoph. Paracelsus in descr. Carinthiae Argentorati impressa f. 250. **Richardus Armachanensis in Hibernia primus episcopus et juris et theologiae peritissimus N. T. in Hibernicum sermonem translatum anno uno aut altero ante suam mortem in quodam templi muro occultavit, in cujus fine quasi prophetizans hoc scripsit: *Cum hic liber inventus fuerit, veritas toti mundo manifestabitur, vel Christus orbi mox apparebit. Et repertus est ille liber circa annum a nato servatore 1530. in reparatione ejusdem templi, abdidit librum anno 1358. mortuus enim dicitur anno 1360.* Ex Balaeo Wolff. tom. 1. memorab. p. 643.** Anno 1415. exustus est Constantiae Johannes Huss contra datam a Sigismundo imperatore fidem. Is paulo ante mortem spiritu prophetico dixit: *Hodie anserem uritis,* (Huss enim lingua Bohemica significat anserem), *sed post centum annos ex meis cineribus nascetur cygnus, quem non poteritis assare,* ad quod vaticinium ipse Lutherus in glossa super edict. caesar. tom. 6. Witeb. p. 169. tom. 5. Jen. Germ. f. 321. sese refert sic scribens: S. Johannes Huß hat von mir geweissaget, da er aus dem Gefängniß in Böhmerland schrieb, sie werden jetzt eine Gans braten, denn Huß heißt eine Gans, aber über hundert Jahre werden sie einen Schwan singen hören, den sollen sie leiden, da solls auch bei bleiben ob Gott will. Vide Rabum de martyribus et Aegidium Salium in oratione de Joh. Huss. ** Treutleri carmen de Joh. Husso:

Anser eras, et te Romana caterva cremabat,
Quod nimis obstreperis Pontifici, anser eras.
At tua vindicias habuerunt fata, repertus
Nempe fuit, quem vox summa canebat, olor.
IgnIs Corpora saCra saCrI ConsVMserat HVssI
Post HVssVM CaeCo CICnVs In orbe CanIt.
Constantem inconstans Constantia sustulit Hussum
Pro Christo ardentem, cum subit ille rogum.
Anni abeant centum, causam Christoque mihique
*Dicetis, cygnus cum anseris ultor erit.***

Eodem tempore Hieronymus Pragensis Hussi disci- XII. 139
pulus itidem Lutheri reformationem praedixit hisce verbis: *Post centum annos respondebitis Deo et mihi,* referente Poggio supplicii spectatore in epistola ad Leonem Aretinum, quae verba Bohemi postea in moneta quadam ad effigiem Johannis Hussi curarunt procudi et inprimi, **teste Petro Matthaeo historiographo regis Galliae libr. 2. Id quod notandum contra Gretserum, qui in comm. de duob. numm. p. 43: *Num verum sit, quod vulgus refert, Hussum anserem de Luthero cygno vaticinium edidisse? Item num vero congruat, quod ferunt, Hussum ipso supplicii die dixisse orthodoxis: Post centum annos respondebitis Deo et mihi, accuratius non disquiram. Novi enim, quam proclive sit, apud haereticos praesertim, oracula fingere et ficta imperitae multitudini divendere, quasi haereticus non sit haereticus, si quis haereticus sive Dei sive daemonis instinctu aliquid de illo praedicat aut praesentiat;* tum Pistorium qui epist. 3. ad Pappum: *Non pudet praedicantes ad magis inflandam vanitatem mentiri prophetiam, tanquam si ex ore morituri Hussi suscepta fuisset, assari tum anserem, sed venturum centum decursis annis cygnum, quem melius cantantem nemo sit assaturus. Id enim ubi est? in quo auctore, libro, folio, in quo delirio, somnio, furore? tamen dic testimonium vel confitere, pudendam esse fabulam.*** Jacobus Schopperus in chorographia refert, quod Sigismundus imperator, cum videret reformationem concilii Constantiensis in fumum abire, animo valde doluerit, et cum aliquando Possenii in Ungaria quietem caperet, in somnis ei apparuerit vir honestae speciei in habitu sacerdotali, qui ei significabat, *papae et sacerdotum errores futuro tempore per doctos homines revelatum iri, qui auxilio quorundam principum ecclesiam juxta Dei verbum reformaturi essent.* **Hieronymus Savonarola Ferrariensis, qui voce et scriptis

Digitized by Google

papae ejusque doctrinae se opposuerat, Florentiae in Italia jussu pontificis Alexandri VI. exustus est, atque una cum ipso Sylvester Florentinus et Dominicus de Pisa. Scribitur hic Savonarola paulo ante finem vitae dixisse: *Brevi futurum est, ut Romani pontificis abominationes et idololatriae puniantur nascaturque talis doctor, cui nemo possit resistere.* Natus vero est Lutherus illo ipso anno, quo Savonarola est exustus, videlicet 1483. die 10. Nov.** Wolffius cent. 1. lect. memorab. pag. 3. observat, in nominibus Moysis et Christi maxima mysteria recondita. Si enim nomen Μωυσῆς in numeros redigatur, efficere 1648, tot anni si a morte Christi retro numerentur, perveniri ad annum mundi 2348. circa quod tempus quidam sacerdos divinationibus intentus dixit Amenophi regi, se circa pueros Hebraeorum attendere; quod nasci debeat unus, qui populum Israël de Aegypto educeret et regnum Aegypti humiliaret, referente Josepho et Lyrano. Sic quoque nomen Christi in numeros redactum dare annos 1480; χ enim facit 600, ϱ 100, ι 10, σ 200, τ 300, ο 70, σ 200, qui numeri collecti conficiunt 1480. Nam circa finem illius a nato Christo temporis omnes vates, mystae atque prophetae Lubertus Hanschild, Wesselus, S. Vincentius, Purveus, Barath, Capistranus, Torquatus, Savonarola, Fr. Nicolaus Eremita, Alb. Leicheisen, Fr. Fleck, Jacobus de Paradiso, Wessalia, Capgravus, Herm. Rhid, Bapt. Mantuanus, Kikel, Laurent. Miniatensis, D. Johan. Scheyring, Hilten, Horius, Bovillus, Syringius, Andreas Proles, Mancinellus, Mellerstadius, Castrik, Salhusius et alii plurimi uno quasi ore clamarunt, abusibus et sordibus traditionum papisticarum misere defoedatum, obliteratum et paene ex ecclesia amissum esse evangelium, et praedixerunt, instare reformationem ecclesiae ac religionis et nasciturum, qui doctrinam evangelicam repurget et ab inquinamentis istis emundet lucemque veritatis divinae mundo restituat, id quod factum Martino Luthero nato anno 1483. eodem scilicet anno, quo Hieronymus Savonarola magnus ille misericordiae Dei gratuitae et justitiae fidei praeco Florentiae est exustus. Hujus Savonarolae tale commemoratur vaticinium, quod
XII. 140. quidam instar Cyri Alpes transiturus et totam ecclesiam vastaturus sit, id quod de spirituali Pontificiae ecclesiae per praedicationem evangelii vastatione accipiendum videtur. ** Savonarola iste monachus Dominicanus vir eruditione et pietate insignis (qui a Joh. Pico Mirandulae comite sanctus propheta appellatur et proprio scripto contra papam defenditur) Florentiae ab Alexandro VI. combustus est, propterea quod aliquot Pontificios errores aperte damnaret. Hic Hieronymus ecclesiam Dei reformatione indigere eamque brevi subsecuturam docuit, teste Nauclero, Balaeo, Catal. test. verit. Osiand. cent. 16. p. 15.** Circa idem tempus de Luthero vaticinatus est Johan. Hiltenius monachus Isenacensis, de quo in apologia Aug. confess. titul. de votis monasticis sic habetur: *Apud nos in oppido Thuringiae Isenaco Franciscanus quidam fuit ante annos triginta Johannes Hilten, qui a suo sodalitio conjectus est in carcerem, propterea quod quosdam notissimos abusus reprehenderat. Is multa praedixit, quae partim evenerunt hactenus, partim jam videntur impendere* etc. *cum vel propter aetatem, vel propter squalorem carceris in morbum incidisset, accersivit ad se Guardianum, ut suam valetudinem illi indicaret, cumque Guardianus accensus odio pharisaico duriter objurgare hominem propter doctrinae genus, quod videbatur officere culinae, coepisset, tum iste omissa jam mentione valetudinis ingemiscens inquit, se has injurias aequo animo propter Christum tolerare, cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod labefactare statum monachorum posset, sed tantum notos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam, inquit, veniet anno Dom. 1516. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni monachorum et hunc annorum numerum postea etiam repererunt amici ejus perscriptum ab ipso in commentariis suis inter annotationes, quas reliquerat in certos locos Danielis.* Vide Conradum Portam et Matthesium de Luthero, Dresserum in millenario sexto pag. 38. Wolffium centur. 16. memor. pag. 4. etc. **Reformationem illam religionis factam per Lutherum vel ipsi abbates licet inscii praefigurarunt, quando Carolo V. imperatori anno 1500. nato ad baptisterium dono obtulerunt Vetus et Novum Testament. cum hac inscriptione: *Scrutamini Scripturas.*** Anno 1502. quo Wittebergensis academia auspiciis Friderici Sapientis erigebatur, erat monachus in coenobio Steinlausick D. Fleccus, is cum una cum reliquis inaugurationi academiae interesset, concionem habuit, in qua inter cetera dixit: *Ab hoc albo monte totus mundus accipiet sapientiam.* Idem Fleccus cum anno 1517. primas Lutheri propositiones de indulgentiis legeret, exsiliens prae laetitia exclamabat: *Is profecto faciet, venit, venit, quem diu exspectavimus.* Matthesius et Conr. Porta de Luthero. De hoc electore Friderico Sapiente pervulgatum fuit vaticinium, quod *imperator aliquis sepulcrum Domini recuperaturus et vendicaturus esset,* id D. Lutherus in lib. de abusu et profanat. missae sic accommodat, quod *consentientibus electorum suffragiis electus fuerit imperator, et quod sub ejus gubernatione Scriptura sacra, in qua tanquam sepulcro Christus, qui est ipsa veritas, a Pontificiis necatus conditus fuit, quamque ordines monastici et haereticae pravitatis inquisitores anxie custodierunt, ne rudiori plebi proderetur, emersit et clarissime effulsit.* Eodem tempore, anno scilicet Christi 1502. Franciscus Picus Mirandulae comes in literis ad Maximilianum I. inter cetera sic scribit: *Age optime Caesar excitis, qua ratione potes, Christianis regibus te Christo regum omnium regi oves suas tam ab hostibus, quam a perfidis sacerdotibus jamjam liberaturo fidum ministrum exhibe.* Michaël Stifelius dixit aliquando, se admodum saepe olim

Digitized by Google

inter monachos et sacrificos versantem audivisse eos narrantes, *esse veteres prophetias, secuturam adhuc aliquando violentam sacrificorum reformationem;* dixit etiam, patrem suum Conradum Stifelium circa annum 1503. solitum esse crebris sermonibus usurpare, *id certo brevique futurum.* D. Johannes Geyler Keisersbergius concionator Argentinensis vehementer de religionis corruptelis conquestus est, praedixit etiam emendationem religionis futuram, *venturum*
XII. 111. (inquiens) *puto quendam divinitus excitatum, qui religionem instauret, quin et diem videre gestiit, qui emendationem* talem apportaturus erat. Clementius Clementinus Amerinus in tractat. de peste circa annum 1505. editum: *Ante annum salutis 1515. multo majorem rerum novitatem decernent illae septem magnae conjunctiones trium superiorum planetarum, quae superiori anno 1504. vel circa fuere sub cancro. Significant enim his temporibus alterationem aëris, sterilitatem, penuriam, bella et maximam novitatem; anno 1513. extollent enim quendam potissimum dominum, qui falsam infidelium religionem destruet et ditioni suae magnam orbis partem subjiciet.* Circa annum 1507. D. Johannes Scheyringius praedicavit: *Quanto papatus se altius evexit, tanto profundius iterum dejicietur, quod nisi propediem fiat, non poterimus amplius illaesa conscientia praedicare. Itaque Deus restauratorem ecclesiae suae missurus est, qui verbum suum in aperta luce proferat atque a tenebris, quibus involutum est, eruat.* Wolff. cent. c. 16. p. 13. ** Ex calculo Abrahami Bucholzeri in indice chronolog. anno ante natum Christum 1517. ecclesia V. T., populus nempe Israëliticus, per mare rubrum ex Aegyptica servitute educebatur; anno vero post nativitatem Dominicam itidem 1517. ecclesia N. T. afflictissima ex Pharaonis Romani servitute et tenebris plusquam Aegyptiacis emersit.** Anno 1508. cum Lutherus Erphordiae studiis incumberet et graviter aegrotaret, quidam senex sacrificulus ipsum invisens dicebat: *Confide Domine baccalauree, non morieris, evades in magnum virum et multos consolari poteris.* Matthesius in vita Lutheri. Anno 1511. Martinus Pollichnius Mellerstadius philosophus, medicus et theologus de Luthero dixit: *Hic monachus omnes doctores perturbabit, novam doctrinam proferet, ecclesiam Romanam reformabit, quia tractat libros propheticos et apostolicos, nititur verbis Christi, quibus nemo potest resistere,* quae Mellerstadii vox congruit cum judicio Nicolai Ulneri vicarii Coloniensis, viri octogenarii, qui legens scripta Lutheri anno 1520. dixit, *singulis literis omen inesse hoc modo, Lux Vera Totius Ecclesiae Romanae.* Philippus Melanthon, Conr. Porta et Matthesius de vita Lutheri. ***Fridericus et Johannes duces Saxoniae fratres eo anno, quo Lutherus primum mense Novembri edidit propositiones de indulgentiis, cum ex templo Vinariae in natali Christi cum filio duce Johanne Friderico post mediam noctem egrederentur cum frequenti comitatu, vident supra arcem coelo sereno fulgentem crucem purpuream satis magnam et perspicue expressa figura. Ibi cum diu starent attoniti spectatores fratres colloqui de religione coeperunt et eo signo portendi futura certamina de doctrina et domus Saxonicae pericula vaticinati sunt.* Laurentius Lindemannus in orat. de Johanne duce Saxoniae, refert quoque Tob. Fincelius et ex eo Wolffius tom. 2. memor. p. 77. ubi vide. Tempore eo, quo Lutherus reformationis opus coepit, tritum fuit vaticinium: *Imperator Fridericus quando adveniet, liberabit sanctum sepulcrum Domini.* Sed cum prophetiae ita se habeant, ut citius impleantur, quam intelligantur; ita quoque cum hac accidit. Nam dux Saxoniae Fridericus elector (sub quo Lutherus papatum reformare coepit) Francofurti ab electoribus unanimi consensu in imperatorem electus fuit, et revera imperator fuerat, si saltem assensum praebuisset, sed propter senectutem Carolum V. voto suo imperatorem designavit et petiit. Perinde autem Deo est, quamdiu quis caesar sit, modo sit. Idcirco hic caesar Fridericus, id est elector Saxoniae, per praedicationem D. Lutheri sane tum sepulcrum, id est sacram Scripturam, (in qua veritas Christi exstincta a Papistis diu sepulta jacuit, quam mendicantes et inquisitores haereticae pravitatis custodierant, ne discipuli Christi venirent et auferrent eam) liberavit per ministerium Lutheri a custodibus monachis et sacrificulis. Vide tom. 2. Luth. Wolff. tom. 2. p. 114.** Circa idem tempus, anno scil. 1511. vixit Magdeburgi Johan. Syringius theologiae doctor et summi templi canonicus, is saepe conquestus fuit, *veritatem misere corruptam, venturum ergo reformatorem.* Catal. testium veritatis. Ann. 1512. cum vicarius generalis et totus conventus Augustinianorum fratrum concluderet, fratrem Lutherum in theologiae doctorem promovendum, Staupitius omnium nomine id Luthero sub arbore in coenobio Witebergensi referebat, cum vero Lutherus praetenderet, se esse tenui valetudine, virum magis idoneum et confirmatae valetudinis quaerendum esse, respondit Staupitius: Es läßt sich ansehen, es
werde unser Herr Gott bald im Himmel und auf Erden XII. 111
viel zu schaffen haben, darum wird er viel junger und arbeitsamer Doctores haben müssen, durch die er seine Händel verrichte, ihr lebet nun oder sterbet, so darf euch Gott in seinem Rath, darum folget und thut, was euch euer Conventus aufleget. Philippus Melanthon et Matthesius de Luthero. De eodem Staupitio commemorat Matthesius, quod audiens in aula Romana, jam olim exstitisse rumorem, *eremitam quendam coronam papae attrectaturum,* joco dixerit ad Lutherum: Ich habe gedacht, es würde es ein Einsiedler thun, so merke ich wohl, es soll ein Augustiner Mönch sein. Henningus monachus Augustinianus in Porta coeli de D. Andrea Proles Lipsiensi Augustinianorum monachorum provinciali, (qui circa annum 1512. vixit, quemque Lutherus adhuc juvenis Magdeburgi vidit et audivit) sic narrat: *Me vivente erat Prior monasterii nostri D. Andreas Proles Lipsiensis vir doctus*

Digitized by Google

magnique animi ac bonum pro Christiano populo zelum habens. Ab ipso saepe audivi inter praelegendum haec verba: Auditis fratres testimonium Scripturae sacrae, quod gratia sumus quidquid sumus, et gratia habemus quidquid habemus; unde igitur tantae tenebrae et horrendae superstitiones? O fratres, res Christiana opus habet magna et forti reformatione, quam quidem jam prope instare video. Quaerentibus fratribus, *quare ipse non inciperet reformationem ac erroribus sese opponeret*, respondebat: *Videtis fratres, me esse aetate grandaevum, corpore et viribus debilem, et agnosco, me non esse praeditum tanta doctrina, industria et eloquentia, quantam haec res postulat, sed excitabit Dominus heroem aetate, viribus, industria, doctrina, ingenio et eloquentia praestantem, qui reformationem incipiet erroribusque se opponet, et Deus animum dabit, ut magnatibus contradicere ausit, et ipsius ministerium salutare Dei beneficio comperietis.* Solitus etiam est inter praelegendum dicere: *Regnum papae magnam minatur ruinam, quia nimis alte ac nimis cito crevit.* Catal. test. verit. Dresserus in millenario sexto pag. 40. Wolffius centur. 16. pag. 32. etc. Anno Christi 1521. cum Lutherus Wormaciam ingrederetur, quidam portans crucem ligneam ipsi occurrit et clamavit: *Advenisti desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris.* Talia complura adduci possent ex Nicolao Cusano, Hildegardi, Johanne Lichtenbergio, Wesselo Groningensi, Baptista Mantuano, Francisco Nicolao eremita etc.

SECTIO XIII.

DE NOTA ECCLESIAE DECIMA TERTIA A BELLARMINO ASSIGNATA, QUAE EST CONFESSIO ADVERSARIORUM.

An confessio adversariorum sit vera ecclesiae nota.

293. *Membrum primum.* Sitne confessio adversariorum genuina et propria ecclesiae nota? Fatemur, tantam esse vim veritatis, ut ipsi etiam adversarii interdum vel inscii vel inviti ei dent testimonium. *Aperta veritas etiam clausos ferit oculos*, inquit Augustinus, quo a Bellarmino refertur locus Deut. 32, v. 31: *Non est Deus noster, ut dii eorum, gentilium scilicet* (Hebr. non est petra nostra, ut petra eorum), *etiam inimici nostri judices*, hoc est ipsorum etiam gentilium judicio et confessione. **Novatus de Trinit. c. 18: *Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab inimicis probetur.*** Fatemur insuper, testimonium ab hoste veritati datum esse magni omnino ponderis, cum non ex affectu praeconcepto, sed ex ipsa veritatis vi elicitum merito judicetur. Irenaeus lib. 4. c. 14: *Probatio vera et minime contradictioni obnoxia, quae ex dictis adversariorum elicitur.* Interim tamen confessionem adversariorum pro vera et genuina ecclesiae nota XII. 142
nondum possumus agnoscere, 1. quia non est perpetua. Interdum quidem contingit, veritati ab ipsis hostibus testimonium dari, sed illud non est universale ac perpetuum, quandoque enim adversarii sunt ita pervicaces et obstinati, ut manifestae et perspicuae veritati testimonium dare nolint, ex quo tamen vel ecclesiae vel doctrinae, quae in ecclesia sonat, nihil quidquam decedit. 2. Non est notior. Quomodo enim testimonium illius certum et infallibile, qui et verae doctrinae et ecclesiae naturam non perspexit, vel si eam perspexit, tamen doctrinam illam amplecti et ecclesiae illi sese associare noluit? 3. Non est essentialis. Si vel maxime ecclesia destituatur confessione adversariorum, tamen est et manet vera ecclesia. Gentiles ecclesiam Israeliticam persequebantur, tantum abest, ut veritatis testimonium illi darent, nihilo tamen minus ecclesia Israelitica erat vera ecclesia. Joh. 5, v. 34. inquit Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio*, id est testimonium hominum non est absolute et simpliciter mihi necessarium, sed nihilominus sum verus Messias ac mundi salvator, si vel maxime nemo hominum id credat vel testetur. Idem de ecclesia Christi pronuntiari potest, quod humano testimonio et commendatione non indigeat ex necessitate, sed quod sufficiat illi divina testificatio. 4. Non est propria. Ut enim in quibusdam Catholici ab haereticis laudantur, ita vicissim in quibusdam gentiles et haeretici a Catholicis non improbantur. Apostolus etiam ex gentilium poëtis quaedam testimonia adducit, nec tamen propterea totam religionem gentilium approbavit. Cyprianus tanti fecit scripta Tertulliani, ut nullum diem sine illorum lectione praetermitteret, illud crebro inculcans notario suo: *Da mihi magistrum*, Tertullianum scilicet significans, de quo tamen vetustas judicavit, ipsum haereticis opinionibus fuisse fascinatum. Augustinus Ticonii regulas in libro de doctrina Christiana laudat, quem tamen pro ecclesiae filio habendum esse negat. Ipsi Pontificii scriptores in gentilibus et haereticis quaedam laudant, nec tamen vel gentibus vel haereticis verae ecclesiae laudem tribuunt. Acosta libr. 6. de procuranda Indorum salute c. 14: *Dissimulari profecto non potest, quam nobis erubescendum sit, quod a Satanae ministris Indis superemur, cum nos ad salutares confessiones persuadendas pigriores sumus quam ethnici ad saevas et carnificinas suas. Lubenter interdum a sacerdotibus suis expiandi adulterii aut alterius sceleris causa durissimo saxo ad scapulas tundi fortiter, interdum a juvenibus diu virgis caedi, non raro, si sceleris magnitudo acerbius aliquid postulare videretur, in excelsam atque omni solatii genere destitutam rupem secedere et longum ibi aevum ferarum more traducere sustinent.* Pimenta in epist. de India orient. p. 110: *Nulla inter Indos istos furta aut*

Digitized by Google

latrocinia et idcirco cum foras procedunt, aedium ostia non occludunt. Nos certe admirati sumus, cum in adscensu montium patulas villas offenderemus, nec ullum tamen hominem in iis deprehenderemus. Ut autem in gentilibus externam vitae sanctitatem, ita in haereticis veritatem respectu quorundam capitum praedicant. Maldonatus in c. 8. Matth.: *Non citaremus auctorem imperfecti operis, quod Chrysostomo falso tribuitur, cum sit haeretici Ariani, nisi et auctoritas et eruditio et subtilitas interpretandi illi auctoritatem tribuisset. Quo consilio Tertullianum et alios, quos haereticos esse scimus, saepe citamus.*

An ab adversariis testimonium detur Romanae ecclesiae.

294. *Membrum secundum.* An ipsorum adversariorum confessione ecclesia Romana sit vera ecclesia? Bellarminus primo loco adducit *testimonia paganorum, Judaeorum, Turcarum et Arianorum;* sed ea non de ecclesia Romana, qualis hodie est, sed de ecclesia Christiana et catholica sunt edita. In ecclesia Romana hodierna et doctrinae et morum corruptelae longe gravissimae regnant, quas ipsi pagani, Judaei ac Turcae detestantur iisque a Christiana fide deterrentur. Vir quidam magnae auctoritatis apud Indos, cum ad baptismum duce-
XII. 144. retur, quaerebat ex Christiano, *quo pervenerint Hispani post mortem.* Respondebat Christianus, *bonos in coelo victuros esse, malos in inferno. Sed ubi maxima pars* (subjiciebat ille) *victura est? In coelo procul dubio,* dicebat Christianus, *nam plerique sunt boni. Tum ego,* dicebat Indus, *nolo in illud coelum recipi, sed vivam loco ab eis disjunctissimo, scio enim, cum illis male actum fore.* Delecti cardinales in consilio de emendatione ecclesiae Paulo III. dato: *Credat sanctitas vestra scientibus, quo infideles hanc praecipue ob causam Christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos inquam nomen Christi blasphemetur.* Turcarum imperator pontificem Romanum vocare solet *regem morionum,* propterea quod cardinalibus nudos titulos episcopatuum in terris longissime dissitis et suae potestati minime subjectis donet. Notum etiam est dicterium Judaei cujusdam, qui cum Romae baptizandus esset, dicebat, *se libenter credere velle in Deum Christianorum, qui tanta flagitia tam aequo animo ferre possit.* Haec testimonia Romano pontifici et ecclesiae Romanae sunt parum honorifica. Aliam igitur quercum Bellarminus excutit, provocat ad testimonium Lutheri, quod in libro contra Anabaptistas scribat: *Nos fatemur, sub papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos devenisse. Quippe fatemur, in papatu veram esse Scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum praedicandi officium, verum catechismum, ut sunt oratio Dominica, decem praecepta, articuli fidei. Dico insuper, sub papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse.* Respondemus: aliud est loqui de papatu, aliud de ecclesia sub papatu. Antichristus sedet *in templo Dei,* hoc est in ecclesia, aliud igitur est Antichristus, aliud ecclesia Dei, in quam tyrannicam suam potestatem exercet. Ad Antichristum et ipsius regnum pertinent corruptelae, superstitiones, idololatriae, quae vigent in papatu; ad ecclesiam Dei, quae sub papatu latet velut granum sub paleis, pertinet Scriptura sacra, baptismus et reliqua bona, quae Lutherus enumerat. Separandum igitur pretiosum a vili, divinum ab humano, Christianum ab Antichristiano, catholicum ab haeretico, ut ex superioribus intelligi potest. *Ex causis dicendi petenda est dictorum ratio;* agit ibi Lutherus contra Anabaptistas, qui contendebant, baptizatos in ecclesia Romana esse rebaptizandos, contra illos demonstrat Lutherus, verum baptismum et alia bona in ecclesia Romana adhuc per Dei gratiam haberi, ideoque papales sordes et quisquilias ab illis, quae sunt divina et pretiosa, abstergendas, non autem cum papalibus additamentis ac sordibus ipsum bonum, divinum ac pretiosum abjiciendum esse. Quod in apologia August. confess. Bernhardus, Dominicus et Franciscus vocantur *sancti,* id non fit sensu Pontificio, quasi omnia illorum dicta et facta canonizemus, sed generali quadam vocabuli significatione. *Bernhardus* in articulo justificationis *aliquid lucis* habuit, merita operum reprobavit, potestatem illam monarchicam, quae Romano pontifici hodie tribuitur, non agnovit, vires liberi arbitrii in spiritualibus negavit et in multis capitibus a doctrina papistica abhorruit, tandem sub vitae finem ad unicum Christi meritum vera fide confugit, unde illum et sanctum et beatum nominare possumus. *Dominicus et Franciscus* fuerunt superstitiosi, ergo non nisi ex hypothesi adversariorum et loquendi consuetudine apud ipsos vulgata sancti appellantur. Ecquis enim nostrum probaret prodigiosas illas laudes, *quod Franciscus totum evangelium ad literam observarit mundus ab omni peccato usque ad ultimum quadrantem, quod plus fuerit quam Johannes Baptista, quod melior sit apostolis, quod ex vulnere Christi laterali prodierit, quod de ipso dictum sit: Datus est in lucem gentium? Item: Et ambulabunt reges in splendore ortus tui;* quae omnia in libro conformitatum de Francisco dicuntur. Ecquis nostrum probaret, quod de Dominico Antoninus archiepiscopus scribit, *melius per istum quam per Paulum ad Christum iri,*
ac quod per omnes vitae Christi partes ac per om- XII. 145.
nia Christi miracula transiens primas semper Dominico tribuit?

An Pontificii doctrinae evangelicae veritatis testimonium dent.

295. *Membrum tertium.* An ipsi Pontificii testimonium veritatis nostrae doctrinae largiantur? Bellarminus hoc loco confidenter asserit, *nusquam inveniri, quod Catholici vel doctrinam vel vitam nostrorum approbarint.* Respondemus: 1. arguit hoc invidiam et odium ipsorum, non autem probat, nihil in doctrina ac vita nostra esse laude dignum. 2. Indice expurgatorio teste ex scriptoribus Pontificiis deleta sunt, quaecumque honestam nostrorum

mentionem faciunt, quomodo igitur postulare audent, ut testificationes adversariorum producamus? 3. Si vel maxime adversariis non probetur doctrina et vita nostra, sufficit nobis, eam probari Deo. Joh. 5, v. 44. Rom. 2, v. 29. 2. Cor. 10, v. 18. 4. Falsum est, nullos ex adversariis nostram doctrinam vel vitam approbasse. **Ut enim jam nunc praetereamus Calvinianos (qui in admonit. de libro concord. Neostadii anno 1581. impressa p. 198: *Nec controversum est, nec id vel ecclesiae vel pii omnes et prudentes diffitentur, ornatum fuisse Lutherum a Deo multis excellentibus donis et virtutibus, ingenio, luce doctrinae coelestis, eruditione, eloquentia, prudentia et sapientia, zelo gloriae Dei, magnitudine animi adversus omnes impetus invicta, divinitusque formatum et excitatum ad ecclesiam Christi his postremis temporibus a tyrannide ac tenebris Antichristi horribiliter oppressam in libertatem et lucem evangelii vendicandam et destruendam magnam partem regni Antichristiani, multae res maximae ecclesiasticae et politicae ipsius consilio gubernatae et gestae feliciter, et haud dubie ardore fidei et precum ipsius magna ex parte successus prosperi et pax, dum vixit, a Deo impetrata est, quae statim post ejus mortem turbari coepit, mundo poenas ingratitudinis luente. Haec Dei beneficia ingrati et impii simus, si non agnoscamus et celebremus.*** Maximilianus I. in comitiis Wormaciens. anno 1518. ad Degenhartum Pfeffingerum electoris Saxonici consiliarium dixit, *significato electori, ut monachum illum nobis diligenter custodiat, brevi enim opera ejus utemur!* Episcopus Wintoniensis morti jam vicinus de justificatione per solum Christi sanguinem obtinenda ab alio episcopo admonitus, *periculosum esse* respondit *populo hanc rimam aperire, sibi tamen suique similibus in simili casu constitutis hanc doctrinam tuto manifestari ac detegi posse.* Foxus in martyr. p. 1788. In comitiis Augustanis fatebantur adversarii, *ex Scripturis sacris confessionem* a nostris Caesari oblatam *non posse refutari*, ipse quoque Caesar Carolus audita confessionis praelectione dixisse scribitur, *optare se, ut per totum orbem ita doceatur.* **Prodiit anno 1597. Constantiae libellus catholicus annis 31 ante quoque excusus, super quem Joh. Hoffmeister catholicus censuram quandam scripsit, in qua asserit, *confessionem seu religionem Lutheranam non esse ex omni parte damnandam, sed quodammodo posse probari et acceptari.* Wolff. cent. 16. p. 980. Casparus Northausen insignis papista Colon. Agripp. librum edidit sub titulo *De Lutheranorum cum Papistis concordia*, in quo dicit, *Lutheranos a Pontificiis dissidere in 21 articulis et illorum quidem 13 esse evangelicos et apostolicos, cum reliquis vero ita comparatum, ut facile uniri possint atque coadunari.* Erasmi de Luthero judicium tom. 2. Jen. Lat. f. 331. a: *Personae, per quas res agitur, suspectae. Cum optimus quisque et evangelicae doctrinae proximus dicatur minime offensus Luthero. Qui Lutherum impetunt, ea inducunt, qua nullae aures piae ferunt. Mundus sitit veritatem evangelicam et fatali quodam desiderio videtur huc ferri, unde forte adeo non oportet odiose resisti.*** Wilhelmus Bavariae dux a lectione illius confessionis domum rediens in diversorium Johannem Eccium his verbis compellavit: *Longe alia et magis horrenda de doctrina Lutheri mihi narrata sunt hactenus, quam ipse hodie audivi. Et tu quidem praeclaram mihi spem fecisti, posse illam doctrinam facile refutari.* Ad quae cum Eccius responderet, *patrum quidem scriptis protestantium doctrinam refutari posse, minime vero ex Scriptura sacra;* subjecit Wilhelmus: *Ergo, quantum audio, Lutherani sedem et fundamenta suae* XII. 146.
doctrinae habent in Scripturis sacris, nos vero Pontificii extra eas, atque aversa ab illo facie abiit. Alius quidam magni nominis et auctoritatis tunc dixisse fertur: *Egregie sane doctores nostri nos defendunt. Fatentur ipsimet, nostram religionem et ea, pro quibus nos tanquam pro aris et focis pugnare volunt, non esse fundata in sacris literis.* Episcopus Augustanus Christophorus Stadius sive a Stain in privatis colloquiis hanc vocem edidit: *Illa, quae recitata sunt, vera sunt, sunt pura veritas, non possumus inficiari.* Idem Pontificios principes et episcopos monuit, *ut pie et prudenter in hac causa agerent, quandoquidem Lutherani nihil docerent, quod non cum articulis fidei congrueret.* Ex cardinalibus etiam quosdam tunc affirmasse proditum fuit, *et causam protestantium justam, et doctrinam eorum rectam esse. Verum hujusmodi mutationem doctrinae et rituum non tam paucorum arbitrio, sed plurium consilio et adjumento fuisse suscipiendam.* Vide historiam illorum comitiorum tom. 5. Jen. Germ. et in oratione Rosini de vita Johannis Constantis Saxoniae electoris. Ferdinandus imperator ad Matthesium Pragam evocatum dixit: *Redi domum et tuos doce, ut hactenus fecisti, secundum confessionem Augustanam.* Et paulo ante obitum anno 1564. dixit: *Si Romana ecclesia mihi deserenda sit, conferam me ad Lutheranos, quos video retinere verbum Dei et recte sentire de sacramentis, et non habere dubias opiniones, quales habent sectae Anabaptisticae et Calvinisticae, sed vallatos esse testimoniis Scripturae, quae unica est ratio et via victoriam coram Deo et hominibus obtinendi.* Hanc vocem ex ore Ferdinandi audivit, et cum aliis piis et sapientibus sermonibus annotavit D. Joh. Naevius. Maximilianus ad Augustum Saxoniae electorem dixit: *Frater tuae ego sum fidei et doctrinae, sed age quaeso, viam ostende extricandi me ex labyrinthis, quibus involutus haereo.* Cum Selneccerus jussu electoris offerret ei psalterium suum, audiit illum clementissime et praesente Zasio vicecancellario inter cetera dixit: *Quod moneor de Constantini, Theodosii et Martiani exemplis imitandis, agnosco pietatem, sed quis ego sum, aut quid et quantum possum? Orate pro me misero, qui*

Digitized by Google

in doctrina vestra, quae Augustana confessione comprehenditur, per Dei gratiam vivam et moriar. ** Ulricus ab Hutten eques *cardinalibus, abbatibus, episcopis, praepositis et universo sacerdotum concilio Lutherum et veritatis ac libertatis causam apud Wormaciam nunc impugnantibus resipiscere. Video vos per potentiam aequitatem opprimere et leges conculcare* etc. *quando Martinum Lutherum hominem vita et moribus sic probatum, ut ne ab inimicis quidem vobis improbetur, praedicatorem veritatis et evangelicae doctrinae dispensatorem fidelissimum per scelus et iniquitatem affligi a vobis lacerari et concerpi video.* Johann. Cellarius de Luthero Lipsia anno 1520. scribebat in hunc sensum: *Verissime dico, quod Martinus noster ea fide sacram Scripturam tractet, qua palmam omnibus adversariis Italis, Graecis et Hebraeis longe praeripiat. Et dico amplius, Martinus evangelicam veritatem magis amat ac omnes adversarii, scripta ejus ita mihi placent, quae diligenter hactenus evolvi, ut ab illis haud ullus papa me, non cardinalis aut monachus, quantumlibet atrox sit, avellere possit.* Matth. Schienerus episc. et cardin. Sedun. ubi primo intuitu nonnulla de Lutheri scriptis legit, addit: *O Luthere, Luthere, tu sane secundum nomen tuum Lutherus es et limpidus.* Idem etiam cuidam, qui se mox bona nova de victoria Eccii contra Lutherum Lipsiae disputantis allaturum esse promittebat, expedite respondit: *Disputet Eccius, de quo voluerit, Lutherus nihil nisi veritatem scribit!* Wolfius tom. 2. p. 181. Henricus Phaenicius anno 1522. scriptum edidit, in quo singulare Luthero testimonium perhibet his verbis: *Bonus ille, pius et Christianus homo, Martinus Lutherus, summa ope nititur, ut nos e captivitate Babylonica rapiat, at nos coeci sumus et in carcere cum voluptate permanere volumus, cum potius Deo gratias agere deberemus, ut qui nobis hunc velut Eliam quendam miserit in angustiis nostris, orare deberemus indesinenter pro tanti viri vita, sed nedum hoc agamus, illum etiam interficere cupimus et ecce salus nostra prae foribus est, at nos ostio pessulum obdimus.* Wenceslaus Rosdialovin. praepos. Pragens. dixit, *Spiritum Christi per Lutherum in ecclesia operari.* Et in literis ad ipsum habetur: *Quod in Bohemia Johan. Hussius, id es tu Martine in Saxonia. Perge modo in Domino, ne nimium fidas hominibus, ne metuas, si te feriant anathemate, quod accidit apostolis et ipsi Christo, ne mireris, id tibi quoque accidere.*** Parati sumus in omnibus et singulis controversiis
XII. 147. quaedam ipsorum adversariorum testimonia pro nostrae sententiae confirmatione afferre. Johanni Husso et Hieronymo Pragensi Poggius Florentinus in epist. ad Leonard. Aretinum *pietatis, virtutis et patientiae* luculentum praebet testimonium. De Luthero, quem plaustris conviciorum Jesuitae hodie obruunt, Erasmus in epistola ad praesulem Moguntinum sic scribit: *Illud video, ut quisque est vir optimus, ita Lutheri scriptis minime offendi. Ego Lutheri nec accusator sum, nec judex, nec patronus; de spiritu hominis non ausim judicare, est enim difficillimum, praesertim in partem pejorem, et tamen si illi faverem ut viro bono, quod fatentur et hostes, si ut reo, quod juratis etiam judicibus permittunt leges, si ut oppresso, quod dictat humanitas, ab his, qui simulato praetextu devotis animis tendunt adversus bonas literas, quae tandem esset invidia, modo ne me causae admiscerent?* Fridericus Saxoniae elector Sapiens dictus Coloniae Erasmum ad se accersivit ac quid de Luthero sentiret, ex ipso quaesivit, respondit Erasmus, *causam odii illius sitam in eo, quod Lutherus duo maxima commisisset peccata impetendo suis disputationibus monachorum ventres et pontificis coronam; doctrinam quidem ipsius veram et certam esse, velle tamen et optare se, ut stylum contra adversarios moderaretur.* In eandem sententiam scripserat ad Fridericum ab ipso consultus etiam Laurentius a Bibrach episcopus Herbipolensis singularis prudentiae et integritatis laude in toto imperio celebris ac subjecerat, *se multorum eruditorum judicia super hoc negotio explorasse.* Referunt isthaec Manlius in collectan. Continuatio Crantzii, Chytraeus in histor. orbis Arctoi, etc. **Thomas Draxus Anglus in angelica praemonitione p. 33. Lutherum vocat *virum maxime rarum et ad orbem terrarum illuminandum divinitus missum.* Petrus Mosellanus in epistola de colloquio Lipsiensi inter Lutherum et Eccium anno 1519: *Martinus statura est mediocri, corpore macilento, curis pariter et studiis exhausto, sic ut propius intuenti omnia paene ossa liceat dinumerare, aetate virili adhuc et integra, voce acuta et clara. Doctrina vero et Scripturae cognitio admirabilis in eo, adeo ut omnia paene in numerato habeat. Graece et Hebraice hactenus didicit, ut de interpretationibus judicium facere possit. Nec deest dicendi materia, suppetit enim rerum et verborum sylva ingens. Porro in ipsa vita et moribus civilis et facilis, nihil Stoicum, nihil superciliosum prae se fert, imo omnium horarum hominem agit. In congressibus festivus, jucundus, alacris et securus, ubique semper laeta facie florens, quantumvis atrocia comminentur adversarii, ut haud facile credas, hominem tam ardua sine numine divino moliri. Sed quod ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo impudentior paulo et mordacior, quam vel tutum sit τῷ τὰ θεῖα καινοτομοῦντι, vel decorum homini theologo, quod vitium haud scio an non cum omnibus ὀψιμαθέσι habeat commune.* Doctor Mellerstadius de Luthero dixit: *Attendite diligenter adolescentes monacho Luthero, eo enim ingenio praeditus est, quo nemo alius et profecto in praestantissimum virum evadet.* D. Johan. Staupitius ad Lutherum dixisse fertur: *Euge mi frater Martine, hoc mihi plurimum arridet, quod non in gratiam, sed honorem Dei, cui nimium dari non potest, omnia tua studia dirigis.* Cyr. Spangenbergius. Cum in comitiis Augustanis anno 1518.

Digitized by Google

legatus Pontificius Thomas Cajetanus plurimum urgeret Staupitium, ut ad palinodiam canendam Lutherum invitaret, respondit Staupitius, *hoc ipso oleum et operam in Luthero perditum iri, nam se longe doctiorem in sacris literis esse.* Idem Augustae Vindelicorum his verbis Lutherum allocutus est: *Memento mi Martine, ne tantam rem negligenter agas, quam in nomine Christi incepisti.* Richardus Wasserburgius archidiaconus Verdunensis: *Statuo ego, dictam sectam Lutheranam esse apprime utilem et necessariam; spero enim, quod per illam Deus velit reformare et emendare statum ecclesiae et ecclesiasticorum turbas tam primates et summa capita, quam membra et inferiores.* Item: *Cum multis piis affirmo pro certo, Lutheranae sectae primariam causam esse, scelera horrenda eorum, qui primi esse volunt in ecclesia et correctionem nullam admittunt. Et plus dico, sectam illam Lutheranam (licet illam approbare nolim) non sine divina providentia introductam, utpote ad corrigendos errores et reformandam ecclesiam omnino necessariam.* D. Paulus Ricenerus medicus Ferdinandi regis Romani honorifice de Lutheranis eorumque confessione locutus est, sibique admodum displicere pertinaciam adversariorum dixit. Wolffgangus Severus olim Ferdinandi regis praeceptor:

Iapeti de gente prior majorve Luthero
Nemo fuit, sed nec credo futurus erit.

Margaretha Archiducissa Austriaca Belgiarum rectrix, cum apud eam Lovanienses monachi sub initium reformationis de universa reipublicae Christianae per Lutheri scripta eversione graviter conquererentur, rogavit ab illis: *Quem ergo dicerent Lutherum esse?* Respondentibus ipsis, *indoctum esse monachum*, prudentissime regessit: *Scribite multi docti adversus indoctum unum et procul dubio plus orbis crediturus est doctis multis quam indocto uni.* Erasmus Roterodamus ad Lutherum scripsit Lovanio 3. Cal. Jun. 1519: *Habes in Anglia, qui de tuis scriptis optime sentiunt, et sunt hi maximi. Sunt et hic, quorum est eximius quidam, qui tuis favent.* Et paulo post: *Degustavi commentarios tuos in Psalmos, vehementer arrident, et spero magnam utilitatem allaturos. Est Antverpiae Prior ejus monasterii vir pure Christianus, qui te unice damnat, tuus olim discipulus, ut praedicat. Is omnium paene solus Christum praedicat, ceteri fere aut hominum fabulas, aut tuum quaestum praedicant.* Idem Erasmus Godschalco Rosemundano Lovaniensis academiae moderatori scribit Lovanio 15. Cal. Nov. 1520. *non deesse magnos theologos, qui non verentur affirmare, nihil esse in Luthero, quin per probatos auctores posset defendi.* Et paulo ante: *Tot sunt millia Rabinorum, tot sunt qui sibi dii videntur, nullus exstitit, qui Luthero sobrie docteque responderet, sive inscitia fuit in causa, sive ignavia, sive metus, quorum nihil competit in probos theologos.* Langii monachi de Luthero testimonium apud Wolffium tom. 2. p. 173 175. Joh. Podusca Bohemus apud Wolffium p. 182. Monachus Franciscanus ad amplectendum evangelium cives hortatur. Ex Gastio Wolff. tom. 2. p. 428.** Cum Marinus Caracciolus et Hieronymus Alexander Ro- XII. 148.
mani oratores Erasmo Coloniae anno 1520. papae verbis episcopatum promitterent, si contra Lutherum pro Pontificia auctoritate stylum stringeret, respondit ille: *Major est Lutherus, quam ut in illum ego scribam; major est Lutherus, quam ut a me intelligatur. Plane Lutherus tantus est, ut plus erudiar et proficiam ex lectione unius pagellae Lutheranae quam ex toto Thoma.* Philippus Melanthon in praefat. praefixa tom. 3. Lat. Lutheri recitat Erasmi Roterodami de Luthero judicium, quod solitus fuerit dicere, *neminem esse interpretem dexteriorem omnium, quorum exstant literae post apostolos, Luthero.* Cum eodem elogio consentit, quod Andreas Masius Pontificius scriptor in convivio coenobii Wingartensis audientibus multis Pontificiis et Lutheranis testatus est, *in una scriptorum Lutheri pagina plus esse solidae theologiae, quam interdum in toto libro alicujus patris.* Episcopus Roffensis in epistola ad Erasmum Lutheri doctrinam mirifice laudat, *ac se cupere ait illum convenire, si possit commode, ut nonnulla ex illo quaereret, quae ipsum male habebant;* addit etiam, *fuisse Lutherum Scripturarum ad miraculum usque peritum*, optat modo, *ut de papa tacuisset.* Ut autem de Luthero, ita quoque de Lutheranis quos ita vocant honestius judicant moderatiores Pontificii quam Jesuitae. Secretarius papae Pauli IV. in actione an restaurandum sit concilium edit. Pfortz. anno 1559. statuit, *nihil periculosius vel perniciosius fieri, quam si Protestantium legati inter episcopos in concilio permittantur, quae voluerint loqui*, addita hac ratione f. 14. *quod inter ipsos sint multi solide docti et diu versati atque exercitati in ipsis Bibliorum fontibus et in veteribus scriptoribus, norint etiam linguas Graecam atque Hebraeam.* Cassander in consultatione egregium de Protestantibus fert testimonium et in libro de officio pii viri vocat eos *vera ecclesiae membra*, quo nomine irascitur ipsi Bellarminus l. 3. de laicis c. 19.

SECTIO XIV. XII. 149.

DE NOTA ECCLESIAE DECIMA QUARTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST INFELIX EXITUS EORUM, QUI ECCLESIAM OPPUGNANT.

269. *Membrum primum.* Infelicem exitum adversariorum esse notam ecclesiae demonstraturus Bellarminus affert: 1. Scripturae dictum Deut. 32: *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem ser-*

An infelix exitus adversariorum sit nota ecclesiae.

vorum suorum ulciscetur et vindictam tribuet in hostes eorum; ex quo colligit, *Deum etsi puniat suos et flagellet, tamen tandem projicere virgam in ignem.* 2. *Exitus tragicos tum persecutorum ecclesiae, tum haeresiarcharum et apostatarum, qui misere tandem perierunt.* Ad classem priorem refert exempla *Pharaonis* Exod. 14. *Dathan et Abiran* Num. 16. *Jezabel* 2. Reg. 9. *Antiochi* 2. Macc. 9. *Pilati* apud Eusebium lib. 2. hist. 7. *Judaeorum* apud Josephum de bell. Jud. *Herodis Ascalonitae* apud Josephum lib. 17. antiq. c. 9. *Herodis tetrarchae* apud eund. lib. 18. antiq. c. 14. *filiae Herodis* dictae *Herodiadis* apud Nicephorum lib. 1. c. 20. *Herodis Agrippae* Actor. 12. *Neronis, Domitiani, Diocletiani, Galerii, Maximiani* et *Maximini* apud Eusebium in chron. et libr. 8. histor. eccles. libr. 9. cap. ult. Ad classem posteriorem refert exempla *Simonis Magi* apud Hegesippum libr. 3. de excidio Hieros. c. 2. *Manichaei* (rectius Manes) apud Epiphanium haeres. 109. *Montani* apud Eusebium lib. 5. hist. c. 16. *Donatistarum* apud Optatum lib. 2. contra Parmen. *Arii* apud Athanasium orat. 1. contra Arian. *Juliani apostatae* apud Nazianzenum orat. in Athan. *Valentis Ariani* apud Rufinum lib 11. hist. c. 13. *Nestorii* apud Evagrium lib. 1. hist. c. 7. *Hunerici regis Vandalorum Ariani* apud Victorem lib. 3. de persec. Vand. *Anastasii Entychiani* apud Cedrenum, Zonaram et Paulum Diaconum in ipsius vita. Respondemus: 1. infelicitas exitus vitae aestimatur vel ex adspectu externo duntaxat, vel ex vita antegressa. Si non solum ex adspectu externo, sed etiam ex antegressa vitae impietate infelicitas aestimetur, fatemur, et persecutores et haeresiarchas justo Dei judicio horribiliter ut plurimum perire ac Deum sua judicia etiam in hac vita contra illos saepius ostendere. Si vero ex nudo adspectu externo infelicitas mortis aestimetur, negari nequit, etiam sanctissimos Dei martyres judicio mundi miserabilem sortiri exitum. Proinde ex mortis qualitate absoluti et simpliciter certi quippiam de ejusdem infelicitate concludi nequit, sed respicienda est doctrina, quam antea professus est, qui misere videtur perire, et vita, quam antea egit, sic ergo redit nostra nota, quod ex doctrina de ecclesia sit pronuntiandum. 2. Fatemur, quorundam, qui ecclesiam vel persecutionibus, vel haeresibus turbarunt, exitus fuisse tragicos et funestos, sed hoc de omnibus affirmari nequit, quidam enim persecutores, quidam etiam haeresiarchae pacate decessisse leguntur. Interdum quidem Deus etiam in hac vita judicia sua exercere incipit, sed ut potissima praemia, ita etiam potissimae poenae differuntur in alteram vitam. 3. Exempla eorum, quae Bellarminus commemorat, sunt ab hac quaestione plane aliena, illi enim nec papam, nec ecclesiam Romanam, sed Christum et ecclesiam Christi oppugnarunt ideoque justo Dei judicio misere perierunt. Afferenda vero erant talia exempla, quae ostenderent papalis ecclesiae, quatenus talis, oppugnatores misere periisse. Potuisset sane Bellarminus afferre exempla imperatorum Romanorum, qui a pontificibus Romanis excommunicati, variis bellis impliciti et a propriis filiis ac subditis instinctu et hortatu XII. 134
meretricis Babylonicae oppugnati fuerunt. Itemque martyrum, qui vel linguam, vel calamum adversus notissimos Romanae ecclesiae abusus stringentes rogo statim impositi vel alio supplicii genere e medio sublati; sed haec exempla Romanae sedi parum honorifica fuissent. 4. Quandoque eorum, qui in visibilis ecclesiae gremio ac consortio vivunt, propter antegressam vitae impietatem exitus sunt tragici ac funesti, ex quibus non potest colligi, quod ecclesia, cui ratione externae societatis conjuncti fuerunt, non sit vera ecclesia. Ergo nec haec nota est propria perpetua et inseparabilis.

297. *Membrum secundum.* An infelix fuerit exitus eorum, qui Romanam ecclesiam oppugnarunt? Bellarminus ad id probandum affert exempla *Lutheri*, quem ex Cochlaeo repentina morte sublatum esse scribit, postquam vesperi laetus et sanus opiparam coenam sumsisset ac facetiis suis omnes ad risum provocasset; *Zwinglii* in bello contra Catholicos trucidati; *Oecolampadii* in lecto ab uxore mortui inventi, cum vesperi sanus cubitum ivisset; *Carolstadii* a daemone interfecti; *Calvini* vermibus consumti et daemonibus invocatis cum blasphemia mortui; ex Cochlaeo et Bolseco; Guilielmus Besseus Jesuita Gallus in concept. theol. sabath. post cineres pag. 102. auget mendacium: *Lutherus* (inquit) *bene potus et cibis distentus absque ullo pietatis signo cubitum secedens apud inferos pernoctavit.* Respondemus: 1. De Zwinglio, Oecolampadio, Carolstadio et Calvino, quo fine vitam clauserint, parum soliciti sumus. De morte Oecolampadii Wolffgangus Capito et Simon Grynaeus in vita Oecolamp. Danaeus in praefat. super comment. Oecolamp. in Ezechielem, de morte Calvini Nicol. Gallasius et Theodorus Beza longe alia ac diversa referunt, quod nos in medio relinquimus. Bolseci hoc non unum est mendacium, de quo a quibusdam refertur, quod *cum lacrimis confessus sit, se praeter omne meritum convitiis Calvinum onerasse.* 2. De morte Lutheri exstat historia conscripta a Justo Jona, Michaële Coelio et Johanne Aurifabro, qui coram Deo et in conspectu Christi testantur, quod sancta fide et conscientia obitus historiam referant. Summam istorum omnium commemorat Sleidanus libr. 16. comment. pag. 488. hisce verbis: Anno 1546. Lutherus ad comites Mansfeldicos proficiscitur vocatus ab iis componendi causa dissidii. Priusquam Islebium veniret, quod erat sub exitum Januarii, valetudine utebatur tenuiori. XVII. Februarii coepit aegrotare gravius ex pectore, erant cum eo filii tres, Johannes, Martinus, Paulus, et alii quidam familiares, in his etiam Justus Jonas Halensis ecclesiae minister, et quanquam erat imbecillior, prandit tamen cum reliquis atque coenavit. Inter coenandum variis de rebus locutus hoc etiam inter

An Romanae ecclesiae adversarii infeliciter perierint

Digitized by Google

alia rogabat, *num in illa sempiterna vita simus alter alterum recognituri?* cumque illi averent ex ipso scire. *Quid*, inquit, *accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam, sed cum formaret eam Deus, altissima quiete sopitus dormiebat, expergefactus cum illam videret, non rogat, quae sit aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit et os de ossibus suis. Qui vero sciebat istud? Nimirum Spiritu sancto plenus et vera Dei cognitione praeditus ita pronuntiabat. Ad eundem modum etiam nos in altera vita renovabimur per Christum; et parentes, uxores, liberos, et quidquid est, multo perfectius agnoscemus, quam tunc Evam Adamus cognovit.* A coena cum divertisset precandi causa, sicut consuevit, coepit augeri dolor pectoris, ibi monitu quorundam usus est cornu monocerotis ex vino, post in minori lectulo hypocausti per unam et alteram horam suaviter dormit, cum evigilasset, in cubiculum ingreditur et ad quietem iterum se componit et salutatis amicis, qui aderant: *Orate*, inquit, *Deum, ut evangelii doctrinam nobis conservet, pontifex enim et concilium dira moliuntur.* Haec ubi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed urgente vi morbi post mediam noctem excitatus
. 151. queritur de angustia pectoris et praesentiens, instare jam vitae finem, his omnino verbis Deum implorat: *Pater mi coelestis, Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum Jesum Christum mihi revelasti, cui credidi, quem confessus sum, quem amavi, quem celebravi, quem pontifex Romanus et reliqua impiorum turba persequitur et afficit contumelia, rogo te mi Domine Jesu Christe suscipe animulam meam. Mi Pater coelestis, etiamsi divellor ex hac vita, licet corpus mihi jam sit deponendum, certo tamen scio, me tecum permansurum esse in sempiternum neque posse me tuis ex manibus a quoquam avelli.* Non multo post eam precationem, ubi spiritum suum in manus Dei semel et iterum commendasset, tanquam dormiturus paulatim e vita discedit, nullo cum corporis, qui quidem animadverti potuisset, cruciatu; fuit autem is annus Lutheri climactericus 63. qui solet esse periculosior. 3. Neve Sleidani et Melanthonis fidem Bellarminus in dubium vocare queat, producimus Jacob. August. Thuanum historicum Pontificium, qui lib. 2. hist. pag. 30. eodem modo Lutheri obitum describit: *Sub id tempus* (inquit) *Martinus Lutherus turbarum contra Pontificiam auctoritatem concitatarum auctor annos natus 63 in patria Islebia, quod est Mansfeldicae ditionis oppidum, moritur 12. Calend. Martias, illuc Wittenberga, ubi docebat, a Mansfeldiis comitibus vocatus et arbiter electus, ut dissidium, quod inter ipsos de finibus et hereditate erat, componeret. Post coenam proxime ante noctem, qua decessit, cum rogaretur, num in illa altera vita simus alter alterum agnituri, ita esse ajebat et Scripturis confirmabat. Ut certatim eum vivum multi complexi, sic nec morte quidem ab ejus amore divelli potuerunt. Mansfeldii siquidem cadaver, quod hinc originem duceret, in suis finibus sepeliri debere contendebant, sed vicit Johannis Friderici auctoritas, qui, ut Witebergam referretur atque ibi terrae honorifice mandaretur, obtinuit* etc. Surius ipse in comment. rerum in orbe gestar. pag. 474. edit. anno 1566. recitat ultimam illam Lutheri precationem. Quae omnia mendacium impudenter effusum in Cochlaei jugulum redigere merito debent.

De infelici exitu persecutorum evangelii.

298. *Membrum tertium.* Quodsi vero animus nobis esset, tragicos exitus ac repentinas mortes Romanorum pontificum commemorare, principium citius quam exitum invenire possemus. *Anastasius II.*, quia sine concilio episcoporum et cleri communicavit Photino et Acacium occulte revocare voluit, nutu divino percussus est intestina ejiciendo, Fasc. temp. aetat. 6. ad ann. 5673. *Sozimus I.* episcopatus sui die vicesimo subita morte correptus abiit. *Nicolaus III.* subito mortuus est. *Paulus II.* moritur media nocte nemine praesente, cum laetus eadem die esset in consistorio et duos pepones edisset pridie ante mortem. *Johannes X.* cervicali in os injecto in carcere suffocatus est. *Sylvester II.* cum in basilica S. crucis Romae in Jerusalem sacrificasset, a diabolo ex pacto exstinctus est. *Alexander VI.* ex veneno periit, quod aliis paraverat. *Johannes XIII.* homo sceleratissimus in adulterio deprehensus et confossus periit. *Adrianus* pontifex excommunicationem Henrico II. denuntiat, ipse a Deo maledictus, cum aquam e fonte haurire vellet, musca in os ejus involans gutturi adhaesit, qua misere suffocatus est. *Bonifacius VII.* suorum scelerum conscientia excruciatus subitanea morte periit. Ita referunt Platina, Balaeus, Nauclerus, Sigebertus etc. unde Johannes Sarisberiensis in policrat. libr. 6. cap. 24. scribit, *se putare, pontifices tam brevi vivere ac tam repente mori, ne totam ecclesiam corrumpant.* Exempla divinae Nemeseos ac horribilis vindictae in persecutores ecclesiarum evangelicarum et apostatas exercitae possemus commemorare quamplurima, si ex tragicis defunctorum exemplis potius quam ex sanctis vivi Dei oraculis de religione judicare mallemus. Anno 1522. *Emserus*, quem Caprum nominant, eo ipso die, quo Alexium Crosnerum XII. 152.
puram evangelii doctrinam Dresdae publice ac fideliter proponentem mandato ducis Georgii urbe excedere et importunis imprecationibus cum familia in exsilium ire compulisset, subitanea morte miserandis et tristibus gestibus exstinctus est, Selneccerus in orat. de init. et progr. Augustan. confess. p. 29. **Ponchetus archiepiscopus Turonensis primus regi Galliae auctor fuit quaesitores instituendi, qui pios cremarent. Sed is febri ardentissima primo ita exustus fuit, ut exteriora membra illi putrescerent, nec calor iste membris articulatim dissectis sedari potuerit, qui tandem ustorem combussit, Wolffius cent. 16. ann. 1513. p. 72.** Anno 1524. Norim-

Digitized by Google

bergae subita apoplexia exstinctus est *cancellarius Trevirensis*, qui biduo ante mortem in convivio gloriatus fuerat, *ante festum Martini abolendum esse evangelium ferro.* Refert Lutherus tom. 2. epistolarum epist. ad Haussmannum p. 184. Anno 1527. *Doctor Halensis Craus* in desperationem propter abnegatam evangelii doctrinam incidit hisce ante horribilem obitum usus verbis: *Ego negavi Christum, ideo jam stat coram Patre et accusat me.* Illam cogitationem praestigiis diaboli captus tam fortiter conceperat, ut nulla adhortatione aut consolatione, nullis divinis promissionibus pateretur eam sibi excuti, atque ita desperavit et se ipsum misere occidit; Lutherus in comment. c. 3. Galat. tom. 4. Jenens. Lat. p. 63. Anno eodem *Thomas Blauerus* (al. de Balvere) regis Scotorum consiliarius summus, auctor persecutionis adversus doctores evangelicos susceptae, cum horam mortis jam ingruere intelligeret, se damnatum ac perditum esse assidue clamavit, cumque monachi lecto assisterent eumque consolari vellent, *apagite*, inquit, *cum vestris ineptiis, nunquam enim adduci potui, ut crederem, Deum esse vel Satanam, infernum vel coelum, et in pari pretio tam vestram quam Evangelicorum doctrinam habui, solam spectavi in meis consiliis pecuniam et ejus rei gratia episcoporum causam egi regique auctor fui, ut vestros adversarios ejiceret, idcirco nihil proderunt mihi vestrae vel missae, vel vigiliae, sum enim damnatus et Satanas jam constrictum me tenet, ut in abyssum inferorum me abripiat.* In hac desperatione misere est exstinctus. Referunt Alex. Alesius Scotus, Andreas Hondorpius in speculo historiali, Wolffius cent. 16. memorab. pag. 293. etc. Anno 1530. in comitiis Augustanis *sex comites ac barones* datis mutuo dextris stipulati fuerant, sese omnes vires ac facultates collaturos esse ad tollendos e medio Lutheranos, uti vocabant, ex quibus *Felix comes Werdenbergius* affirmaverat, *si bellum adversus Protestantes susciperetur, se sine stipendio propriis sumtibus adversus eos militaturum.* Hic ad coenam vocaverat abbatem monasterii dicti ad Vineam vel hortum vinarium zum Weingarten ac superiores minas repetiverat. Peracta coena cum jam abbas in hospitium abiisset, discesserat et ipse cubitum. Sequenti vero die mane mortuus in cubili repertus est et paulo post sepulturae fuit traditus. Quod cum audiisset alius quidam ex confoederatis, in gravissimum morbum et ipse incidit. Referunt Georg. Spalatinus in histor. Augustae gestis anno 1530. quae exstant tom. 5. Jen. Germ. p. 37. Joh. Rosinus in vita Johannis electoris Saxonici lit. R. 3. ann. 1541. *Hoffmannus* papisticae religionis acerrimus propugnator iturus ad conventum Ratisbonensem, ut evangelicis resisteret, non procul ab Ulma in horribilibus mugitibus est mortuus. Refert Henr. Pantaleon lib. 8. rerum in ecclesia gestarum, ubi addit, *monachum quendam Dominicanum*, cum doctrinam evangelicam acerbe oppugnaret, in ipsa concione percussum fulmine subito esse mortuum, ac quendam alium magni nominis virum cum audivisset cantilenam illam ecclesiasticam Eine feste Burg ist unser Gott ꝛc. ac dixisset: Ich will helfen die Burg zerschießen oder will nicht leben, post triduum sine confessione et invocatione Dei esse mortuum. XII. 12

Ambrosius Moibanus in lib. de mandato Christi anno 1536. edit. refert, quod praelatus quidam, cum per omnem suam vitam ex mera pertinacia evangelio fuisset adversatus idque verum esse evangelium negasset, quia nimirum nulla ederet miracula, morbo correptus atque eo ad mortem usque laborans dixerit: *O mi Deus omnipotens, remitte mihi, quod tam pervicaciter evangelium tuum, quod hodie praedicatur, contemserim idque nullam miracula faciendi vim habere proterve affirmaverim. Heu quam illud modo in agone meo verissimum est et alias in vita deprehendi, quod semper Deus mihi aliisque mei similibus praelatis idem conantibus aperte restiterit osque nostrum ita inhibuerit, ut ne illud quidem aperire contra evangelii tui praedicatores potuerimus. Illi profecto praedicatione tua omnem missam, omne purgatorium nostrum funditus subverterunt, quod ego cum omnibus aliis Papistis nunquam potui obtinere. Peto itaque veniam et imploro misericordiam Dei, ne mihi imputare incredulitatem meam velit. Atque ita praelatus iste haud multo post obdormivit.* Wolff. tom. 2. memorab. pag. 417. Anno 1543. moriens *Eccius* acerrimus Lutheri adversarius de nulla alia re quam de nummis locutus est, teste chronico Carionis. Petrus Lembergius in epistola de doctrina et morte Eccii anno eodem edita totam rem plenius exponit. *Scis* (inquit), *quae de morte Eccii sparsa fuerit fama non ab iis, qui procul erant et doctrinam ejus oderant, sed qui officii causa decumbenti quotidie affuerant. Initio hominem, sicut corpore firmo et robusto fuit, contemsisse morbum, subinde admonitum ab amicis noluisse cavere occasiones, quibus morbus alebatur. Cum autem manifesta signa apparerent naturae a morbo victae et quasi credentis, ac non deessent, qui eum ad confessionem et eucharistiam hortabantur, ne tum quidem suorum acquievisse consilio, donec tandem totus lecto affixus et jam mens mota esse non obscure deprehenderetur, ibi monachum egregie indoctum et tamen, ut ejus funesta oratio ostendit, ad maledicendum non ineptum, ad lectum decumbentis Eccii sacra fecisse porrecturum postea pro more eucharistiam; hoc animadverterit Eccius, necne, ignoro, hoc audio, cum juberetur, ut praepararet se ad sumtionem, πολλὰ παραφρονοῦντα dixisse de nescio quibus quater mille aureis, hos si habeat, bene habitura omnia et triumphanturum se de causa. Non ita multo post sumsisse eucharistiam ac secuta mox, quae talem vitae consuetudinem sequi solent; scis enim, quibus morbis, qui vino et Veneri nimium indulgent, sunt obnoxii, et tandem non animadvertentibus iis, qui adstabant, cum sanguine purpu-*

Digitized by Google

ream vomuisse animam. Haec de Eccii morte Ingolstadio nuntiata sunt, ac postea a multis magnis viris, quod comitia tum Noribergae celebrarentur, huc perscripta. Meminit hujus interitus Eccii etiam Lutherus in comment. c. 2. Hoseae tom. 4. Jenens. Lat. pag. 607. et addit: *Non delectant pios hi horribiles casus, mallent enim, ut omnes conferrent operam suam ad evangelii doctrinam illustrandam ac propagandam, quam dum evangelium blasphemant, sibi aeternos cruciatus ut concilient. Sed dum nullum blasphemiarum modum faciunt, talibus exemplis opus est, ut Deus testetur, se judicem esse, et reprimat impiorum conatus, ut alii emendentur et evangelio non ita se opponant.* Eodem anno 1543. mortuus est *Albertus Piggius* papatus defensor non postremus, de quo scribunt, fuisse illum in tumultu oppressum in magna hominum frequentia una cum pecunia illa, quam a papa et cardinalibus propter operam suam in causa Pontificia defendenda collocatam acceperat. Anno 1545. horribili morte obiit *Johannes Minerius* summus judicii et senatus Aquensis in Gallia praefectus, Waldensium persecutor crudelissimus; ut constat ex Sleidano libr. 16. comment. pag. 463. et Osiandro cent. 16. hist. eccles. lib. 2. c. 54. De hoc Minerio Pantaleon in historia rerum in ecclesia gestarum scribit, *quod ex internis viscerum flammis misere perierit, quod medici eum non sanare, imo nec adspicere possent, quodque horrendas in Christum blasphemias evomens animam efflaverit.* Guarlacus
I. 154. doctor Lovaniensis acerrimus Pontificiae sedis defensor inter multas horrendas blasphemias, quas in morbo suo evomuit, lamentabili voce cum Caino exclamavit, peccata sua majora esse, quam ut remitti possent, atque ita desperabundus exspiravit, ut videre est in epistola Claudii Senarclai ad Bucerum. De Munerio praetore Lutetiano refert auctor librorum de rebus in Gallia ob religionem gestis sub Henrico II. pag. 9. quod *primus de causis Evangelicorum cognoverit ac multa in eos crudeliter perpetrarit.* Is postquam in comitissae Seniganae causa falsi damnatus esset, ex decreto senatus variis in locis mulctam honorariam publice perduxit, denique infami, omnibus tamen grato spectaculo, piloriis ut loquuntur, circumductus fuit atque ita relegatus. Dicebat ille, dum in carcere detineretur, *se agnoscere, eas, quas subiret, poenas mercedem esse male tractatorum Lutheranorum, nihilque posthac in eos se tentaturum.* Unus item ex iis consiliariis, qui fidelium causis cognoscendis atque dijudicandis vacarat, repentina morte paulo post interiit. Anno 1546. *Alphonsus Diasius* Hispanus fratrem suum Johannem per famulum crudeliter ob evangelicae doctrinae professionem ex insidiis obtruncat, ut est apud Sleidanum l. 17. comm. p. 491. cum vero in fratricidam pro merito non animadverteretur, factum divino judicio, ut in concilio Tridentino muli sui collo adhaerens in desperatione mortuus sit. Anno 1547. die 27. Aprilis cum ob cladem et captivitatem electoris Saxoniae Johannis Friderici *canonici Misnenses* in templo cathedrali supra modum jubilarent et hoc nomine hymnum *Te Deum laudamus*, decantarent, tum Deus in malignorum et perversorum illorum hominum ἐπιχαιρεκακίαν exemplum statuit manifestoque signo se abominari pravorum gaudia declaravit. Actutum enim templum illud de coelo fulmine tactum et incendio correptum ac desuper omnia aedificia in cinerem redacta sunt, campanae et organa musicalia liquescentia perierunt et incendium illud a quarta pomeridiana ad sextam matutinam alterius diei horam continuo duravit. Thomas Stibarus in histor. narrat. de vita Johann. Frider. Rosinus in vita Johann. Frider. lit. Ee. 3. D. Polandus superintendens Misnensis in praefat. conc. de music. instrument. Huc pertinet, quod de *Hoxariensibus* Rosinus ibidem commemorat. Oppidum est in Saxonia, quod appellatur Hoxar, in quo multi erant cives Augustanae confessioni addicti et ministrum etiam ecclesiae habebant pure docentem evangelium. Hi ergo cum audivissent de eventu hujus belli et electoris captivitate, summum inde dolorem capiebant et tristem casum miseris modis deplorabant, sed consul ejus urbis *Bartholomaeus Masco* adhuc a Pontificiorum parte pendens iis insultabat, subinde haec verba repetens: *Hem, ubi nunc est vestrum evangelium? ubi nunc vestra sacramenta? numquid ex hac Caesaris victoria manifestum fit, quae et ubi sit vera ecclesia atque religio?* Post hanc insultationem domum abiens apparato splendido convivio invitabat ad se alios nonnullos Pontificiis corruptelis deditos, ut cum illis laetum sumeret diem et exsultaret ob belli exitum et piorum calamitatem. Sed ista laetitia non diu durabat. Peracta enim coena et convivis digressis, cum et ipse cubitum secessisset, dolores et tormina ventris sentiebat, quibus adeo affligebatur, ut circiter mediam noctem domestici ac familiares, quia videbant dolores subinde augeri et morbum ingravescere, mitterent accersitum pastorem ejus urbis, licet invisum consuli, quod puram evangelii doctrinam populo publice proponeret; verum antequam veniret ecclesiae minister, jam consul subita morte exstinctus erat. Anno 1548. in comitiis Augustanis *Johannes VI. Constantiensis episcopus, nobilis a Weza* sive Vesalius, juratus evangelii hostis, qui in bello *Smalcaldico* adversae partis molitiones non parum promoverat, ac ob id cardinalitium galerum exspectabat, subitanea morte ex hac vita ad tremendum Dei judicium evocatus est, idque factum noctu, cum paucis horis prius inter coenandum horribilia urbi Constantiensi et Lutheranis in dioecesi sua habitantibus interminatus esset hac voce usus: XII. 155
Ich will sie putzen, oder die Hand Gottes soll mich rühren, *Tractabo eos egregie, aut manus Domini me tangat.* Haec vero eum ita tetigit, ut mortuus in lecto inveniretur postero die a cubiculariis, qui horribilia se quaedam ea nocte audisse fassi sunt. Referunt Casp. Bruschius in annalibus episcoporum

Digitized by Google

Constantiensium, Sleidanus lib. 21. comment. pag. 641. et ex illis Wolffius cent. 16. pag. 574. Anno eodem 1548. secutus est horribilis *Francisci Spirae* interitus, quem Sleidanus pag. 649. hisce verbis describit. Est in agro Patavino Venetorum ditionis oppidum citadella, hic erat civis quidam homo forensis et causidicus valde exercitatus, Franciscus Spira. Is incredibili quodam ardore coepit complecti puriorem doctrinam et cum in dies magis atque magis proficeret, non domi tantum apud amicos, quid sentiret de singulis dogmatibus, verum etiam passim apud omnes explicabat. Ea res non diu potuit esse occulta et tandem ad legatum Pontificium, qui tum erat Venetiis, Johannem Casam archiepiscopum Beneventanum delata fuit. Ubi hoc Spira cognovit, facile suum intellexit periculum. Cum ergo diu multumque in omnem partem deliberasset, tandem statuit vocatus convenire legatum. Itaque profectus Venetias et errorem suum, uti putabat vel metus causa dicebat, confessus veniam poscit et obsequentiam in posterum pollicetur. Legatus, tametsi propter spontaneam confessionem gaudebat, tamen exempli causa jubet, ut domi reversus ante dicta publice revocet. Accipit ille conditionem, et licet jam tum inciperet ipsum poenitere facti, tamen urgentibus amicis, qui non ipsius modo, sed conjugis etiam et liberorum et facultatum ipsius spem totam in eo positam esse dicerent, obtemperavit. Verum non multo post in aegritudinem incidit tum animi, tum corporis deque misericordia Dei coepit desperare. De consilio igitur amicorum citadella defertur Patavium, ut et medicorum operam et doctorum hominum paratam haberet consolationem. Medici Johann. Paulus Crassus, Bellacata, Frisimelega statim ubi vidissent, ex vehementiori cogitatione natum morbum, nec ullum esse remedium praestantius judicabant quam animi consolationes. Frequentes igitur ad ipsum quotidie veniebant homines docti et sacrae Scripturae testimoniis, quae summam Dei misericordiam nobis explicant, mentem illius sanare studebant. Ipse vero *non inficiari quidem ista*, *sed ad se nihil pertinere*, *et quod agnitam veritatem abjurasset metu periculi*, *destinatum se cruciatibus aeternis et illos jam animo sese persentiscere atque videre*, *neque Deum amare posse*, *verum horribiliter odisse* dicebat, in eoque perstitit; neque jam cibum amplius capere volebat, et cum per vim ingereretur, subinde respuit. Cum ergo frustra consumerentur omnia consilia et ipsius tum infirmitas corporis, tum angor mentis in dies magis atque magis augesceret, domum relatus fuit atque ibi miser in eo statu ac desperatione vitam finiit. Memorabilis hujus exempli meminit Flacius ejusque usum ostendit in praefat. lib. de sectis, dissensionibus et contradict. Pontif. ad senatum Venetum pag. 43. *Misit*, inquit, *Deus hoc tempore visitationis et illustrandae religionis suae cum aliis omnibus gentibus suos quosdam doctores et monitores*, *tum etiam vestris illustr. dominationibus inter alios duos nequaquam obscuros legatos ac verbi voluntatisque suae praedicatores*, *nempe Franciscum Spiram et rev. virum fratrem Baldum Lupetinum civem et cognatum veritatisque praeceptorem meum. Quorum prior cum esset clarus vir celebrisque causidicus*, *tum et ingenio*, *tum facundia*, *tum et eruditione multos alios praestantes viros longe antecelleret veritatemque sincerioris religionis agnovisset et confessus esset et Antichristi errores damnasset ac multos de veritate edocuisset*, *tandem istic a Pontificio legato minis violentiaque coactus est*, *agnitum Christi evangelium contra conscientiam damnare et abnegare. Verum Deus eum velut alterum Judam filiique sui proditorem sensu irae suae feriit*, *in ipsissimum* XII. 15 *infernum projecit*, *et praesenti daemonum carnificina ac plane tartareo horrendoque cruciatu viventem adhuc aliis tum persecutoribus*, *tum contemtoribus veritatis suae in conspicuum modisque omnibus expavescendum exemplum diu excarnificare clamantem ac vociferantem sine fine in illustri ac frequentissimo loco publicae academiae Patavii*, *se ob abjuratam damnatamque agnitam viventis Dei veritatem in aeternum damnatum esse etc. Quod profecto valde memorabile Dei miraculum nulli omnino humanae fraudi aut physicae causae tribui potuit*, *ut multi doctissimi viri ex omnibus professionibus et nationibus*, *qui eum coram saepius inviserunt et allocuti sunt*, *testantur*, *quae historia multorum publicis scriptis*, *omnibus ferme notioribus linguis editis evulgata celebrataque est.* Anno 1552. tragicus exitus *Crescentii* Pontificii in concilio Tridentino legati contigit, quem Sleidanus lib. 23. comment. pag. 751. his omnino verbis describit. Crescentius valetudine detentus haerebat. Is nocturno spectro perterrefactus, ut ajunt, et aegrotare simulque vitae coepit desperare, quantumvis etiam familiares atque medici consolarentur etc. Qua coeperit occasione aegrotare, constitueram silentio praeterire, quod suspicio erat, in ejus invidiam esse confictum, sed quoniam ipsius amici ac familiares, qui decumbentem aliquando consolati sunt, ita referunt, addendum esse putavi. Martii die 25. scribendis literis ad pontificem valde fuerat occupatus et laborem ad noctem usque continuavit. Ibi surgens, ut se reficeret, ecce visus est illi canis quidam ater inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis ingredi et ad ipsum recta contendere, deinde sub mensam dilabi. Percussus et obstupefactus ubi demum sese collegit, famulum inclamat, qui erat in anteriori cubiculo, jubet adferri lumen et investigari canem, cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem suscepit cogitationem et in morbum incidit. Moribundus etiam subinde suis acclamasse fertur, ut canem, qui lectum conscenderet, arcerent. Monachus quidam Monasteriensis cum in suggestu contra evangelii doctrinam vehementissime inveheretur, subito fulminis ictu occisus fuit, ut Pantaleon

Digitized by Google

annotavit. Heinricus Smithaeus, qui evangelii professionem Lovanii in Brabantia abjuravit, domum rediens se ipsum cum agno Dei collo appenso suspendit. Foxus in martyr. pag. 2105. Anno 1556. *Jacobus Latomus* haereticae pravitatis inquisitor Christique fidelium persecutor immanissimus in horrendam desperationem incidit. Nam cum ex ambitione contra conscientiam veritatem evangelii atrociter impugnasset, corpore vegeto et sano subita trepidatione et terroribus ita perculsus est, ut quos ex amicis noverat doctissimos ad se accerseret suamque impietatem in extrema constitutus desperatione ultro fateretur, *Grave est*, inquiens, *peccatum meum, qui prudens sciensque in verbo Dei persequendo et opprimendo aliis meam locavi operam. Quare adversus Spiritum s. peccavi, nec ulla vel in hac vita, vel in aeternum peccati mei condonatio mihi speranda est, sed diaboli et corpore et anima aeternum sum mancipium, adeoque jam in regnum ejus incorporatus. Quin imo haud porro Latomum ut hominem intuemini, sed ipsum diabolum, et si aperirentur vobis oculi, manus pedesque meos tetribus unguibus deformes et formidabiles deprehenderetis.* Per haec ejus verba, qui aderant viri docti supra modum territi sunt, inter quos quidam doctor theologiae, amicus ejus intimus, consolari eum coepit et docere: *nullum peccatum grave adeo esse, quin per Dei misericordiam condonetur;* ad quae respondit Latomus, *sibi non ignotas esse plurimas ex sacris literis depromtas sententias, quae praeclaras admodum sint et consolationis plenissimae, sed deesse sibi fidem et fiduciam in Deum. Et ne vobis dubium sit, certa esse, quae de mea damnatione locutus sum, videbitis, quod lecto jam affixus moriar. Sim autem vobis exemplo eaque de causa vos accersi jussi, ut per me moniti resipiscatis et in persequendis fidelibus finem fa-*
I. 157. *ciatis.* Haec et plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuus est, atque oris ejus totiusque corporis apparuit foeditas, ut omnibus esset terrori. **Refert Selneccerus in orat. de initiis et progressu August. confess. p. 29. Item** Jobus Fincelius de miraculis sui temporis et ex eo Wolff. cent. 16. memor. p. 667. Anno 1558. 31. Martii exseruit se Nemesis divina in *episcopo Labacensi* acerrimo Evangelicorum persecutore Donaverdae de paucis gradibus in templi egressu delapso et cervicem hoc casu frangente. Anno eodem 1558. uno atque eodem die eademque aegritudine, nimirum quartana, elati fuerunt *Maria regina Angliae et Reginaldus Polus cardinalis* pontificis legatus, persecutores doctrinae evangelicae acerrimi, referente Vergerio dial. 1. contra Osium f. 165. Anno 1560. *cancellarius Galliae Oliverius* in miserabili desperatione mortuus est, cum praecipue super exusto Annaeburgio doleret, is inter alias desperationis voces has jactabat: *O cardinalis Lotharingiae, tu in causa es, ut omnes in aeternum damnemur.* Referunt Heinricus Petri et Beuterus. Anno 1565. *Joachimus a Neuhausen* Bohemiae cancellarius, hostis ecclesiarum, quae a pontifice Romano sejunctae puriorem doctrinam profitebantur, acerrimus, dum Danubii pontem Viennae transit rupto pontis jugo cum cisio et equis delapsus in Danubio submersus est. **Valentinus Pacaeus theologiae licentiatus et concionator evangelii Lipsiae ab evangelica sincera religione deficiens et in Sueviam profectus Dillingae sese cum Pontificiis conjunxit evangeliique doctrinam blasphemavit et virulenter irrisit. Cum autem Lauingam exspatiatus esset et deinde domum Dillingam versus rediret, in itinere incidit in quendam, qui venabulum per os Valentini adversum trajecit eumque occidit, sic ergo apostata ille misere periit anno 1558. Wigandus de apostas. Empsychovius in refut. causar. Braunii p. 443. Osiander cent. 16. citatur infra pag. 1313.** Refert Chytraeus in chron. Andreas Hondorpius in speculo historiali talem commemorat historiam: *Bernburgi* ante aliquot annos bonarum literarum fuit studiosus, qui ex abbatis cujusdam promotione canonicatum in cathedrali ecclesia Magdeburgensi adeptus est, hic cum otium et tranquillitatem propter annuos reditus sibi polliceretur et Babylonicae meretricis signaculo gauderet, subito in extremas deductus est angustias. Nam cum aliquando equo vectus Magdeburgo egressus esset, iis diabolici spectri dementatus est praestigiis, ut se corpore et anima a Satana jamjam abreptum iri crederet, quod et factum esset, nisi ex Christi salvatoris dicto, *sic Deus dilexit mundum* etc. consolatione arrepta se ipsum confortasset, eo enim dicto tanquam sacro scuto tunc temporis Satanam a se abegit, sed relicto foetore pessimo, qualis adustarum est vestium. Moestus itaque et animo turbidus domum revertitur, ubi cum mensae assideret fratrem lateri affixum habens, spectrum illud animo ejus obversatur et in tantas eum denuo redigit angustias ut flebilibus gemitibus testaretur, *se Satanae et corpore et anima esse proprium*, in qua desperatione festino cursu in proximum puteum se praecipitat, sed ex divina gratia urnam in aquis pensilem apprehendens se sustentavit illaesusque inde extractus est. Ab eo tempore consolando hominem hunc turbidum gravibusque tentationibus oppressum admodum occupati fuerant ecclesiarum ejus loci ministri, animarum curam sibi demandatam habentes. Saepe enim numero accidit, ut concioni sacrae cum interesset, tanti subito eum opprimerent terrores, ut amentis instar in sacrarium se proripiens ex concionatoribus aliquem accerseret supplexque ab eo consolatione ex verbo Dei desumta se erigi peteret. Tanto ipsi canonicatus iste constitit, is mirabili Dei providentia in tentationibus conservatus mavult jam plebejus esse civis, dummodo salvam habeat conscientiam, quam magnificus et dives canonicus turpi conscientiae labe adspersus. ***De Carolo quinto, Heinrico secundo, Francisco secundo*, Galliae regibus evangelicae doctrinae persecutoribus hi conscripti exstant versus:

Digitized by Google

Consiliis Christum oppugnans et fraudibus ingens
Regum ille terror, Carolus,
Ipsis ridiculus pueris, furiosus et excors,
Totus repente corruit.
Tuque Henrice malis dum consultoribus utens
Sitis piorum sanguinem;
Ipse tuo vecors inopina caede peremtus
Terram imbuisti sanguine.
Henrici deinceps sectans vestigia patris
Franciscus infelix puer
Clamantem Christum surda dum negligit aure,
Aure putrefacta corruit.
Versuti, fatui, surdi haec spectacula reges
Vos sapere vel mori jubent.

Potuisset autem hoc carmen longius contexi ad *Carolum nonum*, *Henricum tertium*, *Henricum quartum*, quorum luctuosi exitus omnibus noti sunt.**
XII. 158. Memorabile cumprimis est, quod de *Henrici II.* obitu a Bucholzero, Chytraeo, Nigrino et aliis chronologis refertur. Is maxima suppliciorum crudelitate grassabatur in eos, qui Pontificiis erroribus nuntium miserant, quinimo comminatus fuerat, *se ex Lutheranorum cineribus montem maximae altitudinis et latitudinis confecturum, cui vix similis in Galliis exstaret.* Cum vero Parisiis anno 1559. nuptiae regis Hispani celebrarentur et in ludis equestribus dominum Mongomerium porrecta hasta ad certamen equestre invitaret et invitum cogeret, Mongomerius cum rege concurrens hastam quidem eleganter super regis thoracem ferreum fregit, sed galea regis non satis clausa admisit tenuissima quaedam fragmenta hastae Mongomerianae, quae supra oculum regis per cranium in cerebrum penetrarunt, ex quo vulnere 10. Julii intra duodecimam et primam diei horam exspiravit, qua ipsa hora 10. Junii senatores Parisienses Lutheranismi accusatos Mongomerio captivandos et custodiendos mandaverat, cui postea in ludo equestri propria manu hastam, qua occisus fuit, in manus tradiderat. Hasenmullerus in historia Jesuitarum c. 11. pag. 425. et seqq. multa exempla apostatarum misere demortuorum adducit. **Idem Hasenmullerus in hist. Jesuit. p. 427. refert, *se audivisse ex Jesuita Turriano, Ignatii Loyolae comitem assiduum usque ad aram missae fuisse daemonem, a quo etiam saepe ita fuerit agitatus, ut in magna copia frigidissimum mortis sudorem effuderit et postquam cum tremore obierit, mortuum nigerrimo vultu conspectum esse. Cum anno 1554. corpus ejus ad templum ab Alexandro Farnesio exstructum transferre vellent Jesuitae, ossa cadaveris non sunt inventa fingentibus ipsis, ea per angelos forsan esse translata. Quales angeli fuerint, ipsi viderint. Nihil dicam, quam felices sortiantur exitus ipsi Esavitae, qui quo modo moriantur, vel ubi sepeliantur, vix vicina domus novit, ad quos aegrotantes novitios et extraneos non admittunt, nam mira forsan viderent et audirent.*** *Rabus* degener ille parentis optimi filius, apostata turpissimus cum vino obrutus Coloniae ad castra exiret, a militibus occisus et sine sacramento mortuus est. *Casparus Franck* Ingolstadii moriturus neminem ad se admittere voluit dicens: *Ego multa feci et scripsi contra conscientiam, discedite a me omnes, jam sum in foro judicii, brevi vel condemnabor, quod metuo, vel salvabor, cujus tamen nullam persuasionis rationem in corde meo sentio*, sicque solus misere expiravit. *Stephanus Agricola* ** apostata olim pastor Helbarensis pagi in comitatu Mansfeldensi a religione evangelica deficiens primo cum Sidonio Michaele Mersburgensi episcopo in religione consensit, postea vero ad Papistas velut sublatis signis manifeste se Dillingam contulit, inde progressus Romam usque ad ipsam Antichristi sedem, ibi palam evangelicam veritatem, quam antea professus fuerat, abnegando absolutionem consecutus est. Postea spe potiundi dignitatibus et reditibus papisticis [** in mari Adriatico in Germaniam rediturus **] navigans conscientia apostatici facinoris tantopere torquetur, ut cruciatus cordis finire cupiens in mare se praecipitem daret. Wigandus de apostas. Empsychov. contra Braunium decan. Colon. p. 444. ** Anno 1583. Landspergae frater quidam Jesuitarum *Johannes* nomine, qui veritatem evangelii agnitam reliquerat et Jesuiticum ordinem ingressus erat, miserabiliter plane vitam cum morte commutavit, nullam enim consolationem admittere voluit, quod Hasenmullerus sese vidisse et audivisse scribit: *Afferebant* (inquit) *Jesuitae ad ipsum agnos orbiculares, rosaria, grana, imagines, ligneas cruces, signa benedicta, hostiam consecratam etc. promit-* XII. 159.
tebant preces, missas, suffragia; hortabantur illum, ut confideret fratrum et sanctorum meritis; verum frustra inania fundebant verba, ille enim vicissim dicebat: Removete haec omnia, nam propterea, quod his credidi, jam damnabor. Dicebam ego ipsi, *Crede in Jesum Christum.* Respondit miser, *in hunc credidi, sed turpiter illum abnegavi, mihi ex Jesu factus est damnator, non possum salutem consequi.* Et Petro Hispano dixit: *Quaeso aut me interficias, aut da mihi cultrum, ut me ipsum transfodiam, nam totus flammis infernalibus ardeo.* Quae audientes Jesuitae ob oculos illi ponebant crucis signum et herbas benedictas corpori admovebant; ille vero ait, *removete ista, quibus oleum igni additis, nihil praeterquam daemones meam animam unguibus apertis exspectantes video, illis jam sum traditus, nam Deum et verba ejus abnegavi*, sicque miser in desperatione obiit. Noctu paratum ipsi est sepulchrum, cumque mane sacristanus aquam benedictam, priusquam corpus humaretur, foveae infundere vellet, niger canis de ea prosiliit, quo viso frater sacristanus aufugit territus, reliquis nuntians, se daemonem vidisse etc. Haec et plura illius generis ibidem commemorat Hasenmullerus. Talia quam plurima commemorat Foxus in martyr. Eat nunc Bellarminus et ex infelici exitu de ecclesiae veritate judicandum esse disputet.

Digitized by Google

SECTIO XV.

DE NOTA ECCLESIAE DECIMA QUINTA, QUAM BELLARMINUS ASSIGNAT, QUAE EST FELICITAS TEMPORALIS.

An temporalis felicitas sit nota ecclesiae.

299. *Membrum primum.* Sitne felicitas temporalis genuina et propria ecclesiae nota? Negamus. 1. Scriptura testatur manifestis dictis et historiae illud comprobant plurimis exemplis, veram ecclesiam in hac vita saepius fuisse cruci subjectam. Audiatur querela ecclesiae Israëliticae Psalm. 129, v. 1: *Saepe afflixerunt me a juventute mea, dicat nunc Israël;* v. 2. *saepe afflixerunt me a juventute mea, sed non potuerunt mihi.* Cogitentur exsilia patriarcharum, servitus Israëlitarum in Aegypto, commoratio per quadraginta annos in deserto, abductio in captivitatem Babylonicam etc. **Cum Abrahamus in terra Canaan veram Dei notitiam docere et ecclesias plantare coepisset, fames ibidem exoritur Gen. 12, v. 10. Elia concionante oritur annonae caritas, non autem prophetae, sed impii regis et Baaliticae cohortis culpa 1. Reg. 17. 18. 19. capp. Arnobius circa annum Christi 300. hoc gentilium commentum, quod doctrinae imputari consueverint temporum mala, octo libris repressit; Paulus etiam Orosius, presbyter Hispanus, Augustini et Hieronymi σύγχρονος libris 7. Sodomitae habitabant in loco fertilissimo et pulcherrimo. Quinque reguli orientales non idcirco erant Dei populus, quod victoria potirentur Genes. 14. Cum populus Iraëliticus a Babyloniis vinceretur inque captivitatem abduceretur, dicebant Moabitae et Edomitae Ez. 25, v. 8: *Ecce sicut omnes gentes domus Juda*, id est Deus non magis curat populum Judaicum quam gentes alias, si essent populus Dei, victoriam ab hostibus reportarent nec in bello superarentur. Idem Moabiticum et Edomiticum sive Esauiticum judicium est Bellarmini.** De ecclesia N. T. praedicit Christus Johan. 16, v. 20: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.* v. 33: *In mundo pressuram habebitis.* Act. 14, v. 22: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* 2. Tim. 3, v. 12: *Omnes qui pie vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Apoc. 12, v. 13: *Draco magnus cum projectus esset in terram, persecutus est mulierem* (ecclesiae typum), v. 15. *et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam*
XII. 160. *flumen, ut eam faceret trahi a flumine* (denotantur persecutionum fluctus, quibus vera ecclesia saepius est subjecta). 2. Contra vero Scriptura dictis et historiae comprobant exemplis, ecclesiam malignantium, adeoque verae ecclesiae hostes felicitate temporali exsultasse. Job. 21, v. 7: *Quare impii vivunt, senescunt confortati divitiis?* v. 8. *Semen eorum permanet coram eis;* v. 9. *domus eorum sunt pacatae a timore et non est virga Dei super illos;* v. 13. *ducunt in bonis dies suos* etc. Psalm. 73, v. 5: *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellantur.* v. 12. *Ecce illi impii felices sunt in seculo, obtinuerunt divitias* etc. Jerem. 12, v. 1: *Justus quidem tu es, Domine, si contendam tecum, veruntamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui praevaricantur et inique agunt.* v. 2: *Plantasti eos ac radicem miserunt, proficiunt et faciunt fructum.* Similem querelam contexit Habacuc c. 1, v. 3. Quoties Philistaei, Ammonitae, Midianitae, Assyrii etc. victoriam ab Israëlitis reportarunt! Quam graves contra Christianos persecutiones primis tribus post Christum natum seculis ab imperatoribus Romanis sunt motae! Quoties Gothi, Vandali, Hunni imperium Romanum ad Christianismum perductum divexarunt! Quid hodie Turca hostis Christiani nominis agit? Nonne ebrius est victoriis a Christiano populo reportatis? Dan. 11, v. 36. de Antichristo praedictum: *Elevabitur et magnificabitur adversus omnem Deum et dirigetur.* Ergo successus temporalis felicitas Antichristianae ecclesiae potius convenit. Absit igitur, ut ex felicitate temporali, divitiis scilicet, victoriis, splendore externo etc. de religionis et ecclesiae veritate judicium velimus ferre, maneat potius firmum fixum effatum regis sapientissimi, quod ex successu externo non possit de Dei gratia vel odio certi quippiam statui, Eccles. 9, v. 1: *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit*, in quem locum sic commentatur Hugo de S. Victore: *In ecclesia nescit homo aut amorem aut odium, quia beneficia temporalia indifferenter eveniunt bonis et malis, haec indistinctio obtenebrat mentes hominum de providentia Dei.* 3. Intueamur Christum ecclesiae caput, quali fortuna in mundo sit usus. Tota ipsius vita nihil aliud fuit in hoc mundo quam continua calamitatum tela, *non habuit, ubi reclinaret caput* Matth. 8, v. 20. per multas easque gravissimas *passiones in gloriam suam intravit* Luc. 24, v. 26. Quare cum ecclesia sit corpus Christi mysticum, huic capiti suo eam oportet per tribulationes et persecutiones *conformari* Rom. 8, v. 29. neque enim *discipulus est supra magistrum, nec servus supra dominum* Matth. 10, v. 24. Luc. 6, v. 40. Joh. 13, v. 16. c. 15, v. 20. etc. Quodsi igitur ex felicitate vel infelicitate temporali de ecclesia faciendum esset judicium, dicendum potius, infelicitatem externam quam felicitatem verae ecclesiae in hoc mundo adhaerere. 4. Sed nec felicitas, nec infelicitas temporalis est ecclesiae propria ac perpetua. Comparatur ecclesia in Scripturis naviculae Matth. 8, v. 23. Luc. 8, v. 22. Uti ergo navicula per mare interdum placide et secunda aura fertur; ita quoque ecclesia prospero rerum cursu ac successu quandoque utitur. Sed ut facile contingit, surgentibus ventis et intumescentibus fluctibus ecclesiam periclitari; sic persecutiones et adversitates contra ecclesiam facile oriri possunt. 5. Eodem

Digitized by Google

argumento a felicitate temporali ducto idololatriam suam ecclesia Israëlitica propugnabat. Jerem. c. 44, v. 16: *Responderunt Jeremiae omnes Judaei, qui habitabant in terra Aegypti: Sermonem, quem locutus es nobis in nomine Domini, non audiemus ex te;* v. 17. *sed facientes faciemus omne verbum, quod egreditur de ore nostro, ut thymiama adoleamus Melecheth coeli et libemus ei libamina, sicut fecimus nos et patres nostri in urbibus Juda et in plateis Jerusalem, et saturati sumus panibus et bene nobis erat malumque non vidimus.* v. 18. *Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginae coeli et libare ei libamina, indiguimus, omnibus et gladio et fame consumti sumus.* Eodem plane ar-
XII. 161. morum genere ethnici contra Christianos pugnantes idololatriam suam defenderunt. Symmachus in epist. 30. apud Ambrosium disputat, *permanendum esse in veteri religione Romanorum, quod illorum respublica amplissima et florentissima fuit, quamdiu Jovem et Apollinem coluerunt.* Augustinus lib. 1. de civit. Dei c. 30: *Pagani afflicti rebus adversis querebantur de Christianis et Romanae reipublicae cladem in religionem nostram referebant, quia diis suis sacrificare prohiberentur.* lib. 2. de civit. Dei c. 3. memorat, vulgatum olim fuisse apud ethnicos proverbium: *Pluvia defecit causa Christiani nominis,* in quae verba sic commentatur Ludovic. Vives: *Significat ita, dictum illud fuisse ab impiis hominibus jactatum, ut quidquid mali accideret, imputandum esse Christianis judicarent.* Tertullianus: *Praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment, omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam, si Tiberis adscendit in moenia, si Nilus non adscendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianus ad leonem acclamatur.* Cyprianus contra Demetr.: *Sed enim cum dicas, plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames saeviant, quod imbres, quod pluvias serena longa suspendant, nobis imputari, ultra tacere non oportet.* Haec ibi Vives. Idem Augustinus lib. 5. de civit. Dei c. 22. commemoratis quibusdam diuturnis veterum Romanorum bellis subjungit: *Haec ideo commemoro, quoniam multi praeteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suae scientiae, si temporibus Christianis aliquod bellum paulo diuturnius trahi vident, illico in nostram religionem protervissime insiliunt exclamantes, quod si illa non esset et vetere ritu numina colerentur, jam Romana illa virtute, quae adjuvante Marte et Bellona tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrime finiretur.* Eodem argumento utitur Turca in Alcorano, unde dicit, *gladium sibi divinitus contra Christianos esse traditum.* Est igitur argumentum illud, quo Bellarminus utitur, plane ethnicum, Turcicum et Epicureum, imo diabolus splendore regnorum mundanorum ad idololatriam Christum pellicere conatus fuit Matth. 4, v. 8. Luc. 4, v. 6. 6. Patres a felicitate temporali ad ecclesiae veritatem argumentum duci posse negant. Justinus in qq. et resp. ad orthod. q. 126. pag. 368. quaerit, *Quomodo Graecismus et paganismus non probetur esse sanctior Christiana religione, quandoquidem quamdiu in urbe ille obtinuit, omnis ibi et in agris eorum prosperitas et rerum abundantia viguerit, idque cum illae crebro bellis premerentur, ex quo autem in eis Christiana invaluit professio, domibus et civibus et reliqua copiarum ubertate sunt destitutae et quia vix reliquias, quae a Graecis olim exstructa sunt, aedificiorum retinentes, quod aliquando urbes fuerint, ostendunt.* Respondet autem hoc modo: *Ex ubertate et prolixo proventu frugum domorumque ut urbium et agrorum solitudine de sanctitate eorum, qui aliis praestant, conjecturam capere non licet, Domino Deo ex utilitate mortalium res hujusmodi praebente atque auferente; sed sanctitas eorum, qui aliis sunt praestantiores, ex bonis, quae animi destinatione ab eis perficiuntur, operibus dijudicatur. Enimvero ut homines daemonibus in sacris hostiae offerrentur et ut, qui Deo convenit, inanimis exhiberetur honor, Graecis rerum potientibus est factum. Christianis autem invalescentibus nefaria hujusmodi Graecorum sive paganorum sacra sunt prohibita. Ex talibus ergo rebus tanquam quibusdam notis Christianorum sanctitatem dignoscere oportet et non ex frugum affluentia et aedificiis, non ex urbibus et agris.* Augustinus in epist. 120. ad Honorat.: *Beneficentissima providentia omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit et impiis, ne pro magno quaereretur a bonis.* lib. 1. de civ. Dei c. 8: *Placuit divinae providentiae praeparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec* XII. 162.
mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur. **Idem lib. de agone Christ. c. 12. p. 320: *Ecclesia catholica per totum orbem longe lateque diffusa impetus hostium frangens magis magisque roborata est non resistendo, sed perferendo.*** Idem lib. 2. de civit. Dei c. 23: *Non magni pendamus terrenam felicitatem, quae malis etiam plerunque conceditur, nec eam rursus quasi malam arbitremur, cum etiam in ea multos pios ac bonos unius Dei cultores praepolluisse videamus.* libr. 18. de civit. Dei c. 54. circa finem: *Ambae civitates* (terrena et coelestis) *temporalibus vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter affliguntur, diversa fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo judicio separentur et percipiat unaquaeque suum finem, cujus nullus est finis.* lib. de utilit. cred. c. 1. haereticum eum arbitratur, *qui alicujus temporalis commodi et maxime gloriae principatusque sui causa falsas opiniones sequitur.* Arnobius lib. 2. adv. gent. pag. 120: *Nihil est nobis promissum ad hanc vitam, nec in carunculae folliculo constitutis*

Digitized by Google

opi aliquid sponsum est auxiliique decretum, quinnimo edocti sumus, minas omnes quaecunque sunt parvi ducere atque aestimare fortunae. Contra autem verae ecclesiae conditionem sic describunt, quod persecutionibus ac pressuris variis sit subjecta. Tertullianus eam comparat *sylvae caeduae, quae amputata altior exit*, quod Prudentius sic expressit:

Perdere nos frustra consul Romane, laboras,
Nam velut in sylvis decisa repullulat arbor
Et multi ex una veniunt radice nepotes;
Sic nostrorum uno centum de funere surgunt.

Idem Tertullianus: *Plures efficimur, quoties metimur a vobis, semen est sanguis Christianorum.* Et paulo ante: *Exquisitior quaeque crudelitas vestra illecebra est magis sectae* etc. Hieronymus advers. error. Joh. Hierosolym. ad Theophil. tom. 3. fol. 85: *Fundendo sanguinem et patiendo magis quam faciendo contumelias Christi ab initio semper fundata ecclesia, crevit persecutionibus, martyriis coronata est.* Chrysostomus homil. 25. in 1. Cor. crucem et persecutiones dicit *esse characteres evangelii.* Idem super dictum Genes. 3. *Inimicitias ponam* tom. 1. col. 553. scribit, *ecclesiam in confessoribus vicisse, in martyribus triumphatricem exstitisse.* Vigilius lib. 1. advers. Eutych. in princ.: *Nihil novum, nihil peregrinum ecclesiae fortitudo experitur, talibus paene ab universis haereticis quaestionum turbinibus agitata triumphum de contrariis et immobilitatem sortita est de adversis.* 7. Accedat ipsorum adversariorum confessio. c. Si ecclesia 23. q. 3. ex Augustino: *Si ecclesia vera est, ipsa est, quae persecutionem patitur, non quae facit. Quaeratur ab apostolo, quam ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancilla?* Anglo-Rhemenses in annotat. suis in c. 5. Matth.: *Facit Deus solem suum oriri super justos et injustos, unde facile perspicimus, hominum aut nationum prosperos successus nullum signum aut testimonium esse verioris aut purioris religionis.* Claud. Espencaeus in 2. Tim. pag. 103. *crucem esse notam ecclesiae* scribit, et pag. 100: *Praedixit Christus labores, pseudochristi prospera.* Ribera comment. in c. 11. Hebr.: *Oportet ut credatur, Deum esse remuneratorem omnium fidelium praestantiori ratione, quam qua in hac vita eos remunerat, quia saepe etiam sine remuneratione sancti ex hac vita discedunt, ut Abel a fratre interfectus.* Acosta de temp. noviss. lib. 1. c. 14: *Bella quamvis, ex quo homines esse coeperint, nulla non aetas viderit, tamen post tempora Christiana maxime orbem terrarum infestarunt, ut coactus sit Augustinus calumniis respondere eorum, qui istas calamitates legi Christianae tribuebant et revera regnorum conturbationes haeresium furori successerunt, cum tamen nihil accidit, quod non fuerit praedictum.* Nicol. Crassus in antiparaenesi ad Baronium Patavii anno 1606. edita: *Scimus, Josiam regem Deo carissimum fuisse, qui tamen misere periit in eo calamitosissimo proelio, quod intempestive commisit cum Nechaone Aegyptio* XII. 163.
rege, qui arma non inferebat ipsi, sed Assyriis. Ex nostris etiam Ludovicus rex, cujus egregia pietas omnium vocibus celebratur, Christianae religionis propagandae studio bis adversa fortuna cum Saracenis congressus fuit. Nam primo proelio fusus fugatusque est et insuper captus; altero pestilentiae vi magnam exercitus partem et vitam amisit. Et postea: *Plerumque iis, quos Deus acceptissimos habet et praecipuo quodam benevolentiae genere complectitur, res ex voto minime succedunt, imo adversa infestaque videntur omnia, ut ex iis, quae hominibus in hac vita evenire solent, qualiacunque sint, constare nullo modo possit, actiones susceptae ab iis justaene an iniquae sint* etc. Quinimo Bellarminus se ipsum audiat, sic enim scribit lib. 4. de eccles. c. 6. §. Jam vero: *Ut aquae diluvii arcam Noae attollebant, ita persecutiones ecclesiam non modo non destruunt, sed etiam illustrant.* (Atqui si persecutiones illustrant ecclesiam, quomodo temporalis felicitas poterit esse ecclesiae nota? Confer eund. Bellarminum lib. 4. de eccles. c. 2. §. Quarta nota.) Pergit Bellarminus: *Itaque Justinus in Tryphone dicit, persecutionem id esse ecclesiae, quod est vineis putatio, ut enim vinea putatione ad ubertatem provocatur, ita quoque ecclesia persecutionibus crescit. Et Tertullianus c. ult. apologet. sanguinem martyrum eleganter semen Christianorum vocat* etc. Atqui si ecclesia persecutionibus crescit, persecutiones potius quam temporalis felicitas ipsi convenient.

Argumenta Bellarmini pro temporali felicitate.

300. Videamus, quomodo Bellarminus hoc loco probet, felicitatem temporalem divinitus illis collatam, qui ecclesiam defenderunt, esse ecclesiae notam. *Nunquam* (inquit) *catholici principes ex animo Deo adhaeserunt, quin facillime de hostibus triumpharent.* Ad quam thesin probandam adducit *victorias Abrahae, Moysis, Josuae, Gideonis, Samuelis, Davidis, Ezechiae, Josiae, Maccabaeorum in V. T. prosperitatem et victorias Constantini, Theodosii senioris, Honorii, Theodosii junioris, Justiniani senioris, Heraclii, Godofredi Bouillionaei* etc. *ex ecclesiastica historia N. T.* et addit, *imperatores orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab ecclesia Romana separaverunt, semper in dies deterius se habuisse, donec tandem imperium penitus amiserunt; in occidente vero imperatores semper magis vel minus floruisse, ut magis vel minus Romanae ecclesiae addicti fuerunt.* Respondemus: 1. nemo nostrum negat, Deum piis et catholicis regibus saepius praeclaras victorias et magnam prosperitatem concessisse, sed ex eo non potest inferri, quod felicitas temporalis sit genuina et propria ecclesiae nota, siquidem victoriae et prosperitates illae non sunt vel catholicae ecclesiae, vel catholicis regibus perpetuae. 2. Adducit quidem Bellarminus aliquot exempla piorum regum, qui

Digitized by Google

gloriosos ab hostibus suis triumphos retulerunt, sed inde non potest inferri generalis conclusio, quod omnes pii et catholici reges semper triumphaverint, multo minus inde inferri potest, quod illi, qui non triumphant, non sint catholici reges. 3. Ostendunt hoc ipsa illa exempla, quae Bellarminus adducit. *Jacobus* Abrahae nepos, quot adversis fuit exercitus et tamen familia ejus fuit vera Dei ecclesia. Tempore *Moysis* ecclesia Israëlitarum pressa fuit in servitute Aegyptiaca, post eductionem per quadraginta annos vagatur in deserto. Josuae 7, v. 3. incolae urbis Hai in proelio contra *Israëlitas* evadunt superiores, non quod religio ipsorum melior, sed quia Israëlitae juxta praescriptum verae religionis non vixerant. Tempore Judicum *pugnabant Philistaei contra Israëlem et caesus est Israël et facta est plaga magna nimis et ceciderunt ex Israël triginta millia peditum et arca Dei capta est.* 1. Sam. 4, v. 10. cum paulo prius ante allatam Dei arcam quatuor millia in pugna contra Philistaeos desiderassent v. 2. Assyrii et Babylonii praevaluerunt in proelio contra Israëlitas. *Josias* rex pientissimus contra Pharaonem Necho pugnans occisus est in Megiddo,
XII. 164. 4. Reg. 23. Tempore *Maccabaeorum* adverso Marte quandoque pugnarunt Israëlitae 1. Maccab. 9, v. 2. De Alexandro Magno Justinus et alii referunt, quod quocunque profectus fuerit, victoriam secum comitem habuerit. Bello sacro sive expeditioni ad recuperandam Hierosolymam speciosum praetextum obduxit papa pollicitus multorum annorum indulgentias, qui ad illud bellum se conferrent, sed qua fortuna fuit gestum? Omne robur Christiani militis eo deductum ibique fractum fuit. In ipso templo Hierosolymitano tantum cruoris humani effusum, ut equi usque ad genua starent in sanguine humano. Ad Ascalonem uno proelio caesa sunt centum milia etc. Tandem etiam Palaestinam imperatoribus orientalibus Saraceni anno 1187. eripuerunt anno 88. ex quo regnum Hierosolymitanum penes Christianos esse coeperat. Ab illo tempore quot victorias Turcae a Christianis reportarunt! 4. Accidit quandoque, ut duo reges in ecclesia catholica pugnent, num vero is, qui vincitur, propterea fidem catholicam amittit? 5. Diminutio imperii orientalis pontifici Romano accepta ferenda est. Illius enim fraudibus divulsio imperii orientalis et occidentalis facta, unde porro contigit, ut Graeci ab imperatoribus occidentalibus deserti ac hostibus suis copiarum viribus impares tandem a Turcis superarentur. 6. Quorsum vero evasit imperium occidentale a Romano pontifice constitutum et juxta Bellarminum in lib. de transl. imp. a Leone III. in Carolum M. translatum? hodie vix magni nominis umbra superest, sic enim Bossius de ruinis gent. adv. impios politic. lib. 7. c. 3: *Imperatoris potestas nunc adeo est extenuata viresque omnium Germanorum adeo accisae, ut ad desperationem videantur adductae.* Bellarminus ipse lib. 2. de Rom. pont. cap. 2. §. Praedicit: *Romanum imperium jam fere deletum esse cernimus.* 7. Imperatores Latinos semper magis minusve floruisse, ut magis vel minus Romanae ecclesiae addicti fuerint, cum veritate historica non congruit. Henricus IV. fuit in summo apud pontificem Romanum odio, idem tamen multas reportavit victorias. Pontifex illum anathematizabat et creabat alium imperatorem Rudolphum Suevorum regem missa ad eum corona imperatoria cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho,

sed ille in nullo proelio felix tandem ab Henrico in bello victus est. Postea secundum imperatorem creavit pontifex, qui a femina occisus; mortuo secundo creavit tertium, qui in molendina captus ab imperatore occisus; tandem papa ipse de sede sua deturbatus et in carcerem conjectus est.

301. *Membrum secundum.* An prospero rerum successu semper fuerint usi ecclesiae Romanae defensores? *Catholici* (scribit hoc loco Bellarminus) *in Helvetia, Germania, Gallia et Belgio multas victorias reportarunt ab haereticis. Carolus V. miraculo divino victoriam retulit de Lutheranis* anno 1547. Stanislaus Hosius in scripto contra Vergerium sic rhetoricatur: *Carolus V. imperator habuit ante paucos annos perexiguas copias, fuit totius fere imperii praesidiis destitutus; Protestantes vero exercitum et numero lectissimorum militum, et omnibus rebus bello necessariis instructissimum contra Caesarem collegerant. Sedit autem tunc Deus pro tribunali et quasi lata sententia pronuntiavit, Carolum V. imperatorem suae doctrinae propugnatorem esse et victoriam incruentam illi concessit.* Respondemus: 1. Cur praetermittere voluit Angliam? Sixtus V. pontifex Romanus anno 1588. Elisabetham Angliae reginam anathematis fulmine percussit, regio titulo et omni auctoritate exuit, omnes ejus subditos a juramento et obedientia absolvit, regnum Angliae donavit Hispano. Is classem potentissimam diversis in locis totum ferme triennium instruit, quae constabat navibus militaribus grandibus 150, militibus veteranis selectissimis 20000, nautis 10000, tormentis 2650, pyrio pulvere, globis, annona ac reliquis necessariis ad sex menses erat instructissima, in navibus erant altaria, cele- XII. 165.
brabantur missae, aderat magna multitudo monachorum, quae convertere debebat Anglos ad fidem Pontificiam. In maxima navi picta erat imago Virginis Mariae additis hisce verbis: *Vindica causam filii tui.* Hieronymus Vida ἐπινίκιον ante victoriam canens acclamabat:

Tu quae Romanas voluisti spernere leges,
Hispano discas subdere colla jugo.

Sed quid fit? Cum vix e conspectu Hispaniae in mare pervenisset classis, adversis rejecta fuit ventis. Rex intelligens, classem nondum affectam esse insigni clade, denuo eam exire jussit et Belgicam

De felicitate ecclesiae Romanae

Digitized by Google

quandam classem adjecit. Antequam vero hae classes conjungerentur, Franciscus Dracus eques Anglus Hispanicam classem a tergo coepit insequi et oppugnare utens minoribus navigiis utpote agilioribus, cum Hispanicae essent magnae et ad celerem motionem non satis idoneae. Postmodum octo naves vetustas pice, sulphure et aliis ejusmodi rebus complens illas incensas commisit vento vehementi, qui a tergo Hispanicam classem adspirabat, quae creberrimis incursionibus et conflictibus labefactata pugna navali victa et profligata fuit, exercitu Hispanorum numerosissimo fuso et fugato, triremibus multis captis, dissipatis aut submersis, plurimis belli ducibus captis et praeda ingenti in reginae potestatem redacta. 2. Cur praetermittit *bella pontificum* adversus imperatores Romanos et alios dynastas infeliciter saepius gesta? Secretarius Pauli IV. act. 2. an decreta concil. Trident. armis imperanda p. 72: *Eugenius IV. contra Bohemos utpote schismaticos pugnaturus cruciatam indixit, sed infauste atque infeliciter, nam in illo bello periere fere omnes cruce signati, schismatici vero victores evaserunt.* 3. In proeliis *Helveticis* et *Gallicis* Mars fuit ἀλλοπρόσαλλος, in *Scotia* Protestantes saepe fuerunt superiores; de *Belgii* subjectione non habet quod magnopere glorietur Hispanus. **Jesuita Conzen de pace German. lib. 1. c. 24. p. 340. anno 1557: *Victo ad S. Quintinum Francisco rege Galliarum Calviniani insolescentes et regis adverso proelio elati aliquid aggrediendum rati* etc.** 4. *Bellum Smalcaldicum* pacatiorem habuit exitum, quam papa speraverat, unde Mendoza coram Caesaris legato conquestus est, *accidisse pontifici id, quod est apud Esaiam: Cum exspectassem, ut ederet uvas, edidit labruscas.* Henricus Merckelius Magdaeburgensis secret. in relatione de obsidione urbis liter. F. ii. refert, se ex ore Lazari Schwendii Viennae Austriacorum audivisse, quod imperator Carolus paulo post istud bellum Oeniponte dixerit, *se nullam apud Catholicos et pontificem praesertim iniisse gratiam, quod non jussisset electori captivo caput praecidi et omnia per Germaniam munita loca destrui ac dissipari.* Sleidanus libro decimo nono comment. pag. 577. commemorat, die 22. Aprilis, quo elector Johannes Fridericus captus fuit, et aliquot post diebus solis adspectum valde fuisse tristem, obscurum, pallidum et velut caligine quadam circumdatum, ita quidem, ut plerique a Saxonia longissime remoti et ignari quid ageretur, judicarent, magni aliquid portendi, nec enim in Germania solum, sed per Galliam etiam et Britanniam id fuit observatum et ita rem habere multa hominum millia testificari possunt. Merckelius in relat. dicta it. D. ii: *Pius ille princeps turbido coelo a suis abreptus sereno et lucidissimo coelo ad suos reversus.* Quid Misenae canonicis ob captivitatem electoris psallentibus ac jubilantibus contigerit, commemoratum fuit superius. Quali fortuna post istud bellum Carolus V. fuerit usus, ex eo apparet, quod Thomas Stybarus in hist. relat. de vita Joh. Frid. et Henr. Merckel. in relat. de obsid. Magdeb. referunt, *ipsum saepenumero doluisse et poenituisse, quod se instigari et exacerbari adversus laudatissimum electorem passus fuerit. Nam cum imperialem magistratum abdicasset et fratri suo Ferdinando regi administrationem ejus commisisset, in Hispaniam concessit et in regia sua juxta monasterium quoddam vitam consumsit, ibi* XII. 166.
tunc omnes res suas gestas, quarum viginti aut plures fuisse referunt, in mappis depingi easque in monasterio parietibus circuitus affigi curavit. In istum circuitum monasterii illius saepe se deportari jussit ibidemque coram mappis pictis sedit secum ipse recolens, quid in expeditionibus, obsessionibus, aciebus, et alibi acciderit, quos duces belli, quos centuriones et equitum magistros habuerit, qua usus sit fortuna, quibus successibus et infortuniis. Ubi devenit ad eas mappas, in quibus Smalcaldense bellum et captivitas electoris Saxonici depicta erant, ingemiscens ac suspirans dixit: Hunc si reliquissem, qualis fuerat, mansissem et ego, qualis eram. Posset etiam levi brachio Bellarminus admoneri, qualis exitus bellum Smalcaldicum tandem secutus sit, sed haec nota sunt ex historiis.

302. *Membrum tertium.* An ecclesiae evangelicae felicitas temporalis sit conjuncta? Quemadmodum diabolus in tentationibus Christi ostentationem regnorum terrenorum ac pollicitationem amplissimae potentiae ad extremum reservavit, ut si ceteris non proficeret, hac tamen Christum superaret; ita quoque temporalis felicitas, quam postremo loco Bellarminus producit, in multorum cordibus est prima ac praecipua causa impellens ad defectionem ab ecclesia evangelica ad papatum, externus enim ille splendor et promissio dignitatum, honorum, divitiarum etc. multorum oculos perstringunt, ut malint pinguibus praebendis frui, quam cum Christo esurire. Pontificiis certe nihil magis in ore, quam quod ministris ecclesiarum nostrarum paupertatem, contemtum et mundi odia objiciant, sed Moysis exemplum secuti *opprobrium Christi majores aestimemus divitias quam omnes Aegypti thesauros* Hebr. 11, 26. Nec tamen omni felicitate temporali confessores evangelii destituti fuerunt hactenus. Praeterquam enim pluribus aliis beneficiis corporalibus immensa benignitate Deus nos cumulavit, quanti illud quaeso aestimandum, quod pacem et tranquillitatem contra tot molitiones adversariorum Germaniae patriae nostrae dilectissimae concessit hactenus, regionibus ac regnis vicinis perpetuo ferme bello ardentibus. Eam uti porro nobis conservet, toto pectore precamur, ut hac ratione sub alis magistratus nostri pacate protecti *quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate* 1. Tim. 2, v. 2. ad gloriam divini nominis et animarum nostrarum salutem sempiternam

An ecclesiae evangelicae destituantur omni felicitate.

Digitized by Google

CAPUT XII.
DE CAUSA FINALI ECCLESIAE.

303. Postquam de causa efficiente, materiali ac formali ecclesiae latissime fuit dictum hactenus, restat ut de causa finali ecclesiae brevissimis agamus. Deus ex immensa bonitate ex perdito genere humano ecclesiam sibi colligit fine eo, ut habeat populum aliquem peculiarem, a quo in hac et aeterna vita recte agnoscatur, colatur et glorificetur. Esa. 61, v. 3: *Vocabuntur in ea arbores justitiae plantatio Domini, ut glorificetur.* Ephes. 1, v. 11: *In Christo sumus sorte vocati* (ἐκληρώθημεν, in sortem sive hereditatem Domini, hoc est in ecclesiam vocati), v. 12. *ut simus in laudem gloriae ejus.* 1. Petr. 2, v. 9: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Finis igitur vocationis ad ecclesiam, adeoque conservationis ac propagationis ecclesiae in hoc mundo geminus est. Subordinatus, hominum scilicet ex tenebris ad lucem conversio,
XII. 167. ex statu irae in statum gratiae translatio et vitae aeternae hereditatio. Ac principalis, Dei scilicet glorificatio. Nimirum ut ostenderet Deus incomprehensibiles gratiae suae divitias, noluit genus humanum aeterni exitii vinculis, quibus protoplasti et se et posteros sponte involverant, manere constrictum, ideo Filium suum mundo redemtorem misit et beneficia ejus per praedicationem evangelii hominibus offert, per quam vocat eos in gratiae regnum et ecclesiae consortium. Huic vocationi sanctae si qui virtute Spiritus sancti obsequuntur, illos transfert in regnum gratiae, in quo ipsum recte agnoscant, in sanctitate et justitia ipsi serviant et debita obsequia eidem praestent, ac post hanc vitam transfert eos, si scilicet in vera fide et cultu perseverent, in regnum gloriae, in quo angelorum coetui consociati aeterna laudum praeconia ipsi cantent.

CAPUT XIII.
DE USU HUJUS LOCI.

Usus hujus loci.

304. Agendum hoc loco esset de auctoritate ecclesiae, quae primarium est ipsius adjunctum, et quidem primo absolute, deinde comparate respectu scilicet Scripturarum sacrarum, an ecclesiae, an Scripturae major sit auctoritas. Sed quia quaestiones illae non possunt brevibus explicari et vero jam ante hic tractatus excreverit, ideo in alium locum harum quaestionum ἐπίλυσιν rejicimus. Coronidis vice de usu hujus articuli quaedam subjungemus, qui in sequentibus potissimum consistere videtur membris. 1. Ut veram ecclesiam a Satanae synagoga discernentes ad illius consortium unice adspiremus nihil optabilius ducentes, quam ut simus cives ac domestici Dei in hac civitate et domo Dei sancta. Ad ecclesiae vero triumphantis palatium non patet aditus nisi per militantis ecclesiae προαύλιον sive vestibulum, nec Deum in coelis habet patrem, qui ecclesiam in terris non habet matrem. 2. Ut debitas Deo agamus gratias, quod *vocaverit nos vocatione sancta* 2. Tim. 1, v. 9. et ecclesiae suae cives nos fecerit, ut nobis quoque illud elogium competat Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam;* v. 23. *et ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis, et judicem omnium Deum et spiritus justorum perfectorum.* 3. Ut inter ecclesiae cives adscripti vitam sanctam et vocatione nostra dignam agamus, ne velut putrida et mortua membra ex hoc mystico Christi corpore abscindamur. 4. Ut concordiam in ecclesia, quae est *Dei domus* 1. Tim. 3, v. 15. fideliter alamus, nec turbemus eam contentionibus non necessariis, 1. Cor. 1, v. 10: *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint inter vos schismata.* 5. Ut piis et honestis constitutionibus, quae in ecclesia feruntur, reverenter nos submittamus, nec intempestivo Christianae libertatis usu scandalum concitemus etc. 6. Ut promissiones de ecclesiae conservatione firma fide amplexi petamus, in ejus consortio ad finem usque vitae conservari, ut partem habeamus sortis sanctorum in lumine Coloss. 1, v. 12.

305. Definitio ecclesiae ex superioribus potest constitui talis: Ecclesia est coetus hominum per praedicationem verbi et administrationem sacramentorum ex mundo ad regnum Dei vocatorum et congregatorum, in quo coetu sunt electi juxta praenotionem Patris, vere scilicet ac perseveranter in Christum credentes, quibus mixti sunt non-sancti, sed tamen eandem doctrinam profitentes. Deus Pater, qui per Filium nos redemit et per Spiritum sanctum ad ecclesiae consortium nos vocavit, conservet nos in hoc regno gratiae usque ad finem vitae nostrae ac tandem ad regnum coelestis gloriae transferat. Amen. Definitio ecclesiae.

FINIS TOMI QUINTI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (H. A. Pierer.)

Digitized by Google

CONSPECTUS QUINTI TOMI.

LOCUS XXI. DE SACRA COENA p. 1—253.

LOCUS XXII. DE ECCLESIA p. 254—602.

Digitized by Google

Digitized by Google